

R. P. M. FRANCISCI

BORDONI

PARMENSIS,

RELIGIONIS TERTII ORDINIS
Sancti Francisci in Prouincia Bononiensi
Prouincialis, & S. Officij Consultoris;

OPERVM TOMVS QVINTVS.

QVO CONTINENTVR

PRAXIS CRIMINALIS,

ET

TRACTATVS DE PROFESSIONE REGVLARI.

CVM INDICIBVS NECESSARIIS.



LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS-ANTONII HVGVETAN,
& MARCI-ANTONII RAVAVD.

M. DC. LXV.
CVM APPROBATIONIBVS.



INDEX

Capitum & Sectionum Tractatus Praxeos Criminalis.

75. De

INDEX

Capitum Tractatus de Professione Regulari.



PRAXIS

PRAXIS CRIMINALIS SIVE MANVALE IVDICVM CRIMINALIVM.

Ex probatis Auctoribus præsertim Farinacio, pro Iudicibus quibuscunque præsertim Regularibus, & aliis practicantibus in hoc foro Procuratoribus, & Aduocatis, atque etiam Confessariis.

DE IVDICIO CRIMINALI.

RATIO DICENDORVM.

NVLLI dubium est, ordinem in omnibus seruandum esse, vt euitetur confusio quæ repe-
1 *ritur vbi non est ordo maximè in Iudiciis, in quibus agitur de castigandis Reis, ne illis Dam-*
num iniustè inferatur: Quare acturus de Iudicio Criminali apud Regulares, necessarium
est describere in primis quid sit Iudicium Criminale.
2 *Est autem Iudicium Criminale inuestigatio veritatis circa crimina perpetrata à iudice*
facta, seruato iuris ordine cum actore contrarium agente in ordine ad punitionem Rei con-
uicti, vel confessi.
3 *Dixi primò Criminale, quia licet Iudicium multiplex sit, vt priuatum, temerarium,*
ciuile, & criminale, tamen de hoc vltimo tantum agere volo, ideo illud præcisè descripsi.
4 *Dixi secundò, quòd hoc Iudicium versatur in indagatione, & inquisitione delictorum, in*
quorum inuestigatione Iudex tribus modis solet procedere, inquisitione scilicet generali hoc est, per visitationem; Secundò per
inquisitionem mixtam ex delicto certo, & persona incerta, seu è contra; Tertiò ex speciali inquisitione de delicto, & persona
certis. Hi tres modi ad duos reduci possunt; Primò, cum Iudex ex officio suo procedit in visitatione, & denuntiatione; Se-
cundò ad instantiam partis accusantis inimicum proprium, vel suorum, persequendo iniuriam illatam.
5 *Dixi tertiò, seruato iuris ordine Iuris autem ordo duplex est; Substantialis, & accidentalis. Primus, qui dicitur etiam*
Essentialis, consistit in illis mediis, per quæ indagatur veritas criminis, quæ ita necessaria sunt, vt sine illis indagari veri-
tas non possit, nec reus læsus defendi potest. Vt sunt querela, corpus delicti, iuramentum, probatio delicti, citatio Rei
cum suis defensionibus, de quibus latiùs patebit infrà suis locis. Accidentalis verò ordo, consistit in certis formis, solemni-
tatibus, & mediis, quæ non faciunt ad inuestigandam veritatem delictorum, quæ sine illis haberi potest, nec faciunt ad de-
fensionem Rei, vt citatio die feriato non facienda, protectio libelli cum inscriptione, &c. Vide Pegnam par. 3. con. 104. §.
6 Itaque, & § Voco. Ghisler. de Iudic. Regul. cap. 11. num. 4. & 6. in sequent. *capite latius de his.*
Dixi quartò cum actore, quia huiusmodi inuestigatio veritatis delictorum non fit primò vocando reum, vt de se confitea-
tur, sed mediante querela, & testibus indagantur crimina, non enim ab interrogatione Rei incipiendum est iudicium, sed à
visitatione, seu à querela probanda per testes.
7 *Dixi quintò contra Reum, id est, delinquentem, nam Iudex per actorem inuestigat delictorum veritatem, & conse-*
quenter ad formandum iudicium tria sunt necessaria, sine quibus illud consistere non potest, nempe Iudex, Actor, & Reus
sic dictus à re, quæ controuersatur contra ipsum. Iudex autem stat in medio horum duorum non magis declinans ad vnam

partem, quàm ad aliam, dum veritatem inquiris, quá cognitâ ministras iustitiam, cast gand: Reum repertum criminosum.

8 *Dixi sextò in odine ad punitionem Rei conuicti, vel confessi, finis enim iustitia est castigare Reum vt talem cognitum per conuictionem, vel per confessionem ipsius, vt pœna illius sit multorum metus, quo mediante arceantur à criminibus, si non amore legis, saltem timore pœnarum.*



CAPVT I.

De Iudicibus Regularibus.

IVDEX appellatur à iure dicendo, vnicuique enim ministrat iustitiam secundum allegata, & probata. Vt autem debito ordine procedamus nonnullæ excitandæ quæstiones resoluendæ sunt.

Quæres igitur primo quotoplex sit iudex regularis.

1 ℞. Alter dicitur Ordinarius, alter Delegatus ab ordinario. Ille autem dicitur ordinarius, qui iure suo, & proprio, ratione sui officij exercet iustitiam per iurisdictionem ordinariam in foro externo, siue sit electus ad officium, & prælaturam ab vniuersitate vel à superiore, vt docent omnes Canonistæ in Rubr. de offic. ordin. vide ibi Barbosam. Ab vniuersitate autem Capituli eligitur Generalis, Prouincialis, Custus iurisdictionalis, & Superior localis, Guardianus, Prior, seu Minister, aut Præpositus, siue Rector, aut Abbas. A Superiore verò contingit prouisio prædictorum Prælatorum, & Superiorum, quando subditi carent Superiore, vt quia finiuit suum officium, vel ab eo amotus fuit vel morte, vel priuatione, vel renuntiatione, vel translatione, cum non debeant subditi vt membra carere capite, Superior ex vi iuris communis cap. Ne pro defectu cap. 41. de
2 elect. & ex statutis ordinis sufficit alium in locum præmortui supradictis modis, qui parem habet, immo eandem Prælaturam, & officium, quod habebat antecessor, in cuius locum subrogatur, licet alio nomine vocetur Præsidens, seu Commissarius, ex quo præest, & ei committitur regimen idem, quod habebat amotus ab officio. Idem dic de prouisis à Pontifice Romano, sunt
3 enim eiusdem omnino conditionis, iurisdictionis, ac potestatis ordinariæ, ac si à communitate temporibus debitis fuissent electi, quia ex officio suo propriam exercent iurisdictionem. Delegati vero appellantur illi, qui
4 à prædictis habent commissionem, & delegationem, & sic non iure proprio, nec iurisdictione sua vtuntur in iudicando, sed aliena, eorum scilicet, à quibus illam receperunt, vnde secundum tenorem delegationis agere
5 habent, & non excedere limites suæ commissionis, aliter nulliter agunt. De vtroque Iudice ordinario, & delegato agunt *Rodriquez tom. 1. quæst. 17. art. 6. Franciscus Pitigianus in sua Praxi cap. 1. Miranda quæst. 2. num. 61. Franciscus Longus à Coriolano de Casib. reseru. casu 5. num. 4. Philippus de Bellis Capuc. in Epitome quæst. 1. & 2. Octauianus Spatharius tract. 5. cap. 3.* Militant omnes sub prima Regula S. Francisci, cum Philippo Fabro *disp. 54. de Restitut. num. 19. Ghisler. cap. 1.* & alij communiter.

Quæres 2. An supradicti omnes Generalis, Prouincialis, & Localis superiores omnes possint formare processum, & condemnare reos.

6 ℞. Vnusquisque inspiciat statuta sui ordinis, communis est sententia, quod hoc munus spectat solum ad Generales, & Prouinciales, qui dicuntur maiores iudices. Locales verò non posse ita procedere, sed solum ore tenus corrigere errores leuiores suorum subditorum pœnitentiando illos disciplinis regularibus, vt aiunt, præcipiendo, vt edant, & bibant in pane, & aqua genuflexi in refectorio; potest eos mittere ad cameram, ne inde exeant, prohibere exitum è monasterio, auferre pictantiam, &c. immo & carcerare, cum opus est, data graui contumacia, & inobedientia &c. Pitigianus cap. 2. negat, Guardianum posse carcerare, sed id est ex instituto sui ordinis, sicut & flagellare per manum alienam. Nec potest priuare voce, aut officio, quod ipse non dedit, pœna enim priuationis est quid graue petens processum, quem Guardianus formare non potest.

Quamuis Prior, & Guardianus non possint forma- 7
re processum, tamen possunt ferre excommunicationem, & suspensionem in suos subditos inobedientes, & contumaces, *ex cap. cum in Ecclesiis 10. de maior. cap. Sicut ex tuis 33. de simon. Nauar. cap. 27. num. 5. Sayr. de cens. lib. 1. cap. 6. Graff. part. 1. lib. 4. cap. 4. num. 8. Bonac. q. 1. de cens. punct. 2. num. 5. Megal. lib. 1. de cens. c. 2. num. 26.* Nullus contradicit.

Quæres 3. An Iudex possit punire suum subditum, qui deliquit extra conuentum, seu etiam extra Prouinciam? Duæ sunt opiniones. Prima negatiua est multorum cum Ignatio Lopes ad Diaz cap. 8. Affirmatiua verò aliorum cum Bernardino Diaz eodem cap. 8. vt docet etiam Additionator ad Pitigianum cap. 2.

℞. Iudicem regularem posse punire suos subditos, 8
quocumque in loco extra conuentum, seu Prouinciorum deliquerunt. *Tum quia* religiosi ex voto obedientiæ semper subditi dicuntur suis Superioribus, vbicunque reperiantur, nam virtus obedientiæ passiuæ comitatur illas vsque ad mortem. *Tum quia* Superiores regulares suam exercent iurisdictionem independenter à loco,
non enim cohæret loco, sicut aliorum iudicum, cum sit 9
fundata in actiua obedientia præcipiendi, quæ nullum respicit locum. *Tum quia* ex Tridentino sess. 25. cap. 14. regulares delinquentes extra claustra puniuntur à suis Superioribus, ergo eorum potestas loco non limitatur. *Tum quia* de substantia iurisdictionis non est habere
territorium, in quo subditi delinquant, vt multis alle- 10
gatis refert Rota decis. 43. numer. 2. tom. 3. Tambur. de iure Abbat. suam ergo iurisdictionem exercere potest contra subditum extra delinquentem. Confirmatur, quia licet territorium regularium dicatur eorum monasterium; *ex eadem Rota numer. 4. citante Vitalinum in Clem. Rursus, de statu monach. numer. 10.*
quibus addo *Cardin. in Clem. 1. de statu monach. num. 1.* 11
Verallum part. 2. decis. 225. Portellum part. 1. casu 29. Denaium part. 1. tractat. 13. quæst. 81. numer. 4. tamen ex quo eorum iurisdictio non respicit locum, sed personas tantum, sequitur, quod totus mundus dici potest eorum territorium, & sic vbique contra eos
procedere possunt, cum procedat contra suum subdi- 12
tum delinquentem intra territorium sui iudicis, dum totus mundus est territorium illius. Demum religiosus nunquam dicitur mutasse territorium propria auctoritate, quamuis absit, siue cum licentia, siue sine licentia, domicilium enim, & territorium solum mutat cum speciali licentia superioris, dum illum mittit ab vno loco ad alium super obedientia alterius Superioris, ergo cum censeatur manere in proprio domicilio, & territorio puniri poterit, vbicunque delinquat. Ita in terminis Portellus *part. 1. casu 19. Vgolinus tabul. 1. cap. 27. §. 1. numer. 6. apud Petrum Bellasium ordinis Fesulani in Promptuario Regul. v. Territorium. Addens ad Pitigianum cap. 1. §. Contrariam; Pelliz. tract. 9. cap. 3. num. 65. Megal. lib. 1. de cens. cap. 3. num. 37.*

Quæres 4. An Superior possit punire religiosum sui, vel alterius ordinis hospitem delinquentem.

℞. Affirmatiue, quia & si non sit subditus ratio- 13
ne domicilij, & habitationis, cum sit hospes, tamen talis fit ratione delicti perpetrati ibidem, vbi hospitatur, vt dicitur cap. fin. de foro competenti, ratione enim

enim delicti quis euadit de iurisdictione eius, apud quem deliquit, ita Quamplures Doctores relati à *Barbosa super cap. Postulasti* 14. *de foro compet. num.* 2. qui subdit numer. 3. id esse intelligendum, si ibidem inueniatur. Potest ergo puniri, vel remitti ad suum superiorem. Intellige prædicta, siue in conuentu, siue extra conuentum delinquat, quia delictum vt sic ius dat Superiori loci, vbi peccauit. Ita Pitigianus *capit.* 2. *ad finem Rodriquez tom.* 1. *quæstion.* 68. *art.* 4. *Miranda tom.* 2. *quæst.* 29. *articul.* 6. *ex illis Lezana part.* 1. *capit.* 4. *numer.* 22. quod debent se, conformare cum aliis, ne oriatur scandalum, & turbatio, præciso tamen scandalo, non obligari specialibus præceptis, & ordinationibus loci, vnde horum transgressores non sunt puniendi inquit *Pelliz. tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 43.

Quæres 5. An superiores regulares sint iudices non solum professorum, verum etiam Nouitiorum, Tertiariorum, & aliorum degentium intra claustra eorum? Ratio dubitandi est, quia isti non videntur subditi, ergo nec superiores eorum Iudices, Iudex enim
14 non potest iudicare, nisi subditos, Paulus ad Rom. 4. 4. *Tu quis es, qui iudicas seruum alienum.* Ad Corinth. 1. cap. 4. 4. *Qui autem iudicat me Dominus est.* Idest meus superior, cui sum subditus, *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 1. *Castan. de auctor. Papæ tractat.* 2. *cap.* 20. Sed soli professi ex voto obedientiæ facti sunt subditi superioris regularis, ergo hi soli, & non alij subduntur superioribus, & Iudicibus regularibus.

15 ℞. Omnes supradicti sunt subiecti superioribus regularibus. Probatur, quia ratione domicilij quis fit de foro alterius, & ibi conueniri & puniri potest, si ibidem delinquat, *cap. Dilecti* 17. *cap. licet* 18. *de foro comp.* Sed nouitij & supradicti ingredientes monasterium contrahunt ibi domicilium, omnes enim sic ingredientes habent animum perpetuo manendi, & ibi Deo, & religioni inseruire, cum ingrediantur vt profiteantur saltem Nouitij, ergo cum domicilium contrahant, secundum omnes cum Sanchez *lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 20. *fine*, *Naldo v. ordo num.* 10. *alios citans cap.* 11. *de Professione regulari typis de Bertanis hoc anno Venetiis, num.* 12. sequitur quod sint subditi regularibus superioribus, cum quibus habitant, & cum hic sermo sit de puniendis delinquentibus, hoc ipso, quod quis non professus delinquendo apud professos, ipso iure fit subditus, vt possit puniri, vt dixi
16 supra. Ita de Nouitiis, quod possunt corrumpi, & puniri. *Azor. tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 2. *quæst.* 51. *Sanchez lib.* 6. *cap.* 10. *Rodriquez tom.* 2. *quæst.* 2. *art.* 10. Etiamsi è religione vellent egredi, *Suarez tom.* 3. *de relig. lib* 5. *cap.* 16. *num.* 18 *Graff. tom.* 1. *consf.* 8. *num.* 9. *Rosella v. Nouitius* §. 12. *Syluius v. Religio v. quæst.* 7. *Gemin. in cap. Non solum, de regul. in* 6. debet enim satisfacere pro scandalo dato, recipiendo pœnam congruentem delicto, nec ideo bonum est illum retinere, ne professos inficiat sed melius est illum expellere, ita Spathar. tract. 1. cap. 7. Nec placet, quod ea præcitatis aliqui dicunt, Nouitium habere electionem sed omnino puniendus est, ne eaeat in emendatas. Vide Latius dicta in eo cap. 11. de Iudice Nouitior.

Et ex his patet ad rationem dubitandi, nam ratio subiectionis non solum acquiritur professione, sed etiam aliis modis, nempe domicilio, delicto, contractu, & re, vt expressè dicitur cap. fin. de foro competenti.

Quæres 6. An superior regularis sit Iudex in crimine societatis vt quando professus, vel nouitius &c. delinquit cum laico, vel clerico, item cum regularis percutit clericum, quis iudicare aut absoluere potest religiosum, seu nouitium superior regularis, an Episcopus.

17 ℞. Vnusquisque à suo superiore, & iudice puniendus est, non enim aliquis eorum perdit subiectionem, sed adhuc remanet suo ordinario Iudici subiectus. Confirmatur, quia non obstante complicitate duo sunt delicta, & duo delinquentes, ergo cum hic locum habeat diuisio, vnusquisque à suo Iudice puniendus est. Deinde si ab vno tantum iudice complices essent puniendi, vel is esset laicus, vel regularis, non laicus, quia minus dignus non trahit ad se magis dignum; non regularis, quia per eam complicitatem nullum acquisiuit ius in secularem, sed tantum in suum subditum. Et procedit, siue sit Sacerdos, vel clericus, aut laicus, hoc est, conuersus. Ita plerique quos citat *Rodriquez tom.* 2. *quæst.* 2. *art.* 4. *Spathar tract.* 1. *cap* 8.

Episcopus potest absoluere professum, seu nouitium, 18
vel tertiarium percussorem clerici secularis; eo modo, quo potest suos, ex cap *Religioso* 22. *de sentent excom. in* 6. *de quo Rodriquez tom.* 1. *quæst.* 20. *art.* 12. *Suarez de censf. disput.* 22. *numer.* 74. *Barb. hic num.* 2. *& Allegat.* 41. *numer.* 18. *Tambur. tom.* 2. *disput.* 14. 19
numer. 3. Hanc gratiam fecit religiosis, qui de iure communi non poterant absolui, *ex cap. cum illos*, 32. *de sent. excom.* Poterant vero absolui à suo superiore, si se inuicem religiosi percussissent, non tamen enormiter, *ex hoc cap.* 32. *& cap Monachi* 2. *eod.* Percutiens vero alterius ordinis religiosum absoluitur per superiorem vtriusque ex eodem cap. 32. Illa verba: *Se in claustro percusserint*, non sumantur taxatiue, quasi 20
non possint absolui se percutientes extra claustrum, sed demonstrant locum, in quo solent se percutere, vbi scilicet maiori temporis parte cohabitant. Idem Rodriquez *ea quæst.* 20. *art.* 12. *Coriolanus Capuc. casu* 10. *num.* 15. *Barb. cit. Allegat.* 41. *numer.* 18. Modo habent amplissima priuilegia absoluendi etiam ob enormissima percussione, & homicidio, vt patet ex diuersis priuilegiis apud præcitatos, & demonstratur aperte per dictum decimum casum à Clem. VIII. expositum his verbis: *Occisio, siu vulneratio, aut grauis* 21
percussio cuiuscunque personæ. Cuius absolutionem reliquit superioribus regularibus, in eo autem non solum comprehenditur peccatum, sed etiam censura annexa. Vide, quæ de casibus Regul. dicunt Doctores apud Donatum part. 3. tract. 10. q. 24.



CAPVT II.

De Apicibus iuris non seruandis à Superioribus regularibus in iudiciis.

HOc nomen *Apex, apicis* quatuor significat, 1
Primò cristam auium ex Plinio lib. 11. cap. 17. *Secundò* summitatem pilei, seu tiaræ, & infulæ Pontificis, quæ in summo est acuminata ex Clem. de iureiur. *Tertiò* notam accentuum super literis, Aulus Gellius lib. 13. cap. 29. Quibus relictis, ad rem nostram. *Quartò* sumitur pro 2
solemnitate inducta à iure siue ciuili, siue canonico de quibusdam circunstantiis, & requisitis seruandis in iudicando, quæ dicuntur iuris subtilitates, ornatus, & pompæ ad trahendum in longum litem fauore reorum, & aliorum eos defendentium. Et cum sine illis indagari possit veritas ex parte iudicis & actoris, & defendi reus ex parte sua, Regulares iudices ab illorum obseruatione eximuntur, vt mox patebit; eos autem nec Vulpianus amplectitur, dum in l. Si Fideiussor 29. ff. Mandati ait: *De bona enim fide agitur, cui non congruit de apicibus iuris disputare.* Vbi Glos. 11. De apicibus iuris notat, non esse curandum, sufficit enim bona fides, & inspectio veritatis. Ideo Summi Pontifices ab his apicibus, qui in longum causas protrahunt, & veritatem obscurare possunt, & tueri reum, ne puniatur quamuis delinquens, faciles fierent in dispensandis iudicibus.

Quæres autem primo, an superiores regulares iure communi sint exempti ab apicibus iuris, itaut in causis suis possint procedere de plano, summarie sine strepitu iudiciali, postpositis solemnitatibus iuris.

3 ℞. Affirmatiue. Probatur primo ex cap. Ea quæ 8. de statu monach. ibi ! *Si autem dilapidator inuentus fuerit, vel alias merito amouendus, per Diœcesanum, postquam hoc sibi à Visitatoribus demandatum fuerit, amoueatur absque strepitu à regimine Abbatia.* Notanda sunt illa verba, *Absque strepitu*, quæ im-
4 portant omissionem solemnitatum, Oldrad. cons. 115. significat, sola rei veritate inspecta, *Gamb. de legat. libro 8. titul. de potestate legati in iudic. num. 167. Late Barbosa in extr. Ad reprimendum verb. sine strepitu: Vide Paulum Rub. Claus. 764. & 791. Franc. Ghisler. capit.* 11. vbi pro eodem iure accipiuntur hi termini: *Summarie procedere, de plano, sine strepitu iudicij, sola rei veritate inspecta, rimulis, & apicibus iuris postpositis* De Bictis quæst. 8. numer. 3. *Ab Angelis cap. 1. n. 6. Rodriq. tom. 2. q. 84. art. 1. Lezana tom. 1. cap. 27. n. 26.* Et alij omnes. Ergo procedere sine strepitu, & de plano, est omittere apices iuris.

5 Probatur 2. ex cap. Olim 26. de Accusat. vbi agitur de causa quadam inter regulares, mandante Gregorio IX. vt in ea procedatur *de plano, & absque strepitu iudiciorum*, hoc est, vt inquit Glos. ordo iudiciarius non est vsquequaque seruandus, & summaria cognitio sufficit, ex illo verbo *de plano.*

6 Probatur 3. ex cap. Qualiter 24. de Accusat. in quo præscribitur sequens ordo in causis criminalibus. *Primo*, quod iudex non procedat contra aliquam, nisi præcesserit infamia à prouidis, & honestis viris, non semel, sed sæpe orta. *Secundo*, huius veritas perscrutari debet coram senioribus Ecclesiæ. *Tertio*, non admittitur accusatio sine inscriptione, quæ scilicet est pœna talionis. *Quarto*, reo, contra quem fit inquisitio, danda est copia processus, vt valeat se defendere. *Quinto*, inscriptio debet præcedere accusationem, monitio caritatiua denunciationem, & clamosa insinuatio inquisitionem. *Sexto*, demum, sententia formanda est iuxta formam, & tenorem iudicij. His præmissis Pontifex subiungit in fine: *Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus vsquequaque seruandum, quæ cum causa requirit, facilius, & liberius à suis possunt administrationibus amoueri.* Vides, quod iudex regularis non tenetur seruare præ-
7 fatum ordinem ibi expressum in illis sex capitibus, *Vsquequaque*, idest, in omnibus, & per omnia, sed in aliquibus teneri seruare, hoc est, in quarto, &
8 sexto, quæ sunt de ordine essentiali non omittendo. Et reddit rationem, cur præscriptum ordinem ita exacte seruare non teneantur, quia scilicet regulares facilius, & liberius amouentur, quam seculares clerici, non solum quia pinguiora habent beneficia, sed etiam quia illis priuati, quandoque non habent vnde viuant, regulares verò viuant de patrimonio paupertatis etiam amoti ab administrationibus, ideo isti liberius priuantur, quam clerici. Iudices ergo regulares, qui in causis suorum subditorum debent procedere de plano, sine strepitu iudiciali, non tenentur seruare ordinem iuris accidentalem, sed tantum essentialem, qui pendet à iure naturali, diuino, & gentium, aut ab eorum Regulis, & constitutionibus. Ita omnes *cum Panor. in cap. Dilecti, de iudic. Pegna part. 3. Drođt. comment.* 104. *Sigifm. dub.* 95. *de de elect. numer.* 10. *Nauar. consil. 5. de appellat. numer.* 10. *De Bictis quæstion. 8. Ab Angelis cap. 1. numer. 6. Rodriquez tom. 2. quæstion. 3. articul. 1. Pellix. tract. 9. cap. 4. numer. 41. 42. & 43. Fabro disp. 54. de Restit. numer.* 198 *Lezana part. 1. cap. 27. num. 26. Ghisler. cap. 11. Cardin. de Lugo disp. 37. de iust. numer. 162. qui citat Sanchez lib. 6. consil. capit. 8. Suarez tom. 4. de Relig. lib. 10. cap. 15. ab illis de S. Iuliano capit. 4. Aduert. 1. num.* 2. Et conclusio hæc non habet contradictorem.

Quæres 2. An habeant iudices regulares præter exemptionem iuris communis, de quo in priori quæsito, aliquod priuilegium eximens illos ab apicibus iuris.

℞. Affirmatiue, ex Bonifacio VIII. incip. *Ad* 9
augmentum &c. Indulgemus, vt ad correctiones, & punitiones Fratrum eiusdem ordinis delinquentium infligendas prædicti ordinis supradicti, ad quos eadem spectare noscuntur, rimulis, & apicibus ipsis postpositis, libere procedere valeant, secundum consuetudines approbatas, & generalia facta, & etiam facienda ipsius ordinis instituta. Nec volumus eisdem licere Fratribus ab eisdem correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare, prouida in hoc deliberatione, ac maturitate debita obseruetis.

Refertur in B. N. numer. 4. à Confect. Bulla 2. 10
Est Domini canon, pro aliis ordinibus eiusdem tenoris Lezana in Marimagno Minimorum à num. 109.

Varia occurrunt dubia super hoc priuilegium. *Pri-* 11
mo, cur Regulares illud petierunt, si iure communi iam erant exempti ab apicibus iuris? *Secundo*, An sit communicabile illis religionibus, quæ illo carent? *Tertio*, an per hoc priuilegium, & ius commune supradictum, eximantur à statutis suorum ordinum? *Quarto*, an illis non obstantibus iudices possint vti apicibus iuris? *Quinto*, an per hoc priuilegium reis auferatur vis appellandi? Singulis respondetur.

Primo, ideo specialiter hoc priuilegium petierunt, 12
quamuis iure communi essent exempti, quia solet plus timeri, quod singulariter pollicetur, *ex Glos. fin. cap. Etsi Christus 26. de iureiur.* Id quoque fit ad tollendum scrupulos, & sedandas mentes dubitantium, vbi non est timendum, *Nauar. apud Portellum casu* 15. *Sigism. dub.* 55. *n.* 8. Nec id est nouum, quod à Papa concedatur aliquid, iure communi in te indultum, *Glos.* 11. *Ante sententiam, cap. Vt debitus honor 59. de appell.*

Secundo, hoc priuilegium est communicabile cæte- 13
ris illo carentibus, notum enim est, quod omnes Mendicantes habent communicationem priuilegiorum inter se, ita quod concessum immediate vni ordini, intelligatur communicatum aliis, ac si primo illis fuisset concessum, vt patet ex Bulla 32. Leonis X. incip. *Dudum per nos*, quam etiam extendit Confect. Bulla XVIII.

Tertio, non eximentur ab obseruatione suarum con- 14
stitutionum, vt expresse dicitur non solum in dicto priuilegio, sed etiam in cap. Per tuas 52. de simon.

Quarto, possunt vti apicibus iuris, quamuis non te- 15
neantur, ex illo communi axiomate, quod nemo tenetur inuitus vti suo priuilegio, nisi per eius non vsum præiudicet tertio, non præiudicat autem reo sed illi fauet, quia apices iuris sunt fauorabiles ipsis reis. Ita de Bictis q. 8. num. 16.

Quinto, per illa verba: *Nec volumus eisdem licere ali-* 16
quatenus appellare, prohiberi tantum appellationes friuolas, quæ nullum supponunt grauamen. Vt si appellent à pœnis expressis in Regula, vel constitutionibus, *ex c. quia nos 32. de appellat. Ita Lezana in Marimagno Minim n. 112. & v. Appellatio, n. 4.* Et quod ita sit colligitur ex Bulla 27. Gregorij XIII. prohibentis Minoribus de Obseru. appellare ad tribunalia secularia sub pœ-
na excommunicationis reseruatæ, mandando, grauatos 17
appellare ad Generalem, Protectorem, & summum Pontificem. Vide *Suar. tom. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 11. Rodriq. to. 1. q. 19. Mir. q. 29. art. 4. de Lug. disp. 37. de inst. n.* 114.

Quæres 3. Quinam sint apices, quos iudex regularis omittere potest in fabricatione processus, & in iudicãdo.

℞. Referuntur in Clem. 2. Sæpe, de verb. signif. his 18
verbis: *Sancimus*, vt iudex, cui taliter causam committimus, necessario libellum non exigat, litis contestationẽ non postulet; tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum à iure procedere valeat, amputet dilationum materiã, litem quantum poterit, breuiorem faciat; exceptiones, appellationes dilatorias, & frustratorias repellendo;

repellendo: p... ium Aduocatorum, & Procuratorum cont... hoc iurgia, testiumque superfluum multitud... refrænando.

19 Hæc ergo pertinent ad apices iuris, & ad ordinem accidentalem, sine quibus iudex indagare potest veritatem, & defendi reus. Subiungit vero ibidem Clemens V. ea, quæ spectant ad ordinem iuris essentialem, quorum omissione corruunt acta processus, & sunt hæc.

20 Non tamen sic iudex litem abbreuiet, quin probationes necessariæ, & defensiones legitimæ admittantur. Citationem verò, ac testationem iuramenti de calumnia, vel malitia, siue de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem huiusmodi intelligimus non excludi. Ex his colliguntur ea, quæ spectant ad ordinem essentialem, & substantialem iuris, quæ non sunt omittenda in processu, ne illius sequatur inualiditas, nulla enim res potest existere sine sua essentia, & substantia, vt notum est apud omnes.

21 Quæres 4. magis in specie, quænam sint essentialia iuris, quæ iudex seruare debet, & quænam accidentalia, quæ dicuntur apices iuris, quæ omitti possunt à iudice regulari? Præmitto, illum dici ordinem iuris essentialem, sine quo veritas circa delictum inuestigari non potest, nec defendi reus grauatus. Accidentalem vero esse illum, sine quo veritas indagari potest, & reus se defendere. Media ergo spectantia ad ordinem essentialem indagant veritatem, & reum, qui se prætendit læsum defendunt. Media verò spectantia ad ordinem accidentalem non probant veritatem, nec defendunt reum, cum hæc sint munera solius ordinis essentialis. Ita præcitati in fine quæst. 1.

22 Rx. Essentia ordinis iuris reduci ad quatuor capita. *Sub primo*, continetur querela, à qua initiatur processus, & ea est triplex, legalis, denuntiatoria, & accusatoria, de qua dicam latius in sequenti capite. *Sub secundo* comprehenditur iuramentum calumniæ, & veritatis dicendæ tam per querelantes, quam per testes. *Sub tertio* continentur probationes per testes super corpore delicti & super ipsum delictum, cum aliis, vt dicetur in materia testium. *Sub quarto* includetur citatio rei ad confessionem, defensionem, & ad sententiam audiendam quæ patent ex textu allegato hic sub num. 20. singula suis locis infra explicabuntur. Referam mox exempla eorum, quæ dicuntur apices iuris sub ordine accidentali.

23 Exactio libelli est primus iuris apex, qui plura continet nomen actoris, & rei, delictum in eo expressum cum tempore, & loco, vbi delictum fuit perpetratum, cum inscriptione poenæ talionis, & aliis circumstantiis, & solemnitatibus, quæ omittuntur non solum à regularibus, sed etiam ab aliis iudicibus, quibus sufficit querelam ab ore actoris acceptam redigere in scriptis, vt practicatur; neque enim solemnitas libelli facit ad probationem delicti, nec ad defensionem rei. Ita dicta Clem. cum omnibus supracitatis.

24 Contestatio litis spectat ad apices iuris, ea autem est, cum actor in iudicio suam intentionem proponit, & reus illi respondet cap. 1. de litis contest. Ista solemnitas non est necessaria in simultate vtriusque, praxis enim se habet, quod querela recipitur, & testes examinantur, hæc omnia ignorante reo, qui postmodum delicto ad minus semiplene probato, citatur ad respondendum, & sic ab eo contestatur litis ex parte sua, quod formalis contestatio ex simultate facta partium pertineat ad apices iuris, dicit *de Bictis quæst.* 81. *num.* 5. *Peyrin. lit. P. cap.* 16. *num.* 3 *de S. Iuliano cap* 4. *Aduert.* 1. *n.* 3. & supracitati, infra c. 93. iterum.

25 Feriarum dies dicuntur apices iuris ex eadem Clementina, vnde eisdem diebus qui scilicet sunt festiui omnes actus iudiciales accipi possunt, & redigi in scriptis, vt docent præcitati, quibus ad se Donatum par. 5. tract. 3. quæst. 10. de Bictis quæst. 54. n. 31. Farinac. quæst. 81. num. 59. Ghisler. c. 11. n. 26.

Tom. V.

Dilationes longæ spectant ad apices iuris, ideo negantur, & non dantur reo interrogato, qui statim respondere debet, & non petere dilationem ad respondendum, *Clarus quæst.* 45. §. *Sed hic quæro de Bictis quæst.* 81. *num.* 6. *Barb. ad Clem. Sæpe, num.* 4. dantur tamen ad se defendendum, si sit in carcere, *Farinac. quæst.* 39. *num.* 5. *&* 6. dilationes ergo superfluæ concedendæ non sunt. 26

Exceptiones dilatoriæ negantur, ex eadem Clem. iuxta mox dicta. 27

Appellationes quoque dilatoriæ, & frustratoriæ spectant ad apices iuris, ideo non conceduntur, cum non sint de substantia iuris, iuxta dicta hic sub n. 16. Ghisler. c. 11. n. 18. 28

Contentiones, & iurgia Aduocatorum, & Procuratorum repelluntur cum potius veritatem possint confundere, & obscurare, quam manifestare, cum sint impertinentia ad cognoscendam veritatem. Vide interim de Bictis quæst. 69. 29

Testium multitudo vltra duos de iure diuino necessarios, pertinet ad apicem iuris, ideo non admittuntur: *ex Clem. de S. Iuliano cap.* 4. *Aduert.* 1. *n.* 3 *ex Peyrin. li. P. c.* 16. *b.* 3. *Ghisler. c.* 11. *n.* 4. 30

Testium post publicatas attestationes receptio spectat ad apices iuris, vnde in arbitrio est iudicis eos recipere, *Ghisler. cap.* 11. *numer.* 4. *Peyrin. lit.* 1. *P. capit.* 16. *numer.* 3. *de S. Iuliano cap.* 4. *Aduer.* 1. *numer.* 3. de qua re *Farin. quæst.* 73. *numer.* 407. *ex eo de Bictis q.* 45. *n.* 17. 31

Hæc sint dicta ad tenorem Clementinæ *Sæpe* de verb. significat. subiiciuntur alia exempla de apicibus iuris respectu iudicum regularium ex c. qualiter 24. de accusat. iuxta superius dicta sub n. 6. 32

Infamia præcedens inquisitionem specialem spectat ad ordinem iuris accidentalis, ac proinde ad apices iuris, consequenter iudex nulla præcedente cum sola querela de delicto infamia potest procedere per inquisitionem non solum generalem, sed etiam specialem, iuxta dicta in explicatione dicti capitis n. 7. Quod non sit de ordine essentiali, ac proinde tantum de accidentali probatur. *Tum quia* essentialia semper insunt; sed infamia delicti per Aduersarios non est necessaria in omni genere inquisitionis, non enim prærequiritur in generali visitationis, vt probo infra c. 3. sect. 1. q. 5. & in inquisitione generali personarum incertarum de certo crimine infra sub eodem c. sect. 2. q. 1. & pariter in inquisitione speciali sect. 3 q. 5. 33

Ergo quod præcedat infamia delicti non est de substantialibus iudicii, & ideo omitti potest à iudice. *Tum quia*, Pontifex in citato cap. Qualiter non obligat iudices ad seruandum in totum illum ordinem iuris ibi expressum, sub quo primo loco numerantur infamia delicti.

Ab singulis Carmelita Discalceatus cap. 9. fol. 66. contra Martinum de S. Ioseph Franciscanum pariter Discalceatum in suo Epitom: Iudic. cap. 5. n. 4. & cap. 5. num. 52. citantem pro se dictū caput, respondet, inquam Carmelita explicando textum his verbis. 34

Summus Pontifex dicit, quod inter religiosos non sit necessarium seruare rigorem iuris, quantum ad ea, quæ substantialia non sunt. Et hoc colligitur ex verbis immediate antecedentibus, quæ sunt sequentia: *Illo semper adhibito moderamine, vt iuxta formam iudicij, quod est illud, quod fit cum omnibus solemnitatibus, Sententiæ quoque forma seruetur*; & illico subdit: *Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus vsquequaque seruandum.* Vbi debent notari illa vltima verba, quæ declarant nostrum intentum, ex quibus concludit dicendo: *Quæ cum causa requirit facilius, & liberius à suis possunt administrationibus amoueri.* Vbi aliud non dat ad intelligendum, quam quod religiosi minori cum facilitate, & leuioribus ex causis possunt à suis officiis remoueri, quam seculares, siue deinde sint prælati, siue subditi, *Hæc ille.* 35

A 3 36. Contra

36 Contra primò, quia per te regulares iudices eximuntur à rigore iuris, quod scilicet non continet substantialia, ergo per te rigor iuris refertur ad accidentalia; sed infamia delicti pertinet ad rigorem iuris, ergo ab ea eximitur iudex regularis, dum Pontifex dicit: *Hunc tamen ordinem* &c. Minor probatur ex texto, nam inquit: *Si per clamorem, & formam ad aures superioris peruenerit, non quidem à maleuolis, & maledicis, sed à prouidis, & honestis, nec semel tantum, sed sæpe, quod clamor innuit, & diffamatio manifestat debet coram Ecclesiæ senioribus veritatem diligentius perscrutari.* Ecce quot circumstantiæ requiruntur antequam iudex procedat contra reum. Quis negabit rigorem iuris in hoc? Ergo spectat ad rigorem iuris, & sic omitti potest de mente Pontificis.

37 Contra 2. quia ea verba: *Vt iuxta formam iudicij, sententia quoque forma seruetur* ex Glos. 11. Forma, faciunt hunc sensum, quod si forma iudicij facta fuit per inquisitionem, alio modo proceditur ad sententiam, quam si facta fuit per accusationem. Item si iudicium factum fuit ciuiliter, sententia debet ferri ciuiliter. Forma ergo refertur hic ad modum procedendi, vel ex officio, vel ad instantiam partis. Non ergo ea verba referuntur ad formam eorum, quæ obseruantur in iudiciis, sed ad modum procedendi, qui consistit in inchoatione processus ex officiis, vel ad instantiam partis, vel ciuiliter, vel criminaliter. Lege Host. in sum. tit. de Accusat. vbi intelliges, quomodo conficienda sit sententia ad formam iudicij, id enim non pertinet ad solemnitates, quæ secundum omnes sunt apices iuris, & ordinis accidentalis, sed spectant ad substantiam iudicij, vt sententia sit conformis iudicio. Vide Clem. Sæpe, de verb. sign. iuncta Glos. 11. Solemnis, vbi vocatur solemnis ordo iudiciarius, qui omitti potest in totum, vel in partem, ergo accidentalis est.

38 Contra 3. quia antecedentia verba; *Vt iuxta formam* &c. coniungit cum sequentibus: *Hunc tamen ordinem* &c. dum dicit: *Et illico subdit*, quasi velit di-
cere, hunc ordinem, scilicet, conformandi sententiam
cum forma iudicij, non esse per regulares seruandum;
quod omnino falsum est, cum ea conformatio, vt dixi,
sit de substantialibus iudiciis; debet enim sententia esse
conformis libello, *l. Vt fundus* 18. *ff. communio*, diuiden-
39 do; vnde debet conformari petitioni, vel accusationi
factæ in libello, & secundum hunc pœna statui, *l. Si
prater.* 32. *ff. de pœnis*, & sibi contradicat, dum initio
dixerat non esse seruandum rigorem iuris, ad quem
non spectat conformitas sententiæ cum forma iudicij,
cum id sit quid essentiale; frustra ergo attulit ea verba, sed debebat afferre aliud ex præcedentib. in exemplum, dando intelligere, quod iudices regulares non tenentur seruare talem, vel talem ordinem præscriptum in textu.

40 Contra demum, quia dum ait, Pontificem aliud non dare intelligere, quam quod religiosi facilius remoueri possunt à suis officiis, adæquatè non loquitur, cum aliud etiam det intelligere, nimirum duo; primum, quod iudices regulares non tenentur obseruare vsquequaque ordinem præscriptum in sua decretali; secundum, quod religiosi facilius remouentur. Quare illud primum est causa huius secundi. Si enim quæram cur regulares facilius remouentur à prælaturis, quam clerici? Respondebis, quia non tenentur iudices regularium seruare in totum ordinem præscriptum in textu huius decretalis, sicut seruare debent iudices clericorum. Non solum id est causa facilior, sed etiam quia ex leuioribus causis, idest, delictis remouentur, cap. Per tuas 32. de sim. clerici vero ex grauioribus.

41 Patet ergo ex his, germanum sensum huius decretalis, non esse illum, quem de Angelis refert, in puniendis scilicet delictis regularium debere præcedere infamiam, & delicta esse grauiora, vt concludit sub fol. 68. sed quem ipse Papa manifestè declarat, nimirum, expressum ordinem in ea decretali non esse vsquequaque seruandum, scilicet in iis, quæ sunt ordinis accidentalis inter quæ connumeratur infamia, sine qua etiam iudices non regulares procedunt: quod est certum argumentum infamiam non pertinere ad ordinem essentialem, qui nequaquam præteriri potest, nisi cum vitio nullitatis. Sed prosequamur referre alios iuris apices ex textu eiusdem Decretalis, quos seruare non tenentur iudices regulares.

Iudex coram Ecclesiæ senioribus inquirat, inquit textus; præsentia seniorum in inquirendo spectat ad apices iuris, dum sine illis veritas inuestigari potest; nec est in vsu in S. Officio, præscriptum Iudicibus Inquisitoribus, *cap. vt officium, de hæret. in 6. vt asserunt Castropal. part. 1. tract. 4. d. sp. 8. p. 13. §. 3. num. 6. Carena part. 3. tit. 7. num. 14.* Quod signum est pertinere ad solemnitatem iudicij, & non ad eius substantiam, contra quam non vsus locum habere non potest. 42

Accusatio non admittitur sine inscriptione, idest, pœna talionis, quæ abiit in dissuetudinem, cum sit iuris apex, & solemnitas, non attingens veritatem causæ, vt notum est, *de Bictis cap. 23. num.* 8. ideo non seruandus à Iudicibus regularibus, per huiusmodi enim inscriptionem multi retrahebantur ab accusatione, & delicta remanebant impunita, ideo ab omnibus iudicib. relicta fuit, de communi *Farinac. q. 16. num. 3. etiam in S. Officio, q. 185. num. 33. Carena part. 3. tit. 1. num. 7.* 43

Si in aliqua religione ex statuto sit inscribendum, ser- 44
uandum omnino est statutum; quia ius commune, nec
priuilegium id tollunt, vt dixi hoc cap. num. 14. Ita au-
tem hoc statutum est intelligendum, vt non habeat lo-
cum in visitatione, nam deponentes in ea se habent vt
testes, non vt querelantes, nam lex præcipiens visitatio- 45
nes habetur loco querelæ, quæ satis admonet Visitato-
rem ad functionem sui officij, ideo visitati habent ra-
tionem testis, & quoniam ex præcepto deponunt, &
non sponte, idèo cum vicem gerunt denuntiatoris ne-
cessarij in inquisitione speciali, vt dicam suo loco, non
dicuntur querelare per viam accusationis, quæ coniun-
ctam habet inscriptionem, & subscriptionem pœnæ ta-
lionis, ideo denuntians cum non inscribat, vt dicam suo
loco, non comprehenditur sub statuto pœnæ talionis,
debent enim statuta intelligi secundum ius commune,
Decius in cap. cum causam, de rescr. num. 19. & strictè 46
sunt intelligenda, & in propria significatione, *l. 1. §. si
quis ff. de exerc. act. l. 3. § Hæc verba ff. de negot. gest.
Bart. in l. Filius familias ff. de donat.* Restringitur ergo
ad querelam accusationis, quando quis prosequitur suam
causam. Item & quando quis extra visitationem denuntiat proximum vel superiorem, vel alium, vt quod sit priuatus voce &c. ne obtineat officium, quod solent facere tempore capitulorum, in tali casu cum denuntiatio sit potius voluntaria quam necessaria, nisi præcipiatur, vt acta capituli euadant canonica, locum habet inscriptio. Vide infra cap. 95. de pœna talionis.

Est vero substantiale, quod detur in scriptis querela, & non per literas recipiatur, quia scribitur per manum notarij relata ore tenus per ipsum accusatorem, vel denuntiatorem, *Abbas in cap. licet 14. de accus. Bertius in sua praxi tit. 7. cap. 5. num. 3. de Bictis q. 23. in fine.* illam tamen accusationem per literas Papa non reprobat ibi; sed quoniam in actis processus omnia sunt scribenda per notarium, seu actuarium ex Clem. sæpe de verb. signif. ideo id computandum inter substantialia iudicij. 47

Præsentia rei in inquisitione petitur in hac decretali, vt reus valeat se defendere, quæ vti apex iuris omittitur, dum enim fabricatur processus per informationem testium ita occultè id fieri debet, ne querelatus notitiam negotij habens, aut fugiat, aut perturbet iudicium, non est ergo necessaria eius præsentia dum contra illum fit inquisitio, dum enim finito processu informatiuo, & offensiuo proceditur ad eius citationem, potest se defendere ab impictis. 48

Inscriptio sequitur accusationem, caritatiua monitio 49
denuntia

denuntiationem, & clamosa insinuatio, hoc est, infamia inquisitionem. Hæc tria sunt de solemnitate, & inter apices iuris numerantur, de inscriptione patet supra sub num. 43. de infamia pariter sub num. 33. Monitio pariter talis est, quia non conducit ad cognitionem veritatis, neque apparet de ea in processu, vbi exprimeretur si esset substantiale iudicij, vnde in multis relinquitur, vt dicam suo loco.

50 Demum ex illa decretali, sententia debet conformari formæ iudicij, & hoc est de illius substantia, vt notaui suprà sub num. 37. Hæc sunt, quæ spectant ad intelligentiam illius Decretalis *Qualiter* 24. de Accusat. quæ late explicaui, vt sciant iudices regulares, quæ seruare debeant, & quæ omittere possint in formandis processibus.



CAPVT III.

De modis inquirendi delicta Subditorum.

DICTVM fuit præcedenti capite, quod primum substantiale iudicij est querela, quæ iudici præsentatur, vt iustitiam faciat, pro cuius executione tres assignantur modi, quibus iudex procedere potest, nimirum per viam Inquisitionis, Denuntiationis, & Accusationis, vt expressè habet in cap. Qualiter 24. de Accusat. quem explicauimus præcedenti capite, quibus respondent tres querelæ quæ moueant iudicem ad procedendum. *Prima* vocatur legitima, & legalis, & est ipsa lex, quæ monet superiores, vt singulis annis visitent suos subditos, quos coërcere debent à criminibus, cui respondet Inquisitio appellata generalis generalitate delictorum, & personarum, quæ vulgato nomine vocatur Visitatio. *Secunda* dicitur denuntiatio facta ab officiali deputato ad denuntiandum, vel ab alio, in qua superior monitus procedit ex officio suo, & vocatur inquisitio mixta. Tertia appellatur accusatio, per quam iudex procedit non ex officio suo, vt in præcedentibus, sed ad instantiam partis, quæ suam prosequitur causam, vel suorum interesse, cui respondet Inquisitio specialis. Ex quibus constat duplicem esse modum procedendi ex parte iudicis, vel ex officio suo, cui respondens querela legalis in visitatione, & querela denuntiationis in inquisitione mixta; vel ad instantiam partis, cui correspondet accusatio in inquisitione speciali. Ita omnes cum Claro q. 3. Fabro Minor. Conuent. disp. 54. de restit. num. 32. Pitigianus cap. 10. Nos pro clariori cognitione de singulis distinctè agemus in sequentibus sectionibus.

SECTIO I.

De Inquisitione Generali dicta Visitatione.

1 SVppono Regulares superiores singulis annis teneri visitare suos subditos, & inquirere de eorum criminibus, & eos corrigere de iure communi cap. Visitandi 28. cap. Non semel 29. 18. q. 2. vbi dicitur: *Si quid corrigendum fuerit, corrigatur*. 1. puniatur, vt dicitur cap. In singulis de statu monach. ibi: *studeant visitare, corrigentes, & reformantes, quæ correctionis, & reformationis officio viderint indigere; ita quod si Rectorem loci cognouerint ab administratione penitus amouendum denuntient Episcopo proprio, vt illum amouere procuret.* Illis enim temporibus erant fere in omnibus subditi Episcopis, in quorum diœcesibus habebant monasteria, exempta postmodum. Prædicti autem Canones renouati fuerunt in Tridentino sess. 24. cap. 8.

2 Inquisitio in tota sua latitudine definiri potest inuestigatio criminum facta à iudice per informationem subditorum deponentium crimina, de quibus notitiam habent. Duo hic spectantur Inuestigatio, & Informatio, illa indicat ignorantiam delictorum in iudice, qui 3
propterea inquirit eorum notitiam, quam accipit à depositione testium. Inuestigatio igitur habet pro causa informante testes deponentes de delicto, & persona delinquente. Iudex autem nunquam mouetur ad inquirendum nisi moueatur, & moueatur ab aliquo querelante, à quo initiatur processus. Itaque tres actus spectantur in qualibet inquisitione, Querela, Inuestigatio, 4
& Informatio, qui successiue se habent, quibus perfectis facta inquisitio constans illis tribus transmittitur ad inquisitum, vt respondeat. Quare errant, qui dicunt Inquisitionem consistere in transmissione informationis, & processus ad inquisitum, quos redarguit *Clarus q. 3. §. Et aduerte & q. 31. initio, cum alijs Farinac. quæst. 1. de Inquisit. num. 3.* Sed quæramus quæ in specie spectant ad Inquisitionem generalem, quæ dicitur Visitationis, ea autem ea definitur.

Inquisitio Generalis est inuestigatio delictorum, & 5
delinquentium facta à superioribus in actu visitationis ex eorum officio, & non ad instantiam alicuius, nisi legis monentis eos ad exequendum munus suum, iuxta dicta initio huius sectionis. Explicabitur in sequentibus quæstionibus.

Quæres igitur primo, an in hac inquisitione debeat præcedere querela.

℞. Affirmatiuè, iuxta dicta præced. capite sub n. 21. 6
Querela enim est vnum ex substantialibus iudicijs, eam autem vocamus legalem, quia cum lex semper loquatur, querelat, & accusat delicta subditorum, dum obligat superiores ad inquirenda suorum subditorum, delicta singulis annis, iuxta leges, & sacros canones citatos initio huius sectionis. Et licet vocabulum sit quid nouum tamen eius significatum est coæuum ipsi inquisitioni, & canonibus, ac proinde antiquum.

Quæres 2. An iuramentum exigendum sit in visitatione.

℞. De iure communi non exigitur, at expressè di- 7
citur in cap. Romana §. Sane, de censib. Et in fine capitis ait, hanc formam esse seruandam ab omnibus Episcopis, & Prælatis, saluis tamen rationabilibus, & approbatis religiosorum consuetudinibus, & institutis. Vnde in aliquibus præcipitur sub iuramento, in aliis in virtute S. Obedientiæ, & apud alios sub pœna excom- 8
municationis. Ita Sanch. *lib. 6. conf. cap. 3. dub. 16. num. 2. Peyrin. lit. P. cap. 9. num. 13 de S. Iuliano cap. 5. Aduert. 1. num. 2. Ghisber. cap. 26. num. 71. §. At verò Spachar, tract. 2. cap. 3. num. 5. Miranda q. 6. art. 5.* probans num. 36. exigendum esse iuramentum ex praxi omnium Visitatorum, sed non probat hanc praxim, scio enim multos non exigere iuramentum, Ego nunquam illud exegi, quia nihil apud nos statutum fuit, ideo ius commune sum secutus.

Quæres 3. An visitationis inquisitio præsupponat infamiam delictorum, qua possit procedere.

℞. Negatiue, quia lege præscribitur singulis annis 9
facienda, vt religiones purgentur à criminibus, & subditi contineantur in obseruantia regulari. Ita omnes cum Miranda *q. 6. num. 9. Rodriq. tom. 2. q. 5. art. 3. Carolus Maletus Cisterciensis tom. 2. Malleat. 78. Bractea 4. de Lugo disp. 37. de Iustitia num. 56. de Billis q. 21. num. 4. Longus casu 5. num. 16. de S. Iuliano cap. 5. n. 3. Faber disp. 54. num. 47. & 48.* Nullus contradicit.

Quæres 4. An Visitator possit inquirere contra talem personam, an commiserit aliquod delictum, vel tale delictum, e. g. partum.

℞. Negatiue, quia inquisitio hæc ideo vocatur ge- 10
neralis, quia in genere quæritur, an aliquis commiserit aliquod crimen, vel etiam tale crimen, vnde non licet ab ea transire ad inquisitionem specialem personæ contra quam procedi immediate non potest, nisi præcedente secunda interrogatione, quænam sit persona, quæ

delictum commisit. Ita omnes *cum Rodriq. tom. 2. q 5. art. 4. Longo casu 5. num. 17 de Bictis q. 15 num. 5.* Vnde aduerte quod in Visitatione interrogationes præsertim duæ spectandæ sunt, & legitime formandæ per terminos *Aliquis*, & *Quis*, hoc modo Interrog. An sciat, quod aliquis commiserit aliquod delictum, vel tale delictum, percussionem, adulterium &c. Si subditus interrogatus responderit commissum fuisse delictum interrogatum. Interroget secundo, quænam persona illud commiserit, & quomodo vocatur? Ex quibus patet superiorem non posse nominare aliquam personam, sed inquirere per ea pronomina, donec illi aperiatur per eas.

Quæres 5. super quibus criminibus Visitator habeat ius inquirendi? Pro cuius resolutione notandum est, quod inter crimina, alia sunt nociua communitati, & proximo, alia nulli nocent, nisi ipsi committenti. Alia sunt publica, alia occulta.

11 Crimina nociua communitati, quæ & publica dicuntur non à notorietate perpetrati criminis, sed ex eo, quod nociua sunt publico, cuiusmodi sunt delicta expressa in Edictis S. Officij, & aliorum superiorum, vt crimen læsæ maiestatis, proditio ciuitatis, homicidium, adulterium, falsitas, parricidium, ambitus, subornatio in electionibus, &c. Vide Farinac. q. 18. à num. 8. Publica quoque dicuntur iure canonico, omnia delicta, ex eo-
12 dem num. 16. immo sequenti num. 17. ait omnia delicta de consuetudine hodie dici publica. Contra horum malefactores Iudex ex officio suo procedit non solum in visitatione generali, sed etiam in inquisitione mixta, & speciali, posita denuntiatione per fiscalem, vel alium,
13 vnde Spathar. tract. 5. cap. 2. num. 4. ait, superiores localer agere hoc munus denuntiationis coram Prouinciali. Quod omnia delicta etiam in religionibus dicantur publica, quæ scilicet ab omnibus denuntiari possint, docet Melfius cap. 8. de pœnis q. 12. fol. 378.

14 Crimina nociua proximo sunt furtum, iniuria, detractio, percussio, & similia, quæ ab offenso accusantur coram superiore, qui dicitur ad hæc procedere ad instantiam partis, & pertinent magis ad inquisitionem specialem, quam ad generalem, & mixtam, si tamen manifestantur ab alio, quam ab offenso in Visitatione, procedit superior ex officio, quia delicta non debent remanere impunita.

15 Crimina verò nulli tertio nociua, sed solum auctori præiudicialia, sunt vitia gulæ, fornicationis, superbiæ, & huius generis, quæ reipublicæ non nocent neque proxime, neque remote, & per accidens, ex præcitatis cum de Bictis q. 15. antecedenter.

16 In religionibus crimina publica, præter expressa sub num. 11. sunt etiam publica furtum de communitate, ambitus, subornatio in electionibus, reuelatio secretorum ordinis, peccatum sodomiæ, & fornicationis, quando in his duobus imminet periculum publicationis, ex quo tendunt per accidens in dedecus communitatis. Ita *Rodrig. de ordine iud. cap. 3. num. 6. Miranda q. 12. art. 2. cum aliis de Bictis tract. 2. de denunt. num. 5. ante quæst.* 15. de Angelis cap. 5. num. 3. & 4. vbi plura alia refert crimina publica, hoc est, contra bonum publicum religionis. Nonnulli excipiunt peccata carnis, sodomiam, & fornicationem, quæ dicunt non esse contra communitatem, qui sunt *Rodriq. quæst. 5. art. 6. & quæst. 6. art. 5. Spathar. tract. 3. cap. 8. num. 9. Giragus 1. Raggius Capuc. part. 3. dub. 37. num. 131.* qui loquitur tantum de fornicatione, quam non ponit inter excepta, & nociua communitati. Lege de S. Iuliano alios referens pro & contra cap. 1. Adu. 2. per totam, vbi de Sodomia, & fornicatione.

17 Tria igitur sunt genera delictorum, & criminum. *Primum* eorum, quæ nocent communitati, & appellantur publica, quia sunt in detrimentum publici; & hæc ab omnibus denunciari possunt, nulla præmissa correctione paterna, vt docent præcitati. *Secundum* est eorum, quæ nocent tertio, & horum accusatio pertinet ad offensum. Tertium est eorum, quæ soli committenti nocent, & dicuntur personalia.

Alia diuisio criminum in occulta, & publica explicatur in sequentibus.

Publicum est illud, quod tale euadit ex murmuratio- 18
ne maioris partis communitatis orta ab vno vidente, vel audiente delictum, vel rumorem è vicino. *Nauar, cap. 27. num. 255 de S. Iuliano cap. 1. aduert. 3. num. 8. Peyrin. de Prælato q. 2. cap. 5. §. 4. n. 51.*

Occultum vero, seu secretum delictum dicitur tribus, 19
modis. *Primo*, Quod in Iudicio probari nó potest, quia ab vno tantum scitur. *Secundo*, & si probari possit, nondum tamen laborat infamia. *Tertio*, & si facile probari possit, tamen celari potest, aliqua tergiuersatione, dum à maiori parte communitatis ignoratur. Ita *Castro Pal. de Charitate tract. 16. disp 3. p. 13. n. 1. San. b. lib. 2 cap. 11. num.* 19. Per hoc tertium, quod à maiori parte communitatis ignoratur, distinguitur à publico, quod dicitur sciri à maiori parte scientia accepta ad minus ab vno, qui vidit, vel audiuit delictum ex proprio sensu.

Notandum autem est, quod differt Publicum à Ma- 20
nifesto, & Notorio hoc modo. Manifestum delictum est illud, quod à pluribus fide dignis, coram quibus factum fuit, manifestatur maiori parti communitatis. Quod si taceant, remanet occultum probabile per illos. Ex quo patet delictum manifestum esse magis cognitum, quam publicum, nam illud factum fuit pluribus, & illud manifestantibus, Publicum verò esse minus cognitum, nempe ab vno tantum, per illud alius publicauit.

Notorium duplex Iuris, & Facti Iuris notorium di- 21
citur delictũ in iudicio vel confessum, vel sententiatum, sententia definitiua, seu per euidentiã rei, quæ tergiuersatione aliqua celari non potest, *c. fin. de cohabitat. cler. & in cap. cum olim 24. de verb signif.* nuncupatur manifestum, per confessionem, vel per probationem legiti-
mam, aut per euidentiam rei. Itaque querelas, non fa- 22
cit notorium, aut manifestum iuris, quia per querelam nulla fit probatio, nec querelanti creditur. Vide Farinac. q. 24. à num. 14. vbi rem late declarat.

Facti notorium dicitur tribus modis. *Primo* ex facto 23
transeunti, vt cum quis dedit pugnum in refectorio coram patribus recumbentibus. *Secundo* ex facto eodem sæpius repetito eius, qui frequentat domum meretricis.
Tertio ex facto relinquente signum, vt vulneratio, quæ 24
celari non potest. Quæ sint nota maiori parti communitatis. In paruis conuentib. sex aut octo religiosorum Notorietas declaranda est à iudice. Vide de S. Iuliano cap. 1. Aduert. 3. § 3. Restat agendum de infamia, per quam delictum dicitur famosum, & delinquens laborare infamia alicuius delicti.

Infamia est rumor ortus à personis prudentibus, fide 25
dignis, & honestis sparsus inter multos, antequam inquiratur contra delinquentem, nominando auctores, à quibus audierunt, & probatur ad minus per duos testes omni exceptione maiores contestes in delicto famoso, licet singulares sint tempore, & loco, & sciant, quid sit infamia suo modo, & in depositione debent exprimere similia verba: se audiuisse publice dici.

Prima pars de rumore patet, qui est murmur & cla- 26
mor existens inter multos, & in eo fundatur infamia, non enim verisimile est, quod ab vno possit persona denominari infamata de delicto, quod potius dicitur secretum, quam diffamatum. *Peyrin. de Prælato q. 2. cap. 5. num. 52. de S. Iuliano cap. 1. Aduert. 4. num. 4.*

Secunda pars, quod debeat infamia oriri à personis, 27
quæ habeant tres conditiones, colligitur ex cap. qualiter 24. de accusat. *Prima*, quod personæ sint prudentes, non leues, quæ facile credunt, & spargunt rumorem imprudenter, sine aliquo fundamento, & ideo ab omnibus reiiciuntur, *cum Peyrino mox citato, Suar. in part. 3. disput. 48. num. 19. cum aliis de S. Iuliano cit. num. 11.* referens exempla sanctorum Patrum, qui inique, & insipienter fuerunt infamati. *Secunda*, quod sint fide dignæ,

vt

vt illis iudex credere possit, non enim credendum est
fide carentibus, & hæc qualitas præsumitur, nisi contra-
rium probetur, *Farinac. quæst.* 47. *num.* 136. *de Bittis*
q 64. *num.* 6. & alij supradicti. *Tertia*. quod sint perso-
næ honestæ, quando agitur de probando delicto per-
petrato in loco honesto, nam in loco turpi admittun-
tur etiam personæ inhonestæ, dum præsentes fuerunt,
ex eodem Farinac. q. 47. *à num.* 157. *ad* 160. *de Bittis*
q. 64. *num.* 6. 7. *&* 8. Et debent concurrere simul illæ
tres conditiones ex præcitatis.

28 Tertia pars de pluralitate personarum fundantium
rumorem, & causantium infamiam non constat apud
omnes. Dicunt tamen meliores Doctores, quod deli-
ctum debet esse notum maiori parti communitatis, in
29 qua ad minus sint decem personæ, ac proinde sex per-
sonis. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 2. non respicit
numerum, sed meliores, & grauiores, licet numero sint
pauciores. Id facit pro illis conuentibus, in quibus pau-
ci sunt religiosi, in illis enim locum non haberet infa-
mia, si attenderetur numerus maior.

30 Quarta pars de rumore præcedente inquisitionem
constat ex cap. Qualiter 24. de accusat. vbi dicitur,
quod infamia debet præcedere inquisitionem; si enim
ortum haberet post inquisitionem, videretur falsa, &
affectata. *Farinac. quæst.* 47. *num* 176. *de Bittis q.* 64.
num. 11.

31 Quinta pars de nominandis auctoribus, à quibus
audierunt, & duo saltem nominandi sunt, est Farinac.
q. 47. *num.* 229. *de Bittis q.* 64. *num.* 17. Quando mala
fama oritur ex facto, vel coniecturis, non est necesse no-
minare auctorem, vt plurimum est incertus, etiam in
alijs, vnde aliqui dicunt id non esse necessarium.

32 Sexta de duobus testibus omni exceptione maiori-
bus probantibus famam fundatur in ea communi ratio-
ne, quod duo testes sufficiunt ad probandum quodcun-
que. Ita Mascard. *concl.* 749. *Clarus quæst.* 6 *Vers. Scien-*
dum de Bittis quæst 64 *num.* 14. *Sanch. lib.* 6. *consil. cap.* 3.
dub. 23. *num.* 8. *de S. Iuliano cap.* 1. *Aduert.* 4 *num.* 14. &
alij communiter.

33 Septima, quod debeant esse contestes, in specie in-
famiæ, de qua est quæstio, docetur à Peyrino de Præ-
lato *quæstion.* 2. *cap.* 5. §. 4. *numer.* 53. *de S. Iuliano cit.*
num. 14.

34 Octaua pars, quod sufficiant testes singulares ratione
loci, temporis, & personarum, à quibus audierunt, pro-
batur, quia mala fama propagatur paulatim in diuersis
locis, & à pluribus personis, ideo sufficit, quod in hoc
testes sint singulares. *Mascard. concl.* 749. *num.* 23. *de*
Bittis quæst. 64. *num* 14. *Farinac. q.* 47. *num.* 265. Potest
autem iudex etiam extraiudicialiter informari, sed tunc
non facit ad condemnationem, *ex eodem Farinac. n.* 319.
de Bittis, num. 14.

35 Nona pars, debent scire suo modo quid sit infamia,
est communis Doctorum cum Farinac. q. 47. n. 219.
Aliter nulla est probatio, nisi rudicer, & grosso modo
eam notificent.

36 Demum debent reddere rationem malæ famæ, quam
deponunt, & adducere ea verba de publica voce, & fa-
ma. *Farinac. q.* 47. *num.* 259. *de Bittis q.* 64. *num.* 18. His
in longum protractis.

37 ℞. Visitatorem habere ius procedendi, & interro-
gandi super omnia delicta tam publica, quam priuata,
notoria, manifesta, & occulta, tam nociua, quam non
nociua, & personalia, siue sint diffamata, siue occulta,
dummodo sint probabilia ad minus per vnum testem
omni exceptione maiorem, vltra illum, qui fungitur of-
ficio denuntiatoris.

38 In hac responsione nulla est difficultas quoad delicta
notoria, manifesta, & publica ac famosa nociua non so-
lum communitati, verum etiam personis priuatis. Om-
nes enim conueniunt, quod Visitatores debent super
his inquirere. Tota difficultas remanet super delicta
occulta dicta præsertim personalia, quæ nulli nocent,
nisi committentibus illa.

Nihilominus & super his posse, & debere procede- 39
re ex officio suo probatur. *Tum quia* iura allegata ini-
tio, & alia, quæ agunt de visitationibus nullum ex-
cipiunt crimen, sed præscribunt, quod corrigant cor-
rigenda, reforment reformanda, & prouinciam pur-
gent ab erroribus, & delictis, quorum notitiam acqui-
runt per inquisitionem. *Tum quia* visitatio appella-
tur inquisitio generalis ex hoc, quod Visitator per
eam inquirit generaliter de omnibus delictis respectu
omnium personarum, aliter si non haberet ius super
omnia delicta, inquisitio non esset generalis sed Spe- 40
cialis. *Tum quia* per generalem inquisitionem nulli fit
iniuria, quia ex præcepto visitationis inquirens nul-
lum nominat in specie, sed inquirit tantum generali-
ter, an aliquis deliquerit, iuxta dicta quæst. 4. *Tum*
quia visitatio nullam præsupponit infamiam ex quæst.
3. ergo nullam supponit publicitatem delictorum, con- 41
sequenter non excludit delicta occulta, quæ non minus
egent correctione, quam publicata, si illi deferan-
tur. *Tum quia* visitatio instituta fuit ad bonum com-
mune reipublicæ, cuius interest, vt omnia delicta cor-
rigantur, & qui ea fecit, sibi imputet, si de occultis
facta sunt publica, huius enim ipse in causa fuit, iux-
ta illud Matth. 10. 16. Lucæ 8. 17. *Nihil enim est*
apertum, quod non reuelabitur, & occultum, quod
non scietur. Hoc enim ipso, quod peccatum factum
est, per se quodam modo seipsum manifestat ad vindi-
ctam iuxta illud Genes. cap. 4. 7. *Si male egeris, statim* 42
in foribus peccatum tuum aderit. Peccatum igitur per-
petratum coram vno, & altero statim incipit esse pro-
babile, ac proinde loquendo de iure inquirendi gene-
raliter delinquens, cuius delictum est probabile ad
minus per duos omni exceptione maiores, amisit ius suæ
famæ, ita quod iudex, neque deponens faciunt contra
iustitiam, neque contra charitatem; quod colligo ex mo-
do, quem Christus tradidit in facienda correctione fra-
terna Matth. 18. 15. *Si autem peccauerit in te frater*
tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. &
si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. si autem te non
audierit, adhibe tecum, adhuc vnum, vel duos, vt in
ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod
si non audierit eos dic Ecclesiæ. Certum est, Christum
nihil vnquam docuisse contra iustitiam, neque contra
Charitatem, non solum in agenda correctione frater-
na, sed neque in aliis. Hic sermo est de correctione fra-
terna, quæ debet fieri præsertim de peccatis occultis, vt
innuunt ea verba: *Si peccauerit in te* prout explicat ex
D. Aug. S. Thomas 2. 2. quæst. 33. art. 7. nam publice
peccantes publice arguendi sunt, & non secreto, se-
cundum Apostolum 1. ad Timot. 5. 20. *Peccantes co-*
ram omnibus argue, & vt cæteri timorem habeant. Si
non prodest correctio, debet corrigens adhibere duos
testes, vel vnum saltem, coram illis corrigendo pec-
catorem. Id autem non potest, nisi illis reuelando de-
lictum sui fratris. Si potest immo si debet ex Cha- 43
ritate hoc modo corrigere fratrem, & non facit contra
iustitiam, nec Charitatem; quare non poterit eum
corrigere ex iustitia manifestando eius delictum occul-
tum, dummodo sit probabile, coram Visitatore, vt
eum iudicialiter puniat? maxime cum punitio non so-
lum respiciat bonum commune reipublicæ, sed etiam
emendationem ipsius fratris, hæc enim correctio ex
iustitia est efficacior, quam correctio ex charitate, in
qua vt plurimum frater fingit emendationem, ad eui-
tandam pœnam. Quare sicut corrector ex charitate
manifestando peccatum fratris occultum vni, vel duo- 44
bus, vt rubore suffusus, emendetur, non agit con-
tra iustitiam, aliter id à Christo non præscriberetur,
neque contra Charitatem, dum ex Charitate agit; ita
corrector ex iustitia manifestato sibi delicto occulto cũ
ipsis deponentibus, & manifestantibus nullo modo pec-
cabit, nec contra iustitiã, dum actum iustitiæ exercet, nec
contra Charitatẽ, quam non violat, sicut nec ille priuatus,
præterquã quod ille non dicitur facere cõtra Charitatẽ, 45.
sed

ſed ſecundum caritatem, qui amat proximum fratrem ſuum; ſed procurans caſtigationem, & puniens amat punitum, Paulus ad Hebr. 12. 6. *Quem enim diligit Deus, caſtigat.* Apocal. 3. 19. *Ego, quos amo, arguo, & caſtigo.* Si igitur caſtigans amat, & diligit, facit actum caritatis, & amoris, ergo non facit contra caritatem, ſed ſecundum eam operatur, neque enim caritas opprimit
46 iuſtitiam, neque iuſtitia confundit caritatem, quia vna virtus alteri non aduerſatur, vnde dicit Gloſſ. 11. Flore, cap. Niſi cum pridem, de renunt. quod habens vnam virtutem actu habet omnes

47 Hanc ſententiam plerique tenent citati à *Bonac. diſp. 10. de legib. quaſt. 2. part. 5. num. 8. cum Diana reſol. 55. de Correct. quos citat de S. Iuliano cap. 13. Aduert. 1. num. 6. 11. & 17.* aſſerentes, non peccare contra iuſtitiam, nec caritatem reuelantem delicta, ergo nec viſitator, licet de S. Iuliano aliter ſentiat, de qua re infra.

Quæres 6. An Viſitator in ſuo Edicto expreſſe præcipere poſſit, vt ſibi denuntientur non ſolum delicta, quæ infamia laborant, ſed etiam occulta, modo probabilia ſint in iudicio?

48 ℞. Affirmatiue. *Tum quia* in viſitatione non eſt neceſſe, quod præceſſerit infamia de delictis, quæ per eam dicuntur fieri publica, ex dictis quæſt. 3. ergo ſuper omnibus indiſtincte inquirere poteſt, ergo & Edictum proponere. *Tum quia* illis nullo iure limitatur facultas inquirendi tantum ſuper delictis laborantibus infamia. *Tum quia* ſic reuelare occultum in iudicio generali non eſt actus contra iuſtitiam, nec caritatem ex probatis, ergo Edicto exprimi poteſt. *Tum quia*, vt patebit infra ſubditus poteſt ita reuelare ſine peccato, ergo & præcipi à ſuperiore, habent enim correlationem ad inuicem, ergo non ſunt iudicanda ad imparia, quod vni liceat aliquid, quod alteri ſit iniquum.

Quæres 7. In caſu, quod Edictum loquatur generaliter non diſtinguendo de delictis publicis, & infamia laborantibus, aut occultis infamia non laborantibus. Numquid tunc præſumatur Viſitator obligare etiam ad occultos nulli nocentes, iuxta ſuperius dicta.

49 ℞. Præſumi poſſe probabiliter non comprehendi occulta nulli nocina, niſi ſoli peccanti. Ratio eſt, quia in dubiis minor obligatio ſumenda eſt, quia odioſa ſunt reſtringenda. Confirmatur, quia non ſe declarando præſumitur velle operari ſecundum magis communem, immo communiſſimam opinionem.

Quæres 8. An ſubditus teneatur denuntiare delicta non ſolum, quæ laborant infamia, & nota ſunt, ſed etiam occulta non ſolum nocina communitati, aut proximo, verum quæ nulli nocent, niſi ipſi auctori.

50 ℞. Tenetur reuelare non ſolum publica, ſed etiam occulta licet nulli nocina.

51 Prima pars de reuelandis publicis delictis nulla eget probatione, quia ab omnibus conceditur, ea enim maxime corrigenda ſunt, quia proximum valde ſcandalizant.

52 Secunda pars de reuelandis occultis nocinis maxime reipublicæ, probatur, quia ius naturæ dictat reſarciendum eſſe damnum non ſolum temporale, ſed etiam ſpirituale, quod imminet communitati, & proximo, vnicuique enim Deus mandauit de proximo ſuo. Vnde praxis S. Officij eſt, quod quilibet tenetur denuntiare omnia crimina in Edictis expreſſa licet occultiſſima, quia vna depoſitio denunciantis non habendis ſocium in reuelando multum fauore poteſt bono communi, quia comparere poteſt alter, qui cum primo dat ius Inquiſitori ad vocandum denuntiatum, vt reddat rationem villicationis ſuæ. De occultis nocinis denunciandis omnes cum. *Suar. tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 12. numer. 35. Bonac. diſput. 10. de legibus quaſt. 2. part. 5. num. 9. Sair. lib. 12. cap. 10. numer. 17. § Ratio; de Lugo diſput. 37. numer. 57. §. Secunda de Angelis capit. 11. numer. 4.* Et alij omnes nullo contradicente.

Tertia pars, quod delicta non nocina in Edicto ex- 53
preſſa teneatur reuelare, patet ex q. 6. quia cum viſitator id præcipere poſſit ſequitur, quod ſubditus teneatur obedire, quia tunc nulli facit iniuriam, & ſatisfacit ſuæ obligationi. 54

Dices, non teneri reuelare omnino occulta nulli nocina, niſi ſoli delinquenti. Tum quia non præceſſit infamia, quæ non occultat, ſed manifeſtat. Tum quia
ex cap. Qualiter 17. de accuſat. excipiuntur occulta; 55
ibi: *exceptis occultis criminibus.* Quare occulta non reuelantes, ſed ſubticentes æquiuocando excuſantur non ſolum à peccato, ſed etiam à cenſuris latis contra non reuelantes. Ita Miranda quæſt. 6. num. 24. de S. Iuliano cap. 3. Aduerb. 1.

℞. Adhuc teneri reuelare, quia ſuperior inquirit 56
indifferenter ſuper omnia, ergo etiam ſuper occulta nulli nocina, & multo magis, nocina præſertim tertio, ergo ſubditus interrogatus reſpondere tenetur, aliter fruſtratoria eſſet obligatio ex parte ſuperioris, ſi ſubditus non obligaretur, enimuero mutua eſt inter vtrunque. Quare ad obiectionem reſpondeo, illa iura, quæ ſupponunt infamiam, & eximunt, à reuelatione occultorum per contrariam conſuetudinem, quæ modo obligat, abierunt in diſſuetudinem, & non amplius obligant, ſed conſuetudo legitime inducta, vt infra patebit.

Quæres 9. An ſuperior in Viſitatione ex generali inquiſitione deſcendere poſſit ad ſpecialem, quando examinatus depoſuit particulare crimen contra particularem perſonam, verbi gratia, Petrum eſſe fornicarium.

℞. Non ſolum poteſt, immo debet procedere contra 57
illum formando ſpecialem Inquiſitionem, quando deponens habet ad minus aliam perſonam omni exceptione maiorem, quæ de tali delicto deponat ex propria ſcientia, vel indicium vrgentiſſimum cum adminiculis, ita quod ex illis haberi poſſit ſemiplena probatio ad citandum, carcerandum, & torturandum reum, ſi delictum neget. Aliter non procedat, quia nullum ius acquiſiuit contra talem perſonam.

Prima pars, quod poſſit, immo debeat contra illum 58
ſpecialiter procedere, illud quidem probatur, quia ex communi Doctorum, inquiſitio generalis eſt præparatio, diſpoſitio, & via ad ſpecialem, ergo poteſt procedere, ne ſit otioſa, & inutilis talis denunciatio, in qua reuelans non peccauit. Hoc vero de debito probatur, quia finis legis de viſitatione eſt, vt corrigantur, & puniantur inuenti rei ergo ita debet iudex procedere ex officio, vt ſatisfaciat menti legis. Ita *Farinac. q. 1. n. 49.* ita vbi ait, quod totus mundus ita ſeruat, *& q. 9. num. 19. & 21. Miranda quaſt. 6. num. 31. Faber. q. 54. num. 66. & 68. Ghiſler. c. 16. n. 77. de Bictis q. 11. n. 9. & 10. alias refert Bonac. diſp. 10. de legib. q. 2. p. 5. n. 8.*

Secunda pars de formanda ſpeciali inquiſitione, ita 59
explicatur, vt viſitator denuo vocet primum reuelatorem, vel alium pro ſuo libito, iterum formando nouum proceſſum, in quo vnus illorum ſit denuntiator repetendo quod dixerat in viſitatione, vt docet *Decian. Reſp. 39. num. 115. ex eo de Bictis q. 11. num. 9.* Ratio eſt, quia in viſitatione teſtis erat, factus denuntiator ex ordine iudicis, *ex Berta 2. vol. 2. conſ. 251. num. 103. ex eodem de Bictis*, qui in praxi primæ Inquiſit. ait n. 52. ponendum eſſe loco denunciationis eum teſtem, qui rei notitiam habet ex auditu alieno, qui tamen ſit bonæ famæ, & alij, qui de ſe cognitionem habent ex propria ſcientia, aſſumantur in teſtes.

Tertia pars, quod ad inquiſitionem ſpecialem non 60
veniat, niſi præter denuntiatorem habeat ad minus vnũ teſtem &c. patet ex eo, quia iudex contra delinquentẽ nullum ius habet ad illũ citandũ, niſi præter querelantem, habeat teſtem, vel indicia, quibus poſſit cogere reum ad fatendum veritatem. Ita omnes *cum Fabro diſp. 54. num. 68. & ſupracitatis, quos refert de S. Iuliano cap. 3. Aduert. 1. n. 6.*

Contrariam

61 Contrariam opinionem oppositam præcedentibus q. 5. ad 9. tenent multi, nempe visitatorem non posse recipere reuelationem sibi datam à subdito in ordine ad procedendum specialiter contra denuntiatum de crimine occulto infamia, non laborante, soli auctori nociuo, & hi sunt *Soto, Dicastillus, Nauarrus, Peyrinus, Raggius, quos refert de S. Iuliano c. 3. Aduert. 1. §. 4. de Angelis Carmelita c. 11. n. 7.* dicens esse peccatum contra charitatē cum aliis, nonnullis asserentibus esse etiam contra iustitiam, quando denuntians nullum habet pro se testem.

62 Probant *primo* ea cap. Cum oporteat, cap. Inquisitionis, cap. qualiter 17. & 24. de accusat. ne iudex procedat in inquisitione generali, nisi præcedat infamia contra delinquentem. Probant *secundo* quia id nihil aliud est, quam infamare proximum, & sic facere contra iustitiam. Probant *tertio*, quia esto visitator vtatur iure suo in inuestigandis delictis, in hos tamen debet modo iuridico procedere, quærelante scilicet infamia, ius enim naturę docet omnes, non esse reuelanda delicta secreta proximi cum læsione irreparabili eius famæ. Alia argumenta, quæ nonnulli cumulant, reincidunt cum præcedentibus, ideò responsio ad prædicta communis erit omnibus.

63 Primo argumento de illis textibus respondetur *primo* illos abiisse in dissuetudinem, vt docent omnes apud de Lugo disp. 37. num. 64. quia prævia infamia, de qua in illis textibus non est de iure naturæ, sed Pontificio, ea Soto, & aliis ab eo ibi citatis, ergo potuit ei derogari per contrariam consuetudinem. *Secundo* in illis locis sermo est de iudicibus non regularibus, isti enim sine præcedente infamia procedere possunt, vt docuī præced. c. n. 41. non enim tenentur vsquequaque seruare ea, quæ ibi præscribuntur,

64 Secundo respondi per huiusmodi reuelationes iudiciales, & subsequentes punitiones nullius famam denigrari, cum iure non solum legali, sed etiam naturali sint punienda delicta proximi. Vide huius probationem hic sub num. 40. Vbi probo sic reuelantem, quod probabile est, non peccare neque contra iustitiam, neque contra sanctitatem.

65 Tertio quoque argumento ea dictis patet, quia verum quidem est, quod iure naturæ quilibet prohibetur reuelare turpitudinem proximi, sed intelligitur in ordine ad malum finem, & sine causa, vnde Armilla v. *Iniuria num. 3. Sa num. 3. & ex illis Layman. lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 2. cap. 3. num. 5. vers. Id vero,* aiunt, sine peccato reuelari delictum occultum, quod possit probari, in ordine ad aliquem bonum finem, de quare dicam infrà sect. sequenti cum agam de Inquisit. Mixta. In casu autem nostro patet bonus finis, & iusta causa ordinata ad punitionem delictorum, Con-
66 firmatur, quia quandocunque delictum est probabile delinquens est in proximo periculo perdendi formam ea suo debito ex quo non debet reportare commodum cum damno alterius, aliter iudices sic procedendo infamarent proximum, & tamen nullus sanę mentis dicit hoc, ergo signum est, quod occultus malefactor perdidit ius ad famam in causis iudicialibus, in quibus aliuş finis non spectatur, quam bonus, non in actibus priuatorum extra iudicium.

Quæres 10. An Visitator possit, vel debeat admonere subditos, sese non debere reuelare occulta delicta, quæ nulli nocet? Quæstio procedit respectu Aduersariorum potissimum, quorum aliqui id negant, alij affirmant, qui sunt Sotus, Nauarrus, Dicastillo, Peyrinus, Raggius, quos citat & sequitur de Sanct. Iuliano cap. 3. Aduert. 1. §. 4. & 5. cum limitatione, si nullum adsit scandalum, quod faueat criminosis. Negantes sunt Caietanus, Lessius, Bonacina cum aliis, quos contra se refert idem de Sanct. Iuliano §. 3. cum quibus.

67 ℞. Non posse eos admonere, nec instruere, quod non debent reuelare occulta. Probatur. *Tum quia* vtitur iure suo inuestigandi delicta quæcunque ea probatis supra q. 5. n. 3. *Tum quia* instructio hæc est contra finem visitationis, quæ est correctio, non enim corrigerentur debita si tacerentur. *Tum quia* ex conditione instructionis faueret peccatoribus, non eos puniret. Denique huiusmodi instructio talis non esset, sed potius confessio, & retractio à debita reuelatione, simplices enim, & ignorantes hæc facile non percipiunt, cum vix docti ea sciant.

Quæres 11. An correctio fraterna sit præmittenda à subditis antequam reuelent delicta in visitationibus?

℞. Non est præmittenda, siue delictum sit nociuum 68
communitati, aut tertio, siue non, siue occultum, siue publicum. Ratio est, quia bonum commune, ad quod ordinatur denuntiatio iudicialis, præferendum est bono priuato, ad quod ordinatur correctio fraterna, si enim corrigis fratrem, vt plurimū, vel negat delictum, vel fingit emendationem, ne denuntietur, ex quo patet, præiudicari bono publico propter priuatum, ideo correctio non est in præcepto respectu denuntiationis. Ita Card. de Lugo disp. 37. n. 79. citans *pro se Tabienam, Paludanum, Nauarrum, Sotum, & valentiam, Diana par. 1. tract. 4. de denunt. resol. 2.* plures alios pro hac sententia citat, sequitur Hurtadus *de Iust. disp. 2. de denunt. diffic. 4. Pelliz. tract. 9. c. 4. n. 11.* Et hæc est verior, & probabilior, cum ea denuntiatione iudiciali vtrique bono communitatis, & denuntiati prouideatur efficaciter; correctio vero fraterna vt plurimum nullum producit certum fructum in correcto.

Communior sententia aliorum distinguit, præmit- 69
tendam esse correctionem respectu delictorum personalium, quæ nulli nocent, nisi auctori, non verò respectu publicorum, & nociuorum communitati, vel proximo, quia maius bonum præponderat minori. *Ex S. Thoma 2. 2. q. 33. art. 7. Rodriq. tom. 2. q. 6 art. 4. & 5. Miranda q. 11. art. 3. Longus casu 5. num. 6. de S. Iuliano cap. 2. Aduert. 3. §. 2. de Angelis cap. 9. num. 5.* Alij, quos refert Diana, in omni casu petunt correctionem fraternam, qui tamen non sunt audiendi, quia bonum commune præponunt priuatæ emendationis, quæ raro fructuosa est.

Quæres 12. An reuelatores delictorum in visitationibus sint propriè dicendi denuntiatores, an præcisè testes in delicto delato?

℞. Communiter vocantur denuntiatores, nihilo- 70
minus quo ad effectum in causis ciuilibus sunt testes, in criminalibus vero magis sunt denuntiatores, dum enim reuelant aliquod delictum, iudices visitationis, non ea eorum dicto in visitatione, sed ex inquisitione speciali, vnus habetur loco denuntiatoris, & alij assumuntur in testes ex nouis depositionibus, iuxta dicta hic q. 9. n. 59.

Quæres 13. An subditus tuta conscientia possit denuntiare delictum quod probare non potest?

℞. Non posse, ratio est, quia esto non teneatur 71
denuntiator probare, quia id munus est fiscalis, tamen quia denuntiatio ordinatur ad castigationem, quæ suum effectum sortiri non potest, nisi citatione rei conuicti, ideo tanquam inutilis ad consequendū effectum, & præiudicialis famæ proximi peccat ita reuelare. Ita omnes nullo discrepante in hac materia *cum Lessio lib. 2. capite 29. num. 111. multos refert Diana resol. 1. de denunt.*

Excipiuntur casus S. officij, in quibus non volens 72
probare, adhuc tenetur denuntiare, id enim inutile non est, quia ea reuelationibus aliorum sibi ignotorum resultare potest probatio. Ita quamplures apud præcitatum Dianam resol. 1. vers. At his minime.

Quæres 14. An idem possit esse testis, & denuntiator respectu eiusdem causæ?

℞. Negatiue, quia processus inchoandus est à que- 73
relante, non à testificante, denuntiator enim cum punitionem intendat, sicut accusator, non potest fungi officio testis, qui denuntiauit, cum solum aperiat viam ad

inquirendum

inquirendum per testes nominatos. Ita Bossius *in tit. de denunt. num. 2. de Bictis q. 20. num. 10. de S. Iuliano cap. 5. Aduert. 6 num. 6. Diana part. 7. tract. 3. resol 47. Rodriq. tom. 2. quæst. 13. art. 6. Miranda quæst. 17. num.* 183. Qui fuit denuntiator coram superiore vt parte,
74 potest esse testis in eadem causa tractata iudicialiter coram eodem, ex Rodrig. & aliis.

In Tribunali S. Officij denuntiator habetur etiam pro teste, non obstante exceptione denuntiationis, & deducitur ex c. 4. vbi principalis persona dicens verum habetur pro vno teste, nomine principalis venit, qui primo reuelauit, qui fuit denuntiatur. Ita Iulius III. *Bulla 53. incip. in multis* §. 10. *Diana par. 7. tract. 3. resolut. 47. Miranda quæst. 17. num. 183. de S. Iuliano capit. 5. Aduert.* 6. §. 2. Est testis integer, quia denuntiatio non est exceptio diminuens fidem reuelantis.

Quæres 15. Verum visitator interrogare possit, an Prior, & officiales bene, & iuste administrent bona
75 monasterii, an illa dilapident? Videtur negatiue respondendum ex dictis quæst. 4.

℟. Posse, quia cum inquiratur de peccato personæ, sed de modo gubernandi Conuentum, vel Prouinciam, subditus sic interrogatus nullam habet occasionem male sentiendi de officiali, cum ordinariæ sint huiusmodi interrogationes. Ita Suar. *tom. 4. de Relig. lib. 10. cap. 11. numer 6. ex eo de Lugo disput. 37. num.* 166.

76 Quæres 16. An in Visitatione admittantur quilibet, etiam testes inhabiles.

℟. Affirmatiue, quia cum non probent immediate ad pœnam sed tantum viam aperiant iudici, omnes admitti possunt. *De Bictis quæst. 11. num. 6. ex Bouerio in suo direct. part. 1. c. 3. §. 7.*

77 Quæres 17. An inquirere possint super delictis spectantibus ad S. Officium?

℟. Negatiue, nam Paulus V. in sua 26. incip. *Pontifex Romanus*, reuocat quascunque facultates superioribus regularibus quorumcunque Ordinum concessas quouis modo cognoscendi, terminandi causas spectantes ad sanctum Officium, aut in illis quomodolibet se intermittere. Deinde Vrbanus VIII. in Append. Bullar. VII. incip. *Cum sicut* declarauit, quod constitutiones Apostolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & S. Inquisitionis officium hactenus editæ, & in posterum edendæ super quacunque alia re, comprehendant omnes regulares quomodo libet priuilegiatos, nisi in illis specialiter excipiantur.

Quæres 18. An reuelenda sint non solùm cognita, & nata ex propria scientia, sed etiam ex aliorum
78 scientia, nempe audita à personis fide dignis? Proponuntur enim edicta similibus verbis: *Si quis sit, aut notitiam habet*, &c.

℟. Non solùm scita ex propria scientia visus, aut auditus reuelare tenentur, sed etiam nota nobis ex auditu aliorum, quando reuelatio est per modum denuntiationis, quod accidit, quando iudicium nondum est cæptum, denuncians enim audita, & nominans personam, à qua audiuit, multum iuuat iudicem ad inquirendum super delicto. Si verò iudicium est cæptum habetur loco testis, in cæptis enim quæruntur testes, sicut in nondum cæptis denunciatores, itaque in visitationibus reuelantes habentur pro denuntiatoribus in criminalibus. Vide Nauar. *in cap. Inter verba Corollar. 66. num. 779. Genuens. cap 2. Praxis Neapol. num* 5. Itaque reuelantes in visitationibus habentur pro denuntiatoribus, vt diximus supra quæst 12. Intellige, quando audiens ex aliis habet ad minus vnum testem ocularem, quo semiplene delictum probari possit, ex supra citatis, *Bonac. de denunt. part.* 1. §. 4. *num.* 4.

SECTIO II.

De Inquisitione Mixta.

TRiplex genus Inquisitionis assignauimus initio huius capitis, Generalis, quam explicauimus in præcedenti sectione, Mixtæ nunc explicandæ, & specialis de qua in sequenti sectione. 1

Mixta autem est inquisitio personæ ignotæ de crimine noto v. g. constat Petrum fuisse occisum, ignoratur occisor, ideo superior constito sibi de corpore delicti, quærit in genere, quis occiderit Petrum. Vel è contra cum de persona certa quæritur in genere, an commiserit aliquod delictum. Vtraque ergo miscetur, prima quidem ex generali respectu personæ ignotæ, & ex speciali respectu delicti certi; secunda verò miscetur ex generali respectu delicti incerti, & ex speciali respectu personæ notæ. Earum cognitio magis constabit in sequentibus quæstionibus, præmittendo primam ordinari ad punitionem, & sic esse criminalem, secundam ordinari ad merita personæ, an e. g. habeat requisita ad recipiendum ordinem, beneficium, &c. & in hac ciuiliter proceditur, & cum non sit huius loci, remitto lectorem ad Sayrum lib. 15. cap. 10. num. 40. agam solum de Mixta criminaliter. 2

Quæres primo, an præcedere debeat infamia, vt iudex procedat inquirendo in genere quis commiserit tale delictum, de quo constat?

℟. Nequaquam, posita enim querela ab officiali, seu a superiore locali, iudex statim debet inquirere auctorem, neminem in particulari nominando, quia in hoc non differt à generali inquisitione, cum & ipsa talis denominetur ex incertitudine delinquentis; infamia autem non versatur circa incertas personas, sed circa determinatas, ideò non prærequiritur infamatio personæ, sed sufficit, quod notorium sit delictum. Ita ferè omnes *cum Bonac. disp. 10. de legib. q. 5 p. 5. n. 13. §. Modus vero, de Lugo disp. 37. n. 58. Diana par. 1. tr 15. resol. 53. cum aliis de S. Iuliano c. 5. Aduert 2. §. 5. Farinac. q. 1. n. 49. de Bictis q. 11. num.* 8. Nonnulli relati à dicto de S. Iuliano tenent, iudicem non posse procedere, nisi præcesserit infamia, qui nituntur iis rationibus quibus vsi sunt asserentes, non posse iudicem procedere per inquisitionem specialem contra manifestatum delictum, & personam in visitatione, quas refutauimus præced. sect. q. 9. §. Contrariam, probantes, aliud non esse necessarium, quam denuo assumere reuelantes, & distinguere eos in denuntiatorem, & testes, vt inde citari, & puniri possit auctor delicti, ex speciali inquisitione, à fortiori in hac extra visitationem inquiri potest generaliter neminem in particulari nominando. 3

Quæres 5. An in hoc casu testes examinati teneantur illum manifestare, qui non est diffamatus?

℟. Affirmatiuè, quia Iudex legitimè interrogat, ergo & testes debent manifestare delinquentem. Ita communior opinio cum *Sanchez in Select. disp. 43. n. 39. Diana par 1. tract. 15. resol. 63. de Lugo disp. 37. n. 59. Michael Ferro quæstion. Vicarial par. 2 q. 123. num. 4. quos contra se citat de S. Iuliano cap. 3. Aduer. 2. §. 3. & alios Bonac. disp. 10. q. 2. q 5. num* 14. *Secundo*, contra se Contrarium, quod non teneantur manifestare delinquentem occultum, contra quem non laborat infamia, sustinet *de S. Iuliano cap. 1. Aduert. 2. §. 4. qui plures citat. cum Peyrino de Subd. q. 1. cap. 16. vers. Sed quid si vinus.* licet præcipiat censuris, iuramento, vt reueletur, etiamsi subditus cum aliis duobus iuret delictum, quia tres, aut quatuor testes non faciunt publicam famam ex citatis ab ipso? Probat *primò*, quia subditi exempti sunt ab inquirentis iurisdictione. Sed id gratis ab eo asseritur, dum iuridice interrogat, vt omnes asserunt. Probat *secundo*, iudex interrogando in genere 4

vtitur

vtitur iure, & testes non reuelando conseruant famam occulti delinquentis, & sic non obligantur reuelare. Vrget magis ius boni publici iudicis præcipientis, quam voluntas subiecti seruandi bonum priuatum proximi, vnde præced. sect. quæst. 8. num. 50. probaui, teneri reuelare.

6 Itaque subdimus, cum legitime interrogetur, tenetur testificari verum, esto etiam si ipse solus nouerit, si est testis ocularis omni exceptione maior, quia dat ius iudici ad citandum, & torquendum reum, vt docent omnes criminalistæ.

Quæres 3. An iuramentum habeat locum hic in inquisitione mixta ex generalitate personæ, & specialitate delicti? Videtur, quod non, quia magis assimilatur inquisitioni ex Visitatione, in qua non petitur iuramentum ex probatis sect. præcedenti q. 2. Confirmatur, quia secundum Fabrum disp. 54. num. 45. in modo procedendi in vtraque videtur eadem esse ratio, ergo sicut non petitur iuramentum in Visitatione, ita neque in inquisitione hac.

7 ℟. Petendum esse, & ratio est, quia in hac deponentes se habent vt testes, qui sine iuramento non probant; in Visitatione autem magis sunt denuntiatores, quam testes, ideo cum illis visitator procedit sine iuramento de iure communi. Hinc est, quod quando vt iudex procedit contra particularem, cuius delictum est reuelatum, petit iuramentum ab omnibus examinandis, vt exigit inquisitio specialis, vt videbimus. Et ex his patet ad rationem dubitandi.

Quæres 4. An aliquando iudex possit immediate inquirere an talis persona commiserit delictum notorium, cuius auctor ignoratur?

8 ℟. Non posse, quando nulla querela fuit, sed tantum delictum notificatum, quia cum sit occulta, fieret ei iniuria à iudice, qui contra particularem procedere non potest, nisi præuia querela. Est communis apud Bonac.
9 *disp. 10. de legib. quæst. 2. punct. 5. num. 13. & 14.* Per hoc autem differt Inquisitio generalis à speciali, quod sicut in hac querelatur delictum, & persona in specie, ex quo contra personam talem procedimr, ita in illa querelatur solum tale delictum, & nulla persona in indiuiduo, seu specie, vt aiunt, sed tantum in genere, & in communi, ex quo iudex procedit tantum in genere interrogando *Quis committit hoc delictum?* in specie vero: *An Petrus iam querelatus commiserit tale delictum.* In Visitatione vero neutro modo interrogatur, sed hoc modo: An aliquis commiserit delicta, &c. iuxta quod dixi sect. præced.

Quæres 5. An si interrogatus forsitan sit ipse malefactor, teneatur seipsum manifestare? Idem quæritur in casu Visitationis.

10 ℟. Non tenetur se prodere. Et ratio est clara, quia nemo tenetur manifestare proprium delictum, nisi sit semiplene probatum, & interrogetur vt reus; sed in casu Visitationis, & inquisitionis generalis personarum inuestigantur delicta per denuntiatores, & per testes, ex quo nondum cognitio habetur de persona, ergo cum interrogetur circa delicta aliena vt testis, non interrogatur, vt prodat propria. Confirmatur ex modo interrogandi adducto in præcedenti quæstione, importat enim inquisitionem alienorum delictorum, & non propriorum eius, qui interrogatur vt testis, non vt reus, qui nondum interrogari potest, cum debeat interrogationem rei præcedere processus informatiuus, qui componitur ex testibus. Interrogatus ergo nunquam tenetur respondere contra se, nisi sit ad minus delictum contra ipsum semiplene proba-
11 tum. Facit illud axioma D. Ioannis Chrysostomi: *Non dico, vt te prodas*, relato *cap. Quis 82. dist. 1. de Pœnit. §. His auctoritatibus, & l. Nimis graue 6. C. de testib.* quia nemo tenetur suam turpitudinem reuelare, *arg. leg. Alias 18. ff. de iureiur. iuncta gloss. 14. Decere, l. fin. C. de eden. Clarus q. 47. §. sed quæro.* Nec reus rite examinatus confitendo suum delictum dicitur reuelare suam turpitudinem, sed iam reuelatam ab aliis faceri.

Quæres 6. An in hac inquisitione procedat ex officio suo, an ad instantiam partis?

℟. Procedere debet ex officio, dum ignoratur delin- 12
quens, quia ad superiorem spectat corrigere delicta, ne remaneant impunita, ergo requisitus, seu admonitus debet inquirere, & satisfacere muneri suo. Et hoc procedit, etiamsi læsus querelauerit delictum, & personam in genere, quam ignorat, tenetur enim ex officio suo quærere malefactorem, & per hoc differt inquisitio generalis personæ à speciali personæ certæ, quia in mere spe- 13
ciali procedit ad instantiam partis accusantis, & probantis, in generali vero inquirit ex officio, nunquam ex accusatione presse accepta, iuxta quod dicam in sequenti sectione.

Quæres 7. An debet in actis constare de corpore delicti, antequam examinentur testes?

℟. Affirmatiue, vt dicam infra suo loco. 14

SECTIO III.

De Inquisitione Speciali.

RESTAT agere de tertia specie Inquisitionis, quam vo- 1
cant Specialem, seu Solemnem, quæ est inuestigatio criminis seu plurium criminum facta à iudice contra particularem, vel plures personas querelatas. Dico, *querelatas*, quia iudex contra neminem regulariter procedere potest, nisi admonitus, vt procedat, quia semper à que- 2
rela est incipiendum, nisi quis peccet coram iudice repertus in fragranti crimine, quia tunc immediate procedit, licet dici possit, tunc etiam procedere præuia querela virtuali ex repertione delinquentis in fragranti crimine.

Quæres autem primo, quomodo formanda sit querela?

℟. In primis querelans nomen, cognomen, ætatem, 3
conditionem & patriam propria exprimere debet Notario, deinde nomen, cognomen, &c. querelati, cum nomine delicti, & eius circunstantiis, qualitatibus, loco, tempore, cum inscriptione pœnæ talionis, vbi vsitatur. Ita Doctores *in l. libellorum, de accusat.* alliter data nulla est, *ex Farinac. quæst. 1. numero 11. de Bictis quæst. 14. num. 3.* Si tamen loci, & temporis expressio 4
taceatur, adhuc valet querela, & accusatio, quia hæ duæ circunstantiæ pertinent ad apices iuris, ex Bictis ibidem, Farinac. num. 57. inscriptio pariter pertinet ad apices iuris, vt dixi.

Quæres 2. An iudex in hac procedat ex officio, an ad instantiam partis?

℟. Quando offensus querelat, tunc dicitur procedere 5
ad instantiam partis, & querela appellatur proprie accusatio, instando, vt offendens puniatur, in quo casu querelans debet probare querelam per testes. Quando vero non offensus querelat, vt facit fiscalis, Prior, vel alia persona priuata, tunc iudex dicitur procedere ex officio suo, & querelans dicitur denuntiator, & si habet notitiam testium, quibus debitum sit notum, eos nominat vt iudex per illos se informet de veritate delicti. Manifestat ergo denuntiator delictum, & delinquentem iudici, vt fungatur officio suo. Accusator vero non solum querelat, sed etiam instat, vt iudex procedat ad punitionem. Spathar. tract. 5. cap. 15. num. 4. & alij omnes. Guardiani enim, & alij superiores locales quasi fiscales debent delicta denuntiare maioribus, *Spathar. dicto tract. 5. cap. 2. num. 4. & cap. 7. n. 2. & 3.*

Quæres 3. An vt iudex incipiat inquirere præter querelam debeat præcedere infamia delicti querelati?

℟. Negatiue, sed à querela potest incipere inquisi- 6
tionem informando se de veritate per testes, siue querela originem ducat à Visitatione, siue extra Visitationem, siue sit de peccatis nociuis communitati, siue tertio, siue sint publica, siue priuata. Ratio est, quia bonum commune, quod pro obiecto habet iudex, puniendi

scilicet delicta, offerendum est bono priuato particularis hominis, aliter sæpe sæpius delicta remanerent impunita. Et ita tenet praxis in toto orbe terrarum, *vt ex Iulio Claro lib. 5. quæst. 3 num. 5 & quæst. 6. num. 1. Farinac. q. 9. num 19.* ab inquisitione generali ad specialem, & de hac praxi *num. 21. Barbosa super cap. 24. de accusat. num. 16. sequitur Hurtadus disput. 1. de iudic. forensi difficult. 13. cum Bannez, Azor. Lessio, Toleto, Peyrino, & aliis, quos contra se citat de S. Iuliano cap. 3. Aduert. vlt. §. 1. de Bictis quæst. 13. num. 15. vbi citat Lezanam part. 1. cap. 27. num. 19. cum aliis,* quia denunciatio iudicialis habetur loco infamiæ.

Contrarium tenent plerique *cum dicto de S. Iuliano*
7 *cap. 3. Aduert. vlt. §. 2. Miranda quæst. 7. n. 4. & 6. Bonac. disput. 10. de legibus quæst. 2. punct. 5. num. 10.* Fundati in iure *cap. inquisitionis, cap. cum oporteat, cap. qualiter 24. de accusat.* in quibus locis prohibetur iudicibus procedere contra aliquem, nisi præcesserit infamia, aliter læditur fama proximi. Sed his omnibus responsum fuit præce-
8 denti sect. quæst. 9. num. 62. Illud enim requisitum infamiæ est iuris humani, vt docent *Sotus de secr. membr. 2. quæst. 1. dub. 2. Valent. disput. 5. quæst. 14. p. 1. §. 3. Sanch. lib. 6. consil. cap. 5 dub. 18.* Et pertinet ad apices iuris, vt docui cap. 2. quæst. 4. num. 34. ergo omissa, non inficit processum, maximè apud regulares, qui non tenentur illum ordinem seruare, vt expresse dicitur in fine cap. 24. de accusat. & sic docent in terminis huius nostræ responsionis. *Alciatus de officio ordin. num. 47. Ioannes Andreas cap. olim, de accusat. Aldrete lib. 1. cap. 7. num. 23. 24. & 25.* quos contra se citat *de sancto Iuliano cap. 3. Aduert. vlt. §. 9.* Quia in cap. Ex quæ, & cap. In singulis, de statu monachor. nulla fit mentio de huiusmodi præuia infamia. Et licet ibi agatur de Visitatione, subiungitur tamen, quod reperti delinquentes puniendi sunt, ergo agitur etiam de inquisitione speciali, sine qua non contingit punitio.

Quæres 4. An accepta querela debeat prius constare in actis de corpore delicti permanentis, quam citentur testes ad informandum?

9 R. Vtique, vt dicam infra suo loco cap. 6.

Quæres 5. An in sententia eorum, qui prærequirunt infamiam in inquirendo, dentur aliqui casus eam non petentes, & sine qua iudex possit procedere cum sola querela?

10 R. Affirmatiuè. *Primus est,* quando delictum detectum fuit in inquisitione generali ex Visitatione, vel generalitate personarum. *Ita Farinac. quæst. 9. num. 18. de Bictis, quæst. 13. num. 13.* Item casus *secundus*, cum præcessit denunciatio iudicialis, vt dixi, & nunc dico cum allega-
11 tis de Bictis num. 15. *Tertius est,* cum in iudicio fatetur delictum aliud à querelato, confessio enim in iudicio facit notorium iuris, *cap. fin. de cohabitat. cap. cum olim 24. de verb. signif.* vnde infamia non est necessaria. *Quartus est,* confessio delicti in causa ciuili sufficit ad inquirendum criminaliter, *Clarus quæst. 54. vers. Item, cum aliis de Bictis quæst. 13. num. 21.* Item casus *quintus est,* confessio iurata facta coram iudice licet incompetente, non petit præuiam delicti infamationem, quia confessio facit notorium iuris. Ita communis opinio *de Bictis, quæst. 13. num. 23. Aretinus cap. 16. §. Idem dicendum.* Non requiritur infamia *Sexto*, cum delictum committitur coram iudice, vel contra ipsum, vel alios, præsentibus nonnullis, & in aliis notoriis factis coram multis, *de Bictis quæst. 13. num. 24. & 25. Pitigianus Aretinus cit. cap. 16. § quintus.* Confessio quoque extraiudicialis *Septimo* coram multis probata non petit aliam delicti infamiam. *Pitigian. cap. 16. § secundus.* Demum *Octauo* in casibus S. Officij, & aliis atrocissimis in præiudicium reipublicæ proceditur sine infamia. *Farinac. q. 9. n. 14. de Bictis q. 13. n. 27.*

Quæres 6. Quomodo se gerat iudex, quando reus incidenter fatetur delictum, super quo non fuit querelatus?

R. Cum delictum incidens possit esse duplex, vnum 12
habens connexionem cum deposito, quod aggrauat, vt si inquisitus de fornicatione fateatur mulierem esse consanguineam rei, vel alio modo iudex veniat in cognitionem huius incestus per testes, tunc in hoc casu per eundem processum, & iudicium reus punitur, sicut punitur respectu delicti querelati. Alterum nullam habens connexionem cum delicto denuntiato, vt si querelatus sit de furto, & incidenter discooperiatur homicidium, tunc in hoc casu, alter processus formandus est ab ea manifestatione, quæ habetur loco querelæ, & qui manifestauit alterum delictum non potest esse testis in secundo iudicio, cum sit tantum denuntiatum. *Nauarr. in Rubr. de Iudic. numero 36. vers. Admonete, de Bictis quæst. 13. num. 20. Berin. 2. vol. 1. consil. 251. num. 103. Guazzinus defens. 29. cap. 2. num. 18.* loquentes de denuntiatore, qui postea non potest esse testis in secundo iudicio.

Quæres 7. An præmittenda sit correctio fraterna à querelantibus, & testificantibus respectu delictorum personalium?

R. Non esse necessarium, quia per querelam iudicia- 13
lem satisfit fini correctionis fraternæ, qui est emendatio sequens ex iudiciali punitione, per quam prouidetur communitati, & querelato, pœna enim vnius est metus multorum, quod facit pro communitate, & est medicinalis ipsi delinquenti, qui corrigitur. Ita Hurtadus *disput. 1. de denunt. difficult. 4. cum Valentia, Azor. Anglez, & Bonacina, Pellizar. tract. 9. cap. 4. num. 11.* quos contra se citat *de sancto Iuliano cap. 2. Aduert. 3. §. 1.* Vide Dianam *part. 7. resol. 55. de correct. fraterna, qui part. 1. tract. 4. resol. 1. ait,* non esse præmittendam, quando ex Edictis aliquis est denuntiandus. Vide Fabrum disput. 54. num. 111. vbi diuersas refert opiniones, & num. 112. ait, eam non requiri in accusatione cum Nauarr. in cap. Inter verba conclus. 6. num. 171. quia in cap. qualiter dicitur, quod inscriptio sequitur accusationem, & fraterna correctio præcedit denuntiationem, non ergo præcedit accusationem, quæ tendit ad punitionem; ex quo argumento inferri potest, nec præcedere denuntiationem iudicialem, quæ ordinatur ad punitionem ob bonum publicum.

Quæres 8. An literæ incertæ, hoc est, sine nomine Auctoris sufficiant ad inquirendum contra personam in eis nominatam?

R. Negatiuè, licet in eis exprimerentur nomina ali- 14
quorum testium, nullus ergo super eis formari potest processus, nec per viam accusationis, nec denuntiationis, cum illis nullo modo sit credendum, cum potius vocentur libellus formatus, quam denuntiatio, aut querela: Expresse *cap. Inquisitionis 21. §. Tertia, de accusat. Ghisler. cap. 16. num. 65. Rodriq. tom. 2. quæst. 6. art. 12. Peyrin. lit. P cap. 16. n. 17. de Bictis q. 19. n. 3. ex Claro q. 5. vers. Neque in hoc.* Quia in accusatione, & denuntiatione exprimendus est in actis nomen querelantis, quo carent literæ orbæ, vt aiunt, id est, sine nomine auctoris scriptæ. Sequitur *Miranda q. 7. de ordin. iudic. n. 93.* Iudex ergo ex illis nullo modo se mouere debet ad formandum processum, nihilominus sit oculatus, & inuigilet super gregem suum.

SECTIO IV.

De Denuntiatione, & Accusatione.

QVamuis in præcedentibus sectionibus nonnulla sint 1
dicta de vtraque: nam iudex à seipso non mouetur ad inquirendum ex mixta, & speciali inquisitione, nisi motus, & monitus per querelam sibi oblatam, quæ aliud non est, nisi vel denuntiatio, vel accusatio, nihilominus dictis alia sunt addenda, quæ sequuntur.

Denuntiatio autem in tota sua latitudine describi po- 2
test delatio, seu manifestatio criminis facta iudici.

Estque

Estque triplex. Euangelica, Iudicialis, & Accusatoria. Euangelica est delatio criminis coram superiore, qui sine castigatione emendet errorem sui subditi. Et hæc supponit correctionem fraternam faciendam à denuntiante antequam accedat ad superiorem, iuxta illud Euangelij
3 Matth. 18. 15. *Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum duos vel tres, vt in ore duorum, vel trium testium, stet omne verbum; quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Ex quibus verbis colligitur correctionem fraternam esse duplicem, vnam factam sine testibus, alteram cum testibus, quibus positis cum fructu respectiue vlterius non est procedendum, sine fructu, & emendatione corrector denuntiare debet superiori, vt prouideat, respectu cuius denuntiatio dicitur Euangelica, iuxta illa verba: *Dic Ecclesiæ*, à qua si non emendatur denuntiatus patri, fit transitus ad iudicialem fori externi, in qua iudex ex officio suo procedit ad punitionem, vt terrore confusus emendetur, & pœna contra eum lata, sit in exemplum, & vtilitatem aliorum, qua ratione punitio redundat in bonum publicum, & priuatum ipsius castigati.

4 Denuntiatio igitur Iudicialis est manifestatio delicti facta coram iudice, in ordine ad castigationem querelati, sine obligatione libelli accusatorij, & probandi delictum.

5 Accusatio vero est pariter manifestatio delicti in ordine ad punitionem facta coram iudice cum obligatione libelli, & probationis.

6 Ex his definitionibus satis nota est differentia vtriusque, nam ambo petunt quidem punitionem delicti delati in ordine ad bonum publicum, tamen solus accusator in se suscipit obligationem libelli, & probationis, quam non intendit denuntiator, eo quod vt plurimum prosequitur alienam causam, ideo onus probandi reiicit in iudicem,
7 qui cum suis ministris debet procurare testes ad probationem criminis. Accusator vero, qui proprie suam prosequitur causam debet in se suscipere onus probandi, & inscribere libellum, hoc est, se subijcere pœnæ talionis. Antiquitus nulla erat differentia inter vtrumque maxime in inscriptione ad pœnam talionis in deficientibus in probatione, omnes enim erant accusatores qui querelabant.
8 Et quia propter timorem pœnæ talionis multi non audebant denuntiare, dubitantes non posse probare, quod erat valde præiudiciale bono publico, delicta enim remanebant impunita, ideo pœna talionis recessit ab aula, sicut & onus probandi, ac proinde non amplius accusatores, sed denuntiatores appellantur qui manifestant aliena crimina. Immo nec semper accusatores habent onus libelli, & probationis, nisi exprimatur id in statutis, &
9 constitutionibus ordinum regularium. Ex quibus habes, pœnam talionis, vbi viget, habere locum solum contra illos, qui accusant, & propriam prosequuntur causam, iuxta probata hoc capite, sect. 2. n. 45.

10 Duæ difficultates emergunt ex verbis Euangelij. *Prima est*, an hic præscribatur correctio fraterna tantum in ordine ad delicta occulta, quæ tantum sciuntur ab vno? *Secunda est*, an ea verba *Dic Ecclesiæ* referantur ad superiorem tantum vt patrem, an etiam vt iudicem?

11 Ad primum respondeo, in textu Sacræ Scripturæ esse sermonem de correctione delictorum occultorum, quæ scilicet sciuntur ab vno tantum. Probatur ex ipso textu *si peccauerit in te frater tuus* nam illa particula *in te* varijs modis explicatur, qui præseferunt peccatum omnino occultum, & vni soli cognitum.

12 *D. August. tom. 10. serm. 16. de Verbis Dom. inquit: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum. Quare? quia peccauit in te: quid est in te peccauit? Tu scis, quia peccauit. quia enim secretum fuit, quando in te peccauit, secretum quære cum corrigis, quod peccauit. nam si solus nosti, quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere. non es correptor, sed proditor.* Ecce quomodo præceptum correctionis euangeli-

cæ restringitur ad peccatum secretum, quod corrigens tantum nouit, si enim notum esset etiam alijs, non esset 13
corrigendus, sed arguendus iuxta Apostolum, hoc est, querelandum, & puniendum à iudice pro foro externo, de quo ibidem mentionem facit. Idem probant apertius sequentia verba. *Corripe eum inter te, & ipsum solum.* Cur hoc, quia cum peccatum in occulto, & coram te 14
tantum sit factum, tu solus nullo præsente debes corrigere, ne detrahas illius famæ, ex Dionysio Carthus. super eadem verba sic: *Corripe eum inter te, & ipsum solum, videlicet in secreto, ne confundatur, exasperetur, aut diffametur.* Ecce duo argumenta expresse probantia correctionem Euangelicam ordinari ad peccatorem non occultum, sed secretum, qui tantum peccauit coram 15
vno, debet ergo correctio esse secreta, quia peccatum secreto commissum fuit.

Sed cur correctio euangelica restringitur ad peccatum 16
secretum, & non extenditur etiam ad occulta nota duobus, aut tribus? Responsio est, quia cum tale peccatum sit probabile, relinquitur corrigendum iudici fori externi, qui non potest punire peccatum secretum, ad punitionem enim externam, & iudicialem ad minus duo requiruntur testes omni exceptione maiores, ad citandum vero reum sufficit vnus querelans, & alter testificans.

Colligitur ex dictis nullam esse præmittendam corre- 17
ctionem fraternam respectu delictorum occultorum probabilium, quia hæc efficacius emendantur, & corriguntur simul à iudice, a quo non possunt corrigi in secreto facto, quando vnus solum ea cognouit facta ipso præsente, cui reseruatur correctio, & emendatio fratris, & tantam a Deo tunc habet facultatem, vt si prima correctio fuit inutilis, possit incorrectum, si est spes emendationis, corripere suauiter coram vno, vel altero teste, sine periculo infamandi illum, quia in eo casu nullum ius habet ad suam famam in occulto, quam perdidit non acquiescendo primæ correctioni, vt dicit Antonius Hiquæus *commento in 4. Sent. Scoti dist. 15. quæstio. 4. num. 16. operum Scoti tom. 9.* Confirmatur, quia sicut peccator non acquiescens priori correctioni perdit famam respectu vnius, vel alterius testis, quibus sine peccato corrector manifestauit peccatum illius, vt notum est, ex Euangelio; ita qui coram duobus peccauit amisit ius suæ famæ, cum eius delictum non sit secre- 18
tum, sed tantum occultum, & probabile, ac proinde publicabile, eo modo, quo peccauit, faciendo illud aptum ad punitionem; & præterea, si secretum post trinam correctionem inutilem publicatur, secundum doctrinam Christi: *Sit tibi tamquam ethnicus* &c. a fortiori poterit querelari peccatum non secretum, sed occultum probabile, vt puniatur, & simul corrigatur peccator.

Ad secundam patet ex mox dictis, nam cum in textu 19
Euangelij, ex modo probatis, sermo sit de correctione fraterna solum peccatorum secretorum, scilicet, quæ ab vno solo sciuntur, & post primam, & secundam correctionem inutilem, & infructuosam, incorrectus sit denuntiandus Ecclesiæ, hoc est, superiori tamquam patri, vt illum emendet, sequitur aliud peccatum non esse illi manifestandum, quam illud secretum, ac proinde superiorem ex hoc capite non teneri audire alia, quæ non sunt secreta, licet sint occulta, quia hæc non paterne, sed iudicialiter corrigenda sunt, cum vt probabilia subsint iudicio fori externi. Sed accedamus ad quæstiones pro clariori intelligentia dictorum.

Quæres primo, an omissa correctione fraterna possit immediate quis denuntiare proximum?

℟. Affirmatiue non solum respectu delictorum pu- 20
blicorum, verum etiam occultorum non solum nociuorum communitati, & proximo, sed etiam soli perpetranti illa. Quænam hæc sint dixi sub hoc capite sect. 1. n. 51. & seq.

Prima pars respectu delictorum, quæ nota sunt, docetur 21
fere ab omnibus cũ D. Thoma 2. 2. q. 33. art. 7. iuxta illud

D. Pauli 1. ad Timoth. 5. *Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* Hic sermo est de punitione, non de correctione, quæ non fit cum argutione, & increpatione iudiciali, sed cum suauitate & in secreto non in publico, vt iudicialis, quæ timorem incotit. *Castro Pal. part. 1. de caritate tract. 6. disp. 3. part. 13. num. 3. de Billis quæst. 15. num. 13.*

22 Secunda pars de delictis nocuis communitati, vel tertio, est D. Thomæ loco citato, & communis, de qua *Suarez disp. 8. de caritate sect. 6. num. 6. Lorca, Villalobos cum aliis Castro Palao cit. numer. 5. Miranda 1. 13. artic. 5. de Billis quæst. 15. de Lugo disp. 37. num. 78. Diana part. 1. tract. 4. resol. 2.* quos cum aliis contra se citat. *de S. Iuliano cap. 2. Aduert. 3. §. 4.* sequitur primos *de Angelis cap. 9. num. 5.* Inter quos aliqui volunt, esse præmittendam correctionem fraternam in casu, quo firmiter, & certo creditur correctionem esse profuturam. Hanc limitationem speculatiue acceptam esse rationalem puto, in praxi fallacem, nam quis est hic, quantumuis prudens, qui possit habere hanc firmam certitudinem? meo iudicio nemo, quia ab alio dependere non potest, nisi à correcto, qui finget emendationem, vt euitet punitionem.

23 Tertia pars de occultis nulli nociuis est *de Billis quæst. 15. num. 4. Sayr. lib. 12. cap. 10. Nauar. in cap. Iurauit de probat.* Item Hurtado *de iust. disp. 2. de denunt. & Accusat. Diffic. 4. cum Valentia, Azor. Angles, Bonac. Pellizar.* quos contra se citat *de S. Iuliano cap. 2. Aduert. 3. §. 1.* quam probaui præced. sect.

24 Contrarium docet *Castro Palao tract. 6. de caritate disp. 3. part. 15. num. 6. cum Soto, Nauar. cap. 24. num. 14. Lorca disput. 47. num. 19. Suar. tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 12. num. 36. de S. Iuliano cit. §. 2.* nempe præmittendam esse paternam correctionem, quando speratur emendatio. Sed hanc spem puto vanam, vt supra dixi. Probaui suam conclusionem, quia denuntiatio iudicialis tendit ad bonum commune delicto delinquentis damnificatum per punitionem reparandum, & secundario ad delinquentem corrigendum. Cum ergo per huiusmodi delicta personalia nullum commune bonum sit læsum, & ex alia parte non apparet necessitas iudicialis denuntiationis, nequaquam debet fieri, quin secreto corripiatur. *Confirmatur,* quia in peccatis omnino secretis raro potest ad denuntiationem iudicialem procedi, in omnino publicis non est præmittenda secreta, neque inducto testium, ergo ne dicamus, præceptum fraternæ correctionis à Christo esse inutile præceptum, affirmandum est in iis peccatis, quæ passim sunt secreta, partim publica, seruandam esse correptionem fraternam.

25 Ad argumentum dico, denuntiationem tendere ad bonum commune habere duplicem sensum, nempe ad bonum commune læsum, vel ad vtilitatem boni communis non læsi; argumentum procedit in priori sensu, ex quo cum delicta personalia neminem damnificant, tale damnum non est reparandum cum non adsit, hinc tamen non sequitur, nullum bonum sequi ex denuntiatione iudiciali facta de peccato personali, quod punitum affert magnam reipublicæ vtilitatem, iuxta illud Apostoli. *Atque, vt cæteri timorem habeant,* pœna enim vnius est multorum metus. Ad confirmationem dico non frustrari præceptum correctionis fraternæ, quod propter locum habet in delictis quibuscunque secretis idest notis tantum vni, coram quo perpetrantur. Alia vero licet occulta deferri possunt iudicialiter, etiam duobus tantum, quia sunt probabilia, ergo subiicibilia iudici per denuntiationem, vnde

Quæres 2. An denuntiari possit delictum occultum, notum tantum duobus?

26 ℞. Affirmatiue, quia vno querelante, & altero pro teste inducto index procedere potest in causa citando querelatum ad respondendum, & negans torturæ subiici potest, dummodo ambo sint idonei, & bonæ famæ omni exceptione maiores.

27 Probatur id posse fieri licite, quia per illud delictum coram duobus factum amisit ius ad suam famam, quam perdidit respectu illorum ergo nihil prohibet, quin possint contra illum agere in iudicio, vt per illius punitionem cæteri ædificentur, & ipse emendetur ob rigorem pœnæ, quam fortassis non emendasset correctio fraterna. Quod autem id non sit contra caritatem, neque iustitiam probaui præced. sect. num.

Probatur id valide fieri, quia iudex vnico teste omni exceptione maiori inducto a querelante potest citare reū, & contra illum procedere, *de communi Farinac. q. 37. n. 58. vbi innumeros citat auctores.* Sed de hac re alias. *Hiquæus in 4. dist. 15. q. 4. n. 26. tom. 9. Scoti.* 28

Quæres 3. An quis debeat denuntiare delictum sibi tantum notum, ac proinde quod non potest probari?

℞. Id debere fieri in Edictis Sancti officij, & in aliis posse respectu criminum nociuorum. Ratio in vtroque casu, quia licet pro tunc iudex non possit procedere contra querelatum, tamen aduenire poterunt alij testes, qui dent ius ad procedendum in causa, & ita seruatur in S. Officij Inquisitione, vbi solus sciens tenetur denuntiare, vt dixi præced. sect. 1. num. 72. Iustificat quoque denuntiatorem, ne dicatur detrahere proximo, dum denuntians dicitur aliquo modo præcauere nocumentum, iudex enim à longe inquirere debet. Ita docent *Silu. 11. Correptio q. Valent. Villalobos, Lessius, quos pro se citat Castro l. al. disp. 3. de Caritate p. 13. n. 10.* 29

Quæres 4. Quænam peccata sunt denuntianda?

℞. Peccata publica, quæ scilicet sunt nociua communitati, vel tertio, de quibus dixi præced. sect. 1. num. 11. dummodo sint probabilia, iuxta superius dicta. Nemo tamen in particulari tenetur, nisi præcipiatur a superiore, vt fit in Edictis S. Officij, aliter excusantur, quia ad hoc sunt deputati officiales, qui denuntient delicta in præiudicium reipublicæ. 30

Quæres 5. An correctio fraterna debeat præcedere accusationem?

℞. Negatiue ex cap. Qualiter 14. de accusat. vbi dicitur, quod inscriptio præcedit accusationem, sicut correctio denuntiationem, ergo correctio non habet locum in accusatione, durum enim est, quod offensus velit verbis placidis inducere suum offensorem ad emendationem. Ita Adrianus *in 4. de correct. Nauar. c. 18. num. 30. Corduba de detract. q. 2. concl. 4. cum aliis relatis à Castro-Pal. tract. 6. disp. 3. p. 15.* qui dicit esse contra charitatem, & iustitiam accusare eum, contra quem non est infamia, licet probari possit. Sed priorem sententiam putat communem, & veriorem Faber disp. 54. n. 12. 31

Quæres 6. An index possit repellere denuntiationem, eo quod denuntiator non præmisit correctionem?

℞. Negatiue, quia denuntiatio iudicialis non dependet à Correctione cum illa sit fori externi, hæc fori interni, ideo frustra laboraret iudex, cum non possit probare omissionem correctionis, cum fiat in occulto, & nullus index de hac te soleat interrogare, cum ad eum non spectent, quæ sunt fori conscientiæ. Ita Castro-Pal. p. 16. de correct. frat. adde ex suprad. §. 3. quod obiectum correctionis fraternæ est solum delictum secretum, non occultum probabile, de quo solo cognoscit index in foro externo. 32

Quæres 7. An accusatus alium accusare possit?

℞. Non potest in pari, vel minori causa, nisi prius se purgauerit, nisi suam, vel suorum iniurias prosequatur, *cap. 1. 2. 3. & 4. 3. q. 11.* 33

CAPVT IV.

De Iuramento Iudiciali.

Dixi cap. 2. iuramentum esse vnum ex substantialibus iudicij, sine quo iudicium non subsistit, vt omnes docent, cum nulla res existere possit sine sua substantia, cum sit idem cum ipsa. Quare male dixerunt aliqui, iuramentum pertinere 1

nere ad apices iuris, cum quibus eſt Onandus in 4. diſt. 19. fol. 785.

2 Iuramentum autem eſt inuocatio diuini teſtimonij in infirmationem alicuius dicti attenti coram iudice. Ex quo enim omnis homo mendax eſt, iuxta illud Pſalm. 115. neceſſe fuit adhibere iuramentum in iudicijs, quo homo purgatur ab ea ſuſpicione, & præſumitur in hoc foro dicere veritatem. Inquirendum autem eſt, quænam perſonæ debeant iurare in iudicio criminali, in quo plures concurrunt, querelator, ſeu Denuntiator, & Accuſator, qui dicuntur actores, item teſtes, partiet reus, Actuarius, ſeu ſcriba, & tandem ipſe iudex, an omnes iſti iurare debeant, vt proceſſus dicatur validus.

Quæres igitur primo an denuntiator & accuſator debeant iurare?

3 ℞. Non iurat de iure communi in viſitatione, vt probaui cap. 1. ſect. 1. num. 7. quia proceſſus contra querelatum non incipit à Viſitatione, ſed à querela replicata cum iuramento in Inquiſitione ſpeciali. Itaque iuramentum eſt neceſſarium in actore querelante extra Viſitationem in Inquiſitione tam generali, quam ſpeciali, vt colligitur ex Clem. Sæpe de verb. ſignificat. *Præſtationem iuramenti de calumnia, vel malitia, ſiue de veritate dicenda, ne veritas occultetur per commiſſionem huiuſmodi intelligimus non excludi.* Ex quibus ver-

4 bis aperte colligitur, illud præſtandum eſſe etiam quando iudex procedit de plano, poſtpoſitis apicibus iuris, ac proinde patet eſſe de ſubſtantialibus iudicij etiam reſpectu denuntiatoris, & accuſatoris, vt manifeſtum eſt ex verbis præſcripti textus. In iudicijs ergo etiam ſummarijs, qualia ſunt iudicum regularium præſertim, locum habet iuramentum actoris, & teſtium. *Seraphin. de priuileg.* 22. 67. *Surd. deciſ.* 18. *Riccius part.* 2. *deciſ.* 56. *numer.* 9. Vocatur hoc iuramentum reſpectu querelantis calumniæ, quo iurat, ſe deponere querelam non animo calumniandi, ſed dicendi veritatem fauore iuſtitiæ. Ita Socinus *in cupit. Literas de iureiur. numer.* 7. *Clarus quæſtion.* 18. *numer.* 3. & *quæſtion.* 62. *numer.* 7. *ex illo Guaz. defenſ.* 20. *capit.* 1. *Bart. in lib.* 1. *C. de iuram. calum. numer.* 6 *Gratian. cupit.* 208. *numer.* 26. *cum alijs Barboſ. ad capit.* 1. *de iuram. calum. numer.* 7. *Farinac. quæſtion.* 16. *numer.* 28. Debet ergo

5 iurare, quod querela, denuntiatio, ſeu accuſatio eſt vera, & non facta animo calumnandi. Aliqui tamen id putant neceſſarium, ſi petatur à parte. Sed id non facit ad rem ſecundum praxim, quia reus ignorat proceſſum informatiuum, de quo ſolum incipit habere notitiam poſt citationem, vnde tunc non eſt amplius locus petitioni iuramenti, ne dicatur nullus proceſſus initio, cum querela enim exigitur à iudice iuramentum.

6 Nota, quod in querelante, hoc eſt, accuſatore, ſeu denuntiatore iuramentum dupliciter ſpectari poteſt, primo ratione calumniæ, vt ſi ſcienter falſo querelat proximum; ſecundo ratione veritatis dicendæ, ratione primi iuramentum non eſt de ſubſtantialibus iuris, quia pœna calumniatoris eſt pœna talionis ex Farinac. quæſt. 16. quæ abiit in diſſuetudinem, & loco eius ſucceſſit pœna extraordinaria ex eodem num. 16. vnde ratione ſecundi ſuper veritate dicenda omnino eſt de ſubſtantialibus iudicij.

Quæres 2. An teſtis debeat iurare? Et iuramentum omiſſum annulet proceſſum?

7 ℞. Debet iurare, aliter nullus eſt proceſſus. Primum probatur ex *Clemen. ſæpe de verb. ſignificat. cap. Nuper.* 51. *de teſtib.* vbi dicitur, quod nec religioſo teſti creditur, niſi ſit iuratus. 1. *Teſtium* 3. *ff. de teſtib. lib iuſiurandi* 8. *C. eod. late Farinac. quæſt.* 74. *num.* 1. *Miranda quæſt.* 18. *n.* 13.

8 Poſterius probatur, quia geſta ſine forma ſubſtantiali ſunt nulla, & inualida, vt notum eſt; ſed iuramentum eſt de ſubſtantialibus iudicij, & proceſſus criminalis ex dictis, ergo eius omiſſione proceſſus, & iudicium nullum. Ita omnes *cum Farinac. quæſt.* 74. *Rodriquez. form.* 2. *quæſt.* 14. *art.* 8. *Carena part.* 3. *tit.* 7. *num.* 2. *Miranda*

titatus, de Angelis cap. 14. *num.* 5. vbi cum aliis ait eſſe de iure naturæ, & diuino, quod teſtes iurent, & certum eſt ſine iuramento nihil probare. Sed reuera non 9
eſt de iure naturali, neque diuino, quia natura hoc non dicat, nec vllibi reperitur in Sacra Scriptura expreſſum, ſed eſt tantum de iure poſitiuo ciuili, & canonico locis præcitatis, quod aduertit dictus de Angelis ibidem.

Quæres 3. An reus ſubdatur iuramento de dicenda veritate?

℞. Iuramentum à reo interrogando exigendum eſt, 10
quia ita communiter practicatur, licet id diſpliceat Claro quæſt. 45. §. Sed quæro, quia id eſt manifeſta occaſio periurij, ſolent enim rei negare delictum, nihilominus ſibi imputent, quia ſicut per illud teſtes excitantur ad dicendam veritatem, ita ad idem per idem compellitur reus; & cum iudex vtatur iure ſuo, nullatenus eſt occaſio ruinæ ſpiritualis alterius. Ita Bartol. *in l. inter omnes* §. *Recte ff. de furtis, Pitigianus de ter. tie ſubſtant. cap.* 2. *Verſ. In contrarium, de Bellis quæſt.* 80. *numer.* 3. *Chartarius in ſua Practica lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 12. *Miranda quæſt.* 19. *numer.* 49. de communi omnes teſtantur, *Peliz. tract.* 9. *capit.* 4. *numer.* 101 *cum Leſſio lib.* 2. *cap.* 31. *numer.* 15. *Reginaldo lib.* 24. *numer.* 42. *Portello* 11. *Correctio Fratrum* §. *Iudex num.* 9. aut non poſſe exigi iuramentum à reo religioſo, niſi in caſu, quo reus licite poſſet ſubiici torturæ; quod non negamus, in tantum enim iuramentum exigitur à reo, in quantum poteſt iuridice interrogari, ſcilicet cum delictum querelatum eſt ſemiplene probatum.

Quæres 4. An perſona electa in Notarium, ſeu Actuarium ad formandum proceſſum debeat iurare?

℞. Non eſt neceſſe, vt probo infra cap. 81. num. 60. 11

Quæres 5. In quo conſiſtat ſolemnitas iuramenti?

℞. In primis debent iurare de dicenda veritate, ante 12
quam examinentur, tangendo Sacra Dei Euangelia, vel rem Sacram, vel tacto pectore, ſi eſt ſacerdos, aut Cardinalis, ſeu Epiſcopus, iuxta loci conſuetudinem; & toties debent iurare, quoties examinantur.

Prima pars, quod debeant iurare, patet ex dictis, 13
aliter nihil probant deponentes ſine iuramento, etiamſi ſint religioſi, & Sacerdotes *ex capit. Nuper, & capit. Tuis, de teſtib.* etiam Cardinales, vt omnes notant *in præfatum cap. Tuis* 39. *vbi Barboſ. num.* 2. infinitos refert Doctores.

Secunda pars de iuramento præſtando ante examen, 14
expreſſe habetur *l. Iuſiurandi.* 8. *C. de teſtib. cap. Fraternitatis* 17. *de teſtib.* Ratio eſt, quia iuramentum dat fidem depoſitionibus teſtium, ergo debet præcedere illas, quæ conſiſtunt in examine. Ita Maſcardus *concluſ.* 136. *num.* 10. *Miranda quæſt.* 18. *art.* 2. *num.* 13. *quamplures refert. ad dictum cap Barboſ. numer.* 6. *de Bellis quæſt.* 52. *numer.* 4. *cum Farinac. quæſt.* 74. *num.* 31. Qui omnes aſſerunt non valere depoſitionem, quando præcedit iuramentum ex interuallo, valere vero ſi incontinenti teſtis iuret, *ex eiſdem Farinac. num* 38 *de Bellis quæſtion.* 52. *num.* 5. Quamuis alij forſan verius negent valere depoſitionem præcedentem iuramentum etiam incontinenti, quia cum ſit de ſubſtantialibus videtur non poſſe ſuppleri, vt aſſerunt multi allegati à Farinac. n. 41. quod mihi magis placet.

Tertia pars de Sacris Euangeliis tangendis docetur 15
expreſſe *cap. Hortamur* 20. 3. *quæſt.* 9. & *à Gloſ. Marginali cap. Fraternitatis* 17. *de teſtib.* ea ratione, quia ſicut cæteri actus in proceſſu remanent ſenſibiliter, ita & is de tactu Euangeliorum debet conſtare, & permanere cum cæteris. Ita omnes cum. *Sanch. lib.* 3. *capit.* 1. *num.* 3. *Reginald. lib.* 18. *numer.* 10. *Verallus lib* 2. *deciſ.* 123. & 246. *cum alius Barboſ. ad dictum caput Fraternitatis* 17. *num.* 7. *Miranda quæſt.* 18. *num.* 17. Tangere ergo debent librum Euangeliorum. In quibuſdam locis alias tangunt ſcripturas, maximè apud laicos iudices, qui non ita in promptu habent libros Sacros, ſicut Eccleſiaſtici, vt notat Farinac. q. 74. n. 73. vtuntur ergo iſti officiolo

B. M. V. Itaque qoi manibus caret, non poterit inrare, *Mascard. concl.* 1358. *num.* 52. *apud Barbosam num.* 8. *apud Carenam par.* 3. *tit.* 7. *num.* 6. *ex eodem Mascard. concl.* 1358. *num.* 42. sed in meo Codice nullibi ıcperi id in Mascardo locis citatis. Carena ibidem docet, hunc debere iuıate per procuratorem, & viua voce proferre iuramentum, quod essentialiter est innocatio diuini testimonij in confirmationem eorum, quæ dicontur.

18 Quarta pars de repetitione iuramenti in singulis constitutis, & examinibus, probatur, quia iuramentum intelligitur datum, & limitatum ad illud examen, pro quo fuit delatum, & non aliter, ergo singulis examinibus singola iuramenta respondere debent. Colligitur *ex eodem cap.* 17. *vbi Doctores Farinac. quæst.* 74. *num.* 47. *de Bictis quæst.* 52. *num.* 6. qui refert, plures docere, quod sufficit vnicum iuramentum cum expressione dicendi continoo veritatem in tota causa, sed melius est repetere in singulis iuramentum.

Quæres 6. An testes regulares in iurando debeant dictam solemnitatem seruare? Iurando scilicet tactis, Sacris Scripturis, vel pectore, vel illis sufficiat iurare sine tactu.

19 ℞. Non teneri seruare eam solemnitatem tangendi res sacras, sed simpliciter iurare de veritate dicenda super interrogationibus sibi faciendis. Probatur, quia regulares iudices in causis criminalibus non tenentur ad solemnitates, & apices iuris, vt constat ex cap. 2. sed tangere res sacras, aut pectus more sacerdotali spectat ad solemnitatem, & apices iuris, cum iuramentum etiam pro foro externo essentialiter consistat in innocatione diuina; secundùm *Couar. de Pactis part.* 1. §. 1. *num.* 1. *Ceuallos. quæst.* 407. *ex illis Sanch. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 3. ergo ad id regulares non tenentur, non iudices exigere illud hoc modo, nec proinde testes, à quibus exigitur, eodem enim modo testes illud præstant, quo exigitur à iudice. Nec his obstant adducta à *Farina. qu.* 74. *num.* 61. quia ibi sermo est de totali omissione iuramenti, non de eius solemnitatibus, essentia enim iuramenti consistit in innocatione diuini testimonij, quod necessarium est in omnibus iudiciis etiam summatus, sine strepitu, omissa iuris solemnitate, quæ in iuramento est tangere sacra Euangelia, tactus ergo cum sit solemnitas, & de apicibus iuris, omitti potest per regulares, sufficit vt constet de iuramento simpliciter. Et hoc confirmatur per opinionem nonnullorum regularium, qui non exigunt iuramentum, sed solum præcipiunt in virtute Sanctæ obedientiæ, vel per censuras ad dicendam veritatem, ergo excludentes simpliciter iuramentum, à fortiori excluderent eius solemnitatem, si eius substantiale admitterent.

Quæres 7. An iudices regulares omisso iuramento vti possint Præcepto obedientiæ, vel in virtute Sancti Spiritus, vel sub præcepto censuræ vt dicant veritatem.

20 ℞. De iure communi formaliter vitandum est; de consuetudine, & statuto alicuius religionis potest loco iuramenti præcipi vt dicant veritatem. Vtrumque constat, & quidem de iure communi, quod religiosi iurent, nec eis credatur sine iuramento, dicitur clare *cap. Tu.* 15.39. *cap. Nuper* 51. *de testib.* Iure vero speciali quod credendum sit religiosis sine iuramento, cum solo præcepto, quando scilicet causa agitatur inter ipsos, & non extra, probatur, quia iure communi non reprobantur huiusmodi statuta, & consuetudines, immo approbantur, vt notaui cap. 2. num. 14. & 44. Quare acta eorum valebunt gesta sine formali iuramento. Id reprobat Rodriq. tom. 1. quæst. 14. art. 8. dicens talem consuetudinem esse corruptelam, tamen postea mutauit sententiam tom. 4. summæ cap. 155. num. 7. apud suum Compend. resol. 83. vbi affert rationem, quia nimirum iuramentum spectat ad solemnitatem iuris positiui, quod non tenetur deferre iudex, qui potest procedere de plano, & simpliciter, apicibus iuris post positis. Sed errat in hoc, quia Clem. *Sæpe* clare loquitur non posse omitti iuramentum de veritate dicenda etiam ab iis iudicibus, qui de plano, & sine strepitu procedere possunt, vt iudices regulares; Legitima ergo ratio ea est, quod à iure consuetudines regularium in iudiciis non reprobantur. Rem hanc fusè prosequitur *Miranda quæst.* 18. *num.* 27. vbi ait, vt testes fidem faciant, necesse esse, quod sub aliqua forma iuramentum præstent, religiosum autem non esse necessarium, vt iuret sub ea forma expressa, qua iurare solent seculares, aut clerici, sed sufficit, vt ad veritatem dicendam constringatur sub obedientia, & censuris, quia hæc duo vim habent iuramenti, *quod probat*, quia iuramentum est affirmatio, vel negatio alicuius rei sacræ affectatione firmata; sed talis est testificatio, qua religiosi testes, vel rei adducti sub obedientia, & censuris à suis Prælatis ad dicendum veritatem constringuntur, ergo stando in rigore iuris, & proprie loquendo, ipsa vim habet iuramenti. *Minorem probat*, nam quis vnquam negare potest, quod obedientia religiosorum sit quid sacrum, cum per eam à secularibus distinguuntur, quo olim Abraham, & Israëlitici per circuncisionem à
Gentibus distinguebantur, vnde Abraham Genes. 24. ac- 21
cipit iuramentum à seruo suo, qui iurauit super femur suam manum supponendo, quod non acciperet pro filio suo vxorem de filiabus Chananæorum, vbi Lyranus & Abul. dicunt, illam partem femoris, super qua iurauit seruus, fuisse proximam illi, in qua fiebat circuncisio, ergo obedientia, cum sit res sacra habetur loco iuramenti. *Probat* 2. quia fini, iuramenti est indagare veritatem, & ad eam dicendam specialiter obligare, præter generalem
obligationem dicendi verum, hoc idem contingit per 22
obedientiam, & censuras, & si non dicunt veritatem nouum peccatum committunt, ergo si ex hac forma religiosa idem finis sequitur, qui est in secularibus iurantibus, infertur eam habere eandem vim, quam habet iuramentum, religiosi ergo non teuentur iurare ad formam secularium. Hæc est summa discursus illius, quod præceptum obedientiæ, aut censurarum habet vim iuramenti, ac proinde sufficere talem formam quia multis modis contingit iurare.

Ego autem puto præceptum obedientiæ, & censura- 23
rum nullam habere vim iuramenti, ratio vnica est, nam illud præceptum vel est formaliter iuramentum, vel tale solum æquipollenter, primum verum non est, quia nullum verbum iuramenti exprimit, quod indicet illud tale, ideo illud præceptum non est iuramentum formaliter acceptum. Nec æquipollenter tale dici potest, quia præceptum obedientiæ, seu censuræ non excedit suos limites, nec vllam babet virtutem iuramenti, nam falsus testis imperatus sub præcepto obedientiæ, periurus non dicitur, sed tantum falsus sacrilegus, vt pote transgressor voti obedientiæ, & præceptum sub censura hunc
tantum producit effectum, quod falsus testis præter de- 24
formitatem falsitatis, incurrit pænam censuræ; secularis vero testis; & quilibet alius, qui iuratus deposuit falsum, est periurus ex supposito iuramentu dicendi veritatem; ex qua differentia patet præceptum obedientiæ, seu censuræ non æquipollere iuramento, quia in teste falso non produnt periurium, sed solum sacrilegium ex transgressione voti. In religioso autem teste ex iuramento producitur periurium, si falsum deposuit, & ex adiecto præcepto ei, qui uolebat iurare, si falsum dicat, videtur non solum periurus sed etiam transgressor voti obedientiæ, per quam tenebatur deponere veritatem.

Ad primum argumentum patet falsitas minoris, non 25
enim præceptum obedientiæ, & censurarum babet vim iuramenti, vt mox probaui, esto enim iuramentum careat determinata forma; quia multis modis contingit inuocatio diuini nominis, tamen talia verba assumenda sunt, quæ illud præseferant, vt docent omnes Theologi, loquendo pro foro externo, respectu cuius verba debent illud ex propria significatione insinuare; præceptum autem obedientiæ, vel censurarum ex propria eius significatione præter seipsum nihil aliud significat, quam quod exponit, adeo quod hactenus nullus dixit præceptum huiusmodi continere ex suis verbis iuramen-
tum, præceptum enim ordinatur ad opus, & ad exerci- 26
tium

tium rei præceptæ, iuramentum præcisè ordinatur ad veritatem dicendam. Vnde iuramentum spectat ad intellectum, cuius obiectum est veritas dicenda virtute iuramenti; obedientia vero spectat ad voluntatem, cuius obiectum est bonum, in quod tendere debet subditus, cui imperatur operis executio. Et quamuis præceptum aliquando habeat pro obiecto veritatem, vt in casu præsenti, id tamen est per accidens, & veritas tunc spectatur sub ratione boni, vt possit esse obiectum voluntatis, vt enim dicit S. Thomas 2. 2. q. 104. art. 3. ad 2. omnes actus virtutum vt sunt in præcepto pertinent ad obedientiam, quæ ideo se extendere potest ad obiecta aliarum virtutum in ratione boni.

27 Ad probationem minoris duo refert, obedientiam esse rem sacram, & iuramentum serui Abraham. Concedo, quod obedientia est res sacra, vnde inobedientia religiosi est violatio rei sacræ. Sed quid inde? Nunquid poteris ex quo obedientia est res sacra, inferre, ergo obedientia, est iuramentum, vel æquipollet iuramento? Nequaquam. Multæ enim sunt res sacræ, & specie inter se differunt, ita vt vna non prædicetur de altera; & id ex regulis logicis satis notum est, non enim ex genere infertur species determinata, e. g. est animal, ergo est homo, cum possit esse alia species. Est luxuriosus, ergo est adulter, cum possit esse fornicarius. Est res sacra, ergo est iuramentum, nequaquam, cum possit calix, professio, castitas religiosa, sacrum ergo non infert iuramentum, licet id inter res sacras connumeretur.

28 Ad exemplum Abraham dico, non facere pro Miranda, nam in Genesi 24. 2. *Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cæli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito.* Filius autem Abrahæ vocabatur Isaac filius Saræ vxoris eius, in n. 9. dicitur: *Posuit ergo seruus manum sub femore Abraham Domini sui, & iurauit illi super sermone hoc.* Expresse dicitur, quod seruus iurauit formaliter, & pro solemnitate in iuramento adhibuit tactum femoris Abraham, sicut in iuramento iudiciali nunc adhibetur tactus rerum sacrarum, ex præscripto Pelagij Papæ relati cap. fin. 3. q. 9. ibi: *Tactis sacro sanctis Euangeliis.* Duo hæc sunt consideranda, essentia nimirum iuramenti expressa illo verbo *iurauit*, & eius solemnitas, nempe tactus femoris. Iuramentum ergo consistit non in tactu, sed in prolatione verborum, quæ illud indicant; vnde Miranda frustra conatur ostendere nomine femoris venire genitale in quo fit circuncisio, quæ est res sacra, quasi ab hac desumatur ratio iuramenti, dicendo, quod seruus iurando super femur nihil aliud fuit, quàm iurare per circuncisionem, quæ est res sacra, sicut est obedientia præcepta, ergo & ipsa est iuramentum; sed hanc consequentiam vti ineptam reieci supra, ex sacro enim non infertur iuramentum. Quod autem non in illo tactu femoris, sed in verbo *iurauit* consistat iuramentum, & tactus femoris sit ceremonia, & solemnitas refert

29 Becanus de Analog. veter. testam. c. 13. n. 66. vbi n. 66. ex diuersis Theologis refert duas causas huius ceremoniæ, prima tangendi femur Abrahæ, hoc est, genitale, indicat, illud esse causam generationis, secunda indicat per hanc cæremoniam, Christum nasciturum esse ex femore Abraham. Sequitur ergo ex his præceptum obedientiæ, nec esse essentiam iuramenti, quia illud non continet expressione verborum, nec esse illius ceremoniam, quia ceremonia, & solemnitas dependet ab alio, quod hic non inuenitur.

30 Ad secundum argumentum respondetur, quod finis iuramenti non est indagare veritatem, sed iam indagatam confirmare iuramento, vt à iudice, & ab aliis credatur, dicitur enim cap. Nuper 51. de testib. quod non creditur testi, nisi iurato, ergo finis iuramenti est vt credatur illi, non vt per illud veritas indagetur, dicunt enim omnes Criminalistæ, quod testis non probat, nec fidem facit sine iuramento, ergo iuramentum fidem facit super veritate iam indagata, & id patet etiam ex definitione ipsius iuramenti, quod est inuocatio diuini testimonij in confirmationem veritatis. Sed ponamus non posse indagare veritatem non solum per iuramentum, sed etiam per præceptum obedientiæ, numquid sequitur, obedientiam esse iuramentum formaliter, vel æquipollenter, ex quo eundem effectum possunt producere; Nequaquam, quia ex pluralitate effectuum eiusdem speciei non infertur identitas causæ formaliter, seu æquipollenter, cum possint procedere à diuersis causis, vt patet non solum in naturalibus, nam sol, & ignis generant calorem, verum etiam in Moralibus, nam laicus, & sacerdos baptizant, & rem sacram faciunt, contritio delet peccatum mortale, & pariter attritio in Sacramento, & tamen vnum non est alterum formaliter, nec æquipollenter, quia effectus causas suas non mutant, nec transeunt de vna specie ad aliam. Quare quamuis ex præcepto obedientiæ fides adhiberi possit testi, quod dixerit veritatem, tamen ex hoc non debet inferri, quod sit iuramentum, ex quo fungitur eius officio, vt ita loquar, nam etiam delegatus vicem gerit ordinarij in causa sibi delegata, & tamen ordinarius dici non potest, nec formaliter, nec æquiualenter, sed tantum quod tractat causam, quam ipse ordinarius expedire potuisset ex munere suo. Et hæc satis. Vide de *Angelis c. 14. n. 7. de S. Iuliano c. 5. Aduert. 2. §. 1. & 2.*

Quæres 8. An iuramentum præsumatur in processibus, an vero de eo debeat constare per illius expressionem in Scriptis?

℞. Iuramentum non præsumitur, sed de eo debet expresse apparere in processu ad minus his verbis: *Testis iurauit.* Vel. *Testis iuratus.* Vel clarius. *Testis iurauit tactis Scripturis, vel tacto pectore,* si est sacerdos. In religiosis sufficit scribere: *Testis iuratus.* vel *iurauit.* 31

Prima pars, quod iuramentum non præsumitur, constat ex eo, quod est quid facti; quod non præsumitur, nisi probetur per expressionem eius in processu. Ita omnes cum *Farinac. quæst. 74. num. 72. de Bictis quæst. 52. num. 7.* 32

Secunda pars, quod testis præsumatur iuratus, etiamsi non addantur posteriora verba, *tactis Sacris Scripturis, aut pectore* docetur à quamplurimis relatis à *Farinac. q. 74. num. 74. Guazin. defens. 4 cap. 5.* & probatur, quia in iuramento duo spectantur, essentiale, quod indicatur 33
per verbum *iurauit*, seu *Iuratus* &c. & illius solemnitas, 34
quæ consistit in tactu, cum igitur ex positione principalis, & essentialis sequatur accidentale, seu accessorium & solemnitas sine dubio inferendum est, iuramentum accessisse cum omnibus suis requisitis. Barbosa ad cap. Fraternitatis 17. de testibus, ait num. 9. id probari per hæc verba. *Iurauit in forma* adducens plures decisiones Rotæ.

Tertia pars, quod in processibus regularium sufficiat dicere: *Iurauit*, probatur, quia in causis regulares iudices procedunt de plano omissis iuris solemnitatibus, quæ spectant ad apices iuris, vt constat ex cap. 2. notum autem est tactum scripturarum non spectare ad essentiam iuramenti, sed tantum ad solemnitatem, ex quo nonnulli relati à S. Iuliano cap. 5. Aduert. 2. §. 1. docent, iuramentum (licet falso) esse de apicibus iuris, à fortiori tactus in eo petito, & Becanus tactum appellat ceremoniam, & sic apicem iuris, Sayrus lib. 5. cap. 1. num. 52. vocat tactum solemnitatem necessarium ad valorem depositionis, intellige tu respectu eorum iudicum, qui non habent priuilegium procedendi sine apicibus iuris, & patet supra quæst. 6. vide etiam Sanch. lib. 6. disp. 108. num. 14. vbi ait consuetudine tolli posse, & sic esse solemnitatem. Ad euitandas lites, ne processus incurrat periculum nullitatis, Notarius sic exprimat iuramenti formam. *Iurauit corporaliter tactis Sacris Scripturis*, seu. *Iurauit in forma*, &c. Vide Guazinum Defens. 14. cap. 5. & 6. 35

Quæres 9. An peritorum relatio recipienda sit cum iuramento?

℞. Affirmatiue, quia non magis credendum est peritis, quam testib. quibus nulla fides adhibetur sine iuramento, 36

ergo neque relationi peritorum credendum est sine iuramento, quo omnia confirmantur, secundum Apostolum ad Hebr. 6. 16. *Et omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum.* Siue sint electi à iudice, siue non, de communi plures apud *Farinac. q.74. à n.96. de Bictis q.52.n.9.*

Quæres 10. An aliqua persona grauis excipiatur à iuramento?

37 ℞. Nec religiosus, sacerdos, Episcopus, aut Cardinalis excipitur, vt notant *Canon. in cap. Tuis 39. & cap. Nuper fi de testib. Farinac. q.74.n.68. & 69.*

Quæres 11. An Princeps possit remittere testibus iuramentum?

38 ℞. Communiter Doctores negatiue, quia iuramentum vocans est de iure diuino, forsan ex allata auctoritate Apostoli, quod iuramentum confirmat omnem controuersiam, ita Farinac. quæst. 74. num. 59. vbi nullum contradictorem refert, nisi Gaibaidum asserentem posse dispensare cum persona valde illustri, vt illi credatur sine iuramento. Sed in causa criminali, in qua agitur de certa, dispensatio locum habere non debet. Nec obstat, quod in cap. Tuis de testib. dicatur, quod pars potest remittere iuramentum alteri parti; quia id locum habet in ciuilibus tantum de mutuo consensu expresso vtriusque partis, non in criminalibus, *Farinac. quæst. 74. num. 85.* nec in matrimonio dissoluendo, *Barb. ad dictum cap. 39. num. 3.*

39 Colligitur hinc, multo minus statuto, aut consuetudine iudici posse, vt testibus credatur sine iuramento in præiudicium tertij. Ita ex Felino respectu statuti, & ex aliis respectu consuetudinis, *Farinac. q.74.n.54 & 57. de Bictis q.52.n.11.*

Quæres 12. An in iudiciis summariis, in quibus proceditur sine strepitu iudiciali possit à iudice remitti iuramentum?

40 ℞. quæst. 8. posse remitti solemnitatem iuramenti, non ipsum iuramentum, quia id est de essentialibus iudicijs, solemnitas vero tangendi & sub tali forma est de apicibus iuris, ideo omitti potest. *Farinac. q.74.num.61. cum multis dixit*, non posse amitti iuramentum, non distinguendo, qui num. 62. refert paucos asserentes remitti posse. Sed errant omnino, quia in Clem. *Sæpe* expresse dicitur, vt iuramentum petatur, cuius verba retuli sub q. 5.

Quæres 13. An pro informatione iudicis super fama dandum sit iuramentum testibus ad probandam famam?

41 ℞. Negatiuè ex Doctoribus citatis *à Farinac. q. 74. n. 102. cum eo de Bictis q. 52. num. 17.* Ad tollendum lites bonum est præstare illis iuramentum, cum & ipsi disponant iudicem in ordine ad reum puniendum saltem remote.

Quæres 14. quid probet testis sine iuramento examinatus?

42 ℞. Quamuis non probet, facit tamen præsumptionem, vt dicunt omnes cum *Farinac. q.74.n.109. de Bictis q.52.n.18.*

Quæres 15. An iuramentum præstari possit per tertium?

43 ℞. Iuramentum præstari non potest per tertium, quando præstandum est in propria persona, & per propriam manum, quia tunc exigitur actus personalis, non enim manus aliena est mea manus. Et quando quis exercet actum principalem, ille iurare debet per seipsum, & hoc plane contingit in actore, testibus, & reo, qui immediatè agunt in causa, & de propria conscientia, & eorum industria exigitur, ideo cum hi sint actus personales per tertium præstari non possunt. Quando vero in aliis causis præsertim ciuilibus dicitur, quod iuret, non restringendo in manibus propriis, nec dicat, per seipsum, vel quid simile repræsentans actum personalem, tunc præstari potest per tertium. Ita Sperellus decis. 106. à numero 25. & seq. rem hanc late tractans de more suo.

Quæres 16. Quomodo exigendum sit iuramentum cum limitatione, an generaliter?

44 ℞. Rationabilius est, vt examinator, seu iudex petat iuramentum non tantum super hoc, vel illum articulum, sed super tota causa, e. g. *iura dicendi veritatem super omnibus, de quibus fueris interrogatus.* Ita ab omnibus practicatur, & cum omnes interrogationes præsumantur legitimæ, & pertinentes ad causam, iuramentum ad omnes se extendit. Ita Doctores allegati à Farinac. q.71.n.15. & 16. vbi, qui iurauit simpliciter dicere veritatem, dicitur iurasse super tota causa.

Quæres 17. An Scripturæ subscriptæ reportatæ in iudicio criminali, & recognitæ à iudice pro bona, & vera sit credendum, quamuis testes subscripti non sint iurati?

45 ℞. Vtique, quia ad similitudinem instrumentorum probantur, dum sunt subscripta à Notario, & iste à superiore, cum testibus in eis expressis sine vllo iuramento, neque enim testes in instrumentis iurant, sed simpliciter testantur de veritate actorum in eis.

CAPVT V.

Quid & quotuplex sit probatio in criminalibus?

1 IN præcedenti capite actum est de iuramento dando præsertim testibus, vt eis credatur in suis depositionibus, quæ dicuntur probationes achibiti, ideo oportet hic agere de Probationibus.

2 Probatio autem est ostensio rei dubiæ per media legitima coram iudice competente, ad eum finem facta, vt ab ea iudex moueatur ad credendum factum sibi propositum, vt super illud sententiam ferre valeat. Vide Mascardum *q. 2. de probat. num. 17. & Farinac. q. 36.* Priora verba accepi à Glos. in Rubr. C. de probat. dicente, quod est ostensio rei dubiæ per argumenta. Reliqua adieci pro clariori intelligentia.

3 Dixi primo, quod probatio est ostensio, & demonstratio rei prout est à parte rei, & in seipsa, in criminalibus enim obiectum ad oculum demonstrari debet, vel ad aures audientis, vt de eo testificatio fieri possit. Ostensio ergo in eo consistit, vt deponat super crimine quod scit ex propria scientia visus, quando delictum est visibile, vt homicidium, furtum &c. vel ex proprio auditu, quando delictum cadit tantum sub obiecto auditus. Hæ enim duæ depositiones ocularis, & auricularis crimen perfectissime probant, & demonstrant, ex quibus iudex firmiter, & certitudinaliter motus procedere potest ad sententiam imponendo pœnam ordinariam iuxta qualitatem delicti.

4 Verbum autem *ostensionis* sic explicatum sumitur in rigore, & perfectissime pro probatione in supremo gradu, vltra quam non proceditur; nihilominus cum aliæ probationes in gradibus inferioribus non excludant ostensionem, cum quælibet demonstret suum obiectum, nulla ex illis excludenda est ab hac definitione, cum quælibet rem de dubia faciat certam in gradu suo, & in ordine ad aliquem effectum.

5 Dixi 2. quod probatio est ostensio rei dubiæ, obiectum enim probationis est res incerta, & dubia, quæ probatione euadit certa, & clara. Res ergo dubia est materia probationis, circa quam testis versatur auferendo ab ea incertitudinem, ambiguitatem, & obumbrationem, suo testimonio eam reddendo certam, & claram, quantum fert certitudo moralis. Et quoniam delinquentes vt plurimum crimina perpetrata solent negare, ac proinde rem reddere dubiam, *Glos. l. 1. Tunc literarum cap. 24. de rescr. per lib. 3. C. Qui ad litem proclam.* hinc est, quod præmittuntur testes ad probandam rem.

6 Dixi 3. quod probatio facienda est per media legitima, quæ scilicet à lege probantur. Variant Doctores in assignandis huiusmodi mediis, nam Farinac. q.36. n.17.

septem

septem enumerat, per testes, per Scripturam, per confessionem, per euidentiam facti, per iuramentum, per præsumptionem, & per famam. Alij pauciora, alij plura enumerant. Non displicet distinctio allata à Ioanne Imolensi in Rubr. de testib. & attestat. in quatuor species, hoc est, per testes, instrumenta, præsumptiones, & iuramentum, ad has enim reliquæ reduci possunt.

7 Dixi 4. probationem debere fieri coram iudice competente, non solum quia is est, qui ex officio suo quærit veritatem, sed etiam, qui facta coram quolibet alio, cui munus iudicandi non competit respectu querelati, nullius est momenti talis probatio, cum sit facta coram homine carente iurisdictione, de qua te Guazinus Defens. 1. cap. 1.

8 Dixi 5. probationem fieri ad eum finem, vt iudex deueniat in cognitionem veritatis causæ criminalis sibi propositæ, finis enim probationis est animum iudicis inducere ad firmiter credendum ita esse, sicut probatum est, *Imola in c. In nostra, de testib. n. 2.*

9 Notandum autem est, quod varij sunt fines, in quos probationes tendunt, aliæ enim referuntur ad inquirendum, & inchoandum processum, aliæ ad citandum reum personaliter, vel realiter, scilicet carcerandum, seu torturandum, aliæ ad condemnandum eundem. Id clarius patebit in sequenti quæstione.

10 Quæres 2. Quotuplex sit probatio mox explicata?

℞. Quod est quadruplex, Infima, Semiplena, Media, & Plena. Hæc distinctio probationis in quatuor species aliquibus videbitur noua, & quidem secundum vocabula, non errabunt, sed si secundum rem spectetur, est sine dubio antiqua, vt demonstratur in eius probatione. Nam alia probatio requiritur ad inquirendum, alia ad torturandum, alia ad pænam extraordinariam, alia ad pænam ordinariam, & legalem; sed ista sunt quatuor, vt patet, ergo & quatuor species probationis petunt circa se. ea enim probatio, quæ sufficit ad inquirendum, insufficiens est ad torturandum, & necessaria ad torturandum non sufficit ad imponendam pænam arbitrariam; & quæ satis est ad hanc, non facit ad infligendam pænam ordinariam; & in hoc puto omnes conuenire. Nec maior, vel minor probatio impedit specierum distinctio-

11 nem, siquidem illud axioma! *Magis & minus non variant speciem* intelligitur respectu distinctionis essentialis, & intrinsecæ, nam extrinseca variant accidentaliter, nam alias, nec distinctio probationis in Semiplenam, & Plenam, quæ se habent secundum magis, & minus, esset admittenda; in moralibus ergo non est philosophice speculandum. Nostra ergo distinctio cognoscitur intrinsece per descriptionem cuiuslibet, & per ordinē ad suos fines, quos quatuor constituimus. Confirmatur id totum ex earum definitione, & explicatione.

12 Infima probatio est illa, quæ est minor semiplena sufficiens ad inquirendum, & inchoandum processum. Ea autem fit per media leuia, cuiusmodi sunt fama, dictum testis inhabilis, vulnerati assertio, & similia, quæ sufficiunt ad inquirendum, non tamen ad carcerandum, & constituendum reum. Quod indicia leuia faciant probationem minorem semiplena docet de communi *Farinac. q. 36. à n. 218.* quæ minus probant, sed non sufficiunt ad torturam, sed tantum ad inquirendum, *ex eadem q. 57. n. 25. ex eodem q. 1. n. 47.*

13 Semiplena probatio maior infima est illa, quæ fit per vnum testem omni exceptione maiorem, vel per indicium proximum, & vrgens. Colligitur *ex Glos. 11. Speciem lib. 3. ff. de testib. Farinac. quæst. 36. num. 20.* Semiplenam vocat; per quam rei gestæ fides aliqua fit iudici, non tamen tanta vt iure eam debeat sequi in sententia dicenda. Sed est satis obscura, neque ex ea colligitur causa illius productiua, nec quid operetur, ideo clarior est allata ex Glossa. Semiplena est maior infima necessario, quia cum ordinetur regulariter ad carcerandum, & torturandum, in quibus graue præiudicium refertur, ratio dictat, hanc esse maiorem infima, in qua nullum fere præiudicium timetur. Est vero minor plena, quia magis viget pæna, quam tortura, cui voluntariè subiicitur reus, qui legitime interrogatus non deberet negare veritatem. Est vero minor Media, quæ refertur ad pænam extraordinariam ineuitabilem, ideo hæc debet esse maior quam semiplena, quæ ordinatur ad torturam, quam potest euitare reus, si confiteatur veritatem.

Media igitur probatio est illa, quæ ordinatur, & infert pænam arbitrariam, & mitiorem, & constituitur in sua specie per indicia indubitata, & adminiculata inferentia pænam mitiorem. Dicitur autem Media inter semiplenam, & plenam, quia maior est semiplena, & minor plena, cui approximatur ideo dicitur quasi plena, dum elongatur à semiplena, & accedit ad plenam. Quod autem hæc sit species probationis diuersa ab illis colligitur ex effectibus singularum, nam semiplena & si sufficiat ad torturam, non tamen ad condemnationem, pro qua requiritur ad minus probatio media respectu pœnæ mitioris, quæ non sufficis ad pænam ordinariam, & grauiorem exigentem probationem plenam. 14

Plena demum probatio est illa, quæ oritur ex duobus testibus ocularibus, seu auricularibus deponentibus ex propria scientia attingentibus immediatè per suum visum, seu auditum delictum ipsum, qui sint contestes nullam patientes exceptionem ratione personæ, aut respectu suorum dictorum; & per hanc iudex mouetur ad condemnandum in pænam ordinariam, reum, quem firmiter credit esse perpetratorem delicti, de quo agitur. Est adhuc differentia inter plenam, & mediam probationem, quod illa petit testes, qui immediate attingant delictum à se visum, vel auditum dum perpetrabatur, hæc verò non potest ad illud immediate peruenire sed se firmat super instrumenta, & circunstantias ipsius delicti, quod testes immediate non viderant, aut non audiuerant. Do exemplum in eo, qui non vidit hominem occidi, sed tantum vidit quendam cum gladio sanguinolento exeuntem è domo occisi habente tantum vnum ostium, id probatum per duos testes facit indicium indubitatum contra illum quod fuerit occisor, non tamen per hanc probationem, quæ dicitur Media, quia attingit instrumenta tantum delicti, non Plena, quia testes non viderunt immediate occidere, non potest ille homo sic indicatus condemnari ad mortem pænam ordinariam, sed ad aliam arbitrariam, vt de communi docet *Farinac. q. 51. à n. 54. ad 67. Carmelita ab Angelis cap. 14. num. 16.* Accipe alius exemplum in eo, qui repertus fuit cum fæmina in eodem lecto, nudus cum nuda, hæc repertio cum his circunstantiis est indicium vrgens, proximum, & indubitatum indicans copulam, seu adulterium, per hoc tamen copula carnalis non probatur immediate per visum, sed tantum per circunstantias, ex quibus infertur. Hoc indicium habetur *cap. Litteris 12. de præsumpt.* Hæc autem probatio, cum non sit plena, hoc est, de visu copulæ, non potest inferre pænam ordinariam, vt docent *Mathesil. sing. 118. Bossius de partus suppos. num. 31. Cornens lib. 4. cons. 191. fine. Farinac. decis. 55. litt. E. & decis. 69. lit. C. & E. cum quibus Barbosa ad dictum cap. ad finem.* Prodest vero in ordine ad diuortium, & ad amissionem dotis cum in his casibus causa sit ciuilis non criminalis. Quis ergo non est condemnandus ad pænam ordinariam, esto contra ipsum adsint indicia vehementia, & violenta inquiunt omnes cum *cap. literas 14. de præsumpt.* vbi agitur de hæresi. Ex hactenus dictis patet, has quatuor species probationum inter se differre, & habere proprios effectus. 15

Quæres 3. An eadem probatio sufficiat ad torturam, & capturam rei? Nam si sint diuersæ, & eadem non sufficiat ad vtrumque oportebit ponere quintam speciem probationis.

℞. Communis est sententia, neminem posse carcerari, nisi præcesserint legitima indicia, & quænam sint ista, digladiantur Doctores, vnde id esse relinquendum prudenti arbitrio iudicis, inquiunt multi cum *Farinac. q. 27. à num. 111. & seq.* Ad rem nostram, dico si timetur 16

fuga

fuga sufficit minor, & infima probatio aliter necessaria est semiplena probatio, ratio est, quia talis probatio necessaria est, quæ iudici det ius ad torturandum reum, in casu, quo neget delictum, si enim iudex non potest torturæ reum subiicere, frustratoria immo iniusta fuit carceratio, cum impune liberandus sit. Hinc est, quod in S. officio nullus carceratur, nisi prius delictum sit semiplene probatum, vt docent allegati à Diana *par. 4. tr. 8. resol. 11. Carena par. 3. tit. 8. n. 24.*

Quæres 4. Quid requiratur, vt probatio sortiatur suum effectum, nempe ad torturandum reum, & eum condemnandum? Hi enim duo effectus potissimum spectantur in probationibus.

17 ℟. Ad omnem probationem necessarium est iuramentum, sine quo nulla est depositio. Ad torturam sufficit vnus testis omni exceptione maior ocularis, vel auricularis. Ad condemnationem in pœnam ordinariam duo ad minus testes, qui *primo* sint oculares, vel auriculares ex propria scientia immediate deponentes delictum. *Secundò*, quod nullam patiantur exceptionem in persona, vel in suis dictis. *Tertio*, quod sint concordes, & contestes. Ex defectu horum, stante media probatione deuenitur ad pœnam extraordinariam, & arbitrariam.

18 Primum de iuramento sine quo nulla est probatio, habetur expressè in vtroque iure *l. Iusiurandi 8. C. de testib. cap. Tuis 39. cap. Nuper 51. de testib.* adeo, quod nec Episcopo sine iuramento credendum est, illud enim firmat veritatem in mente iudicis, qui alias potuisset dubitare de veritate deponentium ex illo catholico axiomate: *Omnis homo mendax*, quod tollitur per iuramentum, de quo latè *Miranda q. 18. à num. 13. Farinac. q. 74.* vbi quod sine iuramento nihil probatur. De iuramento late dixi cap. præced.

19 Secundum de semiplena probatione vnius legitimi testis ocularis, seu auricularis etiam contra reum bonæ famæ, probatur, quia duo testes integri, vt dixi supra, & mox dicam, sufficiunt ad condemnationem, ergo sufficit vnus ad torturam, quæ est quid minus, quàm condemnatio. Est omnium sententia, & ab omnibus practicata. *Farinac. q. 37. num. 58. Miranda q. 16. num. 101. Spathar. tract. 9. cap. 26. num. 3. Longus Capucin. de casib. reseruat. Casu 5. num. 20. Riccius par. 2. decis. 269. Castrop. par. 1. tract. 4 disp. 8. p. 9. num. 5. Carena par. 3. tit. 5. num. 73. & tit. 10. num. 29.*

20 Procedit responsum, licet querelatus sit vir bonæ famæ, quia statim ac quis accusatur, seu denuntiatur eius opinio grauatur, adeo quod nec promoueri potest, *cap. fin. de testib. cum Glos. v. pendente accusatione, cap. Omnipotens 4. de accusat. ibi Glos. v. Nuntiantur*, ergo cum querelatus sit factus inferioris conditionis vincitur à teste vnico nullam patiente exceptionem, ideo bona fama illi non potest suffragari dum remanet grauata. Contra quamplures, quos pro se citat *Diana par. 4. tract. 6. resol. 6. Carenam. par. 3. tit. 10. num. 32. Farinac. q. 37 num 62.* limitat in casibus difficilis probationis, & num. 65. & contra reum leuis vitæ admittendo testem exceptionem patientem. De aliis mediis ad torturam inducendam dicetur suo loco.

21 Tertium de duobus testibus ad condemnandum expressè habet in Deuter. *cap. 17. 16. cap. 19. 15. in lege ciuili l. vbi 11. ff. de testib. in lege canonica cap. in omni 4. cap. licet 23.* Est communis apud Farinac. *q. 63. à num. 232. Guazin. Defens. 33. cap. 14. num. 5.* Nonnulli asserunt supremum Principem cum vnico teste posse condemnare reum adiunctis adminiculis, & sic statuere. Sic docent aliqui, quos pro se citat Hurtadus *cler. Minor. tom. 1. resolut. Moral. tract. 4. de sacerd. folicit. num. 1013. & 1014.* Sed audiendi non sunt, cum nullam afferant sufficientem rationem, & contradicant auctoritati Sacræ Scripturæ non solum veteris, sed etiam nouæ, quæ illud decretum de duobus testibus ad condemnandum necessarius confirmauit ex ore Christi, Matth. 18. 16. Quando enim agitur de præiudicio tertij, veritas non potest stare in vno verbo. *Guazin. Defens. 33. cap. 14. num. 7.* plures citans.

22 Quartum de ocularibus, & auricularibus probatur, quia depositio est actus personalis, ac proinde ex seipso fidem habere debens, & non ab alio, cum actio personalis non excedat personam maximè in exponendo iudici propriam fidem super re de qua testificatur de visu, aut auditu, debet enim deponere de propria scientia, & non de aliena. Confirmatur, quia tantum valet depositio ex auditu alieno, quantum valet narratio eius, à quo testis audiuit, mensuratur enim fides testis audientis à fide narrantis; sed fides narrantis nihil probat, cum non procedat à teste formali coram iudice, & iurato, ergo nihil valet, nam aliam non potest reddere rationem de suo dicto, nisi quod ab alio audiuit, dum non fuit præsens delicto. Depositio igitur debet esse de proprio visu, seu auditu, quod intelligitur non solum de delicto, super quod immediate deponitur, sed etiam, quando testificatio fit super instrumenta, & circunstantias, quæ delictum inferunt, licet non demonstrent, debet ergo deponere de visu instrumenti, seu circunstantiarum, in hoc enim sensu testis dicitur ocularis, quia suo oculo vidit fieri delictum, vel instrumenta, & circunstantias illud inferentia. Ita *lib. Testium 14. C. de testib. vbi Glos. 11. Praesto*, quod testis debet ferre testimonium de propria scientia, *cap. Tam literis 23. cap. licet 47. & alibi de testib.* Farinac. quæst. 69. à num. 2. quod non valet testimonium de auditu alieno, sed debet esse de visu, & auditu proprio, *num. 148. Miranda quæst. 17. num. 19. de Bittis Capucin. quæst. 49. num. 29. Ab Angelis Carmelita cap. 14. num 25.*

23 Quintum de nulla exceptione patienda probatur, quia cum agatur de re grauissima, cuiusmodi est condemnatio in pœnam ordinariam & grauiorem, probatio debet esse luce clarior, itavt non possit aliquo defectu personæ, vel eius dicti offuscari in graue præiudicium rei. Confirmatur, quia si testis in ordine ad torturam inferendam debet esse omni exceptione maior, à fortiori ad inferendam pœnam, ad quam requiritur plena probatio, qualis non est ea, cui opponitur aliqua exceptio, tunc enim desinit esse plena, quia malum est ex singulis defectibus. Vide Farinac. q. 86.

24 Sextum de contestitate, & concordia probatur, quia si non conueniunt circa idem delictum, iam non sunt duo testes circa idem, sed quilibet eorum deponit super suo delicto, & non super idem numero, ideo cum inter se sint discordes non possunt mouere animum iudicis ad cõdemnandum reum nondum conuictum. Ita Farinac. *q. 64. à n. 92. & q. 65. per totam. Miranda q. 17. art. 8. concl. 4. Compend. Rodriq. resol. 41. n. 30.* sed de hac re melius infra de testibus concordantibus, & cum agam de testibus singularibus.

25 Septimum denique de condemnatione ad pœnam extraordinariam colligitur ex dictis de Media probatione sub num. 14. Pro qua testes debent esse oculares, & de propria scientia circa depositionem instrumentorum, & circunstantiarum, quæ inferunt delictum, licet illud non demonstrent, qui præterea debent esse omni exceptione maiores in probatione circunstantiarum, quod si patiantur exceptionem suppleri debent vel aliis testibus, vel indiciis, & præsumptionibus, iuxta dicenda suis locis.

26 Quamuis ex dictis pateat, ex indiciis indubitatis legitime probatis reum posse puniri pœna arbitraria, & mitiori, grauis tamen controuersia est inter Doctores, an prius sit torquendus, & postea puniendus? *Farinac. q. 86. num. 66.* respondet, hunc esse condemnandum etiam ad pœnam corporalem, non torquendum, si probatio sit ex præsumptione iuris de iure, hoc est, à iure approbata; si vero probatio proueniat ex aliis præsumptionibus iuris, seu hominis etiam vrgentibus, non tamen indubitatis, iudex habet arbitrium condemnandi in pœnam arbitrariam tantum, & mitiorem, vel eum subiiciendi torturæ.

27 Ego cum Carena par. 2. tit. 12. num. 262. dico in delictis etiam occultis, & difficilis probationis probatis ex

indiciis

indiciis indubitatis, & vrgentissimis, qualia sunt, quæ ita mouent animum iudicis ad credendum delictum esse perpetratum, vt aliter credere non possit, nullus potest condemnari pœna corporali, & ordinaria, nisi à supremis iudicibus, qualecumque sit illud delictum. Probatur, quia indicia indubitata minus probant duobus ocularibus integris, & contestibus, ergo non sufficiunt ad pœnam ordinariam. Antecedens probatur, quia probatio per testes oculares percutit immediatè delictum sicut visum fuit, quod non faciunt indicia indubitata, quę quantumuis delicto approximentur, illud tamen immediatè non attingunt, dum versantur tantum circa instrumenta seu circumstantias, quæ inferre possunt delictum, quod tamen non demonstrant; sed maior & perfectior, immo perfectissima est probatio per immediatam ostensionem delicti, quam per mediatam indicationem circumstantiarum, & instrumentorum, circa delictum, ergo indubitata indicia non sufficiunt ad condemnationem in pœnam ordinariam, quæ petit plenam probationem delicti, qualis non est facta per indicia indubitata, quæ delictum non demonstrant per visum. Ita plerique docent *cum Farinac. q. 86. num. 111 & 112 & Consil. 60. crim num. 19. & in Addit. lit. R. & L. Rodrig. tom. 2. q. 30 art. 5. Guazin. defens. 33. c. 14. n. 14. ab Angelis Carmelita c. 14. n. 19.*

28 Circa torturam contra sic indiciatum crederem esse melius, ea omissa, condemnare reum in pœnã extraordinariam, maxime quando creditur illam subiturus strenue, & constanter persistendo in negatiua, nam per eam, si fuit rigorosa, videtur fere ad nihilum redigere indicium, ne igitur remaneat exemptus à pœna satius est illum sine tortura condemnare, habet enim iustitia locum suum, ne delicta remaneant impunita, sicut remanere possunt ex rigorosa tortura. Quare mihi non placet, quod refert Antonius de Possentibus Fabrian. sing. 214. de quodam torto per dimidium horæ super quodam atroci crimine, & postea subiecto tormento vigiliæ per horas tredecim persistendo valenter in negatiua, quem damnarunt in pœnam extraordinariam leuiorem illa, qua fuisset punitus omissa tortura; mihi enim videtur esse dimittendus liber à quauis pœna, cum rigorose videatur tortus, neque enim iudices debent esse carnifices, cum habeant modum satisfaciendi iustitiæ absque crudelitate.

29 Quæres 5. Quid importet illud commune axioma, quod probationes debent esse luce clariores, *ex lib. fin. C. de probat.* quod Gratianus suo Secreto rescripsit, *cap. Sciant* 2. 2. *quæst* 8. quod dicunt esse canonizatum iure canonico, quod tamen falsum est, cum Gratianus nunquam habuerit hanc facultatem, pro qua tu vide Doctores allegatos à Barbos. super illius Procem. num. 10. vbi
30 ait, Decretum Gratiani nullam habere vim iuris canonici, si in eo contenta non sint Decretales Pontificiæ. Addunt verbum *meridiana* luce, quod tamen non reperitur expresse in eo texto.

31 ℞. Probationes debent esse luce clariores, quia à luce, & lumine oculorum proueniunt, nemo enim dicitur clare deponere nisi rem à se visam demonstret, per quandam similitudinem à luce solis, sub quo dum omnia patent, nihil dicitur esse in tenebris, sed in illius luce, sic dum testes nullam patientes exceptionem deponunt de visu ita faciunt rem elucere coram iudice, vt nihil obscuritatis contineat. Hoc est proprium testium ocularium, & auricularium, quibus delictum relucet, sicut lux solis super terram, sicut enim sol per suum lumen immediate illuminat sublunaria, ita testis per suam attestationem de visu, vel auditu proprio attingit immediate veritatem delicti, quæ est claritas probationis. Et licet per depositionem mediantibus indiciis non attingat immediate delictum, tamen per proprium visum demonstrat ad oculum illud instrumentum, seu circumstantias, quæ delictum inferunt. Hoc axioma locum habet in omnibus causis criminalibus, & ciuilibus respectu cuiuscumque rei, seu criminis, vt docent omnes *cum Farinac. q. 86. n. 6. Guazin. Defens. 33. c. 14.* quouis deinde modo procedatur in causa.

In ea lege fin. quæ est sequentis tenoris: *Sciant cuncti accusatores, eam se rem deferre in publicam notitiam debere, quæ munita sit idoneis testibus; vel instructa apertissimis documentis; vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita.* Fit mentio de prædictis tribus, nempe, testibus, Instrumentis, & indiciis indubitatis, quæ debent esse clariora luce ipsa. Difficultas videtur esse in ipsis indiciis, dum delictum immediate non attingunt, sed tantum arguunt, quomodo sunt ipsa luce clariora? De testibus, & instrumentis non videtur difficultas, quia per hæc & illos videtur delictum, non per indicia, quæ ita arguunt delictum, vt non possit esse, quia cum illis non habet connexionem necessariam. 32

Respondetur illa dici luce clariora non immediate, quia delictum per visum non percutiunt, sed mediate tantum, dum testes illa probant per visum, seu auditum proprium, quod sufficit, ostendunt enim delictum mediantibus indiciis, quæ ita arctant testes, & iudicem, vt aliter credere non possit, nisi quod exhibent illa indicia. 33

Colligo ex his depositiones testium esse claras claritate veritatis, cui contrarium subesse non potest moraliter loquendo, quia oculus ex claritate suæ lucis verum deponere potest, si vult, & taliter præsumitur dicere, maxime extante iuramento, nisi contrarium manifeste probetur. 34

Quæres 6. An probationes in criminalibus debeant esse clariores quam in ciuilibus?

℞. Affirmatiue, quia cum vita hominis, & eius honor sint pretiosiora, quam bona fortunæ, in causa illorum cautius procedendum est, quia timetur maius periculum. Ita Decian. *lib. 8. cap. 19. num. 14. & seq.* ait acta in ciuili iudicio, fidem non facere in criminali. Pariter Semiplena probatio in ciuilibus non facit indicium ad torturam in criminalibus, vt tenent multi, quos contra se citat Farinac. q. 36. n. 117. dicens, semiprobationem in ciuilibus facere ad torturam in criminalibus; cum quibus sentio; nec id obstat responsioni, quia refertur ad condemnationem, non ad torturam. 35

CAPVT VI.

De corpore delicti probando.

Est communis sententia, quæ nullum habet contradictorem, quod iudex non potest inquirere, neque in causa procedere, nisi prius certam cognitionem habeat de corpore delicti, quod post se aliquod relinquit vestigium, & signum. Ita omnes in l. 1. ff ad Syllanianum ibi: *item illud sciendum est, nisi constet, aliquem esse occisum, non haberi de familia quæstionem liquere igitur debet scelere interemptum, vt Senatusconsulto locus sit.* Ex quibus manifestum est, esse probandum, an homicidium scelere, vel aliter acciderit. Et licet exemplum sit de homicidio, idem tamen dicendum est de omnibus aliis delictis, quæ signum post se relinquunt, vt vulneratio, sortilegia aliqua, vt veneficium, maleficium &c. fractio sacræ imaginis, combustio domus, incisio arborum &c. 1
Hæc delicta in suo corpore extante probanda sunt per *Visum repertum* inquiunt Criminalistæ, antequam procedatur ad examen testium, tam inquisitione mixta, 2
quàm speciali, non autem in inquisitione Visitationis, 3
quæ habet pro obiecto delicta, & personas in genere, non in specie, vti est corpus delicti specificum, & indiuiduatum, vt logici dicunt. Qui igitur omissa corporis delicti probatione procedit ad informationẽ examinando testes, vel etiam reum post testes, inualidum format processum nullius valoris, ex allatis à *Farinac q. 2. vbi late de* 4
hac re de Bictis q. 12. Guazin. Defens. Carena par. 2 tit. 12. à n. 170. & par. 3 tit. 1. à n. 23. de Angelis c. 32. & dicam infra quæst. 18.

Quæres

Quæres autem primo, quomodo probandum sit corpus delicti relinquentis post se aliquod vestigium, & signum?

5 ℞. Corpus delicti extans probari debet per testes oculares, qui deponant, se vidisse talem personam occisam, vel vulneratam, vel mutilatam exprimendo omnia signa, & vulnera, & partem corporis, cui fuerunt inflicta, & locus, in quo videtur exprimendus est ab Actuario tedigendo, in scriptis nomen, cognomen, & patriam occisi cum vulneribus, signis, & instrumentis, seu armis, quibus occisus, percussus, seu mutilatus fuit, si apud ipsum reperiuntur, ad quæ omnia debent esse præsentes duo testes omnia videntes, & etiam iudex, qui debet esse præsens, vel infirmatus à sua curia de corpore delicti, antequam vlterius procedat. Probationes ergo debent esse claræ, & oculares, dum corpus extat, de communi Farinac.q.2.n.6.

Quæres 2. An offensus non occisus examinandus sit ante testes, & recognoscendum sit circa ipsum corpus delicti, sicut fit in mortuo?

6 ℞. In primis recognoscendum est corpus delicti, & postea ipse offensus est examinandus. Primum patet ex mox dictis, non enim minus subiacet probationi huic viuens offensus, quam occisus, cum in vtroque casu appareat corpus delicti notificatum per illa signa, & cicatrices. Secundum deducitur ex eo, quod offensus viuens, siue sit querelans, siue non, repræsentatur in iudicio tamquam indigens satisfactione, vnde eius examen vti querelæ expositio præferendum est testibus, cum præterea sit complementum formationis delicti, licet illi fides non adhibeatur in propria causa, vnde testes producendi sunt in probationem delicti.

Quæres 3. Quando non cognoscitur cadauer occisi, quid agendum?

7 ℞. In primis debent describi omnia eius signa, præter vulnera, statura, vestimentum, barba, & cætera, si à nullo cognoscitur, debet poni in loco publico ad effectum vt possit recognosci ab aliquo, his præmissis iudex potest procedere in causa. Farinac. quæst.2.num.28. Satis enim constat, hominem fuisse occisum, de Bictis q.12. num. 6.

Quæres 4. Si cadauer sit iam defunctum, quid agendum?

8 ℞. Petenda est licentia ab ordinario, qui eam dare debet, extrahendi cadauer extra sepulturam, & illud visitandum est extra Ecclesiam exportatum etiam extra cœmeterium. Diana *par.9.tr.7 resol.64.*

9 Primum, quod à iudice sit petenda licentia, patet ex eo, quia non iudex, sed Ecclesia est effecta patrona cadauerum intra se illatorum, ergo ea leuare, vel inde amouere non possunt sine licētia ordinarij, qui in tali casu licentiam permittere potest, sine periculo incurrendi irregularitatem, nam actus recognitionis corporis delicti est valde remotus à morte, seu mutilatione, vt enim incurratur irregularitas ex defectu lenitatis, necesse est, quod actus, qui fit, sit causa proxima ordinata ad mortem, vel mutilationem vt dicit *Nauar.cap.25. num.213.* Ita Genuens. in praxi Neapolit. *cap. 42. num. 100. ex eo Lauor.tit.2.de funer. cap.7. num.31. & cap. 12.num.56. & 57. citatur Genuensis eodem cap. 42. num. 10. à Sperello decis.* 51. *num.* 5. quod ordinarius debeat dare licentiam iudici extrahendi cadauer, sed in meo Codice Romano Mascardi 1616. Genuensis nihil inueni, nisi in cap. 34. num. 10. Sed an hanc licentiam dare possit superior regularis? Non, quia ab ordinario loci tantum datur ex Bulla Gregor. XIV.

10 Secundum, quod licentia dari non possit recognoscendi cadauer intra Ecclesiam, vel in cœmeteriis, sed tantum extra, expresse prohibetur in cap. Decet 2. de immun. Eccles. in 6. ibi: *Cessent in Ecclesiis & earum cœmeteriis negotiationes, omnis in eis secularium iudiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos criminalis maxime agitetur.* Quod prohibitum etiam erat sub pœna ferendæ excommunicationis *cap. cum Ecclesia de Immun.* ne causæ criminales agitarentur in dictis locis. Rem hanc late prosequitur *Sperellus cit. decis.* 51. *à num. 6. vbi num.* 15. reprobat sententiam Bartoli, & Geminiani asserentium, posse intra Ecclesiam recipi iuramentum, & examen testium, quia is actus non est contentiosus, sed pius. Respondeo, quod causa criminalis in qualibet sua parte est contentiosa. *Farinac. quæst.* 2. *numer.* 5. cum aliis dicit, exhumandum esse cadauer, modum autem subiicet.

11 Quæres 5. An iudex laicus possit visitare clericum in platea percussum, & quasi semimortuum, vel etiam mortuum, sicut visitat laicum super corpore delicti?

℞. Negatiue, quia iudex quis non est, nisi respectu suorum subditorum, ex dictis *cap.* 1. *numer.* 14. Sed clericus non est subditus laico iudici, sed Ecclesiastico, ergo ad hunc spectat recognoscere corpus delicti, non ad illum. Sed numquid ille incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ, quia videtur traxisse ad suum tribunal clericum, & sibi vsurpasse alienam iurisdictionem? Resp. Sperellus decis. 50 num. 10. illum iudicem nullius fuisse censuræ reum, quia ille clericus non coactus, sed volens examinatus fuit, ideo cum tractus non fuerit à iudice, in hoc excommunicatio locum habere non potest, citando pro se Alterium disp. 20. lib. 5. capite 1. §. capiendo.

Quæres 6. Quando corpus delicti non inuenitur, quia vel combustum, vel proiectum in mare, quid agendum?

12 ℞. Tunc corpus delicti probatur per famam, in quo casu si agatur ad pœnam, debet illa esse legitime probata. Farinac. quæst 2. n. 9. In quo casu si reus prætensus fateatur se occidisse, & cadauer proiecisse, poterit condemnari, si fama legitime probata fuerit, quæ debet versari circa determinatam personam, & non incertam. Carena par. 3.tit.1.n.25.

Quæres 7. Quando delictum nullum relinquit signum, quomodo tunc probatur corpus delicti?

13 ℞. Probari per indicia, coniecturas, & famam, vt dicunt Doctores cum *Farinac. q. 2. n.* 13 *&* 27. Sufficit autem tunc probare delictum eo modo, quo potest, quia ad impossibile nemo tenetur, non enim potest demonstrari ad oculum, quod non reperitur in seipso, vel quod est insensibile.

Quæres 8. An hæresis habeat corpus delicti, de quo debeat constare?

14 ℞. Eam non habere corpus delicti, ideo de ea hoc modo constare non debet, sed immediate probanda est per indicia, vel testes, qui audiuerint hominem proferre, & credere hæreses. Ita omnes *cum* Farinac.*q.* 2. *num.* 25. *Carena par.* 2.*tit.* 12. *num.* 172. *& par.* 3. *tit.* 1. *num.* 41. Si quis autem denuntietur composuisse cartham, vel librum continentem hæreses producendus est codex in iudicio, vt constet de corpore delicti. Vide infra quæst. 16.

Quæres 9. An debeat constare de corpore delicti in sortilegiis?

15 ℞. Debere constare de illis, quæ vestigium post se relinquunt, non de aliis. Ita omnes cum *Farina quæst.* 2. *n.* 26. *Carena par.* 2.*tit.*12.*n.*173. Locum id solet habere in maleficiis, quorum delicta vt plurimum probantur per attestationes medicorum, & exorcistarum vt notat ea aliis Carena.

Quæres 10. An debeat constare de corpore delicti in falsis monetariis?

16 ℞. Affirmatiue, quia hæc ars nociua valde reipublicæ relinquit opus delicti post se, ideo debet de illo constare. Ita omnes cum Moscatello de probat. tit. de falsa moneta, *Guazin. Defens* 4. *cap.* 9. *num.* 4. *Farinac. quæst.* 2. *num.* 22.

Quæres 11. An de corpore falsitatis debeat constare in aliis casib. vt de Scripturis falsificatis, de mensuris diminutis &c.

17 ℞. Affirmatiue, quia in his delictum relinquit signum corporale, & visibile, quod probari potest, vt patet in

instrumentis

instrumentis laceratis, abrasis, cancellatis, in mensura adulterata &c. Ita omnes *cum Farinac. quaestion. 2. num. 11. Guazin. Defens. 4. capite 9. numero 3. vbi numero 7. 8. & 9.* quomodo instrumentum redargui possit de falso.

Quaeres 12. Quomodo in furto probatur corpus delicti?

18 ℞. Debet constare de corpore delicti, vt de fractura muri, & capsae, si adest hoc vestigium, & si corpus delicti non potest inueniri, & patronus rei furto ablatae sit bonae famae, indes posita querela, & legitimis indiciis probata, potest deuenire ad torturam, & si querelatus fatetur, non potest ad mortem damnari in furto notabili, nisi demonstret furtum. Ita citati à *Farinac. quaest. 2. num. 15. qui à num. 56. ad 21.* refert septem coniecturas ad probandum furtum. *Prima coniectura* est querela personae bonae famae, quae dat ius ad inquirendum, sed ea non sufficit ad torturam, quia absurdum est dicere, quod ex querela sola sit, probatum delictum, num. 16. *Secunda est* vociferatio, & acclamatio facta à laeso conquerente cum vicinia de furto, quae tamen sit bonae famae, haec igitur dat facultatem iudici ad inquirendum, & superuenientibus legitimis indiciis torquetur reus num. 17. *Tertia est*, fama orta in vicinia super certa re probata testibus, num. 18. *Quarta est* fractio capsae, vel muri probata in ordine ad inquirendum, non ad condemnandum, num. 19. *Quinta est* fuga famuli, domino conquerente num. 20. *Sexta est* inuentio scalae ad domum, vbi furtum dicitur factum, num. 20. *Septima* demum est rumor, & strepitus à vicinis auditus, num. 20. Vlterius debet accusator probare rem furto ablatam fuisse suam eo tempore, vel paulo ante, quo fuit sublata, *Farinac. num. 19. ex Fallerio, & num. eod. ex Mascardo, Guazin. Defens. 4. cap. 7. num. 3.* plures referens. Ratio est, quia in querela furti duo articuli exprimuntur, vnus de furto & re oblata, alter de domino, cuius illa res erat, ideo vtrumque probandum est. Probato igitur furto per indicia, cum sit difficilis probationis, quia absconditè fit, iudex deuenire potest ad carcerationem, & torturam. Contra Bursanos procedere potest etiam ad poenam ordinariam, & si non constet singulatim de corpore omnium furtorum, sed tantum de aliquibus recognitis in iudicio, *ex Farinac. quaest. 2. num. 15. de Bictis quaestione 113. num. 17.*

Quaeres 13. Quomodo probetur corpus delicti in ambitu e. g. quidam religiosus procurauit dignitatem in religione mediantibus fauoribus alicuius Principis, an declarari possit reus poenarum contra ambientes, si literae ambitus non appareant?

19 ℞. In primis debet constare de literis fautricibus registrandis in processu, & de illarum vsu, & praesentatione facta coram superiore vt iudex possit procedere contra ipsum. Nauar. apud Melsium de poenis cap. 15. fol. 140. excusat à poenis eum religiosum, cuius literae non peruenerunt ad manus superioris circa ambitum, *cum Rodriq. tom. 1. quaest. 56. art. 2.* mutante opinionem in Summa *tom 4. cap. 141. cum suo Comptend. resol. 48. numero 48.* Non est autem necesse probare literas esse talis Principis, quia autor non spectatur, sed tenor ambitionis ad dignitates.

Quaeres 14. An probandum sit corpus delicti in homicidio ex veneno?

20 ℞. Cum hoc delictum sit difficilis probationis, immediate non potest probari corpus delicti, sed tantum per coniecturas, & fidem medicorum indicantium signa in corpore venenati apparentia, sed haec signa, vomitus, liuor corporis, spuma oris non probant, cum prouenire possint à morbo pestifero. De hac re *Peller. t. 1. Capias reformationes à n. 16. Farinac. q. 8. n. 30.* Quando reus fatetur, non ideo statim est damnandus, sed expectandum est iudicium medicorum, quid dicant super materia venenata exhibita alteri, *ex eodem Farinac. num. 35. Vide etiam Guazinum Defens. 4. c. 5.*

Quaeres 15. De corpore delicti in stupro?

21 ℞. In his debet constare de corpore delicti tam in puella, quam in puero, quia copula carnalis relinquit signa fractionis. In illa probatur per matronas, & obstetrices honestas, & prouidas, quae intra vas debent inspicere fracturam, & medio iuramento deponere coram iudice fractionem a se visam. Ita Farinac. *quaest. 147. de del. & q. carnis num. 151. & in consil. 15. liter. A. Mar. Anton. lib. 3. resol. 7. Guazin. Defens. 4. ca. 6. num. 1. quos citant Doctor. num... att.* posse tamen instrumento aliquo, vel digitis se prouocando ad pollutionem posse frangere sigillum virginitatis. vnde cautè sunt interrogandae circa auctorem huiusmodi fractionis puellae, quibus non est credendum dicentibus se fuisse defloratas ab hoc, vel illo, ex allegatis à Guazino num. 14. Assertio pueri non probat stuprum in persona sua factum, vt notat Farinac. quaest. 45. num. 92. cum alii Guazin. num. 17. Si adest fractura de ea constare debet in processu visitata per Medicos, seu Chirurgos, qui quantitatem fracturae inspicere debent, an, & vnde prouenire possit, *de qua Farinac. quaest. 2. num. 14. Thomas Treuis. decis. 13. Seuccia quaest. 8. crimin. num. 3. cum alii. Guazin. Defens. 4. cap. 6. num. 11. & 13. iterum Farinac. quaestione 148. num. 74.* Si nullum appareat signum, non est opus probare corpus delicti, num. 14. Nec fractura, de qua nihil dictum fuit remanens sub silentio, non impedit valorem processus, cum illa non sit essentialis huic delicto, quod committitur sine fractione, sicut in aliis delictis homicidij, vulnerationis, mutilationis &c. corpus, & signum est illis essentiale, ideo de illo constare debet, docet D. Quarantinus Aduocatus Mediolanensis. 22

Quaeres 16. An in libello famoso sit probandum corpus delicti? Est autem libellus famosus scriptura, vel signum, quod alicuius infamiam continet, vt publicè fiat, & in notitiam aliorum veniat, *ex Bos.ac. d. p. 2. de Restit. quaest. 4. p. 9. Pertello t. 1. L. belli s famosus, vide de Bictis quaest. 126.* eam poenam meretur libellans, quae punitur libellatus ex delicto ei imputato, *Farinac. q. 42. num. 11. & 12.*

℞. Constare debet de corpore huius delicti, antequam procedat in causa iudex, in eo enim totus processus fundatur. Libellus ergo deferendus est in iudicio, in quo probanda est eius affixio in loco publico, vel ad domum infamati, in tantum enim libellus sortitur suum effectum infamationis, in quantum publicatur affixione. Vide Farinac. consil. 30. vbi fusè de libello famoso tractat, & consil. 145. Praeterea probandum est per recognitionem aliquorum testium eam scripturam esse talis personae, vel per scientiam propriam eorum, qui sciunt scribere, & notam habent manum bellatoris, quem ipsi viderunt scribere talem libellum, in quo casu plene dicitur probatum delictum. Vel per coniecturas, quod talis persona soleat conficere libellos, seu esse malam linguam, quae passim infamat hunc, vel illum, eo quod illius sit inimicus, his enim, & aliis indiciis potest probari querelatus autor libelli saltem in ordine ad torturam, ad condemnationem vero requiruntur duo testes legitimi asserentes, se vidisse illum scribere talem scripturam, de qua in actis. De testibus videntibus, *Aldrete lib. 1. cap. 5. num. 4. cum Felino, Decio, & Mascardo, quos citat de sancto Iulio no cap. 3. Aduert. vlt. num. 40. citante num. 41. Rodriq. tom. 2. quaestione 12. articul. 5. de Angelis cap. 12. numero 15. Carena part. 3. tit. 4. num. 4. & 5.* qui aiunt, recognitionem per comparationem literarum, sine aliis adminiculis non sufficere ad torturam, *Farinac. consil. 70. numero 14 Treuis. decis. crimin. 52. numero 8. Gennen. lib. 2. de Scriptura priuata num. 118. cum eodem Carena num. 6.* 23 24

Quaeres 17. An omissione probationis, & visitationis corporis delicti, processus cum omnibus suis actibus sit nullus?

℞. Affirmatiuè, quia probatio corporis delicti est de substantialibus, ergo sine ea subsistere non potest processus. Quare non constito de corpore delicti, iudex 25

 non

non poteſt venire ad capturam, Farinac. quæſt. 2. num. 2. Neque ad torturam, num. 3. Neque confeſſus damnari poteſt, niſi de corpore delicti conſtet, num. 7. etiamſi dicat occiſum in mare proieciſſe, num. 8. De nullitate hac defectu probationis corporis delicti *Ruinus lib. 4. conſil. 80. num. 3. Honded. vol. 1. conſil. 107. num. 8. vol. 2. conſ. 90. num. 10. fine, Maurus Burga. de modo proced. ex abrupte quæſt. 22. num. 6. quos citat. Guazin. Defenſ. 4.*
26 *cap. 1. num. 5.* Quod procedit etiam reſpectu iudicum, priuilegiatorum, vt ſunt regulares, qui licet procedant nulla iuris ſolemnitate ſeruata, tamen recognoſcere debent corpus delicti, quia hæc probatio non eſt de apicibus iuris, ſed de ſubſtantialibus iudicij, & non de eius ſolemnitate, vt colligi poteſt *ex Burſat. conſil. 201. n. 62. citata à Guaz. Defenſ. 4. num. 4.*

Quæres 18. An ſtatuto, vel lege tolli poſſit, ne corpus delicti probetur, & valeant acta iudicij.

27 ℞. Lege Principis tolli poteſt, ſicut lege poſitiua inductum fuit, vt de corpore delicti conſtaret, & non aliter, vnde Princeps mandans, cauſam tractari ſummarie, & ſine ſtrepitu, adhuc debet recognoſci corpus delicti, in quo non præſumitur diſpenſaſſe. *Brunorus à Sole apud Farinac. quæſt. 2. num. 1. fine, alij apud Guazin. Defenſ. 4. num. 5. & ſeq.* vt dixi etiam in præcedenti quæſtione.

CAPVT VII.

Quid ſit teſtis idoneus, legitimus, habilis, integer, & omni exceptione maior?

1 SVbſtantialia concurrentia ad iudicium conſtituendum numerauit quatuor; *Querelam* ex parte Actoris denunciantis, ſeu accuſantis; *Iuramentum* ex parte tam Actoris, & teſtium, quam Rei; Probationem ex parte teſtium, de quibus in hoc, & ſequentibus capitibus agendum eſt, de Querela, & Iuramento actum eſt in præcedentibus. Quartum demum ſubſtantiale conſiſtit in citatione rei ad confeſſionem, defenſionem, condemnationem, & appellationem, de quibus ſuis locis agendum erit. De teſtibus probantibus datam querelam à denunciatore, vel accuſatore, hic agendum eſt per ſequentes quæſtiones.

Quæres igitur primò quid ſit teſtis?

2 ℞. Teſtis eſt homo vſum rationis habens non prohibitus teſtificari ſuper facto, vel dicto aliquo in iudicio vocatus, vt iuramento probet veritatem rei, de qua quæritur.

3 Dixi primò, quod teſtis eſt homo, per hunc enim index inueſtigat omnium rerum difficultates, an ſint tales, quales proponuntur in iudicio ſub hac voce *Homo* venit tam fœmina, quam maſculus, nam vterque poteſt eſſe teſtis, licet mulier patiatur defectum, & exceptionem ſexus, iuxta quod dicam ſuo loco.

4 Dixi ſecundò, quod teſtis debet habere vſum rationis, quia teſtificatio eſt actus rationis, quo caret amens, ſtultus, & fatuus, cuius teſtimonium nihil prorſus valet, cum non ſit hominis vt homo eſt, ratio eſt, quia teſtis debet reddere rationem ſui dicti, vt valeat, quod facere non poteſt carens vſu rationis. Is autem defectus cum ſit naturalis à nullo ſuppleri poteſt, ſicut ſuppletur inhabilitas teſtium proueniens ex diſpoſitione legis, quæ diminuit fidem, vel in totum deſtruit in teſtibus inhabilibus, vt dicam latius ſequenti capite.

5 Dixi tertiò, quod homo teſtificari poteſt in quolibet negotio, niſi lege prohibeatur, edictum enim de teſtibus appellatur prohibitorium, *l. 1. ff. de teſtibus.* hoc eſt quilibet homo, qui lege non prohibetur poteſt teſtificari. *Gloſſ. 11. Idonei c. 1. de teſtib. Farinac. q. 53,* initio.

Dixi quartò, quod teſtis eſt teſtificari ſuper facto, 6
vel dicto, omne enim, quod eſt obiectum teſtificationis reducitur vel ad factum exempli gratia homicidium, furtum, &c. Vel ad dictum, vt ſunt crimina iniuriarum, blaſphemiarum, hæreſum, &c.

Dixi quintò, vocatus in iudicio, nam nemo debet 7
ſe ſponte offerre ad teſtificandum in iudicio, niſi citatus, aliter enim ſe reddit ſuſpectum ſuper veritate dicenda, de qua re Farinac. q. 80.

Dixi ſextò, teſtem deponere cum iuramento, quia 8
teſtificanti ſine iuramento nulla fides habetur in iudicio, ex dictis cap. 4. per totum.

Dixi demum, teſtem per ſuam depoſitionem probare 9
coram iudice rem ſibi propoſitam in iudicio, dummodo teſtis ſit idoneus, & nullam patiatur exceptionem. Ideo

Quæres 2. Quid ſit teſtem eſſe idoneum? Seu numquid differant inter ſe hæc vocabula: *Teſtis idoneus, legitimus, integer, habilis, & omni exceptione maior?* An vero ſint idem?

℞. Teſtis idoneus eſt ille, cui nihil legitimè op- 10
poni poteſt. Dico *legitime*, quia oppoſitiones debent eſſe rationabiles, aliter non ſunt admittendæ à iudicibus. Prædicta autem vocabula idem in re ſignificant, idem enim eſt teſtis idoneus, ac integer, & omni exceptione maior. Hæc autem identitas manifeſte colligitur *ex leg. Teſtium 14. Cod. de teſtibus.* vbi idoneos vocat, qui ſunt ſummæ, & integræ opinionis; qui ſine dubio ſunt omni exceptione maiores, dum ſunt ſummæ & integræ opinionis; & *in cap. 47. de teſtib.* Legiſlator teſtes fide dignos, & omni exceptione maiores appellat idoneos. Item *Gloſſ. 11. Idonei cap. 1. eod.* vocat teſtes idoneos, qui aliqua exceptione repelli non poſſunt, ergo nulla eſt differentia inter idoneos, & omni exceptione maiores. Confirmatur, quia ſi idoneo teſti aliquid opponi poſſet, iam idoneus non eſſet, ergo nihil differt ab eo, cui nihil opponi poteſt: Ita omnes cum Farinac. quæſtione 62. numero 2. qui tamen numero 3. diſcriminat teſtem omni exceptione maiorem vt quid plus à teſte idoneo, ſunt ergo aliqui teſtes idonei, ſed non omni exceptione maiores. Sed id admittendum non eſt, cum in iure frequentior ſit vſus huius vocabuli *Idoneus*, quam cuiuſlibet alterius, & dum iura requirunt teſtes idoneos, hos volunt habere aliquam exceptionem, aliter non eſſent idonei. Idem ergo ſunt ſecundum opinionem tredecim Doctorum, quos refert Farinacius *contra ſe numero 1. de Bictis quæſt. 39. num. 2. Farinac. ſequitur Miranda, q. 57. num. 232.*

Quæres 3. An idoneitas præſumatur in teſtes, an vero probanda ſit?

℞. Præſumitur, & non eſt probanda, quia vnuſ- 11
quiſque præſumitur idoneus, niſi contrarium probetur, vt ait *Gloſſa 11. Idonei cap. 1. de teſtib. Farinac. quæſtione 65. numero 13.* Limitat id eſſe verum, quando aliud in teſte non requiritur, quam idoneitas, ſi enim aliquid vlterius requiritur, vt quod teſtes ſint optimæ opinionis, probatæ opinionis, bonæ conditionis, & famæ, maiores omni exceptione, inquit *Farinac. à numero 6. ad 18.* quod huiuſmodi qualitas eſt probanda. Sed quoniam, vt dictum fuit ſupra, pro eodem accipiuntur ea vocabula, ſicut teſtis præſumitur idoneus, ita & integer, bonæ famæ, & omni exceptione maior. Et quod ſint idem confirmatur ex cap. Licet 23. de teſtibus, vbi dicitur, quod omnes cauſæ debent expediri per teſtes probatæ vitæ, ergo omnes debent eſſe pluſquam idonei, & tamen ex cap. *leg. 7. 18. 19. & 23. eodem & leg. Sciant, Codic. de probationibus,* habetur, teſtes idoneos ſine alia expreſſione conuincere reos, & per ipſos omnes cauſas criminales expediri, ergo illæ qualitates nihil ſuperaddunt idoneitati teſtium, ſed tantum explicant, illos debere carere omni exceptione, qua præſumuntur carere, niſi probetur oppoſitum per reum.

Quæres 4. Quam probationem faciant in iudicio testes idonei? Duæ enim potissimum sunt species probationis Semiplena, & Plena, iuxta dicta cap. 5.

12 ℞. Vnus testis de visu proprio, seu auditu proprio omni exceptione maior facit semiplenam probationem. Duo verò eiusdem conditionis contestes in omnibus faciunt plenam probationem. Semiplena sufficit ad carcerandum, & torquendum; Plena verò ad conuincendum reum, & condemnandum pœna ordinaria.

13 Prima pars de vnico teste faciente semiplenam probationem, est Gloss. 11. *Exacto iureiurando l. Admonendi 31. ff. de iureiurando*, quam omnes sequuntur, *cum Farinacio quæstione 63. numero 52. & quæstione 36. numero 225. Miranda, quæstione 26. numero 101.*

14 Secunda de duobus testibus plenam probationem facientibus, habetur ex eadem Gloss. Si enim vnus testis semiplenam facit probationem, ergo duo plenam, quia ad hanc deest alter testis, *ex l. vbi numerus ff. de testib. cap. In omni negotio 4. de testibus, Puigianus de 2. subst. cap 2. initio, § Duos. Miranda quæst. 17. artic. 2. de Bictu ante quæstione 58. sect. 2. numer. 5. Layman. libro 3. sectione 5. tractat. 6. cap. 4. numero 5.*

Quæres 5. An testibus sine iuramento fides sit adhibenda.

15 ℞. Negatiue, quia iuramento omnis controuersia firmatur, ex Apostolo, *ad Hebraeor. 6. 16 Ita probant cap. 4. num. 5. Barbosa ad cap. Tuæ 39. de testib.* vbi num. 2. quamplures refert asserentes testes sine iuramento nihil probare, nullo contradicente, *Carena p. 3. tit. 7. num. 2.*

Quæres 6. An testis habilis, & idoneus aliquando faciat probationem minorem, quam sit semiplena probatio, vel aliquando excedat semiplenam, non tamen faciat plenam. Vide de Probat. cap. 5.

16 ℞. Testis idoneus, quem & vocant omni exceptione maiorem non potest facere probationem infirmam, nec maiorem semiplena. Ratio vtriusque est, quia cum faciat vnicum genus probationis, vt diat, non potest operari extra spheram suæ actiuitatis aliter non daretur ex eo certa probatio, quam nihilominus omnes admittunt, & vocant semiplenam. Confirmatur, quia probationem inferiorem semiplena faciunt solum testes patientes aliquam exceptionem, maiorem vero semiplena alij testes vel inhabiles, vel cum habili, ergo habilis, & idoneus ex se solo has species probationis producere non potest.

Quæres 7. In causa graui examinati fuerunt Episcopus, Sacerdos, & Laicus, omnes bonæ famæ, numquid Laicus respectu aliorum, & Sacerdos respectu Episcopi sint testes idonei, & omni exceptione maiores comparatiuè spectati, dum nullam patiuntur exceptionem? Seu, an hæc comparatio exceptio dicatur, dum maior fides videatur præstanda Episcopo, quam Sacerdoti, & huic quam Laico.

17 ℞. Ista comparatio nulli illorum præiudicat, quia vniuscuiusque fides tantum probat, quantum si singuli essent pares, adeo fides Laici non minuitur per fidem Sacerdotis, aut Episcopi, sed vnus alteri prodest in probatione, non enim bonum bono opponitur, sed vnum alterum coadiuuat, si enim testis inhabilis fides non minuitur adiuncta fidei alterius testis valdè habilis, sed augetur, à fortiori cum omnes testes sunt idonei vnum per alium adiuuatur, & eorum fides multum augetur ex eorum legitimitate.

CAPVT VIII.

De Testibus inhabilibus in genere.

CVm, vt dixi in præcedenti capite num. 5. edictum de testibus sit prohibitorium, ac proinde omnes dicantur idonei, & legitimi, qui à iure non repelluntur, ideo facile est cognoscere, & distinguere testes inhabiles ab habilibus, & idoneis; sicut ergo testis idoneus ille appellatur, cui nihil legitime opponi potest, ex dictis in præcedenti capite, ita inhabilis ille appellabitur, cui aliquid opponi potest. Seu est ille, qui à iure repellitur à testificando, vel in totum, vel in partem, destituendo scilicet eius fidem, vel eam diminuendo. Itaque testis inhabilis est ille, qui prohibetur ferre testimonium, quia vel habet diminutam fidem, vel nullam in iudicio, iuxta legis dispositionem; & sicut idoneus ille dicitur, qui maior est omni exceptione, cui nulla opponi potest, ita ille vocatur inhabilis, qui patitur aliquam exceptionem personæ. Pro qua re. 1

Notandum est, quod exceptio est actio, qua reus se defendit opponendo aliquid contra testem, vt quod sit inimicus, excommunicatus, infamis, consanguineus actoris, minor, mulier, &c. Res ipsa obiecta appellari potest ipsa exceptio influens, vt inimicitia, minoritas, sexus, consanguinitas, &c. Hæc autem exceptio, & defectus prouenit à persona, quæ ideo repellitur à testimonio, quia lex præsumit ea tali defectu contra personam, quod non habeat fidem, vel eam diminutam. Aliquando autem oritur in persona ex aliqua eius culpa, vt exceptio hæresis, periurij, excommunicationis, &c. Aliquando est in persona sine eius culpa, vt exceptio ætatis, sexus, familiaritatis, consanguinitatis, paupertatis, &c. Vt ergo persona dicatur testis inhabilis debet lege repelli ea causa alicuius defectus siue culpabilis, siue inculpabilis intrinsecus personæ, ex Diuo Thoma 2. 2. quæstione 70. articulo 3. 2

Sunt aliæ exceptiones, quæ personam alioquin idoneam, & legitimam, impediunt ab effectu probationis necessariæ, & hæ proueniunt ex earum depositionibus non legitimè expositis, vt si quis sub dubio deponat, vel ad inuicem contrauenerint, vel in eorum dictis sint singulares, &c. Esto alias testes sint idonei, tamen aliquando non probant ex defectu non personarum; sed dictorum. Item defectus iuramenti est exceptio impediens probationem, quia testi non iurato non creditur, quamuis alias sit idoneus. Itaque tria sunt genera exceptionum, nam aliæ oriuntur in persona ab intrinseco, quæ ideo vocatur inhabilis. Aliæ verò oriuntur ex dictis insufficienter prolatis ab ipsis testibus etiam idoneis. Aliæ demum ex omissione alicuius requisiti in teste, vt defectus iuramenti, omissio probationis corporis delicti, &c. Hic autem agendum est de exceptione inhabilitatis personarum, quæ vocatur exceptio à persona, non à dicto. 3 4

Quæres autem 1. Quinam testes dicantur repelli in totum, & quinam in partem tantum?

℞. Omnes infames infamia iuris, & criminosi repelluntur in totum à iure, quod eos præsumit carere fide necessaria ad probandum, ac proinde affatim repelluntur, qui inhabiles sunt ex propria culpa & quidem graui, vt docent *Corrad. in Pract. de testib. §. Personas testium, n. 11. Farin. q. 56. n. 353. Barbos. in c. Testimonium 54. de testib* Alij vero habens fidem diminutam, qui scilicet sunt inhabiles ex aliquo defectu inculpabili, quorum fides facile augetur ex aliorum consilio; tamen in casibus exceptis omnes admittuntur cum suis exceptionibus habentes aliqualem fidem iustradicenda. 5

Quæres 2. An testes inhabiles admittantur in casibus exceptis, & priuilegiatis? Crimina excepta sunt hæresis, crimen læsæ Majestatis, falsæ monetæ, Simoniæ, Sodomiæ, Sacrilegij, Maleficij, Sortilegij, de quibus, & aliis *Gl. in l. fin. C. de accus. Farin. q. 18. n. 60. de Bict. q. 107. n. 9.* 6

8 ℞. Admittuntur, & probant, iuxta dicenda in q. 5. Id clarum est in causis fidei ex cap. In fidei fauorem, de hæreti in 6. & in cap. Licet 31. cap. Per tuas 32. de Simon. Vbi criminosi admittuntur ad probandam Simoniam, vbi dicitur, quod non potest obijci testibus nisi crimen inimicitiæ, & conspirationis. Vide *Farinac. q. 62. num 89 Mirandam q. 17. num. 397.*

8 Quæres 3. An testes inhabiles admittantur in casibus difficilis probationis. Crimina autem difficilis probationis sunt furtum, adulterium, suppositio partus, simulatio, simonia, fraus, dolus, tractatus, & omnia carnis delicta, item delicta facta de nocte, *Farinac. q. 62. num. 18. Melsius cap. 8. de pœnis quæst. 10. fol. 369.* de delictis carnis, *de Bictis qu. 40. num. 1. de Angelis cap. 14. num 2. in fine.* & parum differunt à criminibus exceptis, cum & ipsa sint difficilis probationis.

9 ℞. Admittuntur, & probant, iuxta quod dicam quæst. 5. Ratio est, quia aliter quamplurima delicta remanerent impunita defectu testium habilium, ideo lex, quæ iusta est & vtilis reipublicæ excipit huiusmodi crimina, vt possint probari etiam per testes inhabiles. Ita alijs citatis *Farinac. quæst. 62. numer. 18. de Bictis quæst. 40. num. 1. Miranda quæst. 17. num. 186 de Sancto Iuliano cap. 4. Aduert. 3. §. 3. cum Peyrin. litt. T. cap 3. num. 6.*

Quæres 4. An testes inhabiles admittantur in probandis delictis, quando non possunt haberi idonei? Id contingit, cum delictum sit in deserto, in eremo, in nemore, in loco secreto, &c.

10 ℞. Admittuntur, & eam faciunt probationem, quam dicemus sub qu. 5. Et id suadet ratio adducta, ne crimina maneant impunita. Ita Miranda *quæst. 17. num. 191. cum Farinac. quæst. 62. num. 72. ad 79.* qui præced. *num. 61.* ait, veritatem aliter haberi non posse, non dici ex eo, quod alij testes actu non interuenerunt, nisi etiam habitu interuenire non potuerunt. Aliqui tamen tenent, sufficere, quod actu non interfuerint.

Quæres 5. Quid probent testes admissi in casibus exceptis, & in delictis difficilioris probationis, vel vbi testes idonei defuerunt, nam cum admittantur in his casibus vt visum fuit in præcedentibus quæstionibus aliquid probare debent, ne inutilis sit illorum admissio.

11 ℞. Vnicus testis inhabilis solum facit indicium ad inquirendum, debet enim admissus aliquid operari, & sic facit primum probationis gradum nempe infimæ probationis, & non vlterius procedit, quia ad semiple-
12 nam, mediam, & plenam probationem tunc necessarij testes idonei, quod faciat aliquam probationem, quam vocamus infimam, docent plerique *cum Farin. quæst. 37. num. 63. & quæst. 43. num. 40. quæst. 55. num. 53. & q. 62. num. 73. & seq.*

13 ℞. Secundo, duo testes ad minus inhabiles faciunt semiplenam probationem ad torturandum, modo plures non patiantur defectus, nam isti duo æquiparantur vni integro, qui facit semiplenam probationem ad torturam, habent enim singuli dimidiatam probationem semiplenæ, dum probant ad inquirendum faciendo singuli infimam probationem, quæ coniunctæ constituunt semiplenam, cum sint duæ probationes partiales semiplena minores, ergo iunctæ simul faciunt semiplenam. Vnde Probus ad Monachum in cap. 1. de testibus in 6.
14 num. 3. dicit, quod duo testes non omni exceptione maiores habentur loco vnius integri, quem citat. *Farinac. quæst. 61. num. 73. qui cum Caterio ab eo citato numero 75. & 79.* dicit, testes inhabiles sufficere ad torturam, *Miranda q. 17. num. 209.*

15 Dixi, modo plures non patiantur exceptiones, quia tunc nullatenus admittuntur, de communi *Farinac. quæstione 62. num 80. M. Anton. libro 3 consil. 10. n. 20.*

16 ℞. Tertiò, quatuor testes inhabiles non patientes plures defectus sufficere ad condemnandum reum in pœnam extraordinariam, & arbitrariam, cum enim duo respondeant vni integro, ex mox dictis, quatuor æquiualebunt duobus integris, qui tamen non erunt vnquam
integri formaliter, & omni exceptione maiores, vt de 17
communiori, & veriori opinione docet *Farinac. quæst 62. num. 77.* ideò sufficiens tantum ad pœnam arbitrariam. Ita *Carena part. 3. titul. 5. num. 77. Diana part. 4. tract. 8. resolut. 123.* alij apud Farinac. *quæst. 62. numer. 325.* qui rem relinquit arbitrio iudicis *cum ipso de Bictis q. 41. num. 13. Castropal. tractat. 4. disput. 8. part. 15. §. 4. num. 1.* petit quatuor sufficientes ad pœnam ordinariam. De numero quaternario fœminarum, quod plene probent,
Sanctinus de Iurib. Hippol. Rimin. lib. 2. consil. 217. apud 18
Farinac. quæst. 59. num. 29. Delrius in Append. lib. 5. quæst. 13. fine, Calcan. consil. 110. numer. 5. & 6. Alex. lib. 2. consil 128. num. 4. Pegna part. 3. com. 113. quos pro se citat *Angel. Maria Vericellus quæst. 44. tractatu 8. num. 55. & 59.* quorum aliqui exprimunt numerum quaternarium, alij petunt plures seu multos testes,
Sargia- 19
rens lib. 1. consil. 50. num. 32. ait, notabilem numerum esse tres, quatuor, vel quinque, *ex Alba consil. 303. num. 7. & consil. 153. num. 4. Alex lib. 2. consil. 47. num. 1. & 2.* Certum ergo est reum posse ex dicto numero condemnari ad minus pœna extraordinaria conuictus ex illis inhabilibus, esto adhuc illi sint admissi cum sua inhabilitate, quæ solum impedit, ne probatio dicatur plena, vltra quam procedi non potest, cum sit perfecta in omnibus & per omnia, exclusione cuiuslibet exceptionis, non tamen obstat eorum inhabilitas, quin probatio dicatur Media sufficiens ad pœnam arbitrariam.

Dices non posse simul coniungi plura imperfecta, & 20
facere vnum perfectum, *l. Vn. C. qui maior. tutel. se excu.* ergo vnus testis non potest supplere cum alijs ad faciendam plenam probationem, ita Alimon Cintius disceptat. 17. crimin. num. 46. ad 50. ex pluribus enim imperfectis non potest oriri perfectum. *Secundò*, quia probationes in sua specie imperfectæ in criminalibus non coniunguntur ad faciendam plenam probationem, Gloss. 1 t. Illorum cap. veniens 10. de testib. *Tertiò*, non fertur sententia nisi in conuictum, vel confessum cap. 1. 2. q. 1 Testes autem inhabiles non conuincunt, cum non probent, ergo coniungi non possunt ad faciendam plenam probationem.

Sed contra, quia nullam video ex illis rationibus con- 21
uincentem, nam manifestum est in naturalibus imperfecta vniri ad inuicem, & facere perfectum, vt patet in materia, & forma, quæ sunt duæ partes imperfectæ, & non aliter, nisi quia imperfectæ vniuntur ad inuicem vt potentia & actus ad faciendum vnum perfectum ens, & compositum; quid ergo prohibere poterit huiusmodi vnionem in moralibus, ars enim imitatur naturam, & facere vnum perfectum? Nullum ergo est inconueniens, sed ratio ipsa dictat, imperfecta esse vnienda ad perfectionem, ad quam ordinantur; sicut enim vnus testis idoneus facit semiplenam probationem, & cum alio plenam, & perfectam, quarum duo inhabiles non poterunt formare semiplenam consurgentem ex duabus infimis probationibus, quæ licet imperfectæ tamen aliquid sunt, quia faciunt indicium ad inquirendum, vt omnes dicunt, ergo secundum hanc entitatem, & virtutem vniri possunt ad semiplenam probationem faciendam, sicut duæ semiplenæ faciunt vnam plenam, ex eo quod per seipsas singulæ probant ad torturam, quæ simul iunctæ probant ad pœnam, cum ergo & in duabus probationibus reperiatur prout in singulis verbia ad inquirendum faciunt aliquem gradum probationis, ex hoc coniungi possunt, sicut coniunguntur semiplenæ; non enim neganda est paritas, cum testes inhabiles suas contineant probationes, sicut legitimi cum ratione comparatiua secundum magis, & minus, vnusquisque testis facit gradum probationis sibi conuenientem, ideò sicut idonei coniunguntur, ita & inhabiles coniungi debent, cum radix coniunctionis sit probatio vt sic, quæ in substantia reperitur etiam in testibus minus legitimis. *Confirmatur*, quia testes duo inhabiles vniuntur ad faciendam semiplenam probationem

in

in ordine ad torturam, vt dixi supra cum Farinacio, ergo plures duobus vniti poterunt ad mediam, & plusquam semiplenam, cum testes adiuncti debeant aliquid operari; immo & peruenire ad plenam simpliciter iunctis aliis testibus, & adminiculis, quæ sufficiat ad pœnam ordinariam, vt docent plerique ex citatis, nam multitudo testium, & adminicula purgare possunt quamlibet exceptionem inhabilitatis, cum hæc originem habeat à præsumptione iuris præsumentis testem peierare, quæ præsumptio euacuatur ex multitudine testium, & ex adminiculis, quæ veritatem depositionis firmant in testibus. Ita quamplures Doctores, quos contra se citat Farinac. quæst. 86. num. 4.

22 Facit illa communis regula: *Et quæ non prosunt singula, iuncta iuuant.* Gloss. 11. Adminicula cap. Cum causam 13. de probat. quæ habet locum non solum in ciuilibus, sed etiam in criminalibus, secundum quamplures Doctores allegatos à Farinac. q. 86. num. 4. qui num 72. hanc regulam admittit in ordine ad torturam plures vitando, & hoc fundamentum habet in radice probationis multiplicis, singulæ enim aliquam in se virtutem habent, per quam coniungi possunt ad effectũ torturæ, ergo & ad effectum pœnæ si plures sint, cum ex pluralitate, & augmento non deficiant, sed augeantur in effectu probationis, ergo ita augeri possunt, vt plenam faciant probationem, vltra quam non sit procedendum. Quare sicut quatuor testes videntur sufficere ad pœnam extraordinariam, & mitiorem, ita vnus ex illis integer cum tribus non integris videtur sufficere ad pœnam ordinariam, quia ille integer est pro duobus inhabilibus, & multo magis, si adsint adminicula legitimè probata. Et ex his patet ad illa tria argumenta.

23 Ad primum patet, plura imperfecta coniungi ad faciendum vnum perfectum, ideò enim vnibilia sunt quia imperfecta, vt patet in omni genere totius, & perfecti tam in naturalibus, quam moralibus, cum ergo plures probationes ex quo sunt imperfectæ sint vnibiles ex natura rei, vt ita loquar, quis negabit iure earum vnionem in vnam perfectam? maximè cum vna alteri non aduersetur, sed omnes tendant ad vnum finem.

24 Ad secundum dico, plures probationes in seipsis spectatæ non dicuntur imperfectæ, cùm proprium gradum probationis faciant in ordine ad effectum sibi correspondentem, vnde infima refertur ad inquirendum; semiplena ad torturandum; media ad pœnam arbitrariam, & plena ad ordinariam; si vero referantur ad Superiorem dicuntur imperfectæ, ex quibus Superior componitur; in seipsis autem dicuntur imperfectæ, quando in suo gradu nihil probant sibi proportionatum, v. g. Inimicus capitalis, periurus item nihil omnino probant disiunctim, nec ideò coniunctim quicquam probare possunt, quia eorum depositiones nec nomen probationis merentur, debent ergo aliquid probare, vt possint vniri ad superiorem probationem conficiendam. Nec allegata Gloss. 12. Illorum cap. Veniens 10. de testib. à Pegna par. 3. com. 121. §. Rotius, illud dicit, sed solum proponit difficultatem, an ex vno teste idoneo, & fama possit condemnari Simoniacus? Et respondet, quod non, quia probationes debent esse apertissimæ; ne verbum quidem ibi habetur de non coniunctione probationum imperfectarum.

24 Ad tertium dico, testes inhabiles, iuxta superius dicta conuincere ad pœnam arbitrariam, quod non negant Aduersarij, dum docent plerique ex illis, per plures testes inhabiles condemnari posse reum, ergo ex hoc supponitur conuictus. Reus ergo conuincitur non solum per plenam probationem duorum contestium legitimorum, sed etiam per mediam plurium inhabilium.

Quæres 6. An dicta in præcedenti quæstione locum habeant in omni teste inhabili, verbi gratia, in criminosis, & inimicis, qui omni fide carent. ex quæstione 1.?

25 ℞. Admittuntur omnes illi, qui possunt facere saltem vnum gradum probationis nempe infimum ad inquirendum, ex quo gradu habent fundamentum coniungendi suas probationes ad faciendas alias probationes, semiplenam scilicet, mediam, & plenam, iuxta dicta in præcedentibus; ex quo admittuntur omnes criminosi licet in totum repellantur à iure, quia repulsa intelligitur in ordine ad probanda delicta ordinaria, quæ non sunt excepta, nec difficilioris probationis. Excipiuntur verò inimici capitales, & periuri, quia isti nullum probationis gradum faciunt, de inimico Farinac. *quæstione* 53. *numero* 12. de periuro *idem quæstione* 56. *numero* 188.

Quæres 7. An testes inhabiles admittantur ad probanda adminicula, sicut admittuntur ad probandum principale delictum.

26 ℞. Admittuntur ad probanda adminicula, & indicia proxima, quæ delictum inferunt, vt sunt amplexus, oscula, &c. ad probandum adulterium. Non vero ad probanda extrinseca, & remota, vt in adulterio matrimonium, in hæresi baptismus. Sed hæc duo nostris temporibus facile probantur per librum Ecclesiasticum in in vnaquaque Parochia, adeò quod testes non sunt necessarij, & quæstio quoad hoc euacuatur. Vide Farinac. *quæstione* 56. *numero* 72. & 78. *Carenam part.* 3. *titul.* 5. *num.* 75.

Quæres 8. Quo tempore inspicitur, & præiudicat inhabilitas in testificando?

27 ℞. Tempore iuramenti, & depositionis potissimum, quia tunc probatio sortitur suum effectum, ergo eo tempore debet carere inhabilitate, & habere habilitatem. Confirmatur, quia testis formaliter spectatur, nimirum cum deponit coram iudice, ne tunc eius fides sit infirma, vel diminuta. Quod si antea fuerit, vel post examen factus sit inhabilis; non alterat depositionem, quæ statim ac facta fuit suas sumpsit Vires inconcussabiles. Ita omnes cum Farinac. *quæstione* 62. *num.* 306. & 307. & *decis. crimin.* 249. *num.* 19. *Miranda quæst.* 17. *num.* 206.

Quæres 9. An fides vnius testis integri, & valdè digni suppleat fidem alterius inhabilis, ex quibus efficiatur plena probatio?

28 ℞. Negatiue, quia in probationibus non attenditur dignitas personæ, sed fides, & cum fides vnius integri testis per se sufficiat ad semiplenam probationem, fides inhabilis parum addit, nisi adsint adminicula, quæ ita augeant, vt de semiplena fiat media probatio ad pœnam arbitrariam. Vide Farinac. *quæstione* 62. *à num.* 318, vbi ait, testem habilem valde supplere fidem alterius inhabilis etiam ad plenam probationem 331. quando inhabilis in totum à fide non repellitur, *numero* 340. qui tandem *numero* 345. concludit, hoc supplementum facere ad torturam, non ad condemnationem. Sed ad quid hoc supplementum, dum vnicus testis integer & magnæ fidei sufficit ad torturam? *ex eodem Farinac. quæstione* 36. *numero* 215. Plenam facere probationem docent plures, quos contra se citat. *de Sancto Iuliano cap.* 4. *Aduert.* 3. §. 4. *Miranda quæstione* 17. *numero* 213. *de Bictis* distinguit *quæstione* 41. *numero* 18.

Quæres 10. An inhabiles sint torquendi ad purgandam inhabilitatem?

29 ℞. Torquentur, qui sunt inhabiles ex culpa aliqua, non tales ex natura, seu officio, aut arte non infamis, torquentur ergo criminosi, infames, socij criminis, & huius generis. In sancto Officio nullus torquetur, eis tamen certum non facit omni exceptione maiores

30 Prima pars, de tortura inhabilium ex culpa, & infamia, probatur per l. Ob carmen 21. ff. de testib. *Si ea rei conditio, vbi arenarium testem, vel similem personam admittere cogimur, sine tormentis testimonio eius credendum non est.* Tortura ergo aliquo modo auget fidem testis, si quam habet, purgando ex parte eius inhabilitatem, nam

ſecundum omnes teſtis admittitur cum ſua inhabilitate, ex *Farin.q.*63.*n.*73.*ad* 78.*&* 383.*Carena p.*3.*tit.*5.*n.*73. *ex eodem* Farinac.*q.*188. in cauſa hæreſis, *num.*83. Ita du tortura danda teſtib. inhabilibus idem *Farinac. quaſt.*56. *numer.* 56. 162. *&* 443. *Compend. Rodriq. reſol.* 42. *num.* 18.

31 Secunda pars de non torturandis inhabilibus inculpatis docetur à *Farinac. q.*55. *num.* 68. *& conſil.*31. *num.*8. *Guazin.Defenſ.*19.*cap.*10.*num.*10.*Miranda q.*17.*n.*217. & ſequentibus.

32 Tertia pars, quod in S.officio nullus torturatur, probatur, quia ex quo cognotur teſtificari, non ſunt torturandi, ne retrahantur ab hoc opere caritatis in graue præiudiciũ fidei De communi *Diana par.*4.*tr.*6.*reſol.*11.*Caſtro Pal. tom.*1.*tract.*4.*diſp.*8.*p.*15.§.2. *num.*6.Farinac.*quaſt.*188. *num.* 68.

33 Quarta pars, quod torturati non efficiantur omni exceptione maiores, probatur, quia alias ſequeretur nullam eſſe differentiam inter habiles, & inhabiles quoad virtutem probandi, tam enim probarent duo inhabiles, ſi efficerentur habiles per torturam, quam probant duo habiles ex ſe. Confirmatur, quia tortura non tollit radicem inhabilitatis, ergo nec facit de inhabili habilem, tantum ergo aliquid fidei ſupperaddit fidei, quam habet ex admiſſione ad teſtificandum. Ita Farinac. *quaſt.* 62. *à n.* 73. *ad* 78. *& quaſt.* 56. *num.*54. *&* 55. Miranda *q.*17. *num.* 229.

Quæres 11. An teſtes inhabiles parte non opponente probent?

34 ℞. Affirmatiue arbitrio iudicis, *Farinac. q* 62. *n.*175. qui tamen ex officio ſuo debet eos repellere, qui ſunt inhabiles ex culpa, vel ex incapacitate, vt condemnati, infames, mulieres, minores &c. non autem inhabiles fauore partis producentis, *ex eodem num.*190.*&* 192. Sed in iudicio criminali, ſi à iudice repulſi non fuerunt, qui nunquam ſolent repelli, ſed ſemper admitti cum ſuis exceptionibus, reus poteſt ſe defendere contra illos opponendo.

Quæres 12. An teſtes inhabiles producti à fiſco, vel alio probent contra producentem?

35 ℞. Affirmatiue *ex l. Si quis teſtibus C. de teſtib.relata cap. Si quis* 4.*q* 3. Intellige, ſi nouerit eius inhabilitatem, ignorantia vero producentis iuramento iuſtificatur. Aliud autem eſt approbare perſonam, aliud eius dictum, vt notum eſt. Vide *Farinac.q.*62. *à. n.* 211. *Barboſ.ad dictam legem* 13.

Quæres 13. An teſtes inhabiles admittantur ad defenſionem rei? & quid probent?

36 ℞. Admittuntur, ſed parum probant, quia teſtes reprobatorij debent eſſe omni exceptione maiores, & bonæ famæ, dum volunt oſtendere reorum innocentiam. Vide *Farinac. quaſtione* 62. *à numero.* 90. *ad* 99. *Mirandam quaſt.* 17. *à num.* 199. *Guazin. Defenſ.* 28. *cap.* 9.

Quæres 14. Quomodo probanda ſit inhabilitas teſtis oppoſita à reo contra illum?

37 ℞. Nulli eſſe dubium, reum debere probare inhabilitatem, quam teſti opponere intendit, quilibet enim præſumitur eſſe teſtis habilis, niſi probetur contrarium, vt dixi cap.7.n.11. Tribus autem modis probatur inhabilitas teſtium.

38 Primo confeſſione ipſius teſtis, nulla enim eſt verior confeſſio, quam eiuſdem de ſeipſo, & contra ſeipſum, *Farinac.q.*56.*n.*15.

39 Secundo ex ſententia lata in iudicio, ea enim facit notorium ex eodem num. 22. producenda enim eſt illa in actis.

40 Tertio inhabilitas teſtium probatur per alios teſtes, qui debent eſſe omni exceptione maiores *ex Farinac. q.* 62. *num* 13. & cauſa inhabilitatis in ſpecie probanda eſt, demonſtrando delictum, vel cauſam, propter quam dicitur inhabilis, *ex eodem, quaſt.* 56. *numero.* 97. *& quaſt.* 62. *num.* 371.

Quæres 15. An inhabilitas ſit apex iuris, & illius ſolemnitas, ac proinde omitti poſſit à iudicibus regularibus, qui ad eos non tenentur? Affirmant Aretinus Pitigianus *in* 2. *ſubſt. capite* 1. *prope finem folio* 206. *Spatharius tract.* 7. *capite* 4. *numero* 2. vbi ait, Prælatos regulares pro habilibus, & idoneos admittere illos poſſe. *Longus Caſu numero* 8. enumeratis teſtibus inhabilibus §. Tertium, vocat inhabilitates, ſolemnitates, & apices iuris non eſſe obſeruandas à iudicibus, quos cum aliis ſequitur *de S. Iuliano capite* 5. *Aduert.* 2. §. 9. vbi aſſignat alias, quæ non ſunt iuris poſitiui, ſed de iure naturæ, vt inimicitia, conſpiratio, ætas &c.

℞. Inhabilitatem non eſſe apicem iuris, ſed à iudicibus omnino eſſe ſpectandam, quia certum eſt probationes teſtium debere eſſe legitimas, cum ſint de ſubſtantialibus iudicij, ſecundum omnes, cum autem inhabilitas probationes non reddat perfectas ſed mancas, & defectuoſas ex quo teſtes inhabiles vel nullam, vel diminutam habent fidem, ideo huiuſmodi exceptio conſideranda eſt, ne reus condemnetur inconuictus contra ius etiam naturæ, & diuinum, omnes enim Doctores ad torturandum petunt ad minus vnum teſtem legitimum, & duos pariter idoneos & integros nullam patientes exceptionem, vt dixi capite 5. numero 21. Non ſunt ergo audiendi ſupracitati Doctores, in quantum nullam facerent differentiam inter teſtes inhabiles, & habiles, cum hæ circunſtantiæ omnino à iudicibus ſint conſiderandæ. Vide dicta cap. ſeq. quæſtione. 15. vbi admittuntur infames infamia iuris apud Regulares, forſan illi Doctores loquuntur, ſeu intelliguntur admitti cum ſua exceptione. 41

CAPVT IX.

De Teſtibus infamibus, & criminoſis.

IN præcedenti capite actum eſt de teſtibus inhabilibus. Sed quia vt plurimum teſtes fiunt inhabiles vel ex infamia iuris, vel facti ex graui crimine, ideo ſub hoc capite agam de teſtibus infamibus, & eorum criminibus in genere. 1

Præmitto primo, infamiam eſſe malam opinionem de vita, & moribus alicuius concepta à viris probis, & grauibus ex eius malis operibus, communiter diuiditur in infamiam iuris, & facti. Illa eſt, quæ incurritur committendo aliquod delictum, cui à lege annexa eſt infamia. Hæc vero eſt illa, quæ oritur ex turpi facto, quod infamiam habet adnixam ex opinione grauium, non ex lege aliqua, & hanc vocant infamiam vulgarem ex opinione hominum, non ex ordinatione legis, in qua non regiſtratur, licet non reprobetur à lege. Ita *Caſtro Pal. de irregularitate punct.* 20. *numero* 7. *Farinac. quaſtione* 56. *numero* 6. *Suarez diſput.* 48. *lect.* 1. *de irregularitate numero* 3. *de Bictis quaſtione* 30. *num.*1. 2

Aliqui tamen non incongrue vtramque infamiam volunt incurri tantum ex delicto, quod iure aliquo notatur infamia, & dicatur iuris, quatenus in iure eſt expreſſa, facti vero in ordine ad delictum perpetratum, quod aliquando mihi placuit reſolut. 56. numero 41. ſed video nunc id eſſe contra communem. 3

Præmitto ſecundo, delicta inferentia infamiam ex diſpoſitione iuris eſſe plura relata in toto tit. de his, qui infam. not. & accepantur iure Canonico, capite *Omnes vero infames eſſe dicimus, quos leges ſeculi appellant.* 2. cauſ. 6. quæſtione 1. & capite, Infames 17. numerantur Apoſtatæ, contemptores ſtatuto- 4

rum

rum Ecclesiasticorum, fures, sacrilegi, sepulcrorum violatores, armati contra patres, incestuosi, homicidæ, periuri, raptores, malefici, venefici, adulteri, milites fugitiui de bello calumniatores, excommunicati, cum aliis ibi expressis. Insequentes hostiliter Cardinales, *cap. Felicis, de pœnis lib. 6.* Raptores mulierum, *Trident. sess. 24. cap. 6.* Duellum committentes cum suis patrinis, *ibidem sess. 25. cap. 19.* Alia delicta inferentia infamiam iuris, vide apud præcitatos.

5 Præmitto 3. Infamiam iuris ipso iure incurri, tamen infamatus non tenetur se abstinere ab actibus prohibitis per infamiam, sed tantum post latam sententiam criminis declaratoriam, quia est pœna valde grauis, dum infamatum deiicit de proprio statu, & id ratio suadet ex natura ipsius infamiæ, quæ licet oriatur ex ipso delicto, non videtur tamen suum effectum posse operari, nisi aliqua ratione diminuant de bona fama proximi, diminuitur autem valde per sententiam iudicis, ergo hæc eam inducit secundum suam formalitatem in condemnato. Ita Sanchez *lib. 2. cap. 26. numero 1. Couarr. 3. var. capite 3. num. 2. Molina disp. 96. §. Duo, tom. 2. Thesaurus de pœnis c. 33. Aduert. 5. Castro Palao p. 20. n. 14.* requirit notorium.

6 Præmitto 4. Infamiam facti & delicti valde turpis tunc incurri, quando delictum perpetratum fuit coram maiori parte communitatis, *Nauarr. cap. 27. num. 255. Sayr. lib. 12. cap. 10. num. 13. Suar. disp. 48. sect. 1. de irregul. num. 20.* cum aliis asserens sub num. 21. non esse necessarium, vt delictum sit factum coram maiore parte communitatis illa vidente immediate delictum, quia sicut bona fama non semper fundatur in euidentia rei, sed in bona opinione ex audito aliorum qui viderunt bonam operationem, ita mala fama procedens ex euidentia delicti perpetrati coram duobus, aut tribus, sparsa deinde ad aures aliorum, qui non viderunt constituit delinquentem infamem, quia in hac re delictum inducens infamiam dicitur potius famosum, quam manifestum. Vnde non est curandum de numero personarum, quando ex ore aliquorum, qui perpetrationem delicti viderunt, factum est diuulgatum.

7 Præmitto 5. Infamiam iuris tolli per dispensationem superioris, in quo omnes conueniunt, facti vero tolli per emendationem personæ, quæ si se bene gessit per triennium infamiam euacuauit, ex Barbantia de testib. n. 20. vbi, quos emendatio constat etiam per dictum Confessarij, vnde in processibus solent interrogare testes, an in Paschate sint confessi sua peccata, hac enim ratione probatur emendatio. Si tamen infamia de iure sequatur delictum super quo fuit condemnatus, non sufficit emendatio, sed necessaria est superioris dispensatio, vt notat *Suar. disp. 48 de censur. sect. 2. num. 7. & 8.* & colligitur *ex cap. Testimonium 54. de testib.*

8 Præmitto 6. quod ex sola probatione criminis, quis non dicitur infamis, nisi adsit sententia, vel confessio, *ex Gloss. vers. Probatum esset, l. Sed & si possessori, ff. de iureiur. Bald. in cap. Testimonium, de testib.* vbi ait, quod notorium non inducit infamiam iuris, nisi secuta sententia, vt etiam dixi Præmiss. 3. *Farinac. quæst. 56. num. 22.*

9 Præmitto 7. quod si quis appellat à sententia condemnatoria super crimine infamatorio, non dicitur infamatus, quia appellatio suspendit omnes effectus sententiæ. Ita aliis citatis *Farinac. q. 56. num. 19. & 93.*

10 Præmitto 8. quod infamia iuris triplici ex capite oritur, ex delicto proprio. ex delicto alieno, vnde filij hæreticorum sunt infames ex parentum delicto; & ex officio, vt birruarij, & alij, & in hoc conueniunt omnes. His præmissis.

Quærendum est primo, an, & quomodo personæ infames admitti possint ad testificandum, & quam probationem faciant?

11 ℟. Infames repelluntur in totum à ferendo testimonio super delicta, quæ sunt facilioris probationis, & non exceptis, etiam cum tortura, ac proinde nihil omnino probant.

Primum de repulsa patet *cap. Nulli 11. 3. q. 4. cap. Constituimus 9. 3. q. 5. cap. Licet 47. cap. Testimonium 54. de testib.* Probatur, Tum quia fundamentum testificandi est fides ipsius testis, qua caret infamis. Tum quia actus testificandi est actus honoris, & legitimus, à lege præscriptus, à quibus infames remouentur. *Farinac. q. 56. n. 26. ad 34.* vbi, adeo quod parte non opponente, iudex ex officio potest infamem repellere. 12

Secundum, quod nec cum tortura probent, probatur, quia tortura non purgat infamiam. Ita *Farinac. q. 56. n. 37.* qui cum aliis ait id procedere non solum in infamia iuris, sed etiam facti. 13

Quæres 2. An saltem infamis contra infamem testificari possit?

℟. Negatiue, quia fidem diminutam habens ab alio infami adiuuari non potest. Ita plerique cum Farinac. q. 56. num. 44. contra alios plures sententes oppositum, sed sine fundamento. 14

Quæres 3. An infamis depositio suppleri possit ab alio teste valde fide digno?

℟. Non potest suppleri, quando est infamis infamia iuris, quod enim nihil est suppleri non potest, quia nihilo aliquid addi non potest, talis est depositio infamis ex lege, ergo eius depositio suppleri non potest. Eius tamen depositio testibus legitimis non præiudicat, quia vtile per inutile non vitiatur. Quod si infamis sit infamia facti habet supplementum ex alio teste fide valde digno, quia huius depositio in totum non repellitur, sed in parte tantum, ideo in reliquo perfici potest. *Farinac. quæst. 56. num. 48. & 49.* 15

Quæres 4. An infames in casu difficilis probationis admittantur, quando sine illis delictum non potest probari? Et quid tunc probent?

℟. Admittuntur in subsidium, & probant ad minus duo ad torturam. Ratio est, ne delinquentes remaneant impuniti, ex hoc enim fidem aliquam faciunt, vnde duo ad minus iunguntur ad faciendam probationem semiplenam ad torturam. Ita aliis citatis *Farinac. q. 56. num. 50. ad 56.* vbi in his petit torturam, vt aliquo modo etiam fides augeatur. 16

Quæres 5. An in casibus exceptis admittantur, & faciant iudicium ad torturam cum tortura, vel sine tortura? Delicta excepta sunt crimen læsæ Maiestatis, hæresis, blasphemia, cum cæteris criminibus spectantibus ad S. Officium?

℟. Admittuntur cum tortura, & probant ad torturam si ad minus sunt duo, vel coniunctus vnus cum teste integro, quia à iure non repelluntur in totum, sed ex parte tantum, ideo dicuntur admitti cum sua exceptione, iuxta dicta de testibus inhabilibus. Ita *Farinac. q. 56. num. 57. ad 70.* De hæresi *ex cap. In fidei, de hæret. in 6. Carena part. 3. tit. 5. n. 38. §. 9.* Sed sine tortura, quia hoc sacrum Tribunal caritati magis addictus est, quam rigori, cum testes non mereantur recipere malum pro bono, quod præstant in fauorem fidei. 17

Crimina excepta sunt crimen læsæ Maiestatis diuinæ, adde tu omnia delicta ad S. Officium spectantia; crimen læsæ Maiestatis humanæ, Simonia, Sacrilegium, crimen fraudatæ annonæ; dilapidationis bonorum Ecclesiæ; fraudati census; perduellionis. Hæc enumerauit *Specul. in tit. de accusat. §. 1. num. 35. & ex eo rescripsit* Farinac. *q. 56. num. 70.* 18

Quæres 6. Quando infames admittuntur in criminibus exceptis, numquid admittuntur ad probandum solum delictum, an etiam adminicula eius?

℟. Admittuntur tantum ad probandum principale delictum, & etiam adminicula intrinseca, & proxima delicto, iuxta dicta *præced. cap. quæst. 14. Farinac. quæst. 56. num. 72. 73. & 74.* dicens, id esse à Doctoribus communiter receptum: Reconciliando contrarias opiniones Doctorum à num. 75. ad 79. 19

Quæres 7. An alias infamis, sed à principe restitutus, sit testis legitimus?

20 ℞. Affirmatiue *ex l. 3. ff. de testib. cap. Præuaricator 2. q. 4.* Restitutio enim reponit restitutum in eum statum, in quo erat, antequam perpetraret delictum inferens infamiam, restitutus enim in integrum recuperat omnia iura, quæ habebat ante, *Glos. v. reuocari cap. Pastoralis 43. 7. q. 1.* ergo & ius testificandi. Ita de communi *Farinac. q. 56. num. 79. qui num.* 80. idem ait, si solum sit dispensatus ad testificandum, quia sublata est exceptio infamiæ. Restitutio autem fieri potest à Papa non solum clerico, sed etiam laico, *cap. cum te, de re iudic. & à principe l. 1. ff. de postul.*

Quæres 8. An repellatur infamis ex lege occultus?

21 ℞. Non repelli, nisi probata infamia, quia hæc non dicitur incursa ad hunc effectum, nisi post sententiam, vt dixi in præmisso tertio, & sexto; aut per propriam confessionem infamis, ita quod non sufficiat probatio criminis, *ex Farinac. quæst. 56. num. 22. ita idem num.* 86.

Quæres 9. An de consensu partium testis de iure infamis admitti possit?

22 ℞. Affirmatiue, quia testes infames repelluntur fauore rei, ergo si consentit, cedendo iuri suo non dicitur repulsus. Ita omnes *cum Farinac. quæst. 56. num. 93.* Sed talis consensus non practicatur, quia reus dum se defendit, vellet etiam legitimos repellere, si posset?

Quæres 10. An infamia superueniens post datum testimonium infirmat probationem?

23 ℞. Negatiue, quia tempore depositionis testis erat legitimus, ex quo secuta fuit legitima probatio, quæ non potest infirmari à causa subsequente. Ita Farinac. *q. 56. num. 94.*

Quæres 11. An hucusque dicta de infami iuris infamia locum habeant in infami infamia facti?

24 ℞. Affirmatiue, ita quod non admittitur, nisi in casibus difficilioris probationis, & exceptis, cum tortura, & sua exceptione, qui solus nihil probat ad torturam, vtique cum aliis, iuxta dicta præced. cap. q. 10. Farinac. q. 56. num. 115. ad 136.

Quæres 12. An, & quomodo probanda sit infamia opposita, & obiecta testi?

25 ℞. Infamia iuris probatur *primo* per propriam confessionem ipsius infamis. *Secundo* per sententiam super crimine infamante; *Tertio*, per testes maxime infamia facti, concludentes in particulari, & probantes delictum, vel causam, quæ inducit infamiam, non enim sufficit probare infamiam siue sit iuris, siue facti in genere, cum sit probanda in specie.

26 Prima, & secunda patet ex dictis cap. præced. q. 16. & ex parte tertia pro cuius intelligentia, sciendum est, quod non sufficit probare, delictum fuisse commissum, sed præterea probanda est qualitas notorietatis, ex qua oritur infamia, ex præmiss. 4. deponendo, quod ita audiuerint à maiori parte hominum loci, Farinac. q. 47. num. 315. Sufficiunt autem duo testes singulares loco, & tempore, modo conueniant in substantia delicti, & notorietatis ex eodem num. 305.

27 Quæres 13. Quandonam cesset infamia facti, vt testis habeatur pro idoneo? Infamia iuris non nisi per dispensationem tollitur à Principe, vel ab eo habente delegationem, vt superiores regulares maiores *ex Peyrino de Prælato quæst. 1. cap. 5. num. 50. Lezana v. Infamia, ibi Naldus, Donatus part. 2. tract. 9. quæst. 25. num. 4. Bassæus v. Irregularitas* 10. *num.* 8. Potest enim Episcopus erga suos, Gloss. v. Atque ignominiam cap. Domino 35. dist. 50. ergo & Prælatus regularis.

28 ℞. Infamia facti tollitur per emendationem ab eo, qui triennio bene vixit, ex adductis à Farinac. *quæst. 56., num. 140.* Probatur etiam per schedulam sacerdotis, cui fuit sua peccata confessus, *Gloss. v. Hoc casu, cap. Testimonium 54. de testib. Mastardus conclus. 466. num. 10. Barb. in cap. Testimonium 54. num. 3. de Bictis quæst. 31. num. 8.* Et licet loquantur præcise de criminoso, tamen idem dicendum est de infamia facti cum sit effectus criminosi, ex dictis hic sub num. 7.

Quæres 14. An quilibet criminosus repellatur à testimonio ferendo?

29 ℞. Negatiue, sed solum ille, qui in crimine graui perseuerat, siue fuerit iam conuictus, & condemnatus, siue conuincendus per exceptionem sibi factam à reo, *ex cap. Super 13. cap. Testimonium 54. de testibus.* Vide hic Barbosam quam plures referentem *num. 2. §. Collige, Farinac. quæst. 56. num. 383. de Bictis, quæst. 31. num. 9.* Dicunt plerique etiam emendatum repeli ex cit. cap. Testimonium, extremis verbis: *Potest à testimonio, licet egerit pœnitentiam remoueri.* Sed ibi Papa loquitur in rigore iuris, & non est obligatio, cum iudex talem admittere possit, vt patet ex illo verbo *Potest*, quod iudicis arbitrio reliquit. 30 Vnde Regulares præsertim emendatum admittere poterunt in suis causis, immo & iudices seculares, aliter nulli haberentur testes idonei, cum iuxta illud: *Nemo sine crimine viuit*, non possent inueniri testes legitimi. Ideo iudices seculares interrogant testes, an confessi sint in Paschate, ex quorum responsione affirmatiua excluditur exceptio criminositatis.

31 In casibus vero exceptis admittitur criminosus cum sua exceptione, *cap. Per tuas 32. de simon.* Farinac. *quæst. 56. num. 348. & 155. de Bictis quæst. 31. num. 4.*

Quæres 15. An iudices regulares admittere possint infames iuris infamia, tamquam idoneos?

32 ℞. Affirmatiue, quia procedunt sola facti veritate inspecta. Ita Abbas *in cap. De cætero, de testib. S. Anton. part. 3. tit. 9. cap. 15. §. 6. Silu. v. Iudex 1. num. 5. & 9.* Bene *Menoch. de arbitr. lib. 1. quæst. 27. per cap. Per tuas 32. de simon.* vbi criminosi admittuntur, *Farinac. quæst. 56. num. 88. de Bictis quæst. 30. num. 10.* Vide supra cap. 8. num. 40.

Quæres 16. An condemnatus de quouis crimine per sententiam sit ipso iure infamis infamia iuris, an tantum facti?

33 ℞. Non est infamis, nisi id sit expressum in iure, ex quo vocatur infamia iuris. Est vero infamis infamia facti, si crimen sit graue, & tale, propter quod forma condemnati remanet læsa, *ex l. Non debet, ff. de dolo, Farinac. quæst. 56. num. 5. §. Tertia, & num. 24. de Bictis quæst. 30. vbi num. 1.* quod omne peccatum mortale infamat eum, qui in illo perseuerare vult; hæc tamen infamia cum sit facti tollitur per emendationem, *supra hic num. 26. Castro Palao de cons. disp. 6. num. 14. p. 20. Layman lib. 1. de irregul. cap. 4. num. 10.* & cæteri omnes.

CAPVT X.

De Testibus inhabilibus in specie.

ACtum est in antecedenti capite de inhabilitate testorum in communi determinando in genere, an, & quomodo testes inhabiles possint probare delicta ad inquirendum, torturandum, & condemnandum; sed adhuc ignoramus, quinam sint huiusmodi testes inhabiles, vnde descendendum est ad species singulas, vt perfectam eorum cognitionem habere possimus, quibus semper intelligenda sunt esse applicata, quæ præcedenti capite de illis in genere diximus, est enim certum secundum Logicos, immo & Iuristas, genus dicere secundum se, & sua prædicata de propriis speciebus. Sunt autem in duplici differentia testes inhabiles, nam aliqui tales sunt ex propria culpa alicuius delicti, vel ex infamia delicti, seu artis alicuius, alij tales sunt sine sua culpa, de primis hic agam ordine alphabetico

alphabetico in pluribus sectionibus, de secundis postmodum in sequenti capite. Sit

SECTIO I.

De Accusatore, & Accusato.

DE accusatore, & denuntiatore egi cap. 3. sect. 4. & sect. 1. n. 73. & 74. dixi, denuntiatorem solum in S. Officio posse esse etiam testem, illuc remitto lectorem.

1 Accusator autem omnino repellitur à quolibet gradu probationis ad inquirendum, torturandum, & condemnandum. cap. 1. 4. quæst. 4. cap. Accusatores 2. 3. quæst. 5. qui enim accusat, præsertim suam, vel suorum causam vti inimicus potius falsus, & periurus, quam verificus, vnde non potest esse pars, & testis. Ita omnes cum *Farinac. q.60.n.64 & 65.*

2 Accusatus, denuntiatus, seu inquisitus iudicio pendente contra illos, admitti possunt in casibus exceptis, iuxta dicta præcedenti capite. Ita *Farinac. q 56. num. 173.* In aliis vero non, *ex cap. si testes 3. 4. quæst. 3. §. In testimonium, & cap. fin. de testib.* Querelati enim opinio grauatur, *Gloss. v. Nuntiantur, cap. 4. de accusat.* Admittitur vero in casibus non exceptis, quando querelans fuit de leui crimine non inducente infamiam. *ex eodem Farinac. num. 174.* Et quando constat, per malitiam fuisse querelatum, ne posset esse testis, ex eodem num. 170. Admittitur quoque ad defensam, num. 179.

SECTIO II.

De Adultero, Apostata, & Arenario.

3 ADulter ille vocatur, qui violat alienum torum, id est, qui habet copulam carnalem cum aliena vxore, siue sit solutus ab vxore, siue habeat vxorem. *cap. Lex illa 2. 36. q. 1. §. Cum ergo. D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 8.* Repellitur ergo adulter à ferendo testimonio, quando de illo est damnatus, vel eius adulterium est notorium, *cap. constituimus 11. 3. q. 5.* Ita Farinac. *q. 56. num. 289 & 290.* Est vero habilis, si adulterium sit occultum, *ex eodem num. 291.* In casibus exceptis admittitur iuxta dicta præcedenti capite.

4 Apostata duplex est, vel à fide, vel à religione. A fide dicitur ille, qui a religione Christiana recessit, is autem ipso iure est excommunicatus, cum suis fautoribus, & infamis, *cap. Alieni erroris 23. 2 q. 7. l. Gazaros*, C. *de heret. cap. si aduersus 11. cap. Excommunicamus 13. de heret.* & in Bulla Cœnæ Domini. Vnde repellitur in totum à testimonio, *ex cap. Pagani 25. 2. q 7.* In sequenti tamen capite *Hæreticus*, admittitur contra alium hæreticum, cum agatur fauore fidei, pro qua quilibet admittitur. *Farinac. q. 56 num. 445.* In aliis nullo modo admittitur, quia duas patitur exceptiones præter errorem apostasiæ, nempe infamiam, & excommunicationem.

5 Apostata vero à religione ille dicitur, qui recedit cum animo non redeundi amplius ad religionem suam, nulla petita à superioribus licentia, etiamsi habitum nondum dimiserit, licet aliqui petant dimissionem habitus, vt dicatur in rigore, & propriissime. *cum Calderino conf. 1. de Apost. Nauar consil 10. ead. Miranda tom. 1. q. 51. art. 1. concl. 1. cum aliis Barbosa ad cap. 6. de Apost.* Qui ad cap. 1. de temp. ordinat. n. 6 ait, de iure communi non subiacere excommunicationi, nisi deposito habitu extra claustra, *cum Sanch lib. 6. cap 8. num. 10. Suar. tom. 5 de censur. disp. 31. sect. 6. num. 1. vide eundem super cap. Vt periculosa 2. Ne clerici.* Donatum *part. 2. tract. 6. de Apost. q. 14.* Qui recessit, sed paulo post reuersus fuit, non est præsumendus apostata, sed fugitiuus, *Bald. in l. 1. C. de edil. edict. num. 19. Imola cons. 84. n. 18. Ricciullus lib. 5. de iis, qui sunt extra, cap. 19. n. 22. & lib. 8. cap. 2. n. 5. Sil. v. Apostata q. 4. D. Anton. part. 2. tit. 12 cap. 6.*

Apostata igitur a religione repellitur à testimonio ferendo ex Farinac. q. 56. n. 444 ob tres rationes, *primo* quia est infamis cum sacrilegis cap. Infames 6. q 2. *Secundo* est periurus cum contrauenerit iuramento obedientiæ. & religionis per eum in ingressu monasterij præstito. *Tertio*, quia est ipso iure excommunicatus ex c. 1 Ne clerici. Sed hæ rationes patiuntur difficultatem, *Prima* quidem, quia in eo cap. Infames nulla fit mentio religionis ex professione. *Secunda*, nullum committit periurium, cum illud non contineat professio, quæ præcise est solemne votum. *Tertia*, quia in eo capite excommunicantur deponentes habitum, vt eant ad scholas, apostata autem quærit libertatem, non studium, ex quo igitur criminosus est repellitur à testificatione in delictis ordinariis, non in exceptis, &c. 6

Arenarij non sunt propriè criminosi, qui descendunt in arenam, & campum ad pugnandum cum bestiis, pecuniæ lucri causa repelluntur à testificando, *l. ob carmen, ff. de testib. l. 3. §. lege Iulia. ff. de testib.* præsumuntur enim peierare turpis lucri gratia; & isti sunt infames, *l. 2 fine. ff. de his, qui infam. not.* Non vero exercentes pugnam virtutis gratia, *l. Athletas 4. eod. Farinac. q. 50. n. 439. ad 443.* vbi in casibus exceptis, & difficilis probationis admittuntur cum suis exceptionibus. 7

SECTIO III.

De Bannitis, Birruariis, & Blasphemis.

BAnnitus in contumaciam condemnatus, quia noluit citatus comparere, euadit infamis non solum de facto, sed etiam de iure, si delictum sit famosum *l. fin. C. de requir. reis. Farinac. q 56. n. 328.* vbi repellitur a testificando in loco, à quo exultauit; extra vero potest, num. 334. Restitutus vero etiam ratione famæ, potest testificari in patria, num. 337. & seq. Admittitur autem in causis exceptis, sicut alij. 8

Birruarius, cum ex communi opinione vulgi ex suo officio dicatur infamis repellitur à testimonio, de communi *Farinac. q. 56. à n. 370.* Admittitur vero in casibus exceptis cum sua exceptione, n. 397. Ei vero creditur in iis, quæ spectant ob suum officium, vt quod citauit, quod capturam fecit, quod bona non inuenit, quod executionem fecit, num. 374. 9

Blasphemus, qui de Deo, & sanctis obloquitur, repellitur à testificando non solum post condemnationem, sed etiam ante, modo sit blasphemator notorius, quia in vtroque casu est infamis, & cum sit infidelis Deo, non potest esse fidelis hominibus. Ita *Farinac. q. 56. n. 414. ad 424.* vbi excipiuntur blasphemi ex iracundia. In casibus exceptis blasphemus admittitur cum suis exceptionibus, n. 425. vbi dicit facere indicium ad torturam, non ad condemnationem, sed intellige, vt dictum fuit præced. cap. De testibus inhabilibus in genere. 10

SECTIO IV.

De Calumniatoribus, Carceratis, & Concubinariis.

CAlumniator is appellatur, qui scienter falsa crimina imponit proximo, vti infamis *ex l. 3. C. de calumn.* repellitur à testimonio, *ex l. 1. ff de senatuscons. Turpil. Farinac. quæst. 56. num. 459.* modo de calumnia sit condemnatus. 11

Carceratus pro crimine de iure infamante repellitur à testimonio, *ex cap. si testes 4. q. 2.* facit enim se suspectum circa veritatem dicendam. Liberatus vero testificatur etiam de iis, quæ vidit tempore carcerationis. *Farinac.* 12

q. 56.

q.56.à n. 180 *ad* 184. Carceratus pro alia causa, quam pro crimine non repellitur, n. 184.

13 Concubinarius dicitur ille, qui carnaliter cognoscit mulierem vel solutam, vel coniugatam domi retentam ac si esset propria vxor, cum non sit. *Toletus lib.* 1. *cap.* 47. *Bonac. q.* 4. *de matrim. p.* 14. *n.* 8. Repellitur à testimonio ferendo, cum sit criminosus. *Farinac. q.* 56. *n.* 284. siue sit laicus, siue clericus *n.* 186. Vide de Bictis q. 31. n. 12. quod hoc peccatum dicitur continuum.

SECTIO V.

De Decoctis, & Duellantibus.

14 DEcoctores, qui vulgo dicuntur falliti, repelluntur à testificando, quia sunt infames, *ex Bart. in l.* 1. *C. de summa Trinit. Farinac. q.* 56. *n.* 446. *ad* 451. multo minus admittuntur, qui bonis cesserunt, num. 448. Admittuntur vero in causis exceptis, iuxta dicta præced. cap. de infamibus.

15 De duellantibus in Tridentino Sess. 26. cap. 19. ita statuitur: *Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetua infamia pœnam incurrunt.* Ex duplici exceptione repelluntur duellantes cum suis patrinis, excommunicationis scilicet, & infamiæ. Confirmatur, quia homicida repellitur, vt dicam infra sect. 8. à fortiori duellantes, quorum crimen est grauius. Procedit, licet nullum sit secutum homicidium, textus enim loquitur de committentibus pugnam, & non de interficientibus, ad eas igitur pœnas incurrendas sufficit exercitium pugnæ in formali duello. *Farinac. quæst.* 119. *num.* 74. *Caraffa tract.* 2. *de prohibit. duelli sect.* 3. *quæst.* 9.

SECTIO VI.

De Ebriis, & Excommunicatis,

16 EBrius, qui sentit vino, & non vinum ipsi, est ille, qui multum bibit ex prauo vsu, ex quo non solum exhilaratur cum gaudio, sed quandoque per nimiam ebrietatem perdit vsum rationis, adeo quod nescit, quid loquatur. Vide Tambur. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 21. *num.* 49. vbi quod ebrij sunt ineligibiles, & dat modum cognoscendi illos.

17 Carena part. 2. tit. 7. numero 32. triplicem assignat ebrietatem, leuissimam, quæ tantum exhilarat bibentem sine amissione vsus rationis. Leuem, quæ mentem perturbat. Et Magnam, quæ mentem alienat, & facit perdere vsum rationis.

18 Primo modo ebrius non repellitur à testimonio, non enim propriè ebrius est, illa enim exhilaratio est naturalis effectus vini, quod exhilarat etiam prudentes, & sapientes moderate bibentes, iuxta illud Psal. 103. 15. *Et vinum lætificat cor hominis.* Non est actus vitiosus ex causa eius, qui moderate bibit, cum non agat contra virtutem temperantiæ, dum moderate bibit, iuxta indigentiam. *Farinac. q.* 56. *n.* 438.

19 Secundo modo ebrius repellitur, quia non habet vsum rationis perfectum in criminalibus requisitum, vnde in cap. 1. de testibus dicitur, quod testis debet esse ieiunus, non solum ob reuerentiam iuramento debitam, sed etiam, quia testificaturus debet carere perturbatione mentis, quæ causatur à nimio vino. Repellitur ergo, quia non solum reputatur mente alienatus, sed etiam persona infamis, & vilis, cui fere nihil sit credendum. Ita Gomez 3. *Variar. cap.* 12. *num.* 18. *fine*, *Farinac. quæst.* 56. *num.* 434. Hæc autem exceptio spectatur tempore depositionis, n. 435. Nisi sit solitus inebriari, quia tunc reiicitur pro quouis tempore, n. 436. cuiusmodi sunt frequentantes tabernas, n. 437.

20 Tertio modo ebrius est prorsus inhabilis iure naturæ ad testificandum, cum vt infans careat vsu rationis, *ex eodem n.* 438. *de Bictis q.* 31. *n.* 15.

21 Excommunicatus minori excommunicatione non repellitur à testificando, cum innodatus illa priuetur tantum participatione Sacramentorum. Ita omnes *cum Farinac. q.* 56. *n.* 266. qui tamen ait diminuere aliquid fidei. Sed id parum est, nec opponenda hæc exceptio.

22 Excommunicatus maiori excommunicatione occultus, & nondum denunciatus non repellitur, nisi obiiciatur à reo in suis defensionibus *ex allegatis à Farinac. q.* 56. *num.* 280. à fortiori denunciatus, qui intelligitur priuatus etiā conuersatione ciuili non solum quo ad se, sed etiam quo ad alios, cum sit infamis, *ex cap. Illi* 6. *q.* 1. vnde expellitur à testimonio ferendo, expresse *cap. Veniens* 38. *de testib. ibi Barb. num.* 9. *Farinac. q.* 56. *num.* 241. *Carena par.* 2. *tit.* 5. *num.* 23. *Miranda q.* 17. *num.* 16. Debet autem esse innodatus tempore iuramenti, & depositionis, nam superueniens censura testimonium non infirmat, *ex eodem Farinac. quæst.* 56 *num.* 274. Procedit, licet excommunicatio fuerit nulla, nam ante probationem nullitatis præsumitur valere, nisi declaretur nulla, & tunc non impedit testificationem, *numero* 248. Sicut nec impedit, quando absolutus fuit ab excommunicatione ob cautelam *num.* 249. qui absoluendus est, vt valeat depositio, vt docet *Riccius par.* 2. *resol.* 259. 23 Absolutio autem non præsumitur, sed probanda est, *num.* 258. vnde semel excommunicatus semper talis præsumitur, nisi doceat de absolutione. Ita autem repellitur, vt nec contra alium excommunicatum admittatur, *num.* 257. Lata excommunicatio sub conditione, si interim deponat suum testimoniū pendente conditione, valet depositio, nec conditio resolutæ retrotrahitur postmodum contra depositionem, quæ omnino remanet inuiolata, *n.* 276.

24 Exceptio autem excommunicationis opponi potest non solum coram iudice Ecclesiastico, sed etiam laico, *ex eodem Farinac. q.* 56. *n.* 254. immo ab ipso iudice ex officio, *num.* 256. & opponi potest à reo termino etiam elapso, *num.* 260.

25 Admittitur vero excommunicatus in casibus exceptis, & difficilis probationis, eo modo, quo admittuntur alij inhabiles. Ita omnes *cum Farinac. quæst.* 56. *num.* 282. *Carena par.* 3. *tit.* 5. *num.* 24. *Barb. ad cap. Veniens* 38. *de testibus*, vbi id expresse dicitur, & quod debet absolui ad effectum testificationis.

26 Demum absolutus simpliciter ab excommunicatione remanet idoneus ad testificandum, ac si nunquam fuisset excommunicatus. *Farinac. quæst.* 56. *num.* 277. tem alij controuertunt, *ex eodem num.* 278. Ego vnicam obiicerem rationem, cum enim ex dictis sit infamis & non restitutus per simplicem absolutionem, non poterit testificari, sed respondeo per eam absolutionem, à quouis datam tolli quoscumque effectus procedentes ab ea censura, ipsa enim sublata, desinunt esse quicunque effectus ab ea pendentes, cuiusmodi est etiam infamia iuris sublata per absolutionem ab excommunicatione. Confirmatur, quia absolutus sacerdos potest sine peccato celebrare, ergo signum est, tolli infamiam per absolutionem ab excommunicatione, *expresse Glos. c.* 1. *leges, in fine cap.* 2. 6. *quæst.* 1.

SECTIO VII.

De Falsariis, Furibus, & Fustigatis.

27 FAlsarius ille dicitur, qui mutat, vel imitatur veritatem, secundum quosdam. Contingit autem falsitas quatuor modis, verbo, vel facto, vel Scriptura, vel vsu, secundum omnes cum *Farinac. quæstione* 150. *de falsit. num.* 6. Ad hoc autem vt ea sit punibilis tria requiruntur copulatiue,

copulatiue, mutatio veritatis, dolus & nocumentum proximi, *ex Hostiens. & Azone, Mascard. consil.* 739. *num.* 12. Crimen falsi est publicum, *l.* 1. *C. de public. iud.* vnde condemnatus in iudicio de falso incurrit infamiam iuris, cum sit ex causa famosa, *l.* 1. *ff. de his, qui not. infam. l. Infamem, ff. de publ. indic. ex Thesauro de pœnis, v. Falsum cap.* 1. Procedit *primo* in falsificante literas in forma probante Episcopi, & Ordinarij, seu publici officialis, *Abbas in cap. Post cessionem, de probat. num.* 5. *Felin. num.* 3. *fine, Gadopapa decis.* 481. *Oscas. decis.* 71. *num.* 10. *Thesaurus citatus.* Procedit *secundo* contra fabricantes alchymiam, vel mandantes fieri, eam expendentes, sunt enim infames infamia iuris, ex tract. vu. de crimine falsi, inter communes, Procedit *tertio* contra falsificantes literas Apostolicas per se, vel alios, qui cum fautoribus, & defensoribus sunt excommunicati etiam lisci illis vtentes, *ex cap. Ad falsariorum, ff. de crim. falsi;* censura non est reseruata, nisi quo ad falsificatores in Bulla Cœnæ. Vide dictum Thesaurum.

28 Falsarius ergo repellitur à testificando, cum sit criminosus, & infamis, *ex Innoc. in cap.* 1. *de confessis, Stephano Aufrerio de testibus apud Ziletum num.* 42. Dicam melius infra cap. 32.

29 Fur, Raptor, Latro, seu publicus viarum grassator, omnes isti dicuntur fures, species sub eodem genere auferentis alienum, nam fur accipit inscio domino; raptor per vim aufert, & extrahit rem de manibus domini, vel eo contradicente; latrones per publicas vias aggrediuntur viatores, & eos deprædantur. Vide Peregr. Theatrinum cap. 6. de immun. Eccles. Omnes isti secuta condemnatione fiunt infames, *ex l. Athletas* 4. *in fine, l. Furti* 5. *ff. de his, qui not. infam. l. Non potest* 65 *ff. de furtis, l. si furti* 8. *C. ex quibus causis infam.* Ac proinde vt infames, & criminosi repelluntur à testimonio, *cap. constituimus* 3. *q.* 5. *Albericus de Maletis cap.* 4. *de testib. num.* 44. *apud Ziletum fol.* 386. *Nellus de S. G. num. n.* 8. *fol.* 125. *Iodocus de reprobat. testium num.* 18. *ex eodem fol.* 800. Admittitur vero in casibus exceptis, & difficilioris probationis ex dictis cap 8.

30 Fustigatus est ipso iure infamis, *l. Fustibus* 16. *Ex quibus causis infam.* ac proinde cum cæteris infamibus repellitur à testimonio ferendo, etiamsi per mille annos viueret. *Mascardus apud Farinac. q.* 56. *num* 456. intellige in casibus ordinariis.

SECTIO VIII.

De Hæreticis, Histrionibus, & Homicidis.

31 Differunt inter se Infidelis, Apostata, & Hæreticus, quod Infidelis ille dicitur, qui fidem diuinam nunquam professus fuit, vt Paganus, Gentiles, & Turcæ. Apostata est ille, qui fidem aliquando susceptam per baptismum in totum dereliquit, recedendo à fide Catholica, quam Romana vniuersalis Ecclesia tenet, sub legitimo Pontifice Romano. Hæreticus vero dicitur ille, qui baptismo fidem Catholicam professus, ex parte negat vnum, vel plures articulos.

32 Isti omnes à testificando repelluntur, quia cum careant fide diuina, super qua fundatur testium fides humana, nulli possunt iudici persuadere, se dicere veritatem. De infidelibus habetur *cap. Pagani* 25. 2. *q.* 7. quod non possunt accusare, à fortiori prohibentur testificari. *Farinac. q.* 56. *à n.* 206. *ad* 214. Hæreticus admittitur contra alium hæreticum fauore fidei, *cap. Hæreticum* 26. 2. *q.* 7. non obstante, quod duas patiatur exceptiones, excommunicationis, & infamiæ, quam non incurrit nisi post sententiam inquit *Sanchez lib.* 2. *cap* 26. *initio.*

33 Histriones, quos vocant Buffones, & Circulatores sunt illi, qui in scenam prodeunt causa quæstus, & isti sunt infames cap. 1. 4. q. 1. prohibentur accusare, ergo & testificari. Ita Mascard. concl. 1356. n. 46. *Farinac. q.* 56. *n.* 439. Qui vero hæc agunt gratis, & recreationis gratia non sunt Histriones, ex num. 441.

Homicida ille dicitur, qui iniuste alteri vitam tollit, vel 34
facie ad faciem iniuxta, vel occulte per venenum; vel proditorie nulla præcedente causa, sed potius simulata amicitia; vel propter interesse, vt grassatores viarum; vel ex mandato alterius, & is appellatur Assassinus. Vide *Peregr. de Immun. cap.* 7. *num.* 2. 20. *&* 21.

Supradicti omnes vt infames *ex cap. Constituimus* 3. 35
3. *q.* 5. repelluntur ibidem à testimonio ferendo. *Farinac. q.* 56. *n.* 117. de Proditore, *n.* 452. *ad* 455. iterum infra sect. 12. Non tamen repelluntur in casibus exceptis, iuxta dicta cap. 8.

SECTIO IX.

De Incestuosis, Inconfessis, & Incommunicatis.

INcestuosus ille dicitur, qui copulam habet cum consan- 36
guinea, seu affine; *ex Gratiano cap. Lex illa* 2. 36. *q.* 1. *§. Cum ergo. D. Thoma* 2. 2. *q* 154 *art.* 1. *&* 9. *Mag. Sent. in* 4. *dist.* 40. de consanguinitate, & dist. 41. de affinitate, ibidem Scotus. Quorum nemo restrinxit definitionem ad certum numerum graduum, vt fecerunt Moderni potius in ordine ad cognoscenda impertinentia matrimonij, quam naturam ipsius incestus, qui definitur à nostris cum expressione graduum hoc modo. Incestus est illegitimus concubitus per copulam carnalem cum persona consanguinea, vel affine intra gradus prohibitos, hoc est, intra quartum gradum consanguinitatis, & affinitatis ex copula licita; ex illicita vero affinitatis intra secundum gradum tantum, intra hos gradus impeditur efficaciter matrimonium inter illos. Vide *Sayrum lib.* 8. *cap.* 4. *de Bellis q.* 116. *à num.* 9. *& seq.*

Incestuosi igitur tamquam infames repelluntur ab ac- 37
cusatione, & à testificatione, expresse *cap. Constituimus* 11. 3. *q.* 5. *Nellus de S. Gemin. de testib. num* 20. *apud Ziletum fol.* 116. *Iodocus num.* 29. *ibidem fol.* 80. *Iacobus Burrigar. n.* 47. *&* 48. *apud eundem fol.* 29. repellit eos, qui incestas nuptias contraxerunt.

Qui in Paschate non fuit confessus sua peccata, aut 38
non communicauit, non potest testificari, quia iure canonico tamquam criminosus perseuerans in peccato euadit iure Canonico infamis, *ex cap. Illi qui* 3. 6. *q.* 5. Hæc autem infamia Canonica, cum ex facto oriatur, facto etiam emendationis tollitur, vnde confessi & communicati, non amplius sunt infames, quia non peccatores. Repelluntur ergo à testimonio, quando sunt declarati per cedulones non confessi, nec communicati, ita *Mascard concl.* 705. *num.* 6. *cum Farinac. q.* 56. *num.* 161. *ad* 165. Vnde Iudices, & Notarij criminales interrogant testes, an sint confessi, & communicati in Paschate.

SECTIO X.

De Inimicis, Interdictis, & Iudæis.

DIcam primo de Interdictis, & Iudæis, deinum de 39
materia inimicitiæ, quæ plures habet considerationes; quam materia de Interdictis, & Iudæis.

Cum suspensio, & interdictum pari passu concurrant cum excommunicatione, sunt enim tres censuræ, & pœnæ Ecclesiasticæ. *Gloss. v. Excommunicationis cap. Licet* 14 *de sent. excom. in* 6. *Nauarr cap.* 27. *num* 129. *&* 168. *Toletus lib.* 1. *cap* 45. *Sylu. v. Suspensio num.* 2. Interdicti igitur personaliter repelluntur à testimonio ferendo in causis ordinariis, in exceptis admittuntur.

Iudæus regulariter repellitur à testimonio, *l. Quoniam, C. de heret. cap. Pagani* 25. 2. *q* 7. & concurrente Iudæo, & Christiano, etiam contra Iudæum præfertur Christianus, *cap. Iudæi* 21. *de testib.* Farinacius *q.* 56. *à num.* 205. *ad* 238. *de Bellis q.* 33.

Admittitur

40 Admittitur autem cum cæteris infidelibus *primo* contra alium infidelem à quocumque producatur, ex eodem Farinac.n.216. *Secunda*, contra alium Iudæum reuersum à fide,n.220. *Tertio*, eius dictum coadiuuatur adminiculis, & dictis Christianorum, n.223. *Quarto* de consensu expresso,vel tacito partium admittitur, n.225. quod aliqui negant, nec videtur hic locum habere, quia rei semper opponunt. *Quinto* demum admittitur in casibus exceptis, & difficilis probationis, *num.231.de Bittis q.33.à num.5. vsque ad finem.*

Quomodo debet iurare Iudæus admissus in testem? Debet iurare secundum legem suam,& Christiani secundum suam,*ex Farinac.q.56.n.258*.Hæc responsio videtur falsa, quia cum iuramentum sit Dei inuocatio in confirmationem depositionis,ac proinde referatur ad Deum verum,qui dominus est Christianorum, Iudæorum, & omnium idem omnino respectu illorum, frustra assignatur diuersus modus iurandi. Et Iudex admittens iuramentum Iudæorum videtur cum illis sentire Deum nondum in carne venisse.

℞. Vnum esse quidem Deum verum in vnitate, & Trinitate iam incarnatum ex seipso, respectu vero iurantium non concipi eodem modo, nam Catholici eum agnoscunt vnum in essentia,trinum in personis,etiam incarnatum; Iudæi vero solam in eo agnoscunt vnitatem, ideo vnusquisque secundum legem suam iurat in verbo diuino.

41 Inimicitia est odium vnius ad alterum ex variis causis ortum tum iustis, tum iniustis, qualitas autem causæ non attenditur præcise an sit iusta, vel iniusta, sed an ex ea orta sit inimicitia, quæ scilicet sit talis, vt moueret quem ad odium,*cap Non est crudelis 28.24.q.5.* Miranda *q.17. num.78.ex Farinacio*, potest ergo inimicitia oriri ex causa honesta, & inhonesta, *l.1 ff.de his.quib.vt indig.* Farinac. *q.53.num.20.*

42 Diuiditur autem inimicitia In Capitalem,& non Capitalem,vt docent omnes *cum Farinac q.49.initio, Miranda q.17. n.77.* Ca *ena par.3. tit.5.* §.1. Vtriusque cognitio, & discretio habetur ex notitia causarum, à quibus oriuntur.

43 Primo igitur inimicitia Capitalis oritur ex lite vel omnium bonorum,vel ex maiori parte eorum,ratio est,quia causa bonorum,& vitæ comparantur. Ita omnes,quos refert *Farinac.q.49.num.3.Barbosa ad cap Item cum quis 6. de restitut.spoliat.num.5.Possent.sing.170.num.4.* Nomine autem bonorum venit magna summa pecuniæ, pecunia est enim super omnia bona, cum sit omnium bonorum mensura.

44 An duret inimicitia finita lite? Sic, quia maior rancor, & odium experitur victus in fine litis, quam initio, dum sua bona possidebat. *Gratian. cap.738. num.54.* Farinac. tamen num.9. relinquit id arbitrio iudicis. Procedit hoc, siue lis sit super petitorio, seu super possessorio, cum sit maximum damnum priuari possessione bonorum, contra Baldum, & Blanchum asserentes ex lite super possessorio non oriri inimicitiam Capitalem, quia inquiunt, agitur de præiudicio modico, cum in petitorio reseruetur ius partis; quod esse falsum probat multis Gigas in Addit. ad Decium in cap. P. de appellat. vers. Hanc conclusionem, amisit enim emolumentum suorum bonorum ex alterius possessione, & illa iuris reseruatio in petitorio nihil aliud est,quam spes,quæ diu dilata affligit animam, & magnum excitat odium.

45 Ex his sequitur, litem bonorum, quæ sunt infra maiorem partem respectiue ad omnia bona inducere solam inimicitiam non Capitalem, ex allegatis ab eodem Farinac. q.49.num.13.& 14.

46 Secundo, oritur inimicitia Capitalis ex allatione bonorum, vel alicuius rei magni pretij, ex vulgata regula: Non est amicus noster, qui nostra bona tollit. *Ex cap. Item cum quis 6 de restitut. spoliator. Mascard.concl.898. num 7 B rrax lib.1.consf.481.num.1 & 2.* vbi exemplificat in surripientem boues. Etiam facta restitutione, secundum Decianum *lib.3.crimin.cap.25.num.55. Farinac. q.49.num.16 ad 20.*

Tertio ex causa matrimoniali oritur inimicitia Capitalis, hæc enim æquiparatur criminali, ex cap.penult.de restitut. in integr. ita Blanch. *ad leg.fin.ff de quæst.n.229. Decian.par.2.crimin.lib.3.cap.25.num.47.Farin.quæst.49. num.21.* 47

Quarto, ex accusatione criminali oritur Capitalis inimicitia, *Auth si testis, C.de testib. cap. Item cum quis, de testib. cap.Meminimus, de accus.* in quibus locis accusator vocatur inimicus. Procedit autem, siue crimen delatum sit Capitale, siue non; siue suam prosequatur causam, siue suorum; & mutua est inimicitia in vtroque tam in accusante, quam in accusato. Ita *Farinac. quæst. 49. numero 24. ad 27.* Doctores de mutua inimicitia refert *Barbos. ad cap. Cum P.* tit. *de accusat. numero 2.* 48

Quinto, inimicitia Capitalis oritur ex detentione in carcere, siue iusta, siue iniusta, modo habeat detinens animum nocendi detento, non autem si coniecit in carcerem, vt debita solueret, secundum *Decianum lib. 3. crimin. cap. 25. numero 40. Farinac. quæst. 49. num.28.* 49

Sexto, ex iniuria personali oritur Capitalis inimicitia, vt vulnus in faciem. *Farinac. quæst 49. num.29. & 30.* Non solum si iniuria sit facta mihi, sed etiam meo consanguineo, quia iniuria facta vni de familia censetur facta omnibus de illa familia, *l. Cornelia, ff. de iniur.* Et quia inimicus mei consanguinei dicitur meus inimicus, secundum *Bartol. in l.Tutor §. Si tutor, ff.de suspect. tutor.* Intelligitur inimicitia vsque ad quartum gradum, & non vltra. Idem *Farinac quæst.49. à num.31. ad 37.* oritur etiam ex iniuria verbali atroci, verbo, vel scripto per libellum famosum, agitur enim de fama, & honore hominis, siue iniuriatus sit præsens, siue absens, spoliatur enim homo honore suo per istera alterius lingua coram audientibus. Qui non curat de iniuriis,nec contrahit inimicitiam, dum odio non mouetur. *Farinac.q 49.n.38. ad 46.* 50

Septimo, ex minis capitalibus oritur inimicitia Capitalis, siue sit solitus exequi minas, siue non. *Farinac. q.49.num 47 & 48.* 51

Octauo, censetur inimicus, qui dicit, se non diligere Petrum, à fortiori, si dicat, se esse illius inimicum, & pariter dicens, quod illi noceret, si posset. Tamen, hæc verba non arguunt inimicitiam Capitalem. *Farinac. quæst.49. num.49. ad 53.* Primum dictum leuem infert præsumptionem inimicitiæ, quia secundum Philosophos datur medium, inter odire, & diligere, quod est per abnegationem quamuis non diligam Petrum, eum tamen odio non habeo, sed in hoc me negatiue habeo, quos enim non nouimus, nec diligimus, nec odimus, cum odio, nec amore dicantur digni, specialis enim dilectio, sicut inimicitia supponunt cognitionem inter vtrumque. 52

Nono, ex testimonio prolato in causa criminali oritur inimicitia inter testem, & contra quem testatur, *cap. Cum P. 10. de accusat.* Oritur autem ex parte querelati contra testem, non vero ex parte testis, nisi sponte se offerat ad testandum. Ita *Decian.lib.3.cap.25.n.62.& 63. Blanch. ad leg fin. ff.de quæst.num.155. Farinac.quæst.49. num.77.* 53

Decimo, inimicitia præsumitur ex inobedientia, *Gloss. v. Et inimicus in cap. Si Diaconus dist.vlt 50. ex cap. Quoniam vetus 24. quæst.1.* Asserunt Capitalem cum Decian. *lib.3.cap.25.num.80. Farinac. quæst. 49. num.78 & 79.* 54

Vndecimo, ex diuortio inter coniugatos secuto oritur inimicitia, *l. Cicero, ff.de pœnis, Decian.num.79. Farinac. num.80.* 55

Duodecimo inimicitia oritur per expulsionem famuli, qui præsumitur inimicus expellentis. Non est Capitalis, nisi fuerit facta per vim, & cum armis. *Decian. cap. 25. num. 41. Farinac. num. 81. & 82.* Aliud autem est expulsio, aliud licentia, quia non est bonus, vel fidelis domino. 56

Decimo

57 Decimotertio sunt mei inimici, etiam amici familiares, consultores fautores, & adhærentes meo inimico. *Blanchus de indic. n. 163. & seq. Farinac. quæst. 49. n. 57. ad 60.* Necesse autem est, quod amicitia, quam isti habent cum meo inimico sit continua, & magna, & cohabitante meo inimico. Neque isti dicuntur mihi inimici capitales. *Mascard. concl. 898. n. 19 & 30.*

58 Decimoquarto iudex nunquam dicitur inimicus capitalis, cum ex officio suo munus exequatur, & non ex odio, tamen condemnatus ita concipit cum suis. *Farinac quæst. 49. num 72.*

59 Decimo quinto, Aduocatus, seu Procurator accusatoris dicitur inimicus accusati, non tamen capitalis, est enim amicus accusatoris, Farinac. quæst. 49. num. 73. ad 75.

60 Decimo sexto, ex retentione vxoris alienæ oritur inimicitia capitalis inter retinentem, & virum. Ita Doct. *in cap Accedens d. 1. Vt lite cont. in Barb. Farinac. quæst. 49. num. 83. Mascard. concl. 898. num. 20. & 21.* ampliat ad eum, qui retinet sororem, vel aliam coniunctam, *Bartazol. lib. 5. consil. 284. n. 10.* Idem dic de eo, qui adulterauit cum vxore licet eam secum non retineat. *Decian. c. 25. num. 55. fine.* Si maritus, & alij sint contenti, vt quandoque contingit, tunc nulla est inimicitia, sed diabolica amicitia fouens luxuriosos.

61 Farinac. quæst. 49. num. 86. ait, supradictos casus approbari in iure & à Doctoribus, qui asserunt, esse in arbitrio iudicis, an & quando inimicitia sit dicenda capitalis, regulando suum arbitrium secundum facti, & personarum qualitates, & circumstantias. Ex his sequitur quæstio, an testis inimicus repellatur à testimonio ferendo.

62 Inimicus capitalis repellitur à testimonio ferendo non solum masculus, sed etiam fœmina, *l. 3. ff. de testib. cap Repellantur. cap. cum P. cap. Meminimus, cap. cum oporteat, de accusat.* De fœmina *l. 1. C. de his, qui se defer. lib. 10 Farinac. quæst. 53. num. 3. & 4.* Procedit etiam in criminibus exceptis ex eodem, num. 5. cuiusmodi sunt hæresis, crimen læsæ maiestatis, simonia

63 &c. *ex cap Per tuas de Simon. Menoch. cons. 149. numer. 14. Viuian. lib. 4. comm. tit. 10. numer. 137. Mascard. concl. 857. num. 40. Rodriq tom 2. quæst. 15. ar. 2. cum illis Barb. ad dictum cap 32. Simon. num. 5.* Item repellitur in casibus occultis, & difficilis probationis. Farinac. quæst. 53. num. 7. Id autem ita verum est in omnibus casibus, vt non credatur capitali inimico, si testificaretur existens in articulo mortis, ex allegatis à Farinac. num. 11. ita quod nec tortura potest purgare hanc inhabilitatem inimicitiæ, cum sit radicata in voluntate inimici, lex enim de inimico capitali omnia mala præsumit, ideo nec Princeps facere potest, vt credatur testi inimico, *ex Paris. lib. 4. cons. 2. num. 61. ex eo Menochi quæst. 28 numer. 3. ex illis Farinac. quæst 53. num. 9.* Testimonium igitur inimici capitalis ita inutile est, & nullius, momenti, vt nec sufficiat ad inquirendum etiam generaliter, nihil ergo probat, de communi Farinac. num. 15.

64 Supradicta vera sunt non solum de inimico vero, & noto, sed etiam de suspecto. & occulto, ex eodem *Farinac. num. 34. & 35.*

65 Inimici vero mei, ex quo sunt amici mei inimici, & sic mediate tales, iuxta dicta sub num. 17. non omnino repelluntur, quia non sunt capitales, sed admittuntur cum suis exceptionibus. *Farinac. q 53. num. 36. ad 43. 44. & 45.*

66 Leuis ergo inimicitia non repellit in totum testem, qui admittitur cum sua exceptione, *Farinac. quæst. 53. n. 52. ad 57.* tantum ergo diminuitur de eius fide, quantum pariter qualitas inimicitiæ, ita in causis fidei idem Farinac. *quæst. 188. num. 110. Pegna part. 3. com. 110. Sousa lib. 1 cap. 0. numer 2. Castropal. par. 1. tract. 4. disp 8. p. 15. § 2. num. 9. ex illis Carena par. 3. tit. 5. num. 7.*

Reconciliatus testis de recenti non admittitur, sed diuturnus, nam ille præsumitur habere adhuc animum nocendi, quod diuturnitate temporis euanescit paulatim, & in totum præsumitur euanuisse post triennum. *Farinac. quæst. 53. num. 58. ad 62.* Relinquunt tamen arbitrio iudicis, quænam sit dicenda reconciliatio recens, & quæ antiqua. *Farinac. q. 188. num. 103. Sousa lib. 2. cap 10. n 6. Castropal. illa disp. 8. p. 15. § 2. n. 11. ex illis Carena par. 3. tit. 5. n. 8.* Admittitur ergo testis huiusmodi ex antiqua reconciliatione cum sua exceptione. 67

Quando quis procurauit inimicitiam ne quis examinatus faceret fidem, tunc testis huiusmodi non repellitur, ne querelatus dicatur reportare commodum ex suo dolo. *Farinac. q. 53. num. 64. qui seq num. 65.* ait. An inimicitia sit procurata per fraudem, vt iudicium eludatur, relinquitur arbitrio iudicis, alios citat *Carena part. 3. tit. 5. num. 10.* 68

Testis inimicus non repellitur, quando est talis ex æquo vtrique parti; sicut enim par affectio testem non repellit, ita nec repellere debet par odium, ex allegatis à *Farinac. q. 53. n. 66.* 69

Inimicus admittitur, quando pars præsens non opponit, quod tamen non placet *Deciano par. 1. crimin. lib. 3. cap. 25. n. 19.* Farinac. n. 70. ait, si admittatur à parte probare. 70

In duobus autem casibus inimicus admissus probat. *Primo*, contra producentem, quia censetur illum approbare pro legitimo. *Farinac. q. 53. n. 72. Grammat. decis. 34. num. 5. Craneta cons. 188. numer. 7. Mascard. concl. 1235.* Secundo, quando deponit in fauorem sui inimici, tunc enim cessat præsumptio, quod mentiatur, *ex eodem Farinac. n. 67.* 71

Notandum autem est, quod non sufficit reo allegare inimicitiam testis, quia non præsumitur, sed omnino probanda est, allegando & probando causam ex qua oritur, iuxta dicta initio huius capitis, de communi *apud Farinac. quæst. 49. n. 126. ad 135.* 72

SECTIO IX.

De Lenonibus, & Luseribus.

LEnones hoc est, Ruffianus, & Ruffiana, venditores alieni corporis ad luxuriandum, dicuntur facere quæstum ex alieno corpore, & notantur infamia, *l. Palam 43. § Non est ignoscendum ff. de ritu nupt. Item l. 1. l. Athletas 4. ff. de his qui not infamia*; repelluntur à testimonio in casibus ordinariis, & admittuntur solum in exceptis, & factis in prostribulis, vbi solent morari. *Farinac. quæst. 56. numer. 52. & 364. ad 369.* 73

Ludens ludis prohibitis illis assuetus prohibetur ferre testimonium, admittitur vero in causa ludi, quia de re censetur melius aliis informatus. *Farinac. q. 56. à numer. 427. ad 434.* Sed videtur id abiisse in dissuetudinem, cum in curiis Principum, & alibi exerceatur ludus non solum recreationis gratia, verum etiam lucri contemplatione. 74

SECTIO X.

De Periuris, Prodigis, & Proditoribus.

PEriurus, qui falsum deposuit in iudicio repellitur à testificando, *cap. quicunque 18. 6. quæst. 1.* illis verbis: *Nunquam in testimonium recipiatur*, nam præsumitur semper peieraturus, ex illo communi axiomate, quod malus semper præsumitur malus in eodem genere mali; quod verum est, etiamsi sit emendatus. Ita de communi *Farinac. quæst. 56. à num. 186. & 187.* Ita quod eius dictum non facit indicium nec ad torturam, *num. 188. & 189.* Nec admittitur 75

76 contra alium periurum, *n.* 190. Procedit ſiue ſit periurus in vno articulo, ſiue in omnibus, immo & in acceſſorijs, & extrinſecis, quia iuramentum fundans veritatem teſtimonij eſt indiuiſibile ſuper totam cauſam, ergo periurus in vno, in omnibus cenſetur talis, & ſic offendens in vno factus eſt omnium reus, *ex eodem num* 191. 192 *Guazin. Defenſ.* 28. *cap.* 13. *num.* 14. *&* 15. *Carena par.* 3. *tit* 6. *num.* 72. Neque per torturam habilitatur, vt eius dictum valeat, *numer.* 193. *Guaz. Defenſ.* 19. *cap.* 16. *numer.* 19. Repellitur quoque in crimine læſæ maieſtatis humanæ, numer. 196. non vero in cauſis fidei, *cap. Accuſatus* §. *licet vero* 8. *de hæret. in* 6. vbi periurus admittitur, ſi velit ſe corrigere fauore fidei, aliter non, numer.
77 203. Oportet autem opponentem periurium illud probare, & quod ex dolo procedat, quia ſine dolo periurium non committitur, n. 202.

78 Prodigus, qui propria bona diſſipat, & diſpergit, ſi habet interdictionem bonorum, repellitur à teſtificando, quia eſt infamis de facto, & comparatur pupillo, qui teſtis eſſe non poteſt, ſi vero adhuc retinet ſuorum bonorum adminiſtrationem, poteſt teſtificari. *Farinac. q.* 61. *n.* 457. *&* 458.

79 Proditor cum ſuis filiis, & fautoribus eſt infamis *ex l. quiſquis* §. *fin. C. de Ad leg. Iul. Maieſt.* ideo repellitur à teſtimonio. *Farinac. quæſt.* 56. *numer.* 127. *&* 432.

SECTIO XIII.

De Sacrilegis, Sortilegis, & Suſpenſis.

80 SAcrilegium rei ſacræ læſio triplex eſt, Perſonae, Locale, & Reale. Perſonale conſiſtit *Primo* in copula carnali habita cum perſona Deo ſacrata, ex voto ſolemni, vel ſimplici caſtitatis, & vagari poteſt per omnes ſpecies fornicationis. *Secundò*, læſione corporali perſonæ Eccleſiaſticæ ex canone de violenta manuum iniectione in Eccleſiaſticum ſuadente diabolo.

81 Sacrilegium locale hoc eſt, reſpectu Eccleſiæ, committitur tribus modis, effuſione ſanguinis humani, ſeminis humani, & extractione perſonæ, quæ confugerat in tutelam Eccleſiæ.

82 Sacrilegium vero reale tunc committitur, cum furatur quis rem ſacras, vel violat immunitatem Eccleſiaſticam. In his omnibus committitur graue peccatum mortale, propter quod ſacrilegus ſit infamis infamia canonica, qui propterea repellitur à teſtimonio ferendo, donec ille in tali peccato perſeuerect confeſſione non emendatus. *Ita cap. conſtituimus quæſt.* 3. *q.* 5. *cap Infames* 17. 6. *quæſt.* 2. *Farinac. quæſt.* 56. *numer.* 127 Sublato autem peccato, & cenſura per abſolutionem, probante ſchedula confeſſarij, poteſt teſtificari, quia infamia canonica præciſe ex peccato inducta ab ipſo non diſtincta à quo dependet, abſolutione tollitur cum ipſo peccato, *Gloſ.* 11. *leges cap.* 2. 6. *q* 1. *gloſ.* 11. *Niſi eis, c.* 3. *ead.*

83 Sortilegus abuſor rerum ſacrarum ex quouis malo fine infamis eſt, *ex cap. conſtituimus quæſt.* 3. *q.* 5. *cap. Infames* 17. 6. *q* 2. & repellitur à teſtimonio cum cæteris infamibus. *Farinac. q.* 56. *n.* 127.

84 Suſpenſus ſiue ab officio, ſiue in beneficio, iuxta dicta de excommunicato ſect. 6. & interdicto ſect. 10. repellitur à teſtificando, abſolutus non prohibetur. *Farinac. q.* 56 *n.* 242.

SECTIO XIV.

De Sodomitis, Raptoribus, Meretricibus, & Vſurariis.

85 SOdomia eſt coitus inter perſonas eiuſdem ſexus, ex communi Doctor. *apud Bonacin. quæſt.* 4. *de matrim. p.* 11. Eſt autem infamis, expreſſe *l. cum vir, numer.* 31. *C. ad legem Iul. de adulter.* Euadit autem infamiam patiens per vim ſtupratus, *l.* 3. §. *Remouet. ff. de poſtul.* Non ligat niſi poſt ſententiam, vel notorietatem, *ex Tolleno lib.* 2. *cap.* 74. *fine, Quarantà* 11. *eod. in Addn. limit.* 1. *Gorzas part.* 11 *cap.* 10. *num* 194. *Diana par.* 1. *tract.* 4. *reſol.* 11. *Theſaurus Ieſuita de pœnis part.* 2. 11. *Sodomia. Barb. Alleg* 44. late Farinac. de pœnis huiuſcemodi, quæſt. 148. Vide *infra cap.* 8. *ſect.* 3. *q.* 15.

86 Raptus eſt abductio mulieris, ſeu pueri per vim facta abducto, vel reſiſtentibus eius parentibus, aut illis, ſub quorum cura eſt perſona abducta, ad explendam libidinem vel ad contrahendum matrimonium. Requiritur ergo violenta extractio perſonæ, & quod fiat cauſa libidinis, vel matrimonij. Colligitur *ex cap. lex illa* 36. *quæſt* 1. *Clarus* §. *Raptus. Farinac. quæſt.* 145. eſto mulier rapta ſit impudica, *ex eod. num.* 153.

87 Raptor autem duas incurrit pœnas, nempe infamiam, & excommunicationem nulli reſeruatam, ex Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. Infamia non incurritur niſi poſt ſententiam *ex Sanch. lib.* 7. *diſp.* 13. *Molina tom.* 1. *diſp.* 96. *Verſ. Duo obſerua.* Et ſic raptor habet contra ſe duas exceptiones, infamiæ, & excommunicationis, quas etiam incurrunt, auxilium, vel fauorem præſtantes ad raptum, vt expreſſe dicitur in Tridentino. Procedunt dicta ſiue abducatur vt virgo, ſiue vidua, & alia quælibet vilis mulier. Abducens autem puerum has non incurrit pœnas, quia Tridentinum loquitur de mulierum abductione.

88 Meretrix eſt, quæ multorum libidini patet, *Hieron. relatus cap Vidua* 16. *diſt.* 34. Vel eſt illa, cuius turpitudo publice venalis eſt, *ex S. Auguſt. relato cap. Meretrices* 11. 32. *quæſt.* 4. Vel eſt illa, quæ paſſim, hoc eſt, ſine delectu ſe proſtituit multis, quæ enim cum vno, & altero tantum ſe pecunia accepta commiſcuit, non videtur palam de ſuo corpore quæſtum facere, *ex l. Palam* 43. *ff. de ritu nupt.* Ex his colligitur tria facere meretricem, *Primo* venalitatem ſuæ turpitudinis, dum propter quæſtum vendit vſum ſui corporis, nam ex ſola delectatione, & amore proprie non fit mulier meretrix, ſed paucæ ſunt, quæ non iungant amorem cum lucro. *Secundo*, debet turpitudo eſſe publica, venalia enim publice exponuntur. *Tertio* quæ vltra duos tertium admiſit incipit eſſe meretrix, expreſſe in citata lege, vbi his poſitis conditionibus, incurrit meretrix notam infamiæ, quam non abolet ea, quæ deſiit facere quæſtum ſui corporis, vt ibidem dicitur. Vide *Megal. de Pœnit. in Append. & conſ* 9. vbi multa congerit de meretricibus, *Farinac. quæſt.* 56. *à n* 358.

89 Sodomita repellitur à teſtificando vti perſona infamis ex dictis, ſi enim repellitur adulter, & concubinarius cum inceſtuoſis, à fortiori iſte, cuius crimen eſt grauius. Ita Nouellus *Reg.* 216. *numer.* 28. *Maſcard. concl.* 1313. *num.* 16. *ex illo Farinac. quæſt.* 56. *n.* 127. Applica doctrinam in quæſtionibus relatam.

90 Raptor pariter repellitur à teſtificando, cum ſit criminoſus, & infamis, & cum duas patiatur exceptiones excommunicationis, & infamiæ nihil probare poteſt etiam cum aliis nec etiam ad torturam.

91 Meretrix pariter repellitur à teſtificando in cauſis facilioris probationis, vtrique in difficilioribus, & exceptis, cum ſua exceptione, & ideo vnica non facit indicium ad torturam, niſi adminiculetur. Ita Farinac. *quæſt.* 56. *à numer.* 358. *ad* 369. vbi ait, admitti ad probanda ea, quæ facta ſunt in proſtibulo, in quo cum aliæ perſonæ ab his diſſimiles non verſentur, à quibus veritas haberi poſſit, ideo ad has recurrendum eſt pro veritate ſcienda, quod dixerat etiam *ſub numer.* 52. *& quæſt.* 188. *de hæreſi à numer.* 83. *Carena part.* 3. *tit.* 5. *numer.* 29. *&* 30.

Poſſunt.

Possent. singul. 202. Admittuntur autem supradicti cum tortura, extra Tribunal S. officij, *iuxta dicta cap.* 8. *num* 30.

92 Vitiantur vti infamis *ex l. Improbum* C. *Ex quibus caus.* infamia irrogetur, repellitur à testimonio ferendo etiam post peractam pœnitentiam, quia infamia iuris a Principe tantum tollitur, & non abolenti per Pœnitentiam, *Farinac. quæst.* 56. *à numer.* 352. *ad* 357.

SECTIO XV.

De Socio Criminis Teste.

93 SOcius dicitur multis modis, primo in negotio ciuili, secundo in officio, tertio in itinere, quarto in crimine, in quo vltimo sensu potissimum hic agendum est, quomodo possit esse testis, & quid probet? Est autem socius criminis ille, qui simul cum alio idem delictum committit, infra n. 113.

Quæres autem primo, an accusans, seu denuntians socium sub spe immunitatis aliquid probet contra socium?

94 ℞. Nihil probat, quia in tali casu non potest spectari vt testis, cum non dicatur citatus, dum sponte comparet, vt pœnam euitet, ideo eius confessio non nocet reo, Ita *Farinac. q.* 43. *num.* 192. *Carena par.* 3. *tit.* 10. *num.* 35. *Gurba consil. crim.* 22. *n.* 29. *Ciriacus controu.* 488. *n.* 47. *tom.* 3.

Quæres 2. Quid probet deponens vt testis?

95 ℞. De se nihil probare, quia fatendo delictum ipso iure se facit infamem, *cap. In primis* 7. 2. *quæstione* 1. ac proinde hanc patiens exceptionem dicitur inhabilis ad probandum ad torturam, Ita omnes *cum Farinac. quæst.* 43. *num.* 3. *& seq. de Bictis q.* 65. *n.* 8. Procedit *Primo*, licet sit bonæ famæ, ex eodem num. 24. *Secundo*, siue examinetur vt reus, seu vt testis num. 3. de Bictis n. 11. *Tertio*, quando non potest interrogari de complice, ex num. 41. licet essent plures socij, idem de Bictis num. 14.

Quæres 3. An probet in casibus exceptis?

96 ℞. Socius vnus in crimine non facit indicium ad torturam nisi duobus concurrentibus, adminiculis scilicet, & tortura, modo alios non patiatur defectus. Ita omnes *cum Farinac. quæst.* 43. *à num.* 56. *ad* 124. *&* 145. *de Bictis quæst.* 65. *à num.* 15. *& seq.* De tortura, quæ aliquo modo eius fidem fortificat, & infamiam aliqualiter purgat, *Farinac. quæst.* 43. *num.* 134. *Carena par.* 3. *tit.* 10. *num* 38. *Possent. singul.* 296. *numer.* 4. in facie rei torquentur, *Farinac. con.* 156. *numer.* 22. 28. *&* 30. Sed non est in vsu facialis tortura. In S. officio socius non torquetur, quia per nullum interesse deponit, sed zelo fidei. *Simanch. de Catholic. instit. tit.* 33. *num.* 58. *Diana part.* 4. *tract.* 6. *resolut.* 10. *Carena part.* 2. *tit.* 12. *numer.* 233. Si patiatur præter infamiam societatis alios defectus, reiicitur *à Farinac. quæst.* 43. *num* 178. *de Bictis quæst.* 65. *num.* 16. Et patet ex dictis de testibus inhabilibus.

Quæres 4. An duo socij probent ad torturam contra tertium, si alium defectum non patiantur.

97 ℞. Affirmatiue, ita Carena *part.* 3. *tit.* 10. *num.* 37. *ex Diana part.* 4. *tract.* 6. *resol.* 7. Ciarlin *cap.* 10. *num.* 219 *Cerrato controu.* 80. *numer.* 3. *Farinac. quæst.* 43. *num.* 41. *&* 42. *Guarzin. Defens.* 32. *cap.* 8. *numer.* 4. Sine adminiculis, quia vnus alteri adminiculatur.

Quæres 5. An prædicta locum habeant in socio, qui non poterat interrogari super socio.

98 ℞. Non potest, interrogare quando socius est omnino occultus, & nulla laborat infamia, exceptis casibus priuilegiatis, & aliis difficilioris probationis, alias si interrogetur contra iura nihil omnino probat.

Primum, quod Socius non sit interrogandus super 99
complicibus, habetur expresse *cap.* 1. *de confessis*, *cap. Veniens.* 20. *de test. cap. Nemini S.* 13. *quæst.* 3. *l. fin. Cod. de accusat. l. Repeti.* 16. *ff. de quæst.* Quia quilibet tenetur celare secretum sui amici, hanc rationem adducit Peguera decis. crim. 5. apud Farinac. quæst. 43. numer. 3. Præterea cum de se confessus sit infamis, ex supradictis, frustra deponit contra alios. Procedit in societate furti, *Farinac. numer* 43. Simoniæ *numer.* 53. falsificantium instrument. *numer.* 47. *&* 48. homicidij *numer.* 50. *de Bictis quæst.* 65. *à numer.* 5. *ad* 7. Vide Barb. ad prædicta capita, vbi plures colligit Doctores.

Secundum, quod socius interrogetur de sociis in 100
casibus exceptis, ab omnibus docetur ex cap. 1. de confessis, vbi excipitur crimen læsæ maiestatis, ita plerisque apud Barb. ibidem numer. 3. *Farinac. q.* 43. *à numer.* 58. *ad* 67. *Sousa lib.* 2. *cap.* 25. *numer.* 18. *Carena part.* 3. *titul.* 10. *numer.* 35. Maxime in S. officio ex speciali decreto Pij V. qui statuit, conuictum, seu confessum de hæresi super complicibus, non solum interrogandum, sed etiam torquendum. Refertur à Diana part. 4. prope finem constitutionum.

Tertium, quod dictum contra socium admittatur 101
in casibus difficilis probationis, probatur pluribus à Farinac. q. 43. à n. 68. ad 78.

Quartum, quod interrogatus de socio iniuste, ni- 102
hil probet, constat ex dictis iuribus, in quibus dicitur, quod de se confessus super aliorum conscientiis non debet interrogari, quia ei credendum non est, ne sit ergo frustratoria interrogatio prohibetur. Ita præcitati.

Quæres 6. An ea iura de non interrogando confessum super conscientia sociorum, nunc seruentur.

℞. Multi, praxim esse in contrarium, vt compli- 103
ces interrogentur de sociis, contrarium tenet Clarus, & Farinac. quæst. 43. numer. 124. postquam retulit Doctores testantes de hac consuetudine, quam sequuntur multi cum *Guar. defens.* 30. *quæst.* 9. *num.* 2. *de Bictis q.* 80. *alios referens num.* 36.

Quæres 7. Quænam sint adminicula, quæ cum teste socio faciunt indicium ad torturam de qua quæst. 3.

℞. Esse sex *Primo*, inimicitiam capitalem occisi con- 104
currentem cum dicto socij, Farinac. quæst. 43. num. 168. *Secundo*, famam contra nominatum, numer. 169. *Tertio*, fugam nominati, numer. 170. *Quarto* strictam amicitiam, & assiduam conuersationem cum nominato, n. 171. & 173. *Quinto* allocutionem factam ad aurem cum nominato immediate ante delictum, num. 175. *Sexto* denique testes de auditu adminiculantur dictum socij, à n. 175. Ita ex illo de Bictis quæst. 65. à n. 20. ad 26.

Quæres 8. An confessus adulterium interrogari possit de complice.

℞. Adulter non potest interrogari de lenonibus, 105
nec mediatoribus, nisi contra ipsos fama clamet, & tunc eius depositio cum adminiculis facit indicium ad torturam. Adulterantis contra adulteratam depositio nunquam facit indicium ad torturam, nisi sit adminiculata indiciis. Ita clarè *Farinac. quæst.* 45. *à n.* 85. *ad* 89.

Quæres 9. An Sodomitatus interrogari possit super complicibus, lenonibus, mediatoribus, & an ab aliis passus fuerit.

℞. Non potest interrogari nisi ipse, & illi labo- 106
rent infamia, quod delictum carnis fuerit commissum cum aliis, & aliæ personæ interuenerint, ex dictis à Farinac. quæst. 45. numer. 100. Patientis autem dictum per se non probat ad torturam, siue sit maior, siue minor, nisi concurrant adminicula, & dictum in tortura

sit confirmatum, etiamsi dicat se vim passum fuisse contra suam voluntatem, ex eodem numer. 99. vbi hoc responsum dicit esse communiter receptum, & cons. 25. crim. per totum rem hanc fuse probat, & in cons. 156. ait, torturandum esse patientem in faciem rei, num. 22. 28. & 50. & si patiatur alios defectus nihil probat consil. 156. n. 2. Vide *Guazin. Defens.* 19. *c.* 10. *n.* 8. *&* 9.

Quæres 10. Quænam sint adminicula probantia delicta carnis, per quæ possit iudex deuenire ad torturam ex dicto patientis.

107 ℞. Delicta carnis, cum sint difficilioris probationis, per indicia, & præsumpoones probantur ex allegatis à Farinac. quæst. 148. num. 66. cuiusmodi sunt tergiuersationes, quassationes, vociferationes, clamores, dormitio cum puero, seu puella, aut muliere indicium proximum ad torturam, ex eodem num. 69. de Bictis q. 120. numer. 52. camisia reperta sanguinolenta, numer. 70. à fortiori si habet anum fractum, quod inspicitur vti corpus delicti per chirurgos, *Mascard. conclus.* 1313. *n.* 3. *idem* Farinac. *quæst.* 148. *numer.* 24. Quando vero nulla est fractura, non occurrit probare corpus delicti, dum non apparet, *ex eodem numer.* 24. Oscula pariter, tactus, & amplexus probant, numer. 71. deosculatio pueri infra decennium non arguet luxuriam, sed beneuolentiam, numer. 72. Mala fama agentis bonum contra eum adminiculum, *num.* 73. *de Bictis quæst.* 120. *numer.* 22. Scriptura de hoc delicto non probat, ex consil. crim. 25. numer. 40. Tentatus, qui non consensit, non potest dici Socius criminis, numer. 52. debet tamen probare resistentiam. Copula probatur etiam per violentas præsumptiones, cum testes deponunt, se vidisse solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto iacentem, cap. literis 12. de præsumpt.

Quæres 11. An enumeratæ præsumptiones, cum dicto patientis sufficiant ad condemnationem pœnæ ordinariæ.

108 ℞. Negatiue, quoad pœnam mortis, vtique vero ad aliam corporalem, aut extraordinariam. *Farinac. quæst.* 136. *numer.* 24. *ex eo Barbosam ad cap.* 2. *de præsumpt. numer.* 7. & colligitur ex cap. Literis 14. de præsumpt. vbi statuitur, quoad propter vehementem suspicionem de hæresi nunquam quis condemnatur vt hæreticus, *vbi Barb. numer.* 4. *Doctores colligit. Vide de Bictis quæst.* 120. *numer.* 28. Vide infra cap. 28. *quæst.* 9.

Quæres 12. An duo Socij contra tertium probent iuxta dicta quæst. 4. Si non concordant loco, & tempore.

109 ℞. Probant, modo sint contestes in substantia delicti, & non agatur de vnico delicto articulato. Et de hoc consentit, cum sermo erit de testibus singularibus. Ita Clarus *quæst.* 21. §. *Sed pone, cum aliis Diana par.* 4. *tract.* 0. *resol.* 6. contra plures citatos *à Carena par.* 3. *tit.* 10. *n.* 41.

Quæres 13. An Socius patiens plures defectus probet ad torturam.

110 ℞. Negatiue, quia inhabiles ex pluribus defectibus reprobantur ex edictis cap. 8. numer. 15. Ita Farinac. *quæst.* 43. *numer.* 178. *& consil.* 216. *numer.* 2. *Diana par.* 4. *tract.* 6. *resolut.* 8. *Carena part.* 3. *titul.* 10. *numer.* 52.

Quæres 14. An quis in culpando se solum excuset præsomptum socium delinquentem.

111 ℞. Exculpatio socij criminis non prodest exculpato, quando ille est inductus in testem ab inquisito, secus si ex iudicis officio examinatus de se confessus alios exculpet, quia tunc exculpatio prodest. *Farinac. quæst.* 43. *num.* 11. *&* 13.

Quæres 15. An emens à fure rem furto soblatam dicatur socius in crimine.

112 ℞. Negatiue, quia Socius in crimine dicitur ille, qui cum alio simul concurrit ad perpetrandum delictum e. g. duo homicidium committunt vnus vulnerando ense, alter explosione sclopi. Vnus effodit parietem, alter ingreditur domum, alter admouet scalam &c. Socij dicuntur omnes ponentes propriam actionem in perpetrando delictum. Constat autem in casu nostro emptorem non concurrisse ad furandum, sed tantum ad emendum rem iam furatam, ergo non dicitur socius in crimine furti, cui non fuit cooperatus. Esto quis scienter emeret à fure rem furto sublatam, ad leue non esset socius criminis, quia aliud est emere, aliud furari, cogeretur tamen ad restitutionem, & in foro etiam conscientiæ teneretur ad restitutionem. A fortiori emens à fure ignoto non est habendus pro socio, vel bona fide, vt emens à Sacrista calicem, ex quo est officialis, vel à religioso, qui alias coram superiore alios inierat contractus, omnino excusandus est à suspicione societatis criminis, vnusquisque enim præsumendus est bonus, nisi sit probatus malus. Quare emens testificans contra eum, à quo emit, legitimus est testis nec exceptio Socij criminis opponi potest.

CAPVT XI.

De Testibus inhabilibus sine culpa.

IN præcedenti capite actum est de inhabilibus, qui sunt tales ex propria culpa, nunc vero tractandum est de eisdem, qui inhabiles sunt non ex culpa, sed ex alio defectu, iuxta sequentes sectiones.

SECTIO I.

De Cæco, Surdo, & Muto.

CÆcus ille propriè dicitur, qui caret vtroque lumine, & nullo modo videt, siue sit à natiuitate talis, siue ex accidenti orbatus, *l.* 1. *C. qui morbo se excus. lib.* 10. *l. Hac consultissima S. C. qui testam. fac.* Qui autem lumina habet debilitata, & parum videt, cæcus non est, qui vno caret oculo, monoculus appellatur. 1

Cæcus omnino repellitur à testimonio circa ea, quæ pendent à visu, quia esto sanum habeat auditum, hoc tamen non sufficit, quia testis debet esse præsens formaliter, hoc est, cum potentia visiua facto, super quod sit depositio, iure autem quis non dicitur esse præsens, quando non videt rem, super quam testari debet, *l. coram Titio ff. de verb. obligat. Testes* 3. 4. *quæst.* 1. *Testium C. de test.b. cap. cum causam de testib.* Farinac. quæst. 61. à num. 20. qui numer. 22. excindit cæcum à testificatione inuentarij; & numer. 23. in testamentis, quia testis debet videre rem inuentariatam, & personam testamentum facientem sibi notam. 2

Quando obiectum probationis est res cadens tantum sub potentia auditus, tunc cæcus potest testificari, si bene audit, & notam habet personam loquentem, vel sonum instrumenti. *Farinac. quæst.* 61. *numer.* 24. *qui numer.* 25. ait, posse testificari de actione iniuriarum, de stipulatione, & aliis, quæ auditu percipiuntur. 3

Debet autem persona loquens esse illi notissima in sono suæ loquelæ, aliter patitur exceptionem, supposita ergo certudine loquelæ, strepitus, soni campanæ &c. cæcus dicitur testis legitimus. *Farinac. q.* 61. *numer.* 31. Nullam autem patitur exceptionem, si deponat de iis, quæ vidit, seu audiuit, antequam cæcus fieret, n. 32. 4

Surdus tantum non repellitur à testificando super re cadente in sensu suo integro, & non impedito, 5

vnde Surdus videns bene deponit de crimine cadente sub visum. Idem vero Surdus repellitur à certificando super delicto audibili tantum, vt super blasphemia, iniuria, &c. *Farinac. q.61. num.45.*

6 Surdus vero, & mutus, & à fortiori etiam cæcus nihil deponere potest, etiam per nutus, & signa, per quæ testimonium redditur nimis obscurum. *Farinac. quæst.61. num.49.*

7 Surdus, & mutus, non cæcus, qui sciat scribere admittitur ad probandum crimina visibilia, quibus interfuit, deponendo in scriptis suum testimonium, quando veritas per alios haberi non potest. *Idem Farinac. quæst.62. num.52. Blasius Michaborius de Cæco quæst.35. num. 4.* Quod autem testis proprio ore debeat deponere locum habet in illis casibus, in quibus haberi potest testis loquens, non in casu necessitatis, in quo scriptura successerit loco linguæ, æque enim bene scribitur, quod ore profertur.

8 Surdaster, vel balbutiens, quorum locutiones claræ possunt percipi, non repelluntur à testimonio, cum eorum depositiones sint legitimæ, & nullam patiantur exceptionem.

SECTIO II.

De Litigatore, Spurio, Paupere, & Vili.

9 Litigator, non ille, qui suas causas in iudicio ex necessitate prosequitur, sed qui alienas lites emit, repellitur à certificando, quia calumniator præsumitur, hi enim homines omnia mala sciunt, & omnia mala propter interesse, & auaritiam faciunt, *ex allegatis à Farinac. q.56. num.461.*

10 Spurius ex quouis coitu etiam soluti cum soluta procreatus, repellitur à testimonio, quia est persona infamis infamia facti, secundum omnes. *Farinac. quæst. 56. numer.404.* Procedit etiam in legitimato, *numer.* 403. Admittitur vero si sit bonæ famæ, *n.* 410. Item religiosus legitimus est testis, cum professione tollatur infamia. *numer.* 411. Integer est etiam Spurius ex nobili statu, & conditione, *num* 412.

11 Paupertas duplex, necessaria ex infortunio orta, & voluntaria consistens in abdicatione proprij, & hæc est virtus in religiosis, quæ eorum fidem in testificando auget; illa vero est pauperum, qui sunt tales contra propriam eorum voluntatem, quibus fortuna huius seculi est contraria, & de eorum fide diminuit de mente plurium.

12 Pauper igitur necessitatis, si sit malæ famæ, repellitur à ferendo testimonio, *l. 3. ff. de testib.* quia ex paupertate oritur in teste præsumptio mendacij, & corruptionis, vt ibidem dicitur: *Vt lucri causa quid facile admittat.* Hæc autem præsumptio firmatur auctoritate Salomonis, qui in Prouerb. 30. num.9. ait: *Aut egestate compulsus furer, aut periurem nomen Dei.* Confirmatur *ex l. Nonnulli C. de accusat.* vbi prohibentur pauperes accusare, ergo à fortiori testificari, quia testimonium est maioris præiudicij, cum secundum allegata sit iudicandum, non secundum accusationem, quæ nullum gradum probationis facit. *Farinac. quæst.57. n.15.*

13 In casibus exceptis, & aliis difficilis probationis admittitur, & si sit bonæ famæ nullam videtur pati exceptionem.

14 Admittitur ad probandam rei innocentiam, *ex eodem Farinac. quæst. 57. num.22.* Duo examinati contra reum faciunt iudicium ad torturam, *num.* 24. Si patiantur alios defectus repelluntur, *numer. 46. de Bictis q. 36. num. 13.*

15 Sed quid est pauper? Resp. *Farinac. quæst. 57. n.47. ad* 51. eum esse, qui tota die laborat in agro, vt sibi, & familiæ suæ victum quærat, cuiusmodi sunt agricolæ, artifices, ac mercenarij. In hoc sensu accepta paupertate, dico ego, pauci inuenientur testes integri, cum maior sit pars horum, quam aliorum, & hi passim citentur, & non diuites, qui dedignantur ferre testimonium. Crederem, nomine pauperum, qui repelluntur à testificando esse illos, qui mendicant, & qui sunt mercenarij, quorum patrimonium fere nullum est, vel valde exiguum. Alij pauperem vocant non habentem quinquaginta aureos in bonis, alij id relinquunt arbitrio iudicis, *ex eodem Farinac. quæst.57. num. 91. &* 93. Criminalistæ autem interrogant testem quot in bonis habeat, vt iudex possit arbitrari, habeatne locum exceptio paupertatis.

Pauper bonæ famæ, & honestæ vitæ est omnino integer ex num. 75. igitur paupertas vi sic non repellit à testimonio, sed tantum coniuncta cum mala fama. 16

An torturandus sit pauper? Mox dicam cum de persona vili.

Vilis persona secundum Farinac. q.57. n.54. est villanus, & qui ex infima plebe est natus, seu a vilitate exercitij, vt Histriones, Buffones, & Ioculatorij *in cap. primum de vita, & honest. cler. in 6.* Subiungit numer. 61. ex vilitate testes non repelli in totum, sed tantum diminui de eorum fide, qui non est torquendus si sit honestæ, & probatæ vitæ, num.66. si vero est malæ famæ torquetur num. 67. Si verò vilis sit etiam pauper repellitur ob has duas exceptiones, n.71. 17

Persona autem vilis, *secundum l. Humilem. 7. C. de incestis, & inutil. nupt.* est illa, quæ malis moribus notatur, non qui est pauper, igitur deterior est vilis persona, quam pauper ex dicta lege. Vnde nescio quo iure Farinacius repellat pauperem a testificando, & non vilem, cuius fidem ait tantum diminui, & pauperem torqueri ad purgandam suspicionem, num.20. non vilem, & tamen *cap. In primis §. Testes 2. q. 1.* dicitur, quod viles personæ torquentur. 18

Concludo igitur personam vilem, & pauperem existentem cum mala fama, esse torquendum, & non aliter, licet diminutam habeant fidem. Lege *eundem Farinac. q.57. n.66. & seq.* 19

SECTIO III.

De Muliere, Minore, & Furioso.

Mulier de iure ciuili admittitur ad testificandum in terris extra statum ecclesiasticum, in ordine tamen ad pœnam corporalem non censetur maior omni exceptione, *ex Farinac. q.59. num 23. ad 27.* iure vero Canonico repellitur, *cap. Mulierem 33. q. 5. cap. Forus, de verb. signif. ex eodem a n.1. & seq.* 21

In casibus difficilioris probationis, & exceptis, mulier admittitur cum sua exceptione sicut alij inhabiles. *Farinac. q.59. n 8. ad 14. Portel. part 1. casu 25. n.2. & 3.* contra religiosum. Recipitur ad defensionem innocentis, *num.* 15. quando patitur plures exceptiones reijcitur, *num.* 24. In causis S. officij admittitur cum sua exceptione, *ex num.11. & q.188 num.76. Carena par. 3. tit. 5. numer. 14. Sousa lib. 2. cap. 13. num. 16. Castropal. par. 1. tract. 4. disp. 8. p. 15. § 1. num. 7.* 22

Vna fæmina quamuis honestissima non probat ad torturam, cum non sit testis omni exceptione maior. Ita Farinac. *q.137. num. 32. Campanilis Rubr. 11. cap. 32. num. 6. Leonissa tom. 1. consil. crim. cons. 55. num. 12. Carena par. 2. tit. 6. num. 61.* contra Zanardum *tom 2. c. 88. de tortura*, asserentem, vnicam mulierem honestam indiciare confessarium ad torturam in causa solicitationis, nisi sit bonæ famæ. 23

Certum quoque est, duas fæminas non probare ad condemnationem, *ex allegatis à Farinac. quæst. 59. n. 27. Portel. part. 1. casu 25. numer. 3. ex Rodr. tom. 4 c. 150. numer. 3.* Sufficiunt vero, quando causa tractatur ciuiliter e. g. ad dissolutionem matrimonij, numer. 30. 24

24 Minor vſque ad vigeſimum excluſiue repellitur à ferendo teſtimonio *ex lib. Teſtimonium* 20. *ff. de teſtibus Farinac. quæſtione* 58. *à num.* 1. *ad* 15. vbi ait teſtimonium eſſe ipſo iure nullum, etiam parte non opponente *Carena par.* 3. *titul.* 5. *numero* 49. *ait cum Farinac. num* 3. proximos pubertati, id eſt, poſt decimum annum cum dimidio, in caſibus difficilis probationis, & in caſibus exceptis admitti ſine iuramento, & facere indicium ad inquirendum, non autem ad torturam, niſi eorum dictum eſſet adminiculatum præſumptionibus, & adminiculis ad arbitrium iudicis, *ex eodem Carena* Farinac. *num.* 52. Minores decem annis, nihil penitus probant, quia imperfectum habent vſum rationis, *Farinac. q.* 58. *num.* 47. *Carena n.* 57.

25 Furioſus, qui mento captus eſt, repellitur omnino à teſtificatione, quia æquiparatur amenti, & carenti vſu rationis, qui neſcit, quid facit, aut dicit. De iis verò, quæ vidit, aut audiuit, dum mente ſanus erat, poteſt teſtimonium perhibere mente quietus *Farinac. q.* 61. *à num.* 1.

26 Idem dicendum eſt de mente captis fatuis, lunaticis, & phræneticis, qui ignorant quid dicunt, dum mente ſani non ſunt, *idem à n.* 4. *& ſeq.*

CAPVT XII.

De Teſtibus Conſanguineis, & Affinibus.

1 COniuncti conſanguinitate, vel affinitate repelluntur à teſtificando contra extraneum querelatum à coniuncto. Ita c. 1. 3. q. 5. vbi de conſanguineis his verbis: *Conſanguinei accuſatoris aduerſus extraneos teſtimonium non dicant. Sed ſi voluerint, & ad inuicem conſenſerint inter ſe parentes tantummodo teſtificentur, & non in alios.* De affinibus vero cap. Similiter 10. 3. quæſt. 5. & cap. Abſens 18. 3. quæſt. 9. iterum de conſanguineis cap. 11. 3. q. 5. *Nec etiam conſanguinei accuſatoris aduerſus extraneos teſtimonium dicant, quia propinquitatis affectio veritatem impedire ſolet.* Repelluntur ergo conſanguinei, & affines à teſtimonio ferendo contra extraneum in criminalibus cauſis. *Farinac. q.* 54. *num* 2. 4 *&* 5. etiamſi de crimine agatur ciuiliter, num. 6. & admitti nihil probant num. 10.

2 Repulſio autem iſta fit, ſiue ſint conſanguinei per rectam lineam, ſiue tranſuerſalem aſcendentium, vel deſcendentium, ex eodem *Farinac q.* 54. *n.* 29.

3 Sicut non admittuntur conſanguinei, & affines ſanguine coniuncti contra extraneum, ita neque cogi poſſunt teſtificari contra coniunctum, *ex l.* 4. *ff. de teſtib. Farinac. quæſt.* 54. *num.* 13. niſi aliter delictum probari poſſit, quia tunc cogi poſſunt, ne pereat iudicium, *ex eodem num.* 18. Priuilegium autem, quod habent coniuncti, vt non compellantur ad teſtificandum contra coniunctum extenditur ad tertium gradum conſanguinitatis incluſiue, *ex eodem num.* 23. Soluta vero affinitate teſtis idoneus eſt ſuperſtes, quia non amplius adeſt affectio parentelæ, num. 32.

4 Coniuncti admittuntur ad probandam innocentiam ſui coniuncti, quando iudex procedit ex officio non ſunt tamen maiores omni exceptione; repelluntur vero, quando vellent reprobare teſtes, qui depoſuerunt contra reum. *Farinac. q.* 54. *n.* 33. *ad* 39.

5 Conſanguinei, & affines vtriuſque partis admittuntur, cum par ſit affectio in omnes, *Farinac. quæſt.* 34. *num.* 46. quando gradus ſunt æquales, ne præponderet maior affectio in vno, quam in alio, *ex eodem n.* 47.

6 Affinis religioſus non repellitur, ſed admittitur ſine diminutione fidei, *Farinac. q.* 54. *n.* 48.

7 Conſanguinitas, & affinitas valde remota non repellit teſtem, ita quod affines, & conſanguinei repellantur à teſtificando vſque ad quartum gradum, & non vltra *Farinac. q.* 54. *num.* 57.

8 Coniuncti de conſenſu partium ſaltem tacito admittuntur. Idem n. 58.

9 Affinitas autem repellens teſtem ob præſumptam affectionem debet eſſe licita, non illicita, quæ prouenit ex illicita copula, non impedit teſtimonium ferre. *Farinac. q.* 45. *num.* 73.

10 Dictum coniuncti ſuppletur vel ex adminiculis, vel ex numero teſtium, vel etiam ex magna idoneitate alterius teſtis, *Farinac. q.* 54. *n.* 67. *ad* 70. iuxta dicta cap. 2. de teſtib. inhabilib.

11 In caſibus exceptis, & difficilioris probationis admittantur coniuncti. *n.* 76. *&* 77.

12 Probant contra producentem, quia eos cenſetur approbare tamquam legitimos. *Farinac. q.* 54. *n* 78.

13 Coniuncti contra coniunctos admittuntur, quia dicens contra amicum præſumitur dicere veritatem, & anteponere propriam conſcientiam cuilibet affectioni. *Farin. q.* 54. *n.* 79.

14 Coniuncti admiſſi ad teſtificandum recipiuntur cum ſua exceptione ex allegatis ſub. n. 80.

SECTIO I.

De Fratribus Teſtibus.

15 FRater contra fratrem in caſibus ordinariis non poteſt cogi teſtimonium ferre; ſi tamen citetur, & conſentiat probat ſine vlla exceptione contra fratrem. Primum colligitur *ex l. Lege Iulia, ff. de teſtib. relata cap. Si teſtes* 4. *quæſt.* 3. *Farinac. quæſt.* 54. *num.* 97. Secundum, quia præſumitur amore veritatis deponere, non affectione, dum contra fratrem deponit, *num.* 105. modo non ſe ingerat ſponte, quia tunc vti teſtis vltroneus facit ſe ſuſpectum, *num.* 107.

16 Dixi in caſibus ordinariis, quia in exceptis, & aliis difficilis probationis, & cum veritas aliter haberi non poteſt, tunc frater contra fratrem teſtificari cogitur, præſertim in caſibus fidei. Ita *Farinac. de hæreſi quæſt.* 188. *num.* 49. *Souſa lib.* 2. *cap.* 18. *num* 6. *Maſcard. concl.* 463. *num.* 8. *& concl.* 857. *num.* 16. *Carena part.* 3. *tit.* 5. *n.* 21.

17 Sic coacti, & admiſſi adhuc patiuntur exceptionem, quia non ſunt integri, vt *ex Farinac. & Cantera docet Carena cit. n.* 22. Sed videtur obſtare ipſamet affectio, quæ locum habere non poteſt in hoc caſu, dum enim frater deponit contra fratrē non præſumitur affectio, nec odium, ſed tantum exoneratio propriæ conſcientiæ, ergo teſtis in tali caſu eſt omni exceptione maior, cum alia non ſit aſſignabilis exceptio, quam affectionis, quæ non conſideratur, niſi quando teſtatur pro fratre.

18 Frater ergo pro fratre legitimus teſtis eſſe non poteſt, propter affectionem naturalem vnius fratris erga alium fratrem, ſecundum quam lex præſumit illum peierare poſſe. Non admittitur ergo frater pro fratre accuſatore contra accuſatum, *ex Gloſ.* 1. *l. Lege Iulia ff. de teſtib. Farinac. q.* 54. *num.* 84. 86. *&* 90. Et de facto admiſſus nihil probat, *num.* 91.

19 Quod ſi pars non opponat, admittitur cum ſua exceptione, num. 124. & 129. non facit indicium ad torturam, num. 135. cum non ſit teſtis omni exceptione maior.

20 Quando Fratres ſimul cohabitant in eadem domo, non admittuntur, propter duplicem exceptionem, affectionis, & domeſticitatis. *Farinac. q.* 54. *n.* 139.

21 Frater admittitur ad defenſionem innocentiæ fratris, quando immediate probat non reprobando teſtes, & ſic purgat fratrem in cauſa e. g. hæreſis, & in aliis. *Farinac. quæſt.* 54. *num.* 117. 118. *&* 121.

SECTIO II.

De Parentibus, & Filiis Teſtibus.

23 PAter pro filio, nec filius pro patre eſt teſtis idoneus, *leg. Teſtis idoneus 9. ff. de teſtib. relata cap. Si teſtes 3. 4. quæſtione 2. & 3. Farinac. quæſtione 54. à numero 149.*

Nomine patris, & filij veniunt omnes aſcendentes, & deſcendentes vſque in infinitum, ex eodem Farinac. num. 148. Procedit *Primò*, licet filius ſit emancipatus, numero 154. *Secundò*, in patre non ſolum naturali legitimo, ſed etiam non legitimo reſpectu filij, etiam ſpurij, & inceſtuoſi, à numero 157. ad 159. *Tertiò*, in patre adoptante, durante adoptione in filio, numero 160. *Quartò*, in patre vitrico. 1. Padregno, & filio priuigno. 1. Filiastro, numero 169. *Quintò*, procedit etiam in nutritore, & nutrice, hi enim habentur loco patris, numero 167. Dictum de patre intelligitur etiam de matre, quæ non poteſt eſſe legitimus teſtis pro filiis, nec filij pro eis, ex eodem num. 146.

24 Parentes non poſſunt cogi teſtificari contra filios, nec filij contra parentes, expreſſe *leg. Parentes 5. Codice de teſtibus.* Intelligitur id in caſibus ordinariis, nam quando aliter veritas haberi non poteſt, coguntur parentes contra filios, & filij contra parentes; quod procedit in delictis atrocibus, *Farinac. q. 54. n. 171. & 172.*

25 Coguntur contra ſe inuicem in caſibus læſæ Majeſtatis humanæ, ex *eodem numero* 173. & diuinæ, & in cæteris fidei. *Ex numero 174. & quæſtione 188. numero 147. Carena parte 3. titulo 5. numero 21. Souſa lib. 2. cap. 11. numero 7.* Et puto eſſe dicendos teſtes legitimos, & idoneos, ſine exceptione affectionis, dum pro fide præſumuntur deponere veritatem, eſſet enim temeraria præſumptio, non legalis in eo, qui vellet cenſeri, parentes mentiri contra filios, & è contra filios mentiri contra patrem, cum præſumptio iuris ſit, vt non admittantur fauore filiorum parentes, nec filij pro parentibus, quia facilè poſſunt mentiri ob affectionem.

26 In aliis caſibus, quando concurrit mutuus conſenſus patris, & filij, tunc vnus contra alium teſtari poteſt, *Farinac. quæſt. 54. num. 175. & 176.*

27 Quid dicendum de patribus ſpiritualibus? pro cuius intelligentia ſciendum eſt, quod cognatio ſpiritualis eſt quædam coniunctio perſonarum proueniens ex collatione Baptiſmi, ſeu Confirmationis, quæ ſunt duo Eccleſiæ Sacramenta. Iſta cognatio contrahitur inter baptizantem, & baptizatum; inter ſuſceptores, & baptizatum; inter baptizantem, & leuantes & patrem, ac matrem baptizati. Ex Tridentino ſeſſione 24. cap. 2. In Confirmatione vero contrahitur ab Epiſcopo cum confirmato, & eius parentibus, & inter confirmatum, & patrinum, & cum eius parentibus, ex cap. final. de cognation. Spirit. Vide *Bonacina de matrimon. quæſt. 3. part. 5. §. 2.*

28 Sacerdos ergo baptizans, & patrinus leuans cum commatre contrahunt cognationem ſpiritualem, ac proinde, cum inter ipſos præſumatur affectio non erunt ad inuicem teſtes idonei, vt docet *Crotus de teſtibus, numero 163. cum aliis Farinac. quæſtione 54. num. 201.* Multi tamen tenent oppoſitum, quia affectio non videtur habere locum in hac cognatione, nam Patrinus, & compater vt plurimum obliuiſcuntur filiorum ſpiritualium, & e contra, ideò affectio euaneſcit, ſi qua fuit ab initio.

SECTIO III.

De Coniugatis Teſtibus.

29 MAritus pro vxore teſtificari non poteſt, nec vxor pro marito, repelluntur enim à iure, *l. Etiam Cod. de teſtibus. cap. Si teſtes 3. 4. quæſt. 3.* ea ratione, quia ſunt duo in carne vna cum magna affectione, & amore coniuncti, vnde lex præſumit vnum mentiri amore alterius. Ita de communi Farinac. quæſt. 54. numer. 210. ad 214. Quod procedit etiam reſpectu vxoris expulſæ, num. 18. *Secundò*, procedit in ſponſis num. 215. in concubinariis, 216. & in amaſiis, in quibus ſolet amor impudicus eſſe feruentior.

Sicut autem non admittitur vxor fauore mariti, ita nec cogitur ad teſtificandum contra, propter timorem eius, ne mentiatur Farinac. q. 54. num. 219. 30

Admittitur autem vxor contra maritum, & cogitur. 31 *Primò*, quando veritas aliter haberi non poteſt, numero 221. *Secundò*, in caſibus, quorum veriſimiliter notitiam habent, num. 22?. *Tertiò*, pro innocentia coniugis, quando non reprobantur teſtes, num. 228. *Quartò*, in cauſis fidei, *num. 222. Souſa lib. 2. cap. 11. num. 8. Carena part. 2. tit. 9. num. 10. & part. 3. titul. 5. num. 21.*

CAPVT XIII.

De Domeſticis Teſtibus.

DOmeſticus ex ipſa voce dicitur domi ſtans, omnes 1 ergo qui habitant in domo alicuius, illius ſunt domeſtici, ſiue illi ſint cognatione coniuncti, ſiue ſeruitute ſubditi, & obligati, cuiuſmodi ſunt filij, & alien ſanguine coniuncti, vel adoptione, de quibus dictum fuit in præcedenti capite; vel coloni, ſerui, vaſſali, famuli, & mercenarij & alij habitantes in domo patroni, vt docet *Gloſſ. 11. De familia cap. In literis 24. de teſtib. Farinac. q. 55. num. 6.* Hæc doctrina de domeſticis duplicis generis, ſecundum cognationem, & ſeruitutem colligitur ex Salomone in Eccleſiaſtico 4. 35 *Noli eſſe ſicut leo in domo tua euertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi.* Nomine domeſticorum intellige coniunctos cognatione naturali ſanguinis, vel affinitate, ſeu legali, aut ſpirituali, de quibus dixi præced. cap. Nomine ſubiectorum veniunt reliqui ſeruitute obligati, de quibus tantum hic eſt agendum ſub nomine domeſticorum.

Domeſtici igitur non ſunt idonei teſtes, ideò repel- 3 luntur à teſtificando fauore ſui Domini. Ita expreſſe in *l. Etiam iure ciuili domeſtici teſtimonij fides improbatur 2. Cod. de teſtib.* Item *l. 1. §. Ad quæſtionem*, Item *l. Teſtes eos, quos accuſator de domo ſua produxit, interrogari non placuit, 24. ff. de teſtib.* relata in cap. *Si teſtes 3. 4. quæſt. 3.* Item cap. *Super prudentia 1. 14. quæſt. 2.* ibi *Ne qui ad probationem domeſtici aſſumantur.* & ex cap. *In literis 24. de teſtibus*, ſummatur, quod non ſunt idonei teſtes, quos actor de familia ſua producit. Ibi Barboſa num. 1. refert Doctores, cum Farinac. quæſtione 55. num. 1.

Nomine domeſtici venit omnis perſona, quæ actu 4 habitat in domo patroni, manducans, & bibens de eodem pane, & vino, exiſtens inter eam, & patronum aliqua inferioritas, & ſuperioritas, ex Farinac. quæſt. 55. num. 8. ad 21. continuò autem non habitantes & ſi ſint mercenarij non repelluntur, num. 17. & 18. debent enim repellendi habitare in domo patroni, & viuere eius expenſis, vt dicunt omnes ab eodem citato num. 18.

Domeſticus quamuis regulariter ex citatis iuribus re- 5 pellatur à ferendo teſtimonio pro domino, in aliquibus tamen caſibus admittitur, ſed tunc debet eſſe probatæ vitæ, & expreſſè dicitur in citato cap. 24. de teſtibus.

Admittitur ergo *primò*, quando veritas aliter haberi 6 non poteſt, ex Farinac. quæſt. 55. num. 35. intellige quod non poteſt haberi veritas actu, nec habitu numero 65. quod accidit in factis domeſticis, tunc enim familiares ſunt magis informati aliis, qui ſunt extra do-

mum num. 36. vt in probatione stupri, & adulterij num. 43. & 44. furtum domi pariter per domesticos probatur, num. 46. & num. 48. plura refert exempla. Quare cum domestici sint magis informati de delictis in domo factis sunt referendi alijs testibus, num. 51. non ideo tamen sunt omni exceptione maiores, quando sunt pro Domino, cum tunc vigeat affectio erga Dominum.

7 Admittitur *Secundo* ad defensam Domini, modo non reprobentur testes, vt quando iudex ex officio, instante fisco procedit contra Dominum, num. 70. ad 77. Admittitur *Tertio* domesticus vtriusque partis, num. 92. Admittitur *Quarto* contra producentem, idest, contra ipsum probat, & non contra reum, num. 97. *Quinto* probat admissus parte non opponente num. 104.

8 Admittitur contra patronum, & tunc integer est, quia cessat hæc inhabilitas affectionis, cum deponens contra eum, quem amat, præsumatur dicere verum, num. 54. vnde tunc dicitur omni exceptione maior, num. 57. & plene probat numer. 63. non vero quando deponit pro ipso, quia tunc viget affectio.

9 Cogitur vero, & non tantum admittitur in causis exceptis læsæ vtriusque maiestatis, & similibus. De hæresi idem *Farinac. q. 55. num. 94. & quæst. 188. num. 143. Barb. ad cap. 24. de testib. num. 13. Sousa lib. 2. cap. 11. num. 9. Pegna par. 3. com.* 115. 119. & 125. apud dictum Sousam.

10 Domesticus dum actu est talis, nempe dum viuit de pane Domini habitans in eius domo repellitur à testimonio pro Domino; quod si recedat, non ex dolo, euadit idoneus testis, cum non amplius reuera dicatur domesticus, num. 31. & 33.

11 Domestici testimonium coadiuuatur, & suppletur per alium testem valde idoneum, quia magna habilitas vnius supplet alterius inhabilitatem, num. 109. Et magis suppletur, quando sunt plures, quam tres in casibus, in quibus admittuntur, num. 110. iuxta dicta cap. 2. de inhabilit. test.

SECTIO I.

De Familiaribus, Famulis, Ancillis, & Seruis.

12 QVamuis præintitulati omnes veniant sub nomine domesticos vt patet ex dictis initio huius capitis, tamen in specie magis res dilucidanda est, inspectione singulorum.

13 Familiarium nomine veniunt omnes, quos sub nomine domesticorum numerauimus cum Glos. initio capitis. Familiares ergo sunt omnes habitantes cum aliquo eius panem edentes, & illi inseruientes. *Glos. 11. quod vero, in cap. 3. quæst.* 5. exemplificans in multis, qui vocantur Domestici; & familiares large dicuntur omnes habitantes cum aliquo. Et pro eodem sumuntur ab Abbate *in*

14 *cap. cum dilectus, de clerico non resid.* Familiaris Episcopi dicitur Cancellarius, quia aliquo modo comedit de pane mensæ ex sua seruiture, licet non habitet in palatio, vnde improprie dicitur familiaris, *Mar. Anton. lib. 1. resol. 7. num. 1.* Magis familiaris quam Cancellarius dicetur, qui proprijs expensis alitur in domo aliena, vti Scholaris, ratione habitationis.

15 Familiaris non est idoneus testis pro Domino, cum quo habitat, & de cuius pane edit. Ex cap. In literis 24. de testib. Farinac. quæst. 55. num. 112. quia cum habeant affectionem ad Dominum præsumuntur mentiri pro ipso. Vnde familiares iudicis non sunt admittendi, quando iudex habet affectum ad causam, vt cum procedit ex officio, vtique vero, cum procedit ad instantiam partis, ex Aufrer. de reprobat. test. num. 44. ex Farin. num. 125.

16 Familiares Episcopi, Abbatis, superioris, seu alterius magni Domini, admittuntur pro Domino, quia reputantur personæ honestæ & laudabilis vitæ, de communi Farinac. quæst. 55. num. 128.

17 Requiritur autem, quod viuant expensis Domini, ita quod sola habitatio sine expensis non repellit testem, num. 130.

18 Famuli, seu seruitores salariati, qui non sunt serui legales, repelluntur à testificando pro suo Domino, num. 135. Etiam de iis quæ vidit ante famulatum, num. 138. Si vero gratis inseruiat non repellitur, num. 139. neque quando est famulus Magnatis, num. 140.

19 Admittitur vero contra suum Dominum, quia cessat præsumptio affectionis, & succedit præsumptio propriæ conscientiæ, num. 143.

20 Famulus expulsus, non dico dimissus, non potest testificari contra Dominum, quia est illis inimicus, num. 144.

21 Vt autem repellatur famulus, debet esse actu talis, dum testificatur, hæc enim exceptio attenditur tempore depositionis, non enim sufficit, quod antea seruierit. *Farinac. quæst. 55. num.* 145. licentiatus, sed adhuc manens in domo, donec sibi prouideat, non repellitur num. 146. nisi viuat ex bonis Domini licentiantis num. 148. repellitur vero, si sit licentiatus, vel expulsus in fraudem, num. 150.

22 Sed quandonam famulus dicitur licentiatus in fraudem? R. si finita lite statim reuertitur, num. 153. Fraus autem non præsumitur, sed omnino probanda est, vt probatur per illam subitam reuersionem; excluditur vero fraus, si probatur ante exactionem petiisse licentiam. Non censetur fraus si lite pendente, dimittatur, vt possit testificari pro Domino, dummodo finita lite non statim reuertatur quia præsumitur licentia sine fraude data, & cessante affectione cessat quoque impedimentum testandi, num. 159. licentiatus tamen quouis modo non videtur maior omni exceptione, vt ibidem concludit.

23 Ancilla non potest testificari pro Domino suo, & admissa nihil probat. *Farinac. quæst. 55. num.* 160. & 161. Admittitur vero parte non opponente, num. 162. & in iis, quæ domi acciderunt, de quibus verisimiliter potest esse vere informata, numer. 163. licentiata sine fraude hanc non patitur exceptionem, num. 164.

24 Seruus demum repellitur *ex lib. quoniam liberi cap. de testib. Farinac. quæst. 55. à num.* 165. *ad* 180. Sed quoniam rari sunt, non est opus implere folium.

SECTIO II.

De Subditis, & Vassallibus Testibus.

25 ALiquis potest esse subditus alicui duobus modis, primo ratione feudi, quo dicitur Feudatarius, vel secundo ratione iurisdictionis tantum, vt sunt cæteri vassalli sine feudo, sola subiectione. *Farinac. quæst. 55. num.* 181.

16 Quamuis feodatarius possit esse testis pro Domino suo nunquam tamen est omni exceptione maior. Primum habet idem Farinac. quæst. 55. numer. 182. secundum num. 201.

27 Potest ergo esse testis pro suo Domino, siue illi promiserit fidelitatem siue non, num. 186. Debet autem vassallus esse bonæ famæ, & probatæ vitæ, num. 187. siue feudum sit magnum, siue paruum, num. 198. Non admittitur vero, si Dominus est terribilis, & vim solet inferre, num. 191.

28 Sicut admittitur pro ipso, ita & contra ipsum, ex num. 196. demum quando inter vassallum, & Dominum est grandis amicitia, tunc repellitur, ob suspicionem mendacij, num. 200.

29 Subditi pro Dominis suis secundum iurisdictionem possunt testificari pro Domino suo, dum non probetur terribilis contra ipsos, siue habeat merum, & mixtum imperium, siue non, tamen eorum depositio semper patitur exceptionem. *Farinac. quæst. 55. à numero* 203. *ad* 212.

30 Dices, his obstat lib. *Idonei non videntur esse testes, quibus imperari potest, vt testes fiant.* 6. ff. de testib. sed Dominus,

Dominus, & Princeps imperare potest omnibus subditis, ergo pro eo non sunt testes idonei.

31 ℞ Glos. imperari à producente eos pro se, alioquin nullus testis esset idoneus. Intellige etiam imperari posse ratione patriæ potestatis, vel dominicæ &c. Itaque est sermo de priuato imperio, quod scilicet pater non potest imperare filio, vt pro se testificetur, nec Dominus seruo, vt pro se testimonium ferat. Non est ergo sermo de imperio, & iurisdictione publica. Farinac. quæst. 55. num. 203.

SECTIO III.

De Colonis, Emphiteutis, & Inquilinis Testibus.

32 COlonus dicitur ille, qui Domini agros colit; cuius plures sunt species, quas refert Glos. in C. de Agricolis. Alij sunt ad tempus, alij perpetui, qui appellantur ascriptitij, alij Emphiteutæ, & Liuellarij, alij conductores, alij partiarij. Dicuntur isti domestici, & familiares Domini, sed improprie, meo iudicio, quia licet morentur in domo patroni, non tamen in eadem domo simul cum patrono, vt practicatur nostris temporibus fere vbique, nam Domini regulariter manent in ciuitate, coloni vero in villis, & agris, in domibus suorum dominorum. Inquilinus autem dicitur conductor alienæ domus mercede soluta, *l. cæterum 4. ff. de vsu, & habitat.*

33 Colonus etiam adscriptitius licet non sit testis idoneus pro suo Domino, tamen admittitur cum aliqua fidei diminutione orta ex præsumpta affectione erga Dominum. *Farinac. quæst.* 55. *num.* 213. & 218. Coloni autem fides diminuta suppletur per fidem alterius testis omni exceptione maioris, *num.* 226. & ex numero testium, *num.* 227.

34 Partiarius colonus non repellitur, *num.* 219. & 220. Sicut nec Emphiteuta, *num.* 122. Sed cur repellitur, seu non est idoneus colonus adscriptitius, sicut Partiarius? quia est perpetuo obligatus.

35 Inquilinus est testis idoneus pro Domino, à quo domum conduxit; non enim dicitur domesticus illi, *num.* 222.

36 Nota, in supradictis non posse præsumi affectionem ad Dominum, quando simul cum eo non habitant, affectio enim, & amor contrahitur potissimum ex continua habitatione, ideo testes reputantur idonei, & omni exceptione maiores.

37 Vide Barb. super cap. In literis 24. de testib. num. 25. ad 27.

SECTIO IV.

De Amicis Testibus.

38 TEstis amicus ex quauis amicitia, siue magna, siue leui, non repellitur à testimonio ferendo pro amico, sed admittitur, non tamen est omni exceptione maior, sed fidem habet diminutam iuxta qualitatem amicitiæ, vt dicit Glos. 11. Testes in Auth. de Monachis ibi: *Licet tanquam amico aliquantulum minor fides adhibeatur.* Farinac. quæst. 55. num. 242. Ratio huius exceptionis est, quia non potest dari amicitia sine affectione, & amore, in quo illa fundatur, ergo iure præsumi potest, amicum pro amico mentiri, & confirmatur, quia amicitia est similis consanguinitati, *Couar. in cap. Requisisti, de testam. num* 7.

39 Illa autem fidei diminutio suppletur, *Primo* ex dictis aliorum testium, immo vnius nullam patientis exceptionem, num. 246. *Secundo* ex numero testium, num. 247. *Tertio* parte non opponente, num. 248. *Quarto*, amicitia fundata in caritate, & plena pietate fidem non minuit, num. 249. *Quinto*, quando est amicus vtriusque partis, num. 250. *Sexto*, quando aliter veritas haberi non potest, nec actu, nec habitu, num. 251.

Admittitur vero contra amicum in qualibet causa, quia ex affectione non præsumitur mentiri, cum tunc locum non habeat amicitia, nec inimicitia, sed præsumitur dicere verum, consulendo propriæ conscientiæ. 40

De probatione amicitiæ, & de eius præsumptione Mascard. concl. 85. 41

Discipulum sub ferula magistri existens non potest testificari pro eo, vt docet Rebuffus de reprobat. test. num. 181. quem citat Barbosa in cap. In literis 24. de testib. num. 29. 42

CAPVT XIV.

De Interessatis Testibus.

TEstis interessatus, qui habet affectionem ad causam, qualis est, *Primo* ille, qui testificatur in propria causa, repellitur, & deponens nihil probat, expresse l. *Nullus idoneus testis in re sua intelligitur* 10. ff. de testib. l. *Omnibus in re propria testimonij facultatem iura submouerunt.* 9. C. eod. cap. de cætero 14. testib. Ita autem inhabilis est, vt nec possit examinari. *Farinac. quæst.* 60. *num.* 1. 2. & 3. 1

Secundo, interessatus dicitur etiam ille, qui in causa habet aliquod interesse, vel commodum, vnde repellitur, & admissus nullum facit indicium, *num.* 4. 5. & 6. procedit etiam si interesse, & commodum veniat secundario, & in consequentiam, num. 7. contra aliam communem, quæ illos admittit, num 8. concordat Farinac. num. 9. dicendo, quod commodum consequens non repellit in totum, sed tantum de fide diminuit; vel dic cum eodem num. 10. repellere, quando commodum est certum, & necessario prouenient ex causa; non vero si sit incertum, & non necessarium. 2

Tertio, testis interessatus dicitur, qui tractat de se exonerando vel exculpando, *num.* 18. & 19. vbi ait, si vnus ex pluribus in rixa, alios inculpet, se exculpando; nihil probat contra inculpatum. Quod procedit, quando etiam agitur de euitando dedecus, & vituperium, in quo casu testis examinatus nihil probat, *num.* 21. 3

Quarto, testis dicitur interessatus, qui nimis affectate deponit, reddit enim se suspectum, *num.* 33. sicut ille, qui vni parti apparet magis beneuolus, & affectionatus, quam alteri, *num.* 34. item qui animose deponit, quod accidit, quando in fauorem producentis constanter asseuerat, quod certitudinaliter scire non poterat, *num.* 35. & 36. Item, qui nimis verbosus est in sua depositione, *num.* 37. Item qui nimis cito respondet, *num.* 38. Item, qui respondet ante interrogationem, *numer.* 39. Item qui tardat, & morosus est in respondendo, se facit suspectum, *num.* 40. 4

Quinto interessati quoque dicuntur consortes in causa, qui repelluntur à testificando, *num.* 48. 5

Interessati admittuntur *primo*, quando protestantur se nolle vllum commodum reportare ex causa, renunciando proprio interesse. *Farinac. quæst.* 60. *num* 51. Item *secundo*, cum testes sunt multum legales, & fide digni, *num.* 54. item *tertio* in modico interesse non repelluntur *num.* 56. item, *quarto*, cum aliter veritas haberi non potest, *num.* 58 Item *quinto*, in instrumentis possunt esse testes, modo commodum non veniat principaliter, *num.* 62. 6

An quis probetur vsurarius per testes deponentes, se vsuras illi persoluisse? 7

℞ Negatiue, quia habet interesse, immo dicitur deponere in propria causa ob vsurarum restitutionem. Ita *Farinac. quæst.* 60. *numer.* 77. & 80. Nisi depositio fiat 8

fauore tertij, ex quo testis nullum reportare potest commodum, *numero* 84. ait tamen *numero* 84. in isto casu non esse integræ fidei, nisi renuntiauerit interesse.

SECTIO I.

De Iudice, & Arbitro an possint esse testes in causa coram ipsis agitata?

9 QVod dicitur de vno intelligitur dictum de altero, quin eodem iure censentur, nam arbiter iudex est electus à partibus, ambo siquidem debent ministrare iustitiam. *Farinac. quæst.*60.*num.*91.

10 Iudex non potest esse simul idem & testis, absurdum enim est, quod idem numero homo duobus fungatur officiis, cum vix vnum adimplere possit. Ita expresse *cap.*1. 4. *quæst.*4.*& cap. Forus* 10. *de verb signif.* dicitur, quod in omni negotio quatuor concurrunt Iudex, Actor, Reus, & Testes; non essent quatuor, si Iudex posset esse testis. *Farinac. quæst.*60.*num* 89.

11 Procedit *Primo* in causa pendente coram eo, num. 92. *Secundo* etiam in causa finita, & lata sententia, num. eod. *Tertio* etiam in causa appellationis, num. 94. *Quarto*, etiam in actis respicientibus valorem, vel nullitatem sententiæ, num.108. *Quinto*, etiam, quæ respiciunt iustitiam, vel iniustitiam sententiæ, num. 111. In his ergo non potest esse testis.

12 Procedit, siue duo, aut plures sint iudices, siue ordinarij, siue delegati, num. 113. 114. 115. idem dic de assessore, num.116. Et hæc satis, quia magis faciunt pro causis ciuilibus, quam criminalibus.

SECTIO II.

De Aduocato, Procuratore, & Solicitatore.

13 ADuocatus non potest ferre testimonium in causa eius, pro quo aduocatur, expresse *in cap. si testis* 3. 4. *quæst.* 3. *& in lib. fin. ff. de testibus.* *Farinac. quæst.* 60. *num.* 155. Procedit *Primo* etiam finito officio aduocationis, quia adhuc sumitur habere affectionem ad causam, quam tutatus fuit, ideo admissus non est integræ fidei, num. 160. *Secundo* procedit, vt non sit testis nec in causa appellationis, & admissus integer non est, num. 164. *Tertio* procedit, siue salarium receperit, siue non, num. 167. Reliqua vide ibidem. Pro criminali causa sufficiunt dicta.

14 Procurator non potest esse testis in causa, pro qua procurat, *cap. Insuper, de testib. ibi Glos.* 11. *Admitti*, *Farinac. quæst.* 60. *num.* 196. Procedit *Primo* etiam in eadem causa postquam est finita, functo suo officio, num. 198. si tamen admittatur, non est integræ fidei, propter affectionem, licet nullum reportet commodum, num. 202. & 203. Procedit *Secundo* in procuratore reuocato bene pendente, quia præsumitur reuocatus in fraudem, num. 209. Procedit *Tertio* siue habeat mandatum, siue non, sufficit, quod se faciat procuratorem, num. 212. Alia vide ibidem.

15 Dicta pro prædictis locum habent in solicitatore, qui non potest esse testis in causa solicitata. Ita omnes cum Farinac. quæst.60.à num 244.

SECTIO III.

De Proxeneta in causa Simoniæ.

16 PRoxeneta est mediator inter contrahentes, quos concordat in expeditione negotij. Ea in hoc non potest assumi in tantum, quia in eo dicitur habere interesse, *Glos.* 11. *Ad numeratorem Auth. de instr. fide, & causa Gloss.* 11. *Mediator. cap. Si quis Episcopus* 1. *quæst.* 5. *&* 11. *ciuiliter cap.* 1. *de testib. in* 6. *& alibi* *Farinac. quæst.* 60. *à num.* 406. Etiamsi non sit salariatus gratis agens, num.409. Sed quoniam mediator per se respicit contractus & negotia ciuilia, non delicta, ideo totum de eo agam in ordine ad crimen simoniæ, in qua est mediator.

Dicitur ergo in textu cap.1. de testib. in 6. quod mediatores simoniæ, si ex hoc non sunt consecuti emolumentum, admittuntur in testes contra simoniacos, si causa agatur ciuiliter, non autem criminaliter, & ad priuationem beneficij, vt docet *Seraphin. decis.* 1029. *num.*4. *Rota coram Ebaldo tom.* 2. *partis quartæ Recens. ab anno* 1618. *apud Rubeum decis.* 93. *num.* 17. *Barb. ad dictum cap. num.*2. Ratio est quia fortiores debent esse probationes, quando agitur tam criminaliter, quam ciuiliter. Socius ergo criminis probat contra illum, qui commisit simoniam, in qua fuit mediator non vero contra tertium, qui non est particeps simoniæ, quia priuilegiata probatio non admittitur nisi contra illum, qui est in dolo, *Alciatus lib.*1. *cons.* 2. *num.* 8. *Farinac. quæst.* 43. *num.*53. *Ferent. in Annot. ad decis.*445. *Burati num.*14. *Barb. ad dictum cap.* 1 *de testib. in* 6. *num.* 2. 17

In criminalibus suppletur proxenetæ depositio, vel ex integritate alterius testis, vel ex numero testium, *ex Farinac. quæst.*60. *num.*424. *qui num* 426. vel hoc supplementum referri ad torturam, non ad condemnationem pœnæ ordinariæ. 18

SECTIO IV.

De Testibus Vniuersitatis.

NOmine vniuersitatis venit ciuitas, commune, Ecclesia, collegium, Monasterium, collegiata, confraternitas &c. 19

Testes ergo de vniuersitate in ciuilibus probant pro sua vniuersitate, quando non agitur de vtilitate singulorum, sed tantum de vtilitate ipsius communitatis, in quo casu testes non sunt exceptione maiores. 20

Prima pars, quod probent in ciuili causa, habetur expresse *cap. insuper* 6. *de testib.* vbi dicitur, quod Prælatus, vel clerici alicuius Ecclesiæ possunt in causa illius esse testes, non tamen procurare. Ita *Farinac. quæst.* 60. *à num.*450. 21

Secunda, id verum esse, quando non agitur de vtilitate singulorum, probatur, quia tunc nullum adest interesse, quod repellat testem sicut reperitur, cum singulorum spectatur vtilitas, & commodum, vt pluribus citatis docet, *Farinac. quæst.*60.*à num.*496. 22

Sed quomodo causa dicitur spectare ad vniuersitatem, & non ad singulos, seu ad singulos, & non ad vniuersitatem. 23

Respondetur spectare ad vniuersitatem, & non ad singulos, quando proprietas, & fructus sunt ipsius communitatis; si vero proprietas sola sit communitatis, & fructus singulorum, tunc vtilitas, & commodum est singulorum de communitate, quod constat ex effectu distributionis fructuum inter singulos de communitate. Vide Farinac. quæst. 60. à num.499. ad 508. 24

Tertia pars, quod non sint omni exceptione maiores, probatur quia præsumuntur habere affectionem in re, dum aliquo modo ad illos spectat. *Farinac. quæst.* 60. *numer.* 456. de testibus secularibus, *& numer.* 458. de testibus Ecclesiasticis, *&* 536. 25

Colligitur hinc Canonicum in causa sui capituli posse esse testem, *cap. super pœnitentia* 14. *quæst.* 2. *cap. cum R. de offic. deleg. Farinac. num.*460.*&* 461. 26

Colligitur 2. Religiosos, siue Monachos, siue Fratres cuiuscunque ordinis, & religionis posse esse testes in causis sui Monasterij. *Farinac. quæst.* 60. *à num.*463. 27

ad

ad 467. vbi, quod ſunt teſtes in teſtamento, in quo aliquid monaſterio relinquitur S. autem inſtituatur hæres, & omnes ſint teſtes, non ſunt legitimi, quia videntur teſtificari in cauſa propria, numero 519

28 Colligitur 3. In aliis quoque collegiis tum profanis, tum piis admittuntur teſtes eos, qui ſunt de eodem collegio, vt docent omnes *cum Farinacio quæſtio.* 60. *num.* 470.

29 In cauſa vero criminali teſtis de vniuerſitate non admittitur Abbas *in cap. Inſuper 6. de teſtib. Farinac. quæſt.* 60. *à numero* 50. quod procedit non ſolum ad offenſam ipſius vniuerſitatis Procedit ſecundo, vt non ſolum repellatur à teſtimonio, pro, vel contra communitatem, ſed etiam in reſpectu particularis de communitate, *numer* 511. qui tamen pro defenſione admitti poteſt, *num.* 512. In defectum aliorum teſtium, vbi aliter veritas haberi non poteſt, teſtis vniuerſitatis deponere poteſt fauore alterius de communitate contra extraneum accuſatum, *numer* 515. Teſtis vero de communitate admittitur contra ſuum Prælatum accuſatum ab ipſa communitate, *num* 517.

CAPVT XV.

De laico teſte contra Clericum, & religioſum; & è contra de Eccleſiaſtico teſte contra laicum.

1 LAicus prohibetur teſtimonium ferre contra clericum, *cap. Teſtimonium laici aduerſum clericum nemo recipiat* 9. 11. quæſt. 1. eſt Silueſtri Papæ, quod renouauit Alexander III. relatus cap. *De cætero laicos in accuſationem, vel teſtimonium contra clericum in criminali cauſa non eſſe aliquatenus admittendos cenſura Sacrorum Canonum manifeſtius edocet. Niſi forte ſuam, vel ſuorum iniuriã proſequantur, nec tunc etiam ad teſtimonium, ſed ad accuſationem poſſunt admitti* 14. de teſtib. vide Barboſam *ſuper hunc textum, &* Farinac. *quæſt.* 61. *à num.* 98. *de Bictis* 9. 28. *Rodrig. tom.* 2. *q.* 11. *art.* 5.

2 Et licet fiat mentio de clericis, locum tamen habet etiam reſpectu monachorum, & religioſorum, hi enim in fauorabilibus veniunt ſub nomine clericorum, *ex Abbat. in cap.* 1. *de except. Rodrig. tom.* 2. *quæſt.* 11. *art.* 5. *de Bictis quæſt.* 28. *numer.* 4 Sub nomine autem *clerici* venit etiam ſolum prima tonſura initiatus, hæc enim laicum transfert ad ſtatum clericalem, ex allegatis à Farinac. quæſt. 61. numero 101. Comprehendit autem religioſum non ſolum habentem tonſuram, aut ordines, ſed etiam laicos, ſeu conuerſos appellatos, cum & ipſi iure religioſi ſint, ſicut alij, qui initiantur ordinibus.

3 Admittitur vero laicus in teſtimonium contra clericum primo in caſib. exceptis, & priuilegiatis. Ita *Gloſ.* 11. *ſuam. dicti cap. De cætero,* Farinac. *quæſt.* 61. *numer.* 104. *de Bictis quæſt.* 28. *numer.* 5. *Barb. ad cap. cum p.* 6. *de accuſat. num.* 9.

4 Admittitur 2. in caſibus difficilis probationis, ne delicta eorum remaneant impunita, vt in villa vbi non morantur niſi laici, & vnus, vel alter clericus *Farinac quæſt* 61. *num.* 107. *de Bictis quæſt.* 28. *num.* 7. *Barboſa ad dictum cap. De cætero. de teſtib num.* 4. *Portellus* 11. *correctio fratrum num* 21.

5 Admittitur 3. bonus laicus contra Eccleſiaſticum infamatum, Farinac quæſt. 61. num. 116. de Bictis q. 28. num. 9.

6 Admittitur 4. laicus ſimpliciter, dum cognoſcitur bonæ famæ, *ex allegatis à Rodrig. tom.* 2. *quæſt.* 11. *art.* 5. *de Bictis quæſt.* 28. *num.* 11.

Admittitur 5. quando cauſa ciuiliter tractatur Fa- 7
rinac. quæſt. 61. *num.* 120. *Barboſ. ad dictum cap. De cætero, de teſtib. numero* 4. *de Bictis quæſtio.* 28. *num.* 10.

Admittitur 6. ad defenſam clericorum. Ita *Felinus* 8
ad dictum tex num. 8 *Aretinus ibid. num.* 21. *Barboſa num.* 4. Farinac. num. 115.

Admittitur 7. ad probandam formam contra cle- 9
ricum. *De cuius conſ.* 63. *Hi polyius ſine* 98. *cum aliis Barb. cit. num* 4. *Farinac. num.* 119.

Admittitur 8. in crimine notorio. *Farinac. q.* 61. 10
num. 118. *Barboſa num.* 4.

Admiſſi autem in prædictis caſibus non ſunt omni 11
exceptione maiores, *ex Alex. Felino, & Boſſeo Farinac. quæſt.* 61. *numer.* 111. Vnde vnius dictum non ſufficit ad torturam, ſed plures requiruntur, ad minus duo iuxta dicta cap. 8. quæſt. 5. qui de proprio viſu, ſeu auditu deponant. *Farinac. quæſt.* 61. *numer.* 111. *&* 112. *de Bictis quæſt.* 28 *num.* 8. dum plures requirant.

Reliquum eſt, vt è contra agamus de clericis, an teſtimonium ferre poſſint contra laicos.

Clericus, coram iudice laico poteſt teſtificari non 12
ſolum criminaliter, verum nec ciuiliter. Ita Doctores colligunt cum Farin. q. 61. à n. 57. per c. Teſtimonium 9. 11. quæſt. 1. ibi! *Teſtimonium clerici aduerſus laicum nemo recipiat, nemo enim clericũ quemlibet in publico examinare præſumat niſi in Eccleſia.* Nota ea verba: 13
Niſi in Eccleſia hoc eſt, cum licentia Epiſcopi, qui nomine Eccleſiæ venit, Gloſ. 11. Eccleſiæ cap. cum clerici 19. de verb. ſign. iuxta illud Euangelij *Dic Eccleſiæ* ideſt illius Prælato, vt interpretatur S. Ioannes Chryſoſtomus ſuper cap. 10. Matthæi. E quod licentia Epiſcopi requiratur docet Gratianus *ante capit. Quamquam* 1. 14. *quæſt.* 2. *Farinac. quæſt.* 61. *num.* 83. *Pariſ. conſ.* 83. *numero* 35. *vol.* 1. *cum multis aliis citatis à Barboſa ſuper dictum cap. Teſtimonium, late Graſſus effectu* 10. Procedit non ſolum in clericis 14
conſtitutis in ſacris, ſed etiam in minoribus, immo & in prima tonſura, ſunt enim omnes clerici, quibus prohibetur ferre teſtimonium. Procedit ſecundo in 15
religioſis, qui non poſſunt certificari contra laicum ſine licentia ſuorum ſuperiorum *Graſſus effectu* 10. *numero* 8. *ex Campegio Reg.* 297. *in* 2. *&* 3. *fall. Sparbar. tract.* 7. *cap.* 5. *numer.* 3. *ex eo Peyrin. in Formul. lit.* 7. *cap.* 1. *numero* 1. *Rodrig. tom.* 2. *quæſt.* 11. *art.* 4. Procedit tertio non ſolum in criminalibus, ſed etiam in ciuilibus cauſis, vt non teſtificentur niſi cum licentia ſui ſuperioris, *ex eodem cap. Quamquam* 2. 14. *quæſt.* 1. Farinac. *quæſt.* 61. *numer.* 63. *adducens verba, quæ non textus, ſed Gratiani.* Emergunt nonnullæ difficultates ſuper prædictis.

Prima eſt, in quibus caſibus clericus admittatur 16
contra laicum? *Secunda,* quid probet clericus ita admiſſus? *Tertia,* an omiſſione licentiæ tam ex parte laici contra clericum, quam ex parte clerici contra laicum, nullum ſit illorum teſtimonium? *Quarta,* an cogi poſſint ad teſtificandum? *Quinta,* in caſu, quo non poſſint cogi, an aliud ſit remedium præſertim in cauſis regularium, qui non poſſunt cogere laicos, & extraneos, ſed tantum rogare?

Primæ reſpondetur in multis caſibus admitti cleri- 17
cum contra laicum; & primo in caſibus exceptis, & priuilegiatis, Farinac. quæſt. 61. numer. 65. de Graſſis effectu 10. num. 21. & 23. qui excipiunt caſum, in quo agitur de cauſa ſanguinis, non enim ſunt admittendi propter periculum irregularitatis, vt id manifeſtum eſt in crimine læſæ maieſtatis, quod pœnam ſanguinis petit. Non debent ergo ſuperiores dare hanc licentiam, ſed tantum in aliis cum expreſſa proteſtatione, vt teſtificentur citra criminalitatem, vt notat Belletus *par.* 1. *Diſqu ſit. Clerical. tit. de clerico teſte* §. 2. *num.* 5. *quem cum aliis citat. Barboſa ad cap. Teſtimonium* 11. *q.* 1.

Secundo

18 Secundo admittitur in subsidium, quando veritas per alios haberi non potest, *ex cap. Quamquam 14. quæstio. 1.* defectu testium secularium, qui non interuenerunt, nec potuerunt interuenire. *Nata consil. 394. num. 17. cum aliis Farinac. quæst. 61. num. 71. & 71. Grassus effectu 10 num. 28.*

19 Tertio admittitur pro eius defensione, & innocentia probanda, *Farinac. quæst. 61. num. 74 Grassus effectu 10. num. 31.*

Quarto admittitur, quando de crimine agitur ciui-
20 liter. *Farinac. num. 77 Grassus num. 33.*

21 Quinto admittitur, quando causa agitur coram iudice Ecclesiastico, nam prohibitio capitis Testimonium 54. quæst. 1. loquitur de testimonio ferendo coram iudice laico. Ita *Grassus effectu 10. numer. 34. aliis citatis.*

22 Sexto admittitur, quando alia iniuria fuisset facta alio clerico. *Ita ex Abbate, & Campeg. o Grassus num. 37.*

23 Secundæ dubitationi, quam probationem facit clericus in prædictis admissus contra laicum, respondeo, vnicum facere semiplenam probationem, & duos plenam, si sint oculares, vel auriculares, & aliam non patiantur difficultatem, & sint examinati cum licentia sui superioris coram iudice laico. Ita colligo *ex Farinac. quæstio. 61. numero 80. & ex eo Grassus effectu 10. numer. 38.* vbi vocat eos omni exceptione maiores, & quod maius est dicunt, quod tantum valet testimonium quatuor clericorum, quam sex laicorum, ita Glos. 1. quorum cap. fin. dist. 77. Dixi, *cum licentia sui superioris*, quia talis defectus opponi potest, *ex dictis ab eodem Farinac. num. 84.* sed nullius momenti, vt patet num. 18.

24 Tertiæ de omissione licentiæ omnes communiter respondent valere prolatum testimonium non solum à Clerico, sed etiam à Religioso, quia in hoc pari passu currunt, & nullo iure irritatur testimonium exhibitum. Ita *Farinac quæst. 61. num. 84 Grassus effectu 10. numer. 7. & 8.* vbi de monachis, *alios citat Belletus dicto § 2 numero 3. apud Barbosam ad cap. Testimonium 11 quæst. 1 numero 4 & in cap. 1. de iuramento calumn. vbi numer 8.* alios plures citat pro religiosis, qui valide, sed non licite deponunt testimonium, *cum Rodrig. tom. 2. quæst. 11 art. 4.* & aliis.

25 Nonnulli tamen dubitant, quia vt testis valide deponat, necessarium est, quod citetur, & iuret de veritate dicenda, qui sunt duo actus iurisdictionis, ac proinde testandi coram iudice competente, qualis non est iudex laicus respectu Ecclesiasticorum, nisi fulciatur licentia superioris Ecclesiastici testificaturi coram ipso, ergo acta quæcunque sine licentia nullius sunt momenti.

26 Responderi tamen potest, illos actus dici iurisdictionales, in quantum à iudice coguntur fieri per clericum; dum vero clericus testificaturus rogatus sponte permittit se examinari, non dicitur citari, sed rogari ad iuramentum, & examen. Ita Spathar. tract. 7. cap. 6. num. 7.

27 Ex quibus colligitur ad examinandum laicum coram Ordinario episcopali, vel regulari multo minus requiri licentiam sui superioris laici, dum voluntarie consentit in examen, Tum quia respectiue ad Episcopum est subditus Tum, quia respectiue ad Regularem Iudicem, cum sit sui iuris, potest si vult vocatus se subiicere examini. Ita *ex Rodrig. tom. 2 quæst. 11. art. 5. Spathar. tract. 7. cap. 5. numero 5.* Esto id verum, tamen reus opponere poterit hanc exceptionem, ideo petatur licentia à suo superiore, & in actis processus registretur,
28 vt notatur per Farinac. quæst. 61. numer. 87. Nihilominus de Angelis Carmelita cum aliis cap. 14. in fine numer. 2 ait hanc licentiam spectare ad apices iuris, ad quos non tenetur iudex regularis, ergo talem exceptionem rei ciere potest, neque enim illa licentia auget fidem testis, neque eius omissio minuit, ideo pro nihilo habenda est.

Quartæ de cogendis testibus respondetur *Primo*, 29
iudicem regularem non posse legere clericum, nec laicum, quia sibi non subduntur; vnde in casu necessitatis recurrendum est ad superiorem eorum si speratur licentia; & in hoc omnes concurrunt. *Secundo*, clericus non potest cogi regulariter ad testificandum in causis criminalibus, etiam ciuiliter actis, maxime in causa sanguinis, quando veritas aliter haberi potest, *ex Farinac. quæstio. 61. à numero 88.* & seq. *Tertio* laicus, & clericus ab Episcopo cogi possunt, quando veritas aliter haberi non potest *Vide Barbosam de testib. cogend. cap. 5. num 3. cap. 5. num 5.*

Quintæ demum, an quando seculares, vel clerici 30
haberi non possunt in causis contra regulares, aliud habeant remedium? respondent dari hoc remedium, nempe, quando laicus, vel clericus secularis non vult sponte comparere, nec forsan expedit eum compellere per suum superiorem, posse iudicem regularem mittere duos religiosos graues probatæ vitæ, qui alloquuntur eam personam, à qua informentur familiariter super delicto, qui deinde factum sibi narratum referant ad iudicem, in quo casu valebit depositio illorum duorum religiosorum, ac si ipsa persona, quæ factum dictum vidit, deposuisset immediate coram iudice Ita F. Martinus à *Sanct. Ioseph in suo Epitome cap. 4. numero 5. & cap 7. numero 6. Ouandus in 4. dist. 19 Ioseph à Sanct. Maria in suo Tribunali tract. 4. cap. 7 § 7.* Qui duo casum admittunt, modo superior iudex sit præsens. Id autem refert de Angelis Carmelita cap. 14. numero 3. & impugnat subsequenter.

Probant suum dictum tribus argumentis. *Primum*, 31
quia iuramentum non est de substantialibus iudicij. *Secundum*, quia ex cap. Quoniam de probat. Papa dicit, quod in defectum Notarij duo testes sufficiunt, qui eius vicem suppleant, coram quibus referens suum dictum deponat, ita facit iste, ergo. *Tertium* quod iudices regulares sola veritate inspecta procedunt in his causis.

Primum argumentum destructum fuit capite 4. 32
de iuramento iudiciali, sine quo nulla existit probatio. Illi debebant adiungere, quod iuret ille laicus coram illis duobus religiosis, & iudice, in quo casu testimonium fuisset probabile, immo & verum, quia nihil ei defuisset, & si tunc coram ipso nihil fuisset scriptum.

Secundum argumentum deductum ex cap. Quo- 33
niam 11. de probationibus nullo modo facit ad rem, nam Pontifex ibi mandat, vt loco Notarij accipiantur duo viri idonei, qui processum fideliter conscribant, non quod sint testes. Est igitur textus impertinens ad firmandum eorum dictum. Sed cur Papa petit duos viros idoneos loco Notarij? Ratio est, quia Notarius habet vim duorum testium, vt ex illo textu colligunt Doctores ibi citati à *Barb. num. 10. Carena par. 2. tit. 5. numer. 71. Portellus 11. Notarius in Addit.*

Tertium ex sola veritate inspecta, verum qui- 34
dem est iudices regulares in suis causis hoc modo procedere, sed in hoc casu non apparet veritas per inspectionem, cum ea ex auditu alieno non sit firma, sed titubet, iuramentum enim secundum Aposto-
lum ad Hebræos 6. 16. est confirmatorium veritatis, 35
sed in hoc casu non inuenitur iuramentum, ergo nec veritas firma. Adde quod depositio facta per hos duos religiosos nullam habet fidem saltem ad torturam, quia totam fidem, quam illis iudex præstare potest, acceperunt ab ipso referente, cum delictum sciant tantum dependenter ab eius narratiua, ergo pro iudicio illo nihil

hil dicuntur scire, scientia enim ex auditu aliorum per se nihil probat ad torturam, & multo minus ad pœnam,
36 vt docent omnes cum Farinac. q. 69. Confirmatur, quia depositio testimonij est actus personalis, qui præstandus est per propriam fidem, & non per alienam, ergo illi duo religiosi non possunt supplere, & vicem gerere illius narrantis, & non deponentis, nec comparentis in iudicio cum sua persona, vt fieri debet.

CAPVT XVI.

De Religiosis Testibus.

1 RElligiosi in ordine ad testificationem spectari possunt *Primo*, criminaliter quando intra ordinem deponat contra, vel pro alio Religioso professo, seu Nouitio, Tertiano, seu alio commensali. *Secundo*, quando deponant contra, vel pro extraneo extra ordinem, & in his depositio, & testificatio dicitur iudicialis. *Tertio*, quando testificatur in causa ciuili siue intra ordinem, siue extra. *Quarto* interessendo alicui instrumento, seu testamento, aut alteri actui transeunti tanquam testes fidem facientes de tali actu, re, seu negotio. De his omnibus agendum est in sequentibus quæstionibus.

Quæres 1. An Religiosi interdicantur testificari tam criminaliter, & iudicialiter, quam ciuiliter, & extra iudicium in aliis causis?

2 ℞. Non prohibentur, ergo possunt esse testes, consequentia est certa quia edictum de testibus est prohibitorium, vt dixi c. 7. n. 5 & 11. quilibet enim præsumitur idoneus, nisi prohibeatur, sed Religiosi non prohibentur, imò admittuntur, *Auth. De Monachis §. Cogitandum, collat.* 1. *ibi glos.* 11. *Testes*, melius *c. Testis* 39. Vbi Religiosi supponuntur in causis suorum Monasteriorum testificari cum iuramento, *& in cap. Nuper* 51. *de testib.* dicitur, quod nulli testi quamuis Religioso creditur in præiudicium alterius, nisi iuret. Ita omnes, paucis exceptis *cum Farinac. quæst.* 61. *n.* 124. *Sanch. lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 100. non solum in causis ciuilibus, sed etiam criminalibus. *Castropal. par.* 3. *disp.* 4. 4. *p.* 12. *§.* 3. *num.* 9.

4 Dices Clerici prohibentur testificari contra Laicos, vt visum fuit præcedenti cap. à num. 12. ergo à fortiori regulares, qui magis remoti sunt à secularibus negotiis, & mortui sunt mundo?

5 ℞. Prohibitionem hanc fuisse factam Clericis, non Monachis tempore Syluestri Papæ, quo nondum erant Monachi sub Regulari obseruantia; & cum in odiosis non veniant sub nomine Clericorum, ea prohibitio non est extendenda ad Monachos. Nec obstat, quod modo mortui dicantur, quia respondet Glos. 11. Testes præfatæ Authent. de Monachis, esse mortuos quoad Matrimonium.

Quæres 2. An propria voluntate sine licentia superioris possint testificari tam criminaliter, quam ciuiliter, extra ordinem?

6 ℞. Licitè non posse testificari iudicialiter in causis criminalibus, nec ciuilibus, vtique vero validè testificari sine licentia; & absque hac posse testes licitè in testamentis, & aliis instrumentis.

7 Primum, quod requiratur licentia ad licitā testificationem, probatur quia in his actionibus secularibus non cōuenit eis se intromittere *ex c. fin.* 14. *q.* 5. ideo licentiā petere debent. Ita omnes *cum Sanch. lib.* 6. *c.* 13. *n.* 103. ea ratione, quia sine huiusmodi licentia, iudex extraneus non potest petere iuramentum, cum illius non sit competens iudex, *Spatbar. tract.* 7. *c.* 5. *n.* 1. *&* 2. *cum Rodrig. q.* 51. *art.* 4. *Farinac. q.* 61. *n.* 130. et hæc quo ad testificationem iudicialem criminum, & instrumentorum.

8 Secundum, quod nihilominus testificatio valeat, probatur, quia testimonium prolatum nullibi irritatur. Ita Sanch. *lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 108 *Farinac. q.* 61. *n.* 134. *dixi cap.* 15. *n.* 24. Farinac. subdens, melius esse habere hāc licentiam ad effugiendas contentiones. tamen apud Regulares de hac re tanquam apice iuris non est curandum, nec reus super ea audiendus, quum non faciat ad substantiale probationis, vt dixi præced. cap. num. 28. Prædicta locū habent in omni religione, vt notat *Sanch. n.* 102. *& Castropal. par.* 3. *d. §.* 4. *p.* 13. *§.* 3. *in fine. Portellus par.* 1. *casu* 21. *n.* 2. ait, testimonium datum à Religioso coram iudice laico sine licentia valere quidem, sed opponi posse à reo.

Tertium, quod non sit necessaria licentia, vt Religiosus licitè sit testis in testamento, & instrumentis, probatur, quia hæc nullibi exigitur, nec id est se implicare in negotiis secularibus, vt accidit, cum examinatur non vero vt scribitur in instrumentis, ex cap. fin. 14. q. 1. illis verbis: *quanquam Sacerdotum testimonium credibilius habeatur, tamen ipsi in secularibus negotijs pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non rogentur, quia eos in talibus rebus esse non conuenit.* Non prohibentur ergo Ecclesiastici scribi in instrumentis, & testamentis, sed prohibitio refertur ad laicos, qui non debent rogare illos, vt testificentur in dictis instrumētis. Ita *Sanch. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 106. *Castropal. disp.* 4. *p.* 12. *§.* 3. *fine.* Quare poterit esse testis in celebratione matrimonij, cum sufficiant etiam inhabiles, *Barb. ad cap.* 1. *sess.* 24. *n.* 121. ergo à fortiori Religiosus. 9

Qu. 3. Ad quosnā superiores spectat dare hāc licentiā?

℞. Vnusquisque consulat constitutiones sui ordinis, & si non extant, videtur spectare ad superiores maiores, ad Generalem scilicet, seu Prouincialem in causa potissimum iudiciariis criminalibus. Ita *Rodrig. tom.* 2. *q.* 11. *art.* 4. *Spatbar. tract.* 7. *cap.* 5. *n.* 2. *Peyrin. in Formul. cap.* 1. *lit. T. num.* 3. 10

Quæret 4. An, & quomodo superior possit concedere licentiam suo subdito, vt examinetur in causa iudiciali criminaliter, aut ciuiliter?

℞. In causa criminali, vbi agitur de sanguine siue ex homicidio, siue ex mutilatione, non potest hanc licentiā dare, quia id est cooperari morti, vel mutilationi tam ex parte superioris, quam ex parte subditi, ne ergo fiat irregularis vterque abstinēre debet, quia solus Pontifex in hac causa eximere potest ab irregularitate. In aliis causis criminalibus eam licentiam præstare potest, si nullū adsit periculum sanguinis, sub his verbis: *Concedimus licentiā N. Clerico, &c. deponendi in Curia seculari in tali causa, dummodo non deponat super articulis concernentibus criminalitatem, infamiam, negatiuam, aut repulsam.* Ex allatis à Barbosa in cap. 1. de Iuram. calum. num. 6. Sed vt vno complectar verbo, nec talis licentia danda est, nisi ad defensam rei, *vt ex Farinac. q.* 78. *à n.* 199. *& q.* 61. *n.* 91. *Peyrin. lit. T. c.* 1. *n.* 2. *Spatbar. tract.* 7. *c.* 5. *n.* 4. In ciuilib. vero iudiciis dari facilius potest, sed melius est etiam in his non concedere, nisi aliqua vrgente causa, ne Religiosi contemnantur à parte aduersa. quod accidere aliquando solet. Quare *Castropal. disp.* 4. *p.* 15. *§* 3. *n.* 10. Tenet, non esse concedendam talem licentiam in criminalibus, neque in ciuilib. quando testimonium vni fauet, & alteri nocet, & sic statuitur in eius religione. 11

Qu. 5. Nūquid superior cogere potest suū subditum, & is teneatur obedire, & deponere testimoniū extra contra aliquē laicū, vel Clericū, vel Religiosū alterius ordinis? nō est difficultas, quin cogi possit cōtra Relig. sui ordinis.

℞. Non potest cogere, & si cogat Religiosus non tenetur obedire. Probatur, quia superior est sui subditi superior in iis, quæ spectant ad Regulam & sunt secundum Regulam, hæc enim præcipere potest, non vero ea, quæ sunt præter, vel supra Regulam, *ex communi sententia cū Sanch. lib.* 6. *c.* 2. *n.* 15. palā autē est, cogere ad ferendū testimonium in causis iudicialibus extra ordinem esse non solum præter Regulam, sed etiam supra eam, ergo id præcipere non potest, neque proinde Religiosus tenetur ei in hoc obedire. Confirmatur, quia ex testificatione in huiusmodi causis regulariter deponens contrahit odium, & inimicitiam partis offensæ, seu victæ, ex dictis cap. 10. num. 46. & 53. et hæc patent superius. 12

Sed an Episcop. suos clericos cogere possit? Resp. Affirmatiuè extra causā sanguinis, & dū aliter causa probari 13

baci non potest. Ita *Farinac. q. 78. à num. 74. ad 77. Miranda q. 16. num. 37.*

Quærea 6. An Religiosi cum iuramento debeant deponere non solum coram suo iudice, verum etiam coram extraneo iudice, siue habeant licentiam à suo superiore, siue non? Quod idem de Clericis quæri potest.

14 ℞. Necessarium est iuramentum ad valorem testimonij coram proprio iudice faciendum; si vero Ecclesiasticus examinetur coram iudice laico, iuramentum tunc fit in manibus iudicis Ecclesiastici, qui dedit licentiam, Vel iuret coram iudice laïco, à quo examinatur.

15 Primum de iuramento præstando probaui cap. 4. per totum, in specie de Religioso q. 6. ideo in hoc immorandum non est. Ita *Spathar. tract. 7. cap. 1. num. 4. & 5. Miranda q. 18. num. 10. de Angelis cap. 15. num. 7. Cardin. de Lugo disp. 37. de instit. num. 166.*

16 Secundum, de iurando coram suo iudice, & non laïco, docetur *ab Imola, Abbate, Monticello, & alijs relatis à Farinac. q. 78. num. 78.*

17 Tertium, quod possint iurare etiam coram iudice laïco, à quo examinantur, probatur, quia si quid obstat, maximè, quia est actus iudicialis præstandus coram suo superiore, qui in exigendo illud exercet actum suæ iurisdictionis; Sed id non obstat, quia non minus est actus iudicialis & ipsum examen, quam iuramentum; sed examen fit Immediatè coram iudice laïco, ergo & iuramentum fieri potest coram eodem immediatè. *Confirmatur*, quia licet Ecclesiasticus cogatur à suo superiore ad comparendum in iudicio, potest nihilominus sponte vtrumque facere, nimirum iurare & respondere, in quo casu cum à iudice laico non dicatur formaliter cogi, nec proinde iudex dicitur tunc exercere actum iurisdictionis contra ipsum, sed actum accipere, qualiscúmque sit, iuxta dicta cap. præced. num. 26. Adde, quod ex supposita licentia iudex laïcus videtur agere nomine superioris; nec est inconueniens laïcum exercere huiusmodi actus recipiendi iuramentum, & interrogare Ecclesiasticum volentem vel cum licentia sui superioris, quia id non est vti iurisdictione contentiosa contra ipsum volentem, vel permittentem hæc fieri circa se.

Quæret 7. An Religiosus possit accusare Clericum, vel Laicum, seu Religiosum alterius ordinis coram suis superioribus?

18 ℞. Nullum ex his accusare potest intendendo etiam prosequi iniuriam sibi factam, nisi cum licentia sui superioris, sine qua nihil agit in iudicio, ita quod nec iniuriam sibi illatam remittere potest. Si vero superior sit absens & periculum sit in mora, tunc potest agere, & se defendere ab iniuria illata.

19 Prima pars, quod non possit accusare extraneum sine licentia sui superioris, probatur, quia cum non sit sui iuris, nihil agere potest in iudicio per seipsum, ergo eget licentia superioris. Ita *Sanchez lib. 6. cap. 12. num. 5. Castropal. disp. 4. p. 12. §. 2. num. 2. Spathar. tract. 6. cap. 6. num. 1. Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 13. num. 1. Farinac. q. 13. num. 24.*

20 Secunda pars, quod attentata accusatio sit nulla, probatur, quia omne iudicium constat ex actore, reo, & iudice ex cap. Forus, de verb. signif. Religiosus autem non potest esse actor extra ordinem suum, ergo nihil agit attentando accusare. Ita. *Barbos. Baldus, Abbas, & Felin. apud Sanch. lib. 6. cap. 12, num. 12.*

21 Tertia pars, quod sicut non potest agere, ita nec iniuriam per seipsum remittere, probatur, quia sui iuris non est, & caret actione iniuriarum. Requiritur ergo licentia superioris in vtroque casu. Ita *Anton. Cardin. & Hostiens. in cap. Parochianos, de sent. excom. apud Sanch. lib. 6. cap. 12. num. 7.* Ratio est, quia ea iniuria censetur facta toti Monasterio, ideo actio iniuriarum competit Monasterio, & superioris. *Nauar. com. 2. de Regul. n. 64. Molina de Iust. tom. 4. tract. 3. d. 2. num. 7. ex illis Barb. super dictum cap. num. 4. Castropal. disp. 4. p. 12. §. 2. num. 3.*

22 Quarta pars, quod possit agere in absentia sui superioris, probatur, quia tunc præsumitur habere ab eo licentiam, *ex allegatis à Sanchez lib. 6. cap. 12. num. 7. Castropal. disp. 4. p. 12. §. 2. num. 2.*

Quærea 8. An accusare possit suum correligiosum de iniuria sibi illata coram suo superiore?

23 ℞. Affirmatiuè, dum enim superior tenetur vindicare iniurias & delinquentes punire, debet querelam acceptare, ac proinde illam acceptando dat ius, & licentiã subditos accusandi, & prosequendi iniuriam sibi illatã, etenim & inter regulares iustitia locũ habere debet, & inter illas exerceri, cũ iustitia sit cõmunis virtus cuique tribuens, quod suum est, ex allegatis à Castropal. n. 6.

Quær. 9. An accusare possit suũ superiorẽ, & Abbatẽ?

24 ℞. Affirmatiuè, *ex cap. Ex parte 11. de accusat.* cui sunt administrandæ expensæ necessariæ de bonis Monasterij, vt dicitur ibidem; quod intellige, quando nullum habet peculium ad suos vsus destinatum. Ita *Abbas ibid. num. 9. Felin. num. 4. Surd. de alim. tit. 1. q. 121. Sanch. lib. 6. cap. 12. num. 21. Castropal. disp. 4. p. 12. §. 2. num. 6.* quod procedit etiam in casu, quo Religiosus suam defendit causam contra suum correligiosum, vel extraneum de licentia sui superioris. Quando causa tractatur per superiorem eiusdem ordinis paruæ requiruntur expensæ, magnæ vero extra, quia extranei iudices nimis auidi sunt. Pari ratione expensæ ministrandæ sunt ipsi accusato, si non habet peculium, *ex præcitatis Sanch. num. 24. Castropal. num. 7.*

25 An pendente lite accusationis contra Abbatem, seu alium superiorem, sit illi obediendum? Resp. Affirmatiuè, quia adhuc superior est, cum non sit priuatus officio, *Cap. Nonne 2. 8. q. 4. Abbas in cit. cap. Ex parte, num. 4. ibi Felin. Sanch. lib. 6. cap. 12. num. 31. Surd. de alim. tit. 1. q. 127. num. 1.* Imò, & post sententiam si appellet, vt dicam cap. 90 num. 40

Quæres 10. An in prædictis de accusatione locum habeat denuntiatio, sicut habet accusatio?

26 ℞. Affirmatiue, quia denuntiatio imitatur accusationem, vbi ergo conceditur accusatio, ibi locum habet denuntiatio, & in casu quo prohibetur accusatio, intelligitur etiam interdicta denuntiatio; in eo autem cap. Ex parte, de accusat. Religiosis prohibetur accusatio contra extraneos, intellige sine licentia superioris, iuxta superius dicta, ergo & denuntiatio. Ita ibidem omnes Canonistæ, quos allegat *Sanch. lib. 6. cap. 12. numero 30. Castropal. disputat. 4. par. 12. §. 2. numero 4. fine.*

Quæres 11. Quando Religiosus fuit interfectus, seu læsus sine morte ad quemnam spectat accusare, facere pacem, & capere pecuniam ob factam remissionem?

27 ℞. Eas tres actiones spectare ad Monasterium, quia ipsum tantum censetur læsum in honore, persona, & damnis illatis, ex quacumque deinde causa percussus fuerit Religiosus. Itaque superioris est accusare, remittere iniuriam, & pecuniam compactam recipere. Ita plerique *cum Farinac. q. 13. num. 26. Rodrig. tom. 2. q. 42. art. 3. ex illis Sanch. lib. 6. cap. 12. num. 40.* referens antecedentes diuersas opiniones super hac re.

Quæres 12. quid dicendum de nouitio læso vel eius parentibus læsis?

28 ℞. Id munus spectare directè ad ipsum nouitium, vel ad eius parentes, & consanguineos, ipso defuncto, & non ad Monasterium, cum enim ille sui adhuc sit iuris habet actionem iniuriarum, non enim est pars, & membrum inseparabile à corpore Monasterij, cuius sola professione fit, ideo nihil ad Monasterium pertinet. Ita *Farinac. q. 13. num. 21. ex eo Sanchez lib. 6. cap. 12. num. 34.* Et nemo contradicit. In nihilo igitur Monasterium se intromittit, sed mortuo nouitio ex interfectione, actio iniuriarum spectat ad eius consanguineos *ex Claro, Plaza, & Cenedos ex eod. Sanch. n. 35.*

Quær. 13. Patre, aut filio non regularib. sed secularib. interfectis nũquid Monasterio cõperit ius accusandi, & pacẽ ineundi intuitu professi cõsanguinei interfectorũ?

℞. Neutrũ

29 ℞. Neutri hoc ius competit nec religioso, nec Monasterio, sed consanguineis defuncti. Ratio est, quia iniuria non est facta Monasterio, sed attinentibus interfecti, vel alias læsi, ergo nullum ius habet Monasterium vindicandi iniuriam, dum illi iniuria illata non fuit. Ita *Farinac. q. 13. num. 26. Sanch. lib. 6. c. 12. n. 36.*

Quæres 14. Quando iniuria illata fuit, nondum ingresso, & tempore probationis nihil actum est, nunquid ius accusandi, remittendi, &c. Spectabit ad Monasterium, an ad consanguineos?

30 ℞. In illis religionibus, quæ sunt capaces honorum, hoc ius spectabit ad Monasterium, quia cum professo transeunt omnia bona, iura, & actiones, quæ in seculo habebat, si super illis non disposuit, quando erat sui iuris, & ante professionem, vt docent omnes *in Auth. Ingressi, C. de Sacros. Eccles. Sanch. lib. 6. cap. 22. num. 38. contra Farinac. q. 13. num. 26.*

Quæres 15. An Clerici, & Laïci possint accusare, & testificari contra, vel pro religiosis?

31 ℞. Laïci non possunt accusare, neque testificari contra Religiosos, vt probaui cap. præced. n. 2. Clerici nullibi prohibentur accusare Religiosos, nec testificari contra eosdem, aut pro illis, ideo simpliciter admittuntur cum licentia, vel sine illa, iuxta dicta præced. cap. num. 27. De Laicis admittendis contra Religiosos, *Spathar. tract. 7. Cap. 3. Rodrig. tom. 2. q. 11. art. 5. & q. 28. art. 3. cum eo Pirellus par. 2. casu 29. num. 5. Pelliz. tract. 9. cap. 4. num. 131.*

Quæres 16. An curator, aduocatus, & defensor dandus sit querelato pro sua defensione?

32 ℞. Curator non datur querelato minori in Religione; nec aduocatus, seu procurator, aut defensor extraneus, quando intra ordinem adsunt Religiosi docti, qui instruere possint reos ad defendēdos; si non adsunt tenetur iudex dare extraneum petitum; nec statutū tunc violatur, quia intelligitur, dūmodo in religione adsint religiosi apti ad defendēdū reū, in eo, in quo defēdi potest.

33 Prima pars de Curatore probatur, quia id solo iure ciuili præscribitur, *l. Clarum C. de auctor. præstanda l. in omnibus, C. qui tutor. dar. l. Propter, C. de adulter.* Latè *Farinac. q. 81. num. 352.* qui num. 365. ait, eum interuenire solum in iuramento, non autem in interrogatorio, & examine, *& num.* 370. ait in practica non seruari, sed quemlibet examinari sine interuentu Curatoris, & valere examen, vt seruatur Romæ ex eodem num. 372. In terminis de Angelis cap. 20. num. 5. ea ratione, quia id spectat ad apices iuris, si enim curator adhiberetur ad instituendum reum in respondendo, potius obscuraretur veritas, quam dilucidaretur, ideo non facit pro iustitia.

34 Secunda pars, de extraneo aduocato, non dando, quādo potest haberi Religiosus, probatur, quia quantum fieri potest delicta Religiosorum occultanda sunt extraneis, ne præiudicetur Religioni. Ita *Rodrig. tom. 2. q. 20. art. 4. in fine,* qui negat Aduocatos reis Religiosis, intellige extra ordinem, *Pitigianus de 4. subst. cap. 1. §. Dicimus, Spathar. tract. 10. cap. 1. num. 4. & 5. de Angelis cap. 20. num. 7.* Qui omnes asserunt in defectum aduocati Religiosi dandum esse extraneum, ne remaneat indefensus, defensio enim est de iure naturæ, nemo enim per seipsum defendit, sed ab alio defenditur.

Quæres 16. An Monialis sit testis integra, & maior omni exceptione in causis inter Moniales, & extra in iudiciis regularium, & secularium?

35 ℞. In earum causis sunt omni exceptione maiores non obstante sexus conditione, extra vero patiuntur eandem sexus exceptionem, sed non tantam, & in causis sui Monasterij sunt testes legitimæ.

36 Prima pars in causis criminalibus inter se probatur, quia cum sint eiusdem sexus, hæc exceptio compensatur vnius cum alia, & professio earum quodāmodo supplet huiusmodi defectum respectu earum, ita vt inter ipsas non attendatur. Ita videtur sentire *Rodrig. tom. 2. q. 11. art. 3. fine,* dum ait, quod duæ sufficienter probant, hoc est, faciunt plenam probationem, & vna semiplenam, vt illum explicat *de Angelis cap. 14. n. 9. fine; Spathar. tract. 7. cap. 2. n. 1. Lezana par. 1. cap. 27. n. 15. Tamb. disp. 14. de Abbatis. q. 7. n. 66. & Pelliz. cap. 7. n. 36.* inter seipsas, & idem Spathar. num. 4. extendit illarum testimonium contra Fratres, qui delicta commiserunt apud easdē Moniales, quod non placet, vt mox probabo.

Secunda pars de testimonio ferendo contra extraneos, 37
quod non sint omni exceptione maiores, probatur, quia quamuis magis sit illis credendum, quam cæteris mulieribus in seculo, tamen, cum professione non tollatur conditio sexus, sed remaneat cum sua imperfectione, ad testificandum admittendæ sunt cum sua inhabilitate, sicut aliæ mulieres admittuntur. Ita præfati Spathar. & Pelliz. cū aliis, sed nō explicāt, an sint omni exceptione maiores.

Monialis, quæ testificatur, religiosum, Clericum, vel 38
Laicum secum locutum fuisse ad portam, vel Parlatorium, non probat semiplene, quia socia est in crimine collocutionis, non enim solum viris interdicta est locutio cum Monialibus, sed etiam Monialibus ipsis, cap. Definimus 21. cap. In decima 24. 18. q. 2.

Tertia pars, quod in ciuilibus testificātur pro suo Mo- 39
nasterio, probatur *per Mandellum cons. 10. num. 25. Riccius par. 2. decis. 296. num. 1.* Testes enim de vniuersitate admittuntur, quando causa respicit commodum distinctè, & non vt singulos ratione commodi proprij, vt ibi notat cum multis idem Riccius. Vide supra cap. 14. à num. 19. vbi de testibus Vniuersitatis.

Admittuntur in probanda professione alterius Monia- 40
lis, *ex cap. Nuper de testib. Franc. decis. 384. à num. 6. Magon. decis.* Florent. 141. *ex illo Grat. cap. 640. n. 6.*

Quæres 18. An Religiosus cum expressa licentia possit sine periculo irregularitatis querelare in causa sanguinis, præmissa protestatione in scriptis, quod non intendit vindictam, neque pœnam sanguinis?

℞. Potest, quando prosequitur propriam iniuriam, 41
cap. Prælatis 2. de homicid. in 6. vbi loquitur de Prælatis, & Clericis, & cum id sit fauorabile extenditur etiam ad Religiosos, qui veniunt sub nomine Clericorum, & eorum Superiores sunt Prælati. Protestatio autem exhiberi debet in scriptis sub similibus verbis: *Domine peto, cures mihi satisfactionem, vel restitutionem exhiberi à Titio, qui tale damnum intulit, protestor autem, me nulla ratione intendere pœnam sanguinis, mutilationem, nec mortem, &c.* Vide Barbosam ad hoc caput, & ad cap. Postulasti 21. eod. in Decretal.

Quæres 19. An in causa sui Monasterij possint esse testes?

R. Affirmatiue, ex Bullis Pontificiis *Vrbani IV. Iulij II. Eugenij IV. Leonis X. apud Rodr. tom. 2. q. 11. art. 1. ex Peyrin. ad constit. 2. Iulij II. num.* 148. Imò id est de iure communi expressè, *cap. Tuis 39. de testib. cap. Et si Christus 26. de iureiur.* Vide quæ dixi cap. præced. num. 27. & hic q. 2. & q. 21. 42

Quæres 20. An inhabilitas testium, de qua locuti fuimus in præcedentibus capitibus, spectet ad apices iuris, ita vt ea non sit consideranda apud iudices præsertim Regulares, qui sola veritate inspecta iudicant? Spathar. tract. 7. cap. 4. num. 2. ait, illos contra regulares haberi pro habilibus, & idoneis quia sunt apices iuris, & num. 17. ait ex Bonifac. VIII. admittendos esse omnes inhabiles. Vnde Fratres amici, & familiares possunt admitti contra alios Fratres ex eodē c. t. o. 1. ita multi alij tenent, quos retuli c. 8. & ibi reieci num. 40.

℞. Inhabilitatem non pertinere ad apices iuris, pro- 43
batur, quia apices iuris connumerantur inter accidentalia iudicij, quæ non faciunt ad indagandam, & firmādā veritatē prolati testimonij, ex dictis c. 2. à n. 18. sed inhabilitas in testib. non cōnumeratur inter accidētalia, sed inter substātialia cum opposita habilitate, contrariæ enim differētiæ sunt de eodē genere, quod diuidunt, nam habilitas testiū respicit substantiale probationis, à quo excluditur inhabilitas, nam hæc vel in totū, vel ex parte diminuit de fide, quæ habenda est testibus, vt patet

ex hactenus dictis de testibus inhabilibus ergo inha-
bilitas infirmat probationem, sicut eandem firmat ha-
bilitaa testium, consequenter non est de apicibus iu-
ria, qui non faciunt aliquem gradum probationis, sed
de substantialibus ipsiua probationia, quæ per babili-
tatem testium firmatur, sicut per inhabilitatem infir-
matur. Quare cum inbabilitaa, & habilitas tanquam
duo contraria versentur circa idem substantiale, quod
est probatio per testea, specificatur sub ordine essentia-
li iuris, & non sub ordine accidentali. Deinde testia in-
habilis si pro habili habeatur valde præiudicatur, &
quidem iniustè ipsi reo, contra quem probatio pro le-
gitima habetur, quæ tamen de iure legitima non est,
cum in ratione fidei diminuantur gradus probationis,
ergo inbabilitaa non pertinet ad apicea iuris, borum
enim omissio reo de iure non potest, aliter lex nomini
concederet, vt postpositia apicibus iuria procederetur
in causa contra reum.

41 Confirmatur, quia iudex S. Officij in suia causia
procedit de plano, & sine strepitu iudiciali, postposi-
tir apicibus iurir, cap. fin. de hæret. in 6. & nihilomi-
nus restes inbabiles non recipir pro babilibus, sed cum
sua inhabilitate, de communi *Farinac. q.* 188. *numero*
83. *cum alys Carena par.* 3. *tit.* 5. *num.* 73. ergo signum
est, quod inhabilitas non spectat ad apices iuris, eum
eius exceptio omitti non possir, nec haberi pro idoneis
testes.

42 Quare huiusmodi exceptio inhabilitatir valde obser-
uanda est etiam à iudicibus regularibus, cum in testes
illoa admittunt, qui ea laborant, non solum extraneos,
sed etiam religiosos ipsos, vt si sunt inimici, consan-
43 guinei, aut affinet, &c. Exceptio autem familiaritatis,
seu amieitiæ non videtur considerauda quia ex com-
muni conuersatione inter ipsoa necessaria, vide-
tur ex conditione status illorum consurgere, ita
quod affectio modicam parit suspicionem, quæ non
videtur multum vrgere iudicem. Tempore tamen Ca-
pitulorum superior debet esse multum oculatus, & pru-
dens ad medendum inuidorum, & ambitiosorum infir-
mitati, ne inducti testes decipiant ipsum, & reo
præiudicent iniquè, eo enim tempore religiosi præ-
tensores varias machinantur insidias suis æmulis, na
promoueantur ad dignitatea, ideo in his casibus cum
rigore iuris procedere debet fauore rei contra inductos
testes.

Quæret 21. An Nouitij, Tertiarij, & alij commen-
salea sint legitimi testes contra professos, vel alios non
professos?

44 ℞. Affirmatiuè, quia ex boc capite nullam patiun-
tur exceptionem, iuxta dicta 13. & sect. 1. de Dome-
sticia, & familiaribua, qui admittuntur contra alios
de domo, non autem producuntur de domo contra ex-
traneos propter exceptionem affectionis, quam præ-
sumuntur babere erga, &c. cum quibus morantur. *Ro-
drig. tom.* 2. *q.* 11. *art.* 1. refert priuilegia diuersorum
Pontificum, quorum Eugenius IV. Monachua S. Be-
nedicti concedit, vt in eorum causis vel possint con-
uersis, & commissis, *cuius Bulla extat apud eundem
Rodrig. estque* 9. *sub num.* 13. & Leo X. extendit ad
Nonrios Camaldulensium. Itaque quod de iure est pri-
uilegiia firmatur.

Quæres 22. An testimonium religiosorum sit præ-
ferendum testimonio Laicorum, & Monialium atte-
stationi aliarum mulierum?

45 ℞. Affirmatiuè, ratione status perfecti, quo eorum
fidea augetur, vt dicitur cap. fin. 14. q. 1. ibi. *Sacer-
dotum testimonium credibilius.* Et Rodrig. tom. 2. q. 11.
art. 3. in fine ait: *Licet enim mulieres sint, sunt tamen
religiosæ timentes Deum, & ita dua sufficienter proba-
rent, si omni alia exceptione maiores fuerint inuenta.*
Maior ergo fides illis adhibetur.

CAPVT XVII.

De Teste Vnico.

PRæmitto duplicem esse probationem Plenam, &
Semiplenam, illa postulat duos testes omni exce- 1
ptione maiores deponentes ex propria scientia, qui
scilicet sint oculares, & auriculares concordes in de-
positione delicti, ad effectum condemnationis in pœ-
nam ordinariam. Ista vero petit vnicum testem omni
exceptione maiorem ad effectum carcerandi & tortu-
randi. Dantur prætetea alia duo genera probationum,
quorum vnum appellatur probatio infima, quæ facit
ad inquirendum in genere, alterum dicitur probatio
media quæ ordinatur ad pœnam extraordinariam ar-
bitrariam, & mitiorem. De his latius egi *cap.* 5. *per to-
tum & cap.* 7. *num.* 12. *ad* 14. *& cap.* 8. *n.* 11. *&* 12.

Testis vnicus, vt dixi, facit semiplenam probatio-
nem, quæ seruit ad carcerandum reum, *vt probaui cap.* 2
5. *num.* 16. *&* 17. de qua semiplena probatione *Farinac.
q.* 63. *num.* 52. Quo vero ad condemnationem nullo
modo probat, eum duo omnino sint necessarij, *ex dictis* 3
cap. 5. *num.* 21. & hoc de iure diuino, ciuili, & Ca-
nonico, cap. Admonere. 33. q. 2. illis verbis: *Quoniam
nec Euangeliũ, nec vlla diuina, humanaque lex vnius testi-
monio etiam idonei quempiam condemnat, vel iustificat.*
Vnde prodiit illud cõmune proloquium. *Dictum vnius,
dictum nullius*, scilicet in ordine ad condemnationem, 4
& in præiudicium graue proximi, de quo *Farinac. q.*
63. *num.* 1. expressum aliis verbis: *Vox vnius, vox nul-
lius.* Sanch. *lib.* 2. *resp.* 46. *n.* 11. *Barbosa. Vaz. lit. V.
n.* 77. *aliter Barbos. Axiom.* 70. Quod ita verum est,
vt nec credatur posito in dignitate Senatoria *ex eodem
Farinac. num.* 3. Maximè in criminalibus, *ex eodem num.*
7. Quod ita certum est, & immurabile, quod nec Papa
facere potest, vt vnico testi quantumuis digno sit plenè 5
credendum in præiudicium notabile tertij. *ex eodem
num.* 8. *ad* 12. *Barb. ad cap.* 4. *de testib. num.* 3. Pro-
cedit licet iudex procedat sola veritate inspecta, quia
vni tantum credere non debet, *ex num.* 13. neque in
causis piis *num.* 14. Nec Episcopo asserenti, *ex n.* 15.

Dictum ergo vnius est dictum nullius, quando nota-
biliter præiudicatur tertio. Extra præiudicium, seu do 6
consensu partium vox vnius est vox alicuius. Quare
multi dantur casus, in quibus vni testi tantũ plene cre-
ditur, adeo quod vlterius nihil aliud desideratur ad credẽ-
dum in ordine ad talẽ effectũ, & numerãtur sequentes.

Primo vnico testi plene creditur de consensu par- 7
tium. Ita *Farinac. q.* 63. *à num.* 18. *ad* 25. *Menoch. cons.*
315. *num.* 11. *Barb. ad cap.* 4. *de testib. num.* 4. Sed rari
sunt, qui velint sibi præiudicare.

Secundo, quando quis testatur de re sua, vel testis 8
testatur contra producentem. *Farinac. q.* 63. *num.* 207.
Gratian. cap. 111. *num.* 23. *& cap.* 950. *num.* 38. *Mar.
Anton. lib.* 2. *resol.* 7. *num.* 4. *Barbos. num.* 5. Vbi id
non probari à Rota, sed tantum personam non dictam.

Tertio, quando de præiudicio nullius agitur. *Farinac.* 9
num. 26. *Barbos. num.* 6.

Quarto, clericatus vnico teste probatur. *Craneta* 10
cons. 613. *num.* 13. *Mascard. concl.* 303. *num.* 4. *Bar-
bos. num.* 7.

Quinto, in causia parui momenti vnus probat. 11
Farinac. num. 30. *Barbosa num.* 8.

Sexto, matrimonium futurum vnico teste impedi- 12
tur. *Cardosus in praxi iudicum V. Testis num.* 43. *Farin.
num.* 48. *Barb. num.* 9.

Septimo, creditur officiali, asserenti se fuisse exeeu- 13
tum suum officium. *Farinac. q.* 63. *num.* 41.

Octauo, creditur Sacerdoti asserenti, se à suo pœni- 14
tente habuisse facultatem manifestandi eius confessio-
nem, *Felin. in cap. Nemo de sim. Ant. Gabr. sit de testib.
concl.* 1. *num.* 28. *Mascard. concl.* 377. *num.* 9. *Cenedus ad*

Decretal,

Decretal. Collect. 60. num. 2. apud Barb. ad cap. 4. de testib. num. 12.

15 Nona, in probatione confessionis Sacramentalis. *Farinac. q. 63. num. 17. Barbosa num. 13.*

16 Decimo, in probanda innocentia. *Mascard. concl. 904. num. 10. Farinac. num. 43. de Bictis q. 43. num. 24.*

17 Vndecimo, in probatione appellationis. *Mascard. concl. 114. in fine, Barb. num. 17.*

18 Duodecimo, in probatione possessoris. *Gratian. decis. March. 192. Farin. num. 3. Barb. num. 18.*

19 Decimo-tertio, in probanda bona fide. *Mascard. concl. 232. Surd. decis. 149. num. 26. Burgos de Pace cons. 40. num. 16. Barb. num. 19.*

20 Decimo-quarto, in probanda mala fide. *Burgos cit. num. 16. Gama decis. 290. num. 2. Mascard. concl. 232. Barbos. num. 21.*

21 Decimo-quinto, in probanda absolutione ab excommunicatione, *Mascard. concl. 12. n. 3. Barbos. n. 20.*

22 Decimo sexto, sufficit vnus testis ad excusandum querelantem ab expensis. *Caet. decis. 67. Riccius par. 2. decis. 224. Barbosa num. 23.*

23 Decimo septimo, probatur baptismus vnico teste, *Gloss. fin. in fine Cap. Nuper 51. de testib. Comitulus lib. 5. Resp. moral. q. 1. num. 5. Farin. num. 24.*

24 Decimo-octauo, vnico teste probatur Ecclesiæ consecratio. *Gloss. max. clara, Mascard. concl. 415. num. 4. Azor lib. 10. cap. 26. Barbosa num. 25.*

25 Decimo-nono, quando quis probat factum, in quo fuit mediator. *Capusaq. decis. 367. Barb. num. 26.*

26 Vigesimo, quando quis deponit contra se. *Ant. Faber tit. de testib. Defin. 10. Barb. num. 27.*

27 Vigesimo-primo, in probanda scientia. *Surd. decis. 221. num. 11. Anton. Monachus Florens. decis. 41. num. 6.*

28 Vigesimo-secundo, creditur vni Episcopo ob eius reuerentiam. *Cap. Quicunq. 11. q. 1. Gennens. in pract. Eccl. q. 678.* Nec aduersatur ei quod diximus supra ex Farinac. num. 15. non esse credendum Episcopo, quia intelligitur in notabile præiudicium tertij.

29 Vigesimo-tertio, in probando valore beneficij. *Ægidius decis. 113. Capuaq. par. 1. decis. 173. num. 7. Rota par. 2. Recens. decis. 10. num. 4. Canaler. decis. 517. num. 5.* Vbi sufficit ad probandum valorem obtentorum.

30 Vigesimo-quarto, in similibus vnicus testis cum præsumptionibus plenè probat? *Decian lib. 1. cons. 92. num. 8. Farinac. q. 63. num. 35. Mantica decis. 325. n. 4. cum multis alijs Barbos. ad cap. 4. de testib. n. 30.*

31 An & quomodo credendum sit dicto vnius Cardinalis docet Farinac. q. 63. à num. 55. ad 79. à quo tractat. de fide habenda dicto Principis. Vide ipsum, quia non expedit de omnibus exactè agere in hoc opusculo.

CAPVT XVIII.

De numero testium in quolibet negotio.

1 IN præcedenti capite actum est, in quibus casibus plene probet vnicus testis, dico *plene*, non plenam probationem, quia probatio vnius testis tunc dicitur sufficere, cùm per eam obtinetur effectus, qui ex sua conditione non videtur exigere probationem exactam, sicut in iis effectibus, qui multum præiudicant proximo, in præsenti tractandum est de pluralitate testium in quolibet negotio.

2 Regula est generalis, quod duo testes regulariter requiruntur, & sufficiunt ad perfectam probationem in omni causa tum criminali, tum ciuili, tam profana, quàm spirituali, vbi agitur de graui præiudicio tertij, & hoc de iure diuino. Deuter. cap. 17. 6. *In ore duorum, aut trium testium peribit, qui interficietur. Nemo occidatur vno contra se dicente testimonium.* Statuit Deus vt vnus condemnetur ad mortem testimonio ad minus duorum; prohibet vero, ne quis interficiatur per vnius tantum testis testimonium, quia tantum valet negatiua rei, quantum affirmatiua testis. Et licet petat duos testes, aut tres in causâ mortis, quasi vnus sufficiat in aliis causis, quæ sunt minoris considerationis, & damni, cum mors omnem aliam pœnam longe excedat, tamen ne quis existimaret sufficere vnum testem ad condemnationem in aliis causis, vbi non agitur de morte, Dominus se declarat velle hunc numerum in qualibet alia causa, in qua agitur de graui præiudicio tertij cap. 19. num. 15. his verbis: *Non stabit testis vnus contra aliquem quicquid illud peccati, & facinoris fuerit, sed in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.* Hoc est, *omne verbum* omnis causa, seu 3
negotium expedietur per duos ad minus testes idoneos. Quam legem quasi naturalem Christus comprobauit per Euangelicam *Matth. 18. 16. Ioann. 8. 17.* Et Paulus hanc legem prædicauit Corinthiis *Epist. 2. cap. 13. 1.* & Hebræis *cap. 10. 28.*

Iure quoque humano obseruatur diuina hæc lex, 4
ciuili quidem *l. Vbi 12. ff. de testib.* reportata à Gratiano *in cap. Si quis testes 4. q. 3. & cap. 1. & 2. q. 3. & cap. Admonere 8. 33. q. 2. cap. fin. 35. q. 7.* & in Decretalibus, *cap. In omni 4 cap. dicet 23. de testib.* vt etiam retuli *cap. 5. sub num. 21.* De qua re latius *Farinac. q. 63. à num. 532.*

Duo ergo testes sufficiunt ad condemnandum pro 5
qualibet causa quemlibet hominem, lex enim diuina, & humana, quæ illi adhæret vniuersaliter loquitur tam respectu delictorum, quam personarum, vt patet
legenti præclaras auctoritates, vnde Farinac. num. 535. 6
ait, duos testes sufficere ad condemnandum Episcopum; Berous ibidem *cum Gloss. 11. Præsul. cap. 2. q. 4.* ait, etiam Papam per duos testes conuinci in crimine
hæresis. Sed id ab omnibus reijcitur, cum Papa omnes 7
iudicet, & à nemine iudicari, nec incidere in hæresim, vt pluribus probaui in meo Sacro Tribunali recu-
dendo Lugduni, *Suar. disp. 10. de fide sect. 6. num. 11.* 8
cum pluribus aliis collectis à Diana *par. 4. tract. 8. resol. 58.* probantibus Papam etiam vt personam priuatam non posse pertinaciter, & formaliter errare in fide.

Lex de duobus testibus idoneis, legitimis, & omni 9
exceptione maioribus de propria scientia deponentibus immediatè super delicto, *iuxta quod dixi cit. cap. 5. à num. 21. ad 24.* conuincentibus reum, non est ita restricta ad numerum binarium, quin à Principe extendi possit ad maiorem numerum, ne quis scilicet conuinci possit nisi per tot testes. Vnde Syluester Papa in Synodo relata cap. Præsul. 2. 2. q. 4. statuit, ad conuin-
cendum. Cardinalem Episcopum requiri 72. testes; 10
Presbyterum vero 44. Diaconum 27. contra reliquos Clericos septem. Tot testium numerus tunc erat necessarius, quia Clerici in odium erant Laïcorum, à quibus vix se defendere poterant. Nostris verò temporibus, cum res aliter se habeat, lex illa abijt in dissuetudinem, *ex allegatis à Farinac. q. 63. à num. 241. ad 245. Barbos. super dictum cap.*

In probatione testamenti requiruntur septem testes; 11
ex l. consultissima. C. de testam. In qualibet alia vltima 12
voluntate, vt in donatione causa mortis, & Codicillis requiruntur quinq. testes, *l. fin. C. de Codicill. Farinac. q. 63. num. 250. 251. & 252.*

Testes duo non sufficiunt in probatione debiti solu- 13
tionis contracti per scripturam, sed quinque requiruntur *per l. Testium C. de testib.* non autem si debitum non sit in scriptis redactum, *& eodem Farinac. q. 63. num. 246. & 147.* Vide allegatos hic è à Barbosa.

Tres testes requiruntur in deposito pecuniæ, vel al- 14
terius rei libram auri excedentis. *Auth. de instruct. caut. & in Authent. Si quis vult. C. qui potior in pign. cum alijs Farinac. q. 63. num. 254.*

In confectione inuentarij requiruntur pariter tres 15
testes. *Auth. de hæred. & Falcid. §. Si vero absint. & l.*

Sancimus, §. *Si vero dubius*, *C. de iure delib. Farin.*
num. 254.
16 Scriptura priuata petit tres testes. *l. Scripturas C.*
qui potior in pign. Iure Canonico duo sufficiunt, *cap.*
quoniam contra, *de probat. Farinac. num.* 256.
17 In probanda interruptione præscriptionis tres se-
quiruntur. *Cap. placuit*, §. *Hac de præscriptionibus* 15.
q. 3. *ex eodem num.* 257.
18 Ventris inspectio exigit tres obstetrices, sed duæ
probant prægnantiam, muliere negante, si fatetur,
vnica testis sufficit. *l.* 1. *initio*, §. *De inspiciendo ff. de*
ventr. inspect. ex eodem num. 158.
19 In diuortio requiruntur septem testes. *l. Nullum ff.*
de diuort. ex eodem num. 259. Sed id non seruatur, vim
duobus testibus diuortium declaretur.

CAPVT XIX.

De Singularitate Testium.

1 Actum est in præcedentibus à cap. 8. & sequenti-
bus de exceptione testium proueniente ex aliquo
intrinseco defectu personæ, quæ ex eo appellatur com-
muniter inhabilitas personæ; modo prosequenda est
tractatio de exceptionibus ex parte dictorum ipsorum
testium, & primo loco se offert tractatus de singulari-
tate testium, quæ est exceptio circa dictum vnius testis
cum relatione ad dictū alterius testis diuersum à dicto
alterius. Quia autem hæc materia est satis confusa, ideo
per quæstiones eam tractabimus, vt dilucidior fiat.

Quæres igitur primo quæ differentia sit inter testem
singularem, & testem vnicum?

2 ℞. Hæc est, quod testis vnicus dicitur ille, qui de-
ponit solus sine vllo ordine, & relatione ad alios, vel
quia solus aliquid probare potest, iuxta dicta cap. 17.
vel quia nullus alius adest producendus in causa, est
ergo vnicus & talis singularitate personæ. Testis vero
singularis ille dicitur, qui in sua depositione est diuer-
sus in aliquo à dictis aliorum, qui in eadem causa testi-
ficantur, exempli gratia vnus deponit de blasphemia.
Putana di Dio, alter deponit, *Al dispetto di Dio*. Vnus
de eadem blasphemia prolata in Platea tali die; alter
alio die & loco. Singularitas ergo testium consistit in
eo, quod inter illorum dicta reperitur varietas, & di-
uersitas vel in substantia delicti, vel in tempore, vel in
loco, aut in alio loquendi modo.

3 Singularitas ergo dicitur vnus testis cum relatione
ad dictum alterius testis. Vnitas vero vnius testis est
depositio absoluta vnius tantum testis sine relatione ad
alterum.

Quæres 2. Quid, & quotuplex sit singularitas?

4 ℞. Est varietas, diuersitas ex depositione testium
proueniens. Et est triplex. Obstatiua, Deuersificatiua,
& Cumulatiua, de quibus latè. *Farinac. q.* 64. *Pegna*
par. 3. *Direct. Com.* 121. *Carena par.* 2. *tit.* 6. *num.* 50.
Miranda q. 17. *num.* 242. *Rodrig. tom.* 2. *q.* 9. *art.* 1.
cum suo Compend. resol. 42. *Sparbar. tract.* 7. *Cap.* 15.
de Angelis cap. 14. *à num.* 13. *Castropal. tom.* 1. *tract.*
4. *disp.* 8. *p.* 15. §. 4. *num.* 3. *de Bellis q.* 44. *Hurtadus*
Cler. Minor. par. 1. *Resolut. Moral. per.* 1. *tractat.* 4.
Faber Fauentinus disp. 54. *de Restit. num.* 174. *Modo sin-*
gulæ species sunt explicandæ.

5 Singularitas obstatiua est illa, qua testes deponunt
contraria circa idem factum numero spectatum in tem-
pore, seu loco vel verbis. Habemus exemplum id de-
clarans quo ad locum in vnico adulterio ab illis seni-
bus imputato Susannæ, quod concubuisset cum iuue-
ne, quorum vnus deponit adulterium factum sub Schi-
no, alter vero sub prino, Daniel. cap. 13. à num. 54.
ad 60. Quoniam autem lis erat de vnico adulterio, te-
stimonia illorum duorum senum, quibus noluit sancta
mulier complacere, erant singulares singularitate ob-
statiua, ac proinde pugnabant ad inuicem, & vnum
destruebat dictum alterius, quia impossibile est, quod
vnica adulteratio fiat in duobus locis inter se distantibus, vt
id patet ex naturali ratione, quia idem numero non
potest simul esse in pluribus locis. Huiusmodi ergo sin-
gularitas dicit contrarietatem, & repugnantiam in
dictis testium, quorum alterum destruit fidem alterius.
Potest autem hæc repugnantia accidere duobus modis.
Primo per negationem, vt cum vnus negat delictum,
quod alter affirmat. Secundo per affirmationem cum
diuersitate loci, vt in exemplo allato, seu temporis, vt
quod Petrus hodie deponatur interfectus, & alter te-
stificetur occisus altero die, & ex his insurgit contra-
rietas, si enim ponatur necatus hodie; constat manife-
stè non potuisse occidi sequenti die, quia non occiditur
mortuus, sed viuens.

Diuersificatiua singularitas est illa, quæ nata ex va-
rietate dictorum, testium infert plures actus, seu delicta
numero distincta sub eadem specie, vel sub diuersis spe-
ciebus. Exempli gratia duo, vel plures testes deponunt
Petrum blasphemasse *Putana di Dio* in diuersis locis,
& temporibus. Vel vnus dicit blasphemasse, alter sor- 7
tilegium fecisse. Oritur ergo hæc singularitas inferens
pluralitatem actuum ex duplici capite. *Primo* extrinse-
cè à diuersitate locorum, & temporum, nam impossi-
bile est, quod idem numero actus sit factus simul in
pluribus locis, & temporibus, & quoniam in delictis
iterabilibus dabilis est eorum pluralitas, ideo potest
esse, quod omnes testes dicant verum, & ex illis infe-
ratur pluralitas eiusdem actus, seu delicti numero, sub
eadem specie ex diuersitate locorum, & temporum,
nam ex horum pluralitate infertur pluralitas numerica
actuum secundum Philosophum, & veritatem. Nec 8
iudex probabiliter, aut prudenter in similibus testibus
potest præsumere falsitatem, ex quo depositiones illæ
diuersificatiuæ tunc circa delictum reiterabile, vt iniu-
ria, blasphemia, sortilegium, adulterium, &c. ac pro-
inde quod potest esse commissum pluries à querelato. 9
Quare singuli testes licet singulares propriam retinent
fidem non diminutam per alterius dictum in eo, quod
vnius dictum non destruit alterius dictum, ergo singu-
li manēt cū sua fide, si enim vnus destrueret fidē alterius
iam non esset singularitas diuersificatiua, sed obstatiua.

Secundo, singularitas diuersificatiua intrinsecè ex 10
diuersitate actuum arguit pluralitatem delictorum in
specie, vt si vnus deponit de furto, alter de adulterio.
Et in hoc vnus testis non labefactat dictū alterius quia
potest esse, quod querelatus vtrunque delictum com-
miserit, nam quilibet, testis spectatur ac si in suo di-
cto esset singularis singularitate personæ non singula-
ritate dicti. Sed hæc singularitas diuersificatiua nuncu-
pata specificatur secundum Doctores à diuersitate tan-
tum temporum, & locorum, si propriè ea spectetur.

Cumulatiua, seu Adminiculatiua singularitas est 11
illa, qua dictum vnius fouet testimonio alterius, dum
plures testes per diuersa media tendunt ad eundem fi-
nem. Exemp. gratia vnus super eodē delicto deponit de
visu, alter de auditu, alter de confessione, alter de fama,
&c. In his non reperitur repugnantia, nec contrarietas,
dum vnus adiuuat, & fortificat alterū, augendo eius fidē
in probatione criminis. Et hæc versatur circa idem nu-
mero delictum, vt facit obstatiua, cum ea differentia,
quod cumulatiua adiuuat testes ad inuicem, obstatiua
destruit eorum dicta. Diuersificatiua vero refertur ad
plura delicta sine destructione testimoniorū iuxta dicēda.

Quæres 3. Quomodo differant inter se contestitas, &
singularitas, seu testes singulares, & contestes, oppo-
nuntur enim.

℞. Sic differre, quia testes singulares sunt illi, qui in 12
suis dictis differunt loco, vel tempore, vel circunstantiis
aliis Contestes vero sunt illi, qui conueniunt loco, tem-
pore, & in circunstantiis circa eandem rem; & delictum,
& si in omnibus conueniunt conuenientia est simplici-
ter talis. Attenduntur autem circunstantiæ necessariæ, &
quæ delictum probare possunt, non autem impertinen-
tes,

tes, vt quod tempus erat serenum, sin domus picta, &c.
13 *D. Thomas 2. 2. q. 70. art. 2. Faber disp. 54. num. 171.*
§. Sed obseruandum, in fine, dicit, ex S. Chrysosto-
mo super S. Matth. homil. 2. quod si in omnibus con-
cordarent, etiam in minimis, viderentur ex condicto
eandē sermonem proferre. Aliqualis ergo discordia cir-
ca verba idem tamen sonantia videtur arguere testimo-
nium magis credibile inquit Faber. Contestitas ergo
attenditur solum in necessariis, & de ea sub nomine
cōuenientiæ fit mentio in Euāgelio Marci 14. 56. *Multi
enim testimonium falsum dicebant aduersum eum, & con-
uenientia testimonia non erant*. Non erant ergo testes cō-
testes, & ideo ex illis Christus non poterat condemnari.
14 Quoniam finis probationis est iudici ostendere, an
habeat ius carcerandi, torturandi, & condemnandi reum
conuictum, ideo in sequentibus videndum est, quam
probationem faciant testes singulares, vt ex eorum in-
formatione deueniat in cognitionem qualiter debeat
procedere in causa. Quare

Quæret 4. An singularitas obstatiua probet ad car-
cerandum, torturandum, & condemnandum reum?
15 ℞. Testes singulares singularitate obstatiua nihil
probant, quia vnus destruit fidem alterius, vnus enim
negat, quod alter affirmat. Et id patet ex illo axioma-
16 te. *Tantum valent mille testes, quantum valet vnus*. Imò
aiunt. *Minus probare mille testes, quam vnus*, nam vnus
per se acceptus si sit idoneus probat ad inquirendum,
ad carcerandum, & ad torturandum, quod facere non
possunt mille obstatiui, quia vnus pugnat cum altero,
vnicus vero cum nullo, dum non habet consortium
cum aliis, nec relationem ad illos. Ita *Farinac. q. 64.
num. 37. ad 41. Miranda q. 17. num. 242. Spathar.
tract. 7. cap. 15. n. 2. Castropal. disp. 8. p. 15. §. 4. n. 3.
Barbosa ad cap. 4. de testib. n. 31.* Et in hac nulla est dis-
crepantia, ita quod nec coniungi possunt ad probandum
quia nihil habent cōmune, quod eos coniungere possit.
17 Quæres 5. An vnus ex testibus singularibus singula-
ritate diuersificatiua sufficiat ad torturandum querelatū?

℞. Affirmatiue, quando aliam non patitur exceptio-
nem, qui deposuerit de propria scientia. Probatur, quia
ad torturam sufficit vnicus testis omni exceptione ma-
ior deponens ex propria scientia, de communi ex di-
ctis sub cap. 5. num. 16. & 17. Sed talis est iste singu-
laris, quia vnusquisque testis suum firmat dictum in-
dependenter ab alio, nam certè qui primo examinatur
fidem suam non qualificat respectiuè, & dependenter
ab aliis posterius examinandis, nec dicitur singularis,
nisi posito teste secundo variante tempore, aut loco, vel
alia circunstantia, ergo sufficienter probat ad torturam.
18 *Confirmatur primo*, quia hæc diuersitas non respicit fi-
dem testium, sed varietatem temporis, & loci, quæ non
nocet credulitati testium, qui suam retinent inuiolatam
fidem singuli ac si non essent singulares, sicut reuera
non sunt, quando spectantur vt singulares singularita-
te personæ, non singularitate dicti relatiui vnius ad al-
19 terum. *Secundo*, quia singularitas non est exceptio fi-
dem testium debilitans, nisi in ordine ad contestitatem,
& plenam probationem, quæ non est necessaria ad cap-
turam, & torturam, cum ergo respectu horum sufficiat
semiplena probatio, quæ sine dubio non est relatiua,
vnico teste non obstante hac singularitate, quæ hic non
consideratur, probatur ad torturam. Ita *Farinac. q. 64.
num. 47. de Bellis q. 45. num. 37. & 38.* cum multis ab
vtroque citatis, dicentes, plures probare tantum, quan-
tum. Vnus sed vnus probat ad torturam, ergo idem fa-
ciunt plures. *Spathar. tract. 7. cap. 16. num. 2. Pegna
par. 3. com. 121. §. Quia vero, Vercellius tract. 8. disp.
44. num. 18. Longus de casib. reseru. casu 5. num. 46. §.
Hic bene*. Et in hoc nullam video repugnantiam. Adde
*Hurtadum par. 1. Resol. Moral. tract. 4. cap. 8. num.
965.* asserentem id esse verum, si discordent tantum in
loco, aut tempore, & conueniant in substantia delicti,
contra Pasqual. qui decis. 160. probat, quem non esse
20 torquendum præcisè ex duobus testibus in causa hære-
sis, quia tortura propter hæresim inducit infamiam,
etiamsi non sequatur condemnatio, est autem pœna gra-
uissima, cum per hoc declaretur ipso facto suspectus de
hæresi, quod vnicuique est valde præiudiciale, & eum
sequitur dictus Hurtadus in hoc.

Istorum ratio est falsa, nam supponunt, quod non 21
probant, tortum in causa hæresis esse infamem ex vi
torturæ, quod tamen nullibi reperitur expressum; nec
id deduci potest ex eo, quod hæreticus est de iure infa-
mis, *ex Auth. Gazaros C. de hæret. & l. cunctos populos,* 22
C. de sum. Trin, qui textus loquuntur præcisè de hære-
ticis, *cap. Excommunicamus 13. de hæret. §. credentes,*
vbi dicuntur infames credentes hæreticis, eosdem de-
fendentes, recipientes, & fauentes illis, & eorum fi-
lij tales sunt *ex cap. statutum 15. eod. in 6.* Et quamuis 23
infligatur ipso iure, tamen ab illis non incurritur nisi
post condemnationem, *Sanch. lib. 2. cap. 26. num. 1.
Farinac. q. 189. num. 56. Castropal. tract. 4. disp. 4. p.
4. num. 4.* Alij verò quouis modo suspecti infames non 24
sunt de iure, cum nullibi id in iure exprimatur, &
colligitur *ex eodem Sanch. num. 10. cap. 25.*

Quæres 6. An duo testes singulares singularitate di-
uersificatiua loco, seu tempore plene probent ad pœ-
nam ordinariam, quando concordant in substantia de-
licti? 25

℞. Non probant, velque plures, vt quatuor pro-
bant ad pœnam ordinariam, huiusmodi enim plurali-
tas vltra duos in totum destruit exceptionem singulari-
taris, vt in sequentibus probatur. 26

Primo, quia probata speciei existentia, simul, &
semel intelliguntur probata indiuidua in ipsa specie,
cum species non sit extra sua indiuidua, quibus inexi-
stit, ex sententia omnium Philosophorum, vniuersa-
le enim est vnum in pluribus existens; sed probatio in
specie secundum Logicos, vocata per Legistas in ge-
nere, datur secundum communiorem sententiam apud
Farinac. q. 64. num. 150. quam sequitur numero 152.
ergo datur etiam in indiuiduis, in quibus est ipsa spe-
cies. 27

Dices, speciem nihil esse præter ipsa indiuidua, cum
ex à parte rei non detur vt quid diuersum ab illis, sed
indiuidua non dicuntur probata nisi singulariter, hoc
est, quilibet testis deponit tantum de suo indiuiduo,
quod scit, & non de indiuiduo alterius, quod ignorat,
ergo delictum non dicitur probatum per plures testes,
sed vnumquodque delictum per suum testem. ergo talis
probatio insufficiens est ad condemnationem non so-
lum in pœnam ordinariam, sed etiam extraordinariam,
quia pœna præexigit ad minus duos testes communiter
probantes idem numero delictum. 28

℞. siue admittamus cum Thomistis vniuersale funda-
mentale reale cōsistens in illa plurium conuenientia, cū
Scotistis vniuersale reale formale ex natura rei formali-
ter distinctū, non dico separatum, ab ipsis indiuiduis, hoc
commune habet vtraque Schola, quod vniuersale, quod-
cunque illud sit, siue fundamentale, siue formale à parte
rei, siue per intellectum, semper intelligitur esse in
suis inferioribus, cum quibus est eadem entitas, licet
non formalitas, ergo probato illo in genere intelligi-
tur probatum in specie, & in specie esse quoque pro-
batum in indiuiduo, & in suo indiuiduo querelatum,
cum species non sit extra indiuidua sua, sed illis iden-
tificetur, & cum omnes actus ipsius delicti specifici
sint tanquam accidentia in suo auctore, sequitur ipsum
dici conuictum ex plurium testium probatione. Et li-
cet vnusquisque probet suum delictum, quod est ius
argumenti aduersariorū, tamen ad inuicem coniungun-
tur ad plenam probationem, vt in simili probaui de
testibus inhabilibus cap. 8. à num. 21. à fortiori id
dicendum est de testibus singularibus, quorum quili-
bet propriam habet fidem integram in seipso non vio-
latam, non diminutam per alterius consortium, in
actibus iterabilibus, vt probaui supra, & docet Farinac.
q. 64. num. 85.

29 Ratio autem indiuiduationis ex diuersitate locorum, seu temporum non semper facit ad rem in formatione contestitatis testium, cum sit extrinseca etiam respectu cestificationis, quando non articulatur indiuiduatio, vt in delictis iterabilibus eiusdem speciei exempli gratia blasfhemiæ, hæresis, præsertim cum non agitur de re nociua tertio, vt sciatur, an nocumentum illatum sit vni tantum, an pluribus, vt contingit in al ls delictis, quæ sunt contra iustitiam, sufficit ergo quod sint contestes in substantia rei, non in pura relatione loci, aut temporis, quæ non faciunt ad cognitionem substantiæ, & grauitatis delicti.

30 Secundo probatur, quia iudex magis mouetur ad credendum delictum eiusdem speciei multiplicatum ex depositione diuersificatiua plurium test um, quam contestatiua vnius delicti numero. Ratio est, quia in hoc sola contestatio mouet iud cem, in illis vero præter fidem p rsonalem, qua vnusquisque proprium dictum confirmat ex supposita idoneitate, præterea iudicem mouet consuetudo iterati criminis ad illud magis credendum, dicit enim Glos. in cap. 4. dist. t. quod in criminal bus per duas vices inducitur consuetudo. Ad quod etiam facit illud axioma: Malus semper præsumitur malus in eodem genere mali, ergo cum adiuctæ præsumptiones ortæ ex huiusmodi singularitate, consuetudine, & axiomate, vrgeant, inferendum est, testes singulares euacuare omnem singularitatis exceptionem, ac proinde conuincere ad pœnam ordinariam, cum iud. x aliud sibi persuadere non possit, quam augeri fidem testium dum conueniunt in substantia rei.

31 Nec dicas, nunquam datur plena probatio, vbi aliquid deest requisitum ad complendum negotium, plenum enim est, cui nihil deest, vnde nec admittit augmentum, *Gonzal. glos.* 13. *num.* 69. *Bald. lib.* 3. *cons.* 379. Hic autem deest concordantia testium in loco, & tempore, quam negat singularitas diuersificatiua, ergo per illius testes non plenè probatur.

32 ℞. enim, illud quidem dici plenum, cui nihil deest de requisitis, modo quando non articulatur, nec restringitur delictum ad esse vnum numero, vt fit in singularitate diuersificatiua, vbi delicta sunt iterabilia, non est necesse quod testes conueniant in tempore, & loco, cum sufficiat indiuiduationem, & conuenientiam delictorum accipi ab eadem existentia delicti plurificata. Neque vero expedit querelam semper restringere ad vnum numero delictum, alıter raro conuincerentur malefactores. Plenitudo igitur in probatione non consistit in indiuisibili, sed suam habet latitudinem, ita quod intenditur, & remittitur, iuxta quod in aliis qualitatibus tum naturalibus, tum moralibus datur magis, & minus.

33 Tertio probatur auctoritate, seu ratione adducta *ab Albertino de Agnoscend. Assert.* 9. 34. *num.* 12. quia hæresis v. g. quod cursus ecclesiam cogat voluntatem hominum censetur probata per duos testes audientes N. protulisse diuersis locis, seu temporibus, quia indicto casu locus, nec tempus plurificant delictum, hoe est, hæresim sæpius prolatam, & continuatam, habet enim hæresis causam continuatam seu successiuam, vt tangit *Bartol. in l. Inficiando §. Infans ff. de Furt. Bald. in l. Non ignorabis C. ad exhibend.* Et quando agitur de præsumendo ex præterito ad præsens in actu successiuo, & vnus testis dicit de primo tempore, quod iungi potest cum tempore, de quo deponit alter testis, non videtur, quantum ad iuris intellectum, hos testes esse singulares ad rem probandam, licet sint singulares in modo probandi.

34 Nec dicas, esto hæresis aliquam habeat continuationem in mente hæretici, qui continuo manens in errore concepto, tamen exterius talem non habet continuationem, dum non continuo profert, nec loquitur de hæresi, sed diuersis temporibus interpollatis; ea autem continuatio, vt ita dicam, mentalis, in quantum intellectui hæretici cohæret, error non potest vt sic cadere sub sensum auditus, quod necessarium est, vt sit ob ectum probationis, ideo ea continuatio non facit ad rem, cum non sit externa.

℞. enim multum facere eam continuationem, licet se teneat ex parte mentis, in qua tanquam in radice fouetur, quia quotiens externa prolatio hæresis sine mente non solet dari cum ea consumetur in corde, & mente, ideo dicitur actus externus ratione prolationis, quæ dicitur continuari in errore mentali, sicut in sua radice, à qua fluit, continuatio ergo non solum mentalis, sed etiam externa est. 35

Quarto probatur ex absurdo, quo aliquis hæreticus potest successiuè inficere aliquam ciuitatem spargendo vnam hæresim tantum, vt quod Christus non est sub speciebus consecratis, cum hac industria docendo illam singulis diebus vnum tantum successiuè, & in diuersis locis, nunquam duos eodem loco, seu tempore simul audientes. Iste potetit inficere totam ciuitatem, & non erit locus pœnæ ordinariæ in doctrina Aduersariorum, quia testes singulares secundum ipsos non conuineunt. 36

Hanc sententiam sequuntur *Aragona* 2. 2. q. 70. *art.* 2. *fol.* 528. *Salicetus in l. Testium C. de testib. Lessius lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 33. *Conradus Brunus lib.* 4. *de heret. cap.* 9. *fine*, *Albertinus q.* 34. *num.* 12. *Simancb. de Cathol. Instit. tit.* 64. *num.* 75. & 76. quos contra se citat Veticellus *tract.* 8. *q.* 44. *num.* 38. & *Thomas Hurtadus par.* 1. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 986. *item alios citat Barbos. ad cap.* 4. *de testib. num.* 32. *Sperellus decis.* 139. *num.* 90. Qui loquuntur de duobus tantum testibus singularibus, in quo casu sunt nimis rigidi, quia binarij numeri coniunctio purgare non potest singularitatis exceptionem, sicut vnio plurium, quam duorum, vt bene docet Sousa in hac singulari quæstione sect. 2. concl. 4. 37 38

Contraria opinio, quod plures testes singulares diuersificatiuè plenè non probent ad pœnam ordinariam, nec conuincant, vt aiunt, etiamsi delicta eiusdem sint speciei, est communissima, quam fusè tractat in causa hæresis Farinac. q. 64. à num. 201. ad 220. Volunt ergo Doctores huius opinionis sectatores, duos testes, imò plures non conuincere reum ad pœnam ordinariam respectu delicti eiusdem speciei plurificati, & id multis probant. 39

Primo auctoritate iuris Canonici, ex quo quinque textus referunt. *Primum* ex cap. Nih l. minus 16. 3. q. 9. quæ intelligitur de singularitate obstatiua. *Secundum* ex cap. De parentela 8. 35. q. 6. cui respondetur eodem modo. *Tertium* ex cap. Bonæ memoriæ 23. de elect. capax eiusdem responsionis, vbi testes dicuntur singulares, quia deponebant de interesse proprio, ideo dicuntur singulares, quia pro se nullum habebant in consortium testem. *Quartum* ex cap. Cum dilectus 32. eodem dicuntur singulares nihil probare, quia pro se non habebant testes ad probandum, quod intendebant. *Quintum* ex cap. Licet causam 9. de probat. vbi dicitur, quod testes non probabant, non quia erant singulares, sed quia patiebantur alios defectos malæ famæ, & leuis opinionis. Adducunt etiam D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2. vbi ait, testib. auferri efficaciam, si discordant loco, & tempore; sed bene interpretatur loqui de singularitate obstatiua, non diuersificatiua. 40

Secundò probant apud Farinac. q. 64. num. 34. tribus argumentis, quæ sunt parui momenti. *Primum*, singularitas idem est, quod vnitas, sed vnicus testis non probat, ergo nec singularis, quia in testibus singularibus non est contestitas, nec numerus, nec pluralitas. *Negatur maior*, quia singularitas in terminis istis non est vnitas, sed diuersitas dicens numerum, & pluralitatem, nam importat relationem vnius testis ad alium, vt notum est. *Negatur* quoque minor, quia vnicus testis aliquid probat ad minus semiplene, ad capturam, & torturam iuxta dicta cap. 27. Præterea non est bona illatio à teste vnico ad singularem, cum vnicus dicatur esse sine alterius consortio, singularis vero appelletur 41 42

appelletur ex consortio alterius, vnicè dictum sumitur absolutè, singularis verò testimonium spectatur cum relatione ad alterius dictum, cum ergo ea diuersis non fiat illatio, in teste vnico ad singularem non benè infertur.

43 Secundum argumentum, vbi ad. ſt singularitas in testibus ibi dicitur esse varietas, & contrarietas; sed testes varij, & contrarij nihil probant, ergo neque singulares. *Argumentum* probat singularitate obstatiua, non diuersificatiua, cuius varietas non includit repugnantiam, nec contrarietatem ea dictis in earum definitionibus.

44 Tertium, quia ex singularitate arguitur falsitas, & dolus; sed testes dolosi, & falsi nihil probant, ergo nec singulares. *Respondetur* falsitatem argui ex singularitate obstatiua, non diuersificatiua, quæ non importat malitiam, sicut aliquando importat obstatiua, dum testes pro delinquente consulto discordant, vt eum eximant à culpa, & pœna.

45 Tertio probant ea Raggio Capucino de Regimine Regul. dub. 61. num. 3. quia in genere latent æquiuocationes, est enim genus quid confusum, incertum, & indeterminatum, ergo ex probatione generica nihil inferri potest. *Respondetur* eius argumentum non facere ad rem, quod enim illi vocant genus, Scholastici appellant speciem, quæ seuera est talis, non autem genus Logicum, nec Metaphysicum, cum ergo species rerum tum naturalium, tum moralium sint certæ, & determinatæ, in eis non potest latere æquiuocationem, sicut in genere, quod spectatur modo vt pars, modo vt totum potestatiuum, seu potentiale, cuius species valde inter se differunt, ideo in eo latent æquiuocationes, non in speciebus, quia vna species in eo habet rationem prioris, & altera posterioris, *vt docet Scotus lib. 3. Metaphys. cap. 2. num.* 41. in editione Vadingana Lucæ religiosi eruditissimi Hibernensis, cuius anima Requiescat in pace.

46 Quarto probant, quia ex pluribus diuersis nunquam coniungit vnũ integrale, *l. Sancimus §. Si quid autem C. de donat. l. Vsura C. de Usur.* & plura imperfecta non faciunt vnum perfectum, *l. Vn. C. qui maior tutel. se excusar.*

47 Huic argumento respondi cap. 8. num. 21. & 23. vbi probaui imperfecta ex quo sunt imperfecta coniungi, ac proinde probationes testium inhabilium coniungi, à fortiori depositiones testium singularium, quarum vnaquæque dicit semiplenam probationem, si sola singularitas in eis spectetur, ergo nihil impedit, quin coniungantur, & ex eorum vnione si testes sint plures, quin tollatur omnino exceptio singularitatis ad effectum pœnæ ordinariæ.

Quæres 7. An in sententia istorum testes singulares diuersificatiui plurium delictorum sub eadem specie probent si non ad pœnam ordinariam, vt ipsi volunt, ad minus sufficiant ad arbitrariam, & mitiorem?

48 ℞. Sufficere in eorum sententia ad arbitrariam, & extraordinariam, non enim iustitia patitur, vt delinquentes remaneant impuniti. Ita sentiunt in causa hæresis relati *à Farinac. q. 64. num.* 101. *&* 118. *Pegna par. 3. com.* 121. *§. Quoties, Rodrig. tom. 2. q. 9. art. 6. Diana par. 4. tract. 7. resol. 31. Carena par. tit. 6. num.* 41. *Vericellus tract.* 8. *q.* 44. *num.* 17. Ad hanc pœnam extraordinariam puto sufficere tres testes, ea quo quatuor inferunt ad pœnam ordinariam, ex supradictis. Vide suprà citatos, & de Angelis in terminis nostris cap. 14. num. 16. & 17. vbi ait tres sufficere ad pœnam arbitrariam.

Quæres 8. An testes singulares, nullam aliam patientes exceptionem, diuersificatiui plurium delictorum sub diuersis speciebus quicquam præbent?

49 ℞. Vnusquisque probat ad torturam, nullo autem modo coniungi possunt ad plene probandum in ordine ad condemnationem, nisi vnicuique delicto respondeant plures testes.

Primum de probatione torturæ patet supra in responsione ad quæstionem quintã. 50

Secundum, quod non possint vniri, &c. probatur, 51 quia singuli testes tantum probant quod deponunt, ac proinde singuli semiplene, non possunt ergo eorum probationes simul iungi, nisi eorum depositiones respiciant idem delictum in specie. Ita *Sousa sect. 2. num. 9. vbi ait, omnes ita sentire, cum quibus est Vericellus tract.* 8. *q.* 44. *num.* 11. *alios referens.*

Quæres 9. Quando testes conueniunt in omnibus, sed discordant tantum in verbis, an tunc sint dicendi singulares, an contestes?

℞. Quando diuersitas verborum refertur ad voces, ac 52 proinde eandem rem significant, tunc testes sunt contestes; quando verò diuersum faciunt sensum verba, tunc sunt testes singulares super diuersis actibus specie differentibus.

Primum de eodem sensu ex diuersitate verborum pro- 53 batus, quia voces non attenduntur, sed quod significant, vnum autem significant, ergo arguit testes contestes. Exempli gratia *Tu sei vn becco; Tu sei vn martino; Tu sei 1 corni.* Diuersæ sunt voces, sed vna iniuria sub illis vocibus expressa. *Non vi è prouidenza in Dio, si Dio non m'aiuta nelli miei bisogni.* Diuersa verba vnica iniuria contra prouidentiam diuinam. *Non datur Trinitas in diuinis. Persona in diuinis non sunt tres.* Diuersa verba eundem sensum indicantia. In his ergo, & similibus testes dicuntur conuenire in re, & esse contestes.

Secundum de diuersis verbis, & sensibus probatus in 54 illis testes non conuenire, sed esse singulares diuersificatiuos in substantia rei, vt: *Deus non est misericors, iustus, superus, &c.* hæ enim sunt diuersæ hæreses, quæ ad sui probationem communes singulæ debent habere testes plures, alites nulla est probatio ad pœnam, vt diximus quæst. 8.

Vericelius tract. 8. q. 44. sect. 4. à num. 14. ait, ad 55 plene probandum, & conuincendum hæreticum, sufficere testes singulares deponentes Petrum vna die negasse Purgatorium, alia Eucharistiam, alia Trinitatem, & pro se citat quam plures. Probat autem *Primo*, quia omnes hæreses sunt vnius speciei, ergo sicut delicta reiterabilia, vt adulterium, vsura, &c. probantur plene per testes singulares, ita etiam omnes hæreses. Antecedens probat ex Suare disp. 16. de fide sect. 4. num. 8. quia eodem modo opponuntur virtuti fidei. *Secundo*, probat contra Aduersarios asserentes, hunc 56 esse puniendum pœna extraordinaria, & hoc supposito sic arguit: Vel ista delicta sunt eiusdem speciei, vel diuersæ; si specie differunt, ergo ille non poterit puniri extraordinariè, nam delicta specie diuersa per testes singulares etiam mille probata non possunt puniri, quia tantum probant mille, quantum vnus. Vel specie non differunt, & ita testes se inuicem coadiuuant ad planam probationem, vnde ex multitudine testium deueniri poterit ad pœnam ordinariam. *Tertio* probat, quia alioquin Luteranus poterit totam vrbem inficere, & non poterit conuinci.

℞. Ad primum argumentum, specificationem hæ- 57 resum alio modo considerari à Theologis, alio modo à iudicibus, nam quod ex Suare refert Vericellus verum est, spectato conscientiæ foro, vt pœnitens satisfaciat accusando se lapsum esse in tot hæreses, *secundum Reginaldum, lib. 6. n.* 114. *Sotum in 4. dist. 18. q. 1. art. 4. concl. 6. Dianam part. 1. tract. 7. resol. 46. de Lugo disp. 16. de Pœnit. n.* 290. non explicando verba ipsa. In foro autem externo formalia verba audita sunt deponenda, vt iudex veniat in cognitionem, qualis sit propositio hæretica, multæ enim sunt propositiones hæreticæ, quæ aliter, & aliter iudicantur ex earum grauitate, & impositione diuersarum pœnarum, aliter enim punitur negans Tobiam habuisse canem Tob. 6. 1. aliter negans Mariæ Virginitatem, Personarum Trinitatem, &c. Vnaquæque

igitur

igitur propositio in suis terminis explicanda est, & sicut est reiterabilis, ita vnaquæque dicitur multiplicari sub sua specie materiali, vt ita dicam; in quo sensu probaui q. 6. pluralitatem delictorum sub eadem specie probari per testes singulares. Legi ad verbum Pegnam illo com. 121. quem pro se citat *Castropal. tract. 4. disp. 8. p. 15. §. 4. num. 7.* asserens, talem condemnari posse pœna ordinaria, qui tamen hoc non dicit, sed solum ait §. *caterum omissis*, quod per testes singulares non potest probari ad pœnam ordinariam non solum respectu diuersarum hæresum, sed neque respectu plurium eiusdem speciei §. *omissa igitur*, & loquitur expressè de duobus testibus singularibus, vt se explicat §. *Et qua hucusque diximus.*

58 Secundo argumento eiusdem Vercelli respondetur, quicquid sit de sententiis Aduersariorum, nam confusè loquuntur, diuersa delicta numero, & specie, vt sunt prædicta tria plene non probari nisi per quatuor ad minus testes singuli eorum, iuxta dicta q. 6. deponentes, non solum ad pœnam extraordinariam, pro qua sufficiunt tres, verum etiam ad ordinariam, pro qua sufficiunt quatuor, quorum testimonia iunguntur, & corroborantur per depositiones aliorum super diuerso delicto alterius speciei sub eodem genere, ex illo axiomate: *Malus semper præsumitur malus in eodem genere mali.*

59 Ad tertium argumentum respondetur in tali casu ex diuersitate delictorum hæresis non solum numero, verum etiam specie, dari multitudine testium discrepantium in loco, seu tempore, reum tortura cogi ad confitendum.

Quæres 10. Testes in dubio an censendi sint singulares, an contestes? Exempli gratia, vnus deponit de loco, seu tempore, alter non recordatur, vel nihil dicit.

60 ℞. Censendi sunt contestes, quia conueniunt in substantia rei, nec taciturnitas, aut ignorantia alterius aliquid ponit in re diuersificationum, quod enim non est, non potest diuersificare, ergo sunt contestes. Ita omnes *cum Farinac. q. 64. num. 75. & 317. ad 321.* qui seq. numero ait, talem faciendam esse interpretationem, vt censeantur contestes. *Castropal. tract. 4. disp. 8. p. 15. §. 4. num. 12. Carena par. 3. tit. 6. num.* 39. qui duo eos vocant contestes, sed non integrè, quia deficit tempus, & locus in vno, positum ab alio. Sed dic tu, eam limitationem non esse admittendam, quia singularitas diuersificatiua oritur ex aliquo positiuo, non ex omissione.

Quæres 11. In dubio an testes deposuerint super vno, an pluribus delictis, conuenientes in tempore, & loco, censendi sint plura delicta, an vnum?

61 ℞. Vnum tantum, quia pluralitas actuum non præsumitur, *cap. in præsentia de probat. G.arlin. cap.* 107. *num.* 71. Neque enim sine necessitate ponenda est, inquit *Scotus in 1. dist. 2. q. 7. §. Ad secundum, vers. Secundo non præsumitur.* Maximè quando agitur de crimine, quod non præsumitur in indiuiduo, multo minus in specie. *Castropal. cit. disp. 8. p. 15. §. 4. numero 6.* Præsumitur vero posita diuersitate locorum, aut temporum, *ex Farinac. q. 64. num.* 317.

Quæres 12. An prædicta de singularitate diuersificatiua considerentur apud iudices regulares, an vero testes singulares habeantur pro legitimis, non spectata conditione singularitatis tanquam apice iuris?

62 ℞. Supradicta locum habent etiam apud Regulares, à quibus obseruanda sunt tanquam iudicij substantialia ex capite probationis, vt in simili dixi de testium inhabilitate capite 8. numero 40. capite 16. numero 40. & 41. Ita alii citatis *Peyrinus lit. T. cap. 3. num. 7. Giracus idest Reggius Capuc. par. 3. dub. 15. num.* 121. *in 1. edit. Genuensi dub. 61. num. 3. de S. Iuliano cap. 5. Aduers. 1. §. 2. Pelizar. tract. 9. cap. 4. num.* 138. Qui docent in causis Regularium attendendam esse exceptionem singularitatis, contra Caietanum *2. 2. q.* 70. *art. 2. ad 2. Aldrete lib. 2. cap. 3. num.* 28. *Sanchez lib. 6. cons. cap. 5. dub. 12. num. 4. Valentinian. par. 3. disp. 5. q. 14. p. 2. fine*, quos contra se citat de Sancto Iuliano cit. §. 1. nimirum testes singulares conuenientes in substantia delicti, verbigratia, furti, & differentes in loco, seu tempore, plene probare, non obstante singularitatis exceptione, ac proinde testes probare ac si non essent singulares. Sed ex prædictis in præcedentibus patet, doctrinam allatam de testibus singularibus seruandam esse etiam per iudices regulares. Quare Religiosus per vnum testem ex singularibus, à fortiori per plures torqueri poterit; & per tres conuinci ad pœnam arbitrariam, & mitiorem; per quatuor vero ad pœnam ordinariam vt patet ex dictis in præcedentibus quæstionibus. Itaque quodlibet delictum licet numero multiplicatum in specie tamen vnum petit ad sui probationem testes singulares prænominatos.

Quæres 13. An ex singularitate adminiculatiua reus conuincatur ad pœnam ordinariam, an tantum ad arbitrariam?

℞. Conuinci tantum ad pœnam arbitrariam. Ratio 63
est, quia ad conuincendum simpliciter ad minus requiruntur duo testes ex propria scientia deponentes immediatè de delicto nullam patientes exceptionem personarum, aut in circumstantiis necessariis, ex alibi dictis; sed testes ex singularitate cumulatiua tales sunt, qui patiuntur exceptionem in modo deponendi per diuersa media, nam in ex vnus deponit immediatè de delicto, alius de fama, alius de confessione extraiudiciali. Item Petrus querelatur, quod dixerit Sacras imagines non esse adorandas, vnus deponit, quod dixerit esse lacerandas, alter quod non debere depingi, &c. Patet ex his exemplis, vnum testem adiuuare alterum, & eius fidem augeri, itavt aliquando quasi deueniant ad plenam probationem, dum probationes valde vigent ad non credendum aliter, vt apparet in secundo exemplo, quod ita vrget, vt videatur hoc delictum plene probatum, quando concordant in tempore, & loco, *vt ex Pegna par. 3. com. 121. §. Veruntamen, Royas par. 2. de heret. assert. 6. num. 132. Farinac. q. 64. num. 70. & 211. & q. 65. num. 22.* docet Castropalaus *disp. 8. p. 15. §. 4. num.* 13. quia ex verba materialiter accepta diuersa sunt, formaliter tamen idem significant, non sunt ergo dissimiles, sed conuenienter testes. Nihilominus verba ipsa diuersa in re significant, nam aliud est dicere, quod non sunt adorandæ, aliud quod non sunt depingendæ, aliud quod sunt lacerandæ, vt patet ex prædictis actibus aliis practicis, aliis speculatiuis. Ita sentiunt *Pegna cit. com. 121. §. Hac tamen, Menoch. lib. 1. præsumpt. q. 41. num. 8. Farinac. q. 86. num. 22. 26. & 78. & q. 64. à num. 121. ad* 130. in quibus locis præsertim 126. & sequentibus dicit, quod tales testes non plene probant, sed tantum plusquam semiplene, & sic faciunt mediam probationem, quæ sufficit ad pœnam extraordinariam. Ita etiam *Sperbar. tract. 7. cap. 15. num.* 3. vbi plures refert.

Pasqualigus *decis.* 216. *num.* 13. *& Sarmient. lib. 1. Select. cap. 1. num. 5.* negant ex singularibus testibus cumulatiuis puniri posse quemquam etiam pœna arbitraria. *Probat ille*, quia delictum cum nondum sit plene probatum remanet incertum, & pœna est certa, quod videtur repugnare rationi, quod certum cadat super incertum. Probat iste *primo*, quia probatio aut est clara, & sic reus ponitur pœna ordinaria, non extraordinaria; aut est dubia, & sic iudex moueri non potest ad puniendum querelatum, sed debet eum absoluere ab ea imputatione, vel iudicium relinquere suspensum, satius est enim impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare l. Absentem ff. de pœnis. *Probat secundo*, nam in homicidio non datur medium, ergo neque in pœna. 64

℞. Ad argumentum Pasqualigi, falsum esse, delictum 65
remanere incertum, quando non est plene probatum, nam in probationibus datur latitudo, & cum de ratione

eius

tius sit rem de dubia, & incerta reddere eam certam, & secundum communem Doctorum diuidatur in plenam, & semiplenam, & illa sit maior ista, sequitur necessario, quod habeat latitudinem, & gradus certitudinis, & sicut minor certitudo est in semiplena, & maior in plena, necesse est inferre, quod ratio certitudinis imbibitur in vtraque specie probationis, quia comparatiuum supponit positiuum in vtroque comparato. Quare hinc sequitur singularitatem cumulatiuam cum dicat aliquid plus probationis, quam dicat semiplena probatio, ex Farinac. quæst. 64. numer. 113. 129. & 130. arguere in delicto talem certitudinem, secundum quam possit puniri delinquens ita conuictus per Mediam probationem. Sicut autem maior certitudo necessaria est ad condemnandum in pœnam ordinariam, quia hæc pœna est maior extraordinaria, ita minor requiritur pro pœna arbitraria, quam nos vocamus Mediam, vti minor ordinaria, fertur ergo sententia ex certa probatione secundum magis, & minus.

66 Eodem modo respondetur ad primum Sarmientis, dicendo, probationem huiusmodi esse claram, & non dubiam, ex quo enim est probatio, necessario habet suos gradus claritatis, aliter non esset probatio, cum hæc sit essentialiter ostentio rei dubiæ in certam, & claram, iuxta dicta capite quinto & cum sit maior semiplena. ex dictis, quæ habet suam claritudinem, & certitudinem, sequitur quod in illis sit maior, consequenter excludit dubietatem, tamen quia claritudo non habet vltimum gradum, qui solum competit plenæ probationi, ideo delinquens sic conuictus per probationem maiorem semiplena, & minorem plena, quam vocauimus mediam, punitur pœna extraordinaria, non ordinaria.

67 Ad secundum argumentum, non datur medium in homicidio, secundum rationem naturæ, & physicè verum est; moraliter autem, & in ordine ad iudicium probatiuum datur, quia in eo spectari potest, sicut in aliis delictis triplex probatio, semiplena, quæ facit ad torturam, plus quam semiplena, quæ media dicitur sufficiens ad pœnam minorem, & plena, quæ respicit pœnam ordinariam secundum illud sacrum: *Qui gladio ferit gladio perit.*

Quæres 14. Quot testibus singularibus cumulatiuis quis conuincatur ad pœnam arbitrariam?

68 ℞. Duobus, altero existente oculari, seu auriculari ex scientia scilicet propria, nam is semiplene probat, alter vero adiunctus sine dubio facit aliquem gradum probationis, & alter alterum auget in fide, & credulitate, ergo probatio hæc est plusquam semiplena, & minor plena, ergo sufficit ad pœnam arbitrariam.

Quæres 15. An duo testes probent plene aliquod vnum numero delictum successiue pactum, itavt reus condemnari possit ad pœnam ordinariam? Exempla sint in celebratione Missæ contra non sacerdotem celebrantem; item in adulterio successiue viso à pluribus per rimolam ostij, &c. Item in furto per vnum ablato, & per alium retento, per alium successiue vendito, &c. Ratio dubitandi est, quia videntur singulares.

69 ℞. Affirmatiue quia re vera sunt contestes sub eodem tempore, & loco, nam ea successio ratione continuationis temporis, & actuum licet diuersorum non diuersificat, quia idem numero delictum perficiunt, ideo pluralitas delictorum ibi, non est censenda. Nec successio temporis plurificat, quod aliunde apparet vnum. Et Farinac. quæst. 64 num. 84. ex Monticello & Gemiliano, ait, quod quando diuersitas & discordia testium est in modico tempore, tunc eam diuersitatem non inducere singularitatem, quia modicum pro nihilo reputatur. Ita *Goff. 11. simul cap. Nihilominus 16. 3. q. 9. Farinac. quæst 64. num. 90. & 91. de incipientib. per foramen, Carer. a par. 3. tit. 6. num. 31. Sousa lib. 2. cap. 15. num. 24. & in sect. 2. num. 20. Rodriq. tom. 2. q. 9. art. 5. ex illis Vericellus tract. 8. quæst. 44. num. 19. Possevit. sing. 261. numer. 5. Castropal. disput. 8. p. 15. §. 4. num. 9. & 11.*

Quæres 16. quandonam tempus, & locus dicatur esse, vel non esse de substantia actus, seu delicti? Farinac. quæst. 64. num. 72. ait, singularitatem testium præcipue induci ex diuersitate locorum, & temporum, & tunc nihil probare, expresse cap. Nihilominus 3. quæst. 9. ibi: *Nec eorum voces tanquam plurium admittantur, quos temporum diuersitas simul interfecisse prohibuit.* Explicaui supra num. 40. de singularitate obstatiua respectu vnius numero delicti, qui Farinac. num. 77. ait, id procedere, quando locus, & tempus sunt de substantia actus, super quo testes deponunt, tunc enim diuersitas in loco, & tempore inducit singularitatem, & tollit fidem testibus; & num. 80. adhuc induci singularitatem, & tolli fidem, esto tempus, & locus non sint de substantia actus, quando ex eis diuersitas facti inducitur. Nullum autem adducit exemplum super hac quæstione. 70

℞. Puto in duobus casibus, tempus, & locum esse de substantia actus & delicti. *Primo* cum quis querelatur de vnico crimine numero facto in tali loco, & tempore, tunc enim delictum coarctatur tempore, & loco, secundum quas circunstantias probandum est, vnde si testes sint diuersi in tempore, & loco, nihil probant, & vnus destruit fidem alterius, quia impossibile est, quod idem numero delictum sit factum pluribus in locis, & temporibus, illorum enim diuersitas non vnum, sed plura delicta numero importat, quæ in querela non fuerunt articulata; & in hoc sensu singularitas est tantum obstatiua, cum versetur circa vnicum delictum numero, non diuersificatiua plurium delictorum sub eadem specie. *Secundo* tempus, & locus sunt de substantia delicti qualificati tempore, & loco. Exemp. gratia, tempus est de substantia operis seruilis exerciti tempore festiuo, vnde si censura excommunicationis afficeretur exercens opera similia diebus festiuis, delictum hoc cum sua censura esset probandum per testes contestes in tempore, qui deberent deponere de eodem tempore, si enim vnus assereret, querelatum laborasse die Dominico, & alter die lunæ non festiuo, certe nulla esset probatio ex diuersitate temporum, & testes dicerentur singulares non obstatiue, sed diuersificatiue, quia potest esse, quod ambo dicant veritatem, ac proinde vnus alterius fidem non tollit, nec tamen ambo probant, quia deberent conuenire in tempore, quod est de substantia huius delicti in ordine ad sciendam veritatem. 71

Aliud exemplum porro ratione loci. Quidam querelatur de homicidio sacrilego intra Ecclesiam perpetrato, locus est de substantia huius homicidij, quia homicidiũ in tantum est sacrilegum ratione loci, in quantum fit intra Ecclesiam, extra enim caret tali qualitate. Si vnus testium deponat hoc homicidium fuisse factum intra Ecclesiam, & alter dicat fuisse perpetratum extra Ecclesiam, & occisum extra eam; clarũ est nihil probari per hos testes singulares ex diuersitate locorum, super quo concorditer esset deponendum, cum sit de substantia huius delicti sic expositi coram iudice. Et quia vnicum est numero homicidium, non solum sunt singulares ex diuersitate locorum, sed etiam ex singularitate obstatiua. 72

Deducitur hinc bene dixisse Sousam sect. 2. num. 16. de singularitate testium, quod tempus, & locus non sunt circumstantiæ necessariæ ad probandam hæresim, ex Simancha tit. 64. num. 80. quia hæresis consistit in actibus intellectus, & voluntatis, vnde est, quod non multiplicatur hæresis ex multitudine declarationũ eiusdem propositionis, nec ex diuturna perseuerantia in illa. Cõfirmatur ex dictis, quia non specificatur loco, nec tempore, quæ illi nullam qualitatem traducere possunt, nec transferre de vna specie in alteram. 73

Respondet Castropal. tract. 4. disput. 8. p. 15. §. 4. num. 11. 74

num.51. diuerſitatem temporis, & loci eſſe intrinſecam hæreſi quo ad indiuiduationem & depoſitionem, quia illa indiuiduatur, & plurificatur numero ex diuerſitate temporis, & loci.

75 Contra eſt, quia cum illa ratio indiuiduationis ſit conſiderationis phyſicæ vt ſic non conſtituit malitiam hæreſis, ac proinde non habetur in conſideratione fori externi, non hæreticus punitur propter illam formalitatem indiuiduationis, ſed propter ſpecificam malitiam, ideo ſicut indiuiduatio non facit ad rem, ita neque diuerſitas temporis, & loci illam ſequens.

Quæres 17. An adulterium, & quæuis alia ſpecies luxuriæ probetur per teſtes ſingulares?

76 ℟. Species luxuriæ probatæ per foramen pluribus ſucceſſiue videntibus coniunctionem, & amplexum vtriuſque dicuntur demonſtratæ per teſtes non ſingulares, ſed omnino conteſtes dico, deponunt de eodem delicto in eodem tempore, & loco perpetrato, ea enim ſucceſſio continuata tempus non diuerſificat, nec teſtes efficit ſingulares, vt dixi quæſt. 15. Ita *gloſſ. 11. Simul, cap. Nihilominus 16. 5 quæſt. 9. Farinac. q. 64. num. 91. Rodriq. tom. 2. p. 9. art. 2. de Angelis cap. 14. num. 12. Villalobos par. 1. tract. 17. diffic. 3. nu. 5.* qui ait, duos teſtes probantes, vnum de concubitu prima noctis hora, & alterum hora quinta, &c. eſſe conteſtes, apud Vercellum tract. 8. q. 44. n. 30.

77 Quandoque teſtes ſingulares adulterium probant, vt aiunt, in genere, hoc eſt, non ad puniendum, ſed in ordine ad alium effectum, vt ad faciendum diuortium, ad amittendam dotem, &c. exemp. gratia vnus deponit de oſculo, alius de ſecreta locutione, &c. His enim probatur mulier inhoneſta, *Farin. conſ. 33. n. 52.* De adulterio ad effectum amittendi dotem, *Ferretus conſ. 168. n. 14. & 15. Clarus q. 53. nu. 18. & 19. cum aliis Vercellus tract. 8. q. 44. n. 21.* Ad ſeparationem fori præcitati, & Sperellus deciſ. 140. num. 8. 9. & 17.

Quæres 18. An teſtes ſingulares probent ſæuitiam mariti contra vxorem ad ſeparationem thori?

78 ℟. Affirmatiuè, quia licet teſtes ſinguli deponant de diuerſis actibus etiam diuerſis temporibus, & locis ſæuitiæ factis, quia tamen omnes tendunt ad eundem finem malæ tractationis, moleſtiæ, & ſæuitiæ, dicuntur conteſtes in ſubſtantia delicti. Ita *Sperellus deciſ. 139. n. 89. ad 91. Donatus Antonius de Marinis par. 1. reſol. quotid. cap. 168 n. 14. & eſt deciſio Rotæ Martini 1630. Farin. deciſ. crim. 156.* Sperellus obiectat, reſponſum habere locum, quando aliquis actus non fuit ſingulariter articulatus, ſed cauſa in genere ſæuitiæ propoſita.

Quæres 19. An metus incuſſus probetur per teſtes ſingulares?

79 ℟. Affirmatiue, quia depoſitiones referuntur ad eandem rei ſubſtantiam. *Farinac. deciſ. crim. 342. numer. 35. & deciſ. 260. n. 21. Barb. ad cap. 4. de teſtib. n. 58.*

Quæres 20. An minæ probentur teſtibus ſingularibus?

80 ℟. Affirmatiue, quia actus earum referuntur ad idem delictum Ita Farinac. *q. 45. n. 42. q. 64. num. 275. alij cum Barb. cap. 4. de teſtib. n. 49.*

Quæres 21. An ſimonia probetur per teſtes ſingulares?

81 ℟. Negatiue, ſi agatur de priuatione. Ita *Puteus lib. 2. deciſ. 271. num. 11. Seraph. 1019. num. 11. Farinac. conſ. 75. num. 106. Barb. ad dictum cap. 9. de teſtib. num. 51.* De probatione Simoniæ Riccius deciſ. 114. part. 2. notum infra 9.

82 Quæres 22. An confeſſio extraiudicialis probetur per teſtes ſingulares? exemp. gratia, quis de ſe dixit in diuerſis locis, & temporibus blaſphemaſſe, hæreticaſſe, & e pluribus perſonis. Numquid conuincitur per duos teſtes integros?

83 ℟. Negatiue, quia non ſunt integri, dum deponunt de auditu alieno, non de proprio reſpectu delicti, aliud enim blaſphemare, aliud fateri blaſphemiam, hoc non eſt peccatum, ſuper quo data fuit querela, ſed illud tantum, quod teſtes non audierunt proprio auditu, ſed alieno ipſius delinquentis, à quo tantum ſuam fidem metiuntur, & non plus probant, quam ipſe, qui nihil probat contra ſe ad condemnationem, quæ requirit confeſſionem iudicialem. Ita *Farinac. q. 64. num. 145. qui num. 149.* ait facere indicium ad torturam, immo pluſquam ſemiplene probare, *quæſt. 69. num. 153.* probant quidem plene confeſſionem, non tamen ipſum delictum in ſeipſo, *ex num. 155.* vt noſtra ratio probat.

Quæres 23. An ſaltem probent ad torturam?

℟. Confeſſio extraiudicialis ſufficit ad torturam, 84
modo ſit probata duobus teſtibus integris, & concordantibus. Ita Farinac. *locis citatis, & conſ. 115. nu. 23. & 24. conſil. 174. num. 5. conſil. 150. n. 36. conſil. 182. num. 3. conſ. 19. n. 18. 38. & 47. Guazin. Defens. 32. cap. 34. n. 15. Carena par. 3. tit. 10. n. 63. Souſa lib. 2. c. 21. num. 9.* & alij apud præcitatos.

Quæres 24. An ex teſtibus ſingularibus conuincatur ſacerdos querelatus de ſolicitatione in confeſſione? Quod dicitur de muliere locum habet etiam in maſculis, quia Pontifex Gregorius XV. loquitur ſub nomine *Perſona* voce communi vtrique ſexui.

℟. Vnicus teſtis bonæ famæ cum adminiculis ſufficit 85
ad carcerandum & torturandũ ſacerdotem etiam bonæ famæ. Conuincitur autem ad pœnam etiam ordinariam per depoſitionem duarum perſonarum adiunctis adminiculis, præſumptionibus, & indiciis, modo perſonæ ſint bonæ famæ.

Prima pars de tortura probatur, quia licet vnicus te- 86
ſtis debeat eſſe omni exceptione maior, qualis non eſt fœmina ex conditione ſui ſexus, tamen poſitis adminiculis, ſit talis eliſione huiuſmodi defectus, ex quo datur ius ad torturam iudici, ex adductis à *Farinac. q. 37. nu.*
65. & q. 185. n. 19. ad 32. Adminicula autem ſunt bona 87
fama mulieris, & mala confeſſarij. item ſi valde pulchra eſt, ſi illi aliquid donauit, ſi non ſponte, ſed ex conſilio alterius confeſſarij denunciauit. Ita *Freitas in adit. ad Aenganam q. 4. de ſolicit. ex eo Peyrin. ad 4. conſt. Gregorij §. 5. num. 5. Zanardus tom. 2. cap. 88. de tortura, Thomas Hurtadus par. 1. tract. 4 num. 1051. Trimarchus diſp. fin. ſect. 2. num. 10. Molfeſ. tom. 1. ſummæ tract. 7. c. 24. n. 59. apud Carenam par. 2. tit. 6. num. 62. referentem Cagnam q. 23. n. 10.* dicentem cum nonnullis & prædictis, confeſſarium ex depoſitione duarum meretricum non poſſe carcerari. *Et Caſtropal. par. 1. diſp. 9. p. 11. n. 1.* dicit, confeſſarium non eſſe carcerandum, niſi duobus, aut tribus teſtibus vrgeatur. Et Trimarchus cum aliis dicit, quod ſi ambo ſunt bonæ famæ, præualet adhuc confeſſarius propter venditionem ſuæ dignitatis, intellige tu, ſi deſint adminicula. Dictum Caſtropalai diſplicet, aliorum placet. Ratio contra illum eſt, quia minor probatio requiritur ad torturam, quam ad condemnationem etiam in pœnam extraordinariam, ergo duæ fœminæ videntur ſufficere ad torturam, quando ſunt meretrices, adiunctis adminiculis. Et qui vellent ſequi opinionem Caſtropal. raro, vel nunquam puniretur delictum ſolicitationis, quod ex ſua natura committitur ſolum coram perſona ſolicitata.

Secunda pars de coniunctione per duas fœminas ho- 88
neſtas, adiunctis adminiculis ad pœnam arbitrariam, eſt *Paramus lib. 3. q. 10. num. 152. Riccij par. 2. reſol. 440. Bariola apud Carenam par. 2. tit. 6. n. 58. & Hurtadum n. 1041.* cui placet hæc ſententia *ſub num.* 1054. Tres vero fœminas honeſtas cum adminiculis ſufficere ad omnes pœnas Bullæ, docent *Bonac. de denunt. p. 3. n. 23. Sanchez c. 44. de hæreſi n. 6. Peyrin ad conſtit. 4. Gregor. §. vii. n. 25. Sãcius in ſelect. diſp. 11. n. 46. Trimarchus diſp. fin. ſect. 3. quos refert Hurtadus n. 1042. & approbat. n. 1056.* Quatuor fœminas peti honeſtas cũ dictis adminiculis vt poſſit tradi brachio ſeculari. Vide Hurtadum n. 1048. & 1058. Carena num. 60. relinquit numerum arbitrio iudicis. Mihi placet numerus quaternarius attenta Bulla Gregoriana, quæ admittit teſtes ſingulares ac ſi non paterentur exceptionem temporum, & locorum, & ea enim admiſſio multum operari debet,

adeo

adeo quod per adminicula, & honestatem fæminæ purgatur omnino inhabilitas, & solum remaneat singularitas ex diuersitate temporis, nam singularitas loci non videtur multum obstare, cum hic non consideretur materialitas loci, sed eius formalitas in confessione, quæ loca identificat potius, quod diuersificet.

An persona, quæ consentit in solicitationem dicatur socia criminis, & sic patiatur hanc quoque exceptionem.

89 ℞. Negatiue, quia cum illud Sacrum Tribunal censuerit, personam solicitatam non esse interrogandam super consensu, immo nec redigendum in scriptis, si illum mulier sponse deponeret, sequitur non posse attendi hanc exceptionem, cum iudicandum sit secundum allegata, & probata in processu, in quo nulla fit mentio de consensu, ergo sine illo iudicandum est. Ita Carena *par. 2. tit. 6. num. 56.*

90 Dicta de solicitatione communia sunt fœminis, & iuuenibus masculis, in illis inspicitur inhabilitas sexus, in istis ætas minoritatis vsque ad annum vigesimum *l. In testimonium 20. ff. de testib. Farinac. quæst. 58. num. 10.* deinceps masculus ex hoc est testis integer, vnde videtur per se solum sufficere ad torturam; etiam sine adminiculis.

Quæres 25. An fama probetur per testes singulares? Et quæstio est tam de mala, quam de bona fama.

91 ℞. Ad vtramque famam in specie etiam probandam sufficere testes singulares, reddentes rationem, & explicantes factum à quo ortum habet, nominatis personis, à quibus originem habet. Pro qua re vide *Farinac. q. 47. à n. 301. vbi n. 304.* ait sufficere testes singulares, *& q. 64. num. 253.* Ratio est, quia fama paulatim volat ad aures huius, & aliorum, quare cum successiue propagetur modo huc, modo illuc sua propalatione necesse est, quod exigat testes talis conditionis, qui famam diuersis temporibus, & locis audiuerint; hi autem sunt singulares, ergo eisdem probatur.

Quæres 26. An furor probetur per testes singulares.

92 ℞. Affirmatiue, quando aliquis actus furoris non fuit articulatus, quia tunc ille actus testibus concordantibus probandus est. Ita *Farinac. q. 64. num. 260. & 261.* Sed dicas congruenter ad dicta sub q. 6. quod bene probatur per plures testes singulares, maxime cum non agatur ad pœnam.

Quæres 27. An consanguinitas probetur per testes singulares.

93 ℞. Affirmatiue, adiunctis adminiculis, & in ordine ad impediendum matrimonium, modo in singulo gradu adsint duo testes. *Farinac. q. 62. à num. 262. ad 266.*

Quæres 28. An ætas probetur per testes singulares.

94 ℞. Affirmatiue. Idem *Farinac. n. 267. contra Gabrielem, & Caluaicanum.*

Quæres 29. An possessio filiationis probetur per testes singulares.

95 ℞. Sic *Mascard. concl. 797. n. 8. Farinac. q. 64. n. 269.* contra alios ibidem citatos.

Quæres 30. An simulatio probetur per testes singulares.

96 ℞. Sic, *ex eodem Farinac. n. 271. contra Afflictum, & Ioseph. Ludouis.*

Quæres 31. An dolus probetur per testes singulares.

97 ℞. Sic, *ex eodem n. 273. & cons. 40. n. 7. apud Barbosam in c. 4. de testib. n. 50.*

Quæres 32. An simonia probetur testibus singularibus.

98 ℞. Sic, *Farinac. n. 274. Barbosa ad cap. 4. de testib. num. 51.* referens plures decisiones Rotæ. Iterum supra 81.

Quæres 33. An aditio hæreditatis probetur testibus singularibus.

99 ℞. Affirmatiue, *Farinac. q. 64. n. 280. Barbosa ad c. 4. de testib. n. 59.*

Quæres 34. An quem esse Sacerdotem probetur per testes singulares, qui eius missam audierunt.

Tom. V.

℞. Affirmatiue, dum vnus deponit de celebratione facta 100
in vna Ecclesia, alter in alia, vel vnus deponit de Epistola, alter de consecratione &c. tendunt enim in vnum finem. *Farinac. quæst. 64. num. 281. & 282. qui 283. ex Caccialupo,* ait non probari missam totam esse celebratam, qui deponunt; vnus de Epistola alter de Euangelio. Tamen verius est oppositum, *ex Gl. s. 11. Simul cap. Nihilominus 16. 3. q. 9.* vbi probatur missa celebrata, probatis initio, & fine celebrationis, vt obseruat etiam ipse Farinac. 286. contra *Caccialupum, & Alber. Malet.* qui id gratis negant, nam regulare est, quod qui incipit missam, illam quoque absoluit, & qui contrarium præsumit temerarius est.

Quæres 35. Quomodo probetur irregularitas ex causa celebrationis.

℞. Per testes singulares deponentes facere istem celebrasse iuxta mox dicta *Farinac. quæst. 64. n. 284. & 286.* 101
Quoniam autem irregularitas prouenit à censura eius, qui cum ea celebrauit. Ideo causa quoque est probanda, nimirum eum esse censuratum, v. g. excommunicatum, quia clericum percussit, id autem probandum est per testes contestes deponentes de percussione sacrilega, quæ inducit excommunicationem.

Quæres 36. An consuetudo probetur per testes singulares.

℞. Affirmatiue, quia ita exigit natura consuetudinis, 102
vt inducatur ex frequentatione similium actuum successiue factorum, ac proinde diuersis temporibus, & locis eiusdem ciuitatis. Verum quidem est, quod testes debent esse contestes in identitate actuum, qui debent esse similes, & eiusdem speciei, dum talis probatur consuetudo. Et ita reconciliantur Doctores apud Farinac. quæst. 64. numer. 190. asserentes consuetudinem probari per testes singulares scilicet ex diuersitate temporis, & loci, & num. 191. negantes probari per testes singulares singularitate scilicet diuersificatiua actuum, quia ad inducendam consuetudinem requiruntur actus vniformes, *ex Bart. in l. 1 ff. solut. matrim. Roland. lib. 1 cons. 87. num. 53. Decius cons. 214. numer. 2.* 103
Mar. Anton. lib. 1. resol. 46. numer. 4. Igitur testes debent esse concordes in depositione actuum, & in frequentia, singulares in tempore, & loco ex natura ipsius consuetudinis, quæ completur ex pluribus actibus numero, quæ simul tempore, & loco fieri non possunt, & sic intellige distinctionem Farinac. sub n. 191. qui n. 287. ait 104
consuetudinem in blasphemando probari per testes singulares, contra communem apud Mascardum requirentem testes contestes concl. 194. n. 2. qui tamen n. 289. putat hoc verum quo ad puniendum, licet secus quoad diminutionem de fide. Dic tu vt supra, consuetudinem per testes singulares plene probari singularitate actuum quo ad pluralitatem, & conuenientia eorundem sub eadem specie

Quæres 37. An Societas probetur testibus singularibus.

℞. Affirmatiue, habet enim tractum successiuum in suis negotiis. Ita *Gabriel. de testib. concl. 2. n. 43. ex Corneo, & Farinac. q. 64. num. 293.* 105

Quæres 38. An habitatio probetur per testes singulares.

℞. Affirmatiue, nam ea habet tractum successiuum addendo tempus tempori. *Idem Gabriel cum Corneo num. 44. Farinac. num. 294.* 106

Quæres 39. An animus, voluntas, & intentio alicuius probetur testibus singularibus.

℞. Affirmatiue, quia solet singillatim explicari. Ita *Farinac. q. 64. n. 290. Seraphin. decis. 559. n. 13. Anton. Monachi decis. Bonon. 16. n. 18. Barbosa ad c. 4. de testib. num. 65.* 107

Quæres 40. An quando agitur de modico præiudicio sufficiant testes singulares.

℞. Affirmatiue, quia fides testium commensuratur conditioni causæ. *Farinac. quæst. 64. numer. 298. Seraph. de priuileg. iuram. 27. num. 11. Barbosa ad cap. 4. de testib. n. 56.* 108

F Quæres

Quæres 41. An confessio sacramentalis probetur per testes singulares.

109 ℞. Affirmatiue. *Farinac. num* 199. immo per vnicum testem, *vt dixi cap.*17. *num.* 15. & melius per confessarium.

Quæres 42. An singularitas noceat, quando adsunt contestes.

110 ℞. Negatiue, quia vtile non vitiatur per inutile, nec magis dignum deterioratur per minus dignum, immo illud trahit, & eleuat ad dignitatem, & consortium. *Ex castrensi, & Aymone* Farinac. *quæst.* 64.*n.*301.

Quæres 43. An testes singulares cum adminiculis plane probent.

111 ℞. Negatiue, in quantum scilicet non conuincunt ad pœnam ordinariam, vtique ad arbitrariam. *Farinac. quæst* 64. *num.*302. *Flores de Mena quæst.*12. *num.* 43. *apud Barbosam ad cap.*4. *de testib. numer.* 55. ait plene probare, quando agitur de probando officio, statu, & qualitate personæ, dum conficiuntur ex diuersis actibus.

112 Quæras 44. An personæ nobiles, & probatæ fidei testes singulares probent plene.

℞. Negatiue, & patet ex singularitate obstatiua, in qua dictum vnius destruit dictum alterius, quod nobilitas reparare non potest. In diuersificatiua, & cumulatiua probant sicut alij viri probatæ opinionis, non enim nobilitas impedit, quin persona possit habere diminutam fidem; nobilitas enim respicit iura sanguinis, & non tribuit moralitatem, quæ ex actibus bonis quæritur, quam non infudit natura hominibus nascentibus. Ita colligo *ex adductis à Farinac. quæst.* 64.*n.* 404. *ad* 409.

Quæres 44. An sit in arbitrio iudicis credere testibus singularibus.

113 ℞. Est in eius prudenti arbitrio credere illis, & non credere, iuxta exigentiam causæ illum mouentis ad vnum, & non ad oppositum, loquendo de singularitate diuersificatiua, aut cumulatiua, non autem in obstatiua. *Farina. quæst.*64 *numer.* 310. *ad* 313. vbi de exprimenda causa in sententia cur testibus crediderit.

Quæres 46. Quomodo testes singulares deponentes de maiori, & minori summa in quantitate, numero, & mensura probent.

114 ℞. Probare fauore minoris summæ, quia in maiori continetur etiam minor, ac proinde qui deposuit de maiori concordat cum alio teste circa minorem. Ita de communiori *Farinac.q.*64. *n.*235. qui limitationes ponit vsque ad n.255. exclusiue.

Quæres 46. An possessio probetur per testes singulares.

115 ℞. Affirmatiue, vt quando vnus deponit, quod vidit colligere granum, alter hordeum, seu poma, alter arare, seu seminare. Ita *Farinac. q.*64. *num.* 164. *ad* 172. *plures alios refert Barbosa ad cap.* 4. *de testib. n.*38.

Quæres 49. An præscriptio probetur per testes singulares.

116 ℞. Affirmatiue, quia cum præscriptio non contingat sine continuatione temporis, quod dicit successionem, ideo id exigit tempus, vt probetur in eo successio, & continuatio, quæ componitur ex diuersis temporibus, ergo probatur per testes singulares singularitate temporis, vt in solutione annuarum pensionum factarum vel ab vno, vel à pluribus. Farinac. quæst.64. num.173. ad 178. Nec obstat cap. Licet causam 9. de probat. quod testes singulares non probent præscriptionem, quia ibi Pontifex loquitur de singularitate obstatiua, vt manifeste colligitur ex illis verbis: *Quia sibi inuicem euidentissime contradicunt*, non ergo ea singularitate diuersificatiua, nec cumulatiua, sed ex obstatiua sunt singulares, & potius simpliciter contrarij.

Quæres 49. An iurisdictio probetur per testes singulares.

117 ℞. Probatur præsertim in genere, immo & in specie, quando illi diuersi actus tendunt in eandem iurisdictionis speciem. *Farinac.q.*64. *num.*182. *ad* 188.*cum aliis Barbosa ad cap.*4 *de testib. n.*39.

Quæres 50. An vsura probetur per testes singulares.

118 ℞. Affirmatiuè, loquendo de eius probatione in genere, in specie vero testes singulares plures, quàm duo probant ad pœnam extraordinariam, iuxta dicta q.6. probant quoque ad diminutionem fidei vsurarij, qui ex infamia est testis inhabilis ex dictis cap.10. n. 92. Vide *Farinac. q.*164.*n.*195. *ad* 200. *Barbosa ad cap.*4. *de testib. n.* 42. Vbi plures citat.

Quæres 51. An hæresis probetur per testes singulares. 119

℞. Quilibet testis singularis aliam non patiens exceptionem probat ad torturam, vt dixi supra q.5. singularitate diuersificatiua, & cumulatiua. *Secundo* probat in genere, quem esse hæreticum non ad pœnam, sed ad alium effectum, ex allegatis à Farinac. q. 64. numer. 205. *Tertio* plusquam duo probant ad pœnam abiurationis, & alterius arbitrariæ, quando singularitas est diuersificatiua tempore, seu loco, ex dictis, & probatis q. 6. non vero ad pœnam ordinariam, ex supradictis, *cum Farinac.q* 64.*n.*217. *&* 218. vbi rem fuse tractat *à n.*205. *ad* 220.

Quæres 52. An crimen læsæ maiestatis probetur per testes singulares.

120 ℞. Quando articulatus fuit vnicus actus, tunc testes singulares loco, seu tempore non probant, cum sint obstatiui, & contrarij; si vero probanda sit conspiratio, & tractatus, tunc sufficiunt testes singulares singularitate loci, temporis, & actuum, ita exigente negotio huius criminis, quod ex pluribus diuersis componitur successiue. Ita Farinac.q.64.n.220. & 221.

Quæres 53. Sepulturæ electio an probetur testibus singularibus.

121 ℞. Affirmatiue, quia nulli fit præiudicium, cum eligens vtatur iure suo, & Parochus lenat emolumentum Quartæ funeralis. Ita *Guidopapa decis.*544. *Roland cons.* 81. *num.*44. *lib.*2. *Mascard. concl.* 199. *n.*24. *Gutierez de iuram. confirm. par.*4. *c.*4. *fine*, *Flores q.*22 *n.*49. *Paris. de confident. q.*67. *n.*20. *ex illis Barb. ad cap.*4. *de testib. num.*55. Ego *resol.*51. *n.*207. *cum Genuensi cap.*61. *n.*8. *Pasqualigo decis.*404. Et alij communiter.

Quæres 54. Quomodo probetur subornatio in electionibus.

122 ℞. Sufficiunt testes singulares, quia subornatio est difficilis probationis, & vt plurimum nescitur cum simonia, & est species societatis, sed simonia probatur per testes singulares supra n.81. & 98. sicut societas n. 105. ergo & subornatio, vt docet Melsius de pœnis par.2. cap.53. fol.157. & 158.

CAPVT XX.

De Contrarietate Testium.

1 CONtrarietas testium fere eadem est cum testibus obstatiuis, dum se inuicem destruunt. Est autem valde vtilis reo, inutilis vero actori, qui suum intentum probare non potest, videat ergo quales producat in causa.

Quæres autem primo an testes contrarij aliquid probent.

2 ℞. Testes reuera contrarij inter se nihil probant, quia dum vnus alteri contradicit, alter alterius fidem destruit. Et in hoc omnes conueniunt, nullo contradicente, *cum Farinac.q* 65. *num.*2. *S.Thomas* 2.2. *quæst.* 70. *art.* 2. *ad* 2. *Sotus lib.*5. *de iust.q.*7. *art.*2. *Spatharius tract* 7.*c.*17. *num.*15. *Longus casu* 5. §.5. *num.* 15. *de Bictis quæst.* 45. *num.* 2. Et alij apud ipsos. Dixi *reuera contrariis*, quia si non est contrarietas formalis in substantialibus non infirmaret dicta testium, vt clarius patebit in sequentibus. Late Gargiarens Dub. 40. Militar.

Quæres 2. An id procedat non solum respectu probationis ad imponendam pœnam, sed etiam ad torturam.

3 ℞. Procedit etiã respectu torturæ, quia quilibet testis quamuis

quamuis sint quamplures, immo mille, ita infirmatur in sua fide per contrariam depositionem alterius, vt pro nullo habeantur, nisi pro falsario; sed falsarius omnino reprobatur, ergo nec probat ad torturam, immo nec ad inquirendum, quia nullum facit gradum probationis. Ita omnes dum dicunt nihil probare.

Quæres 3. An hæc locum habeant in testibus contrariis respectu delictorum exceptorum.

4 ℞. Affirmatiue, quia quod nihil est in se tale semper est respectu omnium, ergo cum testes contrarij in seipsis tales sint ex mutua contrarietate simpliciter, & absolute, nihil probant respectu cuiuscumque delicti, neque enim delicta dant fidem testibus, sed eam supponunt in testibus capacibus. Ita Mascardus *concl.* 1368. *n.* 4. *Bertaz. lib.* 1. *conf.* 41. *n.* 12. *ex illis* Farinac. *q.* 65. *n.* 4.

Quæres 4. An modica contrarietas tollat fidem à testibus.

5 ℞. Negatiue; si sit in accidentiis, non in substantialibus, tunc enim tollit, quia non videtur modica, sed magna cum sit circa substantialia. Ita *Berous in cap. licet causam num.* 37. *de probat.* Et *Bald. in l. De quibus, ff. de legib. in prima lectura*, dixit quod minima differentia in testibus habet imaginem falsitatis, & contrarietatis. *Pegna part.* 3. *com.* 121. *Vers. Denique*, ait, quod modica contrarietas non tollit fidem, sed illam auget in testibus, quibus magis est credendum, quia ex tali varietate dicendi tollitur præsumptio condicti, vt dixi cap. præced. n. 13. Farinac. q. 65. n. 34. simpliciter dicit modicam contrarietatem non tollere fidem testibus.

Quæres 5. An vnus alterius fidem destruat, quando vnus plus dicit, quam alter.

6 ℞. Negatiue, quia plus continetur in minori, & præterea potest esse, quod vnus vidit, aut audiuit, quod alter non obseruauit. Intellige, quando testes deponunt simpliciter sine taxatione, quia si deponant taxatiue, vnus elidit fidem alterius. *Ita* Farinac. *q.* 65. *n.* 11. *ad* 15. Qui vero deponens de sex vulneribus non tollit fidem alterius deponentis de quatuor, cum sex includantur in quatuor, nisi dicat, sunt tantum quatuor vulnera tunc enim destruit fidem asserentis esse sex.

Quæres 6. An in modo narrandi factum diuerso testes dicantur contrarij, & se inuicem elidant.

7 ℞. Non sunt proprie contrarij, quando concordant in substantia facti, quia diuersitas dicendi non nocet, si res est eadem, cap. Nihil 7. de verb. signif. Ita *cum alijs* Farinac. *q* 65. *n.* 29. *Sousa lib.* 2. *c.* 16. *Sperellus decis.* 81. *n.* 53.

Quæres 7. An contestes in substantia delicti, & discordes in circunstantiis, & qualitatibus aliquid probent.

8 ℞. Si discordia sit in qualitatibus, & circonstantiis essentialibus non probant, vtique si contrarientur in accidentalibus, & accessoriis. Ita *omnes cum Farinac. q.* 65. *à num.* 16. *ad* 25. *Sousa lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 13. *Sperellus decis.* 81. *num.* 52.

9 Essentialia autem delicti sunt illa omnia, quæ concluduntur sub iuramento, & forma articulata. Item & ea, super quibus fuit testis productus ad probandum. Item quod fuit articulatum, & capitulatum, id enim est principale negotium, super quod testes fuerunt vocati. Vide Peregrin. *de fideicom. quæst.* 12. *à num.* 1308. *ad* 1364. vbi quamplura refert exempla.

Quæres 8. An depositio per diuersitatem verborum faciat testes esse contrarios, & se inuicem elidentes.

10 ℞. Negatiue, quando concordat in substantia rei, & nisi testes essent interrogandi super formalitate verborum, in quo casu diuersis verbis respondentes se inuicem destruunt in suis depositionibus, quia formalitas verborum est principale negotium, super quo testes quæruntur. Ita omnes cum Farinac. q. 65. num 28. Discordia vero in verbis eandem rem indicantibus non facit testes contrarios, ex communi sententia apud eundem *n.* 22. *Sousa lib.* 2. *c.* 6 *n.* 14.

Quæres 9. Quid dicendum, quando testes eisdem verbis quasi ipsissimis deponunt.

℞. In eo casu valere eorum depositiones, quando testes vel sunt bonæ famæ, vel sunt plures, aliter sunt suspecti falsitatis, quia ex condicto videntur proferre eundem præmeditatum sermonem, vt dicitur l. 3. §. 1. ff. de testib. ibi: *Vnum, & eundem præmeditatum sermonem.* Si sint probatæ vitæ tollitur suspicio, sicut, & quando sunt plures duobus, *ex allatis ab eodem* Farinac. *num.* 25. *&* 27. qui præced. n. 26. ait, relinqui prudenti arbitrio iudicis, an huiusmod testes sint suspecti de falsitate. 11

Quæres 10. An diuersitas rationum adductarum à testibus infringat eorum dicta.

℞. Negatiue, quando illæ rationes à testibus redditæ tendunt ad eundem finem eiusdem negotij; clarum enim est, quod idem pluribus, & diuersis rationibus probari potest, finis enim specificat ea omnia media, quæ in illum tendunt, vnde illum diuersificare non possunt. Ita Farinac. *quæst.* 65. *n.* 30. *&* 31. *Sousa lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 17. 12

Quæres 11. Quando duo testes sunt concordes in omnibus, & alij duo, vel plures discordant in substantia rei numquid tunc probent omnes, vel nulli.

℞. Qui plures sunt, & tales non patientes exceptionem fidem inconcussam faciunt, aliis paucioribus non obstantibus in contrarium, quia maior numerus testium, qui sunt legitimi, superat semper minorem in probatione, licet & ipsi essent integri. Sed de hac re infra suo loco agam, patitur enim varias limitationes. 13

Quæres 12. An testes inter se contrarij tanquam falsarij sint puniendi.

℞. Tunc est locus punitioni, quando plures vincunt pauciores, tunc enim constat, plures dicere verum, & pauciores mentiri. Quando vero duo tantum sunt contrarij, cum ignoretur quis mentiatur, non est locus punitioni. Ita communiter opinio cum Farinac. q. 65. num. 6. & 7. 14

CAPVT XXI.

De testibus contrariis concordandis.

Contrarietas ex suis intrinsecis importat imperfectionem, dum impedit probationem, quæ actus perfectionis est, cum autem omne imperfectum reducibile sit ad perfectum, vnde imperfecta oratio perficitur ex præcedenti, & sequenti, & aliis additis, si congrua ferri potest, *l. cum pater* 79. *§. cum imperfecta ff. de legat.* 2. opus quoque est concordare testes, vt ab eis tollatur imperfectio contrarietatis, vnde, vt aiunt, dicta testium non sunt cauillanda, sed adiuuanda, & concordanda, quando id fieri potest, sine vllo absurdo, & quando contrarietas non est clara, & manifesta, vt colligitur ex cap. Cum tu 16. de testibus, ibi: *Nec dicta testium benigne intemperari volentes.* 1

Notandum autem, quod huiusmodi concordia sit in ordine ad duplicem affectum, *Primo* ad euitandum periurium in testibus; *Secundo* ad hoc vt probent. Primum omnes concedunt, iuxta mox dicenda. *Secundum*, quod ex concordia sequatur probatio affirmant Canonistæ, legistæ negant. Ita Farinac. *q.* 65. *n.* 79. *de Bictis q.* 45. *num.* 22. *Carena par.* 3. *tit.* 6. *num.* 52. vbi ait in ciuilibus concordari etiam, vt probent *ex Rota coram Puteo lib.* 3. *decis.* 28. *Gregor. XV. decis.* 354. *num.* 14. *Perallo par.* 2. *decis.* 270. *n.* 7. Non vero in foro seculari in criminalibus, quia in dubiis fauendum est reo magis, quam actori; Vtique vero in foro Canonico, vt docent omnes præcitati. Sed modo videndum est, quomodo faciendo sit hæc concordia inter testes, pro cuius intelligentia suppono, eam fieri non posse, quando contrarietas est clara, & manifesta, in claris enim locum non habet interpretatio, sed tantum in obscuris, & dubiis, quæ diuersimode interpretari possunt. 2

Primo testes concordantur per benignam interpretationem depositionum factam à iudice, expresse cit. cap. cum tu 17. de testibus, quia dicta testium non sunt 3

sunt cauillanda, vt dixi supra, *Farinac. quaest. 65. numer. 73.* Is autem modus adhibetur etiam in sequentibus.

4 Secundo in concordandis testibus iudex, & Doctor possunt vti omnibus regulis, quibus vtuntur Doctores in legibus interpretandis. *Ex eodem Farinac. n. 59.*

5 Tertio, testes, quorum vnus deponit de principio, & alter de fine alicuius delicti, vel negotij, concordantur, quia deponunt super eandem rem, quae principium, & finem habet suae productionis. *Farinac. q. 65. n. 55. Giarlin c. 156. n. 33.*

6 Quarto, testes concordantur per distinctionem temporum, iuxta illud diui August. *Distribuite tempora, & concordat scriptura.* Relati cap. Si peccauerit 19. 2. q. 1. & faciunt dicta dist. 29. Vnde qui dixit, Petrum esse amentem potest concordari cum alio teste dicente, esse sanum mente, distinctione temporis in eo, qui habet lucida interualla. *Farinac. q. 65. n. 54.*

7 Quinto, impropriatione verborum possunt testes concordari, nam si vnus deponit de homicidio facto die lunae, alter die martis, interpretari possunt, quod die lunae datum fuit mandatum, executum die martis. Ita *Crotus par. 7. de testib. n. 337. Farinac. q. 65. n. 43. Mar. Anton. lib. 3. resol. 44. n. 3.*

8 Sexto, per interpretationem suppletiuam, de qua in cap. Cum tu 16. de testib. vbi suppletur, quod bis fuerit appellatum. *Farinac. q. 65. n. 48.*

9 Septimo, per multiplicationem actuum praesumendo pluralitatem factorum in casu reiterabili, & iterato, quando non constat clare de vnico actu, & delicto. *Farinac. q. 65. n. 38. & 39.*

10 Octauo, in dubio tres testes non praesumuntur contrarij, sed contestes, *ex eodem n. 75.*

11 Praedicta locum habent, siue agatur de contrarietate duorum inter se, siue vnius contra plures, siue parium contra pares, iuxta dicta à *Farinac. q. 65. n. 61. ad 65.* quia eadem natura contrarietatis in illis omnibus reperitur cum sua aptitudine ad concordiam per legitimam interpretationem faciendam.

12 Interpretatio autem facienda illis modis, vel aliis debet habere pro dubio contrarietatem, vt supra dixi, quia interpretatio habet pro obiecto rem dubiam, non claram, vbi ergo clara est contrarietas, qua dictum vnius destruit dictum alterius, nulla potest fieri concordia, quia non datur medium coniungens contraria se inuicem collidentia. Quo supposito, interpretatio non debet esse voluntaria, sed intellectualis, legitima, congrua, & propinqua veritati, nec vllum ex ea debet sequi absurdum. Ita omnes *cum Farinac. q. 65. n. 90. qui n. 91.* eam vocat congruam, quae non est extranea, illa autem appellatur extranea, quae vulgi aures offendit, & quando non seruantur ratio recti sermonis.

13 Difficultas est, an testes concordati tantum probent, quantum qui ex se sunt concordes? Pariter, an concordati plus probent, quam si non fuissent concordati.

14 R. Non tantum probant, quantum illi, qui de se sunt concordes, concordati vero plus probant, quam si non fuissent concordati. *Primum* patet ex eo, quia non sunt contestes de se, sed tales facti ex interpretatione, vnde cum non sint omni exceptione maiores plene, & adaequate non probant. Ita *Pegna & Camera, quos prase citat Carena par. 3. tit. 6. numer. 54.* Si quidem se habent sicut legitimus, & legitimatus, ille enim magis aestimatur, quam iste, qui per gratiam Principis eleuatur ad eum statum à quo non potuit incipere, vel non incepit. *Secundum* probatur, quia ea concordia debet aliquid operari circa probationem, quam eliderer contrarietas, si non fuisset sublata. Hoc autem argumentum, sicut & praecedens supponit concordiam praeter effectum euitandi periurium, efficere etiam, vt testes probent iure canonico, vt docet verior opinio
15 ex *Farinac. quaest. 65. numer. 79. Sousa lib. 2. cap. 6. numer. 59.* ex illis Carena cit. num. 54. qui num. 56. ait, quanta fides sit eis adhibenda, relinquendum esse arbitrio iudicis; illos sequitur de Bictis quaest. 45. num. 22.

16 Sed numquid sicut qualibet concordia rationabilis excusat à periurio, ita operetur probationem? Resp. Negatiue, sed solum quando non apparet manifesta contradictio, & discordia in facto principali; aut quando pro vna parte inter plures testes non sunt duo contestes, quia in his non probant, *ex Abbat. in cap. cum tu, de testib. ibi Felin. n. 4. & Farinac. ex Sousa lib. 2. c. 6. num. 19.*

17 Referam quosdam casus speciales, in quibus testes contrarij apparentes concordantur, quos habet *Farinac. q. 65. à num. 248. & sequentibus, Sousa lib. 2. cap. 6 à num. 25. & seq.*

18 Primus casus. Vnus deponit de sex annis, alter de septem annis, sic concordantur, quia qui dixit de sex annis, non negauit de septem, vel saltem conueniunt in minori tempore. *Alexander, & Petra apud Farinac. numer. 252.*

19 Secundus casus. Vnus deponit Sempronium possedisse continue, & semper. Alter, illum fuisse absentem per aliquod tempus. Concordantur *Primo* in eo, quod cum collegerit fructus temporib. suis per decennium dicitur continue possidere, licet abfuerit per aliud tempus. *Secundo*, continuo possedit, quia habuit familiam in loco, à quo abfuit aliquando. *Tertio* possedit naturaliter non ciuiliter *Farinac. num 252.*

20 Tertius casus. Vnus deponit, quod Sempronius semper possedit, & alter, quod non semper possedit. Concordantur, quod intelligatur dictum vtriusque maiori parte anni possedisse. Simile. *Hoc omnes fecerunt* 1. Maior pars, vnde electio facta à maiori parte ab omnibus dicitur facta. *Lauor. tit. 4. de elect. cap 6. n. 8. Rota decis. 7. apud Dianam par 7. Farinac. n. 254.*

21 Quartus casus. Vnus deponit factum tempore belli, alter ante bellum. Concordantur, *ante bellum* idest initio belli, quae enim fiunt paulo ante, videntur inesse, *l. Diuortio ff solut. matrim.* Item. Vnus deponit tempore belli, alter post bellum. Concordantur, quia illud *post bellum* interpretatur postquam inchoatum fuit bellum. Vel *post bellum* immediate post, est in fine belli. Item, vnus deponit de re facta ante bellum, alter post bellum. Sic concordantur. *Ante bellum* scilicet finitum. Post *bellum* scilicet caeptum. Ita Farinac. q. 65. num. 261. ad 265. vbi ait procedere ad effectum tollendi falsitatem, non inducendi probationem, nisi agatur de actu successiuo, non autem momentaneo, respectu cuius non potest verificari, quod factum sit initio, & fine belli, vel alterius temporis successiui, vt tradit Baldus super cap. Cum tu, de testib. Et dicta interpretatio potius pro falsa habenda est, quam pro vera iuxta vulgatum dicendi modum, cum haec verba *ante, & post* manifeste imponent diuersum tempus, & non idem. *Farinac. à dicto n. 265. ad 270.*

22 Quintus casus. Vnus deponit Petrum sanum, alter infirmum. Concordantur, vt fuerit sanus, & postea caeperit eadem die aegrotari. Farinac. 271.

Sextus casus. Vnus deponit delictum factum praesente Titio, Titius vero deponit, se hoc nescire, non vidisse, aut non audiuisse. Concordantur, quia potest stare, quod Titius fuerit praesens corpore, & non attenderit ad factum. Farinac. num. 276. ad 279. Intellige si factum fuit momentaneum, nam praesens homicidio, percussionibus, rixae &c. non potest deponere se nescire cum delictum de se palam fiat omnibus praesentibus.

23 Septimus casus. Vnus deponit factum aliquid fuisse praesentibus talibus, & quod nullus alius adfuerat, alter addit, plures alios fuisse praesentes. Concordantur, quod primus dixerit, quod nullus alius adfuit à se visus. Vel talis, & talis aderat praesentia mentali, non alius praesentia mentali, vel corporali. Sed haec faciunt ad euitandum periurium, non ad probationem.

24 Octauus casus. Vnus deponit in domo, seu in ostio, alter

25 alter iuxta domum seu ostium. Concordantur pro euitando periurio, nam *in domo* interpretatur *iuxta domum* en enim præpositio idem significat, quod iuxta, apud Barbosam num. 7. & apud Nizolium. Quoad probationem ea concordia nihil facit, quia e. g. homicidium non potest idem numero factum esse in domo, & extra domum, nisi dicamus, in domo fuisse lethaliter vulneratum, & periisse iuxta ostium, hoc est, vicinus ostio, & in domo, si ex ea non exiit, & sic possunt etiam concordari quo ad probationem. Vide Farinac. quæst. 65. n. 245. & 246. sentientem, vt prius dictum fuit.

26 Nonus casus. Vnus dicit, quod factum fuit in domo, alter in porticu. Non concordantur, quia licet porticus sit pars domus, non tamen est intra domum, sed extra, *ex Baldo, & Petro Farinac. n.* 248. Ego sic concordo, nam percussiones plures, homicidium, iniuriæ, rixa, &c. cœpta est fieri in domo, & extra finita.

27 Decimus casus. Vnus dicit Seium occisum à Caio cum ense, alter cum claua, vel alio genere armorum. Non concordantur, *vt ait Farin. cum Bald. n.* 256. quia sunt singulares in prædicamento substantiæ claua, & lapis. Ego cum aliis ab eo citatis teneo bene probare homicidium, quia instrumenta quo ad genus sunt circunstantiæ accidentales, siue enim sit gladius, siue claua, siue sclopus &c. his contingere potest homicidium.

28 Vndecimus casus. Vnus deponit Titium percussum cum armis punctim, alter cæsim. Non probant ad pœnam imponendam, dum enim ex visitatione corporis delicti constat vnum, & non alterum, vnus eorum est falsus. Ita ex Farinac. num. 157. Crederem ego probare, quia constat de homicidio perpetrato à Petro per duos testes deponentes fuisse percussum, modus autem percussionis incidenter se habet, ideo non est considerandus, cum habetur certa cognitio facti.

29 Duodecimus casus. Vnus deponit Titium fuisse percussum in fronte, alter in manu. Concordantur, quia potest esse, vt vnico ictu percussus fuerit. Non autem potest esse, quod quis sit percussus vnico ictu in fronte, & ceruice, cum sint in locis oppositis.

30 Decimus tertius. Vnus deponit delictum factum præsente Titio, Titius vero negat se fuisse præsentem. Concordantur ad euitandum periurium, distinguendo de præsentia corporali, & intellectuali. Nullatenus probent cum ea concordia, sed suspectus est de falsitate. *Farinac. q. 65. num.* 274.

31 Decimus quartus. Vnus deponit Seium fuisse occisum à Petro, alter à Paulo. Si in tempore concordant, non sunt contrarij, quia possibile est, quod vnus potuerit occidi à duobus. Ita Bartolus *in l. 1. §. Non autem numer. 2. ff. de bonor. possess. secunda tabul. Bertazol. cons. 194. n. 3. apud Garlin. c. 156. n. 55.*

CAPVT XXII.

De Teste sibi contrario, & vario.

1 QVamuis pro eodem sumantur testis contrarius, & varius, nihilominus inter eos apparet differentia non spernanda, vt varius ille dicatur, qui sibi indirecte contradicit ex diuerso modo deponendi, e. g. Petrus deponit primo se mutuasse Paulo in tot aureis, deinde variat dicendo mutuasse in tot argenteis. Item emisse domum, deinde adiungit simul cum vxore sua. Item deponit homicidium factum fuisse cum sica, deinde variat dicendo fuisse cum gladio. In his exemplis apparent diuersi modi circa eandem rem, qui arguunt indirecte contrarietatem, & rem dubiam faciunt.

2 Contrarius vero testis ille dicitur, qui primo dicit vnū, & postea illud negat, vel dicit duo, quæ simul stare non possunt, & in his directa est, & manifesta contradictio, vt Petrus blasphemauit, & non blasphemauit. Item deponit Sempronium occidisse Seium in tali loco, & postea dicit, Sempronium tunc fuisse in alio loco. Farinac. quæst. 66. n. 7. dicit, quod testis varius, & contrarius sunt idem in effectu, saluo, quod varius dicitus ille, qui suo proprio motu variat; contrarius vero, qui varia deponit interceptus per interrogatoria. Doctores autem confundunt hos terminos, testis varius, contrarius, & vacillans, ex eodem. 3

Quæres autem primo, an testis sibi contrarius, seu varius probet quidquam.

℞. Nihil omnino probare ad inquirendum, ad carcerandum & torturandum, multo minus, ad puniendum, vt Doctores colligunt *ex cap. licet causam 9. de probat. ibi Glos. 11. Contra dicunt*, referens alia iura, *Farinac. q. 66. num.* 13. de communi, nullo contradicente, quia ex duobus contradictoriis in omni materia licet vna sit vera, altera sit falsa, tamen cum à iudice ignoretur, quænam sit vera, aut falsa, vtraque habenda est si non absolute pro falsa, pro confusa, & dubia, ac proinde nihil probatum fuit, cum probatio sit ostensio veritatis, de qua non constat ex contrariis depositionibus, quantum vna destruit fidem alterius. Quod non faciat ad inquirendum docet Farinac. num. 21. quia cum dictum vnum alterum destruat non existit probatio, ergo nec indicium ex ea non existente subsistit, quod det ius ad inquirendum, & multo minus ad carcerandum, aut torturandum, quæ duo petunt semiplenam probationem, quæ non apparet in teste sibi contradicente, & a fortiori minus facit ad puniendum. Intellige, si non corrigat se, vt dicam infra. 4

Nota hic, quod aliqui volunt, prædicta habere locum in teste sibi directe contrario, non vero in teste vario, asserentes remanere probatum principale, e. g. homicidium, destrui vero fidem testis circa varios modos deponendi, quia vnum dictum opponitur alteri, & sic sequitur, falsum esse, hominem esse occisum sica, aut gladio, ac proinde cum potuerit esse occisum alio instrumento, remanet probatum homicidium. Sed meo iudicio id non videtur posse sustineri, dum enim non probatur homo occisus per sicam, nec per gladium, sequitur non esse occisum, dum testis per contractionem mediorum sibi fidem tollit non solum respectu instrumentorum, sed etiam respectu ipsius homicidij, illa enim ambiguitas orta ex modo respondendi redundat in corpus delicti in ordine ad quod testis examinatur, ergo periclitatur illius veritas in ordine ad reum, quæ supponebatur ex primo dicto. 5

Quæres 2. An sibi contrarius in accidentalibus, non vero in substantialibus, dicatur probare.

℞. Contrarietatem tollere fidem testi sibi contradicenti non solum in substantialibus, sed etiam in accidentalibus, vt colligitur ex eodem cap. Licet 9. de probat. Ibi: *Cum alij sibimet in serie sui testimonij contradicant.* Verbum enim *series* significat ordinatam progressionem, & in negotio continuatam, continuant autem examen in processu interrogationes, & responsiones substantiales ad indagandam veritatem propositæ querelæ, vnde sicut omnes interrogationes à prudente iudice factæ pertinent ad substantiam, & essentiam inquirendi malefactorem ita & responsiones dandæ spectant ad idem substantiale negotium. Et id est, quod Doctores dicunt, contrarietatem tollere fidem in omnibus, quando testis intanit dicere veritatem super tota causa, in eo casu destruitur fides etiam circa principale, in contrarietate accidentalium, quia iuramentum est indiuiduum, hoc est, vnum respectu omnium, quæ deponuntur in iudicio, & sic in vno sibi contradicens in omnibus sibi contrariatur, iuxta illud: *Reus in vno in omnibus reus est*, ex quo patet nihil probare. Ita *Puteus par. 3. decis. 28. n. 5. Corradus in Practica tit. de Testib. in Rubr. de contrarietate test. num. 19. vers. Sublimitatur. ex illis Farinac. quæst 66. n. 57. Barb. ad cap. præfatum licet n. 7.* Si vero testis sibi contrarius sit in verbis, & aliis circunstantiis impertinentibus, quæ non conducunt ad veritatem indagandam, non nocet aliis depositionibus, quia vtile per inutile vitiari non debet, & nihil obstat narrandi diuersitas, vbi eadem 6 7 8 9

eadem dicuntur, *cap. Nihil 7. de verb. signif. vbi Glos.* 1 1.
10 *Diuersitas*, applicat ad dicta testium. Vide Farinac. q 66.
num. 24. cum seq.

Quæres 3. An sibi contrarius in vno probet respectu
aliorum, in quibus sibi non contradixit.

11 ℞. In nullo eorum probat, quæ spectant ad eandem
causam, quia ex manifesta in vno contrarietate sibi fidem
tollit in omnibus, quia falsus in vno in omnibus talis
censetur, nam periurium vt indiuiduum complectitur
omnes depositiones, & eas inficit. Ita *Capolla cons.* 1.
num 2. *Ruinus lib.* 5 *cons.* 58. *num.* 10. *Rolandus lib.* 4.
cons. 95 *num.* 17. *Cephalus lib.* 1. *cons.* 65. *num* 52. *ex illis*
Farinac. q 66 *n.* 19.

Quæres 4. An modica contrarietas tollat fidem testi
si contrarians in substantialibus.

12 ℞. Negatiue, quia modicum pro nihilo reputatur,
nihil autem operari non potest aliquid, cum ex nihi-
lo nihil fiat, ergo non tollit fidem testi sibi contrario.
Alex. lib 1. *cons.* 3. *num.* 10. *Grammat decis.* 43. *num.* 6.
Roland. lib 2. *cons.* 33. *num.* 7. *Petra de fideicom. q.* 12.
num 971. *&* 1104. *ex illis Farinac q.* 66. *n.* 16.

Quæres 5. An testis varius sibi secundum plus, & mi-
nus probet.

13 ℞. Affirmatiue, quia plus continetur in minus, & sic
maius, & sic minus probauit, vnde verè non est sibi
contrarius. Ita *Grammaticus cons.* 50 *n.* 30. *Cerneus lib.* 3.
cons. 17. *n* 2. refert exemplum de duobus confinibus, &
postea de quatuor. *Imola in cap. Inter quatuor, de maior.*
n. 7. ait, testem non dici varium, qui duplicem causam
assignat, cum quibus est *Farinac. n.* 37

Quæres 6. An qui in secundo examine remitti se ad
primum cum protestatione, quod si aliter dixit per pri-
mum dictum corrigat, ut secundum, dicatur varius, &
sibi contrarius.

14 ℞. Non est varius, nec sibi contrarius, dum protesta-
tur se velle remittere ad dicta in primo examine, si quid
dicat contra primum per secundum, nam correctio tol-
lit omnem contrarietatem, vt dicam infra. Ita *Abbas,*
Belin. & alij Canonistæ in cap. cum in sua 44. *de testib.*
Farinac q 66. *num* 39. Pro huius intelligentia faciunt
ea, quæ infra dicam de repetitione testium.

Quæres 7. An simplicitas, seu rusticitas excuset à va-
rietate, & contrarietate, itavt testis probet.

15 ℞. Non excusare, quia debet narrare factum prout
vidit, vel audiuit, quod solent etiam simplices, & ig-
norantes narrare, cum aliud non requiratur subtilitas,
aut magna doctrina in respondendo. Ita plerique alle-
gati à *Barb. ad cap. Licet causam* 9. *de probat. nu-*
mer. 6.

Quæres 8. Cum varietas, & contrarietas sit species
exceptionis, numquid sublata quauis exceptione, hæc
sit etiam sublata, itavt testis probet ea non obstante.

16 ℞. Hæc non venit sub aliis, sed omnino ostendenda
est, cum agatur de substantia probationis. Ita Decius
in l. Edita C de edendo & in l. Vbi repugnantia ff de reg.
iur. & ibi Cagnolus, ex illis Barbosa ad dictum cap. licet 9.
de probat. num. 6.

Quæres 9. An affirmans aliquid, & postea dicens
se non recordari tanquam varius probet.

17 ℞. Nihil probare, licet enim saluetur à contrarietate, in-
fringit tamen priorem fidem per affectatam obliuionem,
itavt neutri dicto standum sit, non solum in diuersis
examinibus, sed nec in eodem examine. *Ex Nello, &*
Follerio Farinac. q. 66. *n.* 329. *&* 330. *Sousa lib.* 2. *cap.* 6.
num 70.

Quæres 10. Si dicat primo se non recordari, & postea
recordari, & scire, numquid varius dicitur, & nihil pro-
bare? Item se nescire, & postea scire.

18 ℞. Non dici varium nec sibi contrarium, quia stare
potest, quod quis nunc recordetur, & sciat, quod ante
non occurrebat memoriæ, & probat *Primo*, per secun-
dum dictum, quando in eodem examine vtrumque pro-
tulit, per secundum enim dictum correxit, & suppleuit
primum. *Secundo* quando in secundo dicto repositus fuit
testis ex officio iudicis, & causam scientiæ attulit. Quod
si ex interuallo temporis, seu ad instantiam partis deponat
se scire, & recordari eius, quod non recordabatur, non
probat, quia præsumitur subornatus a parte. Ita *allega-*
ti à Farinac. quæst. 66. *numer.* 331. 332. *&* 337. *ad*
364.

Quæres 11. Si primo loco dicat, se credere rem ita se
habere, & postea dicat se scire, numquid sit varius nihil
probans.

℞. Non est varius, sed probat, vnde standū est secundæ 19
depositioni, quia cognitio credulitatis transire potest in
scientiam, & hoc procedit, si adducat nouam causam
scientiæ. *Farinac. q.* 66. *n.* 336. *ad* 339. Idem dicendum,
si primo dicat, sibi ita videri, & postea se scire, quia
potest opinio mutari in scientiam, *Ibidem n.* 340.

Quæres 12. Si primo loco dicat se scire, & postea se
credere, numquid testis est varius, & nulli ex eius dictis
standum est.

℞. Varius est, & nihil probat, etiamsi per secundum ve- 20
lit se corrigere, quia per illam credulitatem destruit scien-
tiam prioris dicti, quæ non stat cum credulitate. Ita
Ioannes Andr. Antonius. Butrius. cum aliis apud Gabriel.
concl. 19. *num.* 41 *apud Farinac. q.* 66. *num.* 343. qui nu-
mer. 344 ait cum aliis probare per primum dictum, quia
per secundum dictum credulitatis non censetur reces-
sisse a primo dicto, quia nemo præsumitur se in conti-
nenti velle corrigere. Sed in hoc casu dico, hic locum
non habere præsumptionem cum clarum sit secundum
dictum destructiuum primi. Ait secundo probare, si ad-
ducat causam scientiæ primi dicti. Hoc dico, parum
refert, quia per secundum dictum debilitatur, immo in-
fringitur vtrumque dictum, & eius causa, quæ cum
ipso redditur dubitabilis, necesse enim est, quod secun-
dum dictum officiat primo, hoc ipso quod facit illud
dubitabile.

Quæres 13. Qui primo dixit se nescire, & deinde se
credere numquid varius est nihil probans.

℞. Varius est, & nihil probat, verbum enim *nescio* 21
nullum effectum ponit assertionis pro veritate, neque pro
falsitate, interrogatus enim an Petrus occiderit Paulum,
respondens, *nescio*, nihil probat, cum per talem respon-
sionem non inculpet, neque exculpet querelatum. Ver-
bum vero credulitatis responsum facit dubium, & am-
biguum, & non dicit certitudinem, *Glos.* 1 1. *credunt,*
cap. quanto 3. *cap. De testib* 13. *de purgat. canon.* ergo ni-
hil per talia responsa probatur. Pro hac responsione *Fa-*
rinac. q 66. *num.* 345. *refert Aretinum, & Baldum.*

Quæres 14. An sit varius nihil probans, qui reddit
rationem dicendo, quia vidit, & deinde quia audiuit.

℞. Non est ideo varius sed probat, quia potest stare, 22
quod idem factum & fuerit visum, & fuerit auditum. Ita
Ruin. lib 4 *cons* 54. *num.* 4. *secutus Bald. Speculat. Bu-*
trium, cum aliis ab eo citatis ex illis Farinac. quæst. 66.
num. 351. *qui n.* 352. limitat de auditu proprio, si enim
reddat rationem sui dicti, se audiuisse ab aliis, quod
deposuit, certe non probat ex propria scientia, *& num.*
354. ait, probare testem asserentem primo se audiuisse &
deinde, se vidisse, quia vtrumque potest esse verum, sicut
supra dictum fuit, siue audiuerit ex auditu proprio, siue
alieno, quia alienus auditus superadditus non lædit pro-
prium sensum auditus, seu visus.

Quæres 15. An, & quomodo testis varius, & sibi
contrarius concordandus sit non solum ad effectum eui-
tandi periurium, verum etiam, vt probare possit. In non-
nullis casibus allatis supra hic à quæst. 9. vsque ad præ-
sentem, facta fuit concordia, hic respondendum est in
genere an, & quomodo facienda.

℞. Vnicus testis sibi varius, & cōtrarius omnibus modis 23
concordandus est, ad tollendam contrarietatem in dictis,
quamuis varietas in vno teste sit minus concordabilis,
quam inter plures, vt dixit *Felin. in cap. cum tu, de testib.*
Tindarus par. 3. *de testib cap.* 1. *num.* 1, *cap.* 12. *num.* 8.
§. Fateor quippe Farinac. q 66 n. 317. In facienda autem
hac concordia verba aliquando impropriantur, & subau-
diuntur

diuntur per interpretationem suppletiuam, iuxta dicta supra c. 21. initio. Duo autem notanda sunt.

24 Primo, concordiam non habere locum, vbi testis manifeste sibi contrarius est, nam in claris non est locus coniecturis, ex quibus desumitur interpretatio ad faciendam concordiam, igitur reconciliatio, & concordia non potest esse vbi non est pax, sed repugnantia patens, ex allatis à *Farinac. q. 66. n. 320.*

25 Secundo, concordiam potissimum induci ad saluandum testem a periurio, & pœna contra falsarios, ad inducendam vero probationem dissentiunt Doctores, quos indicat, Farinac. quæst. 66. à num. 321. ad 328. qui num. 327. ait testem in criminalibus concordatum nihil probare, alij tenent contrarium, & distinguunt probare apud iudices Ecclesiasticos, non laicos, iuxta dicta cap. 21. numer. 2. Subiicio sequentia, *primo* non probare in manifesta contrarietate, quia tunc nec concordari possunt, vt dixi paulo ante *Secundo*, neque iam improprianrur verba, vel suppleutur ad concordiam. *Tertio* in reliquis probat, quando ex proprietate verborum præseferunt duplicem sensum, vt patet in exemplis allatis à quæst. 9. vsque ad præsentes. Nihilominus huiusmodi probatio minor est, quam testis non patiens hanc exceptionem concordiæ, iuxta dicta cap. 21. numero 13. & seq.

CAPVT XXIII.

Quomodo Testis se corrigat?

1 CORrectionis actus bonus est, & laudabilis, ideo leges, & iudices permittunt correctiones testibus, vt quæ parum considerate protulerunt, emendare in melius studeant. Duobus autem modis testis suum dictum emendare dicitur, sponte, cum scilicet non requisitus voluntariè emendat illud, quod ante male dixerat, vel coactè, cum scilicet in tortura se declarat, veritatem continere vnum, non alterum dictum. Ita Roman. *singul.* 181. *Hieronymus Buccaronus de differ. inter iudicia ciuil & crim differentia* 88. *num.* 7. *& differ.* 98. *num.* 18. §. *ad hi. ex Bartolo in Auth. de Testib* §. *quia per textum singularem, in l.* 15 *postulauerit*, §. *Negauerit*, *ff de adulter quos citat Barb. ad cap. Præterea 7. de testib. cogend.* à quo texto desumitur materia de correctione testium.

Quæres primo quomodo testis, qui contraria dixit, & variauit in suis depositionibus, possit se corrigere, & declarare, quodnam ex dictis suis sit verum?

2 ℞ Ab initio sui examinis vsquequo à iudice dimittitur, intra id tempus potest se corrigere, & eius correctio acceptatur pro beata, omnes Doctores colligunt ex cap. Præterea 7. de testib. cogend. *Quorum testimonia, si quandoque non studiose, sed in proferendo errauerint. & si incontinenti correxerint, reprobari non deb nt, secus autem erit, si correctioni sua interposuerint internallum.* Vbi Glos. 15. Incontinenti. 1. in eadem instantia iudicij, antequam loquatur partibus, vel antequam recedat à præsentia iudicis, quia post præsumitur subornatus à partibus, nisi iudex aliud arbitretur ex qualitate personæ. Ita omnes *cum* F*arinac. quæst. 66. à num.* 127. *ad* 232. *Rodrig. tom.* 2. *quæst.* 10. *art.* 2. *cum multis aliis Barb. ad dictum cap. Præterea, de testibus legend. num.* 2.

Quæres 2. An vt correctio incontinenti facta admittatur debeat testis docere de errore, & allegare iustam causam, quæ talis appareat Iudici?

3 ℞ Affirmatiue, aliter correctio facta incontinenti non admittitur, immo pro suspecto habetur, quando dixit contraria, quod tamen non procedit, quando suis dictis aliquid addidit, tunc enim pro causa sufficit allegare obliuionem. *Farinac. quæst.* 66. *num* 240. *ad* 244. *de Bictis quæst.* 47. *numer.* 46. *Spathar. tract.* 7. *cap.* 17. *num.* 8.

Quæres 3. An incontinenti dicatur testis se corrigere, si cum parte non fuit locutus, & hoc allegatum possit suo iuramento probare?

℞ Testis tunc dicitur incontinenti se corrigere, cum sponte, & non ad instantiam partis comparet intra triduum à die depositionis, probando ratione, vel iuramento, se non solum non fuisse locutum cum parte, sed nec cum alia persona, à qua pars potuerit certiorari de eius depositionibus, si tamen testis præterea sit notæ fidei, & auctoritatis. Ita *Farinac. quæst.* 66. *à num.* 232. *ad* 238. Requiritur igitur *Primo*, ne fuerit allocutus partem, quia tunc præsumitur subornatio, ac proinde non admittitur correctio. *Secundo*, quod non fuerit à parte inductus propter eandem præsumptionem, ex numer. 233. *Tertio*, quod sponte compareat intra triduum, post enim præsumitur subornatus, num. 238. *Quarto*, ad tollendam præsumptionem allocutionis debet probare, hanc negatiuam, e g. quia post discessionē à conspectu iudicis mansit in carcere secreto, sed quoniam custodes carcerum vt plurimum in officio suo sunt infideles, adhibetur iuramentum, quo probatur huiusmodi negatiua allocutionis cum aliquo super negotio, num. 236. *Quinto*, testis debet esse bonæ famæ, aliter eius correctio non admittitur num. 238. 4

Quæres 4. An ex interuallo admittatur correctio in aliquibus casibus? Verba supracitati textus videntur dare responsum negatiuum: *Secus autem erit si correctioni sua interposuerit interuallum.* Nihilominus ex causa iusta admittitur.

℞ Admitti correctionem ex interuallo, quando causam correctionis testis non solum allegat, sed etiam probat, dicto de errore, in quo differt à correctione incontinenti, in qua allegatur causa, sed non probatur, vt hic, ex quæst. 2. Ita *Couar. lib.* 1. *Var. cap.* 13. *num.* 8. *cæterum, Farinac. quæst.* 66. *num.* 245. Procedit ex causa obliuionis, potest enim testis ex obliuione se corrigere ex interuallo, dummodo ea sit verisimilis, aliter non, ad arbitrium iudicis, obliuio autem excusat à pœna deponentem contraria, *num.* 246. Procedit secundo ex titulo nobilitatis, nam testis ex interuallo potest se corrigere, cum agitur de re parui momenti, *num.* 247. 5

Quæres 5. An testis possit se corrigere ex interuallo per additionem factam suis depositionibus?

℞ Affirmatiue, quando sponte, seu ex officio iudicis addit aliquid non autem ad instantiam partis. Ex allegatis à *Farinac. quæst.* 66 *num.* 251. *ad* 253. 6

Quæres 6. An post publicationem attestationum possit testis se corrigere?

℞ Negatiue, quia tunc diceretur facta ex interuallo 7 meto, cum præsumptione, quod locutus fuisset cum parte, vt probat textus *in cap Per suas, de Testib. ibi Imola, & alij cum* Farinac. *quæst.* 66. *num.* 754.

Quæres 7. An tanta fides adhibenda sit testi se corrigenti, quanta si se non correxisset, sed bene, & legitime respondisset?

℞ Non tanta, vbi enim agitur de correctione non 8 solum ex interuallo, verum etiam incontinenti debilitatur fides testis, quia varietas detrahit de fide testis, quam in totum non potest correctio supplere, *iuxta dicta cap.* 21. *à num.* 13. Itaque testis patitur exceptionem correctionis; correctionis præsertim ex interuallo, quæ licet non tollat primum dictum, illud tamen debilitat, vt docent Canonistæ *in cap. Præterea de testib. cogend apud* Farinac. *quæst.* 66. *numer.* 250. Quod verum est etiam quando correctio fit per additionem, ex iisdem super dictum caput, *ex eodem* F*arinac. num.* 251. *&* 253. Nec obstat, quod in præcitato capite dicatur, non esse repellendum testem, quia aliud est repellere testem, hoc est, totam eius fidem destruere, aliud eandem debilitare sine destructione.

Quæres 8. In dubio, an correctio fuerit ex incontinenti, an ex interuallo, quid arbitrandum?

℞ Iudicem arbitrari debere hoc, ex communi Cano- 9 nistarum in præcitatum cap. Præterea 7. de testib.

cogend. & dicere potest esse factam incontinenti, quando testis non diuertit ad actos extraneos, *Gabriel. lib. 7. concl. 17. num. 12. cum Abbate ibidem num. 12. Farinac. num. 239.* Id tamen videtur satis declaratum in præcedentibus.

Quæres 9. An in causis fidei testis possit se corrigere etiam ex interuallo?

10 ℞ Affirmatiue, & tunc statur secundo dicto tam contra se quam contra reum, si tamen secundum dictum sit in fauorem fidei, ex quo primum fuit fauore rei contra fidem, si apparet ex indiciis manifestis, talem non ex leuitate animi, vel fomite odij, vel corruptione pecuniæ, sed solo fidei zelo se correxisse. Ita expresse *cap. Accusatus 8. §. licet, de heret. in 6. vbi Barbosa num. 13. doctores citat, cum Farinac. quæst. 66. num. 157. & quæst. 188. num. 86.* Statur ergo secundo dicto, in quo reuelatur hæresis, seu blasphemia non reuelata in primo dicto.

CAPVT XXIV.

An Testis sibi contrarius, seu varius sit torquendus.

1 Finis torturæ in teste vario, seu contrario, aut vacillante in eo consistit *primo*, vt iudex sciat, in quo velit dicto testis totius permanere; *secundo* ad effectum expurgandi in teste vitium variationis, & contrarietatis, *ex citatis à Guazino Defens. 19. cap. fin. num. 7.*

Quæres igitur primo, an testis varius, seu sibi contrarius torqueri possit in ordine ad prædictos effectus.

2 ℞ Affirmatiue, de communi *Farinac. quæst. 66. num. 98. Guazin. Defens. 19. cap. 2. num. 2.* Posita ergo sola variatione, seu contrarietate manifesta torquentur testes, vt aliquo modo firmetur depositio, in qua vult testis persistere.

Quæres 2. An pluries varius existens etiam pluries torqueri possit?

3 ℞ Affirmatiue, quia prædictæ duæ causæ purgandi vitium varietatis & sciendi, in quo dicto testis velit permanere locum habent in variatione, ergo noua superueniente contrarietate nouum potest adhiberi remedium torturæ, variant enim aliquando testes in tortura, in ratificatione, & in repetitione; potest in hoc iudex procedere ad torturam vsque ad tertiam vicem. *Farinac. q. 66. num. 104. & 105.*

Quæres 3. An possit torqueri sibi contrarietas in dictis extra iudiciali, & iudiciali?

4 ℞ Qui vnum dixit extraiudicialiter, de quo constare debet legitime, potest torqueri, si oppositum dixit in iudicio, siue illud extraiudiciale fuerit iuramento firmatum, siue non, aut in scriptis prolatum, siue ore tenus tantum. *Farinac. quæst. 66. num. 107. ad 109.* Licet aliqui sentiant oppositum, quia dictum extraiudiciale nihil habet commune cum iudiciali, cui noceat, cum iudicialis depositio semper sit præferenda extraiudiciali.

Quæres 4. Quid agendum, quando res è contra se habet? nempe cum testis, qui in iudicio dixit vnum, & postea extraiudicialiter profert oppositum?

5 ℞ Potest inquiri, processari, & torqueri, variatio enim, & contrarietas existens dat hoc ius iudici. *Farinac. q. 66. num. 111. & 112.*

Quæres 5. An præter apparentiam variationis, seu contrarietatis, debeat in actis constare, quod testis fuerit præsens facto, quod negat ad hoc vt possit torqueri.

6 ℞ Affirmatiue, secundum communem, *apud Farinac. quæst. 66. num. 113. Guaz. Defens. 19. cap. 2. num. 5.* Contra Thesaurum *decis. 42. num. 5. §. verum* asserentem, sufficere variationem, quod mihi placet, quia causa finalis torquendi in sola cõtrarietate, & varietate consistit, ergo quando de ea constat in actis, non est vlterius quærendum, si enim de interessentia constaret, nota esset manifeste falsitas alterius dicti, ac proinde non esset amplius quærenda veritas, per torturam, nec in quo dicto vellet testis permanere, cum id quærere sit inutile, dum testis ex manifesta falsitate omnino esset repellendus.

Quæres 6. An varius, & sibi contrarius in accidentalibus non in substantialibus sit torquendus?

℞ Negatiue, nisi sit suspectus, accidentalia enim non sunt tanti momenti, vt ex eorum varietate sit torquendus testis. *Aymon. cons. 178. num. 4. Farinac. num. 121. Guazin. Defens. 19. cap. 2. num. 6.* cum multis aliis ab eo citatis. 7

Quæres 7. An in causa modici momenti testis varius sit torquendus.

℞ Negatiue, quia modicum non est magis ponderandum, quam tormentum magni æstimandum, ideo ab eo est abstinendum. Idem dic si variatio modica est, ob eandem rationem. *Bertatus vol. 4. cons. 400. num. 11. Alex. cons. 24. num. 43. vol. 2. Grammat. decis. 43. numer. 6. cum aliis Guazin. Defens. 19. cap. 2. num. 7.* 8

Quæres 8. An clerici torqueantur, si varie deposuerint?

℞ Affirmatiue, esto nulla fama procedat, nam satis constat de contrarietate in actis. *Farinac. quæst. 66. num. 101.* semper per iudicem Ecclesiasticum, non per laicum, *num. 103.* 9

Quæres 9. An constituti in dignitate sint torquendi?

℞ Negatiue, nisi in casibus exceptis, de communiori, *Farinac. quæst. 66. num. 122.* 10

Quæres 10. An in causis ciuilibus vacillantes sint torquendi?

℞ Negatiue, ex meliori opinione, *cum Farinac. quæst. 66. num. 124.* quia forum ciuile neminem punit in corpore, sed tantum in ære. 11

Quæres 11. An testis ad concordiam reductus vel per correctionem, vel per interpretationem sit torquendus?

℞ Non est torquendus, quia posita concordia, sublata est variatio causa productiua torturæ, & ex concordia patet, cui dicto stare voluit testis, dum ex illa vnicum fit dictum. Ex quo tamen testis depositio remanet debilitata, poterit torqueri ad tollendam illam debilitationem, sicut tollitur varietas, quæ est quid maius. 12

Quæres 12. An tortura ita tollat vitium varietatis, vt testis tortus habeatur pro idoneo nullam patiens exceptionem varietatis?

℞ Tollere, ac proinde pro omnino idoneo haberi testem, aliter frustratoria esset tortura, si nihil operaretur, & iniuria facta fuisset torto testi, si non profuisset. 13

Quæres 13. An torquendus sit testis in S. officio, dum eius secundum dictum admittitur fauore fidei?

℞ Negatiue, quia in texto cit. sub q. 9. præced. cap. nulla fit mentio de tortura, qua non afficiuntur testes inhabiles, ex dictis cap. 8. num. 32. ergo nec testis varius. 14

Quæres 14. An torquendus sit, qui in secundo examine deposuit contraria, si non debeat examinari?

℞ Non est torquendus, non obstante contrarietate, quæ non ponit perplexitatem, nec officit primum dictum in aliquo, dum posterius examen nullum fuit, nulla adest causa torquendi, dum persistendum est in primo dicto, ex dicendis cap. seq. initio.

CAPVT XXV.

Ex duobus dictis contrariis cuinam standum sit.

QVando testis in vno examine dicit contrarium eius, quod dixerat in alio examine in nouem casibus statur primo dicto, quando contrarietas fuit extra torturam, & sine tortura. Ita *Farinac. quæst. 66. à num. 124. & seq.* Non est autem hic sermo de teste sibi contrario incontinenti, vel in eodem examine, *ex eod. in num. 127.* sed in diuersis examinibus, & ex interuallo, in quibus standum est primo dicto secundum communiorem opinionem, 1

licet

licet debilitetur per secundum, *ex eodem numero* 184.

2 Procedit primo, licet testis secundo loco fuerit examinatus parte non opponente, *n.* 129. quidquid dicant alij ab eo relati præcedenti *num* 128.

3 Procedit secundo, licet secunda vice fuerit examinatus post publicationem primi examinis, *num* 130.

4 Procedit tertio, in casu quo testis non debebat secundo examinari, & de facto examinatus fuit, nam ex primo dicto ius quæsitum fuerat, *num.* 131.

5 Procedit quarto, non solum in vno teste, sed etiam in plurib. sibi contrariis, dato iuramento suppletiuo, *num.* 132 Doctores ab eo citati loquuntur in causa ciuili.

6 Procedit quinto, licet iudicia sint diuersa, ciuile, & criminale in eadem causa, etiam ad diuersum finem, *num.* 133. *&* *num.* 134.

7 Procedit sexto, in diuersis causis, instantiis, & personis, quicquid dicant alii nulli esse credendum, *num.* 135. *&* 136.

8 Procedit septimo, in diuersis instantiis etiam inter easdem personas, *num.* 137. contra nonnullos, *num.* 138

9 Procedit octauo etiam in eadem instantia, & inter easdem personas, modo examina fuerint facta in diuerso tempore, *num* 139. qui *num.* 140. refert alios asserentes, neutrum dictum esse attendendum.

10 Procedit nono, & vltimo potissimum, quando primum dictum fuit geminatum, & ratificatum, *num.* 141.

11 In prædictis ergo casibus fides præstanda est testi quo ad primum dictum, non quo ad secundum ex communiori opinione, quia iudicium ius aquisiuit super primum dictum tanquam quid absolutum quod ex se non dicit ordinem ad secundum, nisi in quantum secundum refertur ad illud, ergo antea absolute spectabatur, ac proinde pro vero habitum fuit ab initio, vnde nec testis quoad primum dictum habendus est periurus in foro externo cum absolute exactum fuerit à iudice, & datum à teste sine ordine ad subsequens alterius examinis. Confirmat id *Couar lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 8. *§. caeterum ex l. Eos, de falsis*, *& cap. Praeterea de testib.* qui videntur contrarii, & non sunt, quia procedunt contra testis personam quo ad pœnam, non quoad damnum litigantis; & ex cap. Sicut nobis, colligit ad confringendam fidem testimonij esse necessarium non eundem, sed alios produci testes, remanet ergo primum dictum cum sua fide, in sententia Couar. quicquid dicat *Farinac. num.* 126. *&* *&* 127. *Qui num* 142. ponit plures limitationes per quas ostendit standum esse secundo dicto, & non primo.

12 Primo, statur secundo, quando emanauit animo corrigendi primum, *num.* 141.

13 Secundo, attenditur secundum, quando primum emanauit animo turbato, ex ira, seu ex ioco, *num.* 144 *&* 145. qui num. 146. vit, hanc distinctionem esse ridiculam, & vix dari posse, quod quis ioco, vel iratus deponat in criminalibus.

14 Tertio, statur secundo, quando constat de falsitate primi, *num.* 147. *ex Tindaro part.* 3. *cap.* 1. *in S. Fallent.*

15 Quarto, quando primum emanauit, sine iuramento, cum quo fuit secundum, huic standum est, *num.* 148.

16 Quinto, statur secundo prolato cum bona ratione, non primo cum insufficienti ratione, *num.* 150.

17 Sexto, attenditur secundum, quando est verisimilius, & coniecturis, ac præsumptionibus adminiculatum, quibus caret primum. *num.* 151.

18 Septimo, statur secundo dicto in iudicio valido contrario primo in priori iudicio inualido, *num.* 155.

19 Octauo, in causis hæresis statur secundo dicto in fauorem fidei contra primum emanatum fauore rei contra fidem, de quo dixi *praeced. c.* 25 *quaest* 9. *Farinac. n.* 157.

20 Nono, attenditur secundum assertiuum contra primum dubitatiuum *num.* 163.

21 Hucvsque actum est, quodnam ex duobus dictis ex temporis interuallo, quo non permittitur correctio, admittendum sit; deinceps agendum est, cuinam standum sit ex duobus dictis, quorum vnum emanauit ex tortura contrarium alteri depositum extra torturam.

Quando testis in tortura dicit contrarium eius, quod dixerat extra torturam, standum est secundo dicto in tortura emanato, quia fortius est. Ita communis cum Farinac. quæst. 66. num. 65. Procedit *Primo* siue illud emanauerit incontinenti, siue ex interuallo cum tortura, num. 166. *Secundo*, licet non fuerit citata pars, de cuius interesse agitur, num. 168. *Tertio*. quamuis emanauerit secundum post publicationem primi dicti, ex interuallo, & post allocutionem cum parte, num. 170. qui num. 171. credit verius oppositum. *Quarto*, in pluries torto statur vltimæ torturæ, si fuit grauior, num. 17.. & 174. *Quinto*, statur secundo dicto in tortura contra primum [illegible] tortura, num. 175. & 176 *Sexto*, quod [illegible] standum secundo dicto ex tortura etiam in criminalibus, est communis apud eundem num. 186 contra Aymonem *cons.* 6. *num.* 16. *Decium cons.* 189. *num.* 1. *Octauium Cacher. cons.* 65. *num* 32. *&* 33. ea ratione, quod tortura purgat periurium in ciuilibus, non in criminalibus, oppositum tamen tenet Farinac. consil. 10. num. 10 de consuetudine torturam purgare periurium in teste in ordine ad inquirendum, & non vlterius, vnde non facit ad torturam, propter hanc exceptionem non purgatam ad vlteriora. Latius dixi cap. 48. q 12. 22 23

Fallit primo, vt non attendatur dictum in tortura, quando non fuit legitima, nec legitime data, ex eodem Farinac. num. 177. *Secundo* attenditur primum, quando ex aliqua rationabili causa apparet magis verisimile, quam secundum cum tortura emanatum num. 178. *Tertio*, statur primo dicto, non secundo in tortura, quando testis torquetur vt principalis quoad se, & testis quoad alios, num. 181. nisi habeat pro se adminicula, n. 18 . *Quarto*, quando primum dictum emanauit in articulo mortis non attenditur secundum dictum in tortura, num. 187. *Quinto*, non attenditur secundum ex tortura, quando testis vltra exceptionem variationis patitur alios defectus, n. 188. 24

Quamuis huiusmodi testes admittantur modo quo ad primum dictum modo quo ad secundum, iuxta superius dicta, tamen non dicuntur simpliciter idonei, & maiores omni exceptione, sed adhibentur cum hac exceptione contrarietatis, quæ debilitat eorum dicta, vt docet *Farinac. quaest.* 66 *num* 18.. 25

Reliquum est, vt videamus, cuinam dicto standum sit, cum vnum emanauit extra iudicium, & alterum sibi contrarium in iudicio, & e contra prius in iudicio, & postea extraiudicialiter de quo te *Farinac. quaest* 66 *à num.* 139 *ad* 216. 26

Quando concurrunt contraria dicta, quorum vnum emanauit extraiudicialiter, & alterum iudicialiter, siue ante, siue post semper attenditur iudiciale, cum sit fortius, & firmius. Ita communior, & verior opinio fere omnium, num. 193. & 200. In hoc autem casu testis non est puniendus de falso, *ex Tindaro lib.* 2. *de testib. par.* 2. *num* 3. *cum Farinac. n.* 85. *Puzgianus cap.* 1. *num* 2. *subest.* Potest vero processari, & torqueri, *num.* 111. *&* 112. Procedit hoc, quod scilicet attendatur dictum iudiciale, licet extraiudicialiter testis dixerit, se falsum deposuisse in iudicio, quia adhuc fortius est dictum iudiciale n. 203. Procedit regula quando extraiudiciale sequitur iudiciale, *Primo*, licet extraiudiciale emanauerit in articul. mortis, num. 104. *Secundo*, etiam ex actu confessionis Sacramentalis *Tertio*, quamuis extraiudiciale emanauerit ante, vel post sententiam, n. 106 *limita* vero, attendendum esse dictum extraiudiciale, tribus concurrentibus, scilicet verisimilitudine depositionis, causâ reuocationis primi dicti; & depositione facta in articulo mortis, tunc enim primum dictum dicitur sublatum, num. 210. 27

Obserua ex his siue standum sit vni, siue alteri fere nihil probari, quia per dictum vnius debilitatur dictum alterius, vt quæ ad inuicem contrariantur, vt dicitur *num.* 208 217. 226. vnde fere ad nihilum inseruiunt, & si aliquid operantur, faciunt solum ad inquirendum non ad procedendum vlterius, captura enim & tortura supponunt testem omni exceptione maiorem, & inuulnerabilem. 28

CAPVT

CAPVT XXVI.

De Teste obscuro, & dubio.

1 MAnifestum est apud omnes, quod dicta testium debent esse certa, & clariora luce meridiana, ac proinde concludere de necesse, non de possibili, quod dicit contingentiam, & non certitudinem veritatis. Probatio ergo obscura, & dubia vix nomen habet, cum ea debeat demonstrare veritatem in re, & non relinquere in ea ambiguitatem. Hinc est, quod testis deponens obscure, est sub dubio, aut per possibile nihil prorsus probat, ita docent omnes nullo contradicente, *cum Farinac.*
2 *quaest.68. num.*1. Illa autem dicitur dubia, & obscura depositio, cuius verba possunt habere plures, & diuersos sensus, & intellectus, seu quae indicant possibilitatem, vt patebit in sequentibus exemplis.

3 Depositio ergo testis non debet esse obscura, dubia, & incerta, nec de possibili, sed certa, & de necesse, vt probatio teneat, ita *Canon. in cap. In presentia de probat. Farinac. num.3. de Angelis cap. 14. num. 23. Peyrin. in Form. 11. Testis cap.3. num.9. de S. Iuliano 4. cap. 5. Aduert. 16.* Exempla autem ponam, ex quibus nihil probatur.

4 Primo nil probat deponens per haec verba. *Res aliter se habere potest.* Farinac. q 68. num.4.

5 Secundo dicens. *Possunt esse vm circiter decem, aut duodecim.* Hieron. Gabriel. *lib.2. cons. 168. num 10. Bertazol. lib.2. cons. 251 num.26. cum aliis* Farinac. *num.4.*

6 Tertio dicens. Forte, *Forsitan.* Iason *in lib.1 ff. de virt. num.27.* Farinac. *num.9. de S. Iuliano cap.5. Aduert. 7. §. v. num.8.*

7 Quarto dicens. *Si bene memini. Si bene recordor.* Bertazol. *lib.1. cons.95. num.17. Corneus lib.3. cons.94. num. 4.* Farinac. *num.11. de S. Iuliano cit. num.8.*

8 Quinto dicens. *Prima fronte.* Ita Iason *cit. num. 28. cum aliis Farinacius numer. 10. Carena par. 3. tit. 6. num.3.*

9 Sexto dicens. *Non recordor.* Alexander *lib.1. cons. 7. num.7.* Farinac *num.12. de S. Iuliano cit. num.8.*

10 Septimo dicens. *Nescio* nihil probat, cum nihil ponat in esse. *Ex Monticello Farinac. num.13.*

11 Octauo dicens. *Ni fallor* postquam deposuit nihil probat, nisi adducat causam bonam, & claram eius, quod scit. Farinac. num. 14.

12 Nono dicens *Salua veritate* nihil probat. *Alexander lib.4. cons 92. num.2. Farinac. num.17.*

13 Decimo deponens alternatiue per verba *seu vel* nihil probat. *Alexander lib.2. cons 82. num.2. Bertrandus lib. 1. cons.100. num. 19. Roland. lib.1. cons.35. numer. 23.* Probat autem quando alternatiua refertur ad eũdem effectum, vt si deponat dicendo *cum claua, aut gladio,* alternatiua haec concludit maleficium, non enim repugnat homicidium ex vtroque instrumento, n.19.

14 Vndecimo particula *circa* non probat, quando praecisum tempus, vel quantitas quaeritur, probat vero, si non fiat vis in praedictis determinatis. *Farinac. quaest. 68 num. 20 & 21.*

15 Duodecimo particulae *plus*, *aut minus* non probant, quando quaeritur quid determinatum tempore, aut quantitate, aliter sic *Farinac. num. 22. ad 24.* dicit enim incertitudinem.

16 Decimo-tertio dicens *Mihi videtur, vel mihi non videtur* nihil probat. *Corneus lib 1. cons. 10. num. 13. Decius cons.363. num.4. Ossafebius lib.1. cons. 66. num. 25. Farinac. num.25.* qui num. 28. ait probare in materia tantum intelligibili, & non corporea; numer. 29. ait probare, si adducat rationem concludentem; & numer. 30. probare adiectum tempori, vt: *Possides per decem annos, vt mihi videtur.* Probat possessionem, non tempus, *Natta cum aliis lib. 1. cons.170. num.9*

Decimo-quarto dicens *Meo videri* nihil probat. *Mascardus conclus. 458. numero 7. Farinac. numero 27.* 17

Decimo-quinto dicens *Dubito* nihil probat, quia dubitans aequiparatur ignoranti. *Aymon lib.1. cons. 60. num. 124. Delsanus cons.14. num 21. Farinac. q 68. num 8.* 18

Decimo-sexto dicens. *Meo iudicio res est ita* non probat, quia testis non debet iudicare, sed factum simpliciter narrare. *Grammat. decis.103. num. 21. Alex lib.4. cons. 154. num.17. Farinac. quaest.68. num.32. & 33.* qui num. 34. ait, bene probare, si bonam reddat rationem, *Corneus lib.4. cons.139. num. 5. Roland. lib.1. cons.57. numer. 33. Decian. lib.3. cons 88. num.9. Possent. singul. 297.* 19

Decimo-septimo dicens *Secundum conscientiam meam* Farinac. q.68. num.35. non probat. 20

Decimo octauo dicens *Teneo rem ita se habere*, non probat, *secundum Rolandum lib.1. cons.57. num.31. Turretum vol.1. cons.93. num.37. apud Mar. Anton. lib. 3. resol.1. num.39.* Ego puto probare, cum illa verba adduntur facto narrato, sunt enim confirmatiua dicti. 21

Decimo-nono dicens. *Poterat esse, potest esse &c.* non probat, quia non concludunt de necesse, sed tantum de possibili, iuxta illud: Non probat hoc esse, quod contingit abesse, *lib. Neque natales C. de probat l. Non hoc C. vnde legitim. M. Anton. lib.1. resol.46. num.6.* 22

Quamuis depositiones supra dictis modis factae in iudicio, prout iacent, nihil probent, nihilominus si de iure, & bono intellectu vnam recipiant interpretationem vtilem, & non oppositam, probant, vt patet in sequentibus modis interpretandi. 23

Primo, dicta testium non sunt cauillanda, sed coadiuuanda, & recipienda in benigniorem partem, sunt tamen verba accipienda secundum propriam eorum significationem. De communi *Farinac. quaest.68 n.43. ad 48.* 24

Secundo, verba sunt intelligenda secundum vulgarem sermonem, & communem vsum loquendi, non secundum peritorum & iuris intellectum, *ex eodem numer. 49. ad 53.* 25

Tertio, probatione existente dubia, & ambigua, pro reo resoluendum est contra actorem, ex Reg. 11. in 6. cum partium iura sunt obscura, reo fauendum est potius, quam actori, quia obscure dictum habetur pro non dicto, *Glos. 11. Dubium cap. In praesentia, de probat. Glos. 11. simpliciter cap.3. 4. quaest 3.* Ita Thomas *in Iesu Maria cap.7. num.13. de Angelis cap.14. num.23.* 26

CAPVT XXVII.

De credulitate Testium.

CRedere est assensus intellectus affirmantis aliquid 1
esse tale, vel non esse tale sibi propositum, siue vt
certum, siue vt dubium. Eius duplex est obiectum reue-
labile diuinum, & reuelabile humanum; sub priori ob-
iecto sunt omnia à Deo reuelata, qui est prima veritas, 2
omnia sciens, qui proinde errare, nec falli potest, & summe bonus, qui proinde neminem fallere, nec decipere potest. De hoc actu credendi à Deo reuelata hic sermo non est, cuius assensus debet esse in homine firmus, stabilis, & immutabilis, cum ei subesse non possit falsitas, cum à summa veritate vti veritas participata dependeat. Assensus vero hominis circa obiectum humanum non semper est firmus, & certus, cum ei possit subesse falsum, nam reuelans errare potest, dum eius veritas infallibilis non est, cum non sit omnisciens, nec summe bonus, vnde potest decipere non solum ex errore reuelans id, quod putat esse verum, cum ex se tamen sit falsum vel ex vitio deceptionis narrando pro vero, quod scit esse falsum.
Itaque qui credit aliquid humanitus ei praestat fidem, 3
quam ab alio habuit, & sic credit fide aliena quia ab alio audiuit, non vero illud cognoscit ex scientia propria visus, aut auditus, dum ab alio audit, & ei fidem praestat, ac proinde credens non credit propria, sed aliena fide.

Colligitur

4 Colligitur hunc teſtem deponentem de ſua credulitate per verbum *Credo*, nihil in iudicio probare ea vi huius verbi, quia legitima probatio demonſtrat delictum per proprium viſum, vel per proprium auditum, qui autem credit non demonſtrat per proprium viſum, aut auditum ſed per alienum, vt patet ex dictis, credo enim exiſtere Babiloniam, quam nunquam vidi, & credo Regem N. occiſum fuiſſe, non tamen hæc ſcio ex propria ſcientia, ſed ex aliena fide, quæ eſt ex auditu alieno, ergo per verbum Credo non probo, quod debeo deponere per viſum meum, aut per auditum meum proprium.

5 Atteſtatio ergo per verbum credulitatis non probat. Ita omnes *cum* Farinac. *quæſt.* 68. *num.* 62. vbi ait nec mereri nomen teſtis, *ex Gloſ.* 11. *Præſto. lib. Teſtium C. de teſtib. Gloſ.* 11. *credere cap. Quoties* 5. *de teſtib. Anton. Gomez* 3. *Variar. cap.* 2. *Verſ. Item adde Oſaſch. deciſ. Pedemont.* 12 2. cum multis alijs *Barboſa ad dictum caput numero* 6. *Ludou. deciſ.* 472. *num.* 6. *Riccius par.* 2. *reſolutione* 231. *de Angelis capite* 16. *numero* 15. *de Bellis quæſtione* 49. *numero* 13. Et ita omnes.

Quæres I. quænam ſint verba credulitatis, quibus in iudicio fides præſtanda non eſt?

6 ℞. Sunt hæc, *credo*; *pro certo credo*; *firmiter credo*; *bene credo.* Farinac. quæſt. 68. numer. 66. ad 69. *Mihi perſuadeo, Imaginor.* &c. de Angelis cap. 16. num. 15. Per hæc verba teſtis nihil probat, quia nullam certitudinem demonſtrant, *Gloſ.* 11. *credunt in cap. quoties* 5. *& cap. De teſtibus* 13. *de purgat. canon.* Aliud enim eſt ſcire, aliud credere, *cap. Inquiſitionis* 44. *de ſent. excom.* illis verbis: *An non ſciat pro certo, ſed credat*, teſtis ergo vt probet, debet rem pro certa narrare, vt iudex motum animi ſui firmet ſuper veritate narrata.

Quæres 2. An teſtis de credulitate probet adducendo rationem bonam de ſua credulitate?

8 ℞. Affirmatiue, quia ratio ſpecificat, & trahit ad ſe credulitatem tranſeuntem in propriam ſcientiam viſus, e.g. ſi quis deponat, ſe credere, N. eſſe adulterum, quia vidit ſolum cum ſola nudos in lecto. Ita *Farinac. quæſt.* 68. *num.* 74. *&* 92. *Souſa lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 10. *Bitonus par.* 2. *reſol.* 231. Vbi ait, non probare, ſi reddat talem rationem, quia vidi eum loquentem cum illa in via. Eſt enim remotum hoc indicium, potius temerarium, quam rationabile, *ibidem Farinac. num.* 93.

Quæres 3. An Medici, Chirurgi, Obſtetrices probent per verbum credulitatis?

9 ℞. Affirmatiue, quia habent ex officio ſuo potius iudicare, quam factum narrare, & ideo quia proprie non ſunt teſtes bene indicant per verbum *credo*, dum aliam non poſſunt habere cognitionem. Et in hoc caſu non tenentur reddere rationem, dum non ſunt teſtes F*arinac. quæſt.* 68. *num.* 95. *&* 97. In caſu, quo periti deponunt de re, quam ſuis oculis viderunt, non ſolum debent iudicare, ſed aſſerere, ſe factum vidiſſe, *ex eodem num.* 96.

Quæres 4. An quando teſtes de auditu alieno probant, de quibus in ſequenti capite, probent etiam teſtes de credulitate?

10 ℞. Affirmatiue. F*arinac. quæſt.* 68. *num.* 10. Ratio eſt, quia in re non differunt, deponentes enim de credulitate deponunt ex auditu alieno, qui enim credit aliquid, illud ab alio audiuit. *Barb. ad cap. Quoties* 5. *de teſtib. num.* 7.

Quæres 5. An probet deponens ſic, ſe neminem ſcire, & credere, quod narrauit?

11 ℞. Affirmatiue. Ita *Farinac. quæſt.* 68. *num.* 102. *&* 103. Quia credulitas addita reſtringitur ad ſcire, à quo ſpecificatur, & quaſi geminat veritatem aſſerti delicti.

Quæres 6. An teſtis de credulitate probet ea, quæ directe, & immediate probari non poſſunt per viſum propriam; & ea, quæ ſunt difficilioris probationis, & alia, quæ corporis ſenſu non percipiuntur, in quibus admittitur præſumptiua probatio?

12 ℞. Affirmatiue, tribus concurrentibus. *Primo*, vt producant rationem eos mouentem ad ſic credendum. *Secundo*, vt ea ratio fundetur in cauſa proxima, & ſenſibili, iuxta dicta quæſt. 3. ſi enim adducat cauſam remotam, & ſenſui non proximam, nihil probat, exemplum ſit in eo, qui dicit, ſe credere, Titium interfeciſſe Caium repertum de mane mortuum, eo quia ſero antecedente vidit ipſum Titium cum armis. *Tertio* debet expreſſe concludere his verbis. *Ita credo.* Farinacius *quæſt.* 68. *à num.* 110. *ad num.* 115. *qui num.* 116. ait debere ita firmare ſuam depoſitionem, non ſolum dicendo, ſe ita credere, ſed etiam ſe ita firmiter credere, & quod in ſua conſcientia non dubitat.

Quæres 7. An adulterium, & aliæ ſpecies luxuriæ probentur per teſtes credulitatis?

13 ℞. Affirmatiue, quando teſtes fundant ſuam credulitatem in aliquo actu venereo ex proximis, iuxta dicta quæſt. 3. Ita Farinac. *quæſt.* 136. *numer.* 32. *ad* 34. *ex eo Barboſa ad cap. Quoties* 5. *de teſtibus.*

Quæres 8. Ad probandam innocentiam an ſufficiant teſtes de credulitate?

14 ℞. Affirmatiue, etiamſi nullam reddant rationem credulitatis per ſenſum corporeum concludentem, inquit Farinac. quæſt. 68. num. 77. ad 85. exemplificando in homicidio facto ad defenſam, *quem citat Barb. ad dictum cap. Quoties* 5. *de teſtib.*

Quæres 9. An teſtis de credulitate probet contra producentem ipſum?

15 ℞. Affirmatiue. F*arinac. quæſt* 68. *num.* 75. Ratio eſt, quia hoc ipſo quod nihil probat contra reum, nocet producenti illum, quia videtur calumniare proximum; *Souſa lib.* 2. *cap.* 7. *num* 15.

Quæres 10. An teſtes de credulitate probent aliquo modo ad inquirendum, torquendum, & puniendum?

16 ℞. Teſtimonium credulitatis ſufficit ad inquirendum, non autem ad torturandum, multo minus ad puniendum, quamuis ſint plures, niſi credulitas tranſeat in ſcientiam propriam teſtis, ex adminiculis, & alijs indicijs, iuxta dicta in præcedentibus, & eo caſu ſolum ad pœnam extraordinariam, ſi plures ſint teſtes ad minus quatuor, & exprimant ſe firmiter credere, licet non viderint ſuis oculis factum. Ita colligo ex allegatis à F*arinac. quæſt* 68. *à num.* 74. *& ſeq. limitat. qui num.* 117. ait, ſententiam latã ex teſtibus de credulitate in caſibus difficilioris probationis, vel in iis, quæ immediate probari non poſſunt, nec corporis ſenſu percipiuntur, & in quibus ſufficiet probatio præſumptiua, nunquam tranſire in iudicatum, ſed poſſe retractari per alios teſtes melius probantes.

Quæres 11. An lege, vel conſuetudine induci poſſit, vt teſtes puræ credulitatis probent?

17 ℞. Negatiue de communi nullo contradicente, *Farinac. quæſt.* 68. *num.* 64. *&* 65. Ratio eſt, quia in damnum tertij neque lex cum debeat eſſe iuſta, nec conſuetudo, cum debeat eſſe rationalis, quidquam poteſt.

CAPVT XXVIII.

De Teſtibus ex auditu proprio.

1 TEſtes de auditu ſunt in duplici differentia, alij appellantur de auditu proprio, quales ſunt illi, qui deponunt dictum ab alio prolatum tanquam illius auctore. v.g. audiui Petrum blaſphemantem, item alium facientem ſuum teſtamentum, &c. Petrus deponens in iudicio teſtis appellatur de auditu proprio, quia erat præſens, dum auctor blaſphemabat, iniuriabat proximum, &c. Teſtes vero alij dicuntur de auditu alieno, qui ſcilicet audiuerunt alium narrantem factum alienum vel proprium, vt ſi præfatus Petrus illa duo narret alteri, qui non erat præſens, dum N. blaſphemauit, nec dum fecit teſtamentum, iſte alter in iudicio deponens vocatur teſtis de auditu alieno, ſcilicet Petri, à quo audiuit alienum delictum vel proprium eius qui blaſphemauit, ſeu fecit teſtamentum.

mentum. Vnde non placet eorum, definitio, qui dicunt, testem ex auditu proprio illum esse, qui immediate ab alio audit, ex alieno vero, qui mediate audit, quia manifestum est, audientem alterum loqui, immediate audire vocem eius, siue loquatur faciendo, siue narrando aliquid ab alio factum; hic de testibus ex proprio auditu agendum est, in sequenti de testibus ex auditu alieno.

Quæres autem 1. Quid intelligant. Doctores, dum loquuntur de testibus de auditu, nihil aliud addentes?

2 ℞ Loqui de testibus ex auditu alieno. Ita *Farinac. q. 69. num.* 147. vt colligitur ex cap. licet ea quadam 37. de testib. vbi destinguit inter testes de auditu, scilicet alieno, & testes de visu, hoc est, auditu proprio, ibi enim loquitur de testibus de visu in probanda consanguinitate,

3 quæ dependet magis ab auditu, quam à visu. Et præterea non meretur proprie nomen testis, ergo non potest accipi in potiori sensu, illud antecedens est *Farinac. cons.* 13. *num.* 10. *& cons.* 40. *num.* 81.

Quæres 2. An testis de auditu proprio probet?

4 ℞ Affirmatiue. Ita omnes *cum Farinac. quæst.* 69. *num* 148. *de Bictis quæst.* 49. *num.* 29. *de Angelis cap.* 14. *num* 25. *de S. Iuliano cap.* 5. *aduert.* 7. Et alij omnes nullo contradicente. Sunt enim duæ species probationis inferentes testimonium luce clarius, probatio scilicet per visum respectu eorum, quæ consistunt in facto aliquo, vt homicidium, furtum, percussio, &c. hæc probantur per scientiam visus proprij. Et probatio per auditum proprium respectu eorum, quæ audiuntur, & non videntur, vt blasphemia, iniuria, pacta, promissiones &c. hæc probantur per proprium auditum. Hi autem duo sensus visus, & auditus sunt principales, per quos facta, & dicta probantur, vnde testes respectu primi appellantur oculares, alij vero auriculares, in his duabus probationibus potissimis omnia consistunt, etiam quæ per alios sensus certificantur, vt sapor probatur per gustum, odor per nares respectu quorum probatio vocatur per visum, licet odor, & sapor per visum non percipiantur, tamen dicuntur probari per visum tanquam per instrumentum nobilius, ad quod reliqui sensus referuntur, immo & probatio per auditum dicitur etiam per visum, vt colligitur ex cap. licet, in præcedenti quæstione citato. Farinac. quæst. 69. num. 151.

5 Præsentia autem necessaria est in vtraque probatione, adeo quod testis debet esse præsens dum videt factum, vel audit verbum prolatum ab alio, non solum præsentia corporali, sed etiam intellectuali, quia non solum debet audire, & videre, sed etiam intelligere, quod ab alio fit, vel dicitur, quod percipere non posset, si esset nimis longe, vt non posset videre, nec audire, itaque ad valorem testimonij requiritur præsentia formalis, & intellectualis. Præterea necesse est, vt depositurus contra aliquem eum cognoscat, ne vnum pro alio offendat, aut defendat, quem non deberet defendere. Et in his omnes conueniunt, vt patebit etiam infra.

Quæres 3. An testes de auditu probent non solum affirmatiue, sed etiam negatiue?

6 ℞ Affirmatiue. e.g. deponunt se fuisse præsentes in loco, & non audiuisse neminem tunc clamantem, iniuriantem, aut blasphemantem, quia si clamasset, &c. cum audiuissent, erant enim in loco eadem hora, qua asseritur dictum, clamor &c. sic enim coarctanda est negatiua, vt probet. *Farinac. quæst.* 69 *num.* 152.

Quæres 4. An testes de auditu probent confessionem, seu iactationem de aliquo delicto?

7 ℞ Probant confessionem, & iactationem delicti, non tamen ipsum delictum iactatum, & confessum. Illud patet, quia est depositio de auditu proprio confessionis. Hoc vero probari cap. 19. num. 83. quia aliud est ipsa iactatio, aliud ipsum delictum commissum, in hoc enim articulo obiectum confessionis est ipsa iactantia, quam audiuit immediate testis, non ipsum delictum, de quo se iactauit, quia non fuit præsens perpetrationi delicti, sed tantum confessioni iactationis. *Farinac. q.* 69. *n.* 154. *&* 155. Catena par. 3. tit. 10. n. 59. vbi quando faciat ad torturam.

Quæres 5. An ex auditu proprio probentur non solum, quæ solo auditu corporali percipiuntur, vt blasphemia, iniuria, obligatio, locatio &c. an etiam alia, quæ aliis sensibus percipiuntur, siue mixtim cum sensu auditus, siue sine illo e.g. an solo auditu possim probare te soluisse debitum, te occidisse, te subscripsisse &c.

℞ Negatiue, quia hæc habent pro obiecto aliquid perceptibile per visum, ergo per hunc tale obiectum probandum est, non enim sufficit deponere, audiui eum asserentem se subscripsisse, occidisse, soluisse, sed debet probare hæc materialia se vidisse, quia probatio per sensum auditus in his habet tantum pro obiecto illam assertionem verbalem, non vero ipsam, quam non vidit, iuxta dicta in præcedenti quæstione, quæ ab hac parum differt, de qua *Farinac. quæst.* 69. *num.* 156. *&* 157. qui num. 159. ait, valere testimonium de auditu proprio in mixtis ex vtroque sensu, licet nihil dicatur de visu, qui tamen concludit n. 161. melius esse in his deponere per vtrumque sensum, ad euitandam exceptionem. 8

Quæres 6. An sint rogandi testes de auditu, vt probet? 9

℞ Negatiue, de communi ea eodem *Farinac. quæst.* 69. *num.* 163. contra paucos, quibus non est credendum contra communem.

Quæres 7. An quicquam probent testes deponentes, se audiuisse vocem, & clamorem alicuius personæ, quam non viderunt, propter interpositionem cortinæ, aut parietis?

℞ Probant, sed non plene, ex quo patiuntur exceptionem personæ non visæ, committere delictum, debent tamen habere notam non solum vocem, sed etiam clamorem eius de recenti, arbitrio ipsius iudicis; vnus autem tantum non sufficit ad torturam, vtique duo in voce, & clamore contestes. 10

Prima pars, quod plane non probent, probatur, quia patiuntur exceptionem criminis non visi, quod esset probandum per actum visus, cum delictum verberationis, & vulnerationis sit visibile in ipso fieri, quare cum probetur solum per auditum clamoris, & lamentationis, non potest probatio dici adæquata, & plena, sed tantum media ad pœnam arbitrariam, cum vox ex clamore, & lamentatione sit causa proxima indicans vulnera, & percussiones. De hac exceptione Farinac. q. 69. n. 168. sic reconcilians opposítas opiniones. Doctorum. 11

Secunda pars, quod vox, & clamor debeant ambo esse nota testibus, patet ex eo, quod nemo deponit pro vel contra personam ignotam, sed tantum notam, ergo necesse est, vt ex voce, & clamore eam agnoscat, dum non potuit videre percutientem, & percussum, præsumitur autem vtrumque notum habere ex vicinitate, familiaritate, & domesticitate cum persona clamante, *ex num.* 170. Et cum diuersa sint vox, & clamor, vtriusque notitiam habere debet, *num.* 172. Notitia autem debet esse de præsenti, quia idem homo iuuenis, & vinis vocem successiuo tempore variat, *ex Aretino in cap cum causam, de testib. num.* 49. In dubio de notitia vocis relinquitur arbitrio iudicis, *ex num.* 170. 12

Tertia pars, quod vnus tantum non probet ad torturam, probatur, quia vnicus nullam debet pati exceptionem, *Farin. num.* 168. Duo autem se inuicem coadiuuant, & sic elidunt exceptionem, vnde sufficiunt ad torturam; quia et vniuntur sunt integri non patientes amplius præfatam exceptionem. 13

Quæres 8. An testes de auditu vocis proferentis delictum seu alium actum perceptibilem solum per sensum auditus probent, ea interposita cortina, seu pariete?

℞ Non probare, nisi habentes notam vocem loquentis videntes illum intrare in eum locum, in quo non sint, nec potuerint esse alij præter loquentes ad inuicem, vnde ea his vnus sufficiet ad torturam. 14

Primum, quod non probent sine illis requisitis, patet ex eo, quia cum non viderint personas, & aliquando vox vnius sit similis voci alterius, sequi potest deceptio, ideo huiusmodi depositio non valet. *Ex allatis à Farinac. quæst.* 69. *num.* 189. 15

Secundum,

Secundum, quod probent cum illis requisitis, videtur constare ex eo, quia perfectam habent notitiam personæ, aliis non extantibus in cubiculo præter eas, quas viderunt ingredi, vel ingressas. ergo huiusmodi qualificata depositio plenè probat. Ita *Addentes ad Abbatem in cap. 2. de consuet. ex Farinac. q. 69. num.* 194. dicente, id sibi non placere, in quantum scilicet ex proposito, & industria testes ponuntur in tali loco, vt ex locutione sibi nota conuincant loquentes super aliquem actum obligationis, seu delicti *ex num.* 183. *tum relatione ad num.* 182. Et licet hic reprobet testes cortinatos, in cons. tamen 50. num. 15. eosdem approbat *tum Alex. lib. 2. cons. 24. num.* 10. *Socino lib. 3. cons. 54. num. 5. Cigas de crim. læsæ maiest. lib. 2. tit. quomodo, & per quos crimin. q.* 20. *num. 7. Menoch. de arbitr. lib. 2. casu* 473. *num.* 19. Et id mihi videtur certum maximè cum prædictis circunstantiis, quia testes hoc modo qualificati nullam patiuntur exceptionem deponentes super re perceptibili solum per sensum auditus ad differentiam prætertiæ quæstionis, quæ loquitur de actu perceptibili etiam per visum, cuius defectu testes plenè non probant, iuxta ibi dicta.

17. Tertium, de vnico teste ad torturam, patet ex mox dictis, quia testis vallatus illis circunstantiis nullam patitur exceptionem, ideo eius dictum probat ad torturam. Et hoc modo si intelligantur relati à *Farinacio quæst. 69. numero* 190. forsan sentiunt repositum eius, quod dicunt, nempè non facere vnum testem indicium ad torturam, si nempè careat dictis requisitis.

18 Quantum pertinet ad illam industriam conuincendi reum debitorem, delinquentem per testes absconditos. Dico, si iudici constet saltem per vnum testem fide dignum, talem industriam non esse illicitam, quia reo non fit iniuria, qui tenetur fateri, alias talis industria est vituperanda, cum per illum modum non seruetur ordo iuris. Vnde Bailaria in cap. 2. de consuet. reprehendit quendam iudicem, vt refert ipse *Farinac. q. 69. num.* 183.

19 Testis de auditu proprio audiens, sed non videns testatorem etiam sibi notum quo ad vocem facientem testamentum, codicillum seu donationem causa mortis, nihil probat, quia l. Si non speciali 9. C. de Testament. petit præsentiam immediatam personæ testatoris visi à testibus audientibus proferre verba institutionis. *Farinac. quæst.* 69. *num.* 185.

Quæres 9. An testes cortinati probent copulam carnalem?

20 ℞. Affirmatiuè, si concurrant adminicula, & fama, non solum ciuiliter ad effectum impediendi matrimonium, ad illud soluendum, &c. sed etiam criminaliter ad puniendum pœna ad minus extraordinaria. Ita omnes *cum Farinac. quæst. 69. num.* 197. *ad* 215. Dico ad pœnam extraordinariam, quia copula cum sit quid perceptibile per visum adæquatè per illam est immediatè probanda, ita quod non sufficit probatio per auditum cum adminiculis in ordine ad pœnam ordinariam, vt docui cap. 10. numero 108. Adminicula autem sunt risus, oscula, iocus, tactus, missio nuntiorum iocalium, habitatio, complexus, & his similia, *de quibus Farinac. quæst. 69. num.* 214. arbitrio iudicis relinquenda quantum probent.

CAPVT XXIX.

De Testibus ex auditu alieno.

DEponens in iudicio ex relatione, & auditu aliorum, non dicitur verè, & propriè testis, sed tantum impropriè, vt Doctores colligunt *ex cap. Licet ex quadam 47. de testibus, ex allegatis à Farinac. quæst. 69. num.* 7. Quia testis debet deponere de his, quæ nouit facta, vel dicta ad suam præsentiam, vt certo sint, quod verè probat coram iudice; testis autem ex auditu alieno ita deponere non potest, dum non erat præsens facto, seu dicto, quod non vidit, nec audiuit, habuit enim pro obiecto sui auditus solam relationem facti, aut dicti antecedenter producti ab auctore, quod non quærit regulariter iudex, sed informationem facti, aut dicti, & non eius relationem, ergo testis de auditu auditus reuera non probat, cum careat præsentia, visione, seu auditione personalibus ad delictum perpetratum. 1

Regula ergo certa datur, quod testis de auditu alieno regulariter non probat in criminalibus. Ita ferè omnes allegati à *Farinacio quæstion. 69. numero secundo de Angelis capite 14. numero vigesimo-septimo de Bictis, quæstion. 49. numero vigesimo-tertio, de Sancte Iuliano cap. 5. Aduers. 7. §. 4. Miranda quæstion.* 17. *num.* 302. *Carena par. 3. tit. 6. numero* 9. Et alij communiter apud istos. 2

Procedit primo, vt nec faciat præsumptionem ad capturam hominis præsertim bonæ famæ, propter hanc exceptionem defectus propriæ scientiæ, secundum quam dicitur non deponere, *ex allegatis à Farinac. num. 9. ad* 12. *Carena num.* 11. Ad quid enim carcerare, quem forsan negantem delictum non potes subiicere torturæ? Nec ergo fiat ei nocumentum & iniustè non carceretur, nisi per dictum vnius omni exceptione maioris. 3

Procedit secundo, vt multo minus faciat indicium ad torturam, quia hæc petit dictum testis omni exceptione maioris, *ex dictis cap. 5. num.* 16. *&* 17. De communi *Farinac. num.* 14. qui num. 16. reprobat opinionem eorum, qui docent, duos sufficere; de qua re infra dicam. Sed accedamus ad quæstiones. 4

Quæres igitur primo, an duo faciant indicium ad torturam?

℞. Duo testes de auditu alieno non probant ad torturam etiam contra assassinum, nisi adiunctis adminiculis, quia fama probata per duos testes non sufficit ad torturam, ergo neque testificatio per auditum alienum, quæ nititur fama narrantium. Ita *Farinac. quæst. 69. num. 16. ad* 19. 5

Quæres 2. An testis de auditu faciat semiplenam probationem?

℞. Negatiuè, quia nunquam tantum probat, quantum vnicus testis de visu, qui facit semiplenam probationem. *Fuluius Paccianus lib. 1. de probat. cap. 9. num.* 46. *Farinac. quæst. 69. num.* 43. 6

Quæres 3. An testis de auditu alieno, qui fuit præsens facto narrato probet?

℞. Nihil probat, cum per hoc non fiat testis de proprio auditu, & propria scientia, sed tantum testificet ex fide aliena; sed fides aliena nihil probat, cum non comparuerit in iudicio, ergo neque testis mutuatam habens fidem ab alio. Ita Bartolus *de testibus capite 9. numero decimo contra Campegium regul. 206. fallent. 11. apud Farinacium quæstion. 69. num.* 26. 7

Quæres 4. quid dicendum, quando non vnus, sed plures testes audierunt vel ab eodem, qui vidit fa- 8

ctum, vel à pluribus, qui idem factum viderunt.

8 ℞. Testes ex auditu alieno, siue plures sint, siue vnus, siue referantur ad idem delictum, siue ad plura nunquam probare semiplene, multo minus plene, sed solum facere præsumptionem. Pro qua re vide *Farinacium quæst. 69. numero 87. & sequentibus de Angelis cap. 14. numero 28. & sequentibus.* Ratio mea est, quia siue plures sint testes, siue vnus, vel plures relatores, vel vnus, quamuis de visu, non plus probent, illi deponentes, quam isti referentes, licet viderint; sed isti referentes nihil probant, cum iudicialiter non deponant, sed simpliciter referant, ergo nec illi quicquam probant deponentes in iudicio, ex scientia, etsi de aliena, testimonium enim ferendum est de visis, iuxta illud Ioannis 3. 11. *Quod*
9 *scimus loquimur, & quod vidimus testam. Cognitionem autem delicti ab alio referente* habens non dicitur illud scire, sed tantum credere, cum scire sit rem per causam cognoscere, testis autem ex auditu alieno non cognoscit rem per suam causam, cum non viderit factum, nec audiuerit dictum prolatum, sed tantum dicitur de re habere fidem, quæ ex auditu gignitur. Pro qua re vide dicta *à Portello 11. Iuramentum num. 6. Dinum ex illo par. 3. tract. 5. resol. 56. fine, & par. 4. tract. 4. resol. 77. & allis de S. Iuliana cap. 5. Aduers. 7. numero.* 5. qui negant, testem dicere se scire ea, quæ ab aliis præcisè audiuit extra narratum. Testamur ergo ea, quæ vidimus, non quæ narrantur nobis ab aliis. *Vide cap. 27. num.* 8.

Quæres 5. An probent in iis, quæ sunt difficilis probationis, & in occultis

10 ℞. Probare, concurrente fama, & aliis adminiculis, si plures sunt testes, & auctor exprimatur in depositione, hæc enim simul coniuncta complent probationem, sed non ad pœnam ordinariam, ad quam requiruntur testes ex propria scientia, qua carent testes ex auditu alieno. Vide Farinac. *quæst.* 69. *num.* 48. *ad* 53.

Quæres 6. Quomodo nominandi sint auctores relatores à quibus testes audierunt, ad hoc vt probent?

11 ℞. Omnes auctores referentes nominare debent suis nominibus, & si dicant nescire, seu non recordati, sunt repellendi, *allegatis sub numero* 75. & 76. Imò etiam non interrogati debent eos nominare proprio eorum nomine, à quibus audierunt, *numero* 78. Auctores autem nominandi debent esse plures referentes, aliter testes audientes non probant, *numero* 79. nihil autem refert, an relatores ab vno, vel à pluribus aliis audiuerint, *numero* 81. Personæ autem relatores debent esse graues, & fide dignæ, non suspectæ, sed omni exceptione maiores, non enim magis credendum est copiæ, quam originali,
12 vnde in cap. Licet ex quadam, testibus de auditu non creditur, quando eorum auctores repelluntur, *numero* 85.

Quæres 7. An testis ex auditu alieno probet contra auctorem iactantem se delictum fecisse?

13 ℞. Nec probare ad torturam, quia non est omni exceptione maior, cum non deponat ex propria scientia visus, seu auditus, aliud enim est deponere de iactantia perpetrati criminis, quam audiuit, & de ea deponit ex propria scientia auditus, de qua non quæritur, aliud est deponere de ipso delicto iactato, de quo testari non potest ex propria scientia, cum non fuerit præsens in eius commissione.

Quæres 8. An testis de auditu alieno probet contra producentem?

14 ℞. Affirmatiuè, *Farinac.* 57. *ad* 60.

Quæres 9. An quando testes de credulitate probant, idem dicendum sit de testibus de auditu alieno?

15 ℞. In eo casu probant, quia ab illis nihil differunt, cum eorum probatio consistat in fide, sicut in testibus de credulitate. *Farinac. quæstion. 69. numero* 62.

Quæres 10. Quid quando agitur de præiudicio nullius?

℞. Tunc probare, quia nulla est causa tunc repellendi testem ex auditu, *ex eodem numero* 61. 16

Quæres 11. Quot, & quales esse debent testes de auditu vt probent iuxta superius dicta?

℞. Debere esse personas graues, & bonæ famæ maiores omni exceptione; & plures, vt id totum colligitur *ex cap. Licet ex quadam 47. de testib.* vbi sermo est in causis ciuilibus, à fortiori in criminalibus, in quibus exactior probatio est necessaria, adeo quod plures testes etiam omni exceptione maiores in criminalibus probare non possunt ad pœnam ordinariam, cum delictum non viderint, aut audierint. 17

Quæres 12. An huiusmodi auditio debeat esse antiqua, an sufficiat, quod sit recens?

℞. Debet præcedere litem motam, ex eodem cap. 47. ibi: *Ante litem motam*, vnde tempus exprimendum est, vt in actis constet, an præcesserit aliter probatio nihil prodest. *Farinac. quæst. 69. num. 96. & 97.* 18

Quæres 13. An sit necessarium, quod in depositionibus expriment, sed id credere, quod exposuerunt coram iudice?

℞. Affirmatiuè, ex eodem cap. 47. ibi: *Et credere ita esse.* Ita omnes *cum* Farinac. *num.* 99. 19

Quæres 14. An probatio per testes ex auditu alieno dicatur fragilis, suspecta, & facile exterminabilis maximè in criminalibus?

℞. Affirmatiuè, *ex Anchar. cons. 194. Cumana cons. 77. cum multis aliis Farinac. quæst. 69. num.* 101. & ideo vis probationis eorum relinquitur arbitrio iudicis, vt ibidem numero sequenti subdit? 20

Testes autem huiusmodi faciunt potius pro causis ciuilibus in probanda consanguinitate, & in antiquis, de quibus ibidem dictus Farinac. *quæst. 69. à num. 103. & sequentibus.* quam pro criminalibus, nihilominus aliqui volunt sufficere ad torturam, vt supra dixi, in casibus difficilis probationis, & occultis, *Felicius allegat. 3. num. 18. par. 1. Giurba. consil. decis. 41. num. 3. apud Carenam par. 3. tit. 6. num. 14.* sed reuera nunquam sufficiunt ad pœnam ordinariam. 21

CAPVT XXX.

De Teste nocturno.

NOx dicitur à nocendo, impedit enim ne oculi suo fungantur officio videndi, ad quod nati sunt, & naturaliter operantur non impediti. Est autem nox ex Cicerone 2. de natura deorum ipsa vmbra terræ soli officiens, quæ noctem facit, est ergo priuatio lucis, sicut dies habens lucem. Sed accedamus ad quæstiones. 1

Quæres 1. Quid sit testis nocturnus?

℞. Testis nocturnus est ille, qui in iudicio deponit id quod vidit, vel audiuit de nocte gestum. De qua re *Farinac. quæst. 62. à num. 33. Carena par. 3. tit. 6. num. 19. de Bello quæst. 81. num.* 14. 2

Quæres 2. An testis nocturnus admittatur ad probandum?

℞. Non solum testis habilis, sed etiam inhabilis admittitur in probandis gestis nocturnis, nam cum perpetrata eo tempore sint difficilioris probationis omnes sunt admittendi, de idoneis non est difficultas, sicut de inhabilibus, qui tamen admittuntur cum sua inhabilitate, & aliquanto plus probant, quã si admitterentur pro factis diurnis; solũ autem admittuntur quod integri non fuerunt, nec poterant esse præsentes. Ita Botius *de indic. n. 170. & seq. Rolandus lib. 3. cons. 3.*

num,

numero 47. *Farinac. quæst.* 62. *numero* 34. *ad* 37.

Quæres 3. vt probent, quid requiritur.

℞. Requiritur, quod in ipsa hora actus gesti luna luceat, vel aliud lumen artificiale sit in loco, vbi perpetratur delictum, & personæ quæ possint testificari sint præsentes, & vicinæ loco delicti, & videant, aut audiant delictum fieri.

5 Primum de luna lucente patet ex eo, quod non sine illa ita redditur obscura, vt vnus alterum videre non possit, licet simul sint, ideo nocte in tenebris existente testis de visu deponere non potest, & sic nulla resultat probatio. *Farinac quæst.* 62. *num.* 39. vbi quod habentur suspecti de falso testes deponentes de facto nocturno luna non illuminante. *Carena par.* 3. *tit.* 6. *num.* 23. de eo, qui iniustè tortus fuit, quia dixerat non agnouisse aliquem ex armatis transeuntibus, dum excubias agebat super campanili.

6 Secundum de vicinitate probatur, quia luna habet radios lugubres, sicut & lumen artificiale, sol vero habet illos claros, ideo testes debent esse vicini, vbi delictum perpetratur, vt bene videre possint, aliter distantes nihil probant. Ita *Plotus de in litem iurand.* §. 51. *numero* 17. *ex Farinac. q.* 62. *numero* 42.

Quæres 4. Quale lumen artificiale requiratur,
7 quando luna non lucet?

℞. Requiritur lumen ignis, seu candelæ, aut olei, vel etiam splendoris ex puluere tormentaria, quod sit vicinum personis, & in loco, vbi delictum perpetratur. De lumine artificiali, allegati *à Farinac. quæst.* 62. *numero* 37. 39. & 41. *Carena par.* 3. *tit.* 6. *numero* 25. *vbi num.* 26. loquitur de lumine sclopi exonerati in casu acto Cremonæ, vbi dictum testis asserentis se cognouisse *al fuoco della poluere del focone*, admittitur.

Quæres 5. An debeant reddere rationem sui dicti,
8 etiam non interrogati?

℞. Affirmatiue, dicendo depositionem esse veram, quia ad lumen lunæ, si lucebat, aliter ad lumen artificiale se cognouisse N. & quia etiam erat illi vicinus. Ita *Alex. libro* 6. *cons.* 4. *numero* 7. *fine*, *Cremu de testibus numero* 352. §. *Nisi dicerent*, *Farinac. quæst.* 62. *numero* 37. aliter nihil probant *ex eisdem numero* 38. Carena *par.* 3. *tit.* 6. *numero* 20. qui numero 27. ait probare, licet rationem non reddat, quando alij testes eam exposuerunt, *cum Giurba cons. crim.* 37. *num.* 41. *Ioseph. teste decis. Aragon.* 107. *numero* 1. & 4.

Quæres 6. An testes nocturni probent ad de-
9 fensam?

℞. Affirmatiuè, si enim probant ad offensam, à fortiori ad defensam, in qua minor probatio sufficit, & in hoc casu non est necessarium reddere rationem. Ita *Ripa de nocturno temp. cap.* 57. *ex eo Carena par.* 3. *tit.* 6. *numero* 20.

Quæres 7. An vnus testis idoneus, sed nocturnus sufficiat ad torturam, & plures ad puniendum?

10 ℞. Non probat, nisi adminiculatus, quia non est omni exceptione maior dum est nocturnus. *Bossius de indic. num.* 173. *Roland. libro* 3. *cons.* 3. *numero* 41. *Farinac. quæst.* 62. *numero* 40. & 46. *relatiuè ad* 48. Plures vero, quam duo crederem probare ad pœnam extraordinariam, quia deponunt de propria scientia in tali gradu probationis, quæ videtur sufficere ad puniendum.

Quæres 8. quid dicendum de testibus de auditu proprio circa delictum auditum perpetrari de nocte, vti sunt blasphemiæ, iniuriæ, &c.

11 ℞. Eodem modo criminalizandum est, quo responsum fuit in præcedentibus, nam non minus intelligibilis est sonus, & vox in nocte, quam in die, imò nonnulli asserunt vocem in nocte intensius, & clarius audiri, quam de die propter silentium, quod magis de nocte seruatur, & quia aër nocturnus crassior est, & intensior, quo melius sonus auditur, intenditur enim magis in nocte, quam in die, cum sit frigidior aër de nocte, quam de die. Quare testis nocturnus ex voce, tantum probat, quantum alter de visu tantum, dum conditio vocis non est inferior in nocte, quam in die.

Quæres 9. An habens tenuem visionem probet sicut ille, qui perspicuam, & acutam habet?

℞. Nulli dubium est, tenuem habentem visionem 12
ob læsionem organi nihil probare, quia præter exceptionem noctis, habet quoque defectum debilitatis visionis. Qui vero habet visum acutum auget suam fidem in depositione nocturni facti, quia cessat exceptio obscuritatis saltem ex parte, si non in totum. *Farinac. quæst.* 62. *numero* 44.

Quæres 10. An testis nocturnus habendus sit pro falso, quando non lucebat luna, vt asseruit?

℞. Affirmatiuè, quia sicut deprehenditur falsus 13
in reddenda ratione, ita & in depositione gesti talis præsumendus est. Ita hunc posse puniri *Ripa de nocturno tempor. capite* 57. *numero* 47. §. *Quare*, *Carenam part.* 3. *tit.* 6. *numero* 28. *Farinac. quæst.* 62. *numero* 39.

Quæres 11. An de nocte testes possint examinari?

℞. Affirmatiuè, quia nox & si obscuret oculos, 14
non tamen intellectum. Ita *Farinac. quæstione* 62. *numero* 49.

Quæras 12. An autumnali tempore nox sit lucida, & minus tenebrosa, quam aliis temporibus, non lucente luna?

℞. Affirmat id Plotus *de in litem iur.* §. 1. *num.* 17. 15
apud Farinac. quæst. 62. *num.* 43. propter aëris tenuitatem, & propter illius reflexionem. Non placet, quia experientia est in contrarium, nam incipit ea tempestate aër frigescere, vnde constipatur, non attenuatur, sicut fit in æstate propter calorem rarefacientem, est enim notum apud omnes sapientes, quod calor aërem rarefacit, & attenuat, frigus vero condensat, & constipat. Præterea ex tenuitate aër non apparet lucidus, sed potius ex quadam condensitate diaphana, & transparente, propter reflexionem luminis lunæ ex aduerso, existente semper aëre puro, non mixto nubibus.

Quæres 13. An delictum commissum in crepusculo dicatur perpetratum de die, ac de nocte? ratio dubitandi est, quia crepusculum est lux dubia, quæ videtur post occasum solis, & ante ortum eiusdem, & illa lux quæ apparet ante ortum solis scilicet in aurora appellatur crepusculum matutinum, quæ vero videtur in sero potius post occasum solis, quam ante vocatur crepusculum vespertinum, dubitatur ergo an illa lux dicatur diei, an noctis.

℞. Dicendum esse noctis, potius quam diei, ex quo illud tempus, quo apparet sol super terram, dum à nobis videtur, sit propriè dies, ergo illud tempus, quo non videtur sol, appellabitur, noctis initium, ac finis crepusculum matutinum, & vespertinum, esto lux illa appareat quasi similis luminis diei, propter propinquitatem solis ad nostrum Orizontem. Ita *Bursatus vol.* 3. *cons.* 219. *n.* 2. *Bertazol. cons. crimin.* 378. *cum illis Scararela lib.* 3. *de Visitat. Carcerat. cap.* 12. *n.* 14. contra alios, qui asserunt illud tempus clarum ob proximum aduentum solis super terram, vel à terra recessum eiusdem esse diei extremam partem, quos refert idem, & Gratian. cap. 972. num. 15. & sequentibus. In rigore sermonis, & secundum proprietatem verborum dies dicitur, cum sol incipit apparere vel abscondere se definit esse, & transit in noctem. Quare in ordine ad testes crepuscula se tenent ex parte noctis dum lux illa non est ita clara, vt exigit ipsius delicti, & delinquentis notitia. Si vero agatur de ipso delicto in

ordine ad pœnxm inflictam delinquenti de nocte, eo in cxſu crepuſcula cenſeri poſſunt extrema dici, non noctis ad euitandam pœnam. Bertazol. conſ. 378. quem citat dictus Scanatola num. 16.

Quonixm teſtes nocturni hanc patiuntur exceptionem obſcuritates nocturnæ, & quandoque ob nubilum tempus, vel abſentiam lunæ deſit illius lumen, neceſſarium eſt referre tempus nocturnum, quo luna lucet, & cognoſcitur ex ſequentibus ætatibus ipſius.

18 Notum eſt apud omnes, qood luna eſt 29. dierum, & xliquid amplius, vt autem ſcias, quot horis de nocte luna luceat, eius lunationem vſque ad decimam quintam incluſiuè multiplicatur per quatoor, & quot vicibus in numero multiplicato intrat numerus quinarius, tot horis lucet luna de nocte, & vnitates, quæ ſuperſunt indicant minuta boræ, nempè vnaquæque vnitas ſupra quinarium continet duodecim minuta, & ſic regulatur lumen lunæ incipiendo nomerare horas ab occaſu ſolis veſpertinas ab *Aue Maria*, vt dicitur vſque ad decimxm quintam diem lunæ incluſiuè. Exemplum ſit in ſecunda die lunæ, nam in prima die non licet nobis, quix in ea non poteſt intrare quinxrius, ſicut intrat in ſecundx die, quæ quater ducta, facit octo vnitates, in quibus ſemel intrat quinarius, & remanent trea vnitas, xc perinde lunx ſecunda lucebit poſt occaſum ſolis per vnam horam, & 36. minuta Et ſic de ſingulis eius diebus diſſere, & habebis horxs luminis nocturni lonæ.

Secunda igitur ab occaſu ſolis lucet luna vna horx, & triginta ſex minutis.

Tertia die lucet duabus boris, & viginti quatuor minutis.

Quartx die lucet tribus horis, & duodecim minutis.

Quinta die lucet quxtuor boris.

Seata die lucet quinque boris, & quadraginta octo minutis,

Septima die lucet item quinque boris, & triginta ſex minutis.

Octxua die lucet ſex boris, & viginti quatuor minutis.

Nona die lucet ſeptem borix, & duodecim minutis.

Decimx die lucet octo horis.

Vndecima die lucet pariter octo horis, & quadraginta octo minutis.

Duodecima die lucet nouem horis, & triginta ſex minotis.

Decima-tertix die lucet decem horis, & trigintx quatuor minutis.

Decima-qoarta die lucet vndecim horis, & duodecim minutis.

Decima-quintx pleniluniũ lucet per totam noctem.

19 A luna vero decima-ſexta incluſiuè vſque ad finem ſeqoens regula ſeruatur xd cognoſcendum quot horas de nocte luceat, non enim multiplicantur quxter omnes lunæ dies, ſed ſolum vnitates, quæ ſuperſunt xb illo die excluſiuè vſque xd triginta incluſiuè, vt factnm eſt ſupra. Fit exemplum in die decima-ſeata à qoa die excluſa vſque ad triginta incluſiuè requiruntur quatuordecim vnitates, quæ quater ductæ faciunt quinquaginta-ſex in quo intrat quinxrius vndecim vicibus com vnx vnitate, & ſic ea nocte decima-ſexta luna lucet vndecim horas cum duodecim minutis incipiendo numerare ab ortu ſolis retrocedendo per horas matutinas, ſicut per horas veſpertinas progrediebatur in creſcentibus lunationibus.

Decima ergo ſexta die lunx lucet vndecim horas matutinas, cum duodecim minutis.

Decima-ſeptima die locet decem horas, cum viginti quatuor minutis.

Decima-octaua die lucet nouem boras, cum triginta ſex minutis.

Decima-nona die lucet horas octo cum quadraginta octo minutis.

Vigeſima die lucet octo boras tantum.

Vigeſima-primx die lucet ſeptem horas, cum duodecim minutis.

Vigeſima-ſecunda die lucet ſex boras, cum viginti quatuor minutis.

Vigeſima-tertia die lucet quinque boras, cum ſiginta ſex minutis.

Vigeſima-quarta die lucet quatuor boras, cum quadraginta octo minutis.

Vigeſima-quinta die lucet quxtuor tantum horas.

Vigeſima-ſextx die lucet tres borxs, cum duodecim minotis.

Vigeſima-ſeptima die lucet duas boras, cum viginti quatuor minutis.

Vigeſima-octaua lucet vnam horxm, cum triginta ſex minotis.

Vigeſima-nona vnica indiget vnitxte, in qua licet quater ducta non tamen intrat quinarius, ideo non lucet nobis de nocte.

Quoniam autẽ horæ lucentis lunæ de nocte à luna decimx-ſeata vt dictum fuit, & deinceps vſque ad finem eius numerantor matutinæ ab orto ſolis retroce- 20
dendo verſus horas veſpertinas, neceſſarium eſt ſciſe, quot boris conſtet nox, cuius regula traditur in ſequentibus, relictis minutis.

A primo Ianuarij vſque ad decimum-ſeptimum eiuſdem menſis, dies eſt nouem horarum, nox vero quindecim.

A die decima-octaua eiuſdem Ianuarij vſque xd nouem Februarij, dies eſt decem borarum, nox vero quatuordecim.

A decimo Febroarij vſque ad primum Martij, dies eſt horarum vndecim, nox vero tredecim.

A ſecundo Martij vſque xd decimum-octxuum eiuſdem menſis, dies eſt horarum duodecim, nox pxriter duodecim.

A decimo-nono Martij vſque ad ſeptimum Aprilis, dies eſt horarum tredecim, nox vero vndecim.

Ab octauo Aprilis vſque ad vigeſimum-octauom eiuſdem, dies eſt horarum quxtuordecim, nox vero decem.

A vigeſimo-nono Aprilis vſque ad vigeſimum-ſecundum Maij, dies eſt horarum quindecim, nox vero nouem.

A vigeſimo tertio Maij vſque xd decimum-nonum Iulij, dies eſt horarum ſexdecim, nox vero octo borarum.

A vigeſimo Iulij vſque ad decimum-quxrtum Aug. dies eſt qoindecim horarum, nox vero nouem.

A decimo-quinto Auguſti vſque ad tertium Septembris, dies eſt borxrum quatuordecim, nox vero decem.

A quxrto Septembris vſque ad vigeſimum-primum eiuſdem, dies eſt borarum tredecim, nox vero vndecim.

A vigeſimo-ſecundo Septembrix vſque ad vndecimum Octobris, dies eſt hurarum duodecim, nox pariter duodecim.

A duodecimo Octobris vſque ad finem eiuſdem menſis, dies eſt borarum vndecim, nox vero tredecim.

A primo Nouembris vſque xd ſeptimum Decembris, dies eſt borxrum decem, nox vero horarum quatuordecim.

Ab octauo Decembris vſque xd finem, dies eſt horarum nouem, nox vero quidecim horxtum.

CAPVT

CAPVT XXXI.

De Testibus negatiuis.

1 NEgatio & si nihil sit, tamen est malignantis naturæ, ita quod destruit quicquid exprimit, & ideo negatio plus tollit, quam ponat affirmatio; *glos.*
2 *11. ff. suspensis, cap. cum dilectus 8. de consuetud.* consequenter ipsa plus negat, quam affirmatio affirmet, *Tusch. lit. N. concl. 16. Mar. Ant. lib. 1. resol. 20. num. 7. Surdus decis. 243. num. 6. Couar. lib. 1. capito 13. num. 7.* Ideo affirmatio est minus efficax quam
3 sit negatio, *Sanchez lib. 3. disp. 32. num. 1. §. si vero.* Negatio, & affirmatio reducuntur ad vnum commune genus, dum versantur circa idem obie-
4 ctum, *Lazar. quæst. 2. de blasphem. num. 2.* Negatio præterea reddit rem dubiam, *ex allegatis à Barbosa Axiom. 158 num. 2.* vbi limitatur *primo*, quando præsumptio esset contra negantem, *Surd. cons. 188. num. 16.* Item *secundo* vbi negatur id, in quo nulla potest cadere probabilis inficiatio, & in negatione facti extra iudicium, *Felin. in cap. cum. 34. de off. deleg. num. 8.* Item *Tertio*, quando in contrarium adest est euidens probatio, *Surd. cons. 4. num. 31. & cons. 378. num. 12.* Quando *Quarto* probationes sunt in promptu, *idem Surd. cons. 188. num. 16.* Denique *Quinto* in notoriis negatio rem non reddit dubiam, *ex eodem Surdo cons. 188. num. 16. cons. 378. numero 20. apud eundem Barbosam.* His præmissis.

Quæres 1. Quid, & quotuplex sit depositio negatiua in teste appellato negatiuo?

5 R. Depositio negatiua est illa, qua testis interrogatus super delicto aliquo commisso à querelato respondet negatiuè, scilicet, querelatum tale delictum non commisisse. Et quoniam non sufficit negare simpliciter delictum, sed reddenda est aliqua ratio, quæ conuincat iudicem ad credendum testi negatiuo.
6 Vnde hinc oritur duplex negatiua, vna dicitur Vaga, pura, & simplex, quæ non cadit sub sensum, quia non coarctatur loco, nec tempore aut alia qualitate. Altera vero appellatur coarctata; & restricta loco, & tempore determinatis, & quidem breui tempore, puta ad tempus vnius mensis, *inquit Carena par. 3. tit. 6. num. 63.*

Quæres 2. An negatiua vaga aliquid probet?

7 ℞. Negatiuè, quia negantis factum per rerum naturam nulla est probatio, expressè *cap. 2. 6. quæst. 5. cap. Bona memoria 23. de elect. capito quoniam 11. de probat. cap. super hoc 5. de renuntiatione. Farinac. quæst. 65. numero 221. Barbosa ad dictum capite 23. de elect. numero 14.* Nullus contradicit. Impossibile ergo est probare negatiuam puram, simplicem, indeterminatam, & vagam, quia omnis probatio vel est ocularis, vel auricularis, ac proinde per sensum; sed qui simpliciter negat, nihil per sensum demonstrare potest, ergo nec probare.

Quæres 3. An testis deponens animosè super delictum per negatiuam puram, sit falsarius, an saltem suspectus de falso?

8 ℞. Est suspectus de falso, hoc enim ipso, quod est improbabilis ex natura rei præsumitur falsum dicere. Ita plerisque *apud Farinac. quæst. 65. numero 207.* contra alios asserentes esse puniendum pœna falsi, in quam incurrit per talem depositionem, quos refert, *numero 205. & 206.* alios refert *Barbosa ad dictum cap. 23. de electión. numero 14.* quod tantum est suspectus, ideo non est puniendus, cum non constet de falsitate, *ex eodem Farinac. numero 207.*

Quæres 4. An negatiua coarctata loco, tempore, vel alia qualitate probet? Præmitto *ex capite Bona 23. de electión. c.1.* quod ibi dicitur: *Negantis factum per rerum naturam nulla est directa probatio*, pro cuius intelligentia glos. ibidem 11. per 9
rerum naturam, id est, secundum cursum causarum negatiua directè probari non potest, triplicem assignare negatiuam. Facti. Iuris, & Qualitatis. Negatiua facti duplex, vna dicitur pura, & simplex carens loco, tempore, & qualitate, de qua dixi præcedenti quæst. secunda quod nullo modo potest probari neque directè, neque indirectè. Altera facti coarctata scilicet tempore, loco, seu qualitate, & hæc probabilis est. Iuris negatiua, vt si quis neget emancipationem rectè factam, benè probatur, quod sit male facta. Negatiua qualitatis, qua ab aliquo remouetur idoneitas, probanda est à negante illam, quia quilibet præsumitur bonus, aptus, & idoneus. Ita glos. ibidem.

℞. Negatiua coarctata loco, & tempore probat, 10
quia fundatur in aliquo positiuo, ex quo sequitur probatio, & cum debeat, vt probet, esse restricta ad locum, & tempus, debet testis remouere sensum ab actu, id est, asserendo tali die, hora, & loco, de quibus in querela Paulum non percussisse N. seu non blasphemasse, quia si hæc perpetrasset, ego vidissem, seu audiuissem, quia cum eo eram eadem hora, & in eodem loco, & nihil audiui, nec vidi de his, de quibus fuit querelatus, & id est remouere actum à sensu, dicendo, quod non potest esse, quod percusserit, vel blasphemauerit, quia ipsum audiuissem, seu vidissem. Ita omnes *cum A ex. lib. 4. cons. 43. numero 5. Decius cons. 94. numero 5. Mantica decis. 350. numero 7. Rota apud Farinac. par. 1. Recent. decis. 573. numero 2. quos cum alijs citat. Barbosa ad caput tertium, loco 5. de probat. numero 4. Idem Farinac. quæst. 65. numero 222. Carena par. 3. tit. 6. numero 65. de Angelis capito 21. numero 44.* Qui ergo vult probare negatiuam debet eam coarctare demonstrando per testes idoneos, quod tali hora, & loco in quibus fuit commissum delictum, querelatus non erat ibi, sed in loco ita distanti, vt nullo modo potuisset ibidem reperiri eadem hora, quo fuit perpetratum delictum. Vel quod erat ibi, vbi fiebat rixa, & talia querelatus non fuit ibi à se visus, cum steterit toto tempore rixæ. Item querelatus fuit de blasphemia in tali ludo facto tali loco, & tempore, testis probat se ibidem fuisse toto tempore ludi, & non audiuit eum blasphemare, & non potest esse, quod blasphemauerit, quia sine dubio eum audiuisset. Item Fratres per negatiuam probant non consensisse in alienationem, de qua in instrumento, quia quoties de ea fuit tractatum, semper recusarunt eam, coarctatur enim per illud *quoties & semper*, vt explicant Doctores in cap. tertio, loco 5. de probat. vbi id deciditur.

Quæres 5. Quomodo tempus coarctatur? in eo enim consistit formalitas negatiuè, vt probet?

℞. Tempus in sua limitatione debet proportio- 11
nari, & adæquari delicto perpetrato, inter delicta autem aliqua momento temporis fiunt, vt iniuriæ, blasphemiæ, explosiones sclopi, &c. alia tractum temporis postulant, vt rixæ, & digladiationis, &c. Vt igitur testis probet momentanea debet asserere se fuisse præsens, & non audiuisse querelatum obloquentem, & si blasphemasset non potuisset eum non audire, dum cum eo permansit eo tempore toto, quo ludebat, vel cum alio rixabatur. Ita ergo coarctatur tempus relatiuè ad delictum, quod dicitur perpetratum tali tempore. Vnde reprobatur testis tanquam de falso suspectus deponente super negatiua coarctata ad vnum annum, seu mensem, vnde nec vllo modo probat, *Fulnius Paccianus libro 1. de probationibus capito 36. numero 16. 17. & 18. ex illo Farinacius quæstion. 65. numero 227.* dicens

radicens coarctationem debere stringi, non dilatari in tempore, sufficit enim quod correspondeat perpetrationi delicti attentis suis circunstantiis, Exempli gratia, querelatus, quod blasphemauit in ludo, si tota die in ludendo se occupauit, testis volens probare negatiuam in eius fauorem, debet deponere se toto illo die interfuisse ludo, quod si blasphemasset, non potuisset non audiuisse illum, & quia non audiuit, probat illum non blasphemasse.

Quæres 6. An probans per negatiuam debeat reddere rationem sui dicti?

13 ℞. Affirmatiuè etiam non interrogatus. De communi *Farinac. q. 65. num.* 230. Ratio est, quia aliter negatiua esset pura, & simplex asserendo, Exempli gratia, Petrum non blasphemasse, non adulterasse, &c. debet enim remouere actum à sensu, hoc est, dicendo, fui præsens, & non audiui eum blasphemare, nec poter t blasphemare, quin eum audiuissem. Non adulterauit, quia tali die erat infirmus grauiter in domo sua, à qua non exiuit, vel caret virili membro. Hæ ergo rationes sunt intrinsecæ probationi negatiuæ, quæ sine illis subsistere non potest.

Quæres 7. Malefica querelatur, quod infecerit puerum, qui tali die cœpit ægrotare, nunquid ea se tueri poterit probando per testes idoneos, quod abfuerit ab eo loco non solum tempore ægrotationis pueri, sed etiam ante, & post?

14 ℞. Negatiuè, quia malefica ope dæmonis operari potest in loco etiam valde distanti, sine propria præsentia, ergo probata absentia à loco delicti nullo modo prodest præterquam quod dæmon in momento temporis potest maleficam transportare ad locum maleficij, ita quod non apparet recessisse à loco priori. Ita Cantera *de reo q.* 1 2. *num.* 2. *vers. Et ibi tractam, apud Carenam part.* 3. *tit.* 6. *num.* 66.

Quæres 8. An negatiua illata ex affirmatiua probetur?

15 ℞. Affirmatiuè, quia in affirmatiua necessitate coniunctionis includitur, exempli gratia, si probes, Petrum esse mortuum, probabis negatiuam, eum non esse viuum; Item Petrum fuisse Romæ tota hebdomoda sancta, ergo non erat Patmæ. Item probatur Petrus occisus à Paulo tantum, quia vnicum habebat vulnus in pectore, ergo non fuit occisus simul ab alio imputato. Vide *Farinac. q.* 65. *num.* 17. *&* 18. *Barb. ad cap. Bona memoria* 23. *de elect. num.* 16. *vbi glos.* 11. *Per rerum naturam*, probat, quia negatiua includit in se simplicem affirmatiuam.

Quæres 9. quid faciendum à iudice, quando duo testes idonei affirmant delictum perpetratum à Paulo, quod alij duo æquè idonei negant, probantes tale delictum non fuisse perpetratum à querelato? Casum proponit Carena ex Bouadilla par. 3. tit. 6. n. 67.

16 ℞. Debet magis credere testibus negatiuis, quam affirmatiuis, quia per iustam, & probatam coarctationem ostendunt reum innocentem, quod non faciunt affirmatiui, qui deponunt vidisse delinquentem in actu delicti, isti enim non probant directè & formaliter præsentiam mutuam suam, & delinquentis, sed supponunt in sua assertione; dum deponunt Paulum, exempli gratia, blasphemasse, quia suis auribus senserunt eum blasphemasse; plus vero dicunt negatiui, dum probantes exprimunt suam præsentiam, qua stante, si blasphemass. t, certè non poterant non audisse illum. Pariter in casu homicidij affirmatini simpliciter probant illud, quia viderunt malefactorem percutientem occisum. negatini vero plus probant, dum ostendunt iudici querelatum non interfecisse, quia tunc temporis longè distabat à loco, vbi perpetratum fuit homicidium, in quo testes negatiui probant ibi se fuisse. Vide q. 1. seq. cap. Vbi determinatur, esse magis credendum testibus negatiuis coarctatis, quam affirmatiuis.

CAPVT XXXII.

De Comparatiua crudelitate Testium.

COmparatio inter testes hinc inde oritur ex contrarietate ipsorum in eadem causa, dum aliqui probant fauore actoris contra reum, alij pro reo contra actorem, & cum non possint concordari ad inuicem ob patentem inter eos contrarietatem, iudicis partes erunt videre quibusnam sit magis credendum. Et quoniam in præcedenti capite actum est de testibus negatiuis, ab illis concipiendo. 1

Quæro primo an sit credendum magis testibus affirmatiuis, quam negatiuis?

℞. Magis credendum esse testibus affirmatiuis, quā negatiuis vagis, & puris, nihil probantibus, *l. Diem proferre* §. *Si plures ff. de arbitr. Farinac. q.* 65. *num.* 200. *Pacianus lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 1 2. *Sperell. decis.* 178. *num.* 20. Melius enim aliquid noscitur affirmando, quam negando, *ibidem Sperell. num.* 22. & hoc procedit, licet laici sint affirmantes, & clerici negantes, *Farinac. num.* 203. Vnde magis creditur duobus affirmantibus, quam mille negantibus, *ex Farinat. num.* 201. *&* *Sperello num.* 21. 2

Magis verò credendum est negatiuis coarctatis, iuxta dicta præcedenti capite, quam affirmantibus *Primo*, ad d. sensum, ex eodem Farinac. q. 65. num. 536. & 204. & 234. *Secundo*, quando testes sunt negatiui ex affirmatiua includente negatiuam, iuxta dicta cap. præcedenti q. 8. Farinac. num. 215. *Tertio*, deponentibus de facto proprio, etiam quod deponant de negatiua vaga, num. 239. *Quarto* creditur negatiuis peritis, quam non peritis affirmantibus, num. 240. *Quinto* creditur magis duobus negantibus, quam vni affirmanti, num. 241. *Sexto*, creditur negatiuis verisimiliora deponentibus, *num.* 139. *&* 242. *Sperellus decis.* 178. *num.* 26.

Quæres 2. An credendum sit magis pluribus, quam paucioribus?

℞. Credendum est magis pluribus, quam paucioribus, ex cap. Licet causam 9. de probat ibi: *Per testes numero plures, quibus potius lux veritatis assistit.* Ibi Barb. num. 25. alios referens *cum Farinac. q.* 65. *num.* 107. 3

Fallit primo, nam magis credendū est paucioribus, dignioribus n. 120. *Secundo*, paucioribus verisimiliora deponētibus, n. 130 *Tertio*, paucioribus melius informatis, n. 165. *Quarto*, paucioribus deponentibus in specie, quam pluribus deponentibus in genere, n. 170. *Quinto*, deponentibus pro eo contra plures, deponentibus contra eundem, num. 157. *Sexto*, deponentibus super affirmatiua, n. 201. De quibus iterum infra. 4

Quæres 3. An magis credendum sit dignioribus, quam minus dignis?

℞. Affirmatiuè, *ex cap. in nostra, de testib. Farinac. q.* 65. *num.* 124. ex quo sequitur resolutio in sequentibus. *Barbosa ad cap. in nostra* 32 *de testib.* 5

Quæres 4. An magis credendum sit nobilioribus, quam non nobilioribus?

℞. Affirmatiuè. *Tiraquel. de nobilit. cap.* 20. *num.* 35. *Gabriel. de testib. lib.* 1. *concl.* 4. *num.* 34 *Farinac. q.* 65. *num.* 115. 6

Quæres 5. An credendum sit magis diuitibus, quam pauperibus?

℞. Affirmatiuè. *Mesinger. obseruat.* 38. *centur.* 4. *Farinac. q.* 65. *num.* 117. Vide dicta de Paupere cap. 11. num. 31. ad 17. 7

Quæres 6. An credatur magis testi Doctori, quam non Doctori?

℞. Affirmatiuè. *Natta lib.* 3. *consf.* 537. *fine, cum alijs Farinac. num.* 319. 8

Quæres

Quæres 7. An credendum sit dignioribus licet paucioribus?

9 ℞. Affirmatiuè. Multis allegatis *Farinac. q. 65. nu.* 110. Nisi magnus excessus esset ex parte minus dignorum, scilicet vltra duplum, *n.* 125. Testibus minus dignis credendum ad fauorem rei, & quando similiora deponunt, *ex n.* 126.

Quæres 8. An credendum sit magis deponentibus verisimiliora quam inuerisimilia?

10 ℞. Affirmatiuè. *l. ob carmen. §. si testes, de testib. cap. licet causam de probat. Bertaz. lib. 2. conf.* 173. *numer.* 4. *Cursius iun. conf.* 178. *numer.* 3. *Farinac. numer.* 128.

Quæres 9. An magis credendum sit testibus adminiculatis, quam non adminiculatis?

11 ℞. Affirmatiuè, ex l. ob carmen ff. de testib. ibi: *Confirmabitque iudex motum animi sui ex argumentis.* Roland. *lib. 1. conf. 24. numer. 56. cum aliis* Farinac. *num.* 129.

Quæres 10. An deponentibus verisimiliora magis sit credendum licet minores sint numero?

12 ℞. Affirmatiuè ex l. ob carmen ff. de testib. illis verbis: *Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem & testimonia, quibus potius lux veritatis assistit.* Farinac. num. 130. si verisimilitudo sit proxima rei, de qua agitur, *num.* 132. procedit licet pauciores sint minus digni, *num.* 133. licet deponant pro actore, & contrarij pro reo, *n.* 138. quamuis deponant super negatiua coarctata, *nu.* 139. maxime concurrente aliqua iuris præsumptione, *num.* 140. debent autem esse habiles, aliter non sunt idonei, vt eis magis credatur, *n.* 143.

Quæres 11. An magis credendum sit deponentibus conformiter ad ius commune, quam aliis ita non deponentibus?

13 ℞. Affirmatiuè, quia quod est magis conforme iuri cõmuni magis veritati assimilatur. *Orat de Butrio in cap. licet causam, de probat. n* 46. *Abbas n.* 9. *Imola n.* 13. *Decius n.* 91. *Farina. q. 65. n.* 150.

Quæres 12. An magis credendum sit testib. deponentibus de bona fama, quam de mala?

14 ℞. Affirmatiuè, quia magis concordant cum iure communi. *Farinac. q. 47. num.* 182. *qui num.* 192. ait, quod bona fama in genere probata non tollit specialia indicia ad torturam sufficientia, quia aliter nulli fere rei torquerentur, sed euaderent impuniti, nullus enim est homo tam scelestus, qui pro se non habeat amicos, qui illum commendent pro viro bono, immo sæpe homines meliores habent fautores, quam viri probi. Vide ibi Farinac. rem fuse tractantem.

Quæres 13. An magis credendum sit testibus deponentibus pro reo, quam ad fauorem actoris?

15 ℞. Affirmatiuè, modo deponant verisimiliora pro non delicto, quam pro delicto, siue affirment, siue negent cum coarctatione. *Roland. lib. 4. conf. 57. num.* 48. *& 49.* vbi quod magis creditur homicidium casu factum, quam dolo, *cum aliis Farinac. q. 65. à num.* 152. *ad* 164.

Quæres 14. An sint magis credendum testib. informatis, quam non informatis?

16 ℞. Affirmatiuè, quia habet meliorem, & certiorem cognitionem quam alter, qui causæ cognitionem plenam non habet, sed ex parte tantum. Farinac. n. 165.

Quæres 15. An magis credendum sit vicinis, & coniunctis, quam longinquis, & disiunctis?

17 ℞. Affirmatiuè, quia sunt magis informati. Ita *Felin. in c. in nostra de testib. n. 12. Corneus lib. 1. conf. 245. n. 19. Farinac. n.* 166.

Quæres 16. An credendum sit magis deponentibus in specie, quam in genere?

18 ℞. Affirmatiuè, quia depositio specifica est clara, generica vero confusa, & generi per speciem derogatur. *Farinac. q. 65. n.* 170.

Quæres 17. An magis credendum sit deponentibus vniuersaliter, quam indeterminatè?

℞. Affirmatiuè, quia illa est depositio distincta, hæc incerta *Farinac. q. 65. n.* 171. 19

Quæres 18. An magis sit credendum deponentibus cum redditione causæ, quam sine ea?

℞. Affirmatiuè, quia magis mouet ratio ad credendum, quam simplex depositio, & quo efficacior est, eo magis augetur fides, etiam in negatiuis. *Farinac. n.* 172. *ad* 174. 20

Quæres 19. An magis credatur antiquioribus, & senioribus, quam iunioribus?

℞. Affirmatiuè, quia maiorem practicam, & experientiam habet. *Farinac. num.* 175. *&* 176. vbi præferuntur iuniores in dignitate constituti. Vide *Barb. ad cap in nostra* 32. *n.* 6. 21

Quæres 20. An magis credendum sit clericis, quam laicis?

℞. Affirmatiuè, propter statum ordinis, qui confertur personis idoneis, & honestioribus. *Felin. in cap. in nostra, de testib. num. 1. Gabriel de testib. lib. 1. concl. 4. num. 40. & 61. Farinac. q. 65. num.* 177. *&* 178. præfert laicos clericis pro defensione rei. Et magis creditur sacerdotibus, quam aliis, *vt dixi c. 16. n. 9. Sperell. decis. 73. n. 46. & decis. 81. n.* 49. 22

Quæres 21. An magis credatur masculis, quam fœminis?

℞. Affirmatiuè, quia mulieres sunt debilioris fidei, primos enim mendax fuit Eua, à qua ceteræ didicerunt excusationes. *Farinac. q. 65. n.* 179. aliter vero si fœminæ sint pro reo, & masculi pro actore, *num.* 181. Item si illæ sint bonæ famæ, viri malæ, *n.* 182. 23

Quæres 22. An inter fœminas magis credendum sit virgini, quam corruptæ?

℞. Affirmatiuè, quia ex honestate, & puritate oritur maior fides. *Felin. in cap. in nostra, de testib num.* 11. *Farinac. num.* 180. 24

Quæres 23. An magis credendum sit testibus Notariis, quam non notariis?

℞. Affirmatiuè, quia Notarius stat duobus testibus *Siluan. conf. 54. num. 8. Roland. lib. 2. conf. 63. num. 41. Barb. in cap. Quoniam 11. de probat. num. 10. Carena par. 2. tit. 5. num. 71. Portellus 11. Notarius, id addit.* Procedit hoc, quando lis est super instrumentum, vel alium actum a se conscriptum in vt iudicio magis illi credatur, quam testibus instrumentariis, & scriptis, seu deponentibus testimonium ab eo scriptum. Procedit. *Secundo*, etsi Notarius sit pro actore, & non pro reo. *Grotius de testib. par. 9. num.* 369. *Grammat. decis. 73. num.* 33. 25

Quæres 24. An magis credendum sit testibus pensis, quam non pensis?

℞. Affirmatiuè, etiamsi deponant super negatiua, quia de re tunc melius informati. *Farinac. quæst. 63. num. 186. & 187. Sperellus decis. 178. num. 11. Barb. ad cap. in nostra 32. de testib. num.* 8. 26

Quæres 25. An magis credatur rusticis in cultura possessionis quam aliis?

℞. Affirmatiuè, quia in ea experti. *Cæsar de Grassis decis. 38. alias 8. num. 6. Sperell. decis. 178. numer.* 93. 27

Quæres 26. An magis credendum sit deponentibus pro causa fauorabili, quam non fauorabili? vt pro dote, matrimonio, &c.

℞. Affirmatiuè. *Farinac. quæst. 65. num.* 188. esto essent negatiui, *num.* 189. 28

Quæres 27. An magis credatur mortuis, quam viuis?

℞. Affirmatiuè, quia mors supplet iuramentum, & citationem. Ita *Nemezan. conf. 26. num. 34. Farinac. quæst. 65. num.* 190. 29

Quæres 28. An sit credendum magis testibus distinguentibus quam non distinguentibus?

30 ℞. Affirmatiuè, quia distinguens est proximior veritate, quam non distinguens, *Surd. decis.58. num.5.* & rem dat melius intelligere, *in Clem.1. de verb. signif.* initio, ita *Glos. 11. Prateriso, cap. vt circa 5. de elect. in 6. Farinac. q.65. num.191.*

Quæres 29. An magis credendum sit honestioribus, & dignioribus?

31 ℞. Affirmatiuè, quia eorum fides melior est. Ita *Host. in cap. In nostra 32. de testib. & ibi cateri, Farinac. n.192* plures refert Barbosa *in dictum cap. n.2. ad 5.*

Quæres 30. An credendum sit magis testibus ocularibus, quam auricularibus?

32 ℞. Ocularibus, expresse §. 9. institut. de gradib. cogitat. iuxta illud: *Certior aure arbiter est oculus* apud Thomam de Thomasiis Reg.208. vbi ait fallere in rebus fidei, in quibus magis creditur auribus, quam oculis, qui possunt decipi.

Quæres 31. An in arbitrio sit iudicis credere magis vni, quam alteri?

33 ℞. Est in eius prudenti arbitrio credere magis vni, quam alteri, sed seruare debet supradictas regulas, vt magis faueat vni, quam alteri, vel ratione dignitatis, vel numeri, vel ratione verisimilioris depositionis, vel aliqua alia bona ratione, vt in prædictis. *Farinac. q.65. num.193. ad 199.*

CAPVT XXIII.

De Falsitate Testium.

1 TEstis falsus tria simul committit peccata Periurij contra Deum; Iniustitiæ in præiudicium eius contra quem deponit; & Mendacij contra propriam conscientiam, quæ etiam rea manet respectu aliorum duorum criminum. De grauitate criminis falsi & de eius pœnis iure antiquo, plura Farinac. quæst. 67. initio; quæ omnia referre non est huius loci, lege ipsum. Sed calamum conuertamus ad quæsita.

Quæres 1. An testis falsus in iudicio aliquid probet?

2 ℞. Negatiue, *ex cap. Si quis conuictus 7. 22. q.5.* ita omnes nullo contradicente *cum Farinac. quæst.67. num.58. Sousa lib.2. cap.8. num.1. Miranda quæst.17. num.191. de Bictis quæst. 48. num. 1.* Ratio est, quia in iudiciis quæritur veritas circa factum, quam omnino destruit falsitas opposita ex diametro, ergo testis falsus cum omnino veritate careat probare non potest, cum probatio sit demonstratio veritatis, & non mendacij.

3 Quæres 2. An mendax in vno articulo, & verax in aliis in eodem iudicio, & causa, probet respectu articulorum verorum?

℞. Nihil probat pro tota eadem causa, cum vt periurus fidem perdiderit respectu omnium depositionum; & facit pro hac responsione illud Iacobi 2. 10.
4 *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus,* de quo cap. 9. de Reg. iur. ad nostrum propositum, offendens proximum in vno periurio, factum est omnium scilicet articulorum reus infidelitatis, quia in nullo ei est credendum, cum sit mendax. Et id à fortiori confirmatur, tum ex indiuisibilitate iuramenti violati, cuius periurium oppositum omnia inficit ex parte ipsius testis falsi. Tam quia testi falso in alio iudicio non creditur, vt dicam mox, ergo multo minus in eodem aliquid est credendum. Ita omnes, *cum Claro quæst.53. numero octauo, de Angelis cap. 16. numero 17. Miranda quæst.17. numero 195. Guazin. Defens. 28. capit. 13. numero 15 & 16. & 17. Riccio par. 2. resolut. 216. numero secundo, de Bictis quæst. 48. numero quinto, Carena par. 3. tit.6. num. 72. Farinac quæst. 67. à numero 111.* qui rem hanc late prosequitur, excipiendo, quando falsitas cadit super interrogantia impertinentia, *num. 168. de Bictis quæst. 48. num. 5.* Procedit responsio, siue malitiose, siue etiam ignoranter peierauerit, *num.141.* & in dubio præsumitur potius scientia, quam ignorantia, quo ad effectum probationis, *num.143. & 145.* item, & quando peierauit super interrogatoriis generalib. *num.123.*

Quæres 3. An alias periurus probet in alia causa?

5 ℞. Periurus conuictus nihil probat in alia causa examinatus, expresse *cap. Si quis conuictus 7. 22. quæst. 5. Farinac. quæst. 67. numero 59. De Bictis quæst. 48. num.1. Sousa lib.2. cap.8. numer.1. Miranda quæst.17. num. 291.* Et alij omnes.

Quæres 4. An falsus testis saltem probet ad inquirendum, vel ad torturam?

6 ℞. Non probat ad inquirendum, & multo minus ad torturam, quia prorsus fide caret in omnibus. *Farinac. quæst. 56. num. 188. & 189.* quod nec ad capturam, cum maior probatio requiratur ad eam, quam ad inquirendum.

Quæres 5. An probet contra alium falsarium?

7 ℞. Negatiuè, quia falsitas non potest producere effectum veritatis, *Innoc. in cap. 1. de confess. Mascard. Consil.454. num.12. Farin. quæst.67. num.60.*

Quæres 6. An ad minus probet in causa pia?

8 ℞. Negatiue, quia causa pia cum tota sua pietate non potest efficere, vt falsus testis coniunctam habeat veritatem, dum ex diametro apponitur falsitati. *Gabriel lib. 7. concl. 4. numer. 9. cum Parisio, & Ruino ab eo citatis apud Farinac. quæst. 67. num.61.*

Quæres 7. Numquid probabit metu compulsus ad iurandum falsum?

9 ℞. Negatiue non solum in iudicio, in quo ex metu deposuit, sed nec in alio, quia metus licet excuset à peccato in iis, quæ non sunt intrinsece mala, quando est grauis, non tamen excusat testem à periurio, quia mendacium huiusmodi est intrinsece malum, ergo nec à mendacio, & falsitate, quæ non potest auferri per metum, qualiscumque sit. Ita Baldus *in l. Data opera C. qui accus. non poss. num.57. apud Montecell. in Rubr. de falsit. test. apud Farinac. quæst.67. num. 63.*

Quæres 8. An testis periurus admittatur in casibus exceptis?

10 ℞. Negatiue, quia quantumcunque delictum sit graue in nullo potest habilitari testis falsus, cum & simul sit etiam infamis, ex *cap. Si quis conuictus 7. 22. quæst. 5.* vbi Glos. it. infamia, excusatur testis falsus ex metu. Ita *Farinac. quæst.56. num.196.* in crimine læsæ maiestatis.

Quæres 9. An vitium periurij tortura purgetur?

11 ℞. Negatiue, quia non purgatur infamia, quæ est eius effectus, & quid extrinsecum, ergo multo minus mendacium, quod est quid intrinsecum. Ita omnes, *cum Farinac. quæst.56. num.193. Giurba. cap. 181. num.44.*

Quæres 10. An periurium committens extra iudicium in colloquiis familiaribus sit inhabilis ad testificandum sicut si esset periurus in iudicio?

12 ℞. Negatiue, quia à iure inhabilitatur solum testis formaliter acceptus scilicet in iudicio, vt colligitur, *ex cap. quicumque 18. 6. quæst.1. cap. Parvule 14. & in antecedenti: Si quis 7. 22. quæst.5. cap. Ex parte 7. de testib.* in quibus locis sermo est de testib. iudicialibus, & non de periuris carentibus hac testimonij qualitate.

Quæres 11. An falsus in aliis causis præter iudiciales licet testis sine iuramento, vt in instrumentis, seu testamentis falsis, aut non obseruans promissum iuratum per instrumentum, repellatur à testificando, licet non sit testis periurus, sed tantum

tum

tum falsus in quouis genere falsitatis? Idem de falsificantibus Scripturas?

13 ℞. Affirmatiuè, quia iura repellentia testem falsum non solum loquuntur de teste periuro, sed etiam ex quauis alia causa falso. *cap. constituimus* 9. 3. *quæst.* 5. vbi periuri, & falsum testimonium dicentes vti infames repelluntur à testificando; cap. quicunque 18. 6. quæst. 1. *Quicunque sciens peierauerit*, non distinguendo comprehendit omne periurium etiam extra causam criminalem; *cap. Si quis* 7. 21. *quæst.* 5. *& cap. Paruuli* 14. *ead.* immo & ciuilem, quia etiam in hac iuratus; & licet iuramentum non præstetur per testes in instrumentis, & testamentis, tamen illis aliquando falsis intersunt, ideo falsi dicuntur, dum per suam testificationem fouent falsitatem; similiter falsi sunt, & peierant, qui suum iuramentum violant; dum stare nolunt promissis iuratis in instrumento. Itaque non solum falsum iurans, sed etiam sine iuramento repellitur à testimonio. Vide *Farinac. q.*67. *à num.*58.

Quæres 11. An in omnibus casibus, quibus excusatur à periurio, possit testificari?

14 ℞. Affirmatiuè, quia tunc proprie non est periurus, vt requiritur ad repellendum eum à probatione. *Alex. lib.*1. *cons* 92. *num.* 13. *cum aliis Farinac. q.*56. *num.* 202.

Quæres 12. An periurus emendatus sit testis habilis?

15 ℞. Adhuc repellitur, expresse cap. quicumque 18. 6. q. 1. ibi: *Nunquam sit sine pænitentia, & nunquam in testimonium recipiatur*, idem expressius in cap. Testimonium 54. de testib. vt expellatur, licet emendatus. Ita *Farinac. q.*56. *num.*187. *cum aliis Barb. ad hoc cap. num.*4.

Quæres 14. An periurus admittatur in causis S. officij?

16 ℞. Affirmatiuè, ex cap. accusatus. §. licet vero periurus, de hæret. in 6. Modo deponat fauore fidei, non ex leuitate animi, nec ex fomite odij. Ita omnes *cum Farinac. q.*56. *num.* 203. *&* 204. *Barbosa super dictum caput. Sousa lib.*2 *cap.*9. *per totum.*

Quæres 15. Quomodo probetur testem deposuisse falsum?

17 ℞. Duobus modis id probari posse. *Primo* ex ore ipsius, qui primo loco vnum asserit, & secundo contrarium ex diametro deposuit, ita quod patens sit contradictio, nec eius dicta concordari possint, in hoc casu manifesta est falsitas, quæ abscondi non potest. *Secundo*, cum duo testes omni exceptione maiores deponunt de veritate facti, & vnus se illis opponit deponendo contrarium, quod nullam verisimilitudinem habet in se, sine dubio iste falsarius iudicandus est, hoc ipso quod alij testes pro iuridicis habentur. *De Bellis q.*32. *num.*1. *&* 2. *Riccius par.*2. *resol.*216. *num.*3.

Quæres 16. An vt quis repellatur tanquam falsarius ex testimonio, debeat esse conuictus, & constare de periurio?

18 ℞. Affirmatiuè, parti enim periurium obiicienti incumbit probare, vt colligitur ex cap. Ex parte 7. de testib. ibi: *Quidam vero in causa alia fuissent conuicti de periurio*, idem cap. Testimonium 54. eod.

Quæres 17. An pluralitas testium periurio laborantium suppleat eorum fidem?

19 ℞. Negatiuè, licet multi numero sint, quia cum nullus in eis sit gradus fidei, non potest dari supplementum, quod supponit aliqualem fidem, *Giurlin. cap.*10. *num.*126. *ex cap.*181. *num.*15.

Quæres 18. An periurus testis sit infamis?

20 ℞. Affirmatiuè, *cap. infames* 17. 6. *quæst.*1. expresse nominantur periuri inter infames *cap. constituimus* 9. 3. *quæst.* 5. *cap. Si quis* 7. 22. *quæst.* 5. *Glos.* in. *Periurij cap. querelam* 10. *de iureiur.* Sed an ista infamia sit ciuilis, an canonica variant Doctores; Andreas Barbaria part. 3. de testibus numero decimo tertio, ait, omnes concordare, periurium esse infamem iure canonico, quia id negari non potest, ex præcitato cap. infames. *Farinac. quæst.* 67. *num.* 5. ex testificatione igitur falsa incurrit infamiam. Quomodo autem ea incurratur dicit latius cap. 96. 11. Periurium.

Quæres 19. An Princeps suo rescripto facere possit, vt testi periuro credatur?

℞. Negatiuè, quia in eo non potest supplere veritatem, quæ est fundamentum depositionis legitime in iudicio, ita quod neque imperare potest, vt testi in vno falso credatur in aliis, ex allegatis *à Farinac. quæst.* 67. *numero* 114. *ad* 119. vbi affert tres limitationes pro hoc secundo casu, quas vide apud ipsum. Efficere vero potest supremus superiorem non recognoscens, vt ei credatur cum sua tamen exceptione in casibus grauibus, vt patet ex q. 14. 21

CAPVT XXXIV.

De pœnis contra falsos Testes.

QVamuis titulus sit de pœnis contra falsos testes, nihilominus doctrina afferenda erit communis omnibus falsariis, pro cuius intelligentia procedemus more solito per quæstiones. 1

Quæres 1. Quid sit falsitas? eius enim essentia per definitionem præcognoscenda est, ne per viam incognitam incedamus, definitio enim dat rem intelligere, & ipsa est sermo decisiua multarum quæstionum.

℞. Falsitas est dolosa mutatio veritatis, ex qua sequi potest præiudicium tertio. Ita omnes explicant falsitatem, asserentes, illam non committi sine dolo, ideo dici, quod est mutatio dolosa, ita omnes, *cum Farinac. quæst.* 67. *numer.* 77. *Riccius pars. secunda, decis.* 89. *numero secundo*, nullo contradicente. De eius autem ratione est, quod possit nocere, licet cum effectu non noceat, *ex Glos. vndecimo Priuatas lib. Damus* 22. *C. ad leg. Cornel. de falsis, Clarus* § *Falsum numero tertio, bene Pasqualig. quæst.* 76. *numero* 3 *&* 14. contra alios requirentes vt falsitas actu nocuerit, vt pœnis subiiciantur falsarij, qui sunt Misingerieis, Iodocus, Siluester, Tabiena, Gipsius, ab eo citati, sed cum primis standum est, iuxta quod dicam infra. 2

Quæres 2. An præsumatur falsitas? Vel an sit probanda?

℞. Non præsumitur, sed omnino probanda est, & quidem clare, & concludenter, licet sit difficilis probationis in multis casibus. 3

Primum, quod non præsumatur, patet ex eo, quod quæ sunt facti, vt est falsitas, non præsumuntur, sed probantur, ex vulgatis iuribus. Farinac. *quæst.* 67. *numer.* 103. *Honded. lib.* 1. *cons.* 109. *numero* 15. *Ciriacus, num.* 2. *contr.* 379. *numer.* 15. *& contr.* 309. *numero tertio*, vbi ait, quod numquam præsumitur fraus, & falsitas, quando alia causa subesse potest. 4

Secundum, quod falsitas sit probanda concludentes, concedunt omnes, quando agitur criminaliter, & de imponenda pœna ordinaria, & corporali, *de communi Farinac. cons.* 50. *numer.* 1. *ad* 4. Quando vero agitur de pœna pecuniaria, & extraordinaria sufficiunt præsumptiones, *vt subdit numero secundo, & in antecedenti cons.* 23. *numer.* 10. *& cons.* 40. *numer.* 22. ideo, quia est difficilis probationis, vt probatur. 5

Tertium, quod falsitas sit difficilis probationis, asserunt omnes cum eodem *Farinac. cit. cons.* 56. *numero tertio, Menoch. lib.* 5. *præsumpt. quæst.* 99. 6

Ferrus

Ferrus quæstion. Vicar. pat. 11. quæst. 67. num. 6. Verullus par. 8. decis. 4. num. 2.

Quæres 3. quænam sunt pœnæ contra falsos testes?

7 ℞. Contra clericos in sacris constitutos est depositio ab honore officij, & detrusio in monasterium in perpetuum cum sola communione laïcali, *cap. Episcopus dist.* 50. Pro aliis est pœna talionis, ita quod falsus testis eadem pœna plectendus est, qua punitus fuit reus in effectu, aliter non, de communi, *Farinac. quæst. 67. numer. 9. ad* 14. iusta illud, qui gladio ferit, gladio perit, testis enim falsus gladio linguæ ferit, lingua enim mendacis est gladius acutus penetrans vsque ad viscera proximi. Quod si reus detecta falsitate liberatur, eo in casu testis falsus mitius punitur pœna extraordinaria, sicut & quando deponit falsum ad defensionem rei, *ex eodem num.* 15. 16. *&* 18.

8 Pœnæ autem contra fslsos testes nostris temporibus secundum eundem Farinacium, & alios ab eo citatos sunt arbitrariæ, vt asserit ipse, *quæst. 67. numer. 80. & num.* 81. ait, testem, qui suo falso testimonio fuit causa mortis proximi, morte eadem esse puniendum. Pœnæ arbitrariæ sunt pecuniæ, exilium fustigatio, & triremes, ibidem. Vide cap. 96. 11. Periurium.

9 De pœnis contra falsos testes in S. officio agunt, *Socini lib. 8. cons.* 103. *&* 104. *Diaz. cap.* 87. *Directorium lib. 3. quæst.* 73. *Pegna ibi com.* 122. *quos, & alios refert idem* Farinac. *quæst. 67. num.* 13. *Carena part. 3. tit.* 6. pœnam triremium, fustigationis, & exilij, sub n. 76. ponit ordinsrixm in hoc tribunali.

Quæres 4. An vt testis falsus puniatur, necesse sit, quod falsitas fuerit commissa scienter, mslitiose, & cum dolo?

10 ℞. Affirmatiuè, quia dolo non extante falsitas locum non habet, ex quæst. 1. ergo neque pœna etiam extraordinaria. *Farinac. consil. 44. num. 22. ex Franc. Beccio lib. 1. cons. 78. num. 9. 16. &* 33. qui ergo ex ignorantia, & errore falsum dixit, cum reuera non sit falsarius, quia dolosè non deposuit, nulla pœna venit puniendus, excitatis Doctoribus, cum quibus sunt *Bertazol. cons. 71. num. 51. ad* 53. *Hended. lib. 1. cons.* 109. *num.* 35. *&* 56.

Quæres 5. An rustici, & similes personæ simplices, & idiotæ excusentur à pœna falsi, quia non videntur dolose, & cum malitia deposuisse, ob eorum simplicitatem?

11 ℞. Affirmatiuè, si reuera probantur simplices, non autem tales censendi sunt, qui animose respondent vti sagaces, & plus volentes scire, quam debeant, isti enim sunt puniendi pro modo suæ culpæ. *Farinac. quæst. 67. num. 78. ad 84. Carena part. 3. tit. 6. num.* 75.

Quæres 6. An obliuio excuset testem falsum à pœna?

12 ℞. Affirmatiue. *Menoch. de arbitr. lib. 2. casu* 308. *num. 7. Grammat. cons. 47. num. 13. Gabriel cons. 42. num. 7. Rimnald. lib. 2. cons. 113. num. 21. cum aliis Farinac. quæst. 67. num.* 85. Memoria enim hominis labilis est *l. Peregr. 44. ff. de acquir. possess.* vnde diuinum est, omnium habere memoriam, *l. 2. §. Si quid autem C. de iure veteri enucl. Riccius part. 1. decis.* 23. vbi ait præsumi obliuionem post biennium; *& decis.* 57. *num.* 3. ait, testem ex causa obliuionis posse corrigere suum dictum etiam ex interuallo.

Quæres 7. An putans se verum dicere, sed reuera falsum deposuit, numquid à pœna excusatur?

13 ℞. Vtique, quia malitiosus non fuit in sua depositione. Ita *communior opinio ex Farinac. quæst. 67. num. 86. & 88. qui num.* 89. ait, in hoc credendum esse iuramento testis, quod fuerit motus ex causa credulitatis, *ex Capolla cons. 24. n. 12. Mursilio cons. 77. num. 19. Beccio lib. 1. num. 78. num.* 30. Idtamen remittendum est arbitrio iudicis, quia aliter, omnes hoc modo se excusarent ad euitandam pœnam, *numero* 90.

Quæres 8. An à pœna excusetur deponens se scire aliquid, quod tamen sit ex propria scientia, sed audiuit à persona fide digna?

14 ℞. Excusatur. Ita *Petra Sanctu singul.* 80. *Hippol. Rimnald. cons. 113. num. 37. cum aliis* Farinac. *num.* 91. *qui num.* 94. Limitat ad pœnam mitiorem. Priorum responsio magis mihi placet. Tum quia hic non adest dolus, cum audiuerit à fide digno. Tum quia *Glos. 1. Notitiam cap. Cupientes, de elect.* quæ ait nos pro certo scire ea, quæ à fide digno audimus; licet alia *Glos. 1t. Plena Clem. causam de elect.* citata ab aduersariis, dicat oppositum, quæ tamen priori non opponitur, nam hic requiritur plena probatio ex propria scientia, quod non tollit dictum primæ Glosæ, quæ in sua materia suam continet veritatem.

Quæres 9. An falsum dicens in redditione causæ, non in principali, sed in circunstantiis extrinsecis sit puniendus?

15 ℞. Vtique, sed pœna mitiori. Ita *omnes ad Farinac. quæst. 67. num. 95. & 97. Carena part. 3. tit. 6. num. 69. qui num.* 70. ait cum aliis puniendum esse eum, qui falso respondet super generalia.

Quæres 10. An peritus super peritia sua deponat falsum, an sit reus pœnæ falsi?

16 ℞. Videtur excusandus, quia cum deponat de iudicio suo, potest semper se excusare, asserendo se probabiliter ita credidisse. Ex allegatis *à Farinac. quæst. 67. num. 99. qui num.* 100. ait, esse puniendum pœna extraordinaria, quando expresse constat de falsitate, sed ego reuera hic non video dolum, nec malitiam, dum sit illi credendum, quod ita iudicabat probabiliter.

Quæres 11. An testis in dubio præsumatur falsus?

17 ℞. Negatiue, quia dolus non præsumitur, nec falsitas ex quæst. 2. *Farinac. quæst. 67. num. 103. Craneta cons. 73. num. 17. Caphalus cons. 230. num. 17. Franc. Beccius cons 78. num. 10. Bertaz. cons. 8. numer. 10. &* 11. Maxime in teste bonæ famæ, *Riminal. lib. 2. cons. 143. num. 12. Bertaz. cons. 847. num. 7. Farinac. num.* 104.

Quæres 12. Quomodo testis excusandus sit à delicto falsitatis?

18 ℞. Ad euitandam in teste falsitatem, ne puniatur, omnis interpretatio fugienda est, vt docent legistæ in *l. 2. §. creditum ff. si cert. petat. Canonistæ in cap. cum tu, de testib.* Ita Bertazol. *cons. 8. num. 13. & cons. 194. num. 7. Riminal. lib. 2. cons. 145. numer. 25. Clarus §. Falsum vers. Scias tamen, cum illis Farinac. quæst. 67. num. 103. qui num.* 105. ait omne studium, est adhibendum, interpretando, supplendo, subaudiendo, etiam per verborum impropriationem, ab eo numero ad 109. adeo quod quælibet causa etiam iniusta excusat à pœna, ex eodem *Farinac. praced. num.* 101. *ex Claro quæst. 60. vers. Et generaliter, Magen. decis. Luc. 43. num.* 80.

Quæres 13. An præter dolum, sit necessarium nocumentum proximi, vt possit puniri testis falsus?

19 ℞. Affirmatiue, vt constat ex definitione falsitatis, quæ est dolosa mutatio veritatis cum nocumento, vel in effectu vel in potentia; si in actu punitur pœna ordinaria, hoc est, grauiore, seu tali, qualis fuit punitus reus; si non nocuit, poterat tamen nocere eius depositio, tunc punitur pœna mitiore, attenta qualitate personæ, & grauitate delicti falsitatis, & futura offensa proximi. Ita omnes apud Additionat. ad consil. 60. Farinac. litt. N. qui ita dicit. *Primo*, eum, qui animo non nocendi, exempli gratia, falsificauit scripturam, quæ nec erat apta ad nocendum, nullam pœnam mereri, id quod dixerat Farinac. in eo consilio numero 47. *Secundo*, qui falsificauit scripturã non aptam ad nocendum, sed animo nocendi, esse reum pœnæ

pœnæ extraordinariæ. *Tertio* demum, cum qui falsificauit scripturam aptam ad nocendum, cum animo nocendi, licet effectus non fuerit secutus nocumenti, esse puniendum pœna ordinaria. Sed id non placet, quia grauius punitur, effectu secuto nocumenti, quam si non sequatur. Sed quantum ad testes respondetur in sequenti quæstione.

Quæres 14. An testes falsi sint puniendi, quando eorum attestationes nulli nocent, ex quo probantur nullæ, & sic non possunt afferre nocumentum parti?

20 ℞. Non puniuntur pœna ordinaria, sed tantum mitiore, quia licet non nocuerint, poterant tamen nocere, quia depositiones eorum ordinabantur ad nocumentum, iuxta dicta sub quæst. 1. Ita *Farinac. quæst. 67. num. 193. relatiue ad num. 219. Castropal. part. 1. tract. 4. disput. 8. p. 15. §. 6. num. 13. ex illu Carena par. 3. tit. 6. num.* 68. contra plures relato à Farinac. num. 192. asserentes, testem falsum non esse puniendum, nisi secuto in effectu nocumento, licet potuisset sequi.

Quæres 15. An deponens falsum sine iuramento sit obnoxius pœnæ?

21 ℞. Puniendus est pœna extraordinaria, quia falsitas non oritur ex iuramento, sed ex mendacio, non ex periurio. Ita concordat. *Farinac. quæst. 67. à num. 194. ad* 197. contrarias opiniones.

Quæres 16. An deponens falsum extra articulos puniatur de falso?

22 ℞. Punitur tantum pœna extraordinaria, & mitiore, quia reuera falsum commisit. Ita *Farinac. quæst. 67. à num. 207. ad* 209. reconciliant contrarias opiniones.

Quæres 17. An testes inhabiles deponentes falsum, ex sua inhabilitate cum nihil probent, excusentur à pœna?

23 ℞. Non excusari, quia attenditur aptitudo ad nocendum. Ita omnes cum *Farinac. q. 67. num.* 216. contra Lanfrancum num. 53. de testibus.

Quæres 18. An deponens falsum die feriato, quo non debebat de iure deponere excusetur à pœna?

24 ℞. Negatiue, quia falsitas incurritur independenter à tempore, ergo arguit pœnam debitam falso testi, scilicet extraordinariam, qua scilicet puniuntur omnes, qui cum effectu non nocuerunt. Ita *Farinac. q. 67. num.* 217.

Quæres 19. An tacens veritatem, & eam occultans puniendus sit tanquam testis falsus?

25 ℞. Affirmatiuè, *ex cap. 1. de crimine falsi.* Ita omnes *apud* Farinac. *q. 67. num. 220. qui num.* 231. ait, quod licet testis tacendo veritatem dicatur falsus, non tamen formaliter dixit falsum ideo non comprehenditur sub statuto puniente dicentem falsum; & nota, quod testes dicentes mendacium vere dicuntur falsi, tacentes vero veritatem dicuntur fraudulenti, *ex n.* 233. Vnde crederem, hos mitius esse puniendos, cum formaliter, & proprie falsarij non sint.

Quæres 20. Quisnam sit iudex testium falsorum?

26 ℞. Testis falsus puniri potest ab eo iudice, coram quo falsum deposuit; esto alias esset iudex incompetens; siue sit ciuilis, siue criminalis iudex; & finita causa, poterit accusari, & puniri à suo iudice ordinario, pœna ordinaria; ab alio pœna extraordinaria.

27 Prima pars, quod possit puniri à iudice, coram quo peierauit, quia iudex ratione delicti acquisiuit ius contra ipsum, cap. fin. de foro compet. quis enim sortitur forum ratione delicti. *Farinac. q. 67. num.* 26.

28 Secunda pars, quod possit puniri à iudice aliàs incompetente in causa, probatur ex adducta ratione, quia quis fit subditus alteri ratione delicti. Ita idem Farinac. ibidem.

29 Tertia pars, quod puniri possit etiam à iudice ciuili, coram quo peierauit, probatur eadem ratione, *ex eod. num. 28. & 38.*

Quarta pars, quod puniri possit à suo iudice ordinario, ab omnibus conceditur, apud eundem, num. 29. & 30. durante etiam instantia. 30

Quæres 21. An in causis remissorialibus testis falsus puniatur à iudice interrogante, an à suo ordinando mittente?

℞. Ab vtroque puniri potest, ita quod datur locus præuentioni, & punitus ab vno non potest puniri ab alio; quod si puniatur à suo ordinario, pœna debet esse conformis statuto loci, in quo peierauit. Ex allegatis *à Farinac. quæst. 67. num. 33. ad* 36. 31

Quæres 22. An punitus pœna extraordinaria à iudice ciuili possit puniri ordinaria à suo iudice criminali?

℞. Affirmatiuè, quia non fuit sufficienter punitus. Ita communior opinio ex eodem *Farinac. q. 67. num. 40. & 41.* 32

Quæres 23. An testis falsus puniri possit à iudice delegato?

℞. Potest puniri à iudice delegato tantum à Principe, & quidem pœna extraordinaria, & non aliter, *Farinac. q. 67. à num. 47. ad* 51. vbi delegatus ab inferiore nullo modo potest punire, ratio est, quia delegatus fuit solum ad specialem causam, & ad hanc sibi incognitam. 33

Quæres 24. An deponens falsum coram arbitro puniri ab eo possit?

℞. Nullo modo potest puniri, quia aliam non habet potestatem nisi arbitrandi in causa sibi proposita, nihil enim potest vltra illud, quod sibi in compromisso commissum fuit, *Diem 32. §. De officio ff. de recept. arb.* Farinac. *q. 67. num.* 44. 34

Quæres 25. An clerici deponentes falsum coram iudice laico ab eo puniri possint?

℞. Negatiue, vt communissima docet opinio *apud Farinac. quæst. 67. à num. 54. ad* 57. quia clarum est, clericum esse immunem simpliciter à iudice laico, præsertim quo ad personam, immo & quo ad res suas, ita vt cogi non potest ad subeundam aliquam pœnam. Idem dicendum de regularibus, cum sint eiusdem ordinis clericalis, & quod dicitur fauore clericorum habet locum pro religiosis, ita aliis citatis Dian. par. 3. tract. 1. resol. 60. 35

Quæres 26. An laicus testis falsus coram iudice ecclesiastico, ab eodem puniri possit?

℞. Affirmatiue, quia ratione periurij, & peccati iudex acquisiuit iurisdictionem contra illum proprium enim est ecclesiasticorũ punire delicta in ratione peccati. Ita *Afflictus decis. 219. Capella Tholos. decis.* 379. *Franchus decis.* 149. *cum aliis Diana par. 3. tract. 1. resol.* 60. 36

CAPVT XXXV.

De Teste corrupto.

TEstis corruptus ille dicitur, qui à corrumpente subornatur promissione, pecunia, vel alia re. metu, minis, aut precibus ad dicendum falsum. In tribus autem casibus aliquid recipiens non dicitur corruptus. *Primo*, recipiens pro suis expensis itineris, seu ex omissis operis. *Secundò*, recipiens post testificationem. *Tertio*, si pecunia datur publice præcisè ad dicendum veritatem. De singulis probatio referenda. 1

Prima pars, quod testis dicatur corruptus ex subornatione prædictorum clare colligitur ex textibus vtriusque iuris infra allegandis, *cum Farinac. quæst. 67. numer. 236. Sousa lib. 2. cap. 8. num. 22. de Bictis quæst. 48. num.* 10. 2

Secunda pars de tribus casibus, patet quo ad primum casum, quia testibus debentur expensæ, non 3

enim

enim cum ſuo damno maxime pauperes debent te-
ſtificari , vt docent fere omnes *cum Farinac. quæſt.67.*
numer. 270. modo notabiliter non excedat pecunias
operarum , ſeu itineris , quia tunc eſſet ſuſpectus de
ſubornatione , *Mena. de arbitr. canſ.* 310. Farinac.
num. 157. Quoad *ſecundum* recipiens poſt depoſitio-
nem non dicitur corruptus, modò non conuenerit cum
corrumpente , *ex eodem Farinac. num.* 277. *&* 278.
Quantum *ad tertium* permittitur dari pecunia publicè
teſtibus vt dicant veritatem , vt de communi docet
num. 269. An autem id ſit peccatum , dicam infra in
cap. de conſcientia teſtium. Sed accedamus ad quæ-
ſtiones.

Quæres 1. An teſtis corruptus probet ?

4 ℞. Negatiuè , *expreſſè cap. 1. de teſtib. cap. Placuit*
4. q. 1. cap. Non ſanè 14. q. 1. diuus Thom. 2.2. q. 71.
art. 4. in Corp. Barboſa ad hoc cap. num. 1. & 2. Fa-
rinac. q. 67. num. 236. Ratio eſt , quia intereſſe ex-
cæcat teſtem , vt neſciat diſcernere verum à falsò.

Quæres 2. An teſtis, qui pecuniam accepit , in du-
bio præſumatur falſum dixiſſe ?

℞. Præſumitur falſum dixiſſe , & torqueri poteſt
5 in ordine ad pœnam falſi , ſi conſtat pecuniam acce-
piſſe , eſt enim acceptio pecuniæ vel alterius rei no-
tabilis vrgens argumentum , quod corruptus fuerit
ad dicendum falſitatem. Ita citati à *Farinac. q. 67. num.*
237. ad 239.

Quæres 3. An idem dicendum ſit de teſte pecunia
accepta pro dicenda veritate ?

6 ℞. Reputatur falſus , & punitur extraordinariè,
nec quidquam probat , quando in occulto dedit pe-
cuniam colligitur *ex l. 1. §. 1. ff. de falſis* , *vbi* man-
datur puniri pœna legis Corneliæ ; *& ex cap. Non ſa-*
ne , 14. q. 5. Farinac. *q. 67. num.* 140. *& num.* 142.
& num 261. *ad* 264. Ne pœna mitiore ; non tamen
ſtatuti punientis eum, qui falſum teſtimonium dixit,
num. 243. quia non conſtat de teſtimonio falſo, licet
præſumatur ex pecunia accepta ; ſi verò aliunde con-
ſtat de veritate dicta , non eſt habendus pro falſo ,
num. 146.

Quæres 4. An qui accepit pecuniam pro non fe-
rendo teſtimonium, habeatur pro corrupto , non pro-
bet , & puniendus ſit vti falſus ?

7 ℞. Affirmatiuè, ex citata l. in præced. quæſt. quia
vbi interuenit pecunia præſumitur contra teſtem, &
habetur pro corrupto. *Farinac. q. 67. num* 247. Si ta-
men nullum dixit teſtimonium , non eſt puniendum
pœna falſi , ſed aliter , num. 248.

Quæres 5. An ſic productus probet pro , vel contra
producentem ?

8 ℞. Probat contra producentem *Farinac. num.* 249.
& 280.

Quæres 6. Quid dicendum , quando liberaliter da-
tur pecunia.

9 ℞. Teſtis dicitur corruptus , pœna dignus , & ni-
hil probat , propter præſumptionem falſitatis. *Fari-*
nac. q. 67. num. 252. expreſſè cit. cap. Non ſane 14. q. 5.
ibi : *Quamuis a volentibus detur.*

Quæres 7. An ſi conſtet de corruptione vnius teſtis
præſumatur idem de aliis ?

10 ℞. Affirmatiuè : Ita *Ruin. lib. 4. conſ. 36. num. 9. qui*
de Papa conſ. 75. col. 2. fine, Maſcard. concl. 340. num. 6.
Farinac. quæſt. 67. num. 256.

Quæres 8. An corrumpens puniatur, ſicut teſtis
11 corruptus ?

℞. Affirmatiuè , quia agentes , & conſentientes
pari pœna puniendi ſunt. Ita Bertazol. lib. conſ. 218.
num. 18. vbi dicit , corrumpentem teſtes dici com-
mittere falſum *per l. omnes C. de heret. Beroius conſ.*
157. numero 10. *ex illis , & aliis* Farinac. *quæſt. 67.*
num. 258.

Quæres 9. An teſtis precibus inductus dicatur
corruptus ?

℞. Inductus precibus ad teſtificandum pro ve- 12
ritate non dicitur corruptus , ſed bene probat. Ita
Hert. in cap. 1. de teſtib. 11. Precio , & ibi alij Ca-
noniſta , Farinac. quæſt. 67. numer. 266. *ad* 268. Ro-
gantur enim ſæpe teſtes, qui quandoque ex re faciunt
ſeruitium.

Quæres 10. An qui poſt depoſitionem accepit pe-
cuniam dicatur corruptus ?

℞. Non dicitur corruptus ſed probare , modo non 13
accipiat pecuniam conuentam ante teſtificationem,
vt præſumi poteſt ex condicto recipere. Vnde Fari-
nac. quæſt. 67. num. 278. dicit , hunc eſſe valde ſuſ-
pectum quo ad probationem.

Quæres 11. An corrumpens punitus perdat cau-
ſam ?

℞. Negatiuè , ita Canon. *in cap. 1. de teſtib. De-* 14
cius ibi num. 13. Capicia decif. 67. initio, Boer. decif. 192.
numer. 23. Bertaz. lib. 1. conſ. 218. num. 17. alij cum
Farinac. quæſt. 67. num. 282.

CAPVT XXXVI.

De Teſte inſtructo.

TEſtis inſtructus dicitur ille , qui ſuper cauſa in- 1
formatur quomodo debeat reſpondere , quilibet
enim actor quærit teſtes , qui probent querelam da-
tam in proceſſu , vnde neceſſarium eſt, vt actor ſciat
quid dicturus eſt teſtis coram iudice , ſi enim depo-
ſiturus eſt contra querelam , non oportet eum pro-
ducere , ſicut & quando dicit , ſe non habere cogi-
tationem cauſæ , nec pro , nec contra. Neceſſaria eſt 2
ergo inſtructio, quæ ſcilicet tendat ad veritatem fa-
cti , quam nemo negat , vnde teſtis bene , & legiti-
me inſtructus bene probat , vt docent omnes , *cum*
Felino in cap. Præterea de teſtib. cog. num. 12. Campeg. 3
Reg. 116. de teſtib. in 2. Fallent. Alciatus lib. 6. conſ.
29. *num.* 21. *tom.* 2. *Farinac. quæſt. 67. num.* 287.
qui cum Boſſio , *de oppoſ. contra teſtes num.* 50. ait,
quod ad veritatem dicendum , teſtis poteſt inſtrui
cum Schedula , vt melius recordetur de veritate di- 4
cenda. Inſtruitur ergo , vt congrue deponat , & hic
dicti rationem reddat, vt notant, *Decius in cap. 1. de*
teſtibus numer. 16. *Nellus de teſtibus numer.* 102. *Fa-*
rinac. num. 290. *ad* 293. *Rebuffus gloſſ. 7. de teſtibus*
num. 42.

Inſtructio autem malitioſè facta ad vitandam , 5
vel tacendam veritatem , ſeu ad dicendum falſum,
teſtem facit inhabilem ad teſtificandum , quia tunc
teſtis præſumitur ſubornatus à parte , & ideo ni-
hil probat , *Specul. de teſte , §. 1. numer. 43. verſus*
item opponitur Lanfranc. de teſtibus numer. 26. §. Nec
miremini , Campeg. Reg. 216. Farinac. quæſt. 67. nu-
mero 283. Siue ſit inſtructus à parte , ſiue ab aduo-
cato , quem vocant fatuum , ſi loquatur cum teſte,
intellige in ordine ad malam inſtructionem.

In vno caſu cenſerem inſtructionem eſſe vitio- 6
ſam , & ſubornatam , nimirum in caſu notorio ,
non enim teſtis eget informatione , vnde ſi cum
eo pars loquatur præſumitur illum ſubornare , &
ſic non probare. *Felin. in cap. Præterea 7. de teſtib. log.*
Bart. in cap. verba , de cohabit cler. & mul. Farinac.
quæſt. 67. num. 291.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

De Repetitione Testium.

1 CAusæ, propter quas repetuntur testes, sunt duæ, *prima est*, quia eorum depositiones patiuntur aliquos defectos, propter qoos remanent imperfectæ probationes, & nihil operantur, ideo iterum testes examinantur. *Secunda est*, quia in summario, vt aiunt, nihil probant, nisi repetantur in plenario parte citata, & lite contestata inter partes. Hic agendum est de priori causa, infra sub cap. 40. de posteriori. Caput pro pleniori intelligentia resoluetur per quæstiones.

Quæres igitur primò, an repetitio testium spectet ad apices iuris, an sit quid substantiale secundum priorem sensum?

2 R. Esse quid substantiale, cum referatur ad perfectam probationem causæ ex quo enim testes imperfectè deposuerunt, ratio dictat, vt iterum examinentur pro dilucidanda veritate, omne enim imperfectum reducendum est ad suam perfectionem.

Quæres 2. In qua consistat huiusmodi repetitio testium ad perficiendam probationem?

3 ℞. In eo consistit, vt iterum cum iuramento deponat, declarando suum dictum obscurum, & alia faciendo, quæ perficere possunt probationem, vt patebit in sequentibus.

Quæres 3. Quousque fieri potest huiusmodi repetitio?

4 ℞. Vsque ad publicationem, attestationem, & non vltra ea parte actoris, regulariter loquendo, *vt patet ex cap. Per suas 48. de testibus, de communi Farinac. quæst. 6*., *num.* 255. *Barbosa super dictum caput.* Pu-
5 blicatio autem testium tunc fit, cum iudex decretum facit de copia processus danda reo, si illa vti voluerit, *vt notat de Bictio quæstion.* 54 *numero tertio.* Hæc responsio est regula generalis posita à Farinacin. quæ varias patitur exceptiones resoluendas per quæstiones, per quarũ resolutiones patebit, testium repetitionem recipi posse in multis casibus etiam post publicationem testium.

Quæres 4. Num repeti possint testes etiam post publicationem testium, quousque poterunt repeti?

6 ℞. Vsque ad conclusionem in causa, quæ est renuntiatio facta omnium probationum, & defensionum, quas ambæ partes, actor scilicet, & reus in medium adducere possent, quibus renunciatis neutra pars vlterius procedere potest, sed debet expectare sententiam Iudicis, *de Bictis quæstion.* 54. *num.* 3. *ex glos.* 11. *liquere cap. Significauerunt 36. de testibus*; & tunc acta ex processus incipiunt esse notoria, cum in causa conclusum fuit, *Puteus lib.* 2. *decis.* 284. *Mascard. concl.* 1102. *numero* 24. *Surd. cons. octau. num.* 52. *Farinac. quæst.* 21. *numero* 15. *cum alijs Barbos. ad dictum capite num.* 7. Iudex tamen procedendo ad vlteriora censetur reuocare conclusionem, Ludouis. decis. 140. numero nono, non est de substantialibus, quam iudex facere potest, etiam partibus non citatis, Maranta par. 6. Act. 15. numero nono.

Quæres 5. Ad cuius instantiam repeti possint testes, vt suas depositiones dubias declarent?

7 ℞. Id competere iudici ex officio suo, & non ad instantiam partis. *Primum* ex glos. *st. Audiendum dicti cap. per suas, de testibus ibidem Canon. alijs citatis Farinac. quæstion.* 66. *numero* 264. qui in sequentibus numeris vsque ad 275. varias facit sublimitationes. *Secundum* est commune apud eosdem Canon. *Ibidem cum Farinac. numero* 256. & 313. *ex cap. cum clarior, de testibus* expressè.

Quæres 6. An iterum possint examinari, vt reddant rationem sui dicti omissam in primo examine?

℞. Possunt non solum ex officio iudicis, sed etiam 8
parte instante, non actoris, sed rei, *ex Bartolo, Aretino, & Felino in dictum cap. Per suas, de testibus Farinac. num.* 279. relatis aliorum opinionibus, quod etiam ad instantiam actoris examinantur.

Sed cur instare potest pars in reddenda ratione, & 9
non in declarando dictum dubium? quia dubium diuersimode potest interpretari, ratio autem reddenda vnica est, ideo variare non potest in præiudicium partis.

Quæres 7. An testes iterum examinari possint, quando ex dolo, aut negligentia iudicis non fuerunt primo bene examinati?

℞. Possunt instante parte, vt exprefsè habetur in 10
citato *Cap. Per suas, ibidem glos. ibidem Barbos. numero* 41. *Farinac. numero* 280. vbi numero 281. ait ex Gabriele, quod facta publicatione non sufficit negligentia sine dolo, ante vero ea sufficit; in dubio autem vtrunque præsumitur, *ex numero* 282. siue fuerint data capitula, siue non, *numero* 283. Vide à numero 286. ad 293. limitationes.

Quæres 8. Quid quando superuenit notitia noua, & melior?

℞. Admittendus est ex officio iudicis. *Tindarus* 11
lib. 1. *de testibus cap. nono, numero decimo-quinto, Bossius de publicat. processus numero vigesimo-septimo, cum alijs* Farinac. *quæstion.* 66. *numero* 294. & 314. etiam addendo.

Quæres 9. An testes sint examinandi de perditis depositionibus.

℞. Affirmatiuè, etiam ad instantiam partis. *Fari-* 12
nac quæstion. sexagesima-sexta numero 295. & 296. *ex Iacobo Butrigar. de testib. num.* 15. limitat, si de perditis culpa iudicis, aut partis aduersæ.

Quæres 10. An de consensu partium iterum examinari possint? 13

℞. Affirmatiuè, cum volenti, & consentienti non fiat iniuria. *Felin. & Imola in dicto capite per suas*, *Farinac. num.* 298.

Quæres 11. An nullitet' examinati repeti possint?

℞ Affirmatiuè, ne iudicium eludatur. *Roland.* 14
lib. 4. *cons.* 52. *numero* 18. *Guidopapa decis. septuagesima secunda cum alijs Farinac. quæstion. septuagesima-sexta, numero* 303. *qui numero* 304. ampliat, vt de nouo alij recipi possint; & *numero* 305. ait procedere etiam, quando publicatio rite facta non fuit.

Quæres 12. An vocari possint testes ad confirmandum, quod dixerunt?

℞. Affirmatiuè, quia hic nulla est suspicio frau- 15
dis, aut subornationis, modo nihil de nouo deponant. *Farinac. cum alijs num.* 306.

Quæres 13. An testes repetantur post publicationem, ad defensam?

℞. Affirmatiuè, ex officio, & etiam ad instan- 16
tiam partis. *Ita Felin. in cap. Cum clamor., de testibus, Farinac. num.* 316.

Quæres 14. An testis possit se remittere ad primum examen?

℞. Affirmatiuè, cum dicit se debilem habere me- 17
moriam, & multum tempus intercessit inter primum, & alterum examen, vt dixi cap. 40. num. 16.

CAPVT XXXVIII.

De ratione reddenda à Testibus.

EX sententia Philosophorũ cum Aristotele, scire est 1
rem per causam cognoscere, ideodũ testis deponit in iudicio se scire rem taliter se habere necesse est,

quod reddat rationem, & causam suæ scientiæ, aliter non dicitur scire. De qua re etiam iure ciuili testes debent reddere rationem, & causam scientiæ, *Auth. de Testibus §. Et licet, item l. solum C. de testibus, capite Si testes, §. sola 4. quæstion. sexta, & capite cum causam, de testibus Farinac. quæstion. septuagesima, num. primo de Bictis quæstion.* 50. & alij omnes apud illos. Pro intelligentia proponendæ sunt quæstiones,

Quæres 1. An testis debeat reddere rationem bonam sui dicti, vt probet?

2 ℞. Regulariter loquendo testis debet etiam non interrogatus rationem bonam reddere de suo dicto, aliter non probat nec ad inquirendum, nec ad torturam, nec potest dici maior omni exceptione, quam rationem reddere debet etiam in depositione negatiua, quod idem dicitur respectu omnium testium reprobatoriorum.

3 Prima pars, quod non probet, constat ea l. solum, C. de testibus. Ita omnes cum Farinac. *quæst. septuagesima, num.* 14. *Gomez. 3. Var. cap. 12. num. 9. Bertazol. lib. 3. cons. 251. num. 39. Cacher. lib. 1. cons. 66. num. 17. Burs. lib. 1. cons. 34. num.* 30. Quia nemo dicitur scire, nisi per causam, per quam res est talis, qualis asseritur.

4 Secunda pars, etiamsi non sit interrogatus, patet, quia omissio cum nihil sit supplere non potest rationem, quæ dat esse depositioni. *Farinac. num.* 6. circa ea, quæ dependent ab intellectu, & non percipiuntur sensu corporeo, & etiam quæ percipiuntur sensu corporeo, *ex numero* 14.

5 Tertia pars, quod depositio sine ratione nec faciat ad inquirendum, patet ex eo, quod ea nullum facit gradum probationis, ergo per eam nihil probatur ad inquirendum, vel torturandum, & eo magis, quia tortura maiorem petit probationem, *Ex eodem* Farinac. *quæst. 70. num.* 8.

6 Quarta pars, de bona ratione reddenda probatur, quia si non est ratio bona, vera, & concludens de necesse, non habet speciem rationis, nec illius nomen meretur, & sic dictum caret ratione, consequenter nihil probat. Ita Franc. *Curtius de testib. concl. 41. num. 84. Mascard. concl. 1369. num. 52. Cacher. lib. 1. cons. 66. num. 17. Farin. quæst. septuagesima num.* 10.

7 Quinta pars, quod non possit dici maior omni exceptione, patet ex eo, quod potest illi opponi defectus rationis non redditæ valdè notabilis, cum destruat fidem depositioni, *ex eodem num.* 21.

8 Sexta pars, de reddenda ratione super depositione negatiua, patet ea dictis cap. 31. ea enim magis indiget ratione expressa, qua coarctatur depositio, quam affirmatiua. Tenentur ergo reddere rationem depositionis negatiuæ quamuis non interrogetur. *Ex eodem num. 23. ad* 26.

9 Septima pars, etiam testes reprobatorij debent reddere rationem suæ depositionis, habetur apud eundem *Farinac. quæst. 70. num. 38. & 39.*

01 Dixi, regulariter esse reddendam rationem depositionis, nam in aliquibus redditur, in aliis non necessarium, & testis tunc probat, vt mox apparebit.

Quæres 2. In quibus casibus testes debent reddere rationem sui dicti, vt probatio valeat? Lege Farinac. quæst. 70. à num. 45. ad 90. Ego referam illos in ordine ad causas criminales, aliis relictis.

11 ℞. In sequentibus casibus reddenda est ratio sui dicti, aliter probatio nullius est momenti, iuxta dicta in præcedenti quæstione, etiamsi non petatur.

12 Primus casus, deponentes super bona, vel mala fama alicuius, debent reddere rationem sui dicti, esto super id non fuerint interrogati. *Nellus de testibus num. 172. & 176. Campeg. Reg. 192. fallent. 4. & 5. Roland. lib. cons. tertio, numero 51. cum aliis Farinac. quæstion. septuagesima, numero 48. ad.* 50.

Secundus est, deponentes super notorio, debent reddere rationem & non interrogati. *Campeg. reg. 191. fallent. decima-octaua Farinac. numero quinquagesimo-secundo.* 13

Tertius casus est de deponentibus super consuetudine, debent enim reddere rationem sui dicti etiam non interrogati, cum potius sit iuris, quam facti. *Decianus lib. 2. cons. 51. num. 29. Bursatus lib. 4. cons. 360. num. 76. Farinac. num. 54. & 55.* 14

Quartus casus de deponentibus super amentia, seu furore, qui debent reddere rationem etiam non petitam, cum hæc percipiantur potius iudicio intellectus, quam sensu corporeo. *Campeg. Reg. 192. fallent. 2. 8. & 19. Nellus num. 134. §. Id in si agatur, Crottus num. 307. fallent. 7. Menoch. lib. 4. cons. 311. num. 28. Farinac. num.* 59. 15

Quintus casus, in probante adulterium, & similia carnis delicta, quæ cum immediatè non possint, nisi raro videri, debet testis reddere bonam rationem sui dicti etiam non petitam. *Bald. in l. Solam C. de testibus Vers. Quapropter. Mascard. concl. 65. num. 8. & concl. 1369. num. 48. Farinac. num.* 60. 16

Sextus casus, in probanda amicitia, vel inimicitia reddenda est ratio etiam non petita. Bald. cit. num. 1. prope finem. *Mascard. conclus. 900. num. 8. & concl. 1369. num. 21. Farinac. qu. 70. num.* 61. 17

Septimus casus, in probanda negligentia aut diligentia reddenda est ratio etiam non petita. *Bart. cons. 73. alias 6. apud Baldum cit. l. Solam, num. 12. cum aliis Farinac. quæst. 70. num.* 68. 18

Octauus casus, in probanda iracundia ratio etiam non petita reddenda est. *Cum aliis Farinac. quæst. 70. num.* 69. 19

Nonus casus, in probatione, quod aliquis sit vagabondus. *Nellus de testibus num. 234. §. Idem si velles Farinac. num.* 77. 20

Decimus casus, in deponente super comparatione litterarum. *Campeg. reg. 192. fallent. 7. & 13. Farinac. num.* 79. 21

Vndecimus casus, in deponente super vi illata alicui. *Socinus regul. 401. fallent. vlt. Farinac. quæst. 70 num.* 81. 22

Duodecimus casus, in probatione doli. *Bertrandus cons. 103. Mascard. concl. 1369. num. 28. Farinac. num.* 89. 23

Decimus-tertius casus, in probatione hæresis testes debent reddere rationem etiam non petitam. *Alex. lib. 1. cons. 15. num. 6. Simanch. de Catol. instit. tit. 51. Rubr. de probat. num. 6. Vers. Sic etiam Mascard. concl. 855. num. 12. & 13.* 24

In prædictis igitur casibus, qui potius sunt iuris, quam facti, ratio scientiæ etiam non petita ab examinatore omnino reddenda est, quia cum huiusmodi delicta magis percipiantur iudicio intellectus, quam corporeo sensu, ratio est, quæ iudicem mouet ad credendum. Patent hæc ex supradictis. 25

Quæres 3. In quibusnam casibus testes probent, quamuis non reddant rationem, & causam scientiæ sui dicti?

℞. Testes non tenentur reddere rationem sui dicti in iis, quæ sunt facti, & sensu corporeo percipiuntur, nisi de causa scientiæ interrogentur. Ita omnes *cum Farinacio quæstione septuagesima, numero 91. &* 93. Nisi interrogentur, quia tunc eam reddere tenentur, & si non reddunt, à quocunque petatur, siue ab examinatore, siue à iudice, siue etiam ad instantiam partis, esto alias non tenerentur reddere, nihil omnino probat? *Anton. Gomez. tom. 3. Var. cap. 12. Rubr. de probat. delict. numero 10. Campeg. reg. 192. fallent. 1. Mascardus concl. 1369. numero 49. cum multis aliis, Farinacius quæst. septuagesima, numero* 4. In sequentibus casibus ratio non redditur, nisi petatur. 26

27 Primus casus in teste, cuius depositio est adminiculata, cui creditur sine redditione rationis. *Bald. in l. Solam C. de Testibus in summario, & Salicetus ibidem, apud Farinac. quaestion. septuagesima, numero 95.*

28 Secundus casus in teste, qui eam semel reddidit, si enim iterum exigatur, non tenetur respondere, sufficit enim, quod semel bonam dederit rationem, non enim multiplicanda sunt entia sine necessitate. *Nellus numero 138. Lamfrancus numero 23. Campeg. reg. 193. Fall. quart. & sext. Grammat. cons. ciuil. 35. numero tertio, Farinac. numero 97.* Procedit, vt si reddat nouam rationem nullam, aut insufficientem, non praeiudicet priori, cum qua possit concordari. *Caguolus in l. 1. ff. Si cert. petat numero 92. Farinac. quaestion. septuagesima, numero 98. ad* 100.

29 Tertius casus in defendente reum inquisitum, vt quod homicidium sit ad defensam. *Nellus num. 151. §. Testis inductus, Campeg. reg. 193. fallent. decimotertio. Dec. lib. quarto, cons. 549. numero sexto, Clarus quaestion. 53. fine, Mascard. quaestion. quinta, numero 124. & concl. 490. numero sexto. Farinacio quaest. septuages. num.* 101.

30 Quartus casus in deponentibus super sua peritia, quia habent praesumptionem pro se, Intellige in peritis electis à iudice, nam electi à parte debent reddere causam scientiae. Ex allegatis *à Farin. in quaestion. septuages. num. 102. ad* 105. vbi supradictum intelligunt de testibus peritis, & non de imperitis, qui debent reddere rationem sui dicti.

31 Quintus casus in deponentibus super delicto cadente super sensu corporeo, vt percussio. *Ex aliis Farinac. quaestion. septuagesima, numero* 106. qui numero 107. id non admittit ex dictis à se numero 14. reddenda ergo est ratio, siue testis dicat, *se scire, quod Titius occidit Seium*, seu *scio*, aut *verum est*. In his rationem afferre debet; inquit num. 110.

32 Sextus casus in deponente circa tempus, qui enim asserit: *Hodie est vnus mensis*, aliam rationem dicere non tenetur, nisi quia scit ita esse. *Campeg. reg. 192. fallent. sexta Farinac. quaestion. septuages. num.* 112.

33 Colligitur ex praecedentibus quaestionibus, causam scientiae esse reddendam magis in casibus, qui percipiuntur iudicio intellectus, quam in aliis, qui sensu corporeo sentiuntur; quamquam si in omnibus reddatur ratio, probatio magis confirmatur, & sit inconcussibilis,

Quaeres 4. An magis credendum sit testibus reddentibus rationem, quam non reddentibus?

34 ℞. Vtique, vt dixi etiam capite 31. quaest. 18. Isti autem non praeiudicant depositioni aliorum, qui rationem reddiderunt, quia vtile per inutile non vitiatur. *Farinac. quaestion. septuagesima num. 19. de Bictie quaestion. 90. num. 5.*

Quaeres 5. An reddenda sit ratio, quando res, super qua deponitur percipitur simul corporeo sensu, & iudicio intellectus?

35 ℞. Si praeualeat iudicium intellectus, reddenda est ratio sui dicti, si vero praeualeat iudicium sensus, non est reddenda. Ita *Ioan. Sicar. in l. Solam, C. de testibus numero quarto, vers. concludendo, Farinac. num.* 94.

Quaeres 6. Per quem sensum testis debeat reddere rationem sui dicti?

36 ℞. Per illum sensum, qui proportionem habet cum delicto, nam delictum dicitur esse illius obiectum, ac proinde homicidium, furtum, percussio, & similia, quae relinquant post se corpus delicti, & percipiuntur per sensum visus, per eundem à teste reddenda est ratio, & non per alium, qui non habet proportionem cum delicto visibili. Similiter delicta quae percipiuntur per sensum auditus, vt haeresis, blasphemia, iniuriae, &c. probantur, reddita ratione per eundem sensum auditus, non sunt ergo reddendae rationes per confusionem sensuum, sed vnicuique delicto proprius sensus correspondere debet cum ratione sibi proportionata, ratio ergo debet esse ocularis respectu delictorū, quae oculis videntur, & auricularis respectu delictorum, quae auribus percipiuntur, ex quibus testes alij vocantur oculares, alij auriculares. Vide allegatos *à Farinac. quaestion. septuagesima, num.* 127. & 128 Bona ergo est ratio eius, qui dicit *Fui praesens, & vidi*, respectu delictorum, quae videntur. *Fui praesens, & audiui*, respectu aliorum delictorum, quae solum auribus audiuntur.

Quaeres 7. An per sensum visus reddi possit ratio eorum, quae auditu percipiuntur? vt sonitus campanae, iniuriae, &c.

℞. Non est bona ratio ea visu, quandocunque delictum solo auditu percipitur, vt sunt iniuriae, &c. nisi testis esset idiota, qui grasso modo loqueretur, & interpretaretur eius ratio per visum .i. auditum. Si vero delictum esset mixtum ex vtroque sensu, bona esset responsio per sensum visus, denominatio enim fuisset à nobiliori, qualis est sensus visus supra auditum, Exempli gratia, vidi campanam sonantem, percipitur enim motus eius per visum, ex quo sequitur sonus, non enim sonat campana sine motu. Ita *Farinac. quaestione septuagesima, à numero 129. ad* 134. reconcilians opiniones diuersimodè loquentium. Debet nihilominus examinator admonere testem, vt clarius, & ad propositum loquatur. 37

Quaeres 8. An bona ratio haec: *Scio, quoniam percepi sensu corporis?*

℞. Mihi non videtur bona, quia ratio legitima, & bona ea vocatur, quae est congrua, & necessario concludens, qualis non est haec, quae incerta est. & ambigua, cum ea ca non specificetur sensus visus, aut auditus, quibus sensus est indifferens. Ita Baldus *in l. Testium C. de testibus quaestion. tertia, num. 10. cum Felino*, contra alios, quos sequitur Farinacius quaestion. septuagesima, numero 143. Si enim bonam non tradit rationem respondens per auditum, cum debet reddere illam per visum, ea codem Farinac. numero 128. sequitur, quod nec bona sit ratio reddita per sensum in genere, latent enim aequiuocationes in genere, quae non reperiuntur in specie. 38

Quaeres 9. An sit bona ratio illa, quae eisdem constat verbis cum dicto? Exempli gratia, *Ego scio hoc, quia scio.* Item, *Scio, quia ita est.*

℞. Negatiuè, quia vt dixi initio scire est rem per causam cognoscere, causa autem est aliud à suo effectu, ergo & ratio à suo dicto aliter respondere idem per idem est petitio principij, & inutilis responsio. Ita omnes cum *Farinac. quaestion. septuagesima, numero 144. ad* 146. 39

Quaeres 10. An sufficiat ratio annexa ipsi dicto, cum quo sit coniuncta?

℞. Affirmatiue, quia eadem est virtus taciti, & expressi. Ita omnes *Farinac. quaestion. septuagesima, numero* 149. 40

Quaeres 11. An redditio causae scientiae debeat esse scientifica more Philosophorum, & Peritorum?

℞. Sufficere, quod naturaliter reddatur iuxta capacitatem respondentis: *Baldus in capite, Cum causam 37. de testibus, numero 15. Farinac. quaestion. septuagesima, numero* 150. 41

Quaeres 12. Quomodo ratio debeat de necessitate concludere?

℞. Tunc rationem debere de necessitate concludere, quando versatur circa obiectum perceptum immediatè per sensum visus, & auditus, debet enim tunc immediatè tangere obiectum. Alias non, sed sufficit, quod concludat praesumptiuè, vt in pluribus. 42

bus, & frequenter, atque à communiter accidentibus. De communi *Farinac. quæstion. 70. num. 147. & 148.*

Quæres 13. An deponens de sua conscientia debeat reddere rationem corporalem?

43 ℞. Negatiuè, quia adducere debet eam rationem, quæ eius conscientiam mouit. *Farinac. quæstion. 70. numero 151.*

Quæres 14. An sit bona responsio hæc: *Scio quia fui præsens.*

44 ℞. Affirmatiuè, quia ad veram & ocularem testificationem requiritur, quod testis fuerit formaliter præsens delicto, quod vidit, vel audiuit fieri. Ita omnes *cum Farinac. quæstion. 70. numero 152.* Vnde ea ratio est communis vtrique delicto, quod ex ea probatur. Vide ibi limitationes.

Quæres 15. An hæc ratio sit bona? *Scio, quoniam nullus dubitat. Scio quoniam omnes sic dicunt?*

45 ℞. Negatiuè. Ita Canonistæ *in capite cum causam 37. cum Farinac. quæstion. 70. numero 161.* Ratio est, quia reddit rationem ex scientia, & fide aliena, non ex propria, vt deberet, & sic nihil probat.

Quæres 16. An hæc, *Scio, quoniam certus sum,* sit bona ratio?

46 ℞. Negatiuè, *Socinus reg. 401. fallens. 5. Mascard. concl. 1569. numero 57. Farinac. numero 162.* Quia est potius petitio principij, vt aiunt Philosophi, quam redditio causæ, nam adhuc remanet inuestigandum, ex quo habeat certitudinem.

Quæres 17. An hæc, *Scio, Scio, quia reperio in meo memoriali,* ratio sit bona?

47 ℞. Affirmatiuè, *Nellus de testibus numero 142. Farinac. quæstion. 70. numero 163.* censetur enim notare ea, quæ sunt vera.

Quæres 18. An sit bona ratio respondere: *Id scio, quia sum vicinus, quia sum consanguineus?*

48 ℞. Affirmatiuè, quia vicini præsumuntur scire facta vicinorum, expresse *capite, quosdam, septim. capite; quando octauo de præsumptio.* vbi in priori cap. Barbosa citat auctores de hac re agentes. *Farinacius quæst. 70. num. 164.*

Quæres 19. Qualis sit ista probatio? An scilicet concludat de necesse, & immediatè, an præsumptiuè, & dicatur probatio iuris de iure, ita vt querelatus succumbat, si non probat contrarium?

49 ℞. Concludit præsumptiuè, & ex ea reus non condemnatur ad pœnam ordinariam, sed mitiorem, est præsumptio iuris, & non hominis, & ideo reus debet probare contrarium, ne succumbat.

50 Prima pars de probatione præsumptiua, patet ex citatis iuribus, cum de iure præsumatur, vicinos habere notitiam factorum suorum vicinorum, cum quibus solent conuersari. *Farinac. quæstion. 70. numero 185. & 196. ex Menoch. lib. sexto de præsumptio. 24. numero 49. Ripa in l. 1. ff. Si cert. petat numero 124.*

51 Secunda pars, de pœna mitiori, probatur, quia ad pœnam ordinariam requiritur probatio de necesse, non de præsumptione, ex allatis à *Farinac. quæstion. septuages. numero 189. ad 193.* Sententia tamen ex huiusmodi probatione nunquam transit in iudicatum, *numero 194.*

Tertia pars, quod sit præsumptio iuris, non hominis, patet ex dicto sub prima parte *ex tit. de præsumpt. Farinac. num. 186.*

53 Quarta pars, quod reus debeat probare contrarium, ne succumbat, est *Farinac. quæstion. septuagesima num. 188.* dum enim vicini probant præsumptiuè, probatio debet obtinere suum effectum, nisi elidatur per contrarias probationes.

Quæres 20. An per rationem vicinitatis probetur quis vsurarius?

54 ℞. Probari in genere, si deponat de aliquo actu particulari, inquit *Farinac. num. 174.* contra Menochium, Ripam, & Purpuratum ab eo citatos.

Quæres 21. An probetur, aliquam esse meretricem?

℞. Affirmatiuè. *Ripa in l. 1. ff. Si cert. pet. numero 55. Felin. in cap. literis, de præsumpt. numero sexto Farinac. num. 176.* 55

Quæres 22. An per vicinos probetur hæresis?

℞. Non probari hæresim in genere, hæc enim cum ore profertur transit in momento, potest vero probare hæresis suspicionem ex aliquo facto cadente in cognitionem vicini, vt si deponat, vicinum comedisse carnes in diebus prohibitis, actus enim super quo vicinus deponere potest, vt ei credatur, debet esse frequentatiuus, & successiuus. Ita allegati à *Farinac. quæst. 70. num. 178.* 56

Quæres 23. An per vicinum probetur quis aleator, fœnerator, blasphemator, venator, &c.

℞. Affirmatiuè, quia hæc delicta solent pluries, & successiuè committi, & sic innotescere vicinis. Ita *Purpuratus in l. 1. ff. Si cert. petat. num. 108. Bolognet. ibid. num. 31. fine. Farinac quæstion. septuagesima numero 179.* 57

Quæres 24. An per vicinos probentur delicta carnis, homicidium, furtum, & aliud intra domum factum?

℞. Negatiuè, quia hæc solent fieri in abscondito, nec patent oculis vicinorum tanquam turpia. Ita Cagnol. *in l. 1. ff. si certum petat. numero 108. & 124. Felin. in capite literis de præsumptio. numero sexto & septimo, Menoch. lib. sexto præsumption. 24. numero quarto & sexto, Farinac. num. 183.* 58

Quæres 25. An per vicinitatem probetur dolus, & fraus?

℞. Negatiuè, quia cadunt sub sensu corporeo, nec ita patent oculis, vt præsumi possint sciri à vicinis. *Aretinus in l. 1. ff. Si cert. petat. num. 15. Farinac. num. 184.* 59

Quæres 26. An in actibus momentaneis procedat ratio vicinitatis?

℞. Negatiuè, quia momentanea non solent obseruari à vicinis, nec cadere sub eorum oculis. *Farinac. num. 197. & 198.* Vicini ergo præsumuntur scire, quæ communiter, & verisimiliter solent illis esse nota, *ex eodem numero 199.* Et quæ communiter accidunt, seu alia, quæ à iure præsumuntur, *numero 201.* 60

Quæres 27. An ratio vicinitatis probet in iis, quæ pendent à iudicio intellectus?

℞. Negatiuè, quia hæc latent vicinos vel incorporea, ideo ab eis non præsumuntur sciri. Farinac. num. 202. 61

Quæres 28. An sit magis credendum vicinis, quam remotis?

℞. Vicinis, nisi extraneis factum, seu dictum immediatè perspexerint, quia hæc probatio est concludens per necesse, & illa concludit tantum præsumptiuè. *Farinac. quæstion. septuages. num. 195. & 196.* 62

Quæres 29. An probanda sit vicinitas asserta à teste?

℞. Quando duo testes se inuicem referunt, & nominant pro vicinis, seu coniunctis, aliter qualitas vicinitatis probanda est per duos testes, cum testi asserenti se vicinum esse reo credendum non sit. Cagnol. in l. ff. Si cert. petat. num. 136. Farinac. qu. 70. num. 205. & 206. 63

CAPVT XXXIX.

De Testibus inarticulatis.

TEstis inarticulatus dicitur ille, qui deponit extra articulos, super quibus est interrogandus, seu qui deponit extra totam causam, referens impertinentia,

tinentia, quæ nullam habent connexionem cum articulis, neque cum cauſa, à qua non dependent, nec illi acceſſoria ſunt. Ita colligo ex Doctoribus allegatis à Farinac. q 71. initio.

2 Teſtes autem huiuſmodi nihil probant, quia loquuntur impertinentia, & pro ſuſpectis habentur, tamquam voluntarii, & non vocati ad ea, quæ ſunt extra cauſam. ita omnes cum Canoniſtis, *in capit. De teſtibus 29. de teſtibus vbi Barboſa quam plures refert Doctores, Farinacius quæſtion. 71. numer. prim. & ſecund.*

3 Pertinentia autem ad articulos expreſſos in querela, ſeu in tota cauſa, ſunt ea, quæ conducunt
ad illius perfectam cognitionem tam pro reo, quam
4 contra, & ad fauorem actoris. Vnde primo ſequitur, teſtem interrogatum, an ſit amicus, an excommunicatus, &c. Reſpondere legitime, & non extra articulos, quia iudicis eſt quærere de habilitate teſtium, vt ſciat qualis ſit probatio per illos inducta. Ita Bartolus *in lib. Si quis libertatem ff. de petit. hæred. numer. 10. §. Solutio, ibidem Bald. numer. 3. fine, verſ. Veritas eſt, cum aliis Farinac. quæſtion. 71. num. 5.*

5 Secundo probat teſtis deponendo ſuper connexis, dependentibus, & acceſſoriis, ex eiſdem *cum Farinac. q. 71. num. 20.*

6 Tertio probat, ſi depoſitio extra articulos ſit declaratiua ipſorum articulorum, *Farinacius numer. 14. & 15.*

7 Quarto probat, ſi deponat de fama, quia pertinet ad cauſam. Paulus de Caſtro, *in lib. ſi duo patroni, §. Idem Iulianus, ff. de iureiur. numer. 14. & ſ. Pene etiam, Felinus in cit. cap. 29. de teſtibus Farinacius numer. 26.*

8 Quinto probat deponens in cauſa ſcientiæ etiamſi non fuerit articulata, cum non dicatur eſſe extra articulos, ea enim eſt anima depoſitorum articulorum. *Maſcardus concluſion. 1371. numer. quart. & quint. aliiſ cum Farinacio quæſtion. 71. numero 30.*

9 An deponens omnino extra cauſam, ſit periurus, ſi fuit mendax, & an noceat dictis ſuper articulis?

10 ℞. Negatiue quo ad vtrunque, nam iuramentum non excedit cauſam, nec ad impertinentia ſe extendit, ac proinde tenet probatio in reliquis, cum vtile non vitietur per inutile. *Natta conſ. 66. numer. prim. Gabriel. co ſ. 42. numer. 11. cum aliis Farinacius quæſtion. 67. numer. 134. & quæſtion. 71. num. 11.*

11 Demum pono exemplum pro intelligentia depoſitionis inarticulatæ, & extra articulos omnino impertinentis. Querela eſt articulata ſuper homicidio; & teſtis productus deponit non ſolum de homicidio, ſed etiam de blaſphemia, ſeu hæreſi, aut furto, &c. Quæ nullam connexionem habent cum eo homicidio, in quo alia delicta mixta non erant ad eius perfectam notitiam, & ſic huiuſmodi depoſitiones vt omnino impertinentes habentur pro non ſcriptis, & nihil probant, nec tamen inficiunt datam reſponſionem pro homicidio.

CAPVT XL.

An Teſtes examinati parte non citata probent?

1 CLarum eſt in iure, teſtes examinatos parte non citata ad videndum iurare teſtes eoſdem, nullam probationem facere, expreſſe *cap. 2. cap. Veniens 38. de teſtibus cap. Quoniam 5. Vt lite non conteſt. cap. Qualiter 24. de accuſat. §.* Debet igitur eſſe præſens is, contra quem facienda eſt inquiſitio. *Et l. Si quando 15. C. de teſtibus*, Doctores referunt, *Barboſ. ſuper cap. 2. & 38. de teſtibus Farinac. quæſtion. 74. à num. 87. Guazin. Defenſ. 14. cap. 9. per totum.* Quare cum nullæ ſint teſtium depoſitiones, de neceſſitate repetendi ſunt, vt valeant & probent.

Hoc autem ita verum eſt, vt nec Iudicium faciant ad torturam, vt colligitur ex illis verbis. *Nullius momenti*, ex capit. ſecund. de communi *Farinacius quæſtion. 72. numer. 94. qui numer. 98.* ait procedere etiam in iudice habente liberum arbitrium, procedente etiam manu regia; niſi in caſu notorio, & valde diffamato, *ex Burſato conſ. 201. à numer. 97. ad*
219. Farinacio numer. 99. Teſtes igitur, vt aiunt, 3
recepti in ſummario parte non citata, repetendi ſunt in plenario, cap. Veniens 38. de teſtib. Sed plerique ſunt caſus, in quibus teſtes recepti ſine citatione partis, probant, nec ſunt propterea repetendi, quos refero.

Primus eſt, quando reus contumax eſt, & ab- 4
ſens, tunc enim teſtes recepti ſine illius citatione probant, & non ſunt repetendi, vnde ſibi imputet reus, non audiendus ſuper repetitione teſtium vti contumax. *Expreſſe cap. 2. de teſtibus cap. Quoniam 5. Vt lite non cont. & cap. 24. de accuſat.* Si reus compareat ante condemnationem teſtes ſunt repetendi, non poſt condemnationem, *ex Bertio, Claro Farinac. quæſtion. 72. à num. 100. ad 102.*

Secundus eſt in teſte mortuo, cuius depoſitiones 5
probant, nam mors habet vim iuramenti, *ex Lambert. de contron. Gloſſ. 11. numer. 20.* iuramentum autem, & citatio æquiparantur, *ex Decio ſuper dictum cap. 2. numer. 32. Maſcardus concluſ. 682. numer. 6. Farinac. quæſt. 72. numer. 129. ad 133.* Ratio hæc non placet, quia in omni caſu teſtes iurant: ergo etiam parte non citata, cum habeatur pro citata ex vi iuramenti. Cum autem mors omnia ſoluat, ſoluit etiam hanc legem de repetitione teſtium, quæ facta eſt impoſſibilis, & ideo hunc caſum excipit cap. Quoniam, vt lite non conteſt.

Tertius caſus, probant in notoriis; Ita Roman. *ſing.* 6
369. Socinus reg. 406. Fallen. 1. cum aliis Farin. quæſt. 76. num. 109. ad 112.

Quartus in probanda infamia, *ex cap. 24. de ac-* 7
cuſat. Farinacius quæſtion. 72. numer. 113. vbi quod teſtes recipi poſſunt etiam ſine iuramento, *ex eodem num. 101.*

Quintus, probant etiam informationes receptæ ſu- 8
per abſentia inquiſiti, abſentia enim non debet præiudicare parti, *Farinac. q. 72. num. 114.*

Sextus, in crimine hæreſis. *Farinac. quæſt. 72. n. 115.* 9
Salelles par. 1. Reg. 175. num. 235.

Septimus, probant ad capturam, aliter ſi eſſent rei 10
citandi, omnes fugerent. *Farinac. quæſtion. 72. numer. 134.*

Octauus, teſtes probant parte non citata, quan- 11
do reus vult habere eos pro repetitis, huic enim fauori renunciare poteſt, ſi vult. *Farinac. quæſtion. 72. numer. 149. ad 160. Carena par. 3. tit. 7. numer. 33.* Nihilominus renunciationem factam reuocare poteſt; poteſt enim reus redire ad renunciata, nondum à parte acceptata, *Carena par. 3. tit. 7. num. 35. Farinac. q. 72. num. 151. & ſeq.*

Nonus eſt in cauſis regularium, in quibus teſtes 12
ab initio examinati ſine citatione partis probant, ac proinde non ſunt repetendi. Ita *Petrus ab Angelis cap. 17. num. 6. ad 10. Rodriq. tom. 2. quæſtion. 18. artic. 3. Suar. tom. 2. de relig. lib. 10. cap. 12. numer. 38.*
Lezana par. 1. cap. 27. numer 13. Villalob. tractat. 17. 13
difficult. 7. numer. 5. Pirellus par. 1. caſu 20. numer. ſeptim. vbi ait id ſeruari etiam in viſitatione generali, vt non repetantur teſtes, num. 8. conſu-

lit, vt repetantur ad euitandas contentiones, sequen-
do doctrinam Nauarrum in cap. de iudic. numer. 79.
Et id puto verum in generali inquisitione, non au-
tem in speciali, supradictos sequitur, *de Bictis quæst.*
51. numer. 6. de S. Iuliano cap. 5. aduers. 27. §. 1. &
13 3. Ratio est, quia citatio partis, ad examinandum
testes, spectat ad apices iuris, *ex Clem. Sæpe, de verb.*
signif. Repetitio enim testium sequitur ad contesta-
tionem litis. Confirmatur, quia fides testium non
pendet à citatione partis, cum illis non tribuat ve-
ritatem, cum potius vellet, vt sibi fauerent depo-
nendo mendacium pro se, ergo signum est, quod ci-
tatio partis non facta ex natura rei non constringit di-
ctum testis, sed id pendet à solemnitate iuris, ergo
spectat ad eius apices. Adde, quod in præcitato cap.
qualiter 24. de accusat. vbi fit mentio de præsentia
rei, contra quem fit inquisitio, excipiuntur regulares,
qui vsquequaque non tenentur seruare ordinem iuris
sibi præscriptum, nempe accidentalem, qualis est
citatio rei in receptione testium. Vide dicta sub ca-
pit. secund. numer. sext. & à numer. 35. vsque ad fi-
nem.

14 Nota, hic aliquos iudices Ecclesiasticos, ad quos
per Religiosos reos fit appellatio, male agere, in-
terloquendo fauore illorum, à iudicibus regulari-
bus, non fuisse seruatum ordinem accidentalem iu-
ris, & ipsius apices, ac proinde pronunciant inique
processum esse nullum, debent enim in loco de-
ferre iudici, qui suis priuilegiis vsus fuit, & le-
gitime formauit processum, postpositis apicibus
iuris.

15 Duo dubia remanent discutienda. *Primo*, an iu-
dex sæcularis teneatur legere depositiones testi re-
petendo, quas fecerat in priore examine, si illas pe-
tat? *Secundo*, quando variat, cuinam dicto stan-
dum sit?

16 ℞. Ad primum, esse in libertate iudicis relegere
testi primum examen, tamen ratio id suadet, quan-
do testi dicit esse debilis memoriæ, & multum tem-
poris intercessit. Quod si non vult relegere illi pri-
mum examen, protestari nihilominus poterit, se
semper remittere ad priores depositiones, & si in
posteriori examine variauerit, valebit protestatio,
ex adductis à Farinacio quæst. 66. numer. 43. quid-
quid dicant alij numer. 54. quod non potest testis se
remittere primo examini & sic tollunt de medio re-
latiuam depositionem, qui tamen vt dixi numer.
43. ait cum Bartolo esse admittendam, & rem in
sequentibus varie explicat: & aliorum potest esse
ratio, vt non admittatur relatiua depositio, quia
secunda non potest fundari in prima, nec ad eam
habere relationem, cum prima depositio, parte in-
citata, nulla fuit, ergo super ea non potest fun-
dari secunda, nihilominus admittitur, *ex citatis à*
Farinacio citat. à Carena part. 3. titul. 7. nume-
ro 59.

17 Ad secundum dico esse standum secundo dicto
repetitionis, & non primo, ex quo nihil fuit, *ex di-*
ctis cap. 25. numer. 18. contra Menochium relatum de
Angelis *cap. 16. fine.*

CAPVT XLI.

De Examine Testium.

1 IVdex non impeditus per seipsum debet examina-
re testes, quia id est eius officium. Ita *Author.*
Apud eloquentissimum, C. de fide instrument. cap. 2. de
iudic. in 6. aliis citatis Barbos. ad cap. Si qui testium,
de testibus, numer. 3. vers. limita, Rodriq. tom. 2.
quæstion. 14. articul. 1. de S. Iuliano cap. 5. Aduert.
15. initio de Angelis cap. 16. numer. 4. Si tamen sit
impeditus examinare potest per suum Notarium, si-
cut & Regularis per suum socium, seu Secreta-
rium, sic enim intelliguntur à præcitatis supradicta
iura.

In primis autem iudex debet admonere testem de 2
importantia iuramenti ab eo exigendi, secundum
quod cogitur dicere veritatem super his de quibus erit
interrogandus.

Secundo testis interrogatus de suo nomine, cog- 3
nomine, ætate, professione, & patria respondere te-
netur adæquate, & sigillatim, nec sibi nomen va-
riare, & mutare; ætatem proferre, iudex scire possit, an
sit testis habilis, iuxta dicta *cap. 11. num. 24. de An-*
gelis cap. 16. num. 8.

Tertio in scriptis non potest deponere, sed viua
voce narrare debet factum prout est, redigendum 4
in scriptis per Notarium, *ex cap. Testis 15. 3. quæst.*
9. Sanchez lib. 6. cons. cap. 6. dub. 19. numer. 3. Ro-
driq. tom. 2. quæstion. 14. artic. 4. quia vox maiorem 5
habet energiam, quam scriptura, *Trulench. lib. 8. de-*
cal. cap. 3. dub. 6. numer. 5. de Angelis cap. 16. numer.
2. An autem deponere viua voce sit quid substantia-
le, an apex iuris? Videntur hoc posterius supponere
Felinus, Couarruuias, & Sayrus, ex Fagundez libr.
8. in Decalog. cap. 40. numer. 6. vbi, ait; Scriptam 6
depositionem tradere posse iudici cum iuramento,
coram quo eam legit, quando res est valde intrica-
ta; quod etiam facere potest persona grauissima, vt
refert *de S. Iuliano cap. quint. Aduert. 5. §. 2.* cui id
non placet, cum non sit apex iuris, sed quid sub-
stantiale, & probat, quia testis de multis circun-
stantiis loci, temporis, qualitatis, &c. Interrogan-
dus à iudice, non potest comparere, & deponere
per scripturam iam factam, & si vult eam facere
coram iudice, tempus volat inane, cum iudex suis
interrogationibus rem quamuis intricatam explana-
re possit, interrogatoriis ergo testis occurrere debet
viua voce, non scripta, itaque apex non est, sed sub-
stantiale, secundum hunc Doctorem.

Farinacius autem *quæstion. 80. numer. 40. & ex eo* 7
de Bictis quæstion. 53. numer. 13. ait, iudice, & par-
tibus non contradicentibus, valere depositionem te-
stium per relationem ad scripturam, quam recipe-
re, & admittere potest iudex, multis citatis *numer,*
49. & 53. quod idem Farinacius numer. 52. & cum
eo de Bictis, ait procedere apud illos iudices, qui
procedere possunt, omissa omni iuris solemnitate,
& id seruatur apud Capucinos, qui depositiones in
scriptis manu testis recipiunt, ea quo est secutus,
quod eius depositio adulterari non potest à Secreta-
rio. Sequitur ergo ex his reuera id pertinere ad api- 8
ces iuris, hoc enim modo etiam intricata dilucidari
possunt, cum testis melius iudice possit in scrip-
tis quoque declarare factum referendo omnes circun-
stantias.

Quarto, testes sunt interrogandi super loco, &
tempore, quibus delictum fuit commissum, & quibus 9
personis præsentibus, hæ enim circunstantiæ valde fa-
ciunt ad inuestigandam veritatem, de qua re vide *Ro-*
driq. tom. 1. quæst. 14. artic. 6. de S. Iuliano cap. 5. Ad-
uert. 15. §. 6.

Quinto, testes non simul, sed singulariter sunt se- 10
creto examinandi à iudice coram solo Notario, ne
vnus audiat depositiones alterius, vel concordent ex
relatione vnius ab alio, *ex cap. Inquisitionis §. 1. de*
accusat. Farinac. quæst. 80. num. 93. de Angelis cap. 16.
num. 13.

Sexto, iudex audire debet omne id quod dicit, & 11
Notarius scribere omnia tam pro reo, quam contra
reum, siue sit perductus pro eo, siue contra ipsum,
Sanchez libr. 6. consil. cap. 5. dub. 7. de Lugo disp. 35.
de iust. numer. 15. de S. Iuliano cap. 5. Aduert. 15. §. 6,
num. 12.

Septimo,

12 Septimo, vnusquisque testis per extensum est examinandus, hoc est, vnus testis non debet se remittere ad id, quod alter dixit; nec Notarius ita scribere potest dicta vnius tastis per relationem ad alium, quia non plurium, sed vnius tantum esset dicenda testificatio, dum posteriores interrogati se remittuntur ad dictum prioris testis, & sic omnium vnica esset fides in primo reposita, in quo sensu nihil probaretur, si enim relatiua probatio, qua idem testis in secundo examine se remittit ad id, quod dixit in primo examine, non valet, secundum aliquos, vt dixi cap. 40. num. 16. à fortiori non valebit huiusmodi relatio inter personas distinctas, vt colligitur *ex cap. Nihil obstat, de verb. signif. vbi Canonista quos pro se refert Farinac. quæst.* 80. *num.* 103. *qui num.* 104. tamen contrariam opinionem fundatam in vsu, quæ tamen mihi non placet, quia quilibet debet deponere ex propria scientia, & fide, & quodam modo non se subnicere fidei alterius; debet igitur deponere & ore suo narrare, quod scit super delictum, de quo interrogatur.

13 Præterea interrogatus non debet respondere; *ea, de quibus me interrogas, omnia omnino sunt vera*; sed oportet respondere veritatem per propria verba in scriptis redigenda à Notario, iudex enim ex discursu facto à teste, & modo loquendi illius considerat constantiam,& eius trepidationem. ita *Iacob. Ægid. de testib. num.* 25. *Bertach. in suo repert.* 11. *Testes deponunt*, asserentes non probare, si non extendat suum discursum, contra plures alios, *quos Farinac. quæst.* 80. *numero* 102. *reconciliat*, dicendo probare si addat bonam rationem cum his secundis, non autem cum primis omittentibus reddere rationem.

14 Octauo, licet testes examinari post terminum datum regulariter non probent etiam in criminalibus, *ex Imola in cap. Licet causam, de probat. num.* 28. *Aretin. num.* 37. *Farinac. quæst.* 80. *num.* 62. tamen cum tempus spectet ad apices iuris, nihil pertinet ad regulares iudices, qui possunt etiam ad instantiam partis, & non tantum ex officio suo recipere testes post lapsum tempus. Reliqua vide apud ipsum.

15 Nono, vsus est, quod Notarius expedito examine, illud relegat testi, vt videat, an sit conforme suis depositionibus, & si quid addere, vel detrahere, aut declarare velit, possit antequam recedat à conspectu iudicis, & debet subscribere suas depositiones, & si nescit scribere, saltem crucem ponere, vt fit de more apud Religiosos. Ita *Spathar. tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 5. *Ghisler. cap.* 17. *num.* 102. *Cartar. in praxi examin. reorum lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 6. *cum alijs Peyrin. in Formul. lit. T. cap.* 3. *num.* 2. *Carena par.* 3. *tit.* 7. *num.* 28. *& 29. Guaz. Defens.* 33. *num.* 4.

16 Verum quidem est, quod relectio, & subscriptio pertinent ad apices iuris, cum hæc duo sint de consuetudine, & non de natura iudicij, adeo quod si omittantus adhuc valet processus, nec à reo quicquam opponi potest contra testes, *Portellus par.* 1. *casu* 23. *numero* 2.

17 Decimo, iure inquisitio fiat tribus modis per Visitationem, per Denuntiationem, & per Accusationem, ab his enim tribus modis initium capit omnis processus. In visitatione examinantur omnes, qui vt testes deponere debent id quod certo sciunt, iuxta dicta cap. 3. Posita vero querela in aliis duobus testes vocati respondere debent iudici interrogauti. Quod si quis iudex sine querela inciperet examinare testes, inique ageret, & interrogatio diceretur suggestiua, *ex Bellis quæst.* 80. *num.* 16. De qua suggestione latius quæst. 68. dicam.

18 Vndecimo, testi iudex præcipere debet secretum, ne cuiquam reuelet id quod deposuit, vnde in S. Officio id præscribitur sub pœnis arbitrarijs, etiam cum iuramento, vt omnino taceat, *ex citatis à Carena par.* 3. *tit.* 7. *num.* 31.

CAPVT XLII.

De Teste in articulo mortis.

Testis in articulo mortis constitutus probat, duobus concurrentibus, primo, quod sit mente sanus, secundo,quod articulatè loquatur; non tamen ei plus credendum est, quam alteri existenti sano mente, & corpore, imò minus, & id totum arbitrio iudicis remittitur. 1

Prima pars, quod probet, constat ex eo *Primo*, quia potest testamentum condere, ergo & testificari. *Secundo*, quia in eo statu extremo nullus præsumitur immemor propriæ conscientiæ, *cap. Sanctimus* 26. 1. *quæst.* 7. *cap. significasti* 14. *de homicid.* ergo cum præsumatur veridicus, & non mendax in sua depositione, nulla ratio suadet, eius depositionem non probare. *Tertio*, habet sanam mentem, & articulate loquitur, & solum corpore grauiter vexatur, & languet, ergo nihil ei deest ad legitimam probationem, dum est sanæ mentis. Ita *Aymon conf.* 6. *num.* 51. *Socinus Iun. conf.* 86. *num.* 15. *cum alijs Farinac. q.* 80. *num.* 107. qui antecedenter retolerat contrariam opinionem dicentium non esse credendum testi existenti in articulo mortis deponenti, quia habetur magis pro mortuo, quam pro viuo; & ad illud dictum, quod in eo articulo nemo præsumitur immemor propriæ conscientiæ, respondens esse intelligendum in sui præiudicium, non autem in præiudicium alterius. Sed hæc non obstat, nam prior ratio supponit moribundum esse sensibus, & intellectu destitutum. Posterior vero seipsam elidit. qui enim est immemor aliorum, etiam sui ipsius, quia nocens alteri animam suam lædit. Sed cur tu præsumis illum mentiri in damnum tertij in illo statu, & non eum, qui sanus est corpore, & mente? id enim est iudicium temerarium. 2 3 4

Secunda pars de duabus conditionibus probatur, quia intellectus non sanus non potest deponere super delicto; cum id pendeat ab vsu rationis; neque clarè loqui potest, vt est necessarium, dum depositiones debent esse luce meridiana clariores, si linguam habeat impeditam ob languorem. Necessaria ergo est sanctitas intellectus, & articulatio vocis. Ita *Menoch. lib.* 2. *de arbitr. casu* 97. *num.* 2. *cum alijs Farinac. q.* 80. *num.* 110. 5

Tertia pars, quod ei non sit plus credendum, quam sano, docetur *à Bossio de indic. num.* 186. *&* 190. *Menticell. in Repertorio Testium Rubr. fonium fol.* 103. *ex illis Farinac. num.* 109. *qui cum eodem Bossio num.* 128. ait, minus esse credendum, adducit sub numero 111. Farinac. quod eius dictum est satis periculosum, quia languor grauissimus corporis redundat etiam in intellectum, vnde eum aliis num. 112. ait id esse relinquendum iudicio prudentis iudicis, & concludit num. 113. nunquam ei esse plenè credendum. 6

Dicunt aliqui, & bene, quod plene probat, illis duobus concurrentibus, quando eodem die depositionis non moritur. 7

CAPVT XLIII.

De Teste se vltro offerente.

Ille testis dicitur vltroneus, & spontaneus, qui à parte non productus, nec à iudice vocatus comparet in iudicio ad testificandum, & is sic comparens, non probat nec contra reum, nec pro reo, 1

sed solum facit aliqualem præsumptionem, imò præsumitur inimicus.

1 Prima pars, quod testis non vocatus dicatur spontaneos, asseritur ab omnibus *cum Bartolo in l. Post legatum §. Si vero ff. Quibus vt indig. num. 1. Imola in cap. 2. de testibus num. 8. §. Secus quando, cum alijs Farinac. quæst. 80. numer. 10.*

3 Secunda pars, quod testis spontaneus non probat, ostenditur ex eo, quod pro suspecto habetur, dum se ingerit in re, in qua non est vocatus, imo præsumitur inimicus, secundum *Decianum lib. 2. cons. 51. numero 8. cum alijs Farinac. quæst. 80. num. 4.*

4 Tertia pars, quod non probet contra reum, patet ex mox dictis, dum enim simpliciter non probat, ergo neque contra reum.

5 Quarta pars, quod nec probet pro eo, constat ex eadem ratione, vnde consanguineus se sponte offerens pro consanguineo repellitur, *ex dictis a Farinac. hic numero 2. & quæst. 54. num. 7. & 18.*

6 Quinta pars, quod faciat aliqualem præsumptionem, docetur *a Montisello in Repert. sectium Rubr. Reprobatur quia sponte fol. 255. apud Farinac. quæst. 80. num. 26.* dicens, quod licet testes spontanei non faciant indicium, faciunt tamen præsumptionem.

7 Demum sponte se offerens præsumitur inimicus, secundum allegatos *à Farinac. quæstion. 80. num. 5. Decian. lib. 2. cons. 51. numer. 8. Iacobus de Sancto Georgio in l. Iussit la secund. ff. de testibus numero 7.*

8 In dubio testis non præsumitur sponte, sed rogatus examini se subiicere. Ita *Felin. in cap. 2. de testib. num. 17. Albert. de Maletis cap. 7. de testibus num. 28. fine, Farinac. quæst. 80. num. 24. de Bellis quæst. 60. num 3.*

9 Qui casu repertus in foro iudiciali vocatus ad restificandum, non dicitur testis spontaneus, quia non se obtulit, dum vocatus fuit. Ita *Mascard. quæstion. 5. num. 19. Farinac. quæst. 89. num. 20. de Bellis quæst. 60. num. 5.*

10 Persona valdè digna sponte comparens bene probat, quia ex eius bona conditione tollitur suspicio. Ita *Cæpoll. regul. 167. fallent. 5. Menzar. cons. 8. num. 43. cum alijs Farinac. quæst. 80. num. 21. de Bellis quæst. 60. num. 6.*

11 Nota, Doctores petere citationem testis formalem, ne dicatur testis spontaneus, sed quoniam huiusmodi citatio est ex apicibus iuris, sufficit quæuis monitio, aut vocatio notificata testi vt comparendo velitet, deponat, & probet, patum ergo refert in processu vti verbo citationis, aut monitionis, seu vocationis, hæc enim pro citatione habentur.

CAPVT XLIV.

De Notitia Testium.

1 Testes debent cognoscere delinquentem contra quem deponunt, & si non cognoscunt illum, nisi de visu, debent illum videre, vt notum sit iudici, & testibus, qualis sit delinquens, aliter non probant. Iudex quoque debet eos cognoscere, saltem eo tempore, quo eos examinare vult.

2 Prima pars, de cognitione delinquentis patet ex eo, quod debent discernere delinquentem à non delinquente, quod fieri non potest, si non cognoscatur, siquidem non cognoscere testem est illum ignorare, & nescire, ac proinde non potest fieri discretio vnius ab alio, cum prærequiratur notitia. Ita omnes cum Bald. *in l. final. C. de iure delib. numero decimoseptimo Vers. in maleficiis, ibi Ang. num. 6. cum alijs Farin. quæst. 71. num. 34.*

3 Quod si testis dicat, se reum non cognoscere, sed cognosceret si videret, ille est ostendendus ei, vt recognoscat. *Glos. 11. De Causis cap. Cum causam, de testibus cum alijs Farinacio quæstion. 71. numero 38.*

Secunda pars, quod non probet ignorans delinquentem, constat *ex glos. in Authent. de testibus §. si vero ignoti, glos. 11. cognoscunt. l. final. §. sin autem dubius C. de iure delibér. citata glos. De Causis cap. cum causam, de testibus ibidem Canon. Nullus de testibus num. 248. Vers. si ad probandum, cum alijs Farinac. quæst. 71. num. 32. & 33.* 4

Tertia pars, quod testes debeant esse noti iudici cum partibus litigantibus, probatur, quia cum fides testium debent mouere iudicem ad credendum, necesse est, quod debeant esse noti eidem, quia non testimoniis, sed testibus credendum est, *ex l. Testium 3. §. Idem Diuus Hadrianus ff. de testibus.* Intellige saltem tempore examinis. *Glos. in cuat. lege 11. Quanta fides, ibidem Bartol. num. 5. Farinac. quæst. 71. num. 35.* 5 6

CAPVT XLV.

An testes interrogandi sint de sua turpitudine.

Communis est sententia, quod testis interrogatus à iudice super sua vita, & moribus, non tenetur respondere, & reuelare suam turpitudinem, & infamiam; ac proinde iudicem non licitè interrogase, etiam in Tribunali Sancti Officij. Ratio est, quia huiusmodi interrogatio, & subsequens reuelatio sunt contra omne ius naturale, & humanum ciuile, & Canonicum, ideo non est licita interrogatio, nec reuelatio contra omne ius. 1

Quod sit contra ius naturæ, & diuinum, patet, quia lumen naturæ vnicuique indidit, ne se vituperaret, vnde Prouerb. cap. 5. num. 9. dicitur: *Ne des alienis honorem tuum.* Facit illud commune axioma; *Honorem tuum nemini dabo.* Ita displicet Deo reuelatio propriæ turpitudinis, vt in Exodo cap. 20. numero 26. præceperit Sacerdoti. *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.* In idololatria, explicat Sanct. Thomas 1. 2. quæst. 102. articul. 4. ad 7. Gentiles enim nudabant in suis sacrificiis pudenda Priapi, ideo præcipit ne Iudæi illos imitentur. 2

Quod sit contra ius positiuum, variis in locis id exprimitur, præsertim *cap. Nolo 10. 12. quæstion. 1.* vbi prodigens, & negligens proprium honorem appellatur crudelis, *cap. quia aliquando 87. dist. 5. de Pænit. ibi*, & communiter dicitur, quod allegans turpitudinem suam non auditur, vt. aliis allegatis notat Barb. Axiom. 251. Præterea nemo tenetur testificari cum graui damno spirituali, seu temporali personæ suæ. *Nauar. capite 25. numero 50. Lessius lib. secundo capite 30. numero 50. Vers. sexta ex illis Peyrin. de subd. quæstion. primo capite 16. §. 3. Vers. Dico septimo.* ergo multo minus detegere seipsum pro aliis. Confirmatur, tum quia reus in suis definitionibus potest obiicere testibus ea crimina, quæ eorum depositiones debilitant, ergo non est opus, quod iudex ex officio eum defendat. Tum quia mulier sollicitata non tenetur reuelare consensum præstitum sollicitanti, etsi super eo interrogaretur à iudice, ex Bonac. part. tert. de solicit. numero decimo. Diana par. prim. resol. 8. de denunt. Bossio de sollicit. numero 73. Catena par. tert. tit. septimo numero 73. §. Quinimo. 3 4 5

Farinacius rem hanc tractat sub quæstion. 73. numero 53. vbi citat plures Doctores in hanc sententiam, 6

tiam, quod testis non possit interrogari de iis, quæ crimen, infamiam, & turpitudinem ipsius testis continent, qui numero 56. ait procedere siue crimen sit occultum, siue publicum, & notorium.

7 Contrarium tenet gloss. 11. De causis cap cum causam de testibus & l. Testium 3. ff. de testibus vbi dicitur: *Testium fides diligenter examinanda est ideoque in persona eorũ exploranda erunt, in primis conditio cuiusque vtrum quis Decurio, an plebeius sit, & an honesta, & inculpata vita.* Sed hæc non obstant, quia textus non dicit, quod super his testis sit interrogandus, sed quod in personis eorum facienda est exploratio, ac proinde ex aliis cognitio hæc habenda.

8 In Sancto Officio res videtur pati difficultatem, quia reis non datur copia processus cum nominibus testium, vt possit se defendere ab inhabilitate testium, ideo interrogatio huiusmodi, & responsio videtur necessaria, vt docet Diana *par. 4 resol. 114. & Cantera in quæstion. crimin. cap. secund. de probat. per testes numero 41. Vers. Sed his non obstantibus apud Carenam par. tert. tit. septimo, numero 73. & 74.* qui tamen de hac re dubitat, cum sit contra regulas iuris
9 naturalis, & positiui. Quare sequendo conclusionem generalem, non licere huiusmodi interrogationes præcisè de criminibus testium, respondeo etiam in Sancto Officio, vt plurimum sciri nomina testium, contra quos rei obiicere possunt, & minus periculum est testibus eorum publicatio in hoc tribunali, quam in aliis, cum reis procedentur pœnæ Bullæ *Si de protegendis*, Pij V. contra molestantes testes, & denuntiantes in Sancto Officio.

CAPVT XLVI.

De Testibus coram incompetente iudice examinatis.

1 IVdex incompetens dicitur ille, quamuis iudex materialiter, qui nullam habet iurisdictionem in causa per ipsum vsurpata, & attentata, adeo quod omnia acta per ipsum facta in processu nullius sunt momenti, tam ex parte processus informatiui testibus deponentibus, ita quod nihil prorsus probant, quam ex parte rei siue conuicti, siue confessi, atque etiam sententiati, sicque omnes actus ab initio vsque ad sententiam inclusiuè nullius sunt momenti, & vigoris. Ita omnes nullo discrepante, *Legista quidem super tit. C. Si à non compet. iud. & Canonista super cap. At si clerici 4 de iudiciis*, defectus enim iurisdi-
2 ctionis est insanabilis ita quod sanatis nullitatibus cum quibuscunque clausulis quantumuis prægnantibus, non dicatur sanatus iurisdictionis defectus, *ex Staphileo de signat. iustitia fol. 411. apud Guazinum Defens. 1. capite primo, numero quarto. Verallus libro tertio, decis. 38. numero secundo Thomas Treuisan. lib. secund. decis. 11. numero secund.* qui hunc defectum vocant insanabilem, *quos pro se citat Barbos. ad dictum cap. At si clerici 4. de iudic. num. 4.* Sed vt clarius supradicta intelligantur calamum conuertamus ad quæstiones.

Quæres igitur primo, an testes examinati coram iudice incompetente quicquam probent contra querelatum?

℞. Negatiuè, defectu iurisdictionis in iudice examinante, qui reputatur vt persona priuata, coram qua certum est nihil probare *l. 1. & 4. C. Si à non compet.* in quibus locis sententia à non suo iudice lata appellatur nulla, & cum ea dependeat ex actis & allegatis à testibus, sequitur à fortiori inualidas esse testium probationes; idem expressius habet cap. At si clerici 4. de iudic. Ita *Marsil. singul.* 212. *Farinac. quæst. 80. oppos. 42. numero 18. apud Carenam par. 3. tit. 7. num. 74. §. 12.*

Quæres 2. An partes de mutuo consensu possint conualidare processum, vt dicta testium valeant?

℞. Negatiuè, quia id esset dare, vel supplere iu- 4
risdictionem, quam partes vti personæ priuatæ conferre non possunt, & faciunt iniuriam iudici competenti. Ita *Marsil. singul. 30. Anton. Gomez. de delictis cap. 22. numero 8. cum aliis Guazin. Defens. 1. capite septimo, numero primo.* Vnde nec prorogari potest in eo iurisdictio, ex allegatis ab eodem ea ratione, quia cum simpliciter careat iurisdictione, nec conferri possit per consensum partium, multo minus locum habere potest prorogatio, quæ supponit subsistentiam iurisdictionis.

Dices contra prædicta clericus examinatus coram 5
iudice laico sine licentia sui Episcopi validè deponit, ac proinde probat, vt communiter tenent Doctores à me citati cap. 15. numero 24. similiter idem dixi cap. 16. numero 8. de Religioso, *& tradit Guazin. Defens. 1. cap. secund. de clerico, numero 12. de Monacho, numero 13.* Sed laicus iudex in ordine ad Ecclesiasticos est iudex incompetens, ergo nihil probant Ecclesiastici ab eo examinati sine licentia, quæ illum fecisset competentem.

℞. Cum testes in ordine ad reum considerandi sint, 6
ex quo contra eum deponunt, eorum dicta valent, & probant, quando reus est de foro illius iudicis, qui cum sit competens respectu rei, dicitur etiam competens respectu testium, cum ab eis iudex adiuuetur ad exercendum suum officium, quod est sententiare, & punire reum conuictum, vel confessum, & nihil nocumenti fit à iudice contra illos, ideo iudicis competentia non consideratur; præterquam quod testes huiusmodi sponte dicuntur deponere, cum iudex illos cogere non possit ad testificandum, in quo casu non esset iudex competens laicus, tunc enim ageret contra testes tanquam reos, inobedientes illi, ex quo aquireret nomen incompetentis iudicis. Quando igitur cogerentur inuiti ad testificandum, in eo casu firmiter crederem non probare violentatos ea illa iniusta coactione. Si vero coram iudice laico deponerent contra reum nullo modo subditum illi; vti contra alium clericum, vel Monachum, in eo casu nihil probarent, quia cum sit incompetens, acta ex processu nullius sunt momenti, vt patet ex dicto cap. At si clerici; quare concludendum est, tunc testes probare, quando reus est de foro iudicis in ea causa, de qua agitur, non autem, si in ea causa non sit de eius foro, sed alterius fori.

Quæres 3. An clericus puniri possit ab Episcopo per processum sibi exhibitum à iudice laico? Idem quæritur respectu religiosorum?

℞. Negatiuè, quia acta coram iudice incompe- 7
tente contra non suum subditum, non probant simpliciter ex dictis in præcedentibus, ergo nec coram proprio iudice. Ita in terminis cap. At si clerici 4. de iudic. vbi clericus conuictus, vel confessus de crimine coram iudice laico, ex hoc processu non potest puniri à suo Episcopo. Ita omnes *cum Claro quæst. 56. numero. 44. Grammat. cons. 42. numero secund. Farinac. consil. 76. numero primo, quos pro se citat Guazin. Defens. prim. capite quarto initio.* Idem proportionaliter locum habet apud iudices regulares, qui non possunt punire suum religiosum cum solo processu facto à iudice incompetente, quia testes nihil probant in processu fabricato ab incompetenti iudice respectu cuiuscunque rei, qui non sit subditus tali non iudici, qui sibi iurisdictionem vsurpauit, Vide infra cap. 71.

Quæres 4. An attento tali processu ad minus illum citare possit? Et non comparens condemnare in contumaciam?

℞. Neutrum facere potest iudex proprius, siue sit 8
Episcopus,

Episcopus, siue Regularis, quia cum depositiones
testium nihil omnino probent, ex dictis supra etiam
contra confessum coram laico iudice, ex cit. cap. At
si clerici, sequitur, quod nullum effectum produce-
re possunt contra reum, cui nec propria confessio
9 nocere potest. Ita *Aufrer. decis. 165. num. 1. ad Ca-
pellam Tholos. apud Guazin. Defens. 1. cap. 4. num. 1.*
de condemnatione ob contumaciam esto fuisset con-
fessus, *ex Ant. de Butrio in dictum cap. num. 3. &
& 28. eodem Guazin. num. 2. Farinac. quæstion. 81.
num. 193.* licet sponte, & non coactè fuisset confes-
sus, *glos. 11. Non tenet, in dicto capite cum aliis Fa-
rinacio numero 196.* Esto clericus se fingeret laicum
coram iudice incompetente, ex citatis ab eodem,
numero 200.

Quæres 5. An dicta in præcedentibus respectu
iudicis laici incompetentis locum habeant in clerico,
& religioso, examinatis coram iudice Ecclesiastico,
sed incompetente?

10 ℟. Affirmatiuè, quia vtráque lex tam ciuilis,
quam canonica simpliciter determinant, sententiam
latam à non suo iudice nullatenus valere, & cum sen-
tentia feratur ad formam libelli, & processus iam
fabricati, *l. vt fundus 18. ff. commun. diuis. l. 51. pre-
ces 32. ff. de pœnis, l. cum quidam 17. C. de fideicom.
liber.* & iuxta iudicij formam sententia formanda est,
*capite qualiter 24. de accusat. & capite licet 31. de si-
mon.* ratio eius nullitatis refertur in nullitatem depo-
sitionum testium, qui nihil probant examinati co-
ram iudice incompetente, siue sit Ecclesiasticus, siue
laicus, defectus enim iurisdictionis, & incompeten-
tia inficiunt acta à quocunque procedant. Ita *Felin.
in citat. cap. At si clerici numero 14 Clarus quæst 96.
num. 7. Guazin. Defens. 1. capite 4. numero 3.* Farinac.
quæst. 81. numero 199. vbi ex Bron, & Bossio, ait
facere eius confessionem aliqualem præsumptio-
nem.

Quæres 6. Quid agere debeat proprius iudex, vt
possit legitime suum subditum punire?

11 ℟. Debet nouum formare processum repetendo
testes per extensum, quia prior processus fuit simpli-
citer nullus, ideo pro non scripto habendus est, nec
priori iudici vti incompetenti deferendum est, quia
errauit in suo Officio. *Anenion. decis. 91. numero 5.
Guazin. Defens. 1. capite quarto, numero quinto. Valos.
decis. 65. numero quinto. Guazin. Defens. 20. numero
29.* Asserentes, proprium iudicem non teneri stare
processui iudicis incompetentis. Et in causis Sancti
Officij, dum ad hoc sacrum Tribunal remittuntur
rei a iudice laico, ita docet *Paulus Garz. apud Co-
renam part. tertia, titulo septimo, numero 75.*

Quæres 7. Nunquid immediatè possit citari reus
vigore processus fabricati coram iudice incompeten-
te? Est idem ferè cum. 41.

12 ℟. Negatiuè, nunquam enim citatur reus, nisi
saltem semiplene sit probatum delictum, vt in con-
fesso est apud omnes, sed in hoc casu nullo modo
probatum est delictum coram iudice incompetente,
vt patet ex supradictis, ergo citari non potest. Ge-
13 nuens. capite sexto dicit, practicari in Curia Archie-
piscopali Neapolitana, quod clericus à Curia laicali
remissus vna cum actis constituitur reus ex actis fa-
ctis coram iudice laico, & si vult habere dictos testes
pro repetitis, proceditur ad vlteriora, aliàs repetun-
tur, non tamen de nouo examinantur, antequam
constituatur. Et hanc praxim vti rationabilem mul-
14 tis probat, vnde illud tribunal derogauit cap. At si
clerici 4. de iudic. vbi clarè habetur, nouum proces-
sum esse formandum, ibi: *Si vero coram Episcopo de
criminibus in iure confessi sunt, seu legitima probatione
conuicti, &c.* Nulli dubium est, ibi sermonem quo-
que fieri de remissis à iudice incompetente, cuius
processui standum non est per Episcopum, sed de
nouo alter fabricandus est.

Quæres 8. An ad minus processus fabricatus co-
ram iudice incompetente seruiat pro querela, accusa-
tione, seu denuntiatione coram legitimo iudice?

℟. Affirmatiuè, ratio est, quia licet testes sic exa- 15
minati coram iudice incompetente non probent ad
capturam, torturam, & ad condemnandum, vt patet
ex dictis, faciunt tamen præsumptionem ad inqui-
rendum contra reum, ex Farinac. quæstion. 81. nu-
mero 199. ergo seruiunt pro querela respectu pri-
mi iudicij.

Quæres 9. An superiores regulares cum solo pro-
cessu informatiuo contra religiosum extra claustra
notoriè, & cum scandalo populi delinquentem cap-
tum ab Episcopo factu ad formam Tridentini sess. 25.
cap. 14. possint illum punire sine alio processu?

℟. Informatio transmissa ab Episcopo non sufficit 16
ad puniendum religiosum, sed ex ea tanquam quere-
la debet formare processum vt possit de iure punire
religiosum. Probatur, quia illa est simplex informa-
tio facti, quæ pro curia, facit ne ordinarius dicatur
iniuriam fecisse religioso capto, ergo delictum non
probat. Deinde ad illum spectat formare processum,
ad quem spectat punitio; sed ad superiorem regula-
rem spectat punire delinquentem, ex Tridentino,
ergo & ad eum spectat formare processum. Præter-
ea informatio curiæ transmissa ad superiorem regula-
rem solum operatur, vt faciat, secum religiosum esse
carceratum, quia inuentus fuit in loco inhonesto, vt
inde sumat occasionem eum processandi, & punien-
di. Ita *Peyrin. ad constit. 4. Sixti IV. cap. 2. numero
31. compend. Rodrig. resol. 62. numero 8.* respondens
obiectionibus Portelli, qui 11. Punitio numero 17.
probat, Episcopum formare processum, ad effectum,
vt cum eo puniat religiosum, contra communem *cum
Sanch. lib. secund. opuscul. capite nono, dubit. prima, nu-
mero 30. Aldrete libr. cap. tertio, numero 39. ex illis
Donatus Ordinis Prædicatorum part. secund. tract. 13.
quæstion. 53. numero vndecimo*, & id videtur suppo-
nere, quod scilicet debeat fieri processus à superiore
regulari, Sacra Congregatio, dum respondet, *Non
sufficere, vt superior regularis, sententiam, aut etiam
acta ad Episcopum transmittat, sed opus est, vt de
punitione ipsa, & sententiæ executione Episcopum cer-
tiorem faciat.* Hæc ex S. Congregat. Barbos. ad cap.
fin. de statu Monach. num. 8.

In hoc casu vlterius decerem, religiosum cum solo 17
processu informatiuo Episcopi, probante, religio-
sum fuisse siue de nocte, siue de die captum intra do-
mum meretricis, posse superiorem suum Religiosum
punire pœna extraordinaria carceris, aut priuationis
domicilij, non autem pœna ordinaria statutorum or-
dinis grauiore. Processus enim ordinarij & si tendat
ad informandum superiorem regularem, atque ad
eum certiorandum, quod iusta fuit captura, & non
ad puniendum, cum id spectet ad superiorem regula-
rem, tamen informatio ordinarij non caret sua pro-
batione cum sit facta coram iudice competente, si
non de iure, saltem de consuetudine.

Quæres 10. An Episcopus teneatur stare processui
iudicis laici, an reus gaudeat immunitate?

℟. Negatiuè, quando iudex laicus confecit pro-
cessum contra reum iam existentem in Ecclesia; po-
test vero, quando confecit processum antequam con-
fugeret ad Ecclesiam, quia nihil præsumi potest con-
tra immunitatem Ecclesiæ. Ita secundum consilium
contra primum apud Dianam part. sext. tract. 5. re-
solut. 31.

CAPVT

CAPVT XLVII.

De Testibus cogendis.

1 NVlli dubium esse debet, posse cogi hominem à suo superiore ad testificandum, quando opus est, pro bono communi, & etiam priuato non solum in causis ciuilibus, sed etiam in criminalibus & vt in illis optatum finem sortiantur, & in istis ne delicta remaneant impunita, atque opus caritatis est indigenti propriam præstare opem, & adiutorium. Id colligitur ex tit. de testibus cogendis. Pono quæstiones.

Quæres 1. An iure ciuili cogantur testes ad examen & testificandum?

2 ℞. Affirmatiuè, vt colligunt *ex l. 1. l. inuiti 8. ff. de legib. l. Si quando 15. C. eodem.* Doctores cum glos. 11. *Causis dicta l. Si quando, vbi Bellapertica, cum alijs citatis à Farinac. quæstion. 78 numero 196.*

Quæres 2. An iure Canonico cogantur ad testificandum?

3 ℞. Affirmatiuè, *ex cap. Super eo 3. Cap. Peruenit. quart. & quint.* si aliter veritas haberi non potest, *cap. super his 8. cap. cum contra 9. vbi glos. 11. super criminalibus*, pro & contra, *cap. fi. de testib. cog.* Ita originaliter multis probat *Host. in summ. Rub. de testibus cog. §. In quibus causis. Bellamira ibidem à numero sexto, quos & alios refert Farinac. quæstion. septuagesima-octaua, numero 116.* Sed non sequitur, vt est videre *in fine numero 119. Vers. Recenta*, qui tenet opinionem Innocentij negantis, cogendos esse testes, *cum alijs relatis ab eodem Farinac. num. 115.*

4 Testes ergo secundum vtrunque ius compelli possunt ad testificandum. *Primo* potissimum, quando veritas aliter haberi non potest, *cap. 5. cit. de testibus cogend.* & in hoc Doctores alioquin contrarij, vt supradixi, conueniunt, *Farinac. quæstion. septuagesima-octaua, numero 124. de Bictis, quæstion. quinquagesi-*
5 *ma-octaua, numero 11.* Cogendi sunt *Secundo*, qui se
subtrahunt odio, vel timore, maximè ad requisitionem partis, & sic in eius gratiam, expressè *capite primo & tertio, eodem Farinac. quæstion. septuagesima-octaua, numero 130. & 137.* Canonistæ super di-
6 ctum cap. tertio. *Tertio* iudex procedens ex officio in-
quirendo, seu ex denuntiatione; *ex cap. super his 8. eodem Farinac. quæstion. septuagesima-octaua, numero*
7 *153. & 154.* Maximè in Sancto Officio qui cogun-
tur denuntiare, & testificari sub censura excommunicationis. *Carena pars. 2. tit. 9. num. 25.* In Religio-
8 nibus coguntur sub præcepto denuntiare, seu testifi-
cari in visitationibus, *Aretinus in sua practica capite 11. sub primo subst. de Angelis capite 11. melius ex Cardin. de Lugo disput. 48. de inst. num. 17. de Sancto Iuliano capite secundo Aduert. octau.* & alij commu-
9 niter. Id etiam patet in Monitoriis, quæ solent ordi-
narij publicare, cogentes, vt qui sciunt testificentur sub pœna excommunicationis, ad quod faciunt dicta à Farinac. numero 157. *Quarto* cogendi sunt ad testificandum in criminibus homicidij, adulterij, simoniæ, conspirationis, &c. *ex capite fin. eodem Farinac. à num. 189. ad 194.*

Quæres 3. Quibus pœnis cogendi sint testes ad testificandum?

10 ℞. Clerici coguntur censuris, primo namque suspenduntur ab officio, deinde contumaces excommunicantur, & deponuntur, *ex capite cum super secund. eodem.* Laici coguntur pœnis pecuniariis, expeditius autem capiuntur tam clerici, quam laici, si citati non comparent præfixo tempore, efficacius enim coactio est captura.

Quæres 4. An cogi possint, qui iurauerunt non testificari?

℞. Coguntur testificari, non obstante iuramento, 11
quod non tenuit. *ex capite Peruenit. quart. eodem, vbi glos. 11. Iuramento*, vocat iuramentum temerarium, ac proinde non obligare, *cap. fin. eodem, vbi glos. 11. iuramento*, explicat textum requirentem absolutionem à iuramento, intelligendum esse ad cautelam antequam testes examinentur, non quia egeant absolutione, cum iuramentum nullum fuerit, sed vt maior adhibeatur fides testibus, *ex citatis à*
Farinac. quæstion. 78. num. 149. ad 151. & 152. vbi 12
ait, testem in tali casu adhuc semiplene probare, *cum alijs Barb. ad dictum cap. venerabilis fin. de testibus cogend. num. 4.*

Quæres 5. An in causa sanguinis cogi possint personæ Ecclesiasticæ?

℞. A nullo, præter Pontificem Romanum, cogi 13
posse ad testificandum in causa sanguinis, quamuis veritas aliter haberi non possit, siue causa agatur coram ordinario, siue laico iudice, respectu cuiuscunque delicti etiam enormissimi, quia non effugeret irregularitatem. Ita omnes *cum Farinac. quæstion. 78. num. 199. ad* 102. vbi, quod nec laici aspirantes ad clericatum possunt cogi.

Quæres 6. An coniuncti consanguinitate, seu affinitate cogi possint testificari contra suos consanguineos, aut affines?

℞. Negatiuè, nisi in casu, quo veritas aliter ha- 14
beri non potest, & in casibus exceptis coguntur. *Farinac. quæst. 54. num. 13. & sequent. de Bictis quæst. 58. num. 21. 23. & 24. Dixi cap. 12. initio.*

Quæres 7. An si adsit probabile periculum contrahendi inimicitiam cogi possint?

℞. Negatiuè, quia si non sunt cogendi ad feren- 15
dum testimonium in præiudicium suorum cognatorum, multo minus, si illis per illud inferatur notabile præiudicium, quando testificantur maximè contra potentem, *Menoch. de arbitr. casu 487. num. tertio, Farinac. quæst. 78. num. 123. de Bictis, quæstion. 58. numer. 25.* In Sancto Officio non videtur locum habere hæc responsio, quia Bulla: *Si de protegendis* occurrit huic periculo infligendo grauiores pœnas contra molestantes testes in causis fidei.

Quæres 8. An diminuatur de fide testib. coactis ad testificandum?

℞. Negatiuè, quia inuoluntarium non officit fi- 16
dei deponentis, sed tantum efficit, vt ægrè deponat; confirmatur, quia qui iurauit non testificari contra reum, adhuc semiplene probat contra illum supra quæstion. 4. ergo à fortiori, vbi non interuenit iuramentum.

CAPVT XLVIII.

De Tortura Testium.

IVdex quantum fieri potest, abstineat à tortura te- 1
stium ex causa inhabilitatis, cum inculpabiliter cogantur subire dolorem aliorum criminibus, vnde illis moderate danda est, vt dicam infra suis locis.

Præmitto autem vnum, torturam dari testibus 2
propter duplicem causam, *Primo* ad eruendam veritatem ab eis, qui illam occultare contendunt variis modis, vt infra constabit. *Secundo*, vt inhabiles habilitentur, & purgent defectus personæ, hæc autem in sequentibus quæstionibus manifesta erunt.

Quæres 1. An antequam testis torqueatur, examinandus sit reus, vt si forte fateatur, à tortura sit immunis?

℞. Affirmatiuè, quia in teste inculpabili euitanda 3
est tortura quantum fieri potest. Ita *Baiardus ad Cla-*

rum

rum q. 15. num. 12. *Guazin. defens.* 19. *cap.* 1. *num.* 9. *de Bictis q.* 101. *num.* 4. *Carena par.* 3. *tit.* 7. *num.* 58. cum tortura fit in subsidium.

Quæres 2. Qui sunt priuilegiati, & non possunt cogi ad testificandum, numquid torquentur?

4 ℞. Negatiuè, quia priuilegium illis aliquid prodesse debet, *ex l.* 1. §. *Si seruus, ff. de quæstion.* Farinac. *quæst.* 79. *numero* 48. *Guazin. Defens.* 19. *cap.* 2. *num.* 2. *de Bictis q.* 101. *num.* 3.

Quæres 3. Quando aliunde haberi potest veritas, suntne torquendi?

5 ℞. Negatiuè, quia iniuste torquerentur, si aliunde veritas melius haberi potest, & ea esset frustratoria. Ita Farinac. *quæst.* 79. *num.* 76. *ex Bertaz. cons.* 153. *num.* 8. *Guazin. Defens.* 19. *capite* 1. *numer.* 14. *vbi citat eundem* Farinac. *cons.* 44. *num.* 4.

Quæres 4. Quando plures sunt testes, numquid omnes sunt torquendi?

6 ℞. Negatiue, sed ex illis torquentur tantum duo, aut tres, incipiendo ab eo, à quo faciliùs veritas haberi potest, ac proinde à iuniore, & etiam à viliori, quamuis id sit in arbitrio iudicis. Ita *de Bictis num.* 5. *ex Guazin. Defens.* 30. *cap.* 19.

Quæres 5. An testes infames admittantur sine tortura?

7 ℞. Testes infames tam iuris, quam facti infamia non probant sine tortura, quæ in illis purgat infamiam. Farinac. *quæst.* 79. *num.* 23. *ad* 26. *qui numer.* 27. ait, *infamem admitti sine tortura in inquisitione. Si constat de infamia*, non est opus indiciis ad hos torquendos, *ex eodem numer.* 74. *de Bictis quæstion.* 101. *numer.* 16. *Guazin. Defens.* 19. *capite* 10. *numero* 3.

Quæres 6. An testes criminosi torturæ subiiciantur?

8 ℞. Affirmatiuè, *Farinac. quæst.* 79. *numer.* 28. *ad* 31. *Guazin. Defens.* 19. *capite* 10. *numero* 4. vbi ait, non esse frustra torquendos, quando adsunt alia adminicula, vel probationes, vt dixi supra *quæstione* 3.

Quæres 7. An personæ viles, & pauperes torqueantur?

9 ℞. Negatiue, *ex dictis cap.* 8. *numer.* 30. *&* 64. quia vti inculpabiliter non merentur pœnam, nec afflictionem sui corporis, quos satis tribulat eorum miseria. *Farinac. quæst.* 79. *num.* 35 sequendo Bartolum, quod non torqueantur, minor tamen fides illis adhibetur.

Quæres 8. An minores annis quatuordecim possint torqueri?

10 ℞. Negatiuè, *l. De minore ff. quæst.* Farinac. *quæst.* 79. *numer.* 49. Possent nihilominus minis, & ferula teneri, tunc autem faciunt indicium ad inquirendum, *numero* 50 In casu tamen criminis læsæ maiestatis etiam minores torquentur, *numero* 5. *&* 51.

Quæres 9. An Sacerdos testis torturetur si sit criminosus, vel infamis?

11 ℞. Affirmatiuè, non vero si vacillet, hoc secundum firmat *Farinac. quæstion.* 79. *numer.* 54. *ex cap. Presbyteri* 5. *quæstion.* 6. alij vero clerici torquentur, *numer.* 56. Torquentur vero iidem Sacerdotes cum aliis ad purgandam infamiam, *num.* 59.

Quæres 10. An constituti in dignitate, nobilitate, & officio possint vt testes torqueri?

12 ℞. Negatiuè, *Farinac. quæstion.* 79. *numero* 60. *& numero* 61. ait, torqueri si vacillent, contra nonnullos.

Quæres 11. An debeat constare de corpore delicti, vt testis torqueatur?

13 ℞. Affirmatiuè, quia si non constet, sicut non potest torturari reus, multo minus testis. Ita omnes *cum Farinac. quæstion.* 79. *numero* 70. *Guazin. Defens.* 19. *cap.* 1. *numero* 5.

Quæres 12. An testis periurus torqueatur?

14 ℞. Negatiue, quia ad nihil inseruit, dum omnino repellitur à testificando, vnde periurij defectus non purgatur tortura, *Farinac. quæstion.* 56. *numero* 193. vt nec faciat tortus indicium ad inquirendum, vt ibidem dicit, loquendo de iure, de consuetudine tamen facit ad inquirendum, sed non ad transmittendam inquisitionem querelato, & multo minus ad torturam, *ex eodem* Farinac. *q.* 43. *num.* 184. *Guazin. Defens.* 19. *cap.* 18. *num.* 8.

Quæres 13. An socius in crimine torqueatur?

15 Affirmatiuè, *Clarus quæst.* 25. *Scias etiam, Gratus vol.* 2. *cons.* 57. *num.* 19. *Roland. vol.* 2. *cons.* 51. *num.* 29. *& cons.* 73. *numer.* 22. *cum aliis Guazin. Defens.* 19. *cap.* 10. *numer.* 5. Quare puer, & puella stuprati torquentur, nisi probent fuisse per vim stupratos, Farinac. *cons.* 80. *num.* 22. *Honded. vol.* 1. *cons.* 190. *numero* 16. *Petrus Caballinus quæst. crimin. casu* 84. *numero* 11, *Guazin. Defens.* 19. *capit.* 10. *numero* 8. Stuprum autem non præsumitur per vim illatum, sed, vt dixi, probandum est, vt euitetur tortura, *Farinac. q.* 54. *Genuens. cap.* 68. *num.* 2. *Plotus cons.* 132. *apud eundem Guazin.*

Quæres 14. An omnes inhabiles torqueantur ad firmandas eorum depositiones?

16 ℞. Testes inhabiles ex propria eorum culpa torquentur, vt patet ex dictis, ex alia vero causa inhabiles sine culpa, vt birruarii, viles, pauperes, cognati, &c. non torquentur, quia nihil habent, quod purgatione egeat. Ita Bossius *de indic. numer.* 151. *fine, Plotus lib.* 1. *cons.* 50. *numero* 24. *Vers. sed vbi, Masc. concl.* 463. *numero* 30. *&* 39. Farinac. *cons.* 38. *numero* 12. *ex illo Guazin. Defens.* 19. *capite* 10. *numero* 10. contra Clarum, & alios, quorum opinio est minus probabilis secundum Farinac. quæst. 79. num. 35.

Quæres 15. An vacillantes, contrarij, & varij sint torquendi?

17 ℞. Torquentur, vt iudex scire possit, in quo dicto persistant. *Farinac. quæst.* 79. *numero* 7. *ad* 10. Procedit *primo* si variant in substantialibus, non in accidentalibus, *numero* 14. *Guazin. Defens.* 19. *cap.* 2. *numero* 6. *de Bictis quæst.* 101. *numero* 11. Procedit *secundo*, quando nullam adducit causam varietatis, bonam enim adducens causam non torquetur, *Bertaz. lib.* 1. *cons.* 153. *numero* 5. *&* 7. *Farinac. num.* 19. *Guazin. capite* 2. *numero* 3. Procedit *tertio*, si in indicio dixit vnum, & aliud extra, torquetur. *Clarus quæstion.* 21. *num.* 6. *fine*, *Guazin. capite secund. numero* 4. *Farinac. quæst.* 66. *numero* 106. *de Bictis, q.* 101. *numero* 11. Vt autem torqueantur, de vacillatione debet omnino constare in actis, quia propter eam torquendi sunt, *ex allatis à Guazin. Defens.* 19. *cap.* 2. *numero* 12. Non est tamen necesse, quod probatum sit interfuisse delicto, dum constat de vacillatione, *ex Bertaz. dicto cons.* 153. *numero* 11. *Farinac. numero* 13. Guazinus tamen cum multis eo cap. 2. numero 5. tenet, debere in actis constare, quod interfuerit facto, aliter non potest torqueri. Sed ex ipsa vacillatione manifeste patet interfuisse facto, dum super illud deponit, testes enim de propria scientia deponentes virtualiter fatentur præsentiam suam facto

Quæres 16. An testis negans iurare, vel nolens respondere sit torquendus?

18 ℞. Affirmatiuè, non tam ob contumaciam, quam ob suspicionem mendacij. *Caualcanus de brachio regio par.* 3. *num.* 63. *ex eo Guazin. Defens.* 19. *capite prim. numero* 18. *ex illis de Bictis, quæstion.* 101. *numero* 59. Nisi resistat, quia interrogatur de sua turpitudine, in quo casu non potest torqueri, ex prædictis, quia non tenetur respondere, vt dixi capite 45.

Quæres 17. An verisimiliter, informatus de facto,

cto, si recusat respondere, possit torqueri?

19 ℞. Affirmatiuè, debet autem constare iudici, illum esse informatum, & facti habere cognitionem. Ita Bursatus *volum. secund. decis.* 216. *numero* 113. *Bertazol. cons.* 154. *numero* 6. *Guazin. Defens.* 19. *cap.* 1. *numero* 6. *Farinac. qu.* 79. *n.* 73. vbi ait nihil probare tortos sine indiciis scientiæ, *num.* 75. debet autem constare de corpore delicti, seu de facto ipso, *ex dictis quæstion.* 11.

Quæres 18. An domestici, & vicini, qui præsumuntur scire facta vicinorum torqueantur recusantes respondere, vel asserentes se nihil scire?

20 Respond. Possunt torqueri, vt de communi docet *Farinac. quæstion.* 79. *numero* 39. de domesticis, *& numero* 40. de vicinis. Vide dicta *Cap.* 38. *num. præsertim* 48. *&* 60.

Quæres 19. An fatentes se fuisse præsentes facto, & dicentes se nihil scire, sint torquendi?

21 Respond. Affirmatiuè, *l. vnus*, *§. Testes*, *ff. de quæstion. Guazin. Defens.* 19. *capite* 4. *num.* 1. *Farinac. quæstion.* 79. *numero* 17. *de Bictis*, *quæstion.* 101. *numero* 21. Limitantes, non esse torquendum, si afferat rationabilem causam suæ ignorantiæ, quæ iudicem moneat ad credendum, se nescire, *Farinac. num.* 19. *de Bictis*, *num.* 21.

Quæres 20. An torqueri possint deponentes super mera negatiua?

22 Respond. Affirmatiuè, quia præsumuntur suspecti de falso. *Farinac. quæstion.* 65. *num.* 212. *de Bictis*, *quæstion.* 101, *num.* 22. Qui id negant in coarctata, contra quam nihil præsumitur.

Quæres 21. An testes spontanei torturentur? De quibus dixi supra capite 33.

23 Respond. Sunt torquendi, quia præsumuntur mendaces. *Farinac. quæstion.* 79. *numero* 38. *de Bictis*, *quæstion.* 101. *numero* 17. *latè Guazin. Defens.* 19. *capite* 6. *num.* 1. *& sequent.*

Quæres 22. An testibus ante torturam sint dandæ defensiones cum copia indiciorum, vt se tueantur à tortura?

24 Respond. Non est danda copia indiciorum, nec defensiones admittendæ, quando ex actis processus conuincitur variasse, seu fuisse sibi contrarium; in aliis vero casibus tum inhabilitatis, tum quod non fuit præsens facto, &c. tum, quod sit criminosus, danda est ei copia indiciorum cum suis defensionibus, cum tortura sit species pœnæ, ad quam quis non est condemnandus indefensus. Ita Farinac. *quæstion.* 39. *à numero* 116. 148. *&* 150. *Guazin. Defens.* 19. *capite decimo-quinto de Bictis*, *quæstion.* 101. *numero* 24. *ad* 27.

Quæres 23. An testes dicentes se non recordari sint torquendi?

25 Respond. Torquentur, quando verisimiliter possunt recordari, & fingunt obliuionem, nisi factum sit antiquum, vel labilis sit memoriæ testis, obliuio enim facile datur in re etiam vnius mensis. Ita Farinac. *quæstion.* 79. *numero* 41. *ad* 45. *Guazin. Defens.* 19. *cap.* 7. *per totum.*

Quæres 24. Quomodo interrogandi sint testes suspensi in tortura?

26 Respond. Nulla persona delinquens in specie eis nominanda est, sed tantum in genere interrogandi sunt, quia delictum commiserit; ne iudex dicatur suggestiuè interrogare, etsi ex indiciis constaret persona delinquentis; in quo tamen casu aliqui volunt, iudicem posse interrogare in specie; securior tamen practica est quærere in genere, quis tale perpetrauit delictum; vnde suggestiua interrogatio censetur hæc: *Nonne Titium occidit hoc modo*, *&c.* Debet enim interrogare, quo genere armorum vsus fuit; in qua parte corporis fuit percussus. Et hæc procedunt etiam in iudice habente manum regiam. Ita *Farinac.* *quæstion. septuagesima-nona*, *numero septuagesimo-octauo ad* 80. *Guazin. Defens. decima-nona*, *capite vndecimo*, *per totum*, *de Bictis*, *quæst.* 102. *numero primo ad septimum.* Regulares quoque iudices debent cauere ab interrogationibus in specie, non, enim à iudice, sed à teste nominandus est malefactor, aliter iudex non inquireret malefactorem, sed illum ostenderet, fungendo iudicis, & testis officio, quod fieri non potest. Debet ergo omnis iudex abstinere ab his interrogatoriis suggestiuis, quæ sunt deceptoria, & non inuestigatoria veritatis de quibus dicam infra capite. 68.

Quæres 25. Qualis debeat esse tortura danda testibus?

Respond. Debet esse moderata, nec nimis grauis, nec nimis leuis. Est communis, *cum Farinac. quæst.* 79. *num.* 81. *Guazin. Defens.* 19. *cap.* 13. *de Bictis qu.* 102. *num.* 8. Danda socio ad reuelandum socium criminis, debet esse vnius semihoræ, aliter si excedat, essent purgata indicia facti principalis, *ex citatis à Guazin. cap.* 13. *num.* 3. Inhabilitas purgatur spatio vnius *Pater noster*, nisi testes essent nimis infames, & suspecti, *Farinac. num.* 82. *de Bictis*, *num.* 10. Danda est tortura per vnum quadrantem, vel semihoram testibus verisimiliter informatis negantibus se scire delictum, iuxta facti, & personarum qualitatem, *Farinac. ibid. Guazin. num.* 2. *de Bictis*, *numero* 11. Catena *part.* 3. *tit.* 7. *numero* 59. *ait cum Scaccia cap.* 26. *num.* 14. *lib.* 1. hunc, qui nescit, seu non recordatur eius, quod verisimiliter præsumitur scire, & recordari, pluries monitus, & in carceribus detentum tandem esse torquendum. 27

Quæres 26. An confessio facta in tortura à teste sit ratificanda extra torturam?

℞. Communior sententia petit ratificationē eius, quod testis dixit in tortura *Farinac. quæstion. septuagesima-nona*, *numero* 83. *Gomez de delictis*, *capito decimo-tertio*, *numero vigesimo-nono*, Ratificatio autem fit sequenti die, *de Bictis*, *quæstion.* 103. *numero tertio.* Vide Guazin. Defens. 19. capite decimo-quarto, referentem contrariam opinionem, & distinguentem; *Catena part. tert. titul. septimo*, *numero sexagesimo*, ait nunquam vidisse hoc practicari. 28

An tortura vnius *Pater*, seu *Aue*, aut *Credo*, dicatur leuis, & tortura impropriè? Sit *ex Guazin. citat. numero tert. ex eo de Bictis*, *quæstion.* 103. *numero secund.* 29

Quæres 27. An liceat repetitio torturæ in testibus?

Respond. Quamuis tortura semel inferatur, tamen repeti potest ex rationabili causa *Primo*, quando non fuit sufficienter tortus ad purganda indicia. *Secundo*, torquendus per semihoram, potest suspendi vna vice per quadrantem, & alia vice per secundum, tempore interposito. *Tertio* superuenientibus nouis indiciis. *Quarto*, toties, quoties variat in suis depositionibus. *Quinto*, si in tortura vnum dicit, & postea oppositum. *Sexto*, si noluerit ratificare dictum in tortura. *Septimo*, quandóque socius criminis fatetur complicem in tortúra, & postea torquetur ad faciem nominati. Hæc ex Farinac. *& Guazino*, *& aliis apud de Bictis*, *quæstion.* 103. *numero quarto ad octauum.* 30

Quæres 28. Cuinam dicto standum sit?

℞. In sequentibus casibus standum esse primo dicto. *Primo* standum est primo, si iudex mouetur aliqua rationabili causa. *Farinac. quæst.* 66. *num.* 178. *Guazin. Defens.* 19. *capite* 16. *numero* 10. Statur primo dicto. *Secundo* quando tortus fuit vt testis contra complices, *Farinac. numero* 181. *&* 183. Statur primo dicto *tertio*, quando testis patitur plures defectus, quia tortura non potest purgare plures defectus, *Farinac. numero* 186. *&* 188. *Guazin. num.* 18. 31

de Bictis quaestion. 103. *num.* 15. Nec purgat defectum inimicitiæ, *ex allegatis à Guazino numero* 21. Statur primo dicto *Quarto*, quia tortura non pur-
32 gat periurium commissum in secunda depositione. Ita *communior opinio apud Guazin. numero* 19. *Farinac. quaestion.* 66. *numero* 190. ait, purgari ex quadam consuetudine, & secundum dictum facere indicium ad torturam, licet ipse, & alij dicant apud eundem Guazin. neutrum dictum grauare nominatum. Et reuera non possum capere, quomodo tortura possit purgare periurium, quod in ea inducitur, tortura enim purgat solum eum defectum, qui supponitur in esse antequam testis torqueretur. Et dato, quod purget ex consuetudine periurium, purgabit solum primum periurium praecedens torturam, & sic illud erit attendendum licet à secundo, quod non sufficiet ad torturam. *Quinto* statur primo, quando indebitè fuit tortus, vnde secundum nihil probat, *Farinac. quaestion.* 66. *numero* 180. *de Bictis, quaest.* 103. *numero* 17. Demum attenditur primum dictum sæpius geminatum, & confirmatum, contra secundum in tortura. *Farinac. quaest.* 66. *numero* 177. *Guazin. Defens.* 19. *capite* 16. *numero* 22. cum multis aliis.

33 In aliis casibus attenditur secundum dictum in tortura, quando testis non fuit locutus parti, *Farinac. quaestion.* 66. *numero* 165. *de Bictis quaestion.* 103. *numero* 11. Sicut & quando testis fuit tortus pluries vltimum dictum attenditur, dummodo tortura fuerit grauior. *Farinac. numero* 172. & 174. *Guazin. Defens.* 19. *capite* 16. *numero vltim. de Bictis, numero.* 12.

Quæres 29. Quot defectus tortura purget in testibus?

34 Respond. Tortura vnicum defectum purgat in teste, vnde ad hoc frustra datur patientibus plures defectus, ad nihil enim deseruit. *Cranett. cons.* 6. *numero* 34. *Bursat. lib. secund. consil.* 192. *Roland. libro tert. cons. tert. num.* 48. *Riminald. iun. vol.* 2. *cons.* 113. *numero* 33. *cons.* 130. *numero* 29. *Farinac. cons.* 11. *numero* 12. *consil.* 22. *numero* 16. *cons.* 79. *num.* 10. *quos citat Guazin. Defens.* 19. *capite* 18. *numero* 7. Duo autem defectus ita testem reddunt inhabilem, vt tortura illum non possit purgare, & facere habilem, *Menoch. casu* 99. *numero* 7. *Bursat. volum.* 2. *cons.* 135. *numero secund. Suarez commun. opin.* 11. *Testis numero* 216. Etiamsi veritas aliter haberi non possit, *Torretus cons.* 9. *numero* 33. *cum alijs Guazin. num.* 7.

Quæres 30. An tollat defectum inimicitiæ?

35 Respond. Tortura non potest purgare vitium inimicitiæ, quia hoc pendet à voluntate, quam cogere non potest tortura ad parcendum, si nolit. Ita *Grammat. cons.* 8. *numero* 11. & *cons.* 38. *numero* 51. *Roland. volum.* 1. *cons.* 24. *numero* 38. *Bertazol. volum. secund. consil.* 251. *numero* 14. *Bursat. volum.* 2. *cons.* 134. *numero* 36. *cum illis, & alijs Guazin. Defens.* 19. *cap. fin. num.* 8.

Quæres 31. An tortura indebitè data, vel leuis purget defectum?

36 Respond. Negatiuè, necesse est, vt legitimè sit data, vt debitum sortiatur effectum purgationis. Ita omnes *cum* Farinac. *quaestion.* 79. *num.* 1. Nihil ergo operatur contra nominatum, nec ad inquirendum. Similiter leuis tortura non tollit defectum, cum non sit propriè tortura, vnde illata per vnum *Miserere* nihil operatur. Ita *Riminald. iun. volum.* 4. *cons.* 360. *numero* 74. *Brunus parte* 1. *cons.* 61 *numero* 6. *Decian. volum. secund. Respons.* 93. *numero* 46. *cum alijs Guazin. Defens.* 19. *capite* 18. *numero quinto.*

Quæres 32. Quid amplius operatur tortura data testibus, seu an, & quomodo probet?

Respond. Tortura in primis iustè illata, moderata, sed non secus omnino, vt dixi quæst. 31. testem de inhabili ex vnico defectu, ex quæst. 29. facit habilem, & idoneum, tollendo exceptiones testium. Ita *Alexand. volum.* 11. *cons.* 11. *numero* 5. *Clarus quaest.* 25. *initio*, *Decian. vol.* 2. *respons.* 193. *num.* 3. *Honded. vol.* 1. *cons.* 102. *num.* 26. *Farinac. cons.* 29. *num.* 10. *ex illis Guazin. Defens.* 19 *cap.* 18. *numero* 2. Persistens in depositione ex tortura censetur dicere puram veritatem. *Farinac. cons.* 25. *num.* 45. *Clarus quaestion.* 64. *num.* 34. *Magon. decis. Lucen.* 89. *num.* 12. *Guazin. num.* 1. Vnus autem testis tortus nunquam plene probat, sed vtique plures, quia tortura non supplet testium numerum. *Decian. vol.* 2 *resp.* 193. *numero* 131. *Guazin. num.* 5. 37

Quæres 33. An tortura tollat defectum citationis?

℞. Negatiuè, quia tortura inferenda est testi citata parte; ita *Brunus cons.* 61. *num.* 2. & 8. *Baiard. quaestion.* 11. *num.* 4. *cum aliis Guazin. num.* 11. 38

Quæres 34. An prædicta locum habeant apud Regulares?

℞. Affirmatiuè, quia referuntur ad substantiam probationis non ad apices iuris, ideo sunt torquendi inhabiles, vt habilitentur, nisi recipiantur cum suis inhabilitatibus, in quo casu minus probant. Non est autem necesse citare partem, nec facere confrontationem, quia hæc spectant ad apices iuris, vt citat loco patris dixi cap. 40. num. 13. Confirmantur prædicta, quia torturantur Sacerdotes seculares ex qu. 9. ergo & religiosi. 39

Quæres 35. An torturentur testes in Sancto Officio?

℞. In Sancto Officio testes Inhabiles non solent torqueri, quia ex caritate, & in fauorem fidei deponunt absque vllo interesse, & sic admittuntur cum sua exceptione, vt docent cum aliis *Diana parte* 4. *tract.* 6. *resolut.* 11. Dixi *capite* 8. *num.* 32. quod si in aliquo casu sunt torquendi, non requiritur præsentia Episcopi, *Farinac. quaestion.* 188. *numero* 74. *Carena part.* 3. *titul.* 7. *num.* 54. 40

Testis obstinatus cogitur minis, carcere & tandem tortura. *Scaccia lib.* 1. *de Iudic. cap.* 86. *numero* 14. *Carena num.* 59. Testimonium in tortura expressum, *inquit Carena num.* 60. non ratificari ex praxi S. Officij, forsan ea ratione, quia non torquetur super veritate, sed propter obstinationem, vt cogatur respondere. 41

Socius criminis non torquetur. *Pegna parte* 3. *com.* 113. *Royas par.* 2. *num.* 155. *cum alijs Dian. part.* 4. *tract.* 6. *resol.* 10. *Vers. sed his.* Contrarium docent *Genuens. cap.* 68. *num.* 11. *Delrius lib.* 5. *sect.* 3. *Zanardus part.* 3. *cap.* 94. *à Diana citati.* Si torquetur, ab vno tantum defectu purgatur. *Farinac. quaest.* 43. *num.* 178. *Carena part.* 1. *titul.* 10. *numero* 122. Dixi quæst. 29. 42

CAPVT XLIX.

De Publicatione Testium.

IVdex finito processu, & non ante, debet publicare processum, quod est tradere eius copiam reo, siue petenti, siue non petenti, vt valeat se defendere, in qua copia per extensum, vel summatim describenda sunt dicta testium cum eorum nominibus, vt possit contra illos excipere, iuxta inferius dicenda. Ita omnes cum *Guazino Defens.* 24. *capite* 1. *de Angelis capite* 19. *de Sancto Iuliano capite* 6. *Aduert.* 5. *Miranda quaestion.* 23. *numero* 2. *de Bictis, quaestion.* 90. *ferè per totam.* Pro cuius intel- 1

ligentia

ligentia proponam sequentes quæstiones, quarum potissima præponitur.

Quæres igitur primo, an publicatio testium, & attestatio sit de substantia iudicij, itavt nulli sit neganda?

2 Respond. De substantia iudicij est datio copiæ attestationum reo, vt se possit defendere, esto illas non petat; expressio vero testium nominum est de apicibus iuris.

3 Primum de datione attestationum est certum apud omnes, quia id spectat ad defensionem ipsius rei, cui natura indidit, vt possit se defendere, non potest se tueri, nisi cum armis attestationum illas impugnando, si non sunt legitimæ, ergo sunt de substantia iudicij. Nemo id negat, sed omnes asserunt, cum supracitatis, *Pitigian.* *in 4. subst. sub initium Vers. Dicamus, Ghisler. Cap. 19. num. 11. Miranda quæst. 23. concl. 1. Peyrin. lit. R. cap. 9. num. 6. Compend. Rodrig. resol. 45. num. 4. & alij communiter.*

4 Secundum, quod sit danda copia attestationum, quamuis non petat, ad minus offerenda à iudice, probatur, quia cum per illarum copiam possit se defendere, si non exhibeantur, videtur quodam modo impediri, & priuari iure defensionis, cui tacendo non præsumitur renuntiare in sui præiudicium. Ita *Sanch. lib. 6. cons. cap. 32. Spathar. tract. 9. cap. 24. num. 3. & 4. Farinac. quæstion. 39. num. 97. & 98. Guazin. Defens. 24. cap. 2. à num. 5* qui aliis multis citatis tenet cum Farinac. hunc esse veriorem, & securiorem, & magis communem, vt offeratur copia processus reo non petenti, quicunque ille sit, siue doctus, siue ignarus, & respectu cuiuscunque criminis etiam atrocissimi.

5 Contrarium, quod non sit danda copia processus reo, quando illam non petit, docent plerique quos citant Farinacius & Guazinus, quibus addo *Nauar. cons. octau. de accusat. numero secundo & tertio. Peyrinum lit. R. capite nono, numero sexto, fin.* de Angelis *capite decimo-septimo, numero quinto.* Sed non est recedendum à priori sententia, ne fiat iniuria reo, qui non præsumitur renuntiare iuri suo, imò nec potest, quando agitur de pœna mortis, aut mutilationis, quia nemo est Dominus sui corporis, aut membrorum. Glos. cap. Quoniam contra, de probat. *Carena part. tert. tit. 9. numero 90. & 91.*

6 Tertium, quod expressio nominis, cognominis &c. testium spectet ad apices iuris, docent communiter cum de Sancto Iuliano *Capite sexagesimo-primo, Aduert. 5. §. secundo. Mancinus de Causis Regularibus capite decimo-septimo. Sanchez libro sexto, cons. capite octau. dubit. secund. numero quinto & nono. Bertius ad tomum quartum, Rodrig. tit. sexto. capite sexto, numero septimo, de Angelis capite decimo-nono, numero octau. Miranda quæst. decimo-quarto, numero decimo-septimo, 23. concl. secund. Rodrig. tom. secund. quæst. decima-sexta, articul. primo, cum suo compend. resol. quadragesima-quinta, numer. quarto, fine, alios citat de Bictis quæst. nonagesima, num. 11.* qui omnes docent, nomina testium non esse propalanda reo, ergo id non est de substantia iudicij, sed spectat ad apices iuris.

7 In aliquo tamen casu, in quo timetur persecutio contra reum, audiendus est Bonifacius VIII. qui declarando suam constitutionem de postponendis apicibus iuris, ita decernit super hac re: *Ad pacem autem inter Fratres conseruandam ordinamus, vt Prælati nullo modo testium, vel accusantium nomina reis manifestent, quamuis etiam ad instantiam, & punitionem procedant; nisi vbi & quando coram iudicio in oppositione alicuius graui, & infamatorij criminis iustitia periclitaretur. Nam eo casu, si reus petat, & accusantium, & testium nomina sibi notificari debere, non est ei denegandum.* Hæc rescripsi ex de Angelis *Capite 19. num. 10. & de sancto Iuliano cap. 5. Aduert. V. §. 2.* quod est priuilegium concessum Minoribus, quorum rei possunt petere nomina testium, vt contra illos excipiendo possint se defendere in criminibus grauibus, & infamatoriis, exempli gratia, in delictis carnis Sodomiæ, & incestus, dilapidationis bonorum Monasterij, &c. Quo priuilegio vti possunt alij per communicationem. *Diana part. 11. tract. 3. resolut. 7.*

In iudiciis autem secularium, & clericorum debent dari non solum attestationes, sed etiam nomina testificantium, vt reus valeat se defendere, si fuit calumniatus, & iniustè inquisitus, vt docent præcitati *Farinac. quæst. 39. num. 97. Guazin. Defens. 24. cap. 3. num. 8.* quæ opinio verior, & securior est, cum sit communior, & meliorum Doctorum. 8

In Sancto Officio regulariter non propalantur nomina testium, sed copia tantum attestationum datur, demptis quibusdam circunstantiis, per quarum cognitionem reus posset venire in notitiam testium, expressè *Cap. fin. §. iubemus, de hæres. in 6.* ea ratione, vt testes libentius deponere valeant in causis fidei, & ne illis propter hoc aliquod immineat periculum. *Pegna part. 3. com. 124. Farinac. quæstion. 188. num. 7. Carena p. 3. tit. 7. num. 63. Salelles reg. 176. numero 241.* Vnde nec nomen denunciantis publicandus est, *ex eodem Salelles n. 243.* quia & ipse seruit pro teste. 9

Quoniam autem Inquisitores, & Regulares iudices habent priuilegium tenendi occulta testium nomina, reis non propalanda, & ideo reis truncatur magna pars defensionum, maximè cum non possint excipere contra testes, propterea dicti iudices sint diligentes circa inuestigationem qualitatum testium, perscrutantes ex officio suo inhabilitates, & exceptiones testium, vt ex illis defendatur reus tum à tortura, tum à pœna saltem ordinaria, vnde Inquisitores in summariis ad Consultores transmissos exprimunt exceptiones testium. Ita *Diana part. 4. tract. 8. resolut. 124. cum aliis Carena part. 3. titul. 7 num. 66.* 10

Pari ratione idem præstandum est per iudices regulares, & licet non teneantur regulariter nomina testium dare reo, debent tamen illa confidere Aduocatis ipsorum reorum religiosorum qui tanquam Consultores informant iudicem, an, & qualiter sit delictum probatum. Quod ergo seruatur apud Inquisitores, obseruandum quoque est apud iudices regulares, cum in hoc par sit iudicium, dum in neutro foro testes publicantur, excepto quod regulares debent esse contenti vnico Aduocato, & consultore. 11

Quæres 2. An copia processus danda sit reo antequam examinetur?

Respond. Negatiuè, sed voce informatus constituendus est primo, & examinandus, si enim fatetur, non est opus defensionibus, quod si neget delictum, antequam torturæ subiiciatur, datur copia attestationum ad se defendendum, si petierit. Ita Farinac. *quæst. 38. num. 3. Peyrin. lit. R. cap. 9. num. 6. de Angelis, cap. 19. n. 2. de Bictis. quæst. 90. num. 14.* 12

Quæres 3. An danda sit copia processus, quando Iudex procedit via inquisitionis?

℞. Quouis modo procedat, semper danda est, *ex cap. qualiter 24. de accusat. Cepolla cons. 63. fine, cons. 75. Claras quæst. 49. num. 2. cum aliis Guazin. Defens. 24. cap. 1. num. 4.* Reus, enim semper eget defensione, respectu cuiuscunque modi procedendi. 13

Quæres 4. An iudex possit reo denegare copiam processus?

Respond. Non potest, quia id est ei negare defensiones, quæ competunt illi de iure naturæ, vnde si neget appellare potest, siue negetur expressè, siue tacitè. Farinac. *quæst. 39. num. 72. cum aliis Guazin. defens. 24. cap. 3. num. 13.* 14

Quæres 5. An pendente termino ad faciendas defensiones, formari possit processus?

15 Respond. Negatiuè, & quicquid eo tempore fit à iudice est ipso iure nullum, quia eo tempore iudex caret vsu & exercitio suæ iurisdictionis. Ita *Anton. Gabriel. lib. 2. de dilat. concl. 1. numero 3. Cratus part. 2. cons. 77. num. 6. cum Guazino Defens. 24. capite 4. num. 2.* Valet etiam apud regulares, quia tempus moderatum, & necessarium coniungitur cum ipsa defensione, quæ religiosis negari non potest. Dandus ergo est terminus reo ad se defendendum pro suo arbitrio. Guazin. cap. 5.

Quær. 6. An ad obtinendam processus copiam sit necessarium, vt reus habeat testes pro ritè examinatis?

16 Respond. Quamuis reus ad id cogi non possit, tamen Iudex non tenetur illi dare copiam processus, nisi prius legitimet processum, repetendo testes reo citato.

17 Primum, quod ad id cogi non possit, patet, quia tolleret sibi defensiones ex parte, *ex allatis à Guazino Defens. 24. cap. 6. num. 6.* Farinac. vero *qu. 72. à n. 157.* dicit posse cogi reum, vbi viget stilus & decerni copiam cum clausula: *Habitis testibus rite, & rectè examinatis*, habentur enim tunc pro repetitis. Sed vbi non est consuetudo, clausula illa nihil operatur.

18 Secundum, quod testes repetantur ante traditionem copiæ probatur, quia defensio facienda per reum debet referri ad probationes legitimas, quales non sunt factæ parte non citata, *ex cap. 40. Ita Cartarius lib. 3. cap. 2. num. 56. 62. & 67. Farinac. q. 72. num. 149. Guaz. Defens. 24. cap. 6. num. 5.*

19 Apud regulares cum non sit necessarium repetere testes parte citata vt probaui eo cap. 40. tradi potest copia attestationum sine illa declaratione, quia testes habentur pro ritè examinatis.

Quæres 7. An post publicationem processus possint examinari testes?

20 Respond. Possunt examinari, quando testificata non fuerunt didicita à parte, quia cessat omnis suspicio subornationis, de communi *Farinac. quæst. 75. num. 328. & 331.* quod si dubitatur de discione testificatorum, alij testes non possunt produci, quia suspicio subornationis est in promptu, *ibidem num. 222.* Vt igitur post publicationem liceat productio aliorum testium, necesse est, quod certo constet, testificata non fuisse didicita à parte; quomodo autem id sciatur lege eundem *Farinac. num. 329.* De hac re vide etiam Guazin. Defens. 24. cap. 7. per totum. Tunc autem testificata dicuntur didicita à parte, cùm illa aut scientificè legit, aut præsens audiuit testes deponere bene attendendo. *Ex eodem Farinac. quæst. 75. num. 51. 55. & 57.*

Quæres 8. Cuius expensis extrahenda est copia processus?

21 Respond. Rei, sicut enim ex ea intendit reportare commodum, ita æquum est, vt sentiat incommodum expensarum, dum illi tantum copia vtilis est, & non actori, qui ad nullas tenetur expensas, quando querela, seu denuntiatio fuit legitima, in quantum semiplene ad minus probauit delictum, & cum habuit iustam causam litigandi. *Farinac. quæst. 16. num. 33. & 41. Guazin. Defens. 24. cap. 3. num. 12.* vbi, & quod potest petere artam ne frustra laboret.

Quæres 9. An sit publicandus processus definitiuus?

22 Respond. Negatiuè, quia hæc acta sunt semper nota iudici, & fisco, secundum quæ iudex potest procedere ad sententiam, si tamen reus petat, dandus est, *ex Claro qu. 61. Guazin. Defens. 28. cap. 20. numero 1. ex illis de Bictis qu. 90. num. 16.* quod si non tradat, valent nihilominus gesta à iudice, licet ille posset appellare. Accusator pariter potest copiam processus defensiui petere, vt possit aliquid deducere, & probare, vt dicunt præcitati.

CAPVT L.

De Conscientia Testium.

1 IN hoc capite agendum est de testibus in ordine ad eorum conscientiam, quando possint deponere contra aliquem, & reuelare aliorum delicta.

Quæres igitur primo, an testis sit obligatus in conscientia respondere iudici interroganti ipsum?

2 Respond. Affirmatiuè, quando iuridicè interrogatur, tunc enim testis obedire tenetur iudici, qui habet ius ad ipsum interrogandum. Et in hoc omnes conueniunt *cum S. Thom. 1. 2. quæst. 75. art. 1. Sayr. lib. 11. cap. 10. Bonacin. disputat. 10. part. 3. num. 4.* Vnde tacens veritatem, vel falsum dicens peccat mortaliter.

Quæres 2. Quandonam iudex dicatur legitimè interrogare, vt testis teneatur respondere veritatem?

3 Respond. Tunc iudex legitimè interrogat, quando procedit vno ex tribus modis, per visitationem, vt faciunt Episcopi, & superiores regulares; per denuntiationem, & monitoria super rebus deperditis; & per accusationem, in his testis tenetur dicere veritatem, quia iudex legitimè interrogat, visitationes enim à iure præscribuntur superioribus, sicut & recipere denuntiationes, & accusationes, vt delinquentes puniantur, ergo testes vocati à iudice dicuntur legitimè interrogati. Sicut, & quando generaliter citantur per monitoria ad reuelandum, vt faciunt Episcopi pro inueniendis rebus deperditis. Ita omnes iuxta dicenda in sequentibus.

Quæres 3. An si vnus tantum scit delictum cum accusatore, vel querelante, vel rem deperditam teneatur respondere veritatem?

4 Respond. Affirmatiuè, quando ipse est testis idoneus, & maior omni exceptione, nam ex eius dicto iudex procedit contra reum, & tortura cogit ad dicendam veritatem, si eam negat, ergo ne pereat iustitia, & reus remaneat impunitus, tenetur qui solus scit deponere veritatem. Ita *Sayrus libr. 12. cap. 20. numero sexto, Bonac. parte tertia, numero quinto.* Alias non tenetur, quia iudex nullum aquirit ius super reum, ergo cum nemo teneatur ad inutile frustra deponit, & proximum infamat, cum adhuc sit suæ famæ Dominus.

5 Contrarium, quod testis non teneatur testificari docet *Diana part. tert. tractat. quint. resolut. 100. cum Spathario tractat. septimo, cap. octau. num. septim.* quia ea testificatio inutilis est vexans reum sine causa. Reconciliari possunt hæ duæ opiniones, quod priores loquantur de teste maiori omni exceptione, non enim tunc frustra vexatur reus, cum de iure sit torturandus; posteriores vero loqui de teste patiente exceptionem, cuius testificatio est inutilis, vt dixi supra.

Quæres 3. An vt testis teneatur deponere contra reum, necesse sit, quod de delicto, constat, sed ignoratur delinquens nondum diffamatus?

6 Respond. Affirmatiuè, quia iudex habet ius inquirendi malefactorem, dum de corpore delicti constat, vt probaui *Capite tert. quæstion. nona, numero quinquagesimo-septimo, section. tertia, quæstion. tertia, num. sexto.* ergo & testis tenetur respondere, cum legitimè interrogetur. Ita plerique apud Dianam, *qui part. 1. tract. 15. resol. 63.* tenet oppositum cum nonnullis, & probat supponendo, non probando, quia quando dubium est, an iudex iuridice interroget & vna sententia docet, non interrogare iuridice, proinde idem est, ac ipsum non esse

iudicem,

iudicem conſequenter ſubditus non tenetur obedire ſequendo hanc opinionem.

7 Sed contra eſt, nam certum eſt, quod quando conſtat de corpore delicti, iudicem non ſolum habere ius inquirendi ex officio ſuo, ſed etiam debere inquirere, ſic dictante bono communi, ergo ex neceſſitate huius antecedentis ſequitur teſtes ſcientes maleſactorem, teneri illum manifeſtare iudici, qui verè tunc iudex eſt, aliter non eſſet admittenda Inquiſitio generalis generalitate delinquentis ignoti ſuper delicto noto. Quod autem non ſit neceſſaria præceſſio infamiæ contra delinquentem probaui pluribus, *eo cap. tertio, ſect. ſecund. quæſt. 9. num. ſexageſimo-ſecundo, & ſect. tertia, quæſtion. tertia, numer. 6.* reſpondendo textibus, & obiectis, quod ea iura derogata fuerunt per contrariam conſuetudinem, quam totus orbis nunc ſequitur, teſte Farinac. q. 9. n. 21.

Quæres 4. Qui crimen occultum detexit imprudenter iudici teneatur ſe retractare? Malderus, quem ſequitur Diana part. 5. tract. 5. reſol. 101. hne, ait, ex iuſtitia non teneri, ſi tamen poteſt, & ſperat retractationem profuturam apud iudicem, tenetur lege caritatis dictum retractare.

8 Reſpond. Ad nihil teneri, quando teſtis eſt idoneus, & omni exceptione maior, iuxta ſuperius dicta ſub numero quarto, cum enim iudex habeat ius inquirendi ſuper quæcunque delicta; etiam teſtis vocatus ius habet legitimum reſpondendi, & detegendi delictum proximi, vt ſatisfaciat ſuæ obligationi, & delinquens ſibi imputet, quia delictum ſemper clamat contra delinquentem. Malderus autem ſupponit iudicem non legitimè interrogare, forſan quia delictum eſt occultum, & in hoc errat, quia iudex ideo inquirit, vt ſibi occulta manifeſtentur. Opinio Malderi valet reſpectu eorum, qui volunt, iudicem non legitime interrogare ſuper occultum, quod vti falſum multis reieci loco ſupra citato.

Quæres 5. An dubitans ſe legitime interrogari, teneatur reſpondere? vel poſſit tunc æquiuocare, ſi non vult recuſare reſponſum?

9 Reſpond. Tenetur reſpondere, quia in dubio iudex præſumitur iuridice fungi officio, *capite, Poſt ceſſionem, de probat. capit.* Sicut, *de re iudic. cap. In præſentia, de renuntiat. ex gloſ. fin. capite, Ad reprimendam 8. de offic. ordin.* Quare cum dubium hoc ſit temerarium nullum ius teſtis acquirit tacendi veritatem, aut æquiuocandi. Contra Dianam part. tertia, tractat. quint. reſol. 106, aſſerentem, teſtem non teneri, reſpondere, quando dubium eſt pro vtraque parte probabile, quia periculum maius eſt, ſi occidatur homo contra ius, quam ſi non obediatur ſuperiori? Præterea vnuſquiſque præſumitur bonus, quoaduſque probetur malus, ſed quandiu dubium eſt, an ſit ius inquirendi contra aliquem, nec probatus eſt malus, nec iure exiſtimatur talis, nam ſola infamia, & indicia faciunt ſolum præſumptionem iuris; ergo in re dubia iudex inquirens peccat, & reus reſpondendo. Tertio iura fauent reo, & poſſeſſori in dubio, ergo quouſque conſtiterit ius inquirendi, reus habet ius ſuæ famæ, honoris, vitæ, & bonorum, ergo non licet iudici inquirere contra reum, nec teſtem reſpondere. Hæc ille.

10 Contra eſt, quia teſtis hoc dubium mouere non poteſt in Inquiſitione, cum ex natura ipſius ſit inueſtigare occulta, vt ſibi manifeſtentur, vel tempore viſitationis, vel ex ſuppoſita querela per denuntiationem, aut accuſationem, his enim præmiſſis ſine dubio habet ius inquirendi, & in teſtibus, reſultat ius paſſiuum reſpondendi, ergo nulla ſubeſt dubitandi occaſio, dum ad inquirendum mouetur vno ex illis tribus modis, iuxta ſuperius dicta. Quod ſi non requiſitus à lege, vel querela vellet immediatè interrogare aliquem vti teſtem, tunc non eſt dubium, ſed omnino certum, quod hoc modo non poteſt teſtem interrogare. Vnde dubium eſt merè ſpeculatiuum. Imò in caſu, quod dubium eſſet practicum in dubio æquali magis eſt fauendum iudici, quam teſti, certum enim eſt, quod ſubditus in dubio tenetur obedire, quia ſuperior eſt in poſſeſſione ſuæ poteſtatis, vt obediatur à ſubditis, eſt enim valdè incongruum, vt per motiuum dubium priuetur iure certo, quod habet?

Ad eius primum argumentum reſpondetur, delinquentem conuictum, ſeu confeſſum iuſtè occidi, & teſtem tenuiſſe obedientiam præſtare ſuo ſuperiori, vt malefactor puniatur. 11

Ad ſecundum reſpondeo, illud pro nobis facere, qui diximus in dubio præſumendum eſſe pro iudice, qui præſumitur bonus in officio ſuo, quando non probatur contrarium, vt in caſu Dianæ, in quo de illegitima Inquiſitione non conſtat, dum ponit dubium. Et certum eſt apud omnes in dubiis obediendum eſſe ſuperiori, non fauendum ſubdito, præſertim in hoc caſu, poſita enim querela, grauatur opinio querelati cap. 4. de accuſat. vnde non poteſt præſumi bonus, cum de eo prædicetur delictum. Et quod ait, præſumptiones, & indicia eſſe iuris argumenta bene loquitur, ſermone abſoluto, ſed malè, relatiuè ad præſens negotium, quia ex illis legitimè inquirit ex communi Doctorum. 12

Ad tertium, verum quidem eſt, quod in dubio fauendum eſt reo quo ad ea, quæ ipſum immediatè attingunt, vnde in dubio, nec torquetur, nec condemnatur; verum quoque in dubio fauendum eſſe iudici, non teſti, cui eſt neceſſarium obedire ex ſupradictis, concludendum eſt ergo delinquentem, hoc ipſo, quod eſt querelatus incipere perdere ius ſuum reſpectu iudicis, & teſtium, grauata enim eſt eius opinio. 13

Quæres 6. An teſtis teneatur interrogatus à iudice reuelare ſecretum ſibi commiſſum?

Reſpond. Affirmatiuè, quia ſecretum non debet præiudicare iudici, cuius eſt occulta inquirere, cum eſt requiſitus per querelam; confirmatur, quia qui iurauit non teſtificari contra aliquem, citatur à iudice adhuc tenetur deponere veritatem ex dictis cap. quadrageſimo-ſeptimo, numero vndecimo, quia tale iuramentum eſt illicitum, à fortiori reuelare tenetur, qui non iurauit. Ita Rodrig. *capite ſeptimo, de ordine iudic. concl. vndecim. apud Portellum parte prima, caſu vigeſimo-tertio, numero tertio*, ea ratione, quia tacendo veritatem lædit accuſantem, cuius iuſtitia pendet à teſtimonio; ait ibidem id procedere non ſolum in accuſatione, ſed etiam in Inquiſitione generali, vbi alia ſubiungit, quæ non faciunt pro nobis. 14

Quæres 7. An quis debeat ſe offerre ad teſtificandum pro liberando reo ab iniqua querela mortis, honoris, ſeu grauis damni?

Reſpond. Non debet ſe immediatè offerre, quia ſimiles teſtes pro ſuſpectis habentur, & nihil probant, nec contra reum, *ex dictu cap. quadrageſima-tertia, numero quint.* Caritas autem ſolum cogit eum, vt faciat admonere reum, pro cuius defenſione præſto erit. Ita intelligendi ſunt *D. Thom. 2. 2. qu. 70. art. 1. cum Soto, Nauarra, & Miranda qu. 16. art. 5. quos pro ſe citat de Bellis quæſt. 60. numero 9.* Sed hunc modum, qui reuera ſeruandus eſt, non docet. 15

Quæres 8. An teſtis falſus, quo innocens traditur morti, gaudeat immunitate? Affirmat Marius Italia apud Dianam citandus, quia huiuſmodi homicidium eſt proditorium, homicidæ autem proditores non gaudent immunitate, ſecundum Bullam Greg. XIV. ibi: *Qui proditione proximum ſuum occiderint; aut aſſaſinij criminis rei.*

℞. Gaudet immunitate, ſiue pecuniam acceperit falſus teſtis, ſiue non, ratio eſt, quia propriè teſtis 16

falsitate, sed solum ad resarciendum damnum parti illatum ex ea falsitate. Ratio priorum duorum est, quia testis ex sola caritate tenetur citatus testificari, ergo aliquid recipiens, non violat iostitiam, sed caritatem. Ratione vero falsæ depositionis tenetur resarcire damna, quia ex ea depositione læsit proximum, in soa iustitia. Ita plerique *citati à Bonac. disp. 20. de legib. q. 3. p. 3. num. 17. Diana par. 5. tract. 6. resol. 4.*

Quæres 17. An testis coactus præcepto iodicis, vel meto graui testificari in causa sanguiois excusetur à peccato, & irregularitate?

26 ℞. Non incurrere irregularitatem, quia circa mortem, aut mutilationem non dicitur cooperari per defectum lenitatis, cum prorsus in hoc se voluntarie non habeat, dum coactus testificatur. Ita docent *Coninch. & Bonac. ques pro se citat Castropal. de irregul. disput. 6. part. 14. §. 3. numere* 3. Diana oppositum sentit *cum Hurtado par. 4. tract. 2. de irregul. resolut.* 31. quia licet noo reperiatur lenitas formalis, dum testificatur coactos, reperitur tamen materialis, & indecentia ob rigorem per se in cooperatione mortis. Sed ad incurrendam irregularitatem formalis defectus lenitatia, necessarius est, & sufficit, adeo, quod non incurritur ob materialem defectum lenitatis tantum, quia hæc consideratio nihil habet moralitatis, per quam testificario influere possit rigorem in lenitate ad iocurrendam irregularitatem. Casus autem procedit potiùs pro laico, quam pro clerico, qui cogi non potest, sicut laicus.

Quæres 18. An testis in causa sanguinia excusetur ab irregularitate præmittendo protestationem?

27 ℞. Negatiuè, quia priuilegiom ea capite secund. de homicid. in 6. est concessum clericis defendentibus propriam causam; testis aotem defendit alienam. Ita communiter Doctores, quos allegar *Diana part. 4. tractat. secund. resolution.* 32. *Castropal. part. 24. de irregul. §. 3. numere secund.* Præpositus tamen apud Dianam escosat etiam testem, quia alias redderetur inutile priuilegium clerico concessum, qui sine testibus propriam causam prosequi non potest. Confirmator ex ea communi regula, quod vno concesso, censentur concessa omnia, quæ necessaria sunt ad illud consequendum, certum enim est, sine testibus accusatorem nihil agere. Placet hæc opinio cum hac limitatione, quando querela non potest probari laicis.

Quæres 19. Ao testis deponens in fauorem rei fiat irregularis, si sequatur mors accusatoris, qui debet subire mortem, quam procurabat inferri reo?

28 ℞. Negatiuè, quia eius testificatio per se, & directè ordinatur ad defensionem rei, non ad offensam accusatoris, nisi per accidens, & remote, propter quod non incurritur irregularitas quę petit causam proximam. Ita *Sayrus de consc. lib. 6. capite* 18. *numero* 11. *cum aliis Diana resolutio. 96. de irregular.* & id procedit etiam in clericis, & religiosis, qui possunt testificari ad defensam, est enim opus caritatis, à quo non excluduntur.

Quæres 20. An non reuelantes ex vi monitorii teneantur ad restitutionem? Sunt enim testes in eo casu.

29 ℞. Non teneri, quia ex vi monitorii tenentur tantum ex obedientia, & caritate, non ex iustitia, dum non testificantur. Ita nonnolli probabilius contra communem, qui credunt, testem teneri ex iustitia, & non tantum ex præcepto caritatis quos refert *Diana part. 5. tractat. 13. resolut.* 68. Faciunt dicta supra *quæst.* 14.

Quæres 21. An liceat reo occidere falsum testem ad sui defensionem, vt euitet mortem, cum sit innocens?

℞. Non licere, quia id non est vim vi repellere 30
propria auctoritate, qoa ratione inuasus, qui alio modo non potest propriam saluare vitam nisi occidendo, inimicum occidere potest; siquidem reus se defendere potest antequam condemnetur ad mortem, dum ei necessario dantur defensiones opponendas contra testes, cum ergo hac via se tueri possit, cum non negetur, non est, cur se defendat occisione inimici. Confirmatur, quia testis licet deponat falsum, non tamen dicitur inuasor, cum iure priuato non procedat, sed iure legali provt exercet actum legitimum, ergo non potest dici inuasor, cum non agat actum priuatum, sed publicum à lege præscriptum. Nec obstat falsitas, quia in eo vti legitimo in sua depositione non præsumitur, nisi probetur. Ita Corduba *libro prim. quæstion. 38. dub. prim. Turrianus, Sallon. Sotus, Maldorus cum aliis relatis à Diana part. 5. tractat. 4. resolut.* 7. contra nonnullos alios ab eodem citatos, quorum opinio via sustineri potest; quin iori publico valde aduersetur, & nemo in propria causa ad forum contentiosum deducta, videtur se posse tueri nisi seruato ordine iuris, nam accusatus siue vere, siue falso, iuxta iuris ordinem potest se tueri, ergo contra illum priuata auctoritate non potest se defendere.

Quæres 22. An testis falsus teneatur reuocare suam depositionem?

℞. Tenetur reuocare eam, si credit profuturam, 31
aliter non etiam cum pari periculo, id enim sibi imputet. Ita *Lessius libro secund. capite 30. numero* 53. *Petrus Nauarr. libro secund. capite tert. numero* 251. *cum Diana part. 4. tract. 4. resolut.* 99. Non puto difficilem multum se retractandi modum, quando testes repetuntur, tunc enim esto testis nolit expresse asserere se falsum dixisse, variare debet primam depositionem ita qood illa pro nulla habeatur, deponendo, quod credebat eam depositionem esse veram, sed postea re melius considerata, dubitat non esse veram, & sic falsa depositio corruit corrobotata tortura.

Quæres 23. An reus innocens in sui defensionem possit testi falso opponere crimen non solum verum, sed occultum, verum etiam falsum crimen?

℞. Potest obiicere sine peccato crimen verum 32
etiam occultum, non vero falsum. aliter peccat mortaliter peccato periurii, & sine illo solum venialiter ob simplex mendacium, nequaquam vero contra iustitiam. Ita infra citandi, non ego absolute.

Primum ab omnibus conceditur de vero crimine, 33
qoia reus ius habet ad se defendendum, viam iuris seruando, excipiendo contra testem, quod commiserit tale delictum, per quod est inhabilis ad testificandum, vt quod sit periurus, fur, adulter, falsarius, &c. Et hæc probare paratus esse debet, & in effectu probare, aliter inutilis est oppositio.

Secundom, quod non possit obiicere crimen fal- 34
sum, probatur quia in defensione sua non seruat ordinem iuris, debet ergo incedere per viam iuridicam, aliter vti mendax, & periurus peccat mortaliter, dempto periurio, restat peccatum solum veniale, dum obiecit ad sui defensionem, id enim videtur efficere, ne peccatum, qood alias fuisset mortale exeat solum veniale, ratione modi illiciti se defendendi.

Tertium, quod non faciat contra iustitiam, videtur 35
ex eo probari, quia mutua compensatione resarcitur iniuria, seu damnum, adeo quod vtrique nulla remanet obligatio restitutionis, si æqualis fuit iniuria. Ita docent relati à Diana par. 9. tractat. 8. resolut. 43. Ego autem puto id semper esse peccatum mortale, siue intercesserit iuramentum, siue non, quando delictum impositum est graue cum obligatione restitutionis, quia certe est contra iustitiam, & ordinem iuris se defendendi, cum mille sint modi se defendendi

I 4 contra

contra testes. Non videtur autem adesse obligatio restitutionis, quia delictum falsum alio falso compensatur inter vtrumque.

Quæres 24. An qui audiuit à fide digno possit sine peccato deponere hanc veritatem ea propria scientia, cum tamen ipse non fuerit præsens?

36 ℞. Puto, hunc testem peccare mortaliter, quia deponendo veritatem auditam mentitur reddendo rationem, se id scire ea propria scientia, aliter si se explicat, scire se ex audita alieno, nihil probat ex dictis capite 29. numero 9. sicut hoc tacendo optimè probat in iudicio deponendo expresse ex propria scientia, tamen quia tevera mentitur, incurrit periurium, & lædit reum, cui non nocuisset tantum, si deposuisset ea audita alieno, vt debebat deponere. Vide Dianam part. quart. tractat. quart. resolut. 77. referentem plures Doctores asserentes id fieri posse, qui ea Sanch. libro tertio, capite quart. numero 13. ait, id sustineri posse ea tra iudicium, tunc enim non mentitur, quia iuramentum cadit super scientia aliena facta propria pro foro conscientiæ, & non decipit audicutes, ad quos nihil pertinet, an assertum sciat ea propria, an ex aliena scientia. Immo etiam in hoc foro si iuraret se scire ex propria scientia adhuc esset periurus, ergo à fortiori in iudicio, in quo iudex de iure quærit veritatem ex propria ipsius testis scientia.

CAPVT LI.

De Indiciis, & Præsumptionibus.

1 OMnes probationes reduci possunt ad duo potissimum capita in ordine ad delicta, quæ probantur vel immediatè per testes oculares, qui delictum visibile viderunt, dum fiebat, vel auriculares, qui delictum audibile suis auribus senserunt dum fiebat, primum igitur genus, seu caput probationis simpliciter probatio dictum habetur per proprium visum, seu auditum, qui immediatè delictum attingunt, & percutiunt. Vel delicta probantur per dicta, vel facta indicantia delictum, quod immediatè nec visum nec auditum fuit, quia factum fuit nullo vidente, nullo audiente, delinquens tamen fecit, vel dixit, vel dedit occasionem aliis præsumendi delictum non visum, nec auditum, & hæc probatio secundi generis dicitur præsumptiua per indicia, & præsumptiones. Pono exemplum in blasphemia, Petrus auditus fuit blasphemare à duobus viris honestis, qui delictum hoc plene probant primo genere probationis potissimæ, ea eadem blasphemia sic probata tamquam indicio probatur contra Petrum, quod vlterius sit suspectus de hæresi, quæ immediate probari non potest clare ex sensu auditus, quia eam hæresim non protulit ea formalibus verbis, sed tantum probatur præsumptiue ea indicio blasphemiæ. Solus cum sola repertus in lecto, hoc indicium clare, hoc est, per visum non probat copulam carnalem, quia non vidit membrum genitale intra vuluam, hoc enim est probare per visum, sed solum tale indicium copulam probat præsumptiue. Itaque probatio alia clara per visum, & auditum proprium ipsius testis, & de hac lo præcedentibus actum est, alia præsumptiua orta ex indiciis, quæ possunt inferre delictum, & de hic agendum est in genere.

Quæres igitur primo quid sit indicium?

2 ℞. Est signum probatiuum delicti. Vel clarius, Indicium est factum, vel dictum, ex cuius ostensione probatur præsumptiuè delictum contra sic facientem, vel dicentem, vel contra alium. Res est clara hoc exemplo, concubitus maris & fœminæ signum probatum præsumptiuam dat probationem copulæ inter eos. Fama quoque est indicium talis copulæ prouenicns ab aliis, sicut è contra concubitus est factum contra ipsos concumbentes. Doctores autem sic describunt indicium, quod est coniectura orta non ea necessariis fundamentis, sed ea probabilibus, à quibus potest quidem abesse veritas, non tamen verisimilitudo commissi criminis. Itaque indicium non infert necessario delictum, quod est dicere non probare de necesse, & concludenter, ac clare, sed tantum illud infert præsumptiuè, & probabiliter, atque cum verisimilitudine. Dictam defensionem Doctorum vide potissimum *apud Sousam lib. secund. capite 25. Farinac. quæstion. 36. numero 28.* cuius est auctor Baldus ibidem, *Carena parte tertia, titul. decim. numero quart. Salelles libro secund. capite quint. numero 140.*

Quæres 2. quotuplex sit indicium?

℞. Diuisio multiplex, de qua latè Farinac. quæstion. 36. numero 35. & sequent. Ego autem ad vtilia respiciens diuido *Primo* in leue, graue, & grauissimum. *Secundo* in indubitatum, & dubitatum. *Tertio* in proximum, & remotum de singulis dico, & explano eorum naturam, ne laboremus in æquiuoco. 3

Leue indicium est illud, quod raro adest, sed frequenter abest, & non multum vrget, ideo raro infert delictum. Sufficit autem ad inquirendum, & ad capturam, secundum clarum *apud Farinacium quæst. 36. num. 51.* vocatur etiam indicium simplex. 4

Graue indicium est illud, quod frequentet contingit adesse: hoc est, facile ex eo probatur verisimiliter delictum. Sufficit secundum clarum ad transmittendam inquisitionem reo absenti, & torturandum captum. *Ex Farinacio quæstione 36. numero 52.* 5

Grauissimum indicium, quod vocatur Indubitatum, & Proximum est illud, quod frequentissime, & facillime contingit esse. Hoc est, sequitur delictum. Et sufficit ad condemnationem pœnæ non ordinariæ, sed mitioris, *ex dictu cap. 5. numer. 21. ad 26. infra quæst. 13.* 6

Indubitatum indicium est illud, quod mentem iudicis ita coarctat ad vnum credendum, vt non possit intellectum suum cum prudentia inclinare in contrariam partem, vt concubitus masculi cum fœmina in lecto. Exiens è domo mortui cum gladio euaginato sanguine asperso, in qua nullus erat, qui potuisset occidere. Similia indicia ita cogunt iudicem ad credendum crimen esse perpetratum ab illis, vt dicatur imprudens si velit aliter sentire. Et hoc vocari potest etiam vrgentissimum, grauissimum, & proximum indicium, & violentum, quia vrget, & violentat, ac cogit credere, rem ita se habere, sicut indicat. Indubitatum etiam dicitur, quod à lege est approbatum. Farinac. q. 36. num. 40. 7

Dubitatum vero est illud, quod inclinat iudicem ad credendum delictum, sed non cogit illum, nec coarctat. Vt fama, vicinitas &c. 8

Proximum est illud quod immediatè per sensum visus, vel auditus respicit delictum inquiunt nonnulli, sed non bene, quia indicium vt sic immediate non demonstrat delictum, sed tantum illud infert, si proximum, a vicino ipsi delicto, *ex Farinac. quæstion. 37. numero 42.* Remotum, quod respicit delictum per circumstantias illius. Ita *Farinac. quæstion. 36. à numero 44. ad 49. Carenu part. 3. titul. decim. numero septim. Sousa libro secund. capit. 25. numero secund.* Proximum autem idem est, quod indubitatum, grauissimum, & vrgens, quia multum vrget, & inducit fere semper delictum. Remotum vero non multum vrget, vnde idem est, quod dubitatum, & non plenum, dans non causam, sed solum occasionem suspicandi malum. *Petrus ab Angelis Carmelita capite 4. numero* 9

numero quart. de Sancto Iuliano capite prim. Aduert. vltim. Pitigianus capite septim de 2. substant. Miranda question. 72. numero 42. de prædictis iudiciis tractant.

10 Quamuis Indicium, & Præsumptio accepta materialiter pro eodem accipiantur, sicut & alia vocabula, Argumentum, Coniectura, Suspicio, & Adminiculum, tamen formaliter sumpta, aliquam inter se præseferunt differentiam, & diuersitatem,

11 apud Farinac. quæstion. 36. à numero 118. quæ omnia referre non oportet, sed placeat lectori legere differentiam inter Indicium, & Præsumptionẽ, quæ ita se habent, quod illud est causa huius, Præsumptio siquidem oritur ex Indicio, vt patet in exemplo de blasphemia superius allato, nam blasphemia vti indicium probata dat præsumptionem iudici credendi blasphemum esse hæret cum. Indicio ergo probato præsumitur contra aliquem quod delictum commiserit, ideo de Præsumptione agendum est vti effectu indicij iam explicati.

Quæres 3. Quid sit Præsumptio?

12 Respond. Est coniectura, seu argumentum ad credendum delictum per probationem alicuius facti, vel dicti. Exempli gratia per probationem concubitus viri cum fœmina in eodem simul lecto præsumitur copula carnalis, quæ dicitur præsumptio è probata. Hæc definitio desumpta fuit ab Alexandro de Ales *per Carmelitum de Angelis capit. quart. numero secund.* quam etiam recenset cum multis aliis *Farinac. quæstion. 36. à numero 64. ad 82. de Bictis quæstion. 61. numero 8.*

Quæres 4. Quotuplex sit Præsumptio?

13 Resp. Diuiditur *primo* in eam quæ hominis dicitur, & aliam quæ iuris vocatur, & hæc iuris subdiuiditur in præsumptionem iuris tantum, & in præsumptionem iuris de iure. *Secundo* in Leuem, Grauem, & Grauissimam subdiuiditur præsumptio hominis.

14 Præsumptio hominis est illa, quæ non est expressa in iure, sed committitur iudicio hominis, vt de illa iudicet, quid sibi videtur, pro suo arbitrio, ratione tamen regulato. Non est scripta in lege, quia cum variæ sint, & innumerabiles huiusmodi præsumptiones non possunt legislatores omnes præuidere, ideo relinquunt eas in arbitrio rationabili iudicis. *Farinac. quæstion. 36. numero 98. & 99.*

15 Præsumptio iuris est probabilis coniectura ex certo signo proueniens, quæ alio non adducto habetur à iure pro veritate. Ita omnes *cum Farinac. quæstion. 36. 86. Sousa libro secund. capite 25. numero 8. Pegna part. 2. com. 80. Sanch. lib. 1. capite 10. numero 13.*

16 Præsumptio iuris de iure est legis dispositio super aliqua re, quam pro certa habet ex præcedenti facto, vel dicto. Ita præcitati, cum Pitigiano de 3. subst. cap. 10. fol. 217. referens exempla. Lex præsumit, eum, qui cognouit sponsam de futuro per copulam, contraxisse matrimonium, *ex capit. 15. qui, de sponsal.* Et hæc dicitur non admittere in contrarium probationem, quia iudex firmiter tenet rem præsumptam esse talem, qualem ius censuit esse.

17 Præsumptio leuis prouenit ex signis exterioribus operum, vel dictorum, ex quibus capitur coniectura, qua concludi potest non frequenter, sed raro, quod talia dicens, vel faciens aliquod crimen fecerit. Ita *Pegna parte secund. com. 80. Albertinus quæstion. 34. numero 46. Sousa libro secund. capite 15. numero 12. Salelles libro secund. capite 5. numero 152. Farinac. quæstion. 36. numero 110.*

18 Grauis nuncupata etiam vehemens prouenit ex signis exterioribus operum, vel dictorum, ex quibus vt plurimum, & frequenter concluditur talia dicentem, vel facientem esse delinquentem. Ita præcitati.

19 Grauissima dicta etiam Violenta, indubitata prouenit ex factis, vel dictis, ex quibus fere semper colligitur, talia facientem, aut dicentem commisisse delictum. Vides ex his bene intellectis, præsumptionem esse effectum ortum ex indiciis, qualia sunt ea signa operum factorum, vel dictorum, quæ iudicem deducunt in præsumptionem, & cognitionem probabilem delictorum. Dico probabilem, quia certa cognitio habetur solum ex testibus de propria scientia visus, aut auditus, non autem ex his coniecturis, quæ immediatè non possunt attingere delictum, sed mediantibus tantum illis indiciis, & signis, quæ probabiliter inferunt delictum, non per necesse, vt aiunt Doctores.

Quæres 5. An detur probatio contra præsumptionem iuris de iure? nam id supra negauimus restat videre, an id sit simpliciter verum? Non est difficultas circa alias duas præsumptiones iuris, & hominis, quæ admittunt probationem, & ea posita destruitur præsumptio, ea autem debet esse firma, efficax, & validior, vt tollat præsumptionem. Ita *Menoch. libro prim. de Præsumpt. quæstion. 51. à numero prim. ad 8. cum aliis de Bictis quæstion. 76. numero prim.* Restat ergo difficultas soluenda præsumptionis iuris de iure, an admittat probationem?

20 Respond. Præsumptio iuris de iure non admittit contra se probationem regulariter loquendo, nisi in casibus. Expresse *l. A Diuo Pio §. si pignora ff. de re iudic. Menoch. libro prim. quæstion. 60. de Bictis quæstion. 76. numero secund.* Admittitur vero probatio in sequentibus casibus.

21 Primo, in confessione iudicialiter facta circa ea, quæ pendent à potestate confitentis, licet enim præsumptio pro veritate habeatur, non est tamen veritas, quia præsumptio quælibet etiam iuris de iure in suo obiecto includit dubitationem, vnde confessio illius pro quo est præsumptio, veritatem ipsam demonstrat, nulla enim est melior, & efficacior confessio, quam eiusdem de seipso, *l. fin. C. de non numer. pecun. Menoch. quæst. 61. numero 12. de Bictis quæst. 76. numero 3.*

22 Secundo, probatio admittitur, si adsit testimonium quinque testium, *ex eodem Menoch. quæstion. 63. numero prim. contra alios, qui quæstion. 64. numero secund.* ait, etiam duos testes omni exceptione maiores sufficere, quando concurrit alia coniectura.

23 Tertio, per indirectum admittitur probatio contra præsumptionem iuris de iure, *ex eodem Menoch. quæstion. 65. de Bictis quæstion. 76. numero 6. & 7.*

24 Quarto probatio ex notorio facti permanentis admittitur, *ex eisdem Menoch. quæst. 67. num. 2. de Bictis num. 8.*

25 Nota autem, quod responsio habet locum, quando agitur de iure publico, seu fauore animæ, tunc non admittitur probatio contra præsumptionem iuris de iure. Vnde blasphemus hæreticalis ita præsumitur suspectus de hæresi, vt non admittatur ad probandum contrarium, tum quia negatiua in tali casu est improbabilis, tum quia verba ipsa de iure præferunt hæresim, tum quia causæ huius tribunalis sunt directè contra bonum publicum, & optimum, quod est fides catholica, quæ omnino inuiolata conseruari debet. Vide Doctores allegatos *à Barb. ad cap. 30. de sponsal. num. 12. & seq.*

Quæres 6. An vna præsumptio tollat aliam præsumptionem? Comparatio autem fit inter vnam, & aliam, si enim comparamus eam cum veritatè, certum

certum omnino est, præsumptionem tolli, & destrui per veritatem, quæ viuax est; & fortior gladio ancipite. Præsumptio ergo cedit veritati, secundum omnes, quos magno numero refert Barbosa hoc Axiom. 186.

26 Respond. Vna præsumptio aliam tollit, nimirum fortior minus fortem, & validior infirmiorem. Ita omnes Legistæ *in l. Diuus ff. de integr. restitut. Menoch. libro prim. quæstion. 30. Socin. sen. vol. 1. consil. 21. numero quart. M. Anton. libro prim. resolut. 88. numero 18.* Dixi fortiorem tollere debiliorem, quia inter æquales non datur victoria, quia par non agit in parem, sed actio potissimum est inter dispares. Ex his plura colliguntur in hac materia recolligenda hic.

27 Primo, præsumptio iuris de iure vincit præsumptionem iuris tantum; & etiam hominis, cum ea sit fortior istis, & præsumptio iuris eligit præsumptionem hominis ex sua fortiori virtute. Ita *Menoch. libro prim. quæst. 29. de B-Ellis quæstion. 77. numero secund.* Quando eiusdem sunt generis, ea quæ facit pro validitate rei tollit aliam, quæ facit pro eius nullitate, quia validior est, quæ actum valere facit, quam quæ annullat.

28 Secundo, plures vnam vincunt, quia fortiores. *Craueta consil. 145. numero 11. Rimin. Iun. consil. 181. Guazzin. Defens. 39. capite secund. numero 7 Carena parte 3. tit. 3. numer. 36. Sperellus decis. 136. numero 44.*

29 Tertio, præsumptio exclusiua peccati præualet inclusiuæ peccati, quia quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus. *Farinac. quæstion. 85. numer. 8. Grammat. consil. crimin. 31. numero 12. Roman. consil. 68. numero 8. Carena par. 3. tit. 3. num. 37. Sperellus decis. 108. num. 53.*

30 Quarto, præsumptio verisimilior excludit minus verisimilem, quia illa est verisimilior, ac proinde vicinior veritati. *Craueta consil. 845. numero 11. Bertazol. consil. 412. numero 28. Carena numero 38.*

31 Quinto, præsumptio specialis tollit generalem. Et magis specialis minus specialem. *Menoch de arbitr. casu 472. numero 14. Carena numero 40. Sperellus decis. 136. num. 45.*

32 Sexto, præsumptio facti elidit aliam non prouenientem ex facto. *Abbas in cap. Veniens, de filiis presbyter. numero septim. Menoch. libro prim. de præsumpt. quæst. 29. numero 17. Carena part. 3. titul. 3. numero 41.*

33 Septimo, præsumptio capi non potest ex præsumpto, ne detur processus in infinitum. *Farinac. consil. 55. numero 25. Rota part. prim. Diuers. decis. 800. numero 17. Menoch. libro tertio, præsumption. 132.* Fallit, quando vna venit in consequentiam alterius. *Mantica decis. 21. numero tertio, Christoph. Castell. in repetit. l. Sciendum, de verb. sign. numero 9. Rota apud Paulum Rubeum Diuers. ab anno 1631. decis. 126. numero 9.*

34 Septimo nulla præsumptio est in præiudicium tertij. *Aymon. de antiquit. temp. part. secund. numero 24. Rota vol. 1. decis. 64. numero 3.* Fallit in causis S. Officij, in quibus præsumptio nocet reo, cuius delictum inferet hæresis suspicionem; quando probatum fuerit.

35 Octauo, præsumptiones in clericis cessant. *Anton. Monachus decis. Florent. 51. numero 49 Barb. Axiom. 186. Megal. prim. secund. libro secund. capite 23. fine.*

36 Nono, præsumptio proximorum veritati attenditur. *l. Filium ff. qui sunt sui, vel alien. Crilen. consil. 161. numero vndecim. Nauar. consil. prim. de præsumpt.*

37 Decimo, concursus duarum præsumptionum denegatur, maxime ex eodem fonte manantium, & diuersum finem operantium. *Menoch. libro prim. quæstion. 43. numero sext. Ruinus vol. 3. consil. 76. numero 20. Surd. vol. 1. consil. 135. num. 79 cum aliis Sperellus decis. 28. num. 57.*

Vndecimo, vna vehemens plures debiliores exterminat. *Paris. libro secund. consil. vndecim. numero vigesimo-sext. consil. 29. numero 84. Paleotus de Nothis capite 24. numero 5. Sperellus decis. 174. numero 60.* 38

Duodecimo, præsumptio non oritur ex facto non plene probato *Rota apud Rubeum parte tert. Recent. decis. 704. numero decim.* Vnde ea non potest oriri ex aliquo facto, seu dicto, nisi illud sit certum, & indubitatum. *Alex. libro tertio, consil. 76. numero septim Craueta consil. 38. numero septim. Surd. consil. 135. numero 79. cum aliis eadem Rota decis. 378. numero duodecim.* Id autem locum maxime sibi vendicat in causis Sancti Officij, in quibus si reus non est conuictus, vel confessus crimen inferens suspicionem hæresis, denuntiatus non potest dici suspectus de hæresi, *infra num. 46.* 39

Decimo-tertio, præsumptio cedit probationi, quia hæc habetur pro veritate. *Decius consil. 400. numero 8. Craueta de antiquit. part. tert. numero 28. Menoch. libro prim. præsumpt. 31. numero secund. & tert. Leoncill. decis. 175. numero 3.* quæcumque probatio non sufficit, sed necessaria, & concludens, *ex eodem Leoncillo decis. 32. num. 4.* 40

Decimo-quarto, non est capienda præsumptio de eo, quod non est verisimile, quia præsumptio in tantum est probabilis, in quantum assimilatur veritati, & si enim nulla præsumptio vt sic sit veritas manifesta, etiamsi sit præsumptio iuris de iure, *ex Alciato de præsumption. parte secund. Prælud. numero 9. Menoch. libro prim. quæstion. 61. numero septim.* Tamen debet cum ipsa analogiam habere, & speciem, aliter non est præsumptio legalis, & legitime, sed temeraria, & improbabilis, *ex cap. quia verisimile 10. de præsumption. Menoch. consil. prim. numero 258. Barb. ad cit. cap. numero 3. cum aliis.* Et remotum à verisimili est imago falsitatis, *ex allegatis ibidem ab eodem Barbosa.* 41

Decimo-quinto, ex bono nulla oriri potest præsumptio mala, quia non potest arbor bona malos fructus producere. Matthæi 7. 18. Ita *Ossasch. decis. 42. numero 8. fine, De Ian. consil. 2. numero 218. Farinac. quæstion. 163. numero 20. Ciarlin. cap. 40. numero 30.* 42

Decimo sexto, præsumptio cadit super casum dubium, cum ea non attingat veritatem, licet illi approximetur. *Ciarlin. capite 182. numero 37.* cum aliis. 43

Decimo-septimo, præsumptio, quæ stat pro religione, seu pro causa pia præualet. *Panciroł. consil. 135. numero 12. Gratian. cap. 133. numer. 2. Ciarlin. cap. 143. num. 16.* 44

Quæres 7. An indicia sint arbitraria, ad inferendam torturam?

Respond. Affirmatiuè, debent tamen esse regulata ex sententiis Doctorum, vt omnes sentiunt *cum Claro quæstion. 64. §. Dixi quoque Castrepal. parte prim. tractat. quart. disputat. 8. parte 9. numero septim. Carena parte 3. titul. decim. numero 10. Miranda quæstion. 26. numero 85.* loquentes in ordine ad torturam cum Farinac. quæst. 36. num. 334. modo probatio sit semiplena. 45

Quæres 8. An indicia debeant esse probata, vt suos effectus præsumptionis producant?

Resp. Affirmatiuè, & duo testes sunt necessarij ad probanda indicia non solum proxima, sed etiam remota, qui sint omni exceptione maiores, quorum probatione posita torquetur reus, & non aliter.

Prima

47 Prima pars, de probatione indiciorum ab omnibus conceditur, quia tormentum, & pœna ſunt certi effectus, ergo pendere debent à certa cauſa, quæ ſunt iudicia poſtquam ſunt probata. Ita *Borella conſ. 45. numero 53. Farinac. quæſtion. 37. numero 13. Guazin. Defenſ. 30. cap. 31. Diana part. 4. tract. 6. Carena part. 3. titul. 10. numero 21. Salelles libro 2. capite 3. numero 179. Caſtropal. parte 1. tract. 4. diſputat. 8. parte 9. numero 2. de Bictis quæſtion. 62. numero 5.*

48 Secunda pars, quod indicia etiam remota probentur per duos teſtes probatur ferè ab omnibus cum *Farinac. quæſtion. 37. de Bictis quæſtion. 62. numero 1. & 2. Muſcard. concil. 406. numero 1. Bertazol. conſ. 251. numero 33. cum alijs Guazin. Defenſ. 30. cap. 31. num. 2.*

49 Tertia pars, quod teſtes probãtes indicia tam proxima, quam remota duo debeant eſſe omni exceptione maiores, probatur, quia tortura infert damnum certum, & irreparabile, ergo Indicia, per quæ infertur, debent eſſe plene, & concludenter probata; quod fit, quando teſtes duo carent omni exceptione. Ita ferè omnes *cum Ciriaco tom. 1. Controuerſ. 106. numero 44. Gimez. libro 3. Variar. capite 13. numero 18. Miranda quæſtion. 26. numero 73. Carena parte. 3. titul. 10. numero 22. Souſa lib. 2. cap. 39. num. 18. Guazin. Defenſ. 30. cap. 31. numero 3.* Farinac. quæſt. 37. num. 18. & 28. reiectis aliorum opionibus non bene fundatis.

50 Diana part. 4. tract. 6. reſol. 3. poſtquam cum communi Doctorum firmauit indicia probari per duos teſtes, concludit, quod non eſt neceſſarium, eos eſſe idoneos, poſſunt enim probari per inhabiles, vt per familiares, infames, &c. pluresque pro ſe adducit Doctores. Ratio eſt, quia ſi duo omni exceptione maiores ſufficiunt ad conuincendum reum, ergo duo inhabiles ſufficiunt ad torturam, minor enim debet eſſe huius probatio. Reſpondetur, cum omnis probatio referatur tandem ad ſententiam, ea regulanda eſt à qualitate teſtium, teſtes autem in ordine ad conuincendum reum debent eſſe oculares, ſeu auriculares immediatè delictum percutientes, duo autem inhabiles probantes indicia delictum non percutiunt, ſed eius tantum circunſtantias, ideo eorum probatio, non ſolum eſt minor, ſed etiam multum infirmior, conſequenter inſufficiens. Nec his obſtat, quod dixi cap. 8. num. 33. duos teſtes inhabiles facere ſemiplenam probationem ad torturam ſufficientem; quia ibi ſermo eſt de ocularibus, & auricularibus immediatè deponentibus de delicto à ſe viſo, vel audito, non autem, de teſtibus deponentibus vt hic de indiciis, per quæ probatur delictum præſumptiuè.

Quæres 9. An ſufficiat vnicum indicium ad torturam, an plura legitimè probata?

51 Reſpond. Sufficere vnicum proximum, duo ad minus remota eſſe neceſſaria ad torturam?

52 De proximo patet ex communi apud Bart. *l. fin. ff. de quæſt. Carerius in ſua pract. l. obſeruore curabis num. 109. Pegna part. 3. conſ. 110. Miranda qu. 26. numero 104. cum alijs. Diana part. 4. tract. 6. reſolut. 4. fine. Guazin. Defenſ. 30. capite quarto, numero 12.*

53 De remoto, *ijdem cum Farinac. quæſtion. 37. numero 43. Guazin. num. 33. Carena part. 3. titul. 10. numero 19.*

Quæres 10. An per teſtes ſingulares ſufficienter probentur indicia in ordine ad torturam?

54 Reſpond. Teſtes ſingulares cumulatiuè benè probant ſecundum omnes, quando tendunt in eundem finem, iuxta dicta capite decimo-nono, quæſtione quinta, Vbi dixi vnicum etiam diuerſificatiuum ocularem, ſeu auricularem probare, cum tunc non ſpectetur ſingulariter. In caſu autem præſenti cum agatur de probatione præſumptiua, per quam teſtes non poſſunt attingere immediatè delictum, ſicut plura requiruntur indicia, ita plures debent eſſe teſtes, vt tollatur & eorum pluralitate exceptio ſingularitatis diuerſificatiuè, in cumulatiua vero duo teſtes ſingulares ſufficiunt, cum dicantur, concordes in principali. Vide Dianam parte quarta, tractat. ſext. reſolut. quint. referentem oppoſitas opiniones.

Quæres 11. An plura indicia imperfecta coniungantur ad inferendam torturam?

℞. Affirmatiuè, quando tendunt ad vnum, & eun- 55
dem finem, tunc enim probata iudicem inducunt in vehementem ſuſpicionem, quod reus ſit querelatus. Ita omnes inquit *Carena parte tertia, titulo decimo, numero 111. ad 113. Farinac. quæſtion. 86. numero 100. de Bictis, quæſtione 75. numero primo.* Vide dicta cap. 8. quæſt. 5.

Quæres 12. An non ſolum indicia, verum etiam præſumptiones probandæ ſint?

Reſpond. Probatis indiciis, neceſſario ſunt pro- 56
batæ præſumptiones, quia probata cauſa in ſuo eſſe formali; neceſſario eſt probatus eius effectus, nam ex cauſa ſequitur effectus, ſed indicia ſunt cauſæ præſumptionum, ergo probatis indiciis conſtat de eorum præſumptionibus. Confirmatur, quia taciti, & expreſſi eadem eſt virtus, ergo expreſſis per probationem indiciis, tacitè reſultat probatio præſumptionum. Ita *alijs allegatis de Bictis, quæſtione 73. numero 8.*

Quæres 13. Quænam indicia neceſſaria ſint ad inquirendum, citandum reum, & illum torquendum, ſi delictum neget?

Reſpond. Ad inquirendum etiam ſpecialiter ſuf- 57
ficiunt indicia leuia; ad citandum, carcerandum, examinandum, & torturandum reum negantem requiruntur indicia grauia, demum ad illum condemnandum ſunt neceſſaria grauiſſima indicia; ex præſumptionibus quidem iuris de iure quis condemnari poteſt ad pœnam ordinariam etiam corporalem; ex præſumptione vero iuris tantum non ordinaria, ſed mitiori; ex præſumptionibus demum hominis etiam in dubitatis, & vehementiſſimis ad pœnam mitiorem, & extraordinariam etiam corporalem carceris, fuſtigationis, triremium, &c.

Prima pars, quod leuia indicia dent ſolum ius ad 58
inquirendum, eſt communis, ea enim faciunt infimam probationem minorem ſemiplena. *Clarus quæſtione vigeſima-prima. Verſ. Ad inquirendum, Farinac. quæſtione 36. numero 51. de Bictis, quæſtion. 64. in articulo. Miranda quæſtione vigeſima-ſexta, numero 32.*

Secunda pars, de grauibus indiciis ad torturam 59
ita debet intelligi de illis, quæ licèt non immediatè attingunt delictum, proxima tamen ſunt illi, vt furtum repertum penes aliquam, confeſſio extraiudicialis, &c. Ita Farinac. quæſtion. 37. numero 46. & 47. qui cum aliis vnum ex illis ſufficere ad torturam, dummodo faciat ſemiplenam probationem, ſecundum Canteram cum Carena parte tertia, tract. 10. num. 18.

Tertia pars, ex præſumptionibus iuris de iure 60
condemnatur quis ad pœnam ordinariam etiam corporalem, approbatur ab omnibus cum Farinac. quæſtione 86, numero 62. Guazin. Defenſ. 33. cap. 14. num. 13.

Quarta pars, de præſumptionibus iuris tantum 61
pro condemnatione extraordinaria, firmatur à Menochio apud Farinac. citat. & Guazinum citat. numero decimo tertio, §. Alij.

Quinta pars, de indiciis indubitatis ad pœnam 62
extraordinariam, vel torturandum, tenetur ab eodem Farinac. quæſtion. 86. numero 57. 58. & 64. multis citatis Guazin. Defenſ. 33. capite decimoquarto,

quarto, numero decimo quarto, vbi refert Doctores contendentes non posse puniri pœna corporali triremium, fustigationis, &c. à Farinac. quæstion. 86. numero 114. Sed quod possint puniri pœna corporis afflictiua docet communior opinio, & practica præsertim reperitur in Sancto Officio, vbi multa pecuniaria non est in vsu.

Quæres 14. An ex pluribus indiciis dubitatis inferri possit vnum indubitatum?

63 Respond. Affirmatiuè Farinac. quæst. 86. num. 59. quando sunt grauia, & valde proxima, non enim absurdum est, ea vniri ad inuicem, vt vnum perficiant indicium, quod sit indubitatum.

Quæres 15. An furtum processus, seu alterius instrumenti, & scripturæ faciat certum indicium ad torturam contra processatum in eo expressum, vel habentem interesse in ea scriptura?

64 Respond. Affirmatiuè, quia nullus alius inculpandus est, quam ille, qui in re sublata habet interesse, neque enim ab alio iudex moueri potest ad certo credendum huiusmodi furtum nisi quod fuerit factum ab habente interesse. Ita *Mascard. concl.* 831. *num.* 12. *Farinac. quæst.* 176. *num.* 89.

CAPVT LII.

De Fama publica.

1 FAma est bona, vel mala opinio habita de vita alicuius. Ad rem nostram, est opinio voce manifestata in populo super delicto alicuius, quæ solet oriri tempore commissi delicti, vel paulo post, de qua Virgil. 4. Æneidum inquit,

Fama malum, quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Paulatim ergo oritur, & ab vno ore ad auditum aliorum, transmittitur, & sic successiuè propagatur in populo. Sed descendamus ad quæstiones.

2 Præmittendo, quod fama est indicium remotum à delicto, vnde à Doctoribus appellatur indicium fallax, quo peior testis inueniri non potest, & debile testimonium, secundum omnes cum Farinac. *quæstion.* 47. *numero* 164. *Castropal. part.* 1. *tract.* 4. *disput.* 8. *part.* 9. *num.* 9. *Carena part. tertia, titulo decimo, numero* 64. Vt autem in iudicio compareat, debet ortum habuisse à personis fide dignis, de communi ex tex. cap. Qualiter 24. de accusat. ibi: *Et famam ad aures superioris peruenerit, non quidem à maleuolis, & maledicis, sed à prouidis, & honestis.* Originem ergo trahere debet à testibus fide dignis.

Quær. 1. Quomodo probāda sit fama in iudicio?

3 Respond. Probanda est duobus ad minus testibus fide dignis, & maioribus omni exceptione. Primum de duobus testibus colligitur ex illo communi axiomate: In ore duorum, aut trium testium stat omne verbum. Ita omnes cum *Farinac. quæstion.* 47. *numero* 208. *Ciriacus contr.* 50. *num.* 49. *Carena part. tert. titul.* 10. *numero* 66. *Salelles lib.* 2. *cap.* 2. *numero* 117. Secundum, quod isti duo testes sint omni exceptione maiores, tradunt prædicti *cum Farinac. numero* 210. *Carena numero sexagesimo-octauo, Barb. super dictum cap. vigesimum-quartum, de accusat. num.* 10. Ratio, quia cum inter indicia sit, inter alia debilius idoneis testibus nullam patientibus maculam fortificandum est, maximè cum soleat mala fama procedere vt plurimum à malis linguis.

Quæres 2. An testibus singolaribus probari possit? Tripliciter autem testes possunt dici singulares hic; primo non solum tempore, verum secundo etiam loco; & tertio respectiuè ad diuersas personas nominatas.

4 Respond. Sufficere testes singulares, modo alias non patiantur exceptiones. Ita omnes *cum Alexand. volum.* 1. *consil.* 51. *col.* 3. *Cephalus cons.* 437. *n.* 54. *Carena part.* 3. *tit.* 10. *n.* 69. *Barbos. ad cap. In omni negotio* 4. *de testibus num.* 44. *Farinac. quæstion.* 47. *num.* 265. Dum enim solet ex suo volatu paulatim propagari in pluribus locis eiusdem ciuitatis, exigit vt similiter probetur testibus singularibus.

Quæres 3. Quomodo testes debeant deponere super fama, vt probetur esse publica?

5 ℞. Debent narrare delictum, de quo fama est publica, deponendo, quod audierunt à maiori parte populi, exprimendo ciuitatem, seu locum, vbi audierunt, dicendo fama fuit, & est, quod talis commisit tale delictum, & quod ita sentit maior pars illius loci. Ita *ex Farinac. quæst.* 47. *à num.* 237. *ad* 254. in quibus locis aut non probare, si ita non deponunt. De verbis. *Fuit, & est.* Rota apud Rubeum *parte* 2. *tom.* 1. *decis.* 411. *vbi num.* 2. dicitur, quod testes, qui deponunt de publica voce, & fama debent deponere per verbum *Fuit*, & *Est.* Et licet loquatur in causis ciuilibus, à fortiori in criminalibus hæc claritas apparere debet.

Quæres 4. An testes debeant reddere rationem de fama etiam non interrogati?

6 ℞. Affirmatiuè, exprimendo causas, & coniecturas, à quibus fama orta est, aliter non probant. *Farinac. quæst.* 47. *num.* 216.

Quæres 5. Nunquid ad valorem depositionis testis interrogatus quid sit fama, tenetur respondere?

7 Respond. Tenetur, non quidem scientificè, & Scholasticè, sed more vulgi, eam exponendo verbis, iuxta propriam capacitatem. Ita *Farinac. quæst.* 47. *num.* 219. & 225. *Scaccia cap.* 84. *de iudic. num.* 32. *Carena part.* 3. *tit.* 10. *num.* 72. Vide Farinac. à num. 301. ponentem conclusiones de probatione famæ paucis.

Quæres 6. An fama orta post carcerationem probet?

8 Respond. Negatiuè, quia non præsumitur orta ex veritate delicti, sed ex actu carcerationis. Ita *Grammat. voto* 34. *Montil. sing.* 97. *Giurba cons.* 91. *num.* 44. *ex illis Carena parte* 3. *tit.* 10. *num.* 73. Imò nec orta post inquisitionem, *ex allatis à Farin. q.* 47. *num.* 176. *cum aliis Ciarl. cap.* 10. *num.* 132.

Quæres 7. An nominandi sint anctores famæ?

9 Respond. Debent, licet non interrogati, aliter non probant, nisi referant bonas coniecturas. Ita *Farinac. num.* 229. *ad* 236.

Quæres 8. An probent, si personæ sint maleuolæ, & famæ malæ?

10 ℞. Negatiuè, quia ex cap. qualiter 24. de accusar. fama legitima debet ortum habere à personis fide dignis. *Farinac. q.* 47. *num.* 26. quia alias esset vana nihil probans, *num.* 11. *num.* 153. & 156.

Quæres 9. Quænam dicatur fama vehemens?

11 ℞. Illa dicitur vehemens, quæ orta à personis honestis probatur ex causis & coniecturis verisimilibus, *Farin. q.* 47. *num.* 31. *ad* 35. Talis autem censetur si sit probata iuxta responsa hactenus data.

Quæres 10. An fama ab vno tantum orta aliquid probet?

12 ℞. Negatiuè, quia ea oritur ex pluribus viris probis, ex cap. qualiter 24. accusat. Ita *Decius cons.* 37. *n.* 10. *Ossalh. decis.* 101. *num.* 17. *ex Rota apud Rubeum tom.* 2. *parte* 4. *decis.* 257. *num.* 7.

Quæres 11. An fama probata sufficiat ad inquirendum, carcerandum, & torturandum?

13 ℞. Sufficit ad inquirendum, non autem ad torturandum sola sufficit, sed tantum adminiculata, quantumuis pluribus probaretur testibus, etiam decem, sed sine adminiculis.

Prima pars ad inquirendum tantum generaliter firmatur ab eodē *Farin. quæst.* 47. *num.* 37. & 41.

Secunda

15 Secunda pars cum adminiculis sufficiens ad torturam approbatur ab omnibus *apud eundem num.* 17. *Giurba consf.* 43. *n.* 18. *&* 19. *Clarlin. cap.* 10. *n.* 130. *Salelles lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 106. *Dian. p.* 4. *tract.* 6. *resol.* 13. *cum alijs Carena part.* 3. *tit.* 10. *num.* 64.

16 Tertia pars, quod sine adminiculis fama non probet etiamsi quam plurimi essent testes, ostenditur ab eodem Farinac. num. 169. qui cum dixerit sub num. 18. famam vehementem sufficere ad torturam, vt omnes vno ore fatentur, intelligendus est de fama legitimè probata, ea enim illis munita dicitur fama vehemens ex q. 9. hic. Cum autem ad torturam requiratur ex communi sententia semiplena probatio, & fama sola ad eam non sufficiat, sequitur solam famam non facere semipleuam probationem, ex eodem n. 3. & 59. multo minus facit plenam probationem n. 51.

Quæres 12. An sola fama sufficiat ad torturam in occultis, & difficilis probationis?

17 ℞. Farin. q. 47. num. 11. Affirmatiuè, quia ea cum adminiculis facit plenam in eis probationem, num. 91. sequuntur alij apud Carenam part. 3. tit. 10, num. 77. intellige si sit legitimè probata.

Quæres 13. An fama vehemens sola sine adminiculis sufficiat ad torturam?

18 ℞. Sufficere, vt dixi mox in p. 3. præced. quæst. dummodo sit legitimè probata iuxta dicta in superiorib. quæstionib. Sed quoniam nunquam in curis probatur hoc modo, vt dicunt multi apud Carenam num. 76. ideo nunquam fama apparet vehemens in indiciis, iuxta regulas allatas à Farin. quæst. 47. à num. 208. cuius doctrinam seruii in præcedentibus quæstionibus, ideo loco huius legitimæ probationis successerunt adminicula, cum quibus fama sine dubio probat ad torturam.

Quæres 14. Quænam sint adminicula famam coadiuuantia ad torturam?

19 ℞. Sunt hæc. Fuga rei, inimicitia, testes minus idonei, dictum denuntiatoris, minæ; item mala fama in specie cum mala fama in genere. Ita *Farinac. qu.* 47. *num.* 17. *ad* 22. *Carena p.* 3. *tit.* 10. *n.* 74. Vnum ergo ex illis indiciis famæ vinctum sufficit ad torturā.

Quæres 15. Quænam probatio præualeat bonæ, an malæ famæ?

20 ℞. Bona fama in genere tollit, malam famam in genere. & præsumptionem ex ea resultantem. Item bona fama rei in genere non tollit indicia specialia contra eum existentia, sed solum operatur, vt mitius torqueatur. Demum bona fama in specie tollit malam in genere.

21 Prima pars, quod bona destruat malam, probatur, quia fortius est priuilegium bonæ famæ, quam malæ, cap. Licet, de accusat. Confirmatur, quia probatio affirmatiua est validior negatiua. Ita. *Farin. q.* 47. *n.* 181. *Carena p.* 3. *tit.* 10 *n.* 79. *Rota apud Rubeū tom.* 1. *Nouissimi. decis.* 202. *n.* 12. vbi, quod testes deponentes de bona fama præualent aliis deponentibus de mala, esto hi essent numero plores. Ita *Cornius vol.* 4. *cons.* 176. *num.* 10. *Anchar. cons.* 189. *num.* 7. *cum Rota p.* 2. *eiusdem primi tomi dec.* 130. *n.* 103. *Barbos. de Canonicis cap.* 13. *num.* 46. *vbi alios citat.*

22 Secunda pars, quod bona fama in genere non tollat indicia specialia, affirmant *à Farinac. q.* 47. *n.* 193. *ad* 198. aliqualiter tamen ea debilitat, ex quo mitius torquetur, *ibid.* cum aliis *Caren. p.* 3. *tit.* 10. *num.* 81.

23 Tertia pars, quod bona in specie tollat malam in genere, probatur, quia fortior est probatio specifica, quam generica. Farin. quæst. 47. num. 184.

Qu. 16. An probatus malus in genere, ex quo oritur præsumptio contra illum, nunquid potest torqueri?

24 ℞. Sola hæc præsumptio aliis non adminiculata nō sufficit ad torturā. *Farin. q.* 47. *n.* 205. Illud autē axioma quod malus semper præsumitur malus, intelligitur in eodē genere mali, & non in aliis, vnde ex mala fama adulterij, non præsumitur de homicidio, ibid. num. 204. Hæc præsumptio in foro externo non tollitur per confessionem, & pœnitentiam, alias esset ferè semper frustratoria, quia omnes in Paschate confitentur sua peccata, & sic in iudiciis locum non haberet saltem respectu pœnitentium. Quidam *cum Bart. in l. Is cui*, *§. ijdem, de accusat. num.* 8. dicunt non habere locum in peccato luxuriæ, quia licet fuerit vehemens in iuuentute præsumitur extinctum in senectute. Quod aliquibus displicet, qui fomitem luxuriæ facem ardentem semper habent vrgentem illos etiam ad actum vsque ad mortem; beatus, qui superat tentationes, quia melior est martyre. Vide Pitigianum in 2. subst. fol. 149. alia referentem. Malus ergo semper præsumitur malus in eodem genere mali, nisi manifestè constet de emendatione vitæ, vnde ex priori delicto præsumitur contra aliud simile, *ex allegatis à Barb. Axiom.* 142. *num.* 3. *Carena part.* 3. *tit.* 3. *num.* 22. *&* 23. Asserente, quod qui semel fuit hæreticus, de eo semper timendum est. Malus igitur semper talis præsumitur, non quo ad perseuerantiam in eodem delicto, sed quo ad reiterationem illius, *ex Alciato reg.* 2. *præsumpt.* 7. *§. Quarto intellige*, *ex eo Pitigian. citat. cap.* 7. *§.* 4.

Quæres 17. An quis in dubio præsumendus sit bonæ, an malæ famæ, & conditionis?

℞. Quilibet præsumitur bonus, donec oppositum probetur, quia Deus, & natura creaturas faciunt bonas, expressè *cap. Dudum*, *de seruitu. cap. super literis*, *de rescript. cap. fin. de præsumpt.* Farinac. *qu.* 47. *num.* 277. qui ampliat, & limitat vsque ad 300. 25

CAPVT LIII.

De Indicijs Qualitatis patriæ; Educationis filiorum, Conuersationis, Vitæ anteactæ, & Loquacitatis.

HÆc quinque indicia pertinent ad famam bonam, vel malam, ac proinde sunt indicia remota parum probantia, quia fallere faciliè possunt, de quibus Farinac. agit quæst. 47. à num. 278. de qualitate patriæ, num. 279. de qualitate parentum, & de filiorum educatione num. 282. 1

Patriæ conditio est indicium aliquando bonum, 2
aliquando malum, vt colligitur ex sacris Literis Pauli ad Titum 1. 12. *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est*, inquit ibi Apostolus. Item *ex l. Quod si nolit §. qui mancipia ff. de ædil. edict.* Vnde Episcopi inquirunt, cuiusnam patriæ sint, qui petunt ordinari, cap. quando 5. dist. 24. vbi glos. 11. Patriam citat illum legis textum. De hoc indicio *Farinac. quæst.* 47. *num.* 378. *afferens auctoritates*, *Carena p.* 3. *tit.* 3. *num.* 14. *qui num.* 15. *ex Simanch. tit.* 5. *de instit. Cathol. tit.* 50. *n.* 9. ait, quod licet hæc præsumptio sit generalis, tamen negari non potest, quin nostris temporibus præsumatur hæreticus magis Anglus & Germanus, quam Italus, & Hispanus, ac proinde Anglus comedens carnes die veneris magis de hæresi suspectus, quam Italus, quia ibi vigent hæreses impunitæ.

Ad hoc propositum Decian. lib. 6. cap. 2. de Blasphemia, ait num. 24. quod Burgundiones, & Galli milites, de quibus cap. Si gens dist. 56. Asculani etiam, & Perusini sunt blasphemi mali. 3

In Sicilia quoque inoleuit praua consuetudo blasphemandi *Sancto Diabolo* auferendo Deo, & sanctis eius, quod eis tantum competit, & tribuendo diabolo, qui nunquam fuit, nec erit sanctus. *Lupus super Edictum S. Inquisitionis lib. vigesimo-tertio, Dist. secund. Difficult. prim.* dicit, propter communem vsum, eam blasphemiam alias hæreticalem, ibi haberi pro simplici. Ita etiam *Alberghinus Panormita* 4

normitanus ex nostris cap. 16. num. 10. Albertinus quæstion. 6. de agnoscend. num. 2.

5 Parentes hæretici faciunt indicium contra filios, quod præsumantur hæretici. Suadetur ex illo Ezechiel. 16. 44. *Sicut mater, ita & filia eius.* Tum ex sacris Canonibus, quia in filiis sæpè timetur incontinentia patris, ideo si ij Presbyterorum prohibentur à sacris officiis, cap. 1. dist. 56. Hoc tamen est leue indicium, vt probatur ibi l. cap. seq. de multis filiis Presbyterorum, qui fuerunt Prælati, in suis officiis valde commendati. Sixtus V. in Bulla 71. incipient. *Cum de omnibus* §. 1. non leue facit indicium, dum dicit: *Ne igitur contingat illegitimè natos, qui vt plurimum paternam vitia, & incontinen-*
6 *tiam imitari solent.* Illud enim verbum, *vt plurimum* arguit non leue indicium, sed valde considerabile in ordine ad recipiendos illegitimos ad religionem. Tum lege imperiali *S. C. Ad legem Iul. Maiest. relata cap. Si quis 22. 6. quæst. 1.* loquendo de filiis, qui præsumuntur rei futuri criminis læsæ maiestatis, sicut fuerunt eorum patres. Vnde glosa ii. Metuuntur ibidem, refert hæc duo Pentametra. *Sæpe solet similis esse filius patri.* Et sequitur *leniter filia matris iter.* Lex quoque Canonica, *cap. quecunque §. Hæretici, de hæret. in 6.* pœnas hæreticorum parentum extendit ad eorum filios, in quibus timet similem errorem.

7 Educatio filiorum à malis parentibus est argumentum ad præsumendum contra filios, qui paterna vitia sequuntur, ex mox dictis, & tradit benè *Farinac. quæst. 47. num. 282.*

8 Conuersatio cum bonis arguit bonum, cum malis non nisi malum, iuxta illud Psalmi 17. 26. *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.* Prouerb. 22. 24. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum furioso, ne fortè discas semitas eius.* In materia hæresis conuersatio est indicium inferens vehementem suspensionem hæresis, vnde ex ea deueniri potest ad torturam iunctis aliis adminiculis, *dixit Baldus apud Carenam part. 3. tit. 3. num. 21. & part. 1. titul. 4. num. 62.*

9 Hoc indicium cum aliis præcedentibus nunquam infert ad torturam, nisi adsint adminicula. *Farinac. quæst. 52. num. 88. Menoch. lib. 1. quæst 89. numero 25.* Et patet *ex dictis præced. cap. quæst. 11.*

10 Vita mala arguit hominem vitiosum, sicut bona indicat illum virtuosum, iuxta illud Domini apud Matth. 7. 16. *A fructibus eorum, cognoscetis eos.* Vnde cap. Miramur 4. dist. 61. dicitur, quod vita prior est testimonium cuiuscunque non vita bona anteacta dat præsumptionem in futurum. *Tiraquel. de pœnis semper caus. 51. num. 3.* sicut mala non nisi malam arguere potest vitam. Hoc indicium firmatur illo axiomate: Semel malus semper præsumitur malus in eodem genere mali, de quo dictum fuit præced. cap. quæst. 16.

11 Solitus delinquere habet maiorem præsumptionem contra se, quam qui semel peccauit. Consuetudo autem delinquendi legitimè probata est indicium sufficiens ad torturam respectu eiusdem criminis, super quo fuit querelatus. Ita *Ananias in c. 1. de Maled col 9. cum aliis Riccius p. 2. dec. 47.* Vbi ait, qui ex consuetudine blasphemat, acrius puniri, quam qui semel blasphemauit; *Riccius sequitur Spath. tract. 8. c. 3. n. 5. qui n. 6.* limitat, non habere locum torturam, si constat per triennium non deliquisse, quod dicit etiam *Royas sing. 194. n. 9. idem Ricc. p. 2. d. 159. n. 14.*

12 Nota, quod solitus delinquere habet contra se præsumptionem etiam respectu aliorum delictorum, quia peccata habent connexionem ad inuicem, & vnum suo pondere ad se aliud trahit ex doctrina S. Greg. iuxta illud Psalmi: *Abyssus abyssum inuocat.* 1. Vnum peccatum ad se trahit aliud, ex eodem Spathar. num. 3. appellatur leue indicium.

13 Loquacitas demum est indicium licet leue insufficiens ad torturam præsumendi contra obloquentem, quia maledicta præsumuntur male præmediata, vt enim inquit S. Aug. relatus cap. 15. autem 4. 22. qu. 2. Verba sunt inuenta, vt quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat, sunt enim notæ, secundum Aristotelem, earum passionum, quæ sunt in anima; vnde Christus Matth. 15. 18. dixit. *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.* Quare proferẽs verba hæreticalia censetur hæreticus, quia malo animo præsumuntur dicta. Ita Royas p. 1. de hæresi n. 602. cu aliis Caren. p. 3. tit. 3. n. 24. ad 27.

CAPVT LIV.

De Fuga, & Latitatione.

QVi est in fuga propriè fugitiuus non est, quia in fuga existens videtur non recessisse à loco, sed ibi adhuc esse, à quo fugam inchoauit, *l. Huiusmodi 86. §. Legat. ff. de legat. & fideicom.* Fugitiuus ergo is dicitur, qui in ipsum factum fugæ mentis vitium deduxit, & ideo fugitiuum, & erronem non secundum propositionem tantũ, sed cũ aliquo actu intelligit constat, l. Fugitiuus 225. ff de verbor. signific. Igitur fugitiuus nondum appellatur ille, qui in motu progressiuo est, sed aliquo modo quiescit absens à loco, à quo recessit. Nonnullæ distinguendæ sunt quęstiones pro clariori intelligẽtia huius materię de reis. 1

Quæres 1. An sit indicium remotum, leue, an proximum, & graue?

℞. Est remotum, ex *Farinac. quæstion. 48. num. 6. & 58.* Leue etiam appellatur, *apud de Bictis, quæst. 68. relatiuè ad dicta ab eo ante qu. 64. in articulo primo. Miranda quæst. 26. num. 120.* 2

Quæres 2. An fuga faciat indicium ad inquirendum? *de Angelis cap. 12. num. 27.* & in hoc nullus contradicit, *de Bictis quæstion. 68. num. 1.*

℞. Ergo Affirmatiuè ex illis, quia fuga mouet animum iudicis ad credendum, quod fugeret propter delictum. *Farinac quæst. 48. num. 20.* 3

Qu. 3. An sola fuga faciat semiplenam probationem?

℞. Negatiuè, quia est indiciũ remotũ, & leue insufficiens ad semiplenam probationem, quæ inducit torturam. Ita *Riccius comm. opin. de fuga, Masc. concl. 819. n. 10. apud Farinac. q. 48. n. 6 & 7.* qui hanc tenet, contra plures alios à se relatos num. 4. 4

Quær. 4. An sola fuga faciat iudiciũ ad torturam?

℞. Negatiuè, eo quod Indicium hoc est remotum, & debile, ex dictis à *Farinac. eod. num. 7. qui cum aliis n. 34.* vt fuga faciat indicium ad torturam si fugiat ante querelam, petit ad minus vnum adminiculum, vt fama, inimicitia, &c non autem si fugiat post accusationem, quia ex ea cum non possit oriri delicti præsumptio, præsumitur enim tunc fuga orta non ex conscientia delicti, sed ex molestiis, quas etiam Innocentes solent abhorrere, non est cur ei non existenti adiungatur aliquod adminiculum, cum id non possit supplere præsumptionem, seu melius augere eam, si non est. Ita idem *Farinac. q. 35. qui n. 27.* de communi attulerat distinctionem de fuga ante querelam, vel post querelam, cum quibus est *Possent. sing. 233. n. 3.* 5

Quæres 5. An fuga præsumatur facta ex causa delicti ante querelam, post delictum perpetratum?

℞. Affirmatiuè, vnde si prætendit fugisse ex alia causa, fugitiuus eam probare debet, *ex allatis ab eodem Far. q. 48. à n. 44. ad 48. de Bictis, q. 68. num. 9.* 6

Quæres 6. An fugiens post querelam, hoc faciat indicium ad torturam? 7

℞. Negatiuè, quia talis fuga, Indicat solum querelatum fugisse ad euitandas molestias, quas solent pati etiam innocentes in carceribus prætexti delinquentes. Ita omnes *cum Farinac. quæstion. 48. numero 27. de Bictis, quæstion. 68. numero 7. Peyrinus* 8

in

in Formul. lit. C. cap. 10. *num.* 6. *Miranda q.* 26. *n.* 115. & 117.

Quæres 7 An fugitiuus, si sponte compareat constituens se in carcerem diluat præsumptionem?

8 ℞. Affirmatiuè, purgat enim indicium fugę ita omnes *cum Farin. q.* 48. *n.* 48. *de Bictis q.* 68. *n.* 10. *Gurba cons.* 13. *n.* 21. *Mastrilus decis.* 296. *n.* 12. *Carenapar.* 3. *tit.* 10. *n.* 83. & 84. Procedit licet se eripuerit de manibus satellitum, & postea sponte se in carcerem coniecerit, *ex eodem Farinac. num.* 49. Idem dic, si patiatur conduci in carcerem non resistens dat signum innocentiæ, num. 53.

Quæres 8. An comparens ad carceres post condemnationem ex contumacia purget indicium fugæ.

9 ℞. Negatiuè, quia non dicitur sponte comparere, sed potius coacte. *Farin. q.* 48. *n.* 51.

Quæres 9. An fugiens è carceribus dicatur conuictus de delicto, super quo fuit carceratus?

10 ℞. Effractor carceris aufugiens habetur pro confesso criminis, de quo fuit imputatus, vnde puniendus venit pœna arbitraria, & quidem maiori, si non aufugisset post tractum carcerem. *Farin. q.* 30. *n.* 34. *cum eo de Bictis q.* 79. *num.* 22. & 26. *Pisigianus in* 2. *subst. cap.* 7. §. *sed quid fol.* 150. *Pegna par.* 3. *com.* 35. §. *in crimine*, & §. *Sed ne ob fugam.* Si redeat ad carcerem grauius torturatur, & punitur, ex eisdem.

Quæres 10. An recurrens sine licentia ad superiorem dicatur fugitiuus?

11 ℞. Negatiuè, quia quælibet causa colorata excusat à fuga, hæc ergo non facit indicium nec per se, cùm non sit vitiosa, nec cum adminiculis, cum non detur accessorium sine principali. *Farin. q.* 48. *num.* 57. *Peguera decis.* 27. *num.* 35. *Carona par.* 3. *tit.* 10. *num.* 86.

Quæres 11. An, & per quos testes sit probanda fuga?

12 ℞. Probanda est plene, & concludenter per duos testes idoneos, *de communi* Farin. *q.* 48. *n.* 59.

Quæres 12. An in aliquo casu fuga plene probet ad condemnationem?

13 ℞. Negatiuè, quia cum sit indicium remotum per se insufficiens ad torturam, ad quam requiritur semiplena probatio, euidens argumentum est, plane probare non posse. Ita *omnes cum* Farin. *q.* 48. *n.* 60.

Quæres 13. Sed numquid miles ob solam fugam condemnari poterit ad mortem? Videtur non, ex dictis mox, quia fuga plene non probat.

14 ℞. Miles aufugiens punitur morte, *ex l. Desertorem ff. de re milit. l. Desertores C. de Desertor. lib.* 10. Farin. *q.* 48. *n.* 65. *Gargiarem decis.* 21. *Militari.* Et tunc fuga non spectatur vt indicium, sed vt delictum certum, & notorium morte dignum ex dispositione legis.

Quæres 14. An fuga serui, seu famuli faciat indicium furti facti in domo domini tempore fugæ? Aliqui affirmant, quando aliquid defuit in eius domo, fugam serui probare delictum fuisse furti ab eo factum, & hanc esse iuris præsumptionem, tenent multi *apud* Farin. *q.* 48. *num.* 70. *qui num.* 74. concludit, facere fugam indicium solum ad torturam, quando famulus erat suspectus, & conquerens dominus erat bonę famę.

15 ℞. Igitur, solum facere indicium ad torturam, quando famulus est malæ famæ, & dominus bonæ. Ita *Casaubonus de Indic. tr.* 10. *c.* 4. *n.* 22. *Mascard. concl.* 819. *num.* 31. *apud Farinac. num.* 74.

Quæres 15. An officialis fugiens tempore sindicatus se faciat reum in officio exercito?

16 ℞. Fuga officialis facit semiplenam probationem, & citatus non comparens habetur pro conuicto, & confesso super omnibus querelis datis. *Farin. q.* 48. *à n.* 77. & *seq.*

Quæres 16. An hactenus dicta de fugitiuo, locum habeant in se abscondente, & latitante?

17 ℞. Affirmatiuè, eodem enim iure censentur, qui enim se abscondit idem est, ac si fugeret. *Farinac. q.*

Tom. V.

48. *n.* 8. *de Bictis q.* 68. *n.* 2. *Miranda q.* 26. *n.* 116.

Quæres 17. An fuga vere rei in libertate existens, vel etiam iuste carceratus sit peccaminosa?

18 ℞. Reo seculari laico, seu clerico licita est fuga, non solum existenti in libertate, sed etiam carcerato, nisi ad carcerem sit damnatus, quia eam pœnam, si iusta fuit omnino subire debet. Ita *Sayr. lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 7. & 8. *supponit Sanch. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 12. *de communi Bonac. disp.* 10. *de legib. q.* 3. *p.* 2. *num.* 13.

19 Religiosus reus non potest fugere, neque ante carcerem, nec carceratus iuste, nisi sibi timeret pœnam mortis, aut mutilationis. Condemnatus iuste carceri etiam perpetuo fugere non potest; sicut nec ad triremes damnatus. Condemnatur vero iniuste, vel quia innocens, vel quia non fuit seruatus legitimus ordo iuris potest fugere; sicut & quando custos nimis rigidus est negando ei necessaria ad victum, & vestitum. Pariter fugere potest, si cogatur cooperari suæ morti per substractionem victus ab iniquo iudice, vel à custode. Fuga autem carcerati, vt non sit peccaminosa debet cohonestari per comparitionem coram superiore.

20 Prima pars, quod vere reus non possit fugere ante carcerationem, probatur, fuga solis in libertate existentibus licita est, religiosi autem suam libertatē subiecerunt voluntati superiorum, ideo clausulæ subiecti fugere non possunt. Confirmatur, quia iuste iam carcerati fugere non possunt, vt mox dicam, sed religiosi continuo dicuntur manere in carcere, nam monasterium, in quo continuo manent, appellatur eorum carcer, cap. vt famæ 53. de sent. excom. ergo fugere non possunt, sed debent remanere in claustro, & sibi imputent, neque enim eorum delictum debet illis patrocinari, neque delinquentes debent esse melioris conditionis, quam innocentes, qui sine licentia egredi non possunt è monasterio, ad cuius clausuram professi tenentur regulariter ad minus sub peccato veniali, de communi *Nauar. tom.* 2. *com.* 4. *de regul. n.* 35. *cons.* 70. *de Regul. Crass. in praxi l.* 1. *c.* 5. *n.* 3. *Rodriq. to.* 1. *q.* 50. *art.* 1.

21 Secunda pars, quod iuste carceratus non possit fugere, probatur ex adductis rationibus, & à fortiori cum sit in loco ex obedientia constituto. Ita omnes cum *Sanch. l.* 6. *c.* 8. *n.* 12. *Bannes* 2. 2. *q.* 39. *art.* 4 *concl.* 3. *Petrus Ledesmatom.* 2. *sum. tit.* 8. *c.* 24. *fol.* 781. *Sayrus, lib.* 12. *c.* 18. *n.* 9. *de S. Iuliano cap.* 8. *Aduert.* 2. *n.* 3.

22 Tertia pars, quod iuste carceratus possit fugere sibi timens mortem, aut membrorum mutilationem, probatur quia votum obedientiæ non includit illud desiderium vitæ conseruandæ, cum hoc à se per professionem non abdicauerit, ergo in hoc remanet liber, & sic fugere potest. Ita *Bannes, Petrus de Ledesma, & Sayr. lib.* 12. *c.* 18. *n.* 9. *quos pro se citat Sanch. l.* 6. *c.* 8. *n.* 12. *de Lugo disp.* 40. *de iust. n.* 49. §. *Primo. Lezana part.* 1. *c.* 16. *num.* 9.

23 Quarta pars, quod condemnatus ad carcerem perpetuum non possit fugere, quia pœnam subire tenetur, & caret libertate. Ita *Sayrus lib.* 12. *c.* 18. *n.* 9. *Vers. Tertia, Sanch. lib.* 6. *c.* 8. *n.* 13.

24 Quarta pars, quod damnatus ad triremes non possit fugere, probatur, quia non habet tantam libertatem, quantam habet secularis, cui licet fuga secundum probabiliorem opinionem. Ita *Sanch. l.* 6. *cap.* 8. *n.* 16. contra Granadum, quem sequitur *de Lugo disp.* 40. *n.* 54. comparantes in hoc galeosum cum aliis, *Lezana par.* 1. *c.* 16. *n.* 10. *de Bictis q.* 130. *n.* 18.

25 Quinta pars, carceratus, vel condemnatus iniuste fugere potest, probatur, quia professione non renuntiauit huic libertati se defendendi fugiendo. Ita *Sanch. lib.* 6. *capit.* 8. *numer.* 14. & 15. *Silu.* 11. *Fugere initio, Rodriq. tom.* 1. *Sum. capit.* 40. *Peyrin. de subd. quæstion.* 1. *capit.* 13. *in* 4. *Notabili, cum multis aliis citatis à Sancto Iuliano cap.* 8. *Aduert.* 2. §. 3. qui §. 4. negat, iniuste carceratum fugere posse, citando pro se Suar. *tom.* 4. *de Relig. libro* 3. *capit.* 1. *numero* 5.

Sed non video in hoc casu causam rationabilem, cum quilibet iure naturæ possit se defendere ab iniuria inferenda, & illata, cum eo sentit de Angelis cap. 15. numero 18. sed nullam sufficientem reddunt rationem, ideo reiiciendi sunt ambo, meminerint, quod religiosi post professionem adhuc remanserunt homines cum sua libertate se tuendi ab iniustitiis, & iniuriis inferentium.

26 Duo notanda sunt, vnum ad fugam cohonestandam necessarium est religioso fugere cum animo accedendi ad superiorem, cui debet ostendere, iniuriam sibi illatam fuisse. Et hoc clarum est, quia ideo fuga ei est licita, quia intendit se defendere; defensio autem fit per recursum ad superiorem, ergo fuga fit licita cum animo accedendi ad superiorem. Secundum est, iudicem non facere iniustitiam in ordine procedendi, quando seruat ordinem essentialem, licet omittat ordinem accidentalem, postpositis apicibus iuris, ad quos non tenetur.

Quæres 18. An sola fuga religiosi rei faciat indicium ad torturam? Ratio dubitandi est, quia fuga rei est illicita in religioso, ergo ex hoc videtur facere Indicium ad torturam.

27 R. Fuga ratione sui sicut est leue indicium insufficiens ad torturam, ita talis est respectu, cuiuslibet rei, cum qualitas indicij non desumatur à licitate, vel illicitate fugæ, cum hæ circunstantiæ nihil indicent in ordine ad delictum extra fugam, licet ipsa sit delictum respectu religiosi. Demum talis fuga cohonestatur ex titolo recurrenti ad superiorem, vt dixi supra quæst. 10.

CAPVT LV.

De aliis Indiciis per se non sufficientibus ad torturam.

1 ALia sunt indicia leuia & remota explicanda sub hoc capite, quæ Societas criminis, Inimicitia, Variatio testis, Minor testis, Assertio vulnerati, Pedis forma, Secreta locutio, Solicitatio coram iudice, Riualitas. De singulis aliquid dicendum.

2 Societas in crimine tale est indicium, quod solum facit ad inquirendum, & non ad torturam, cum ex sua confessione, & depositione reddat se infamem. Dixi abunde cap. 10. sect. 15. à n. 93. ad quæ loca remitto Lectorem.

3 Inimicitia quomodo contrahatur latè Farinac. q. 40. vsque ad numer. 88. & dixi capit. 10. sect. 10. à numero 41. ad 72. Lege sequentia pro eius indiciis.

4 Inimicitia sola capitalis facit indicium ad inquirendum, & ad capturam in dubio fugæ, non autem ad transmittendam reo inquisitionem; ea autem non sufficit ad torturam; nisi aliquo adminiculo munita; sola tamen sufficit in delictis occultis, & difficilis probationis. Non capitalis nullum facit indicium.

5 Prima pars de indicio ad inquirendum, probatur, quia inimicus contra inimicum præsumitur semper machinari. Ita de communi *Farinac. quæst.* 49. *num.* 88. *Carena part.* 3. *tit.* 10. *numero* 92. Et ad carcerandum, *Farinac. numero* 106.

6 Secunda pars de eius indicio cum adminiculo aliquo, probatur, quia cum de se licet capitalis sit leue indicium, non facit præsumptionem ad torturam nisi coadiuuetur aliquo alio indicio, *ex eodem Farinac. numer.* 102. *Giurba consil.* 13. *num.* 7. *Carena par.* 3. *tit.* 10. *num.* 89. & 90. *Miranda quæst.* 26. *num.* 125. *Pitigian. in* 2. *subst. capit.* 7. *fol.* 150. 6. *facto.* Fallit primo; quando inimicus est iam reconciliatus de antiquo, non de recenti, quia præsumitur adhuc iratus, *ex Farinac. quæst.* 49. *numer.* 109. & 110. Fallit secundo, quando offensus habet plures inimicos, quia pluralitas multum debilitat indicium. Attendenda tamen est maior, & grauior inimicitia comparatiue ad illos à procedenti iudice, *ex eodem numero* 114. Fallit tertio respectu delictorum, quæ sunt ad proprium commodum, vt sunt peccata carnis, furti, falsitas &c. *ex numero* 120. Fallit quarto, quando inter offensum, & inimicum fuerat data cautio de se non offendendi inuicem, *num.* 121.

Sed quænam sunt adminicula? Sunt fama, minæ, consuetudo delinquendi, fuga &c. *ex eodem Farinac. quæstion.* 49. *num.* 103. *de Bictis quæst.* 66. *numero* 4. Vnicum sufficit adminiculum cum inimicitia capitali ad torturam, *ex eod. Farinac. num.* 102. *de Bictis numero* 3. 7

Tertia pars de occultis delictis, probatur, quia iustitia id exigit, ne delicta remaneant impunita, tunc enim defertur indicio, vt sit potens fauore iustitiæ, & boni communis. *Farin. q.* 49. *num.* 107. *Giurba cons.* 13. *num.* 5. *Carena par.* 3. *tit.* 10. *num.* 93. 8

Quarta de non capitali constat, quia ea est leuissimum indicium, insufficiens ad torturam. *Farinac. quæstion.* 49. *numero* 101. *Carena numero* 88. *de Bictis quæstion.* 66. *numero* 5. 9

Inimicitia autem cum eius qualitate, & causa omnino probanda est ad minus per duos testes idoneos manifeste, & concludenter, nullus enim præsumitur alteri inimicus, sed amicus, & hæc amicitiæ præsumptio est de iure naturæ, quia inimicitia est contra ius naturale. *Ex allatis à Farinac. quæstion.* 49. *num.* 116. *de Bictis quæst.* 66. *numero* 9. 10

Mendacium quamuis de se sufficiat ad inquirendum, secundum omnes *cum Farinac. q.* 52. *numer.* 5. Non tamen facit indicium ad torturam, quia est indicium remotum, *num.* 8. vtique vero si adiunctum habeat aliquod adminiculum, *numero* 10. modo sit circa substantialia delicti, *numero* 11. & 12. debet autem mendacium esse probatum per legitimos testes, seu per confessionem ipsius rei, *num.* 13. *de Bictis q.* 68. *à n.* 15. & *seq.* 11

Variatio per se non est indicium sufficiens ad torturam cum sit remotum, siue reus variet in examine sine tortura. *Farinac. q.* 52. *numer.* 25. & 26. vtique cum aliquo adminiculo, seu coniectura, *numero* 29. quando tamen variatio est circa substantialia delicti, *numer.* 31. dummodo non se corrigat, *numero* 34. aut variet se defendendo directè exempli gratia cum primo confessus est homicidium, & postea variat dicendo se occidisse ad sui defensionem, *num.* 36. *de Bictis quæstion.* 68. *num.* 3. *ad* 14. *Carena par.* 3. *tit.* 10. *numero* 98. 12

Titubatio, pallor, tremor, trepidatio, & huiusmodi de se non sunt indicium ad torturam, quia fragile indicium fallax, & debile, *secundum Nouellum Reg.* 143. *apud Farinac. quæst.* 52. *n.* 47. est enim indicium remotum, *n.* 48. vtique cum variatione, & aliis adminiculis, *n.* 48. Requiritur autem, quod Notarius de mandato iudicis scribat in processu motus ruboris, palloris, erubescentiæ &c. *num.* 49. 13

Armorum delatio sine licentia per se sola non facit indicium ad torturam, cum sit indicium remotum, *Farinac. q.* 52. *num.* 84. 14

Minor testis, de quo egi capit. 11. numero 24. non facit indicium ad torturam, cum non sit maior omni exceptione. Ita *Carena part.* 3. *titul. decim. numero* 103. *Guazin. Defens.* 30. *capit.* 12. Non habet proprie rationem indicij, quia non est circa circunstantias inferentes delictum, sed immediatè peruertit delictum, non probat autem semiplene propter exceptionem minoritatis. 15

Vulnerati assertio nullum facit indicium ad torturam, sed tantum ad inquirendum, quia cum agatur 16

de

de proprio interesse, non potest esse legitimus testis in propria causa. Ita *Clarus quæst.* 21. *Vers. Assertio Honded. lib.* 1. *cons.* 102. *num.* 6. *Carena part.* 3. *tit.* 10. *numero* 99. Procedit licet sit in articulo mortis constitutus, *ex allatis à Farinac. quæst.* 46. *num.* 10. *&* 26. *§. vides.* Facit vero indicium cum adminiculis in sententia omnium, num. 35. Nec eidem credendum est cum iuramento *num.* 45. Nec viro bonæ famæ, & vitæ, *num.* 48. quia & nulli interessato credendum est. Vide reliqua apud ipsum, & hic cap. 59.

17 Solicitatio coram iudice, vt procedatur in causa super delictum extra suam domum, & agros perpetratum, non est indicium ad torturam, cum sit remotum. *Farinac. quæstion.* 52. *num.* 95.

18 . Cadauer sanguinem emittens est indicium remotum insufficiens ad torturam. Tum quia causa est nobis ignota, ac proinde indicium æquiuocum. Tum quia causari potest à dæmone ad decipiendum, vt innocens pereat pro nocente. Tum quia id nullo iure probatur. Ita Farinac. *quæst.* 52. *numero* 156. *Carena par.* 2. *tit.* 12. *num.* 189. Per se igitur operatur, nisi adsint alia indicia contra præcursum delinquentem.

19 Causa inductiua ad delictum facit præsumere contra delinquentem, exempli gratia ad habendam hæreditatem, ad luxuriandum, ad vindicandum &c. non tamen est indicium ad torturam, nisi reus sit malæ famæ, aut aliud accedat ad mouendum animum iudicis, quia illud de se est indicium remotum. *Farin. q.* 52. *num.* 153.

20 Vociferatio, cum sit remotum indicium non sufficit ad torturam non enim indicat delinquentem, sed tantum delictum, quod est obiectum vociferationis. *Farin. q.* 52. *n.* 157. *ad* 161.

21 . Præparatio armorum, & instrumentorum non facit indicium ad torturam per seipsum cum sit remotum. *Farin. q.* 52. *n.* 163. *&* 164.

22 Phinotomia & malum nomen sunt indicia remota ad torturam insufficientia, *ex eodem n.* 165.

23 Pedisforma in terra humida, in niue, vel alio modo per se insufficiens ad torturam, cum leuissimum sit iudicium. Ita *Mascard. concl.* 830. *n.* 11. *cum aliis Carena par.* 3. *tit.* 10. *n.* 100.

24 Secreta locutio ad aures alicuius post statim commissum delictum per se sine adminiculis nullum facit indicium, cum sit remotum, & leue indicium. *Zanger. cap. secund. de quæstion. & tortura n.* 33. *Carena numero* 101.

25 Riualitas in amore non facit indicium ad torturam, cum sit remotum, nisi adminiculetur. *Farin. consil.* 193. *n.* 9. *Carena n.* 109.

26 Minæ aliæ sunt certæ, & specificæ, vt *volo occidere, vulnerari, venenum præbere, eruere oculum &c.* aliæ æquiuoca, vt *me vindicabo; vlciscar, persequar, pænitebit* &c. *Farin. q.* 50. *n.* 18.

27 Minæ igitur certæ; & specificæ, non æquiuocæ, per se non sufficiunt ad torturam, cum sint indicium remotum, *ex eodem n.* 37. sed debent prouenire ab homine potente illas exequi, malæ famæ, & quod sit solitus illas exequi, & si non est solitus, ad minus adsit aliquod aliud adminiculum, *ex eodem n.* 9. *&* 11. Siue delictum secutum sit illud idem, quod minitans minatus fuit, siue aliud, *ex n.* 24. Minæ autem debent fundari in aliqua causa odij, honoris, vtilitatis &c. quia nemo præsumitur minari, & delinquere

28 sine causa, *num.* 31. Requiritur præterea, vt faciant indicium ad torturam quod offensus non habeat alium inimicum, *numero* 12. & quod paulo post minas secutum sit delictum, *numero* 14. Minæ quoque non debent processisse ex ira prolatæ incontinenti post acceptam iniuriam, quia cum ortum habeant ex animi passione, non videntur prolatæ animo sedato, & deliberato, ideo non faciunt indicium ad torturam, *numero* 27. Immo nec si minans quomodolibet illas reuocauerit, *ex Nouello ibidem numero* 28.

29 Probandæ autem sunt minæ per duos testes, sicut probantur omnia indicia præsertim remota, vt est hoc, *secundum Farinac. quæst.* 37. *num.* 13. *& hac quæst.* 50. *num.* 40. Sufficiunt autem quod sint singulares, *Ancbar. cons.* 277. *&* 299. *Fulgos. cons.* 177. *Grammat. decis.* 5. *numer.* 15. *cum aliis Farinac. q.* 50. *numer.* 41.

30 Demum minæ etiam per vnicum testem probatæ licet non faciant indicium ad torturam, sufficiunt tamen ad inquirendum generaliter, non autem ad transmittendum receptam informationem ad reum prætensum, quia cum agatur de grauissimo præiudicio, non sufficit tale indicium leue, sed grauia sunt necessaria.

CAPVT LVI.

De Indicio rei inuentæ apud reum.

1 NOmine rei inuentæ intelligo sequentia. *Primo* corpus hominis vulneratum, seu occisum. *Secundo*, rem furto sublatam. *Tertio*, librum prohibitum. *Quarto* instrumenta magica ad conficienda sortilegia. *Quinto* de instrumentis cussionis, & tonsionis monetæ falsæ

2 Vulneratus, seu occisus in domo aliena facit magnam præsomptionem contra habitatorem domus, in qua reperitur offensus seu occisus, *ex Far. q.* 51. *n.* 98. Si dominus domus spectetur vt testis sine alia præsumptione torqueri potest examinatus negando veritatē, quam verisimiliter præsumitur scire, *ex eod. n.* 107. *&* 116. Si vero examinatus tamquam principalis, & reus neget, torquendus est, si sit malæ famæ, sine alio indicio; si vero sit bonę famę pariter poterit torqueri, quando iudex cognouerit, occisum non potuisse offendi ab alio nisi ab existentibus in ea domo, vbi iacet defunctus occisus, aliter non, nisi positis aliis indiciis præter existentiam cadaueris, vt ibidem dicitur, *& n.* 12. *vbi*, quod indicium sufficiens est ad torturam, quando habitator domus fuit negligens, & non denuntiauit delictum in domo sua factum. Hoc indicium sub n. 114. vocatur remotum, nihilominus mihi videtur multum vrgere, cum de cadauere constet, & de propinquitate habitantium in domo. vbi reperitur occisus. Demum hoc indicium in sententia omnium non sufficit ad condemnandum n. 119.

3 Mortuus repertus prope domum alicuius facit indicium ad inquirendum contra vicinum, non tamen ad torturam, cum sit indicium remotum, nisi concurrat aliqua alia præsumptio, & sit homo malę famæ, *ex Farin. q.* 52. *n.* 120. *ad* 127. tollitur autem hoc indicium, quando homo bonæ famæ probat, se nullam habuisse inimicitiam cum occiso, immo & præsumptio ad inquirendum contra ipsum, n 125.

4 Vicinitas quoque est certa regula præsumendi, quod delictum sit commissum à vicinis, quando ignoratur malefactor homicidij, furti, &c. vnde vicinus torqueri poterit non solum vt testis, cum verisimiliter censeatur informatus, facta enim in vicinia præsumuntur sciri à vicinis *l. Si vicinis Cod. de nupt. & l.* 8. *ff. vnde cognat. & dixi capit.* 38. *numero* 48, sed etiam vt principalis ex eadem ratione, si tamen sit persona malæ famæ, & occisus non habuerit inimicum; quia tunc non est torquendus vicinus bonæ famæ, quia præsumptio non est contra virum probum, sed contra inimicum. *Farin. q.* 52. *num.* 128. *ad* 131.

5 Inuentio personæ in loco, vbi reperitur mortuus, si sit ibi prope mortuum cum armis, & sic homo malæ famæ, solitus talia facere, est indicium ad torturam,

aliter non, sed solum ea inuentio facit indicium ad capturam, & inquirendum, *Farinac. quaestion.* 52. *num.* 133. *ad* 135.

6 Frequentatio insolita facta per aliquam viam, in qua reperitur occisus, cuius malefactor ignoratur, est indicium sufficiens ad torturam contra sic transeuntem, si sit malæ vitæ, & solitus talia committere. Si vero solebat illac transire propter sua negotia, vel quia erat iter ad domum suam, nullum patitur eius iter indicium? *Farinac. quaest.* 52. *numero* 138. *ad* 143.

7 Furtum præsumitur commissum ab eo, apud quem inuenitur, dum ignorat verus fur, & si non probet rem ab alio fuisse probatam, torquetur ipse quia hoc est indicium graue ad torturam, nisi ea persona sit bonæ famæ. Ita Mascard. concl. 833. *Farinac. quaest.* 177. *numero prim. Albertin. de agnoscend. quaest.* 28. *numero* 25. *&* 26. *de Bellis quaest.* 70. *numero* 1. *&* 2.

8 Librorum prohibitorum ob hæresim retentio est indicium præsumendi retentorem esse suspectum de hæresi, ea presse Pius IV. in sua Bulla 77. inc p *Dominici gregis*, §.3. his verbis: *Si quis autem aduersus eas regulas, prohibitionem que fecerit, is quidem, qui hæreticorum libros, vel cuiusuis auctoris Scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionis damnata, atque prohibita legerit, habueritue, ipso iure excommunicationis pœnam incidat, eamque ob causam in eum, tamquam de hæresi suspectum inquiri, & procedi liceat.*

9 Patet ergo non solum lectionem horum librorum, sed etiam solam retentionem indicare retentorem de hæresi suspectum; nam illa particula *ve* quæ semper coniuncta est cum aliqua dictione l *habueritue*, significat disiunctiue, iuxta titulum. *De his, qua vi, metusue causa* &c. importat enim *Vel*, Bertazol, *de claus. intr. claus.* 11. *glos.* 4. *numero* 4. *De hac suspicione hæresis Farinac. quaestion.* 180. *numero* 8. *&* 9. *Carena parte secund. titul.* 10. *numero* 23. *Sanctar. de hæresi capit.* 41. *dub.* 3. *numero* 5. *Alberghinus in sub Manuali qualificat. capit.* 32. *numero* 20. Nullus contradicit.

10 Excusatur ab hac suspicione in sequentibus casibus. *Primo*, si habuit libros hæreticos ad eum finem, vt eos confutaret, & de facto eos ea profecto confutauit, in hoc casu legens, aut eos retinens non est suspectus de hæresi, cum ex impugnatione huiusmodi tollatur suspicio, vt docent plerique *apud Castropal. tractat. quart. disputation. secund. part.* 10. *§. secund. numero* 8. *Carena part. secund. titul.* 10. *numer.* 29. Non tamen illum excusant ab excommunicatione prædicta, & ab alia in B. Cœnæ Domini.

11 Nec obstat quod lex sit fundata in præsumptione, quæ non obligat in conscientia, quando abest delictum, quia inquiunt, lex fundata in præsumptione delicti facti, non obligat in conscientia, quando adest veritas in contrarium, vtique autem si se fundet in periculo delicti, *ex Castropal. tractat.* 3. *disp. 1. part.* 14. *numer.* 12. *&* 13. *quem approbat Carena numero* 33.

12 Secundo excusatur, si inconsiderate retinuerit, vel legerit, si parum, & semel, si librum detulit inquisitori, in hoc casu est leuiter tantum suspectus de hæresi. Vehementer vero, si librum studiose multum retinuerit, aut legerit, aut similes libros quæsierit, ex Carena *part. secund. titul. decim. numer.* 26. *Albertinus quaest.* 28. *num.* 25. *&* 26.

13 Tertio excusatur hæres, qui præsumitur eorum non habere cognitionem. Ita *Farinac. quaestion.* 180. *numero* 9. *Genuens. cap.* 58. *numero* 52. *cum aliis Carena part. secund. titul.* 10. *num.* 7. Similiter excusatur ignorans legere, vel idiota legens, sed non intelligens latinum, non enim isti sunt suspecti de hæresi, cum de illis nullam habeant cognitionem, *ex Castropal. titul.* 6. *quart. numero sexto, Carena numero* 29. *fine. Salelles Reg.* 141. *numero* 551. *&* 221.

Sola retentio librorum est indicium, quod retentor doctus legendi libros apud eum repertos de hæresi tractantes habet, nõ enim alius finis excogitari potest super huiusmodi retentione, nisi lectio. Vnde Genuens. cap. 69. numer. 12. 5. Item seruatur in curia quod ob solam retentionem librorum huiusmodi torqueatur retentor super intentione, super vsu, & complicibus, & si persistat in negatiua, abiurat tantum de leui. Quod non placet *Carena part. secund. titul.* 10. *num.* 43. dixerat enim sub num. 40. & seq. quod retentio illorũ, sola in homine bonæ famæ non facit indicium ad torturam nisi concurrentibus adminiculis, *cum Farinac. quaest.* 180. *num.* 38. exemplo rei furtiuæ repertæ apud bonum virum, quæ contra illum sine aliis adminiculis non est indicium ad torturam, vt dixi etiam ego supra sub num. 7. Tamen hic est dispar ratio, quia in furto inuento non consideratur vsus eius, sicut in retentione librorum prohibitorum, in furtis enim quæritur dominus, in libris supponitur, & quæritur vlterius de eorum vsu. 14

Itaque retentio sola librorum est indicium lectionis, ac proinde suspicionis hæresis leuis, aut vehementis, iuxta superius dicta, & sic ordinatur ad torturam super visu lectionis, super intentione, & super complicibus, si alios docuerit. *Salelles Reg.* 145. *n.* 231. *cum seq.* 15

Instrumenta magica, vt Clauicula Salomonis, Pentacula libri docentes sortilegia, diuinationes, &c. sunt per se sola indicia ad torturam, quo ad vsum, quoad intentionem, & quo ad complices. Ratio est, quia huiusmodi instrumenta non videntur ad aliud seruire, quam ad sortilegia facienda, & ad diuinandum. Ita *Genuens. cap.* 18. *numero* 13. *ex eo Carena part. secund. tit.* 12. *numer.* 177. *§. quinimmo.* Addentes reum persistentem in negatiua abiurare de leui ex sola retentione, esto alias esset homo bonæ famæ. Libri autem continentes sortilegia hæreticalia indicant vehementem suspicionem hæresis in retinente. Ita præcitati *cum Delrio lib.* 5. *sect.* 17. *Vers. Sunt etiam, Farinac. quaest.* 180. *numer.* 28. *Carena numer.* 179. Libri vero continentes alia sortilegia non hæreticalia, vt ad amorem, ad sanitatem &c. indicant tantum leuem suspicionem, quæ tortura purgatur, adiunctis pœnitentiis salutaribus, ex eodem Carena n. 179. alia indicia contra sortilegos ibidem habes à n. 180 ad 186. 16

Instrumenta cudendi Monetam reperta apud aliquem sunt sufficiens indicium contra ea habentem ad torturam, vt docent *omnes cum Mascard. conclus.* 1069. *num.* 9. *qui numer.* 10. limitat in eo, qui est bonæ famæ, & conditionis, non solitus hæc facere. Nihilominus esto esset bonæ famæ, probare tenetur, à quo ea instrumenta habuerit, quia aliosine non retinentur, nisi vt ea habens vtatur, vel custodiat, & sic fit particeps delinquentis, vnde torturam effugere non potest, *Decian. lib.* 7. *cap.* 27. *per totum, apud Guazin. Defens.* 4. *cap.* 9. *num.* 6. cum prædictis, quod instrumentum non faciat indicium ad torturam contra hominem bonæ famæ, docet cum multis *Farinac. Consil.* 161. *num.* 6. *consil.* 175. *num.* 16. De Moneta falsa plura idem Farin. consil. 48. per totum. Moneta falsa in magna quantitate reperta apud aliquem sine instrumentis facit magnum indicium, quod eam reiiciens fuerit illius fabricator, vel saltem complex in eius cussione cum aliis. Idem dic de tunsione eodem modo. 17 18

CAPVT LVII.

Quale indicium dictum Mandatarij.

1 SOlum Mandatarij dictum facit indicium ad inquirendum, & transmittendum inquisitionem mandanti, in casu, quo mandatarius poterat interrogari de mandante de iure. *Farinac. quaestion.* 44.
2 *num.* 21. Tunc autem interrogari de mandante potest reus de mandante, quando non constat, delictum commisisse ex propria causa, *vt ipse insinuat num.* 1. *eiusdem quaestion.* 44.
3 Solum vero Mandatarij dictum non facit indicium ad torturam contra mandantem, quia de se non est testis integer, & omni exceptione maior, vt requiritur ad torturam, cum ex confessione turpis mandati sit criminosus, & infamis. *Farinac. quaest.* 44.
4 *num.* 2. Procedit hoc *Primo*, licet non acceptarit mandatum, illud recusando, non enim ei est credendum, aliter in potestate esset alicuius damnum inferre proximo forsan ex occulto odio, vel alio fine prauo, debet igitur probare recusationem mandati, quae aliter non creditur, *num.* 16. Procedit
5 *Secundo* in crimine laesae maiestatis, vt soli dicto mandatarij non credatur contra mandantem, *num.* 5.
6 Procedit *Tertio* in mandatario assassino, cui non est credendum contra mandantem ad torturam, patitur enim plures exceptiones. Ita *Gabriel lib.* 7. *crimin. concl.* 1. *num.* 38. *Bursat. lib.* 1. *cons.* 20. *num.* 3. *lib.* 2. *cons.* 192. *num.* 7. *Farinac. quaest.* 44 *num.* 19. contra plures alios.
7 Requiritur ergo aliquod adminiculum, vt dictum mandatarij sufficiat ad torturam contra mandantem, ratione cuius mandatarius coadiuuetur in sua fide.
8 *Farin. quaest.* 44. *num.* 11. Quare duo mandatarij contestes circa idem numero mandatum sufficiunt ad torturam, quia se inuicem coadiuuant, *num.* 9.
9 & 10. Et sicut qui propriis auribus audiuit expeditionem mandati ex propria scientia potest sufficere ad torturam, ita à fortiori potest adiuuare dictum mandatarij, *num.* 14.
10 Et ex his patet, hoc indicium connumerati posse inter remota, cum de se sit insufficiens ad torturam.
11 Quid dicendum, si inculpatus pro mandatario, respondeat, se vulnerasse, occidisse ex propria causa, & non ad instantiam alicuius? Nunquid exculculpatur mandans praetensus reus?
12 Respond. Affirmatiuè, nisi in contrarium aliquid aliud vrgeat. Ita *Farin. quaest.* 44. *num.* 23.
13 Cum autem mandatarius aequiparatur socio in crimine, quicquid dictum fuit de socio criminis, *cap.* 10. *à num.* 93. locum habet etiam in mandatario, vt notat *Farinac. num.* 24.

CAPVT LVIII.

Quale sit indicium asserentis, se dixisse falsum ex mandato alterius?

1 PRaesentem quaestionem eisdem modis, & explicationibus, quo praecedens, exponere, & resoluere debemus, cum pari passu currat sub titulo mandati.
2 Itaque assertio dicentis, se corruptum fuisse ad dicendum mendacium, & periurandum, facit solum praesumptionem ad inquirendum contra mandantem, & corrumpentem, non autem ad transmittendam inquisitionem. *Farinac. quaest.* 45. *num.* 19. Neque ad condemnandum in contumaciam, aut ad capturam, *numero* 20. quia ex capite. Sicut nobis 9. de testibus in fine dicitur, quod periuris, vt sunt huiusmodi corrupti, non est aliquatenus credendum.
3 Multo minus facit indicium ad torturam, cum testis debeat esse omni exceptione maior, & inuulnerabilis, *ex citato cap. Sicut nobis*, *Farinac. quaest.* 45. *num.* 1. & 2. qualis non est iste, qui ex eius assertione facit se criminosum, & infamem, *ibid. num.* 2.
4 Quod si adiunctum habeat adminiculum facit ad torturam, ex eodem num. 34. Pariter duo asserentes se corruptos fuisse mandato, prece, aut pretio faciunt indicium ad torturam, vnus enim alterum coadiuuat, *ex num.* 25. & 28. modo sint contestes in eadem corruptione, non singulares, *num.* 43. Sufficit autem quod sint contestes in eadem causa, licet modus, tempus, & locus sint diuersa, *nu.* 45.
5 Tentatus vero, & non acquiescens corruptioni, non facit indicium ad torturam, esto enim non sit socius in crimine, nec infamis, sed alias omni exceptione maior, tamen nihil probat per seipsum, ex numero 31. contra alios ab eo relatos *num.* 29. & 30. quibus standum non est, quia in hoc casu magis se habet, vt querelans, quam vt testis.
6 Testis corruptus ad non deponendum non probat corruptionem contra corrumpentem, *num.* 33. ex quo non probat, iuxta mox dicta, corruptus ad deponendum falsum, siue consenserit, siue non.
7 Testis corruptus facit indicium ad torturam, contra subornantem, quando fuit productus. & transmissus ad examinandum ab eodem subornante, quando deposuit in causa spectante ad commodum ipsius subornantis, *num.* 35. & 38. modo aliunde constet de falsitate, *num.* 40.
8 Assertio autem testis tunc facit indicium ad torturam iuxta superius dicta, cum est adminiculatus, & praeterea nullam aliam patitur exceptionem, quia tunc nihil facit ad torturam, etiam si in tortura deposuisset. *Farinac. quaestion.* 45. *num.* 41. 46. 47. & 48.

CAPVT LIX.

De Assertionibus existentium in articulo mortis quale indicium faciant?

1 ASsertio vulnerati existentis in articulo mortis, qui tamen sit sanae mentis dum asserit, se fuisse vulneratum à N. facit indicium ad inquirendum. Ita *Farinac. quaest.* 46. *num.* 21. non tamen ea sufficit ad transmittendam informationem inculpato, siue superuixerit vulneratus, siue obierit, *num.* 26. Si enim assertio aliquam vim habet, eam recipit in actu ipsius depositionis, nec enim dependere habet. Facta autem denuntiatione, datur mandatum capturae, & reus coniectus in carceribus examinatur si vero fugiat ad eum transmittitur inquisitio recepta, & non comparens in contumacia condemnatur, probata inimicitia cum fuga, *num.* 34.
2 Sola, & pura assertio ad torturam non sufficit, tum quia nemo idoneus testis in propria causa. Tum quia ex hac assertione se facit inimicum vulnerantis, inimico autem non creditur contra inimicum, ergo sola assertio nihil prodest in ordine ad torturam, ex eodem *Farinac. quaest.* 46. *num.* 7. *ad* 16. respondens obiectis contrariae opinionis, sed nostra est verior, & communior. Procedit *Primo*, esto testes legitimi desint, *num.* 41. Procedit *Secundo* licet assertio sit iurata, *num.* 45. Procedit *Tertio* licet assertor eo

etiam dia sacram saceperit communionem, *num.* 46. Procedit *Quarto*, esto sit bonæ famæ, & conditionis, *num.* 48.

3 Assartio vero adminiculata inimicitia, fuga, tamen, &c. probat ad torturam, *ex num.* 35. De contraria opiniona agis *ibidem num.* 1. *& a num.* 49. *vsque ad* 55. sed quoniam non sequimur, eam cum suis limitationibus selinquimus in suo statu apud auudem.

4 Constitutus in articulo mortis, sanæ mentis, existens, extraiudicialiter dicens ad exonerationem suæ conscientiæ, sa falsum deposuisse in iudicio, non præiudicat illi, in cuius fauorem deposuit, nisi aliunde probetur falsitas depositionis, quia illi vti testi infami ex præcedenti periurio nullatenus creditur. Ita Farinac. *quæst.* 46. *num.* 56. Procedit *Primo*, licet sic asserentes sint duo, *num.* 57. Procedit *Secundo*, licet deponat in iudicio criminali contra illum moto, *numero* 58. Procedit *Tertio*, vt non noceat parti non solum in iudicio criminali, sed nec in ciuili, *num.* 59.

5 Quamuis in articulo mortis existens non probet vt dixi, falsitatam, taman illi de fide diminuitor, vt non tantum eidem sit credendum, *num.* 65. Non præiudicat parti, cui iam fuit ius acquisitum, *num.* 66. Solum autem sibi præiudicat confitenti, ei enim quo ad se creditur, quia suam conscientiam exonesat, *ex num.* 67.

6 Testis, qui falso inculpauit Titium in iudicio, ad exonerationem suæ conscientiæ, moriturus in lecto suo, seu in patibulo, deponens se falso deposuisse contra Titium, operatur, ne Titius torqueatur. *Grammat. voto* 3. *num.* 15. *& sequent. Marsil. consc.* 109. *num.* 30. *cum aliis* Farinac. *num.* 68. fortior est huiusmodi assertio facta in lecto post receptionem Sacramentorum, quam in patibulo, *ex Bursato cons.* 201. *num.* 148. *Farinac. num.* 70.

7 Exculpatio socij criminis facta in articulo mortis tollit inculpationem, si ea erat sola, & nuda, non autem, si pro inculpatione alia concurrebant adminicula, non leuia, sed grauia, & vrgentia sufficientia ad torturam, nulla enim est exculpatio, *ex num.* 72. *&* 73.

8 Notarius sa accusans da instrumento falso à se conscripto, ad exonerationem suæ conscientiæ non prodest ei, in cuius fauorem fecit instrumentum, qui vti falsò, & periuro, ac infami non creditur in fauorém vnius partis contra aliam. Ita omnes *cum Bierio decis.* 255. *fine Gabriel libr.* 7. *crimin. concl.* 32. *num.* 5. *Farinac. quæstion.* 46. *num.* 75.

9 Iudex in articulo mortis constitutus, sanæ mentis asserens se tulisse iniustam sententiam, pretio, vel sine illo, non præiudicat illi, in cuius fauorem illam tulit, quia ei vt infami, & criminoso credendum non est, nec audiendus, qui suam detegit turpitudinem. Fortior enim est actus iudicialis ex sententia, quam extraiudicialis assertio. *Farinac. quæstion.* 46. *num.* 76. *&* 80. Si tamen cum eius confessione concurrat aliqua alia coniectura, ai creditur, vti fama, rumor, vel aliqua iuris præsumptio, ax num. 84. creditur vero ipsi iudici in eius præiudicium, num. 85. Si sint coniudices duo asserentes, se iniquam tulisse sententiam pecunia corruptos, tunc nec eis creditor contra corrumpentem, quia ambo per huius assertionem se declarant criminosos, & infames, vnde eis non est credendum, *num.* 89. 90. *&* 91.

10 Offenso, vel damnificato, extra articulum mortis, asserenti se fuisse ab alio offensum, non est credendum, cum sit testis in propria causa. & ex tali confessione fateatur se illius inimicum, *num.* 92. est enim iste potius querelans, cui nullatenus creditur, quam testis, Ita quod nec facit indicium ad inquirédum, *num.* 96. ita quod nec facit ad capturam *num.* 97, Imò nec Principi creditur asserenti, se ab aliquo fuisse offensum, *num.* 102. *Decius cons.* 410. *num.* 3. *Ferrazol. lib.* 1. *cons.* 135. *num.* 5.

11 Offenso præsertim in articulo mortis constituto, qui aliquem exculpauit, dicendo se ab eo nullo modo fuisse offensum, creditur in fauore inquisiti, ita vt per huiusmodi exculpationem sint sublata omnia indicia contra illum vrgentia, itavt torqueri non possit prætensus reus. Ita de communi fere omnium sententia, *Farinac quæst.* 46. *num.* 104. Ratio, quia id testimonium nulli nocet, & simpliciter prodest, nam & si testimonium pro inimico prodest, vt dicunt Sancti Patres, Hieron. Epist. 61. ad Pammachium illis verbis: *Testimonium illud verum est, quod ab inimicis voce profertur fauorabile*, D. Ioan. Chrysost. in Ioan. 18. *Id veritatis maximum est argumentum, cum quis inimicos, in eorum, quæ dicit, testimonium adducit.* S. Basil Homil. 21. de human. Christi genes. *Ex inimicis testimonia longè præstantiora, fidéque digniora.* Et quare non proderit pro suo inimico vero, sed tantum prætenso?

12 Procedit primo in exculpatione etiam implicita, vt si inculpet vnum, censetur exculpare alium, inclusio enim vnius est exclusio alterius. *Farinac. quæst.* 46. *num.* 106. Procedit *Secundo*, vt exculpatio prosit exculpato facta in articulo mortis, licet prius inculpasset proximum solemniter, vt cum iuramento, non enim est verisimile, quod id eo puncto mentitus sit, & voluerit animam suam magis grauare, sed potius exonerare à priori falsitate, *num.* 108.

13 Quando autem delictum est plena probatum, exculpatio nihil prodest, cum veritas stet pro probatione legitima, contra exculpantem. *Farinac. quæstion.* 46. *num.* 110. Nec prodest exculpatio, quando adessent contra exculpatum indicia plusquam vrgentia, & vrgentissima, hæc enim prænalent, *num.* 116. Si tamen cum exculpatione concurrerens alia indicia innocentiæ, tum per eam tollerentur indicia contraria licet vrgentissima, *num.* 117.

CAPVT LX.

De non obuiante, & non reuelante delinquentes quodnam indicium faciat.

1 NOtandum est, quod quis duobus modis potest obuiare delictis futuris, & imminentibus; *Primo*, impediendo verbo, vel facto, ne accinctus ad male agendum malum agat; *Secundo*, denunciando futurum delictum superiori, vt prouideat, vel Domino, vt se caueat à famulis, ne illum offendant in persona, vel in rebus.

2 Est autem certa regula, quod qui non obuiat vni ex illis modis manifesto facinori, dum potest, sine suo periculo, reddit se suspectum occultæ societatis, & præsumitur particeps delicti commissi contra proximum, expressè *Cap. Sicut dignum* 6. *§. illa etiam de homicid. cap. quanta* 47. *de sent. excom. cap. Non in inferenda* 7. 23. *quæstion.* 3. Et colligitur ex Eccles. 17. 12. *Et mandauit illis vnicuique de proximo suo.* Late Farinac. quæst. 51. num. 1.

Doctrina hæc maximé procedit pro foro conscientiæ, per quam vnusquisque tenetur de proximo suo ex virtute caritatis, vnde si desit, peccat solum non obuiando, non tamen tenetur ad restitutionem damni illati, cum non peccauerit contra iustitiam, sed caritatem tantum, nisi ex officio ad id teneatur, vt ministri, prælati, capitanei militum, &c. serui, famuli, & curam aliorum habentes. Ita omnes *cum Nauar. cap.* 24. *num.* 37. *Sayr. lib.* 10. *cap.* 14. *cum alijs Barb. ad dictum cap. Sicut dignum, num.* 18. *&* 19. *Farinac. qu.* 51. *numero*

numero. 47. *& sequentibus.* Hæc obligatio supponit supradicta duo, vt possit id commodè facere sine proprio periculo, dum habet probabilem certitudinem de imminenti delicto, vt obseruat etiam Farinac. *num.* 61. *&* 64.

4 Tenetur ergo obuiare pro foro conscientiæ tantum, *ex eodem* Farinac. *num.* 14. *&* 23. atque quando præcipitur reuelatio à superiore per Edictum publicum, vel per citationem factam priuato, vt compareat ad testificandum, *num.* 16. *&* 19.

5 In foro externo nemo tenetur obuiare malo proximi non solum iure ciuili, licet commodè possit, *ex eodem* Farinac. *quæst.* 51. *num.* 4. verum etiam iure Canonico, *ex eodem num.* 9. *&* 14. & qui tenent contrarium, intelligendi sunt, pro foro conscientiæ, vt ibidem aduertit. In aliquibus tamen casibus tenentur etiam in foro externo obuiare, aliter puniri possunt non obuiantes, cum possint.

6 Primo, namque tenentur obuiare delictis committendis, filij, serui, subditi, & vassalli delicta pendentibus contra patrem, & dominum, aliter puniendi sunt. *Farinac. quæst.* 51. *num.* 26. Procedit etiam in famulo, & seruitore, *num.* 27. In filio etiam naturali tantum, etiam emancipato, *num.* 28. Imò & in filio spirituali, *num.* 30.

7 Secundo, tenetur frater obuiare delicto sui fratris, *num.* 32. vbi quod punitur pœna relegationis.

8 Tertio, eadem obligatione tenentur coniuncti erga suos coniunctos vsque ad quartum gradum inclusiuè, *num.* 34.

9 Quarto, vnus coniugum pro altero tenetur, *numero* 36. *Boër. decis.* 262. *num.* 9. *Menoch. casu* 355. *numero* 18.

10 Quinto, Pater, & Dominus scientes quod eorum filij, & famuli tractant committere aliquod delictum, tenentur illa obuiare, aliter punientur, *l.* 2. *ff. de Nexal.* Farinac. *quæst.* 51. *num.* 40. Imò præsumuntur participes delicti, num. 43.

11 Sexto, ratione officij tenentur obuiare officiales, *num.* 47. vti Duces, ne milites delinquant, *num.* 48.

12 Septimo, quilibet tenetur clericum defendere, *num.* 53.

13 Octauo, à fortiori defendere Episcopum, *num.* 59.

14 Nono, Monachus tenetur reuelare delicta imminentia contra suum Abbatem, *num.* 60.

15 In supradictis omnibus casibus obuiandum est delictis etiam in foro externo concurrentibus sequentibus conditionibus. *Prima*, dummodo reuelaturus notitiam, & scientiam habeat de delictis, quæ sit verisimilis, & probabilis. *Secunda*, modo obuiare possit sine suo periculo. *Tertia*, vt in casibus debitis vt supra quis ob non reuelationem factam, ad quam tenetur, non teneatur, nisi secuto delicto. *Quarta*, vt non teneatur reuelare personam delinquentis. Ita *idem Farinac. num.* 61. *ad* 67.

16 Notandum autem est, quod defectus obuiationis non facit indicium ad torturam, vt dicit *idem Farinac. quæst.* 51. *num.* 2. quando alia coniectura non concurrit, negatiua enim cooperatio leue est indicium, cum non influat positiuè in delictum.

17 In casu autem punitionis, non obuians nunquam punitur pœna, qua principalis affligitur, sed alia mitiori arbitrio iudicis, quia non tantum deliquit, sicut principalis, expressè *cap. Sicut dignum, præcipitatum initio. Ita* Farinac. *num.* 68.

CAPVT LXI.

De obuiando crimini læsæ maiestatis.

1 DVplex est crimen læsæ maiestatis, vnum diuinæ, alterum humanæ, qui ergo blasphemat Deum, & hæreticus fit dicitur reus criminis læsæ maiestatis; qui vero offendit suum Principem in persona dicitur committere crimen læsæ maiestatis in primo capite; cum vero offendit illum in honore, fama, deturpatione, seu deuastatione status, vel imaginis illius, dicitur committere crimen læsæ maiestatis in secundo capite, Farinac. *quæst.* 112. *num.* 15. *&* 16. *de Bellis*, *quæstion.* 110. *numero* 1. *&* 2.

Crimen autem læsæ maiestatis humanæ committitur à subdito offendente suum superiorem in persona, honore, fama, deturpatione status eius & eius statum, cuiusmodi sunt Imperator, Reges, Principes, Duces, & alij non recognoscentes superiorem maiorem. Item Papa, Episcopus, & alij de quibus latè Farinac. quæst. 112. per totam. Puto, religiosum offendentem suum generalem committere crimen læsæ maiestatis humanæ, quia est Princeps totam suam religionem gubernans cum mero, & mixto imperio, nulli reddens rationem nisi soli Papæ, sicut & Episcopi, habet enim quandam in se maiestatem, cum supremus, & solus sit in sua iurisdictione, & dicitur Princeps in sua religione, *secundum Rodrig. tom.* 1. *quæstion.* 68. *art.* 3. *cum suo Compend. resol.* 90. *num.* 33. 2

Subditos non reuelans tractatum, conspirationem, seu rebellionem in suum Principem, vel Rempublicam, quando id potest probare, punitur eadem pœna, qua principalis, secuto effectu ob non reuelationem. Farinac. *quæstione* 51. *num.* 69. 75. *&* 78. 3

Alia vero pœna mitiori punitur non reuelans non subditus, *num.* 79. Item coniux alium coniugem non reuelans, *num.* 80. item & pater non reuelans filium, quem auertere tenetur, *num.* 82. 84. *&* 85. Non valens probare adhuc non reuelans punitur pœna mitiori, *num.* 78. 4

CAPVT LXII.

De indicijs grauissimis, & indubitatis.

INdicia grauissima sunt illa, quæ frequentissimè, & facillimè demonstrant delicta, adeo quod ita mouent animum iudicis, vt aliter sentire non possit, nisi quod illi suggerit propositum indicium. Horum igitur effectus sunt delictum probare, & facere plusquam semiplenam probationem, si non sufficientem ad condemnationem pœnæ ordinariæ, quia non dicunt plenam omnino probationem ex scientia oculari, aut auriculari, per quam immediatè attingitur delictum, talem tamen faciunt, per quam attinguntur ea media, quæ proximè ordinantur ad ipsum delictum. Lege Farinac. *quæstion.* 36. *numero* 56. *& Clarum quæstion.* 20. *& quæ dixi cap.* 51. *quæstion.* 13. Referam diuersa indicia huius generis. 1

Primum est in eo, qui visus fuit, exire de domo, in quo reperitur homo occisus, pallidus cum gladio sanguine asperso, & fugere; huiusmodi fuga cum gladio sanguinolento, de recenti facit indicium indubitatum, & vehementissimum, quod sit occisor, ac proinde non solùm sufficere ad torturam, sed etiam ad condemnationem, sine tortura, vtrumque enim est in arbitrio iudicis, aut torquere, aut sine tortura condemnare, non tamen ad pœnam ordinariam, sed solum ad arbitrariam, dummodo domus, in qua reperitur occisus aliud non habeat ostium, ex quo exiuit prætensus occisor. 2

Prima pars, duo petit gladium sanguinolentum, & fugam, *Farinac. quæst.* 51. *num.* 50. *&* 54. Vnde exiens è loco cum gladio euaginato sine sanguine, ex hoc solo non potest torqueri, quia sanguis est 3

formale

formale, & proximum indicium ad torturam, *ex eodem num.* 56. Imò si reus prætensus probet sanguinem, quo gladius est unctus, non esse recentem, sed antiquum, vel alterius animalis, non potest ex hoc torqueri, quia euidenter apparet, non esse de sanguine de recenti interfecti, *num.* 57. *&* 58.

4 Secunda pars, quod hoc solum indicium sufficiat ad torturam, probatur, quia est indicium valde proximum, & indubitatum, quod nemo negat, ac proinde sufficiens ad torturam. *Farinac. quæst.* 52. *num.* 50. *Menoch. lib.* 2. *casu* 270. *num.* 18. *& seq. de Bictis quæst.* 75. *num.* 2.

5 Tertia pars, de condemnatione in pœnam arbitrariam, prætermissa tortura, amplectitur ferè ab omnibus *cum Farinac. quæst.* 52. *num.* 65. & potest esse afflictiua corporis, *num.* 67. *de Bictis quæstion.* 71. *num.* 6. *&* 9. Vide *Guazin. Defens.* 30. *cap.* 41.

6 Quarta pars, quod domus aliud non habeat ostium, vt possit condemnari, probatur, quia si aliud habet ostium res sit dubia, cum possit esse, quod verus occisor exierit ab alio ostio. *Farinac. quæst.* 52. *num.* 54. *de Bictis quæst.* 71. *num.* 8.

7 Prædicta locum habent etiam, quando occisus repertus est in agro, vinea, &c. propè quem visus est solus homo cum gladio euaginato, & sanguinolento de recenti, est enim idem omnino indicium, quod formaliter constituitur in gladio de recenti sanguinolento homine recedente ab interfecto. *Farinac. quæst.* 52. *num.* 55. *de Bictis*, *num.* 3.

8 Ad prædicta quoque sequiruntur duo testes, qui deponant de gladio sanguinolento, & de recenti sanguine asperso, aliter vnicus testis nec sufficit ad torturam, quia is non est ocularis in ordine ad homicidium, cum non viderit percutere, *Farinac. qu.* 52. *num.* 63. *de Bictis, quæstion.* 71. *num.* 4. Probanda autem est illa duplex qualitas, & quod sit gladius sanguinolentus, & quod sanguis de recenti, imò & tertia, quod ille homo exierit è domo, vel fuerit propè interfectum in agro, exempli gratia, cum gladio sic qualificato.

9 Secundum indicium violentum, & indubitatum refertur cap. Literis 12. de præsumpt. his verbis. *Produxerunt testes firmiter asserentes, quod postquam mulier cum prædicto viro contraxerat matrimonium, consanguineum viri eiusdem solum cum sola, nudum cum nuda in eodem loco iacentem ea, vt credebant, intentione, vt eam cognosceret carnaliter viderunt, &c. Ex huiusmodi violenta, & certa suspicione fornicationis potest sententia diuortij promulgari.* Duo ergo soli vtriusque sexus in lecto manentes non solum nudi, sed etiam cum camisia faciunt certum indicium carnalis copulæ, ita enim videntes aliud cogitare non possunt, nisi delictum carnis. Quare tales personæ in lecto probatæ non solum torqueri possunt, verum etiam condemnari ad aliquam pœnam extraordinariam, sicut dictum est de priori indicio. Ita aliis citatis *de Bictis quæst.* 75. *numero* 5. *Sanchez libro* 10. *disput.* 12. *num.* 45. *de Sancto Iuliano cap.* 1. *Aduert. fin.* §. 4. *de Angelis cap.* 4. *numero* 4. *propè finem.* Tale indicium nullam facit præsumptionem contra patrem dormientem in eodem lecto cum suis filiis, nec inter patrem, & sororem, nec in itinere, quando duo simul dormiunt, vel in conuentu, vbi casu plures sunt aduenæ ex penuria lectorum, quæ in causa est, vt duo simul in eodem lecto requiescant, cum enim res nota sit, non est locus præsumptionis, cum delicta carnis occultissimè committi soleant.

10 In causis fidei multa assignantur indicia grauissima, & indubitata, quæ inferunt suspicionem hæresis in committentibus illa, *de qua re vide Direct. Inquisit. part.* 2. *q.* 54. *& ibi Pegnam comment.* 80. *Vers. Tertia species. Albertin. de Agnoscend. Assert. quæst.* 3. *num.* 7. *& quæst.* 30. *num.* 1. 2. *& sequens.*

Ad quæ loca remitto lectorem, ne sim prolixius, quam nostrum patitur institutum.

CAPVT LXIII.

De indicio confessionis extraiudicialis in ordine ad torturam.

Certum est, quod confessio extraiudicialis est 1
indicium remotum vt dicunt omnes *cum Farinac. quæst.* 82. *num.* 44. *Guazino, Defens.* 32. *cap.* 34. *numero* 8. Ratio est, quia non percutit immediatè delictum, quod supponitur alias perpetratum, vnde id quod probatur immediatè per testes est ipsamet confessio, quæ & iactantia appellari solet, quæ probata facit indicium contra delinquentem, quod delictum confessatum commiserit.

Certa autem ponitur conclusio, quod confessio 2
extraiudicialis regulariter facit indicium ad torturam
contra eum, qui confessus fuit delictum coram per-
sonis fide dignis, etiam coram iudice audiente tan-
quam persona priuata, & etiam coram iudice in-
competente, parte absente, & non citata. Ita om-
nes *Farinac. quæst.* 82. *numero* 23. *de Bictis quæst.* 84.
num. 54. *Guazin. Defens.* 31. *cap.* 34. *numero* 1.
Procedit, & ampliatur *Primo*, etiamsi facta fuerit 3
à minore, & sine curatore, *numero* 24. *de Bictis*,
numero 14. *Guazin. num. quarto.* Procedit *Secundo*,
etiamsi fuerit reuocata, *numero* 28. *de Bictis*, *num.*
16. *Guazin. num.* 7. referens contrariam opinionem
quod reuocata excuset à tortura, & est hæc opinio
rationabilior, quia hæc reuocatio facta incontinen-
ti est species correctionis. Procedit *Tertio*, licet sit
facta sine loco, & tempore, quibus delictum iacta-
tum fuit commissum, sufficit enim expressio perso-
næ offensæ, quia se iactantes sibi satisfaciunt nar-
rando delictum cum expressione personæ offensæ,
vel complicis, *num.* 30. *de Bictis num.* 18. quamuis
multi apud Guazin. num. 9 petant narrationem de-
licti commissi tali loco, & tempore. Procedit *Quar-
to* quamuis in narratiua non expresserit causam per-
petrandi tale delictum confessum, *num.* 32. *Guazin.
num.* 9. *versu Et ibid.*

Fallit vero, & insufficiens est per se sola confes- 4
sio extraiudicialis ad torturam. *Primo* quando est
inuerisimilis, & improbabilis, *Farinac. quæst.* 82.
num. 33. *Guazin. Defens.* 32. *cap.* 34. *num.* 10. *de
de Bictis*, *num.* 21. Fallit, *Secundo*, quando suum 5
delictum fassus fuit ex calore iracundiæ, *num.* 36.
Idem dic si accidit tempore inebriationis. Fallit 6
Tertio, si se iactauit ioco, & ex lasciuia, & ambi-
tione *num.* 37. *Guazin. num.* 10. *vers. Idémque de Bi-
ctis*, *quæst.* 84. *numero* 22. Fallit *Quarto*, si suam 7
turpitudinem confessus fuit, ex metu, minis, aut
aduersarij persuasione, *num.* 38. *de Bictis*, *num.* 23.
Guazin. Defens. 32. *cap.* 34. *num.* 2. Fallit *Quinto*, 8
non sufficit ad torturam, quando de crimine agi-
tur ciuiliter, *numero* 42. Fallit *Sexto*, si emanauit 9
incidenter ad alium effectum, *numero* 43. *de Bictis*,
quæstion. 84. *num.* 26. Dunum fallit in clerico, & in 10
Monacho, qui non possunt torqueri ex sola confes-
sione, nisi præcesserit infamia de delicto. Ita Mas-
card. *concl.* 350. *num.* 22. *Farinac. num.* 39. *Guazin.
num.* 11. *de Bictis*, *numero* 24. *de Angelis capite* 52.
numero 17. Sed isti loquuntur de iure, & res- 11
pectu eorum iudicum, qui in causis non possunt
procedere de plano, nam Ecclesiasticus confessus
extraiudicialiter potest torqueri à suo superiore ma-
ximè regulari, qui non tenetur ad apices iuris, in-
ter quos enumeratur infamatio ex probatis capite 2.
numero 33.

Vt

12 Vt autem confessio extraiudicialis indicium sit ad torturam, ea necessario probanda est per duos testes, & in hoc omnes conueniunt; discrepant vero, an debeant esse loco, & tempore concordes, vel
13 sufficiant singulares? Communior opinio petit testes loco, & tempore concordes, *Farinac. quæstion. 82. numero 45. alios plures refert Guazin. Defens. 32. capite 34. numero 13.* Quod sufficiant singulares loco & tempore, affirmant. *Tobias Nonius cons. 34. numero 14. Laderchia cons. 181. Rimin. Iun. cons. 730. numero 31.* Ratio est, quia veritas propriæ confessionis non mensuratur loco, & tempore, sed ab ore ipsius confitentis, ergo non est necessaria conuenientia temporis, & loci, maximè cum confessio sit reiterabilis, vnde sufficit, quod sit de eodem numero delicto.

14 Isti autem testes debent esse rogati, vnde non sufficit, quod casu fortuito audierint confessionem, secundum *Farinac. quæst. 82. fine, Guazin. Defens. 32. cap. 34. fine*, quod ait recipi à peritis iudicibus, *cum Fabio Turreto cons. 62. num. 6.* Errat Farinac. in citatione, nam non est textus cap. De his, quod non reperitur 3. quæst. 9. sub illis verbis, sed est
15 ibidem 15. incip. Testes, & glos. ibi 11. Audierunt loquitur in causis ciuilibus, quod testes debent esse moniti, & rogati; nec id extendendum est ad causam huiusmodi de confessione extraiudiciali eius, qui se iactat de crimine commisso, siquidem nemo se iactans, & aliquod crimen à se commissum narrans monet nec rogat, vt alij eum audiant.

16 Certum autem est, quod extraiudicialis confessio non sufficit ad condemnationem in pœnam ordinariam, licet adminiculata, etiam parte præsente, vel etiam geminata, aut facta coram populo, vel etiam iurata, sufficiet ergo ad torturam iuxta superius dicta, & solum ad pœnam extraordinariam, & mitiorem, secundum allegatos à *Farinac. quæst. 82 à num. 1. ad 20.* Sed reuera ex sola confessione nullus condemnatur nec ad mitiorem, probata etiam confessione, sed subiicitur torturæ, vt in praxi seruatur.

CAPVT LXIV.

An delictum probetur per scripturam?

1 TRibus modis conuincitur reus ex l. fin. C. de probationibus, per testes, per indicia indubitata, de quibus in superioribus actum est, & per instrumenta Scripturas, & documenta, de quibus hic agendum est.

2 Instrumentum facit præsumptionem contra delinquentes expressos in instrumentis, non tamen probat delictum in eo expressum, nisi quando in ipsa confectione instrumenti, seu Scripturæ committitur delictum, & vtráque pars, si agatur de contractu aliquo illicito, consentiat instrumentum, dummodo illud delictum non mereatur pœnam corporalem, aliter nihil probat.

3 Prima pars, quod instrumentum faciat præsumptionem contra delinquentem, firmatur, *ex allegatis à Farinac. quæstion. 84. num. 35.* Non tamen probat delictum in eo scriptum, & narratum, dum supponitur factum antecedenter ad Scripturam; *Bald. in l. contra negantem C. ad leg. Aquil.* Farinac. *quæst. 84. num. 4.*

4 Secunda pars, quod instrumentum probet delictum in ipsa eius confectione commissum, probatur, quia cum illud committatur dum scribitur instrumentum, non potest non demonstrare ipsum, cum sit obiectum ipsius instrumenti. Ita *Bart. in l. Non intelligitur §. citata ff. de iure fisci* Farinac. *numero 7. 8. & 9.*

Tertia pars, quod necessarius sit consensus amborum contrahentium, probatur, quia sine eorum voluntate ab ipsis delictum committi non potest, non enim datur peccatum sine actu voluntario. Ita omnes *cum Farinac. quæstion. 84. num. 10.* Et hoc procedit, quando instrumentum continet contractum, qui perficitur consensu duorum, aliter nihil probat, vt dicet ibidem. 5

Quarta pars, quod dixi de consensu partium non habet locum vbi sermo est de pœna corporali, probatur, quia nemo ad eam se obligare potest, cum pœna à iudice infligatur. Ita *Canon in cap. cum in Ecclesijs, de maior. & obed. Farinac. num. 22. alios citans cum Mascard. concl. 460. num. 11.* 6

Instrumentum autem continens in ipsa scriptione commissum, debet esse authenticum, aliter non probat, vt docent omnes *cum Saliceto in l. Si quis legati C. de fals. num. 4. §. veritas est*, Farinac. *numero 8.* 7

Non solum per instrumentum peccaminosum, sed etiam per Scripturam extra instrumentum probatum delictum per eam commissum, vt exemplificant in scriptura conspirationis facta inter conspirantes. *Decian. libro septimo, capite quadragesimoquinto, numero vigesimo-septimo, Farinac. quæstion. 84. numero vndecimo, Carena parte tert. tit. quarto, numero primo & secundo.* Scriptura ergo sicut instrumentum probat delictum coniunctum cum Scriptura, non vero ab ea separatum, licet in illa expressum, non tamen illi intrinsecum, quia supponitur antecedenter factum. 8

Vt autem huiusmodi scriptura probet debet esse recognita ab ipso auctore, qui si eam neget probanda est, per duos testes, qui deponant, se vidisse eam scribere ab eius auctore, *iuxta Doctores, quos citaui cap. 6. num. 24.* Probatur etiam comparatione litterarum, & per inspectionem factam à peritis, qui notam habent manum auctoris, vt autem hæc recognitio per peritos sit valida, necessarium est, quod fiat coram iudice, & in defectum probationum, vt docet *Farinac. quæstion. 70. num. 14. ad 18.* 9

Sola autem recognitio literarum ab auctore negatarum sine aliis adminiculis non sufficit ad torturam. *Curt. Iun. in l. Admonendi ff. de iureiur. num. 116. Purpur. ibidem num. 187. Aymon. de Antiquit. part. 1. vers. quæritur, Farinac. citat. quæstion. 70. num. 14. Carena num. 6.* Ex hactenus dictis colliguntur plura delicta, quæ instrumentis probantur. 10

Primo, probatur delictum contra libertatem Ecclesiasticam ex confectione statuti illi præiudicanti. *Imola in cap. cum in Ecclesijs, de maior. num. 4. 5. Et conclusio est. Farinac. quæstion. 84. num. 8.* 11

Secundo, probatur conspiratio contra Principem, *Farinac. quæst. 84. numero 11.* 12

Tertio, vsura ex confectione ipsius instrumenti. *Mascard. concl. 460. num. 10. Farin. quæst. 84. n. 12.* 13

Quarto, crimen falsi in eo, qui eandem domum duobus vendidit, probatam per duo instrumenta continentia venditionem. *Farin. numero 13.* 14

Quinto, periurium probatur contra testem ex actibus in processu constantibus. *Farin. numero 15.* 15

Sexto, probatur hæresis contra auctorem libri continentis hæreses, ita omnes *cum Carena part. 3. titul. 4. num. 1. & 2. Farin. num. 16.* 16

Septimo, mandatum homicidij, seu alterius delicti probatur Scriptura exprimente mandatum. Farinac. num. 19. 17

Processus legitimè fabricatus probat plene omnia acta in eo expressa, modo in notario sit subscriptus, ex relatis à Farinac. quæst. 84. num. 23. 18

Contumacia,

19 Contumacia, & inobedientia probantur Scripturis, quando non agitur criminaliter ad pœnam, *Farinac. quæſt.* 84. *num.* 26. *ad* 29.

20 Viſum repertum corpus delicti probatur per ſcripturam Notarij, quando de mandato iudicis viſitationem fecit, *ex eodem numero* 30.

21 Adulterium probatur per inſtrumentum matrimoniale, quoad hanc qualitatem, probata prius copula carnali per teſtes, ſeu per indicia indubitata, ex allegatis à Farinac. quæſt. 84. num. 33.

22 Libellum famoſum probat ſcriptura, iuxta dicta cap. 6. num. 23.

CAPVT LXV.

De Citatione Reorum.

1 IN præcedentibus capitibus actum eſt de modo probandi delicta, quod contingit tribus modis, per teſtes, per indicia, & per inſtrumenta, quibus fabricatur proceſſus informatiuus contra reum querelatum. Modo in præſenti capite, & ſequentibus agendum eſt de modo procedendi contra reum, qui ante condemnationem quamuis ſit conuictus citandus eſt ad reſpondendum, ad ſe defendendum, & ad ſentiendum legere ſententiam contra ſe ferendam, vnde primo loco ſe offert materia citationis, quam per quæſtiones expediam.

Quæres igitur quid ſit citatio?

2 Reſpond. Eſt legitima vocatio facta de mandato iudicis per eius nuntium, perſonæ querelatæ, vt compareat coram eo iudice ad reſpondendum in iudicio ſuper iis, de quibus interrogabitur. Ita ferè omnes in ſubſtantia huius rei *cum Carena part. tert. tit.* 2. §. 1. *Souſa lib.* 1. *cap.* 27. *Salcedes part.* 1. *Regul.* 183. qui licet loquantur de citatione in cauſis fidei, nihilominus applicari poteſt aliis delictis.

Quæres 2. Quotuplex ſit citatio?

3 Reſpond. Duplex eſt, Verbalis, & Realis, illa conſiſtit in citatione rei verbo, vel ſcripto moniti, vt compareat coram iudice ad reſpondendum, & ſe defendendum à querela. Realis vero eſt actualis apprehenſio rei per ſatellites de mandato iudicis trahentes illum ad carcerem, *l. Neque* 22. *ff. de in ius vocand.* & de hac poſteriori agam capite ſequenti, hic vero de citatione verbali, qua monitus ſeipſum portat coram iudice. Ita *Carena part.* 3. *tit.* 2. *num.* 3.

Quæres 3. An citatio ſit vnum ex ſubſtantialibus iudicij, ita vt omiſſa omnino vitiet proceſſum, & omnia in eodem expreſſa?

4 Reſpond. Affirmatiuè, eſſe de ſubſtantialibus iudicij non ſolum iure poſitiuo, ſed etiam naturali, adeo quod ea omiſſa, acta in proceſſu expreſſa, & inde ſecuta ſententia nullius ſint roboris, & valoris.

5 Prima pars, quod citatio ſit de ſubſtantialibus ex vtroque iure, omnino certa eſt, nec habet contradictorem, quia hæc citatio eſt ſpecies defenſionis, quam omnes iudices didicerunt à Domino, dum primum hominem citauit ad defendendum, ſi quam legitimam excuſationem haberet, ne de ſuo peccato puniretur; & in Clem. Sæpe, de verborum ſignificat. de ea ſit mentio tanquam ſubſtantiali iudicij, ne omittatur in cauſis, in quibus de plano proceditur, quia non eſt de apicibus iuris; vnde citatio dicitur prima pars iudicij ex parte rei, *Inſtit. de pœna temerè litig.* §. *omnium.* Nullus enim inauditus condemnadus eſt, ſecundum omnes, nullo contradicente, cum ſit contra ius naturale, & diuinum, Lege auctoritates apud Sanctorum de Melphio Ordinis Minorum ſtrict. Obſeru. de Peruſ. capite 1. quæſt. 4.

6 Secunda pars, quod ea omiſſa nulla ſint acta iudicis, probatur ex illa communi regula, quod nulla res exiſtere poteſt ſine ſua eſſentia, & ſubſtantia; ita omnes *cum Farinac. quæſt.* 11. *numero* 37. *Gloſſat. cap.* 20. *num.* 9. *de Bellis, quæſt.* 78. *num.* 1. *Guazin.* 10. *cap.* 1. *num.* 2. vbi quod proceſſus eſt nullus non ſolum, ſi deſit in totum citatio, ſed etiam ſi fuit non legitimè facta, ſecundum omnes, quia non legitimè factum habetur pro non facto.

Quæres 4. An citatio debeat eſſe vna, an multiplex?

7 Reſpond. De iure requiri tres diſtinctas citationes, ſecundum omnes *cum Farinac. quæſt.* 11. *num.* 38. *ex l. conſentaneum* 8. *& ſequent. Authent. C. Quomodo, & quando iudex*, in cauſis fidei, *Diana part.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 42. *Carena part.* 3. *titul.* 5. *numero* 12. *&* 13. Intellige contra contumaces non comparentes ad primam, nec ſecundam citationem publicatur tertia, tanquam peremptoria, & demum termino elapſo condemnantur. De conſuetudine vnica ſufficit continentem tempus triginta dierum, quorum decem pro primo, decem pro ſecundo, decem pro tertio & vltimo peremptorio. Ita *Scaccia lib.* 1. *de iudic. cap.* 43. *num.* 10. *cum aliis Guazin. Defenſ.* 10. *cap.* 1. *numero* 12. Et cum hæc conſuetudo æquiualeat iuri, non eſt reprobanda, ſed omnino amplectanda maximè apud iudices regulares, cum illud tempus ſit ſufficiens ad comparendum coram iudice ad allegandum cauſas quare non debeat condemnari.

Quæres 5. An reus citandus ſit non ſolum ad reſpondendum, & ſe defendendum, ſed etiam ad audiendam ſententiam contra ſe legendam?

8 Reſpond. Affirmatiuè, nam vt dixi cap. 2. num. 22. reus citatur ad confeſſionem, ad defenſionem, & ſententiam, quæ ſunt citationis ſubſtantialia collecta ex Clem. Sæpè, de verb. ſignificat. loco citato, & in terminis de citatione ad ſententiam habentur ibidem hæc verba: *Sententiam vero definitiuam, citatis ad id licet non peremptoriè partibus, in Scriptis, & prout magis ſibi placuerit, ſtans, vel ſedens profe-tat* Aliter omiſſa citatio rei inducit nullitatem ſententiæ ipſo iure. Ita Vantius *de nullit. defectu citat. numero* 10. *Roman. conſ.* 366. *num.* 8. *cum multis aliis Barboſ. ad hanc Clement. n.* 12. *de Bellis quæſt.* 78. *num.* 4. *Baronius de citatione ad quæſt.* 56. *num.* 117. Et iudex reum non citans ad audiendam ſententiam peccat mortaliter, *ex Nauar. cap.* 25. *num.* 13. *Pitigianus de* 3. *ſubſt. cap.* 1. *fol.* 157. *ex illis de Bellis num.* 4.

Quæres 6. An Princeps poſſit tollere, vel remittere huiuſmodi citationes?

9 Reſpond. Omnes tollere, nec remittere poteſt, ſed ad minus vnica neceſſaria eſt, cum ſit fundata in iure naturæ, per quam poteſt ſe defendere, hæc enim, quæ ordinatur ad defenſionem rei, tolli non poteſt, ex quo defenſio eſt cuique neceſſaria iure naturali. Ita omnes *cum Iulio Claro quæſt.* 31. *Vantio de nullit. ex defectu citat. num.* 6. *&* 9. *Iaſon. vol.* 3. *conſ.* 86. *num.* 14. *Guazin. Defenſ. decim. capite prim. numero quarto & quinto, de Bellis, quæſtion.* 78. *numero tertio.*

Quæt. 7. An citatus ad comparendum poſſit mittere procuratorem?

10 Reſpond. Non poteſt, ſed ipſe perſonaliter debet comparere ad reſpondendum, vt ex modo reſpondendi iudex veniat in notitiam perfectam, an ſit delinquens, ex vultu, colore, trepidatione, & geſtis in reſponſionibus. Ita communiter Doct. quos magno numero refert *Addenſ. ad conſ.* 85. Farinac. lit. F. *Guazin. Defenſ.* 10. *c.* 1. *n.* 9. Mittere ergo non poteſt procuratorem cum mandato ſpeciali ad reſpondendum

dendum hoc, vel illo modo, quia ignorat interrogationes faciendas à iudice, ideo non potest dare illi speciale mandatum.

Quæres 8. An citatio ad locum non securum valeat? Exempli gratia cito te in ciuitate, seu castro, vbi habes inimicum capitalem?

11 ℞. Nulla est, non enim teneris cum periculo vitæ tuæ obedire iudici. *Ex Clem. Pastorali, ac ibi. Bart. in l. Recusare, §. si quis alio ff. ad Trebellian. Abbas in cap. cum dilecti, de dolo, Scaccia lib. 1. cap. 32. num. 32. Farin. q. 11. n. 55.* Si notoriè constat, locum non esse tutum, prout ibidem explicat multis exemplis. Vide *Porcellum part. 2. casu 12. num. 4.*

Quæres 9. Quænam sint de substantia citationis, quorum defectu sit nulla?

12 ℞. Sunt sequentia. *Primo* nomen iudicis committentis citationem, quam debet subscribere, *Secundo*, nomen querelantis, seu fisci loco accusatoris. *Tertio*, nomen rei, qui citatur ad comparendum in iudicio. *Quarto* executio citationis, quæ reo præsentanda est, vel domi dimittenda, si latet, *Quinto*, relatio cursoris, seu nuntij, quod citauerit reum. Defectu vnius ex prædictis irritam facit citationem. Ita Rota *dec. 16. alias 133. de Rescr. in Nouissim. Scaccia lib. 1. crim. cap. 32. num. 13. cum alijs Guazin. Defens. 10. capite 2. num. 1. & 5. vers. Et ideo ad hoc.*

13 Primo igitur nomen iudicis subscribentis citationem, vt apparet de eius commissione, cum non præsumatur. *Roland. vol. 1. cons. 90. n. 32. Pacian. lib. 2. de probat. cap. 48. n. 69.* cum alijs Guazin. Defens. 10. c. 2. n. 2. qui cum Vantio de nullit. citat. n. 40. & Pacian. dicit, credendum esse nuntio asserenti, se habere commissionem à iudice, iuxta consuetudinem locorum. Debet autem iudex præter nomen, & cognomen apponere titulum suæ potestatis.

14 Secundo exprimitur nomen querelantis, ad cuius instantiam reus citatur ad respondendum. *Clarus q. 33. vers. Sed certè, ibi Baiard. Scacc. c. 39. num. 6. Guazin. num. 5.*

15 Tertio, rei nomen sine dubio exprimendus est cum cognomine, & loco, ne committatur æquiuocatio, & vnus pro alio citetur; & si ignoratur nomen rei, demonstratur tunc per effigiem, barbam, staturam, &c. ex eisdem cum Guaz. num. 4. Sed raro id accidit.

16 Quarto, executio citationis est vt præsentetur, & tradatur in manibus rei, si facta fuit in scriptis, si autem facienda est verbo sufficit, vt moneatur à nuntio, & edoceatur de comparendo tali die coram iudice. Quod si non inueniatur reus, vel quia latitat, vel fugit, relinquitur citatio penes habitantes in domo, in qua solet habitare, vt per illos tradatur ei, iuxta consuetudinem locorum. Vide Guazin. *Defens. 10. cap. 2. à num. 7.*

17 Quinto demum nuntius debet referre iudici, seu eius Notario, se citationem præsentasse reo, vel eum admonuisse ad comparendum coram iudice. Est autē relatio de substantia citationis, adeo quod omissa irritet citationem. Ita *Grammat. cons. 52. n. 15. cum alijs Guaz. Defens. 10. c. 3. n. 1.* Facienda est iudici, ex eisdem, vel Notario eo absente, *ibid. Guaz. n. 2.* ante sententiā facienda est, aliter est nulla. *Felin. in cap. quoniam de probat. n. 20. Roland. vol. 2. cons. 47. n. 70. Guaz. cum aliis n. 3.* Non requiri in scriptis de iure testatur *Scacc. c. 48. n. 13. Guaz. n. 4.* ideo in processibus sufficit dicere: *Vocatus, seu citatus fuit N.* Et sufficienter relatio apparet probata, quando reus constitutus coram iudice respondit ad interrogata. Quod si citatio, & relatio fiat per alium, quam per nuntium destinatū, nulla est, *ex allegatis à Guazin. cap. 2. numero 6.*

Qu. 10. An in citatione exprimenda sit causa, quæ mouit iudicē ad vocandū reum coram suo tribunali?

18 ℞. Non est exprimenda causa, propter quam citatur, quando reus non est contumax, sed facile consentire potest, aut capi, vt conducatur coram iudice, tunc enim sufficit, citare illum, vt compareat ad respondendum opportunis Interrogationibus. Si vero se absentauerit, & sit contumax, in citatione exprimenda est causa in specie, propter quam vocatur, nempè propter tale delictum tibi imputatum, & probatum, cum enim agatur de eo condemnando in contumaciam, necesse est explicare delictum, vt sciat, quid respondere possit comparendo, ne condemnetur. Sic seruatur, in causis S. Officij, vt indiciatus contumax citetur cum solita clausula: *R. sponsurus de fide comparcas*, ad formā *cap. cum contumacia 7. de haret. in 6.* Ita Simanch. *de Cathol. instit. tit. 44. n. 12. Peg. 2. par. 2. com. 32. Diana per. 4. tract. 8. res. 42. cū alijs Caren. par. 3. tit. 1. n. 7. & 8.*

Qu. 11. An citatio contumacis facienda sit per Edictum in locis solitis, an sufficiat ad domum habitationis, & relatio cursoris cum iuramento in actis processus sit redigenda?

19 ℞. Citatio contumacis fit domi suæ habitationis, expresse *cap. causam 3. de dolo, vbi Barb. citat Doctores*, vel ad domum sui procuratoris, vt ibidem dicitur. Vel ad valuas Ecclesiæ ex cap. fin. eod. si, est Ecclesiasticus, seu ad loca solita, & publica ciuitatis, vt possit innotescere citatio reo. *Caren. par. 3. tit. 1. n. 14. ad 16. Guaz. Defens. 10. cap. 2. n. 7. & 30. cum seq.* Nuntius faciens relationem in S. Officio iurat, se citasse reum, vt notat *Caren. n. 17.* Nuntio autem creditur in spectātibus ad suum officium, *Masc. concl. 189. & 1315. Tiraq. de Retractu lign. §. 1. gloss. 9. n. 11. & 12. cum alijs Barb. ad cap. Cum dilecti 6. de dolo n. 4.* quid verum est, nisi citandus coniecturis, & præsumptionibus ostendat, se non fuisse citatum, tunc enim nuntio non creditur, *Menoch. de arbitr. casu 102. num. 11. Masc. concl. 1119. num. 17. & 18. cum alijs Barbos. ibidem Guaz. cap. 5.*

Quæres 12. An dies in citatione apponendus sit tanquam aliquid de eius substantia?

20 ℞. Esse valde probabile pertinere ad essentiam citationis, aliter enim non videtur adstringi ad comparendum nisi pro suo arbitrio, vnde in cap. cum dilecti 6. de dolo supponitur huiusmodi præfixio diei, vt citatus sciat, quantum tempus habeat ad comparendum, ne prætergrediatur dies suæ comparitionis. Apponendus ergo est dies in citatione, *Menoch. cons. 230. n. 11. Ceualles com. opin. q. 809. Decian. lib. 4. crimin. cap. 21. n. 17.* Vtraque opinio disputatur *per Vantium de nullit. ex defectu citat. n. 67. Scacia lib. 1. crimin. cap. 32. n. 17. quos citat Guaz. Defens. 10. cap. 2. n. 9.* qui omnes conueniunt in eo, quod dies termini non computantur in termino. Terminus autem non debet esse nimis breuis, sed rationabilis, vt habeat tempus sufficiens ad comparendum, aliter citatus non coarctatur, *ex allegatis ab eodem Guazin. Defens. 10. capite 2. numero vndecimo, Barbos. ad dictum cap. 6. de dolo numero sexto.*

Quæres 13. An citatus ad comparendum die festiuo teneatur comparere?

21 ℞. Negatiuè, quia tunc citatio nulla est cum cæteris actibus factis diebus feriatis. Ad euitandam nullitatem dies feriati non numerantur, sed tantum alij vtiles, vt in praxi seruatur. *Guazin. Defens. 10. cap. 2. num. 12. & cap. 3. num. 8. & 9.* Religiosus citari potest etiam die festo, & examinari, quia obseruatio feriarum est de apicibus iuris.

Quæres 14. An in scriptis citatio sit facienda?

22 Respondetur. Esse faciendam tantum contra fugitiuum, seu latitantem, vt constet de eius citatione, ita de iure communi, & consuetudine respectu contumaciam. Ita ferè omnes *Guazin. Defens. decima, capite secundo, numero 32.* Quod seruandum est etiam apud regulares, qui autem sunt in domo citantur ore tenus, & creditur nuntiatori, se monuisse reum ad comparendum coram iudice, vnde sufficit in processu dicere: *citatus, seu vocatus fuit N. &c.*

Quæres 15. An citatio affixa loco, vbi per breuissimum tempus manet afficiat citatum?

23 ℞. Citatio lacerata in loco, vbi fuit affixa, breui tempore non afficit citatum, quia habetur pro non affixa. *Asin. in sua praxi* §. 8. *cap.* 1. *apud Guaz. Defens.* 10. *cap.* 3. *num.* 11. Deberet saltem manere per diem, vt innotescat citato.

Quæres 16. Vt reus possit à iudice citari ad respondendum, quæ probatio requiratur?

24 ℞. Semiplena probatio sufficiens ad torturam, aliter iniuriosa est, & inutilis citatio maximè realis, dum contra reum negatiuum existentem iudex vlterius procedere non potest cogendo eum per tormenta ad dicendam veritatem. Ita *Pitigian. initio* 3. *subst. cap.* 1. *de Bictis qu.* 78. *n.* 2. *Farinac. qu.* 1. *n.* 48. dum dicit nulli esse transmittendam inquisitionem, nisi præcedentibus grauioribus indiciis, quæ debent esse proxima; transmittere autem inquisitionem nihil aliud est, quam reum citare. In S. Officio nullus citatur, nisi delictum sit semiplene probatum; ita *Caren. p.* 3. *tit.* 2. *n.* 24. *Gennens. c.* 68. *Diana part.* 5. *tract.* 8. *resol.* 11. *Salelles Reg.* 185. *num.* 43.

Quæres 17. An citatio rei sit necessaria, quando declarandum est, eum incidisse in aliquam pœnam, verbi gratia, excommunicationis?

25 ℞. Affirmatiuè, quia potest afferre aliquam rationabilem causam, qua excusetur à pœna. Ita *glosa in c. consliterit Clem.* 3. *de Censib. Coaser. in capite Alma mater* §. 9. *n.* 5. *fine*, *Riccius p.* 4. *decis.* 869. *cum alijs Barb. ibid. num.* 5. *de Bictis*, *qu.* 78. *n.* 6. *Baronius de citatione in Addit. ad quæstion.* 17.

Quæres 18. An reus citari possit sub pœnis?

26 ℞. Affirmatiuè, quia citatus cogi potest ad obediendum, ergo sub pœna aliqua, quæ illum disponat ad obediendum. Pœna autem potest esse carcerationis, banni, exilij, &c. *Clarus qu.* 31. *num.* 26. *de Bictis*, *quæst.* 78. *num.* 7.

Quæres 19. An in notoriis requiratur citatio? De Notorio dixi cap. 3. sect. 3. num. 20. ad 30.

27 ℞. Affirmatiuè, quia nemo inauditus condemnari debet. Ita *Farinac. q.* 21. *à n.* 66. *ad* 78. *de Bictis q.* 87. *n.* 10. Et si enim factum sit notum, & manifestum ignorari tamen potest qualitas ipsius facti, nempè, vulnerasse ad sui defensionem.

CAPVT LXVI.

De Carceratione Reorum.

1 VT dictum fuit in præcedenti capite citatio alia est verbalis, de qua ibidem dictum est, alia realis, quæ est captura ad carcerandum, de qua hic agendum est.

2 Carcer autem ad duo potissimum inuenta est; primo ad custodiendum reum, donec eius causa tractetur, qui debet esse commodus, & securus, ne carceratus aliquid patiatur, *ex l. Aut damnum* §. *Solent, de pœnis*, *Farinac. q.* 27. *n.* 95. Secundo ad pœnam, nam quandoque rei condemnantur ad carcerem, vel perpetuum, vel temporaneum, iuxta qualitatem delicti. Quandoque obstinatus nolens veritatem fateri carceratur, vt huius metu cogatur confiteri delictum. Occurrunt difficultates resoluendæ.

Qu. 1. quid requiratur, vt captura sit iusta, & valida?

3 ℞. Requiruntur tria *Primo*, quod fiat de mandato iudicis contra suum subditum. *Secundo* quod fiat in loco non priuilegiato. *Tertio*, quod fiat ex causa legitima præcedentibus scilicet legitimis indiciis.

4 Primum de mandato iudicis *ex l. Neminem C. de exhibend. reis*, vnde priuatus non potest carcerare, *Farinac. quæst.* 27. *num.* 8. & carcerans non habens iurisdictionem vti persona priuata acriter punitur, *ex eodem num.* 9. & 10.

Secundum, quod captura fiat extra locum priuilegiatum, constat ex eo, quod facta in Ecclesia, vel conuentu, aut alio loco pio gaudente immunitate, vt non molestentur confugientes ad loca sacra, ipso iure nulla est, *ex l. Præsenti, C de his, qui ad Eccl. confug. cap. Sicut antiquitus* 17. *q.* 4. *cap. De raptoribus* 36. *qu.* 1. *cap. Inter alia, de immunit. Eccles.* 5

Tertium de legitimis indiciis præcedentibus, est concessum ab omnibus *cum Rolando vol.* 3. *cons.* 17. *n.* 2. *Grato vol.* 1. *cons.* 2. *n.* 68. *Caphalo lib.* 1. *cons.* 93. *n.* 6. *Farin. q.* 27. *n.* 112. Nullo contradicente; quæ indicia debent in actis scribi, & notari, *ex eod. Farin. n.* 131. 6

Quær. 2. In quo consistant hæc legitima indicia?

℞. Consistere in semiplena probatione delicti, propter quod reus carceratur. Probatur, quia reus carceratur, vt respondeat, ad interrogata, & quoniam omnes ferè rei persistunt in negatiua, debet constare de probatione delicti ad minus semiplene, vt possit torturæ subiici, quod ius acquirit iudex ex semiprobatione delicti, ergo ne iudex iniustè, & inutiliter carcerer reum, sed cum iure illum torquendi in casu, quod neget delictum, ideo non potest capi, nisi semiplenè constet de delicto. Ita *Pitigianus in* 3. *substant. c.* 1. *fol.* 157. *Gennens. c.* 27. *n.* 4. *Clarus q.* 28. Alij quid plus requirunt, *apud de S. Iul. c.* 8. *Aduert.* 1. *de Angel. c.* 23. *n.* 9. Sed reuera sufficit semiplena probatio, quæ consistit in vno teste oculati, seu auriculari omni exceptione maiori, vel in aliquo indicio proximo, seu indubitato per duos testes probatos, iuxta dicta in superioribus. Et id confirmatur ex stilo S. Officij, quod nunquam dat mandatum capiendi reum, nisi semiplene delicto probato. Ita *Cantera cap.* 1. *de probat. de iudic. ad torturam n.* 60. *Gennens. cap.* 68. *n.* 1. *Vers. cum carceratio*, *Diana par.* 4. *tract.* 8. *resol.* 11. Quod si persona sit bonæ famæ, & insignis nobilitatis, maiora indicia requiruntur, *secundum Royas, Sousam, & Farinac. quos citat, & sequitur Carena par. tertio, titul.* 14. & 25. Sed bonam famam certè amittit ex querela ita semiplene probata, *ex cap.* 4. *de Accusat.* ergo capi potest, non obstante eius nobilitate, quam offendit, & depressit ex sua iniquitate. 7

Qu. 3. An suspectus de fuga post acceptā querelā non præmissa semiplena probatione carcerari possit?

℞. Probata huiusmodi suspicione, & à querelante productis testibus ad minus vno omni exceptione maiori, carcerandus est reus. *Far. q.* 27. *n.* 125. & 128. imo ex sola confessione vulnerati capi potest reus, *ex allegatis ab eod. n.* 129. Et quoniam rei vt plurimum solent fugere, ideo quæuis suspicio leuis videtur sufficere, ex communiter enim accidentibus fuga præsumi potest. Vnde ex sola informatione etiam extraiudiciali suspectus de fuga capi potest, ex citatis à *Carena par.* 3. *tit.* 2. *num.* 20. & 21. 8 9

Quæres 4. An debeat præcedere infamia, vt reus carcerari possit?

℞. Negatiuè, quia sufficit solum semiplena probatio ex dictis quæst. 2. Et id confirmatur ex dictis de infamia cap. 2. num. 33. Vide *Farin. num.* 119. 10

Quæres 5. An repertus in fragranti crimine carcerari possit?

℞. Affirmatiuè, quia constat sufficienter de delicto. *Guazin. Defens.* 3. *cap.* 3. *num.* 18. *latius cap.* 8. & 9. *de Angelis cap.* 23. *n.* 10. *de Bictis q.* 79. *n.* 13. 11

Quæres 6. An carcer infamet carceratum?

℞. Carcer datus in custodiam non infamat ex se solo, cum hæc pœna in iure non reperiatur imo contrarium dicatur. Clarius in terminis carcerationis, *l. infamia* 1. *C. ex quib. causis infam.* Vtique datus in pœnam, proueniens potius ex crimine notorio per sententiam, quam ex ipso carcere. Ita *Guaz. Def.* 6. *cap.* 1. *num.* 82. *de S. Iuliano cap.* 8. *Aduers.* 1. *num.* 5. *cum Peyrino de Subd. q.* 1. *c.* 13. *Vers. Nota S. Marin. tom.* 1. *cap.* 287. *num.* 9. ait tortum, & non condemnatum non esse infamem infamia iuris, aut facti, vnde possit 12

promoueri

promoueri ad ordinem, & dignitates, quia textus præcitatus vniuerſaliter loquitur, quod carceratus, ad eruendam veritatem, non ſit infamis, niſi ſequatur condemnatio. In S. Officio volunt aliqui ea ſola carceratione oriri infamiam, *tum Cæſare de Graſſis deciſ.* 184. *num.* 4. *Coſta de facti ſcientia, & ignor. inſpect.* 19. *num.* 9. *quos pro ſe citat Carena part.* 2. *tit.* 6. *num.* 62. *& ſequitur. Genueñſ. cap.* 27. *initio.* Confirmatur noſtra reſponſio ex Decreto S. Congreg. quæ regularibus pœnitentiatis ex condemnatione, extra ſalutares pœnitentias, prohibuit promotionem ad gradus, & officia, non autem ex ſola carceratione, aut tortura, ergo ante condemnationem non ſunt infames.

Quæres 7. An detur appellatio à carceratione?

13 ℞. Negatiuè, quia non datur appellatio à iudicio via cœpto. *Ita Clarus qu.* 46. *§. Sed quid, Guidopapa dec.* 235. *Carena par.* 3, *tit.* 5. *num.* 31. *de Bilis qu.* 79. *num.* 14. Vtique à carceratione in pœnam. *Melſius cap.* 4. *de pœnis §.* 7. *fol.* 176. Vide *cap* 89. *quæſtion.* 49.

Quæres 8 An ſit iuſta carceratio diebus feriatis?

14 ℞. Quolibet die ſi neceſſitas vrgeat, reus carcerari poteſt, quia id non opus ſeruile, ſed executionum iuſti mandati iudicis. Nec obſtat, quod *in l. Nemo* 3. *C. de Epiſcopi audient.* dicatur, quod carcerati relaxentur circa feſtum Paſcharis, quia id intelligitur, ſi eorum cauſæ ſunt expeditæ. Imò pro veritate eruenda rei torquentur etiam in diebus Paſchalibus, *ex eodem tex. vbi Barboſ. num.* 11. *ex Tiraq. de pœnis temper. cauſa* 49. *num.* 27. A fortiori eiſdem diebus poſſunt carcerari.

Quæres 9. An Birruarij debeant oſtendere mandatum carcerationis?

15 ℞. Affirmatiuè, quia cum de ſe non poſſint, illud exhibere debent, vt captus ſciat adeſſe commiſſionem capiendi, *ex l. Prohibitum C. de iure fisc. Farinac. quæſt.* 32. *num.* 31. *Carena part.* 3. *tit.* 2. *n.* 33.

Quæres 10. An iniuſta carceratio Eccleſiaſtici inducat excommunicationem?

16 ℞. Affirmatiuè, quia tunc eſt iniectio violenta manuum in clericum ſuadente diabolo, ex quo iniuſtum eſt carcerationis mandatum, nam in cap. Vt famæ 35. de ſent. excom. dicitur, quod Prælatus poteſt per miniſtros laicos carcerare clericum incorrigibilem, ex quo ſupponitur iuſta carceratio in ordine ad punitionem, & non aliter. Ita *alijs citatis de Angelis cap.* 13. *num.* 4. *de S. Iuliano cap.* 8. *Aduerſ.* 3. *num.* 4. Plures citat *Melſius cap.* 4. *quæſt.* 6. *fol.* 175. *in cap. Nuper* 29. *eod.* ſermo eſt de laicis, qui ſunt excõmunicati detinentes in cuſtodia etiam ſine læſione clericos, & ideo non eſt contra ſuperiores Eccleſiaſticos carcerantes ſuos ſubditos iniuſtè; contra quos magis facit præcedens cap. Vt famæ, quando iniquè carcerant ſuos ſubditos, & à fortiori Religioſos in caſibus exemptis.

Quæres 11. An ius carcerandi ſit apud regulares?

17 ℞. Affirmatiuè, *ex cap. Abbates* 16. 18. *quæſt.* 2. *ex Decretis de eiectis, & fugit. Peyrin. in* Formul. *lit. C. cap.* 4. *num.* 2. Aldrete lib. 1. de Diſcipl. *religioſ. cap.* 10. *num.* 1. *&* 2. *Petrus Belaſius Fetulanus in ſuo Promptuario,* 11. *Carcer num.* 1. *de S. Iuliano cap.* 8. *Aduerſ.* 5. *num.* 5. Carceratio autem regulariter ſpectat ad eos ſuperiores, qui poſſunt proceſſare, nam vt ſupradixi ſub qo. 1. & 2. quis carcerari non poteſt, niſi iudici capturam committenti prius conſtet ad minus ſemiplene de delicto carcerandi, in actis proceſſus, vnde qui poſſunt proceſſare poſſunt etiam carcerare. Quare apud Minores, & etiam apud nos ius habet carcerandi ſolum Generalis, & Prouincialis, & eorum Viſitatores, non autem Superiores locales, niſi in notoriis, & cum timetur fuga in grauioribus delictis notis in Monaſterio. *Melſ. de pœnis cap.* 4. *qu.* 4. Quandoque inueniuntur aliqui Religioſi contumaces, & formaliter inobedientes coram aliis, reſiſtentes in faciem ſui ſuperioris, qui illis licitè præcipit aliquid, tunc in hoc caſu ſuperior localis debet huiuſmodi Religioſum contemptorem obedientiæ carcerare, ſic reprimendo eius petulantiam. Item recuſans ſubire pœnam ſtatutam pro delicto notorio, de quo conſtat. Refert hos duos caſus Melſius ibidem cum nonnullis circunſtantiis ad carcerandum neceſſariis, quas omitto, quia ſunt ſpeciales illius ordinis.

Quæres 12. Quænam ſunt delicta, propter quæ quis carcerari poteſt?

℞. Sunt omnia illa, ſuper quæ proceſſus formari 18 poteſt, & poniri pœna corporali; vt delicta carnis, homicidiũ, vulneratio, grauis verberatio, ſimonia, ſubornatio in electiuoibus, furtiua egreſſio è Monaſterio de nocte, frequens iteratio furti etiam leuis, furtum notabile, vt lampadis argenteæ, frumenti è granario, venenatio, libelli famoſi editio, formalis contumacia inobedientiæ &c. aliqua ex dictis refert præfatus. *Melſ. ſub eod. qu. §. Dices* 2. *fol.* 109

Quæres 13. An Religioſus carcerandus ſit cum ſuo habitu religioſo?

℞. Vtique ſiue ad cuſtodiam, ſiue ad pœnam, 19 quia cum non deſinat eſſe Religioſus, nec ceſſat obligatio deferendi habitum, vix enim damnati ad triremes exuuntur habitu regulari, ne illius delatio cedat in opprobrium ordinis, vnde Rodriq. *tom.* 1. *qu.* 30. *art.* 27. *Sayr. lib.* 6. *Clauis cap.* 9. *num.* 28. *Sanch. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 55. aſſerunt Religioſum damnatum ad triremes, & habitu non exutum à iudice, non poſſe propria actione illum deponere ſine incurſu excommunicationis, quos refert, & impugnat *Donatus part ſecund. tractat. nono, quæſtion.* 8. Itaque ad remum damnati, & non ſpoliati à iudice, habitum dimittere poſſunt ſine peccato, imo debent ad conſeruandum honorem ſuæ Religionis, quantum fieri poteſt. Carceratus autem hoc motiuum non habet, ideo retinere debet ſuum habitum de iure. Bonum tamen eſt auferre illi zonam, ſeu cordam, vel coltellum, & ſimilia in caſu quo dubitaretur de eius deſperatione, ne vt alter Iudas laqueo ſe ſuſpendat.

Quæres 14. An liceat carcerato fugere?

℞. Iniuſtè carcerato licet fugere, non vero, qui 20 iuſtè fuit carceratus ſiue ad cuſtodiam, ſiue ad pœnam, licet dubitet de morte ſibi imminente. Primum ſatis patet, quia cuique licet redimere propriam vexationem, & in hoc omnes conueniunt. Secundum probatur, quia condemnatus iuſtè pœnam ſubire tenetur; ſed pœna eſt manſio in carcere; ergo ſi punitus fugere non poteſt, dum ſubire tenetur pœnam. Dixi cap. 54. q. 17. Vide Melſium, qui cap. 4. de pœnis q. 11. rem hanc latè explicat, & impugnat Aduerſariorum obiectiones dicentium *Primo*, quod damnatus non tenetur manere in carcere, quia ſic manendo eſt cauſa mediata ſuæ mortis; quod tamen verum non eſt, quia ex quo tenetur ſubire iuſtam pœnam, fugere non poteſt, aliter ad pœnam non teneretur, ex neceſſaria igitur conſequentia ſubeundi pœnam, ſequitur eum fugere non poſſe; nec peccatum eſt illo modo cooperari ad ſuam mortem; quia ſe habet negatiuè, imò ſecundum exempla ſanctorum Martyrum, qui patiebantur occidi non reſiſtentes, patet huiuſmodi patientiam, & non reſiſtentiam eſſe actum licitum, & non peccaminoſum. Dicunt *Secundo*, non teneri redire ad carcerem etiam ſi iuraſſet, quia aliter eſſet ſui homicida. Id verum non eſt, quia redire in carcerem ordinatur ad obſeruantiã iuramenti, & ad executionem pœnæ legitimæ impoſitæ, quã fugere non poteſt, licet non teneatur cooperari illi proximè, quamuis remotè id facere poſſit ex reditu in carcerẽ, ne reſiſtat pœnæ, quã ſubire tenetur; ait enim *Sotus lib.* 5. *de iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 4. *Tolet. lib.* 5. *c.* 6. *n.* 4. *Leſſius lib.* 2. *c.* 9. *n.* 27. quod homo

potest omittere actiones necessarias ad vitam, exempli gratia, exponendo vitam pro amico, in tempestate relinquere tabulam proximo ad euitandum naufragium; non occidere inuasorem, in fame panem dare patri, damnatus vt fame pereat cibum recusare potest, quis inseruire potest peste infectis cum proprio periculo. Si hæc licens cum euidenti periculo mortis quare non tenebitur reus redire ad carcerem? *Tertio* nec probabile est, quod ille peccat mortaliter, qui non fugit, cum potest, quia illi inde sequitur mors. Nam certum est, quod S. Martyres non peccabant non fugiendo, sed merebantur patientes mortem, consequenter nec peccabit condemnatus ad mortē, redeundo ad carcerem, vt subeat hanc pœnā sibi debitam propter eius scelera, cohonestatur ergo reditus in carcerem, & sic non peccat. Ita ille.

Quæres 15. An hospes carcerari possit, si delinquat vbi reperitur? verbi gratia. Religiosus Prouinciæ Mediolani in Prouincia Bononiensi vulnerauit alterum Religiosum, numquid carceratur à superiore, vbi delictum fuit commissum?

21 ℞. Affirmatiuè, quia ratione delicti factus est subditus huius superioris, *ex cap. fin. de foro compet. l. 1. & in Authent. Qua in prouincia, C. Vbi de crimine agat.* Ita omnes supet citatis iuribus, in terminis *Melfius cap. 4. de pœnis quæstion. 12. fol* 204. Vbi Doctores citat, & quod id est expressum in sua religione. Responsio autem procedit etiam respectu earum Religionum, in quibus de hac re nihil cautum est, quia ius commune vniuersaliter loquitur, quod quis ratione delicti sortitur forum in loco, vbi delinquit, id enim expedit bono publico, vt seruetur pax ab omnibus vbique, & sic in territorio etiam alieno.

Quæres 16. An fugitiuus hospes extra iudicio repeti possit à sua Prouincia, ad quam fugit, ne puniatur ab eo superiore, cui erat factus subditus ratione delicti?

22 ℞. Non oportet illum repetere, sed admonendus est superior maior, vt ipse prouideat, committendo superiori domicilij, seu Prouinciæ, vt delinquentem puniat. Ita videtur sensire *Melfius cap. 4. quæst. 12. fol.* 205. Apud seculares iudices aliqui tenent esse remittendum ex vrbanitate, alij vero ex necessitate, hoc secundum tenet *glos. in Clem. Pastoralis, de re iudic. Oldrad. in l. cunctos populos, cum aliis.* Primum docet *Bartol. in l. Si cui §. Cum sacrilegium ff. de accusat. Bald. vol. 5. cons.* 313. *& ambo in l. cunctos populos. C. de summa Trinit.* Itaque in religionibus expeditius procurare punitionem in loco; vbi fugitiuus reperitur.

Quæres 17. An aduena puniendus sit iuxta statutum vigens in loco delicti, an iuxta statutum obligans in propria Prouincia?

23 ℞. Puniendus est iuxta statutum loci, vbi exercetur iudicium, quia vnusquisque iudex debet iudicare secundum suas leges, & statuta, quæ seruare debet, & non extranea. Ita *Alesum in cap. Perniciosa de Offic. ordin. n. 67. Clarus qu. 85 Vers. Tertius Casus, ex illis Melfius cap. 4. de Pœnis quæstio tert. fol.* 208.

Quæres 18. An hospes condemnatus in priuationem officij, debeat executionem pati in suam Prouinciam dimissus à superiore criminis, an à superiore domicilij.

24 ℞. Priuatio exequenda est à superiore Prouinciæ, non à iudice criminis, quia iudex extra suam Prouinciam nihil potest, vt notum est, ergo executio sententiæ facienda est à proprio superiore Prouinciæ. Ita *cap. Postulasti* 14. *de foro compet. Barb. ibid. n. 1. & 9. Melfius cit. quæst. 4. fol.* 206.

Quæres 19. A quo iudice sit puniendus delinquens in confinio duarum Prouinciarum?

25 ℞ Datur locus præuentioni, de communi *Bart. de iurisd. omn. iud. num. 14. Socin. in cap. Postulasti, cum aliis Melfius ad finem cap. 4. de pœnis Barbos. in dictum cap. num.* 6.

Quæres 20. An delictum inchoatum in vno loco & finitum in alio possit vtrobique puniri?

℞. Datur locus præuentioni, quia vterque dici- 26
tur in loca delicti, cum factum tam initio, quam in
fine sortiat rationem delicti, ac proinde vterque
punire potest, cum vtrique fiat iniuria. Vide *Farinac. quæstion. 7. à numero* 45.

Quær. 21. An retentio in carcere minuat pœnam?

Respond. Affirmatiuè, quia esto carcer sit ad cu- 27
stodiam, tamen in se habet rationem pœnæ, cum
dicatur mala mansio *l. omnes C. de pœnis, vbi Legista cum Vinc. de Franch. part. 2. decis. 317. num. 4. Gratian. Defens. 1. c. 2. n.* 18. Cedit ergo carcer in diminutionem pœnæ, si propter delictum, super quo punitur, fuit carceratus, & non ex alia causa.

Quæres 22. An iussus Religiosus, vt carcerem ingrediatur, possit resistere, petendo causam suæ carcerationis?

℞. Iniustè carcerationi resistere potest, non au- 28
tem iustæ, quamuis superior interrogatus non red-
dat rationem, de qua sibi legitimè constat. Primum
de se patet, quia quilibet se defendere potest ab ini-
qua inuasione, qualis est captura iniusta. Secundum
probatur, quia posito vno ex duobus iudex ius habet
carcerandi reum, ergo non tenetur reddere illi ra-
tionem cur carcerandus sit, quia captum non justi-
ficatur per redditionem rationis, sed ex illis duobus,
quorum vnum est semiplena probatio delicti ex qu.
2. alterum est probatio præsumpta imminentis fugæ
ex qu. 1. & hæc facilè præsumitur, cum fuga fiat 29
ab homine, vt se ipsum conseruet liberum, vnde
naturalis libertas satis facit præsumere fugam, ad
euitandum carcerem, quæ homini libertatem valdè
diminuit. Et licet Ecclesiasticus non ita facile sit car-
cerandus, sicut laicus, ex adductis *à Farinac. qu.* 27. 30
num. 72. & 74. cum eo Possent. singul. 132. quia Ec-
clesiastici sunt in Ecclesia Dei, vt candelæ super
candelabrum, vt aliis luceant, *de Grassis in prælud.
de effect. cler. num.* 11. ex quo extingui, nec obtene- 31
brari debent per carcerationem; nihilominus posito
vno ex illis duobus bene carcerantur, quia ex suis
malis actibus candelam suæ dignitatis extinxerunt.
Nec Peyrin. de subst. q. 1. cap. 13. vers. Dico pri-
mo, audiendus est, dum ait, quod subditus non te-
netur obedire Prælato præcipienti, vt carceratum se
præbeat, non assignata causa talis carcerationis, quia
in executione potestatis suæ non dependet à subdicto,
cui necessitas est ad obediendum! Et esto ex sua be-
nignitate responderet causam carcerationis, adhuc
resisteret reus negando delictum, & esset talis res-
ponsio occasio dissentionis inter superiorem, & sub-
ditum. Suam conclusionem conatur multis probare,
sed non faciunt ad rem in terminis nostris, demum
non videtur à prædictis dissentire, dum in fine dicti
capitis, ait, probato delicto per vnum testem omni
exceptione maiorem, carcerari posse; ad quid red-
dere rationem carcerationis? Nunquid libentius in-
trabit? Nequaquam, sed cum superiore contendet.
Adde, demus casum, quod superior interrogatus su-
per carceratione reddat rationem, & reus acquiescat
ea audita, & ingrediatur carcerem, nonne videtur
fateri suum delictum? Videtur. Nemo tamen repe-
ritur, qui hoc prætextu ingrediatur.

Quæres 23. An reus capi possit extra proprium territorium?

℞. Nullus iudex potest extra proprium territorium 32
mandare carcerationem sui subditi, siue deliquerit in
proprio, siue in alieno territorio. Ratio est, quia iuris-
dictio contentiosa cohæret loco & personis, *Cart. iun.
cons. 41. n 9. Paris. vol. 4. cons. 16. n. 21. Papon. cons. 5.
num. 37. Bald. in l. fin. C. vbi, & apud quos.* Vn-
de ius dicenti extra territorium impunè paretur,

cap.

cap. 2. de constitut. in 6. cap. Statutum 11. *§. enim vero, de rescript.* quod iurisdictio contentiosa exer- 34 ceri non potest extra proprium territorium. Est autem certum, quod mandatum capturæ est actus iurisdictionis, ac proinde exerceri non potest extra territorium.

35 Nunquid delinquens euadet pœnam, dum non potest capi in alieno territorio? Nequaquam; sed tunc iudex petit sibi remitti reum à Domino loci, vbi reperitur. De qua re latè agit *Pegna. com.* 32. *part.* 3. *Vers. Si venturus est fol. mihi* 463. vbi agit de Inquisitore petente reum ab alio Inquisitore, vel Domino, in quorum territorio reperitur reus, requisiti enim tenentur tradere illum, cum Inquisitores sint delegati à Sede Apostolica, quibus de necessitate parendum est in hoc casu remissionis; non possunt tamen propria auctoritate mandare, vt reus capiatur extra proprium territorium, quia quilibet Inquisitor habet proprium territorium, ne alienum perturbet, & suo satisfacit officio, petendo, vt sibi proprius remittatur reus. Nec ratio, quam ex Scaccia, Simancha, & Diana adducit *Carena part.* 4. 36 *tract.* 8. *resol.* 7. quod scilicet omnes subsunt eidem Pontifici, qui totum orbem habet pro territorio, prædicta probat pro illis, quia delegatus Principis suam iurisdictionem non extendit vltra locum sibi 37 designatum. Nec facit alia ratio respectu hæresis, quod scilicet hæreticus vbique offendit diuinam maiestatem, & vbique non credit, siquidem & alia peccata vbicunque committuntur sunt vbique offensa Dei, & vbique homicidium tollit animam proximo; ergo nec in his esset opus remissionis rei, quod tamen est falsum, est enim regulare, quod omnis delinquens remittitur ad suum iudicem, si petatur, vt ab eo iudicetur. Quod si hæreticus pluribus in locis hæreses terminauerit, datur locus præuentioni, vel remittendus est ad iudicem domicilij, vbi prius deliquit.

38 Loquendo de Religiosis eo magis hoc idem seruandum est, vt Religiosus reus remittatur à superiore ad suum iudicem, in cuius conuentu, seu districtu deliquit, cum in ordine ad capiendum minorem habeat iurisdictionem, non habet siquidem familiam armatam, sed aliena vtitur, quæ extra proprium territorium nihil potest.

Quær. 24. An Religiosus reus gaudeat immunitate confugiendi ad Ecclesiam, & alia loca pia?

39 ℞. Gaudet non in propria Ecclesia, & domo, sed in extraneis, ratio primi est, quia alias ferè nunquam carcerari posset, quia solet in propriis continuo permanere, & cum proprium Monasterium habeat rationem corporis, censetur esse in carcere. ergo non gaudet immunitate, sed sicut censetur carceratus ex fictione iuris, ita reuera formaliter carcerari potest. Secundum probatur, quia Religiosus, sicut & clericus non debet esse deterioris conditionis laicis, qui gaudent; imo Ecclesiastici tanquam ministri, & speciales serui Ecclesiarum debent illarum immunitate gaudere, si non in propriis, saltem in extraneis, vt eorum seruitus spiritualis recognoscatur, qui enim altari seruit, de altari viuere debet vita immunitatis, ne offendatur. Ita *Diana part. 5. tract. 1. resol.* 25. Vnde apostatæ gaudent immunitate Ecclesiarum aliorum ordinum. *Peyrin. de Prælato q. 3. cap. 4. num.* 8. *Italia lib. 1. cap. 3. §. 1. n. 17. Lezana* 11. *Immunitas num.* 40 17. Dixi *in extraneis*, quia si confugiat ad alium conuentum, seu Ecclesiam eiusdem ordinis, non est tutus, quia superior hospitem carcerare potest ad effectum remittendi illum ad suum superiorem, qui eum condigna pœna puniat.

41 Dices in Bulla Gregoriana fit mentio solum de laicis, qui gaudent immunitate, ergo illa non facit pro Ecclesiasticis clericis, & religiosis.

42 ℞. Cum Bulla Gregoriana intendat tollere abusus à iudicibus secularibus, qui passim, & perperam propria auctoritate extrahebant reos ab Ecclesiis, & aliis locis priuilegiatis, mirum non est, si loquitur solum de laicis, non autem de clericis, respectu quorum abusus non irrepserant, ex quo ius non habent contra Ecclesiasticos reos, consequenter ex sola expressione laicorum non excluduntur Ecclesiastici ab immunitate Ecclesiæ, aliunde enim habent priuilegium, vt non extrahantur, cum nec Bulla ipsa concedat immunitatem, sed tantum det formam, & modum, quo extrahendi sint confugientes ad Ecclesiam, & in quibus casibus possint extrahi.

Iure autem communi omnes personæ, siue lai- 43 cæ, siue Ecclesiasticæ gaudent immunitate, vt non possint extrahi extra casus exceptos, vt videri potest *in cap. Reum 9. cap. Nullus 19. cap. Definiuit 35. cap. id constituimus* 36. 17. *quæst.* 4. *cap. inter alia 6. de immun.* Loquuntur enim per terminos generales reorum nempe, & confugientium ad Ecclesiam, quibus nominibus comprehenduntur non minus Ecclesiastici, quam laici, cum tam Ecclesiastici, quam laici possint esse rei, ac proinde vti tales confugere ad Ecclesiam, & alia loca pia, in quibus specialiter exercetur cultus Dei.

Barbosa ad cap. præcitatum 6. de immunitate 44 quæstionem hanc exagitat, à num. 14. referens pro negatiua contra Ecclesiasticos 25. Doctores. & pro affirmatiua probabiliore, & veriore viginti octo.

CAPVT LXVII.

De Interrogatione Reorum.

EXpedito processu informatiuo, si quid proba- 1 tum est contra querelatum, citandus est vel verbaliter, vel realiter, hoc est carcerandus; & cum iudicis prudentis caritate fulgentis sit quam citius fieri potest examinare reos, vt iustitia singulis ministretur, eius partes erunt vocare ad se reum, & eum ante se constitutum examinare, & interrogare, ad cuius notitiam, & cognitionem proponam sequentes quæstiones resoluendas.

Quæres 1. An Iudex reo ante se constituto manifestare debeat, se fuisse de tali delicto querelatum, & constare, se illud commisisse, ad hoc vt sciat se legitimè interrogari, ac proinde teneri respondere?

Respond. Affirmatiuè, id enim ratio dictat, vt 2 sciat se teneri respondere, & in hoc iudici credere tenetur, dum aliud sibi certo non constat. Ita *Colligit ex D. Thoma 2. 2. quæstion. sexagesima-nona art. secundo in corpore, Pitigianus de tert. substit. capite secundo initio, fol. 162. Nauar. in Rubr. de Iudic. numero 52. & sequentibus. Peyrin. lit. R. capite nono, numero sexto*, vbi alios citat, *Miranda quæst. 19. articul.* 13.

Quæres 2. An à reo iuramentum de veritate dicenda exigendum sit?

℞. Affirmatiuè, & videtur supponi in Clem. 3 Sæpè, de verb. signif. ibi: *A præstatione iuramenti de calumnia, vel malitia, siue de veritate dicenda.* Priora enim verba referuntur ad querelantem, & testes, postrema etiam ad reum, cui defertur iuramentum ad veritatem dicendam. Ita *Bart. in l. Marcellus, C. de reorum amot.* quam communiter ferè omnes sequuntur, paucis exceptis, *Guazin. Defens. 20. cap. 1. de Bictis, qu. 80. num. 3. Pitigian. in 3. subst. cap. 2. quæst. 2. fol. 166. Miranda quæst. 19. num. 49. Peyrin. lit. R. cap. 9. num. 12. de Lugo, disputat. 40. numero* 13. Nec obstat, quod nemo tenetur reuelare suam turpitudinem, id enim verum est, quando omnino illa est occulta, tunc enim

nullus tenetur se prodere, quia adhuc retinet ius ad illam.

Quæres 3. An reus teneatur credere iudici asserenti se iuridice interrogare?

4 R. Affirmatiuè, quia nullus officialis præsumitur errare in suo officio, vt dixi cap. 50. num. 9. nisi probetur apertè contrarium, & si Iudex sit inimicus, vel à parte corruptus. Vel ipse reus reuera sit innocens, in his enim casibus non tenetur credere, dum contrarium probat; neque proinde respondere iuxta illius mentem, sed æquiuocare debet, vt effugiat iniquam iudicis interrogationem, retinet enim ius occultandi suam turpitudinem, dum legitimè non interrogatur.

Quæres 4. An reus negans veritatem tanquam falsus, & periurus sit puniendus? Constat autem eum esse periurum, quando conuictus fuit de delicto per legitimos testes.

5 Respond. Negatiuè ex l. 5. C. de reb. cred. vbi solum Deum habet pro vltore. Ita communior opinio cum *Guazin. Defens.* 20 *cap.* 3. *Peyr. lit. R. cap.* 9. *num.* 12. *vbi ex Claro quæstion.* 45. *num.* 9. refert rationem, ne ex hoc timore moueatur ad occultandam veritatem, sed reuera non ex hoc, sed ex timore imminentis pœnæ negat delictum illud sic occultando, vt pœnam euitet, si possit.

Quæres 5. Quandonam iudex dicatur iuridice reum interrogare?

6 Respond. Quando delictum fuit semiplenè probatum, quod contingit duobus modis. *Primo*, cum delictum est probatum per vnicum testem ocularem, vel auricularem nullam patientem exceptionem præter querelantem infra quæstion. 12. *Secundo* quando de illo constat per aliquod indicium proximum, & indubitatum, vt dixi præced. cap. num. 7. Ita *Diaz. cap.* 128. *num.* 4. *Nauar. cap.* 25. *num.* 36. *& de iudic. num.* 56. *Soto lib.* 5. *de iust. quæstion.* 7. *art.* 1. *Sayr. in Claui lib.* 12. *cap.* 16. *num.* 5. *quos pro se citat de Bellis, quæst.* 80. *num.* 54. *Peyrin. lit. R. cap.* 9. *num.* 6. *de Lugo disp.* 40. *num.* 11. & alij omnes, *de Bellis, quæstion.* 59. *numero decimo, & decimo-quarto.*

Quæres 6. An in notificando reo, se esse conuictum, vel de delicto sufficienter constare in ordine ad interrogationem, debeat iudex dare illi copiam processus, vel saltem legere illi depositiones testium?

7 Respond. Ad neutrum teneri, sed sufficere, quod dixi sub primo quæsito, nimirum, iudicem solum debere in actu, vt ita dicam, signato, notificare reo, delictum tale esse contra ipsum sufficienter probatum ad eum effectum, vt teneatur respondere ad interrogata. Ratio est, quia iuris præsumptio stat pro iudice, cui credendum est, dum illi nihil obijci potest, cum non sit illi inimicus, nec corruptus à contraria parte, vt dixi supra. Ita plerique cum *Follerio cap.* 11. *num.* 8. *Rub. Quod si comparuerit. Claro quæst.* 45. *numero* 8. *quos contra se citat Sanch. lib.* 6 *consil. cap.* 3. *num.* 32. *de Lugo disp.* 40. *num.* 7. qui cum eodem Sanchez, *& Diana part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 91. *de Sancto Iuliano cap.* 6. dicunt, dandam esse copiam processus reo, vel legendas esse illi depositiones testium, aliter non dicitur legitimè interrogari.

8 Probant primo, quia subditus non tenetur obedire superiori in sui præiudicium, nisi prius sibi constet præceptum non esse iniquum, id autem ei constare non potest, nisi habeat copiam processus. *Secundo*, nemo tenetur dimittere propria bona, famam, aut vitam donec illi constet de iure illius, qui petit; vnde reus iudici non tenetur dimittere suam famam, seu vitam, nisi prius illi constet de iure, quod iudex habet contra illum. Sed hæc non obstant, facili enim negotio vtrique argumento respondetur, aliquid constare posse vel formaliter per relationem ad verbum eius, quod testes dixerunt, vel per expressionem factam in genere à iudice, quod scilicet delictum est sufficienter probatum in ordine ad examen; hoc posterius sufficit, vt ait Spathar. tract. cap. 10. num. 5. & ex ipso supradictus Peyrin. in fine dicti numeri.

Quæres 7. Quando reus dubitat, an legitimè interrogetur, debetne tunc respondere ad mentem iudicis, vel æquiuocare, si cogatur respondere?

Respond. Quæstio hæc supponit, reum habere 9
causam dubitationis, quæ tamen ab eo haberi non potest, dum non vidit processum informatiuum, nec aliquam notitiam habet de eo nisi in genere, in quantum illi iudex narrat, se habere ius ad interrogandum illum, ergo ex hoc præsumere non possit contra iudicem, prudenter, neque legitimè contra ipsum dubitare potest, sed tenetur respondere ad mentem illius, iuxta superius dicta, non potest ergo æquiuocare.

Quæres 8. Quomodo reus sit examinandus? in carcere? an extra, ligatus, an solutus, & liber?

Respond. E carcere deducendus est coram iudice, 10
non ligatus, sed solutus, coram eo constitutus examinandus est, nisi aliter suadeat enormitas delicti, & conditio personæ; *Primum* constat ex eo, quod in carcere examinatus non videtur esse in sua potestate, & mente quietus ad respondendum veritatem, nec decens est, vt iudex intret carcerem, cum inferior debeat accedere ad superiorem, non è contra. *Secundum* patet, quia si adest periculum fugiendi, cantè custodiendus est, ne fugiat, & tunc ligatus legitimè interrogatur. Quod debeat esse solutus docent *Afflictus lib.* 2. *constit. num.* 50. *Foller. fiat contestatio litis num.* 1. *& 3. cum alijs Guazin. Defens.* 20. *cap.* 5. *num.* 1. vbi quod personæ qualificatæ sedent in loco inferiori coram iudice, dum interrogantur. Religiosi autem rei etiam Sacerdotes stant coram iudice, vt hac subjectione erubescant, & cognoscant suum statum humilitatis, & abiectionis, licet sint superiores, quia hi maioris ruboris sunt digni aliis.

Quæres 9. An reus non obstante, quod sit conuictus, adhuc sit interrogandus, an vero immediatè condemnandus sine alia interrogatione?

Respond. Citandus omnino est, & interrogan- 11
dus super delicto, cum clausula: *Absque præiudicio conuictorum*, &c. quia nullus inauditus condemnari debet, siue sit conuictus, siue non, alias priuatur suis defensionibus contra ius naturæ; & præterea in eius causa lis non contestaretur; neque reus diceretur constitutus. Ita *Caual. apud Guazin. Defens.* 20. *cap.* 7. *num.* 9.

Quæres 10. Quid sit reum constitui, & poni inter reos?

Respond. Reus si sit præsens, tunc dicitur consti- 12
tui, & poni in numero reorum, cum interrogatus à iudice respondet, tunc enim ab eo lis contestatur respondendo, & incipit esse reus; & vocatur constitutus, quia examen ab hac dictione, *Constitutus*, incipit, vt dicit Guazin. Defens. 20. cap. 4. Nomen igitur querelati tunc dicitur poni inter reos, cum primo interrogatus, Clarus quæstion. 14. §. Sed hic, ex illo de Bellis quæstion. 78. ante. Si vero querelatus sit absens, tunc dicitur acquirere nomen Rei, cum citatus non comparet factus contumax in primo termino. Quod si querelatus opponat exceptiones contra iudicem tanquam suspectum, adhuc connumeratur inter reos, si iudex contra eum procedat, ex dictis ibidem.

Quæres 11. An reus in aliquo casu possit occultare veritatem iudici licet iuridice interroganti? Dico *iuridice*, quia si non legitimè interrogat, omnes conueniunt, reum non teneri respondere, & si cogat respondere, poterit reus æquiuocare.

Respond.

13 Respond. Reus secundum vnam opinionem, cuius delictum est tantum semiplene probatum, & vlterius probari non potest, nisi per eius confessionem, si sperat euadere pœnam sustinendo tormenta, potest veritatem occultare in delictis grauioribus, mortis, mutilationis, triremium, perpetui carceris, & confiscationis bonorum, æquiuocando ad euitandum periurium. Cum his circumstantiis licet secundum hanc opinionem occultare delictum, aliter non; ideo videat reus, an possit sustinere tormenta, quod tamen via est credibile; maximè cum sunt grauiora, & præter torturam ordinariam, vt plurimum enim rei succumbunt, & à tormentis tandem vincuntur, & sic animam, & corpus perdunt, seu vlterius affligunt irremissibiliter, & ideo pro salute animæ satius est fateri delictum, quam perdere animam, & corpus. Opinio igitur hæc quamuis probabilis habens multos sequaces, magis specularius est, quam practica, rarissimè enim suum producit effectum; vnde opposita tutissima sequenda est. Vtriusque auctores refert *Diana part. 2. tract. 15. resol. 27. ex eo de Bictis question 81. num. quarto, & vigesimo-secundo.* & sequuntur illam tanquam plausibiliorem, sed non tutiorem, quam etiam sequitur *de Sancto Iuliano capit. sexto, Aduers. sert. §. secund.* aliis pluribus relatis, eam vocans probabilissimam, sed in hoc aberrat, quia ea supradictis circunstantiis patet eam esse valde fragilem, & magis munitur auctoritate, quam ratione.

14 Refero eorum argumenta, & diluo. *Primum.* Natura inditum est omnibus hominibus se defendere, vnde leges permittunt occidere inuasorem seruato moderamine inculpatæ tutelæ. *Secundum.* Nemo cogitur testificari contra consanguineos, l: 4. ff. de testibus. Nemo est alicui sanguine magis coniunctus, quam sibi ipsi. *Tertium*, lex humana, non obligat cum periculo mortis, nisi magnitudo negotij id postulet, ergo non obligat præceptum humanum.

15 Respondeo ad primum, quamuis quilibet naturaliter se tueri possit, non tamen obligatur, sed illi sufficit, quod positiuè non operetur ad sui destructionem, vt probaui capite sexagesimo-sexto; numero vigesimo; Imo ex aliquo bono fine pro amico, vel alio vitam propriam exponere potest, quare cum homo non habeat debitum conseruandi vitam suam in his, nec habet obligationem se defendendi à iudice, qui iustè interrogat, vnde cogitur illi aperire veritatem, etiam cum periculo certo propriæ vitæ, cuius tunc non habet dominium, quod amisit propter sua scelera. Nec ad rem facit, quod leges permittant mortem inuadentis, quia inuasus cum innocens sit, potest licitè occidere inuasorem iniquum; in casu autem nostro reus non est innocens, sed nocens, & iudex iniquus non est, cum punire intendat malefactorem.

16 Ad secundum, consanguinei in causa Sancti Officij, & in coniurationibus coguntur testificari, ergo & quis cogitur fateri proprium delictum. Præterea quis cum graui suo damno non tenetur testificari; tenetur vero reus veritatem fateri, quia confessio ex natura rei semper est præiudicialis reo, ergo aut semper & in quocunque casu tenetur fateri veritatem, aut nunquam, dum confessio in vtroque casu est præiudicialis, posterius est absurdum, ergo iustè interrogatus in quocunque casu tenetur dicere veritatem; Testis vero quandocunque sibi non præiudicat notabiliter.

17 Ad tertium, quamuis lex humana non obliget ad sui obseruationem cum euidenti periculo mortis, & multo minus præceptum humanum, tamen reus legitimè interrogatus habet obligationem, semper respondendi veritatem ad mentem iudicis, quia hæc obligatio dicendi veritatem à nullo dependet periculo, sed à præcepto naturali de non mentiendo in iudicio; vnde reus veritatem dicendo, non se exponit periculo mortis, sed mortem incurrit vti pœnam, non periculum, consequentem ad condemnationem, ac proinde mors est effectus condemnationis, non confessionis, quæ est perfecta probatio delicti, ad quod sequitur pœna, posita sententia, & idem argumentum non facit ad rem.

Quæres 18. An reus dicatur legitimè interrogatus ex depositione facta à solo denuntiatore alias idoneo, & omni exceptione maiore?

Respond. Negatiuè, quia vti querelans habet interesse in causa, ideo cum patiatur hanc exceptionem, non potest dici maior, ne per hoc iudex acquirit ius interrogandi. Doctores citaui capite 84. quæst. 4. num. 6. 18

CAPVT LXVIII.

De Suggestiuis Interrogationibus.

INterrogatio suggestiua est illa, quæ modo indebito fit reo, aut testi ad captandam malitiosè eius responsionem, vnde cum sit illicita prohibetur à l. 1. §. Qui quæstionem ff. de quæstionibus, vbi glos. 11. Suggerentis, & depositio testis, & confessio rei ex sug gestione facta nullius sunt momenti, siue fuerit in tortura, siue extra torturam. Ita omnes allegati *a Farinac. question. 83. numero 84. de Bictis; question. 80. numero sexto.* Ita quod testificatio, & confessio suggestiuè captata nulli noceat, non confitenti, licet fuerit ratificata, quia quod nullum est, nullum potest producere effectum, nec ratificatur, quod non est. Ita *Carer. in secund. tract. de Indic. & tortura §. In tex. ibi: Formidine tormentorum numero decimo-sexto, Farinac. question. 83. numero 94.* nec testi aut aliis, *ex eodem Carer. cit. Grammat. voto 34. Farinac. numero 95.* Per suggestionem ergo decipiunt testis, & reus, duo modis exquisitis ab illis verius explicatur, & quasi ad hominem inducuntur fateri, quod non putant se fuisse confessos. Id autem contingit multis modis. 1 2

Primo interrogatio censetur suggestiua, quando de delicto quidem constat, sed eius auctor omnino ignoratur, testis sic interrogatur. *Si Petrus occidit Paulum?* Nam in isto casu inquisitio est generalis; cui debet respondere interrogatio pariter generalis, similibus verbis! *Quis occidit Paulum?* iuxta dicta capite tertio, section. secunda, numero nono. Quod si aliqua particularis persona sit querelata, & indiciata, hoc est, eius delictum sit semiplene probatum, iuxta quod dixi capite 67. quæstion. quinta; tunc huiusmodi interrogatio non est suggestiua; dum constat sufficienter de querelato. Quamuis ferè omnes dicant, interrogationes esse inchoandas in genere: *Quis commiserit delictum?* paulatim descendendo ad particularia gradatim procedendo. *Farinac. question. septuagesima-nona, numero septuagesimo-nono & octogesimo, Guazin. Defens. decima-nona, capite vndecimo, de Bictis, question. 102. numero quarto.* Suggestiua quoque erit interrogatio facta nullis præcedentibus indiciis, cum horum defectu extante nondum via sit aperta iudici ad interrogandum. 3 4

Secundo, interrogatio est suggestiua, quando reus interrogatur de delictis, de quibus non fuit querelatus, nec de querelatis non semiplene probatis, 5

batis, tunc enim interrogatio est modo illicito facta, ac proinde suggestiua. Ita omnes *cum Farinac. quæstion. 37. num 169. de Bictis, numero vigesimo-quinto*, qui cum eodem Farinac. n. 167. & 171. & communiori sententia dicit, famosum latronem non solum interrogari posse sine suggestionis vitio de delictis furti indiciatis, sed etiam de aliis furtis, si quæ alia perpetrauit, dum reus est diffamatus, & malæ opinionis.

6 Tertio, interrogatio dicitur suggestiua, quando reus interrogatur de complicibus, & sociis, si nullum extet de illis indicium. *Farina. quæstion. quadragesima-tertia, numero tertio, de Bictis, quæstion. octogesima, numero* 30. Non est suggestiua interro-
7 gatio de socio. *Primo* si iudicium fiat contra latronem famosum, vt dixi, & alibi citatis, *Farinac. numero quadragesimo-quinto, de Bictis numero* 31. Interrogatur *Secundo* reus falsæ scripturæ ad fauorem cuius illam falsificauit; & similiter testis, à quo fuerit subornatus, *Farinac. quæstion. quadragesima-tertia, numero quadragesimo-nono, de Bictis quæstion. octogesima, numero* 33. Interrogatur *Tertio* homicida, qui nullam habuit causam occidendi, de mandante homicidium, *Farinac. quæstion. 37. numero 154. & 155. de Bictis, quæstion. octogesima, numero 33.* Interrogatur *Quarto* reus de sociis in criminibus exceptis, cuiusmodi sunt crimina læsæ vtriusque maiestatis, falsæ monetæ, latrocinij, assassinij, sacrilegij, maleficij, &c. *Farinac. quæstion. quadragesima tertia, numero quinquogesimo-octauo, ad sexagesimo septimo de Bictis, quæstion. octogesima,*
9 *numero* 34. Sub illis non venit adulterium, nec Sodomia, non enim reus potest interrogari de lenonibus, & mediatoribus, nisi extent indicia, ex eisdem *Farinac. quæstion. quadragesima-tertia, numero octogesimo-quarto, de Bictis, numero* 34. Interrogatur *Quinto* reus de sociis super illis delictis quæ sine socio committi non possunt. *Farinac. quæstion. quadragesima-tertia, numero 107. & 109. de Bictis, quæstion. octogesima, numero* 35. Vide quæ dixi de interrogatione Sociorum capite decimo, à numero nonagesimo octauo.

10 Nota, quod vniuersalis extat consuetudo contra ius commune interrogandi reos de sociis, nullis etiam existentibus indiciis contra complices, vt de communi testantur plerique *cum Guazin. Defens. 30. capite nono, numero secundo, de Bictis, quæstion.*
11 *octogesima, numero* 36. Tamen si interrogatio fiat de complicibus in primis nominando hunc, vel illum nomine proprio, interrogatio erit suggestiua, iuxta dicta superius sub numero tertio, quia secundum hanc consuetudinem interrogatio vt sit legitima, facienda est in communi, & in genere, an reus in suo delicto habuerit complices. Ita omnes *cum Ambros. lib. sexto, capite quarto, numero decimo.* nisi contra certam personam haberet iudex indicium sufficiens ad interrogandum. *Farinac. quæstion. quadragesima-tertia, numero 132. & 133. de Bictis, quæstion. octogesima, numero* 38.

12 Quarto, obscura, & æquiuoca interrogatio importat suggestionem, ac proinde nulla est, cum ea quæratur deceptio in respondente, siue teste, siue reo, debent ergo interrogationes esse claræ, & distinctæ, vt responsio illis adæquari possit sine cauillationibus, & deceptionibus. Ita *Clarus quæstion. quadragesima-quinta, §. debet de Bictis, quæstion. octogesima, numero decimo-nono.*

13 Quinto, ex mendaciis interrogantis oritur suggestio, vt illis reus inducatur ad confitendum. *Farinac. quæstion. octogesima prima, numero 312. de Bictis, quæstion. octogesima, numero decimo-septimo.*

14 Sexto, promissione impunitatis inducitur suggestiua responsio, ex communissima sententia Doctorum, quos citat, & sequitur, *Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero 276. de Bictis, quæstion. octogesima, numero vigesimo.*

Septimo, interrogatio est suggestiua, quando responsuro leguntur depositiones testium, alio modo, quo sunt in processu dispositæ, *Farin. quæstion. octogesima-tertia, numero nonagesimo de Bictis, quæstion. octogesima, numero quadragesima-quarta.* 15

Octauo, suggestiua interrogatio dicitur illa, quam iudex facit super puncto iuris, id enim respondere non pertinet ad testem, neque ad reum, qui super factum tantum respondere tenentur, & non super iure, cuius interpretatio est Iudicis, & Doctorum, exempli gratia, an vulneratus ex percussione illa sit mortuus, an ex alia causa. *Carerius. lib. secundo, de interrog. reorum, capite secundo. numero vigesimo-nono, de Bictis, quæstion. octogesima, numero quadragesimo-sexto, & quadragesimo-septimo, Bossius, de confess. num.* 80. 16

Denum tunc interrogatio dicitur suggestiua, cum ex ea infertur confessio delicti, vt accidit in his exemplis. *Occidistine Petrum ense, an baculo? Eratne mane, an vespere? Cur percussisti Petrum? Defendebasne personam tuam inuasam ab eo, quem occidisti?* Ex his & similibus infertur delictum, quod reus ignoranter fatetur deceptus ex modo interrogandi præpostero, & contra regulas legitimæ interrogationis. Vide *Farinac. quæstion. octogesima-tertia, numero* 88. 17

Interrogatio quoque suggestiua contingit, quando iudex dat socium carcerato, vt hunc industriosè inducat ad confitendum, obseruando omnia eius gesta. *Farinac. quæstion. octogesima-tertia, numero nonagesimo-tertio.* 18

De suggestiua interrogatione testium vide capite quadragesimo-primo, numero decimo septimo, & cur sit prohibita iudicibus, capite quadragesimo-octauo, numero vigesimo-sexto. 19

In dubio an interrogatio sit suggestiua, an licita quid concludendum? Respondet *Farinac. quæstion. octagesima tertia, numero octogesimo-nono*, id relinqui arbitrio iudicis. Nunquid eius, qui examinauit? Respond. Negatiuè, quia diceretur iudex in propria causa, quæ contra illa contrauenitur. Cum autem in dubiis sit reo fauendum, *Cap. vndecima, de Regular. iur. in sexto*, sequitur, interrogationem dicendam esse suggestiuam. 20

CAPVT LXIX.

De Confessione reorum in communi.

Confessio est manifestatio proprij delicti; quod contingit duobus modis, primo in iudicio, ex quo appellatur iudicialis, secundo extra iudicium, nuncupata ex hoc extraiudicialis; de priori hic agendum. 1

Quæres igitur primo quid sit confessio iudicialis?

Respondetur, Est manifestatio proprij delicti facta coram legitimo iudice, in loco suæ iurisdictionis, redacta in scriptis per Notarium. 2

Dixi primo *manifestatio*, quia confessio facit notorium iuris delictum rei *capite fin. de cohabitat. cleric. & capit. cum olim vigesimo-quarto de verborum significat.* Vnde merito confessio rei dicitur manifestatio delicti in iudicio. 3

Dixi secund. *Delicti proprij*, quia nemo debet manifestare delicta aliena interrogatus vt reus, ita quod nec sociorum delicta cum illis perpetrata manifestare tenetur, nisi super illis socij sint indiciati, aut aliter committi non possunt, nisi cum socio, 4

iuxta

iuxta dicta capite sexagesimo octauo, numero sexto, ad decimum. In casu autem, quo deponere debet contra socios iam reus formaliter non dicitur, sed testis officio fungitur.

5 Dixi 3. *facta coram legitimo iudice*, ad differentiam eius confessionis, quæ fit coram iudice incompetente, de qua infra dicam suo loco. Quilibet ergo à suo legitimo iudice interrogandus est, & iudicandus, est enim inter subditum, & superiorem relatio iudicij, & non extra capite primo, numero decimo-quarto, supra.

6 Dixi 4. *In loco suo iurisdictionis*, quia hæc potestas iudicandi reos subditos est odiosa, & contentiosa, ideo intra proprium territorium exercenda est, & non extra, cohæret enim personis, & loco, *capite Statutum vndecim. §. Cum vero, de rescript in sext.* Iurisdictio igitur non se extendit vltra territorium, extra quod delinquens puniri non potest, allegatis Doctoribus *à Barbos. in cap. 2. de const. in 6. numero* 10.

7 Dixi 5. demum, *redacta in scriptis per Notarium*, cum iudicium criminale sit fori contentiosi, in quo acta debent esse luce clariora, ad probationem necessarium est in scriptis redigere confessionem rei; vt eam negare nequeat, non quod sit scriptura de eius essentia, quæ præcisè pendet ab ore confitentis.

Quæres 2. Quotuplex sit confessio iudicialis?

8 Respond. Primo, ea diuiditur in confessionem realem, seu vniuocam, & fictam, seu æquiuocam. *Secundo* in voluntariam, & inuitam, seu extortam. *Tertio* in certam, & dubiam. *Quarto* in ordinariam, & incidentem. *Quinto*, in verisimilem, & inuerisimilem. *Sexto*, in confessionem ex causa, & sine causa. De his & aliis infra in suis capitibus sermo erit.

Quæres 3. vt confessio plenè probet, quid requiratur?

9 ℞. Requiruntur nouem conditiones. *Primo*, vt confessio clare fiat. *Secundo*, vt sit spontanea. *Tertio*, scientes facta sine errore. *Quarto*, quod fiat contra seipsum confitentem. *Quinto*, quod confitens sit maior. *Sexto* coram iudice competente. *Septimo*, quod natura confessioni non repugnet. *Octauo*, quod neque iuri repugnet. *Nono* demum, quod non velit confessus probare contrarium eius, quod dixit. Ita *ex Glosa in capite primo, secundo, quæst. prima, & Farinac. quæstione* 81. *à numero vigesimo-primo Sousa lib. secundo, capite vigesimo, numero vndecimo*. De singulis aliquid dicam.

10 Primo, confessio debet esse clara in omnibus causis, præsertim in criminalibus, *l. Sciant fin. C. de probat.* incerta enim, & dubia non iudicantur, *cap. Nomen duodecim. secund. quæstion. prima, capite Si quis nono §. In certa 30. quæstion. quinta.* nec ex his plena probatio resultare potest, cum sit clara demonstratio rei, à qua euacuatur incertitudo, vnde nulla verior, & certior reperitur confessio, quam proprij oris, contra seipsum *l. cum te C. de probat. l. Generalitate ff. de non numer. pecun. latè Barbos. hoc axiom.* 49.

11 Secundo, confessio huiusmodi debet esse spontanea, vt illi magis prosit in eo, quod minus punitur, quam si esset conuictus, ex iis quæ habet Farinac. quæstion. 81. à numero 172. Spontanea quoque dicitur facta in tortura, ex quo postmodum ratificatur voluntariè.

12 Tertio, debet fieri sine errore, aliter facta cum errore reuocabilis est ab errante, docendo, & probando errorem suum. *Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero* 319.

13 Quarto, reus contra se debet confiteri, quia dicens contra alium propriè non confitetur, sed vel illum querelat, vel testificatur contra eundem.

Quinto, minoris confessio non dicitur plena probatio, quia ius præsumit, minorem non habere perfectum iudicium, nisi post annum vigesimum-quintum suæ ætatis, quo incipit esse maior, vnde facta à minore sine curatore nulla est, vt docent omnes *cum Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero* 382. *& sequent.* 14

Sexto, facta coram iudice incompetente non probat plenè, quia deest iurisdictio, qua probatio suam obtinet plenitudinem, & dixi supra sub numero quinto. *Farinac. quæstione* 81. *numero vigesimo septimo*, & 188. 15

Septimo, confessio repugnans naturæ rei est omnino impossibilis, vt si quis fateatur se quendam occidisse, & is apparet viuus, *l. Neratius §. fin. ff. ad legem Aquil. Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero* 24. 16

Octauo, confessio repugnans iuri pro nulla, & falsa omnino habetur, vt si aliunde constat de innocentia confitentis contra se. *Farinac. quæst. octogesima-prima, num.* 25. 17

Nono demum, confessio non plenè probat, quando confessus paratus est probare contrarium, reuocando illam, de qua reuocatione *Farinac. quæstion.* 81. *num.* 318. 18

Quæres 4. An valeat confessio, quando non constat de corpore delicti?

Respond. Primo non valere in iis delictis, quæ relinquunt post se proprium corpus, vt vulneratio, homicidium, &c. de his enim constare debet, arbiter sola rei confessio nulla est, nec nocet sic confitenti. Ita *Farinac. quæstion. secunda, numero septimo, & octauo.* Secundo valet in delictis consistentibus in sola voluntate, vt in hæresi, & in delictis laruarum, qui enim non credunt rebus fidei, & similia in animo habent paciscentes cum dæmonibus, nullum relinquunt vestigium, per quod probari possit corpus delicti, ideo committentes huiusmodi delicta, & sine alia probatione confitentes illa, condemnantur, quia eorum confessio est plena probatio. *Farinac. quæstion. secunda, numero vigesimo-quinto, & vigesimo-sexto, Sousa libro secundo, capite vigesimo, numero sexto & septimo.* 19

Quæres 5. An confessio ex parte falsa, in totum sit censenda falsa?

Respond. Affirmatiuè, quia vna pars aliam vitiat. Ita *Socin. cons. octogesimo-secundo, numero secundo. Decius cons.* 536. *numero decimo. Farinac. quæstione octogesima-prima, numero vigesimo-secundo; Sousa lib. secundo, capite vigesimo, numero quinto.* 20

Quæres 6. Quid operetur facta coram Notario tantum?

Respond. Valet facta coram eo de mandato iudicis, & probat ad condemnationem, alias solum ad torturam, nisi reuocetur. Ita *Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero quadragesimo-quinto, Mascard. concl.* 348. *numero quinquagesimo-quarto. Sousa libro secundo, capite vigesimo, numero decimo-quarto.* 21

Quæres 7. Aliquid operetur coram iudice non sedente pro tribunali?

Respond. Sufficit ad torturam, ad pœnam extraordinariam, & non ad pœnam ordinariam. *Farin. quæstione octogesima-prima, numero quinquagesimo, Sousa numero decimo-quinto, Mascard. conclus.* 348. *numero vigesimo-sexto, & quadragesimo-sexto.* Crederem, non obstare respectu eorum iudicum, qui non tenentur ad apices iuris, cuiusmodi sunt regulares; sedere autem pro tribunali spectat ad apices iuris, vt colligitur ex Clem. Sæpè, de verb. signific. vbi parum refert, quod iudex in sententiando stet, aut sedeat, & multo minus in recipiendo confessionem rei. 22

Quæres 8. An acceptanda sit confessio à parte, vt valeat?

Respond.

23 Respond. Negatiuè, sufficit enim, quod in iudice facta sit coram iudice, qui supplet vices accusatoris. Ita *Mascard. concl. 348. numero decimo-nono. Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero quinquagesimo-quarto, & quinquagesimo-quinto. Sousa libro secundo, capite vigesimo, numero decimo-sexto, Guazin. Defens. 32. capite vigesimo quinto.* Quid enim desiderat accusator, seu alius contrarius, nisi vt reus confiteatur delictum?

Quæres 9. An confessio, quæ erat facienda coram tribus, valeat facta tantum coram duobus iudicibus?

24 Respond. Negatiuè, quia actus corruit non seruata forma præscripta. Ita *Felin. in cap. qualiter, de accusat. numero 9. Farin. quæstion. octogesima-prima, numero sexagesimo-secundo. Sousa libro secundo, capite vigesimo, numero decimo octauo, Guazin. Defens. 32. capite 26.*

Quæres 10. An valeat argumentum à confessione in causa ciuili ad confessionem in causa criminali?

25 Respond. Valet ab argumento negatiuo, sic: confessio in ciuilibus non nocet, ergo nec in criminalibus. *Mascard. conclud. 349. numero primo. Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero sexagesimo-quarto, Sousa libro secundo, cap. vigesimo, numero vigesimo.* Ratio, quia in criminalibus agitur de vita hominis, in ciuilibus de bonis fortunæ, ergo in illis cautius agendum est.

Quæres 11. An confessio pendens à iure, & non à facto noceat?

26 Respond. Negatiuè, quando constat de contrario, vt assertio fatentis vulneratum obiisse ex vulnere. Ita *Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero sexagesimo-tertio, Mascard. consil. 358. numero octauo, Sousa numero decimo-nono. Guazin. tit. cap. decimo-octauo.*

Quæres 12. An confessio rei validum reddat processum alias nullum? Ita quod ea sola confessione condemnari possit?

27 Respond. Confessio, vt validet processum, & condemnari possit reus à iudice, qui tamen ad id non cogitur, ad pœnam extraordinariam tantum, requirit *Primo*, quod sponte fiat coram iudice ordinario, *Secundo* quod ea in seipsa sit vera, & realis non ficta; *Tertio* requiritur prolatio sententiæ. His positis confessio validat processum, ex quouis capite nullum, & inde sequi potest sententia in pœnam extraordinariam tantum.

28 Prima pars, quod per solam confessionem possit reus condemnari in pœnam extraordinariam, de communi docetur à *Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero nonagesimo-primo.* Ratio est, quia confessio rei facit notorium *ex cap. fin. de cohabitat. & cap. cum olim vigesimo quarto de verb. signif.* ergo iudex non eget ordine iudiciario ad condemnandum sponte confessum. Confirmatur ex illo Ouidij: *Non est confessi causa tuenda rei.*

29 Secunda pars, quod confessio debeat esse spontanea, est *Mascardi concl. 357. numero quarto. Rolandi libro primo, cons. 31. numero octauo. Brunor. à sole cons. crimin. numero 158. Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero octogesimo-secundo.* Ratio est, quia notorium non facit quælibet confessio, sed tantum spontanea.

30 Tertiam partem de iudice competente, & ordinario docent allegati à Farinac. quæst. octogesima-prima, numero octogesimo-octauo, & octogesimo-nono. Vnde quando processus est nullus defectus iurisdictionis, nullo modo validatur per confessionem licet voluntariam, quia is defectus est insanabilis, vt de communi docet *Guazin. Defens. prim. capite primo.*

31 Quarta pars, quod confessio debeat esse in seipsa vali da, patet ex eo, quia quod nihil est, nihil operari potest, ea citatis à *Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero octogesimo-septimo, & numero nonagesimo.* de confessione ficta.

Quinta pars, de nullitate processus reualidati per confessionem intelligitur respectu cuiuscunque inualiditatis, excepta ea, quæ prouenit ex defectu iurisdictionis, vt mox dixi. *Guazin. Defens. 32. cap. vigesimo-tertio. Miranda quæstion. decima-nona, art. tertio.* Quare reualidatur processus *Primo*, si inquisitio facta fuit, nulla præcedente infamia, *cap. primo de Accusat. in sexto. Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero sexagesimo-sexto.* Licet sit nulla etiam defectu indiciorum, numero septuagesimo. *Secundo*, validatur processus nullus, ex quo capitula non fuerunt exhibita reo, capite primo de accusat. & Farinac. num. sexagesimo-sexto. *Tertio*, validatur processus nullus defectu ordinis substantialis, Farinac. numero septuagesimo-tertio. *Quarto* validatur processus nullus ex defectu præposterationis, quia scilicet prius reus confessus est, quam querelatus, in eo quod supplenda postmodum est inquisitio, ea citatis à Farinac. num. octogesimo-secundo. Imò nullo existente processu, cum sola confessione reus condemnari potest, quia confessio rei facit notorium iuris, quod non postulat ordinem iudiciarium, ex citatis ab eodem numero septuagesimo-quinto. 32

Sed in rei veritate, quid est confessionem rei reualidare processum, si nullus est necessarius ordo iuris in condemnando reum sponte confessum? Nam reualidare processum videtur importare emendationem processus non necessarij ad sententiam ferendam, ergo censetur huiusmodi reualidatio inutilis, sicut ipse processus, dum sine illo condemnari potest. *Respondeo*, processum dici reualidari per confessionem rei, quia per eam spontaneè factam cedit iuri suo fauorabili nullitatis processus, & sic renunciando huic nullitati, quæ alias sibi fuisset fauorabilis, censetur processus reualidatus ad effectum, vt possit condemnari Vel dic reualidari ad effectum probationis, non in ordine ad condemnationem, quæ sequitur præcisè ea condemnatione. 33 34

Quæres 13. An confessio spontanea habeatur loco rei iudicatæ, & faciat notorium?

Respond. Affirmatiuè, *ex cap. fin. de cohabitat. cler. & mul. cap. cum olim 24. de verb. signific. Farinac. quæstion. 81. numero 4.* Et in hoc nulla est difficultas 35

Quæres 14. An ea sola rei confessione sponte facta, nullam patiente exceptionem reus ipso iure condemnari potest?

Respond. Affirmatiuè, quia nulla verior probatio dari potest, quam confessio proprij oris contra seipsum, ex dictis sub numero decimo. Ita omnes *cum Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero tertio,* nullo contradicente. 36

CAPVT LXX.

De Confessione Reorum qualificata.

Confessio qualificata dicitur illa, in qua reus per assertam qualitatem se excusat à delicto, vel vt non puniatur, vel saltem mitiorem subeat pœnam, probando assertam qualitatem. 1

Qualitas autem huiusmodi multis modis exprimi potest. Primo negatiuè sic: *Non occidi, & si occidi, id feci ob meam defensionem* Farinac. quæstion. 81. numero 142. Secundo affirmatiuè vnica oratione: *Occidi ad meam defensionem, vel me defendendo* Tertio affirmatiuè diuidendo sic: *Occidi sed ad meam* 2

meam definitionem. Farinac, quæstion. octogesima-prima, numero 114. ad 118. Qualitas autem adiungi potest confessioni duobus modis, primo incontinenti, secundo ex interuallo temporis, ibid. num. 118. & 119.

3 Quæstio hæc de confessione qualificata supponit delictum esse tantum semiplene probatum, nam si reus esset conuictus, opus non esset eius confessione ad condemnationem, ac proinde posita etiam eius confessione, in nullo reuelaretur per adiunctam qualitatem, quia condemnatio non regulatur ab eius confessione, sed à conuictione testium, *ex Farinac. quæst. 81. num. 155.*

4 Conueniunt omnes Doctores, quod confessio qualificata scinditur, & diuiditur, hoc est, delicti confessio acceptatur à fisco, & iudice, & qualitas adiecta reijcitur probanda à reo, qui per eam prætendit se esse immunem à pœna delicti. Controuersunt vero, an qualitate non probata reus sit puniendus pœna ordinaria, vel extraordinaria; aut subjiciendus torturæ, vt respondeat simpliciter sine qualitate

5 In hac difficultate respondet primo Socinus *l. 1. ff. si certum pet. numero 33. Bologn. in l. vt cum, eodem numero quadragesimo-octauo. Fachin. lib. primo controu. iur. cap. 27.* Reum, qualitate non probata, esse puniendum pœna ordinaria, quando asserta qualitas non probata, vel habet contra se iuris præsumptionem, vel est multum inuerisimilis ex communiter accidentibus. Et quod in hoc casu sit pœna ordinaria puniendus patet, alias nullus homicida posset morte puniri, quia quilibet iniquus interfector adducere posset qualitatem, & excusationem defensionis, ne ergo sequatur hoc absurdum, quod omnes rei euaderent pœnam mortis, vel ordinariam, dicendum est, puniendum esse pœna ordinaria, cum supradictis, quibus adde *Carenam part. 3. tit. octauo, numero quinto. Casonum de form. cap. decimo-octauo, numero decimo-quinto.*

6 Respond. Secundo *cum Abbate in cap. Auditis, de præscrip. numero 32. quem cum aliis citat. quæstion. octogesima-prima, numero 157.* reum ex confessione qualificata esse puniendum pœna extraordinaria, qualitas licet habeat contra se præsumptionem, tamen à communiter accidentibus pro verisimile censetur. Et hæc comprobatur, ex quo illam maior pars Doctorum, & iudicum sequitur; est enim æquior, & vtilior reipublicæ, ne delicta remaneant impunita. Communis *cum Guazino Defens. 32. capite 35.*

7 Sperellus decis. 108. à numero 36. & sequentibus, rem hanc prosequitur latè & sustinet, reum qualificate confessum, licet qualitas nullam habeat verisimilitudinem, non esse puniendum pœna ordinaria, sed extraordinaria, & mitiore, sed nimis indulget clienti suo.

8 Respondetur tertio, eum in arbitrio sit iudicis, aut condemnare reum in pœnam extraordinariam sine tortura, aut cum tortura, secundum Baldum *in l. 1. Vers. Si tamen iudex ff. de confess. num. quadragesimo-quinto, Mascard. concl. 867. numero decimo-tertio.* Poterit iudex vti tortura, & cogere ad respondendum simpliciter.

9 Opinio Baldi practicatur in Sancto Officio, in quo rei confitentes delictum, exempli gratia, Blasphemiæ, Sortilegij, Poligamiæ, Solicitationis, &c. interrogati, an senserint contra fidem, an prauam habuerint intentionem, solent respondere negatiuè, & catholicè sentire, & quia hoc tribunal contra suos reos habet præsumptionem iuris, quod sint suspecti de hæresi, ideo torquentur, ad eam præsumptionem elidendam, cum quadam verisimilitudine ex communiter accidentibus, quod non ex errore intellectus, sed ex alia passione inciderint in prædicta delicta, nimirum, ex ira, ex libidine, ex interesse, auaritia, ambitione, &c.

10 An autem si in tortura sustineat suum dictum, purget indicia, & omnimodam præsumptionem tollat, itavt condemnari non possit in pœnam extraordinariam? Et videtur esse respondendum affirmatiuè quia purgauit indicia, & qualitatem videtur iustificasse, ergo fie illi iniuria si puniatur.

11 Respondetur in Sancto Officio dari leuem torturam, & ideo nunquam purgari plenè indicia, ex quo est locus pœnæ, *ex Carena part. 3. tit. 8. num. 14. & 15.* In aliis tribunalibus, si tortura est rigorosa, non punitur reus, sed relaxatur cum fideiussione se præsentandi. In casu igitur, quo locus est pœnæ extraordinariæ, & torturæ, torquetur, & non punitur, secundum *Lopez & Sanchez tom. 1. consil. lib. 3. cap. vn. dub. 12. n. 14. contra Menoch. lib. 1. de præsumpt. quæst. 92. num. 1.* asserentem, id relinqui arbitrio iudicis. Sed melius est pro bono reipublicæ, vt dixi supra, punire reum sine tortura.

12 Notandæ sunt aliquæ verisimilitudines pro confirmatione prædictorum. *Primo*, namque verisimile est, poligamum secundam duxisse vxorem, prima viuente, ex libidine, & auaritia dotis, vt dixi supra. *Secundo*, meretricem cognitam fuisse volentem, non inuitam, quia patet libenter cuilibet ad eam accedenti, vel ex interesse, vel ex libidine, *Vulpell. cons. 94. num. 10. Farinac. quæst. 81. num. 153.* Verisimile est *Tertio* Sacerdotem pluries eodem die celebrasse, allegata paupertate, vnde mitius puniendus est. *Quarto* verisimile est pauperem, & inopem alienum sustulisse, vt sibi subueniret, & non ex auaritia abstulisse alienum, vt præsumitur in diuite. *Quinto* à pœna mortis excusatus fuit latro, qui credebat, res ablatas esse suas, Farinac, quæst. 81. numero 157. ex Marsilio.

13 Qualitas igitur non probata, nec habens aliquam verisimilitudinem, vt dixi supra sub numero quinto, non prodest confitenti qualificate, sed punitur ille pœna ordinaria. Item quouismodo qualitas exprimatur, siue vnica, siue duplici structura, *Farinac. qu. octogesima-prima, numero 167.* Item si aliunde sit conuictus, qualitas asserta non excusat à pœna ordinaria, *ex eodem numero 165.* quia non condemnatur ex confessione, sed ex conuictione. Item, qui primo delictum negauit, & postea sciens se conuictum, confitetur qualificate, propter allatam rationem non effugit pœnam ordinariam, *ex eodem numero 166.* Item ex interuallo, allegans qualitatem excusantem non effugit pœnam ordinariam, *ex eodem numero 120. & 164.* quia standum est primo dicto, & qualitas præsumitur appensate, & malitiosè adiecta, nisi euidenter eius veritas probetur, *Guazin. Defens. 33. cap. 35. num. 5.*

14 Quando qualitas etiam incontinenti sequitur confessionem negatiuam, aut conditionatam; vt, *non occidi, & si occidi, occidi ad meam defensionem.* Vel conditionatè; *si occidi, occidi ad meam defensionem*, non prodest, nec excusat à pœna ordinaria, quia eius confessio reputatur simpliciter negatiua, maximè, cum tunc qualitas specificetur à conditione in eo, quod nihil ponit in esse, vnde pro mera negatiua habetur. De vtraque *Farinac. quæstion, octogesima-prima, numero 142. & 143. Guazin. Defens. 33. cap. 35.*

15 Dixi supra sub numero sexto, confessum cum qualitate habente verisimilitudinem excusari à pœna ordinaria, & puniri tantum extraordinaria; quod procedit etiam, quod puniri potest pœna corporali extraordinaria, in casu quo si confessus fuisset simpliciter, debuisset puniri pœna mortis; *Farinac. quæst. octogesima-prima numero 160.* Imò dari potest casus, quo non sit puniendus nec extraordinariè,

cum

cum ſcilicet conſtat occiſorem eſſe virum probum, & quietum, occiſum vero fuiſſe inquietum, & ſolitum percutere, & interficere, vulneratus enim præſumitur fuiſſe aggreſſor, præſertim quando alias fuit iniuriatus, præſumitur enim motus ad faciendam vindictam contra proximum. *Farinac. quæſtion. octogeſima-prima, numero 169. Peſſent. ſingul. 239.*

16 Sed quid dicendum eſt de teſtificatione facta à teſte qualificatè?

Reſpondetur. Teſtis depoſitio non ſcinditur, ſed in totum eſt vel reiicienda, vel admittenda, iuxta exigentiam rationis. Ita *Petrus Surd. vol. 2. conſ. 273. numero ſexageſimo-octauo, Simon de Prætis, conſ. 278. numero decimo, & vndecimo. Farinac. quæſtion. quadrageſima-tertia, numero decimo-nono, cum alijs Guazin. Defenſ. 33. cap. 35. numero vndecimo.*

CAPVT LXXI.

De Confeſſione coram iudice incompetente.

1 IVdex incompetens dicitur ille, qui caret iuriſdictione, vel illius vſu, & id contingit quatuor modis. *Primo*, reſpectu perſonæ, quæ illi nullo modo ſubiicitur nec ratione ſubiectionis perſonæ, nec delicti, vt laicus iudex reſpectu clerici. *Secundo*, reſpectu delicti, exempli gratia, hæreſis, nam in hoc delicto iudex laicus nullam habet iuriſdictionem in laicum alias ſuum ſubditum. *Tertio*, reſpectu territorij, extra quod iudex excommunicatus
2 vitandos caret iuriſdictione, ſed potius eius vſu, adeo quod ab eo attentati actus, & proceſſus fabricatus dum eſt excommunicatus vitandus, ipſo iure nulli ſunt. Ita omnes *cum Sayro libro ſecundo, de cenſ. capite ſexto, numero decimo-primo, Bonac. de cenſur. diſput. ſecund. quæſtion. ſecund. part. ſeptimo, numero primo.* Ratio prædictorum omnium eſt, quia acta ſine iuriſdictione nullius ſunt momenti, ex ſententia omnium, nam actus humanus ſine voluntate, & poteſtate agentis ſubſiſtere non poteſt, & ex his deducitur.

3 Primo, confeſſio rei facta coram iudice incompetente non valet ad illum condemnandum, expreſſè cap. At ſi clerici, de iudic. ibi: *Sicut enim ſententia à non iudice lata non tenet, ita nec facta confeſſio coram ipſo.* Ita omnes *cum Farinac. quæſtion. octogeſima-prima, numero 188. Carena part. tert. titulo octauo, numero vigeſimo-ſecundo. Souſa libro ſecundo, capite vigeſimo, numero 37. Guazin. Defenſ. 32. cap. vigeſimo-ſexto, numero primo.* Procedit, *primo*, licet confeſſio pluries fuerit repetita, & ratificata, *ex eodem Farinac. numero 189.* Procedit *Secundo*, licet iuriſdictio potuiſſet prorogari, *numero 190.* Procedit, *Tertio*, licet confeſſio fuerit ſponte facta à clerico coram laico, *numero 196.* etiamſi clericus ſit primæ tonſuræ, *numero 198.* quamuis confeſſus fuerit ille clericus coram iudice Eccleſiaſtico non ſuo ſuperiore, *numero 199.* eſto ſe fingeret laicum, cum ſit clericus, num. 200.

4 Secundo, quamuis confeſſio nulla dicatur reſpectu condemnationis, vt patet ex dictis, valet tamen reſpectu aliquorum aliorum effectuum vt dicam mox; confeſſio ergo rei ſpontanea nulla non eſt, ſed ſuſtinetur in ſententia multorum *cum Farinac. quæſtion. octogeſima-prima, numero 205. Guazin. Defenſ. 32. capite vigeſimo-ſexto, numero ſeptimo*, annullatur ergo exceptione partis.

5 Tertio, confeſſio rei ſponte facta coram iudice incompetente licet non faciat pro ſententia contra reum, ſufficit tamen ad torturam coram ſuo iudice competente, vt dicunt ferè omnes cum. *Farinac. quæſtion. octogeſima-prima, numero 206. Carena part. 3. tit. octauo, numero vigeſimo-tertio. Guazin. Defenſ. 32. capite vigeſimo-ſexto, numero tertio.* Tribus tamen concurrentibus. Primo vt ſit ſpontanea, *ex eodem Farinac. numero 200. Guazin. numero octauo.* Secundo, vt non fuerit clericus tractus coram iudice laico, ſed ſponte comparuerit, Farinac. *numero 211. Tertio*, quod confeſſionem non reuocauerit ex opinione multorum, imò & ſi reuocauerit; non docto de errore, ſi præceſſerint indicia, facit ad torturam, Farinac. *numero 215. & 216. in fine Guazin. numero nono.*

Quarto, confeſſio coram iudice incompetente non facit indicium ad torturam, *Primo*, quando coacta fuit, Farinac. quæſtione octogeſima-prima, numero 210. *Secundo*, quando nulla præceſſerunt indicia, numero 217. Guazin. numero decimo. *Tertio*, emanata in cauſa ciuili non facit indicium ad torturam in cauſa criminali, Farinac. 218. 6

Quinto, ex confeſſione facta per clericum coram iudice incompetente oritur infamia, ex allegatis à *Farinac. quæſtion. octogeſima-prima, numero 202.* vnde debet ſe purgare. Sed id amplius in vſu non eſt. 7

Sexto, confeſſio huiuſmodi coadiunat alias probationes, quæ ſunt contra ipſum, ex eodem *Farinac. numero 201.* 8

CAPVT LXXII.

An confeßio facta in vno iudicio præiudicet in alio iudicio.

DIuerſa iudicia criminalia ſpectari poſſunt *Primo*, coram eodem iudice diuerſis temporibus; *Secundo*, coram diuerſis iudicibus; *Tertio*, inter eaſdem perſonas; *Quarto*, inter diuerſas perſonas. Statuitur autem ſequens concluſio. 1

Confeſſio vera, ſpontanea, expreſſa, & non ficta facta in vno iudicio, nocet confitenti in alio iudicio, modo ſit facta inter eaſdem perſonas, nocet, inquam, non quidem ad condemnandum, ſed ſolum ad torturandum facit indicium, & ſemiplenam probationem, ſiue cauſa agatur ciuiliter, ſiue criminaliter. 2

Prima pars, quod confeſſio facta in primo iudicio ſiue ciuili, ſiue criminali probet in ſecundo, & noceat confitenti, probatur *per l. iubemus C. de liberali cauſa*, illis verbis: *Verum etiam voce propria ipſius Ætij apud aliud iudicium patuerat.* Ita omnes *cum Farinac. quæſt. octogeſima-prima, numero nonageſimo-ſecundo. Carena part. tert. titul. octauo, num. 31. Miranda quæſtion. decima-nona, numero vigeſimo-nono* 3

Secunda pars, de confeſſione vera, non ficta, alias non nocet, aſſeritur ab omnibus cum eodem *Farin. quæſt. octogeſima-prima, numero nonageſimo-tertio, & 103. Souſa libro ſecundo, capite vigeſimo, numero vigeſimo-ſeptimo. Guazin. Defenſ. 32. capite vigeſimo-ſexto numero primo, §. quod.* 4

Tertia pars, quod debeat eſſe inter eaſdem perſonas, eſt communis apud eundem *Farinac. quæſtion. octogeſima-prima, numero 103. Carenam numero 31. Guazin. Defenſ. 32. cap. vigeſimo-ſexto, numero primo, §. quod tamen.* 5

Quarta pars, quod non noceat ad condemnandum, docetur ab omnibus, quia non plene probat, nec aliud operari poteſt, niſi vt confeſſio extraiudicialis. *Carena parte tertia, titulo octauo, numero 31,* & citandi mox. 6

Quinta

7 Quinta pars, quod faciat semiplenam probationem ad torturam, asseritur *ab eodem Carena, Mirandu, quaest.* 19. *numero* 32.

8 Sexta pars, quod faciat ad torturam confessio facta in causa criminali ciuiliter actuata, docetur à *Claro quaestion.* 54. §. *sed quid*, quem sequitur cum multis *Farinac. quaest.* 81. *numero* 95.

9 Notandum autem est, quod non oportet, vt sit facta ad eundem finem, & effectum, vt ex mox dictis de iudicio ciuiliter acto. Vnde nocet in iudicio summario facta, dum probat in plenario, *ex Farin. quaest.* 81. *numero* 100. Item probat facta in iudicio nullo, numero 101. Non praeiudicat in iudicio coram arbitro, quia censetur facta coram iudice incompetente, numero 99.

10 In S. Officio reus ex confessione facta, exempli gratia, de blasphemia haereticali coram Episcopo, puniri potest ab Inquisitore, inquit Carena part. 3. tit. 8. numero 32. qui subiungit, eam confessionem factam coram alio iudice incompetente alium effectum non operari nisi confessionis extraiudicialis.

11 Demum confessio incidenter emanata non probat in alio iudicio nisi ad torturam, *Farinac. quaestion.* 81. *numero* 274. quando in causa actum fuit ciuiliter, vtique vero si tractata fuit criminaliter. *Idem numero* 272. *de Blettis quaest.* 83. *numero* 38.

CAPVT LXXIII.

De Confessione incidenter facta.

1 INcidens criminis confessio illa dicitur, quae accidit occasione alterius criminis principaliter agitati
2 in iudicio criminali. Duobus autem modis haec confessio accidere potest. *Primo*, excipiendo, cum scilicet querelans, seu testis obiectum sibi crimen à reo se defendendo, fatetur in iudicio, exempli gratia, Maritus, qui accusauit suam vxorem de adulterio, fatetur lenocinium, quod obiecit illi, excipiendo, & defendendo se contra maritum. De qua exceptione ex parte rei se defendentis, & confessione ex parte querelantis habetur cap. 1. de except. *Secundo*,
3 quando ipse reus confitetur simul cum principali delicto, de quo fuit querelatus, aliud crimen, quod poterat tacere, exempli gratia, reus confitendo homicidium, fatetur, se gestasse arma prohibita, seu cum bannito conuersasse. Hoc exemplum refert Carena, cum praecedenti par. 3. tit. 8. §. 4. numero 24. & 26.

4 Difficultas hinc oritur, an ex huiusmodi confessione incidenter facta per testem ex causa exceptionis, vel per reum ex causa principalis delicti querelati, sine alio iudicio confessus puniri possit?

5 Responsio communior, & verior est, quod sic confessus puniri potest, non poena ordinaria, vt expresse dicitur cap. 1. de except. quia in iudicio, quod principaliter agitatur, non tractatur de crimine obiecto, ergo id non potest esse obiectum condemnationis, quae refertur tantum ad principale delictum accusatum; sententia enim debet esse conformis libello *l. Vt fundus* 18. *ff. commun. diuid.* sententia
6 enim debet conformari petitioni, vel accusationi factae in libello, & secundum id poena statui *l. Si praeses* 32. *ff. de poenis.* Sed tantum poena extraordinaria, dum enim textus dicit, quod non potest puniri extraordinaria. Ita aliis allegatis *Farin. qu.* 81. *numero* 266. *Carena part.* 3. *tit.* 8. *numero* 25. *Sousa lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 38. *Guaz. Defens.* 32. *cap.* 4. §. *sexto.* Textus autem allegatus praecisè loquitur
7 de confessione incidenter emanata de delicto obiecto per exceptionem rei contra testem, vnde praecitati ita sunt intelligendi.

Barbosa ad dictum cap. § Ego tamen, multis 7
probat, non posse puniri poena nec extraordinaria confessum incidenter, quia contra ipsum nullum speciale iudicium factum fuit, sed tantum contra illum crimen obiectum fuit, vt repelleretur à testificatione. Et reuera rationes supra allatae ex eo capite, videntur probare etiam respectu poenae ordinariae; nihilominus ex praxi quandoque puniuntur testes confessi obiectum crimen, maximè si pars contraria faciat instantiam, *Farinac. quaest.* 81. *num.* 246. *Guaz. Defens.* 32. *cap.* 4. *num.* 2. §. *Imme. de Blettis, quaestion.* 83. *num.* 39.

Quando crimen confessum incidenter tangit causam principalem cum qua connexionem habet, tunc 8
puniri potest etiam poena ordinaria, si iudicium fiat coram iudice ordinario, quia tunc illud delictum tangit causam principalem. *Farinac. qu.* 81. *à n.* 251. *ad* 264. plura refert exempla.

Si de delicto, quod quis confessus fuit incidenter, 9
constat ex probationibus, nullo modo est puniendus nec poena ordinaria, nec extraordinaria, *ex allegatis à Farinac. numero* 222. & 271. quia causa dicitur esse sub alio iudicio.

Inquisitores in causis haeresis procedunt non so- 10
lum contra reum & testes confessos quo ad delicta denuntiata, sed etiam contra eosdem respectu delictorum non denuntiatorum, quae ipsi incidenter fatentur. *Carena par.* 3. *tit.* 8. *num.* 50.

CAPVT LXXIV.

De Confessione sub spe impunitatis.

IMpunitas est condonatio poenae contractae per 1
delinquentem, facta à superiore potente poenam remittere, id enim est relaxare obligationem legis poenalis, ne reum afficiat. Pro cuius intelligentia.

Quaeres primo, quis possit promittere impunitatem reis?

Respond. Solus Princeps impunitatem promitte- 2
re potest, & nullus alius iudex, siue ordinarius, siue delegatus, nisi à Principe habeat mandatum id faciendi, quia ad ipsum tantum spectat dispensare in lege, & illius obligationem relaxare. Et in hoc nulla est difficultas apud Doctores mox citandos.

Quaeres 2. An fides data impunitatis seruanda sit à promissore?

Respond. Omnino seruanda est à Principe, seu 3
ab alio potente eam promittere, quia fides omnibus seruanda est etiam hostibus, imò & haereticis, vt docent omnes Theologi, eo magis reis, ne dicantur decepti. Ita omnes *cum Farinac. quaest.* 81. *num.* 81. *Guazin. Defens.* 20. *cap.* 25. *num.* 1. Princeps autem, quando facit hanc gratiam in causis grauioribus, & difficilis probationis per edictum promittit impunitatem complicibus in delicto, quorum primus manifestabit delinquentes. à quo edicto semper excluditur principalis malefactor, non enim iustitia patitur, vt ille maneat impunitus.

Quaeres 3. An iudex non valens iure promittere si de facto eam promittat peccet? & an teneatur eam seruare?

Respond. Peccat mortaliter eam promittendo, & 4
promissam nihilominus seruare non teneri, sed posse condemnare reum, non obstante promissione. Ratio est, quia vt promissio teneat maximè huius generis, quae magis onerosa, quam gratuita vocatur, cum inter iudicem, & reum onus intercedat, ex parte quidem iudicis, dandi impunitatem, & ex parte rei, dicendi veritatem, requiruntur duo, vnum ex parte vtriusque quod scilicet, ambo possint se

obligare ad id quod promittunt, & quod se obligent ad inuicem. Alterum ex parte rei promissæ, nempè, vt res promissa sit licita, & sine peccato adimpleri possit à promittente, aliter promissio tanquam irrita, & nullius valoris non est seruanda. Hæ autem duæ conditiones de se patent necessariæ in constituenda promissione in suo esse reali subsistentiæ, frustra enim, & inutiliter promittit, qui promittere non potest se obligando, dum vnum sine alio de iure dandum non est, cùm obligatio sit anima promissionis. Ratione obiecti promissi promissio est est nulla, quando non est licita in executione ipsa
5 promissio, vnde dicitur irrita, *l. Pacta C. de pactis. Pacta, quæ contra legem, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati iuris est.* Et horum impletio omni iure naturali, diuino, & humano, si fiat cum peccato, est omnino illicita, & prohibita, nemo enim obligari potest ad peccatum; vnde cap. In malis 22. quæst. 4. dicitur. *In malis promissis rescinde fidem.* Et ibi redditur ratio, quia *Impia est promissio, quæ scelere adimpletur.* & Reg. 69. in 6. habetur: *In malis promissis fidem non expedit obseruare.*

6 Patet autem hanc impunitatis promissionem carere præfatis conditionibus, nam iudex, ex dictis sub prima quæstione, non potest se obligare ad concedendam impunitatem, cum in lege superioris non possit dispensare, vnde nec promissam impunitatem seruare, dum reum confessum eximere non potest à pœna illi de iure debita, igitur cum huiusmodi promissio vti illicita adimpleri non possit, non tenetur iudex eum relinquere impunitum, sed eum potest punire. Ita plerique *apud Farin.* 81. *n.* 278. qui tamen numero 280. tenet contrariam opinionem, reum confessum sub spe promissæ impunitatis non esse puniendum, sed illi esse seruandam promissionem, quia turpe est fallere fidem datam. Sed id exponitur, esse turpe, quando sine peccato adimpleri potest, id autem iudex facere non potest sine peccato, tam in promittendo, quam in seruando, ideo neutrum præstare potest.

Quæres 4. An huiusmodi promissio sit species suggestiuæ interrogationis?

7 Respond. Esse, quia fit promissio, & subsequens interrogatio modo illicito, & contra ordinem iuris, quo excludantur deceptiones. *Farinac. quæstion.* 81. *num.* 276. *de Bertis qu.* 80. *numero* 20.

Quæres 5. quid operetur confessio facta à reo sub spe promissæ impunitatis?

8 Confessio huiusmodi emanata sub spe promissæ impunitatis secundum se spectata non sufficit ad inferendam pœnam ordinariam, ad quam præterea requiritur *Primo*, quod non fuerit reuocata; *Secundo*, quod expressè, & spontaneè sine tortura fuerit ratificata; *Tertio*, quod præsciuerit in ipsa ratificatione quod impunitas non amplius conceditur; *Quarto*, quod indicia præcesserint contra ipsum confessum. Cum his circunstantiis ea confessio sufficit ad pœnam ordinariam, quia euacuauit à se per huiusmodi circunstantias exceptionem suggestionis, & falsæ promissionis, dum noua potius, & simplex confessio censetur, quam antiqua, quæ exceptionem patiebatur notabilem. Eadem vero confessio illis conditionibus spoliata, non obstante reuocatione Indicium facit ad torturam, insufficiens ad pœnam etiam extraordinariam, quando nulla præcesserunt indicia.

9 Prima pars, quod hæc confessio secundum se non sufficiat ad pœnam ordinariam, patet ex eo, quod dolosè extorta fuit, & cum promissione inualida eius, quod iudex seruare non poterat, vnde in hoc reo non nocet, secundum Doctores allegatos à Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero 276. contra aliam opinionem sub numero 278. ex ratione, quod licet Iudex non habeat authoritatem promittendi impunitatem, potest tamen illam promittere pro reperienda veritate, & ea comperta, promissum non seruare, & numero 280. hac opinione relicta, priorem amplectitur vt veriorem, quia communior.

Ad rationem Aduersariorum dico, iudicem nequaquam posse promittere impunitatem ad hunc effectum reperiendi veritatem, quia non debet, nec potest fallere, & decipere proximum, tunc enim dolosè agit contra reum promittendo, quod promittere, nec seruare potest, ex supradictis. 10

Prima conditio, vt non fuerit reuocata, vt noceat ad condemnationem, ponitur ab omnibus cum *Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero* 287. *Guazin. Defens. vigesim. cap. vigesimo-quarto, numero septimo, de Bertis, quæstion. octogesima, numero vigesimo-secundo*, quia in ea perseuerat tanquam vera etiam præscindēdo à promissione impunitatis. 11

Secunda conditio, vt sponte hoc est, sine tortura ratificata sit, pariter ab omnibus asseritur, *Farinac. quæstion. octogesima num.* 287. *&* 290. de spontanea ratificatione sine tortura, *Guazin. cit. §. Tertia est de Bertis num. vigesimo secundo.* Per hanc enim ratificatio efficaciter conualidat confessionem, ac si simpliciter facta fuisset. 12

Tertia conditio, vt præsciat se confessionem ratificare absque spe impunitatis, ab eisdem exprimitur, *Farinac. num.* 289. *Guaz. §. Secunda est, cum Couar. lib.* 1. *var. cap.* 2. *num.* 16. *Decian. lib.* 2. *secund. crimin. cap. decimo-quinto, num.* 7. *fine.* Quia tunc confessio alias qualificata transit in puram, & simplicem per eam ratificationem, & tollitur dolus, & deceptio iudicis ex huiusmodi præcognitione. 13

Quarta conditio, vt præcesserint indicia contra reum sic confitentem, ponitur ab eisdem *Farinac. numero* 293. *Guazin. §. Quarto est*, vbi tunc punitur etiam pœna ordinaria. 14

Secunda pars, quod ea confessio sub spe impunitatis emanata faciat indicium ad torturam, probatur, quia cum processerit ab eius ore videtur verisimilis, qui enim non deliquit, impunitatem non quærit. *Ex Bossio de confess. per torturam numero decimo-tertio, & sequentib. Farinac. quæstion. octogesima prima, numero* 300. 15

Tertia pars, quod sufficiat ea pura confessio non reuocata ad pœnam extraordinariam, præcedentibus indiciis, probatur, quia hæc duo confessio, & indicia coniunguntur, & faciunt mediam probationem supra semiplenam sufficientem ad pœnam extraordinariam. Vide *Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero* 295. *&* 302. *Menoch. libr. secund. de arbitr. capite* 367. *numero* 4. *Sousa lib. secund. cap. vigesimo, numero quadragesimo-septimo.* 16

Quæres 6. An iudex possit promittere impunitatem, vel mitigationē pœnæ, quæ in eius arbitrio est?

℞. Promittere potest mitigationem pœnæ arbitrariæ, cum in eius sit potestate mitigatio huiusmodi pœnæ, & id seruare tenetur. Vnde si reus condemnandus erat ad triremium per quinquennium mitigari potest ad triennium. Condonare autem totam pœnam non potest, quia id est solius legislatoris, & Principis. 17

Quæres 7. An superius dicta locum habeant apud Inquisitores hæreticæ prauitatis?

℞. Affirmatiuè, non enim eis licet decipere reos, pro eruēda ab eis veritate, non enim sunt faciēda mala, vt promittere, quod seruari non potest, vt inde eueniant bona. Nihilominus *Direct. p.* 3. *n.* 106. *ibi Pegna, & Farinac. quæstion.* 81. *num.* 296. *& cum eis Sousa lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 41. *dicunt.* Inquisitorem posse ad indagandam veritatem, promittere reo misericordiam, & gratiam, si fateatur crimen, cum habeat ampliorem potestatem aliis iudicibus in remittendis pœnis; 18

pœnis; dicta in eisdem mitigandis, non in totum tollendis, quia non potest dispensare in lege superioris, qualis est vt rei condemnentur, non vt absoluantur à pœnis.

CAPVT LXXV.

De Confessione Vera, Certa, & Verisimili, & è contra Falsa, incerta, & Inuerisimili.

1 VEritas est conformitas intellectus cum re intellecta. Falsitas vero opposita est difformitas eiusdem intellectus cum re malè intellecta. Debet ergo intellectus non errans rem cognoscere sicuti est, vt dicatur verus, aliter dicitur falsus in sua cognitione, quia obiectum, hoc est, res cognita non recipit conformitatem, aut difformitatem a potentia, sed ipsa rei causat in potentia conformitatem, mouet enim illam sicut est ad sui cognitionem, & cum obiectum non possit mouere potentiam nisi eo modo quo est, non potest facere potentiam sibi difformem, sed ipsa difformitas tota oritur à potentia vel errante, quia putat vnum esse aliud, vel malitiose fingente vnum pro alio pro arbitrio voluntatis, hinc est, quod *l. Assumptio. 6. ff. ad municip.* dicit, quod res minimè mutatur propter
2 nostrum affirmare, vel negare, quia hi actus sunt extrinseci rei negatæ, aut affirmatæ, consequenter reus negans, se occidisse inimicum, quem reuera occidit, factum homicidium semper remanet tale, quale est ex parte rei.

3 Ad nostrum propositum, illa dicitur vera confessio, quæ est conformis delicto reuera perpetrato, quale enim est delictum, talis debet esse confessio, vt dicatur vera. Confessio vero falsa est difformis delicto, quod vel negatur factum, si reuera fuit factum; vel affirmatur factum, quod reuera non est factum. Confessio quoque vera exprimitur vel per affirmationem; vt, *occidi Petrum*, si conformis sit affirmatio delicto; vel per negationem; vt, *Non occidi Petrum*, si negatio sit talis, qualis Petrus apparet adhuc viuere.

4 Vera confessio sufficit ad condemnationem, non autem falsa Conclusio est certa apud omnes *cum Farinac. quæst. octogesima prima, numero tertio*, de vera confessione, *& numero vigesima prima* de falsa confessione. Ita quod confessio ex parte falsa, in totum dicitur falsa, quia talis præsumitur. *Secinus conf. 82. num. 2. lib. 3. Decius conf. 536. numero decimo. Farinac. num. 22.* Dixi *cap. 69. num. 20.* Quare confitens se occidisse Petrum, qui tamen apparet viuus, nulla ratione est condemnandus, quia hæc confessio est falsa, *l. Inde Neratius §. fin. & l. seq. ff. ad legem Aquil. Farinac. num. 24.*

Sed quid dicendum in dubio, an confessio sit vera, vel falsa?

5 Præsumitur vera, non falsa, quia falsitas non præsumitur, *Handed. lib. 1. conf. 109. numero 15. Cirsacus tom. 2. controu. 379. numer. 15. ex l. cum precibus, C. de probat. cap. in præsentia, de renunt. Marsil. conf. 51. num. 33.* Ita docet aliis allegatis Farinac. quæst. 81. num. 23.

6 Certitudo importat claritatem in confessione facta super delictum, qua stante euidentia intellectus firmiter adhæret delicto confessato. Incertitudo vero ei opposita importat obscuritatem in asserta confessione, quatenus duplicem potest habere sensum, vel vnum cum dependentia ad alterum, ex quibus confessio dicitur incerta, dubia, implicita, & non expressa, ac proinde carens debita claritate. Afferam exemplum secundum duplicem sensum in hac propositione: *Homicidium fuit a nobis commissum.* Con- 7
fessio hæc non est certa, sed dubia, & incerta, dum potest habere duplicem sensum, nam illud *Nobis* referri potest ad rixam, in qua confitens erat, & ex qua secutum fuit homicidium, & non ad vulnera, & percussiones, vel ad vtrunque & quod fuit in rixa, & quod vulnerauit, ita docet *Berous lib. tert. conf. 178. num. 24. apud Farinac. quæstion. octogesima prima, num. 32.* qui subdit, eam non nocere confitenti ad condemnationem, quia confessio est dubia. Aliud exemplum in negante aliqua delicta, & tacente alia, super quibus omnibus fuit interrogatus, nam sic respondens confessionem facit dubiam, & incertam, an commiserit ea, quæ tacuit, negatione aliorum. Neque huiusmodi responsio reum damnat, vt ibidem de communi docet.

Quare cum huiusmodi confessio non noceat confitenti, sequitur, quod debeat interpretari in bonam partem, vt docent omnes *cum Farinac. quæstion. 81. num. 35.* limitando primo in foro conscientiæ: *Sub num. 36.* Secundo, non procedere in homine malæ famæ, de illo enim non potest præsumi nisi malum, iuxta quod *dixi cap. 52. num. 24.* Tertio, non procedere in confitente ea, quæ sunt de se mala; in his enim, & prædictis confessio accipienda est in malam partem, *sub num. 38.* Nihilominus id non sufficit ad condemnandum, quia confessio hoc modo limitata non euacuat effectum incertitudinis. 8

Quamuis confessio incerta, & dubia non sufficiat ad condemnationem; facit tamen ad torturam, ex huiusmodi enim confessione oritur violenta præsumptio delicti sufficiens ad torturam. *Farinac. quæstion. 81. numero 39.* 9

Verisimilitudo approximatur veritati, si ipsum obiectum in se videri non potest immediatè, tunc enim veritas appareret in se; vnde per hanc approximationem dicitur cognata naturæ, quia per ipsam quæritur res secundum suam naturam, & prout est ex parte rei, indagatur ergo voluntas hominis à verosimili *l. Non est verisimile ff. de eo, quod metus* Et qui arguit à verosimili, arguit à ratione naturali, cum similitudo sit cognata naturæ, & pro lege habeatur secundum *Bald. vol. 3. conf. 180. numero 3. Oldrad. conf. 13.* vnde illa in quauis materia est attendenda, *l. ob crimen §. Vltimo ff. de testib. cap. in nostra de testib. Paris. quæst. 26. numero decimo, de confid. benef.* 10

Inuerisimilitudo vero est illa, quæ habet imaginem falsitatis; *Bald. in l. 1. C. de seruis fugit. Surd. decis. vigesima-tertia, num. decimo-quinto*, approximatur ergo falsitati, & longè abest à veritate. Præsumitur autem inuerisimile, quod ferè nunquam ac- 11
cidit, vel rarissimè, è contra verò illud dicitur veri- 12
simile, quod plerumque fieri solet, seu quod communiter fieri solet, *Craneta conf. 40. numero 30. Vercell. tract. 6. quæst. moral. numero 13.*

Confessio igitur necessaria ad reum condemnandum debet esse vera, certa & clara, atque præterea verisimilis fundata in aliqua causa, si enim aliquis fateatur se occidisse, & non reddat causam verisimilem asserti homicidii, talis confessio non est verisimilis, dum non constat de causa, nullus enim præsumitur delinquere sine causa, quicquid enim agit homo propter finem agit, cum ergo confessio sine expressione causæ habeatur pro inuerisimili, non potest esse causa sufficiens ad condemnandum sic confessum. Ita omnes cum *Farinac. quæst. 81. numero 27. & 40. Carena part. 3. tit. 8. numero 30.* 13

CAPVT LXXVI.

De Confessione erronea, & eius reuocatione.

1 Illa confessio dicitur erronea, in qua reus dicit vnum pro alio, errare enim est vnum pro alio putare, secundum *D. August. in Enchir. capite vigesimo-primo, relatum cap. in quibus 6. 22. quaestion.* 2. Differt autem confessio falsa ab erronea in eo, quod licet in vtraque vnum pro alio dicatur, tamen cum malitiosè, & scienter dicitur confessio est falsa, si vero dicatur ignoranter, & inaduertenter, confessio est erronea, non falsa, ideo errans non punitur poena falsi, nec periurus est, quia credidit dicere verum, *ex cap. quanto, de iureiur. ibi Innoc. Host. Anchar. cum alijs* Farinac. *quaestion. 81. num.* 319. Nonnullae quaestiones proponendae sunt, & resoluendae.

Quaeres primo, an confessio erronea sit reuocabilis?

2 Respond. Affirmatiuè, nam quilibet suum errorem emendare potest, cum praeter voluntatem errauerit, qui vnum pro alio putauerit, inquit enim Aristoteles 3. Eth. cap. 3. quod error cuiuscunque circunstantiae tollit voluntarium, quando ergo reus in sua confessione errauit, illam reuocare potest, cum non sit propriè vera confessio, errans enim nihil confitetur, *l. Error C. de iuris, & facti ignor.* Responsio ab omnibus supponitur, dum dicunt, erroneam confessionem esse reuocabilem.

Quaeres 2. An confessio erronea reuocabilis sit non solum à reo, sed etiam à tertio pro ipso errante?

3 Respond. Affirmatiuè, quia quilibet potest adiuuare proximum, releuando illum ab errore, est enim opus misericordiae docere ignorantes. Id autem possunt facere praesertim consanguinei rei, *ex allegatis a* Farinac. *quaestion. octogesima-prima, num. 329. Guazin. cap. 11.*

Quaeres 3. An reuocetur confessio erronea incontinenti?

4 Respond. Quando error contingit incontinenti, cum scilicet reus nondum discessit à conspectu iudicis, certum est, quod reus potest confessionem ex errore factam reuocare, se corrigendo, & declarando, & in hoc omnes conueniunt, sine contradictione, nec tenetur docere de errore. *Farinac. quaestion. octogesima-prima, numero 348. Carena parte tert. tit. 8. num. quinquagesimo-primo, Castropal. tom. prim. tract. quarto, disput. octaua, parte decima-prima, §. primo, numero tertio,* loquentes de reo in S. Officio.

Quaeres 4. An ex interuallo reus possit suam confessionem reuocare, ita quod prior confessio erronea illi noceat?

5 Respond. Affirmatiuè; quod reus potest reuocare confessionem erroneam, ita vt illi amplius nocere non possit, probato errore. Ita omnes *cum Farinac. quaestion. octogesima-prima, numero 315.* Nam confessio, vt nocere possit reo, debet ab eo fieri ex certa scientia, & proprio consensu, & voluntate, nullam patiens exceptionem; erronea autem non est talis, cum careat scientia, consensu & voluntate, nam errans ignorans dicitur, Matth. 22. 29. *Erratis nescientes scripturas*, & errans non consentit. *l. Si per errorem 15. ff. de iurisdict. omn. iud. l. Nihil 117. de reg. iur & vbi est error, nulla ibi est voluntas, l. Testamentum, l. Non idcirco ff. de iuris, & facti ignor.* Deducunt autem hanc responsionem ex *l. 1. §. Si quis vltro ff. de quaest.*

Quaer. 5. An confessio non solum spontanea, sed etiam extorta per tormenta, reuocari possit, quando est erronea?

6 ℞. Sic, quia error semper emendari potest in quocunque casu. Ita de confessione spontanea, & ex tortura omnes *cum Farinac. qu. 81. num. 315.* vbi in fine ait esse id verissimum.

Quaeres 6. An confessio erronea facta cum iuramento possit reuocari?

7 ℞. Affirmatiuè, quia iuramentum non mutat ipsam confessionem, sed talem relinquit, qualem inuenit, ergo cum remaneat erronea est reuocabilis. Ita *Decius in cap. cum venerabilis, de except. numero 11. Gomez tom. 3. Variar. cap. 1. in Rubr. de delictis num. 66. Farinac. quaest. 81. num. 318. Guazin. Defens. 32. cap. 10. num. 1.*

Quaeres 7. An confessio erronea repetita, & ratificata, possit reuocari?

8 ℞. Non videtur posse reuocari nisi cum magna difficultate, & docto de errore singulariter, & in specie, quia ex repetitione videtur confirmata veritas ex huiusmodi deliberatione, videtur enim inuerisimile, quod in ratificatione non aduerterit errorem maximè ex interuallo temporis, quo potuit considerare veritatem suae confessionis. Ita videtur reconciliare contrarias opiniones *Farinac. quaest. 81. num. 316. Guazin. Defens. 32. cap. 10.* initio videtur sentire oppositum.

Quaeres 8. An acceptata à parte reuocari possit?

9 ℞. Affirmatiuè, aliter si dicamus, nulla confessio reuocari posset, quia in fine examinis, si fiscalis non est praesens, iudex pro eo eam acceptat. Ita aliis citatis *Farinac. qu. 81. num. 321. & 323. Guazin. Defens. 32. cap. 10. num. 9.*

Qu. 9. An post sententiam latam reuocari possit?

10 ℞. Sic, quia sententia cum sit secundum allegata, & probata, in quibus non constat de errore, non tollit occultum errorem, qui in confessione subrepit. Ita omnes *cum Farinac. quaestion. 81. num. 327. Guazin. Defens. 32. cap. 10. num. 3.* Imò etiam post executionem, *ex Beroo cons. 201. num. 19. Baiard. cons. 55. num. 58.* apud dictum Guazinum

Quaeres 10. An post appellationem reuocari possit confessio erronea?

11 ℞. Affirmatiuè, quia vna est cognata alteri, tendunt enim ambae ad defensionem rei, ergo appellatio non obstat reuocationi. *Farinac. qu. 81. n. 328. Guazin. Defens. 31. cap. 10. num. 3.*

Quaeres 11. An reuocari possit, quando indicia sunt contra reum?

12 ℞. Potest, & iudex eam admittere debet, quibuscunque indiciis non obstantibus. *Farin. ac qu. 81. numer. 330. & 332. Guazin. Defens. 32. cap. 10. num. 4. Carena part. 3. tit. 8. num. 52.*

Quaeres 12. An sit reuocabilis, quando alias reus fuit confessus etiam extraiudicaliter?

13 ℞. Non esse reuocabilem, vt quam plures docent *apud Farinac. qu. 81. num. 336.* vbi de hoc dubitat, *Guazin. Defens. 32. cap. 10. num. 5. §. sed aliqui.*

Quaeres 13. An facta sub spe impunitatis sit reuocabilis?

14 ℞. Sic, quia tendit ad defensionem rei, sicut ipsa impunitas, ergo reuocari potest. *Guazin. Defens. 32. cap. 10 num. 10.*

Qu. 14. An confessio erroneè facta ab ignorante in puncto iuris possit reuocari?

15 ℞. Sic, quia error iuris non spectat ad confessionem, quae in manifestatione facti consistit, vnde nec ex hoc ei confesso, vt dixi cap. 69. num. 26. Ita *Hondad. vol. 1. cons. 101. num. 147. Bald. lib. 1. cons. 39. Menoch lib. 2. cons. 191. num. 68.* quos refert *Guazin. Defens. 32. cap. 10. num. 11.*

Quaeres 15. An, & quomodo reuocans suam confessionem debeat probare errorem?

Respond.

16 Respond. Assertus error à reuocante suam confessionem probandus est, quia confessio in dubio præsumitur vera, non erronea. Vt omnes docent *cum Farinac. quæstion. octogesima-prima, num.* 337. Adducenda autem est causa erroris, aliter non dicitur docere de errore, *numero* 344. Potest autem error probari non solum per testes legitimos, sed etiam per coniecturas, quæ & ipsæ inducere possunt plenam probationem fauore rei, *ex allegatis à Farinac. quæstion octogesima-prima, numero* 340. & 341. Non tamen potest probari per tormenta ipsius rei, quia pro se non est testis idoneus, *num.* 342. quia tortura non tollit, nec reuocat confessionem, vt ibidem dicit Farinacius. Vide Guazin. capite duodecimo.

Quæres 16. An in confessione extorta reuocata probanda sit causa erroris?

17 Respond. Confessio erronea emanata ex tortura reuocatur allegando solum metum tormentorum, solus enim metus potest esse causa erroris, valde enim perturbat mentem torti, vt possit errare. Ita *Farinac. quæstion. octogesima prima, numero* 346. *Sousa libro secundo, capite vigesimo, numero quinquagesimo-quinto. Carena parte tertia, titulo octauo, numero quinquagesimo-quarto.*

Quæres 17. An probans errorem cadentem in culpam latam faueat suæ reuocationi? Quid sit culpa lata, leuis, & leuissima? *Farinac. quæstion.* 88. *num.* 48. *ad* 100.

18 Respond. Negatiuè, quia culpa nemini debet patrocinari maximè lata. Ita *Farinac. quæst. octogesima-prima, numero* 147.

Quæres 18. An reuocatio confessionis erroneæ respectu hominum facinorosorum prosit?

19 Respond. Negatiuè, quia præsumitur potius calumniosa, quam iusta defensio. Ita *Farinac. quæst.* 38. *num.* 100. *Conale. de brachio regio parte tertio, numero* 205. *cum alijs Guazin. Defens.* 32. *cap.* 10. *in fine.*

20 Aduertat autem iudex, quod quando dubitatur, an confessio sit erronea, eam non esse admittendam, quia vt supra dixi, confessio in dubio præsumitur vera, maximè in confessione sponte facta, & à reis astutis, & sagacibus, qui per reuocationem intendunt se eximere à pœnis, & calumniare partem.

Quæres 19. Quid requiratur in reuocanda confessione extraiudiciali?

21 Respond. Nihil requiritur nisi simplex retractatio, in hoc enim differt à iudiciali, in qua error probandus est, non in illa, & hoc modo non facit indicium ad torturam. Ita *Clarus quæstion. vigesima-prima numero decimo. Natta conf. sexto, num. quarto, Roland. lib. tert. conf.* 31. *num.* 17. *cum alijs GuaZini Defens.* 32. *cap.* 12. *num.* 12.

Quæres 20. quænam sint causæ, quibus confessio reuocari potest?

22 Respond. Ignorantia, Obliuio, Metus, Ira, Dementia & Persuasiones, quas expendit *Guaz. Defens.* 32. *cap.* 13.

23 Ignorantiæ causa spectatur in personis rusticis, rudibus, & imperitis, qui dicunt tam contra se, quam pro se, ex allegatis Doctoribus ab eodem Guazin. num. 3.

24 Obliuio, & inaduertentia speciem habent Ignorantiæ, & ideo quæ dicuntur de ignorantia applicantur obliuioni, & inaduertentiæ. *Socin. Reg.* 219. *Mascard. concl.* 650. *cum eodem, num.* 5.

25 Metus debet talis esse, vt cadat in constantem virum, & debet vestiri aliqua probabili causa, & verisimilitudine, vt docet *Guazin. num.* 3.

26 Ita debet esse grauis, quæ impediat animum, ne se at cernere verum, ex *l. quicquid calore ff. de reg. iur. Roman. singul.* 108. *Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero quinquagesimo-sexto, Guazin. numero quinto.*

Dementia, & fatuitas manifestè demonstrans errorem, qui contingit ex defectu rationis, & hæc inter alias est potissima causa reuocandi confessionem erroneam. Guazin. num. 6. 27

Persuasionibus quoque quis inducitur ad erroneam confessionem, & ex aliis accidentibus, vt ex impunitate, ex suggestionibus, ex impatientia carceris, &c. de quibus idem Guazin. num. 6. & 7. 28

CAPVT LXXVII.

De Confessione Minoris.

Minor à natiuitate vsque ad annum vigesimum-quintum completum homo vocatur, à quo tempore dicitur hic, & hæc homo esse in ætate perfecta secundum iura allegata *à Glos.* 11. *Perfectæ Institut. de fiduc. tutela.* Infans autem dicitur ab ortu vsque ad septennium completum, *l. Infanti* 18. *C. de iur. deliber.* Pubes masculus ab anno decimo-quinto cæpto; fœmina vero ab anno decimo-tertio inchoato, *ex Instit. Quibus modis tutela fin. cap.* 3. *de desponsat. impub.* Pubertati proximus masculus à decimo ad decimum-quartum completum; fœmina à nono cum dimidio vsque ad duodecimum completum, *Glos. in l. Pupillum ff. de regul. iuris, Gomez de delictis cap. primo, numero quinquagesimo-octauo, ex illis GuaZin. Defens.* 30. *cap.* 11. *numero sexto, His præmissis.* 1 2 3 4

Dico, de iure communi minoris confessionem, sine tutoris, aut Curatoris auctoritate facta esse ipso iure nullam; ex practica tamen, & approbata consuetudine intra Italiam valet sine illorum auctoritate; imò etiam de iure communi eorum auctoritas non requiritur in interrogatoriis, & examine illius, neque dum torturatur, sed eorum auctoritas restringitur ad faciendum decretum de torquendo, & dandum iuramentum de veritate dicenda, in his duobus tantum requiritur dictorum auctoritas; testificatur autem sine prædicta auctoritate; demum ex auctoritas est de solemnitate iudicij, non de substantialibus. 5.

Prima pars, quod iure communi ad valorem confessionis sit necessaria dicta auctoritas, probatur expressè *ex l. Clarum quart. C. de auctor. præstanda, l. In vniuersis vndecima, C. qui dare tutor. l. Propter sept. C. de adulter.* Doctores allegant Farinac. *quæstion. octogesima-prima, num.* 352. *Carena part. tertio, titul. octauo, numero quadragesimo-secundo, GuaZin. Defens.* 32. *cap.* 32. 6

Secunda pars, de auctoritate tutoris facit pro infantibus, & pupillis, illius enim confessio etiam cum auctoritate tutoris nullius est momenti, dum vix aliqualem vsum rationis in se tenuio incipit habere, vnde potius comparatur dementi, quam quod sit intelligens, *ex allegatis à Farin. qu.* 81. *num.* 353. Pupilli vero confessio facta cum auctoritate tutoria valet quidem quo ad solemnitatem iudicij, & facti veritatem, non vero in ordine ad torturam, cuius non est capax puer, nisi post decimum-quartum annum expletum ex eodem Farinac. num. 364. 7

Tertia pars, de auctoritate curatoris refertur ad minorem ab anno decimo quinto cæpto ad vigesimum-quintum completum, *Farinac. quæstione octogesima-prima, numero* 356. Viuente etiam patre illis datur, *numero* 354. Imò & patrisfamilias dum est minor, licet habeat filios, *num.* 355. & quando alias non habet curatorem, illi dandus est, *numero* 357. à iudice, coram quo agitatur causa, ex 8

Doctoribus allegatis à *Guazin. Defens.* 32. *capito* 32. *numero quarto.* Imo & procurator dari potest loco curatoris, *numero* 367.

9 Quarta pars, de eius nullitate firmatur ab omnibus ex citatis iuribus cum *Farin. quæstion. octogesima-prima, numero* 351. *Carena part. tert. titulo octauo, numero quadragesimo-secundo. Sousa libro* 2. *capito vigesimo, numero quinquagesimo-sexto.* Procedit nullitas, licet confessio fuerit iurata, *Farinac. numero* 359. quia iuramentum sequitur naturam actus, super quem cadit; item & quamuis fuerit repetita, & ratificata, quia quod nullum est, confirmari non potest, confirmatio enim debet habere præiacentem materiam, quæ possit confirmari, *ex numero* 360.

10 Quinta pars, quod eorum auctoritas requiratur tantum in faciendo decretum de tortura, & in dando iuramentum, non autem in examine, & tortura, docetur ab omnibus *cum Farinac. quæstion. octogesima prima, numero* 362. & 365. *Guazin. Defens.* 32. *cap.* 32. *numero* 3.

11 Sexta pars, quod in contrarium sit praxis, & consuetudo approbata, amplectitur ab omnibus in Italia, vt testantur Doctores allegati *à Farinac. quæst. octogesima prima, numero* 370. *Carena part.* 3. *tit. octauo, numero quadragesimo-quarto*, vbi ait minoribus supra decimum-quartum annum non dari curatorem in criminalibus in Italia, & Gallia etiam in foro Sancti Officij, numero quadragesimo-quinto, vbi ex Pegna ait, idem seruari Romæ.

12 Septima demum pars, quod hæc auctoritas sit de solemnitate iudicij, ac proinde de apicibus iuris, asseritur *à Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero* 362. Consequenter nec à Religiosis iudicibus obseruandum est, quod eorum Religiosis minoribus detur curator, vnde & ipsi obseruare debent praxim aliorum iudicum, qui non admittunt reos minores cum prædictorum auctoritate.

13 Quando non iidem minores etiam rei funguntur officio testis, tunc de iure, testificantur sine auctoritate, *ex eodem Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero* 369. De minore teste inhabili dixi cap. 11. numero vigesimo-quarto, qui ideo non facit indicium ad torturam, vt dixi capite quinquagesimo-quinto, numero decimo-quinto.

Quæri hic potest, an reus restitui possit in integrum contra suam confessionem?

14 Respond. Minori conceditur restitutio in integrum aduersus suam confessionem, quando sentit se læsum, & grauatum, *ex l. certum ff. de confess. cap. fin. eodem. Farinac. quæstion. octogesima-prima, num.* 374. Dixi, quando se sentit læsum, aliter non admittitur, cum dicatur veritatem fuisse confessum, *ex Oddo de restit. in integr. part. secunda, quæstion. sexagesima-quinta, numero decimo-quinto, Sarmient. select. interp. libro tertio, capito decimo-tertio, num. quinto & sexto.* quod non placet *Farinac. quæstion. octogesima prima, numero* 388. debet autem docere de errore, & læsione, maximè quando confessio fuit grauata ex indiciis, *numero* 378. Procedit restitutio *Primo*, siue fuerit facta cum curatore, siue sine curatore, *numero* 376. *Secundo*, licet, fuerit iurata, *numero* 380. Tertio, etiam ratificata, *numero* 379. Quarto, etiam in atrocissimis, *Grammat. cons.* 16. *Gomez. de delictis capite primo, numero sexagesimo-sexto*, contrarios allegat. *Farinac. quæstion. octogesima-prima, numero* 383. Semel autem conceditur, & non vltra, *numero* 390.

CAPVT LXXVIII.

De Tortura Reorum.

SOlent rei primo constituti coram iudice negare constanter delictum, super quo fuerunt querelati, ne autem crimina remaneant impunita, sed à reis cogantur manifestari, in subsidium probationum inuenta fuit tortura cum aliis tormentis ad eruendam veritatem ab illis, ne possint effugere debitas pœnas. Est igitur tortura medium probatiuum delicti negati à reo semiplenè saltem probati, quando desunt testes, per quos reus dicitur conuinci. Proponendæ sunt quæstiones, & resoluendæ in sequentibus. 1

Quæres 1. Quænam personæ possint, vel non possint torqueri?

Respond. Omnes illæ personæ torqueri possunt, 2
quæ priuilegium aliquod non habent, ne torqueantur; prohibentur autem torqueri vel priuilegio exemptionis, vel ratione periculi propriæ, vel alienæ vitæ. Priuilegiati autem sunt Minores, Senes, Mulieres prægnantes, vel lactantes, infirmi, Surdi & muti, Energumeni, & Dignificati. De singulis aliquid dicendum.

Minor infra decimum-quartum annum etiam 3
completum non potest torqueri, l. De minore ff. de quæstion. Ita omnes *cum Claro quæstion. sexagesima-quarta, numero vigesimo. Farinac. quæstion. quadragesima-prima, numero decimo-sexto, Guaz. Defens.* 30. *cap. vndecimo, numero primo.* Infantes nec terreri possunt, vtique vero pupilli proximi pubertati possunt ligari, sed non eleuari, *ex Farinac. quæstion. quadragesima-prima, numero* 107. Proximus 4
pubertati dicitur masculus ab anno decimo cũ dimidio ad decimum-quartum; fœmina ab anno nono cum dimidio, ex allegatis *à Guazin. Defens.* 30. *capito vndecimo, numero sexto.* Excedens vero decimum-quartum leuiter torquetur, *Anton. Gomez. tom. tert. variar. capite primo, Rubr. de delictis numero sexagesimo-septimo. Farinac. quæstion. quadragesima-prima, numero vigesimo-primo.* Quæ locum habent etiam in crimine læsæ maiestatis humanæ, vt minores 14. annis non eleuentur, licet ligari possint, & terreri, *Miranda quæstion. vigesima-sexta, numero* 211. *Royas sing.* 208. *numero quinto Guaz. Defens.* 30. *capite decimo-octauo, numero quarto, cum illis Diana part. quart. resol. vigesima-nona, de tortur.* Contra Farinacium *quæstion. quadragesima-prima, numero* 102. & 103. asserentem posse torqueri, si non sit periculum vitæ; & in crimine hæresis *Castropal. part. prim. tract. quart. disput. octau. part.* 9. *numero decimo quarto, Carena part. tert. decim. numero* 140. contra plures alios, quos pro se citat Diana præcitatus.

Nec vrget l. De minore decim. ff. de quæst. licet 5
expressè videatur decisum his verbis: *De minore* 14. *annis quæstio habenda non est, sed omnes omnino in maiestatis crimine, si ad testimonium prouocantur, cum res exigit torquentur.* Nam respondetur illa verba *Omnes omnino* referenda esse ad cœteros priuilegiatos, non vero ad minores 14. annorum, iuxta illud Esther 15. 13. *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Lex ergo est pro cœteris, non pro minoribus. Et in Sancto Officio ad nihil deseruit, cum testes non torqueantur, nec illis detur iuramentum in quouis foro, cap. Pueri 15. 21. quæst. quinta. In nullo igitur casu minores præfati torquendi sunt, nec in proprio, nec in alieno capite.

De minori in ratione testis inhabilis dixi capite 6
vndecimo, numero vigesimo-quarto, non facit in-

dicium

dicium ad torturam, capit. 55. nomer. 15. quis dicatur minor, & de eius coofessione præced. capit. 77.

7 Senes dicuntur ab anno seaagenario inchoato, Decrepiti vero ab anno septuagenario, *ex Cyrillo in sum. crimin. Rubr. 29. de quæstion. §. secund. numero prim. Nevell. in Pract. ad Defens. tit. de homic. numero 45. apud Guazin. Defens. 30. capit. 15.*
8 *numer. 5.* Seaagenarium vocat senem *Suar. libro septim. disputation. 32. numer. 17. Pasqualig. decis. 256. de ieiunio numero sexto & septimo,* vbi probat seaagenarium eximi ab obligatione ieiunij, quia ea ætas senilis est, in qua calor naturalis incipit debilitari, & spiritus minui, vnde facile corruit, & labitur senea in morbum, ex Galleno libro quint. de sanit. tuenda, licet alias quis sit robustus, quia robur facile declinat ea debilitatione caloris naturalis, & spirituum, & ideo probabiliter cum timeri possit periculum vitæ senis, nullatenus est torquendus sexagenarius licet robustus appareus ea dispositione externa corporis.

9 Communis tamen opinio est, vt solum septuagenarij non torqueantur, *apud Farinac. quæstion. quadragesima-prima, numero vigesimo-quarto ad vigesimo-octavo,* nisi sint robusti, *ex eodem Farinac. & Carenaparte 3. titul. 10. numero 142.* contra Guazio. *Defens. 30. capit. 15. numero quart. §. quod tamen, Bertaz. consil. 105. numer. quart. & quint. Suarez in Thesauro 11. Senex* cum aliis, qui idem dicunt in crimine vtriusque læsæ maiestatis, vt decrepiti non torqueantur, nisi sint robusti, modo non sint pingues, & tuoc affligendi non sunt, nisi leuissima tortura, ea citatis ab eodem Guazioo. Diana vero *aliis citatis part. quart. tractat. 6. resolut. 29. §. Dicendum,* ait, senes oon esse torquendos etiam in his delictis, ergo oec sexagenarij, qui dicuntur senes, & multo minus septuagenarij.

10 Mulieres prægnantes, & lactantes non torquentur, immo nec terrentur maaime prægnantes, non solum propter periculnm partus, sed etiam propriæ vitæ, immo oec post partum, nisi transacto quadragesimo die, tunc enim maius imminet sibi periculum, propter morbum parturitionis. Ita omnes cum *Farinac. quæstion. 41. numer. 82. Guazin. Defens. 30. capit. 14. numer. prim. Carena part. 3. titul. decim. numer. 144. Diana part. quart. tractat. sext. resolutio. 29. §. Notandum.* Qoouis modo sit prægnans etiam ea coitu illicito, *ex præcitatis Farinac. numero 65. Gomez de delictis capit. 13. numero 57. Guazin. §. qua conclusio.* Licet fœtus nondum sit animatus, *Farinac. numero 84. Baiard. ad Claram quæstion. 64. numero 76. ex Guazin. §. Et procedit.*

11 Lactantes vero eadem gaudent eaemptiooe, licet inueniri possint aliæ outrices, maaime quando sunt matres lactantes, quia maaimum subeunt periculum vitæ, & perditioois lactis. *Farinac. quæstion. quadragesima-prima numero 80. Guazin. Defens. 30. cap. 15.*

12 Infirmi & valetudinarij non sont torqueodi, ob periculum vitæ, nec laborantes morbo gallico, brachio debilitato, asmatici, & similibus defectibus, pariter laborantes quartana non suot torqueodi eo die, quo sont infirmi. Ita *Laderchia consil. 184. Grammat. consil. 40. Decian. resp. 93. ex illis Guazin. Defens. 30. cap. quart. numer. 25. & cap. 16. Diana part. quart. tractat. sext. resolutio. 29. §. Et tandem.*

13 Mutus & surdus à natiuitate non est torquendus, quia expressa veritas ab eo erui non potest, dum est mutus, & sic frustra torqueretur. *Farinac. quæstion. 41. num. 88. & 91. cum aliis Guazin. Defens. 30. c. 13.*

14 Energumenus non est torquendus. Ita *Ruginellus practicar. quæst. cap. 38. Carena part. tert. titul. decim. numer. 146.* Ne à diabolo suffocetur; adde & oe decipiatur iudex respondente diabolo, & non reo torto.

Dignificati noo torquentur, cuiusmodi suot Episcopi, Cardinales, Magistratus, Gubernator &c. 15
Sed consuetudo est in contrarium, de qua te Farinac. *quæst. 41. num. 95. & seq. Guazin. Defens. 30. cap. 17.*

Supradicti omnes torti, eum oon essent torquendi, 16
non sunt ea hoc præcise puniendi, quia eorum confessio extorta etiam iurata, & ratificata eis non nocet, cum sit illa tortura contra dispositionem iuris. *Farinac. quæstion. quadragesima prima, numer. 95. cum aliis Guazin. Defens. 30. capit. 58. numero prim.* Pro crimine hæresis, & læsæ maiestatis humaoæ, priuilegiati ratione dignitatis torquentur, non vero priuilegiati ratioor personæ, ob periculum vitæ, quod incurrere possunt. *Farenac. quæstion. quadragesima-prim. numer. 105. Guazin. numer. 4.*

Quæres 2. An vt quis torqueri possit debeat prius constare de corpore delicti.

Respond. Affirmatiue respectu eorum delicto- 17
rum, quæ post se relinquunt aliquod vestigium. Ita omnes *cum Clare quæstion. 64. §. Debet autem, Farinac. quæstion. 38. numer. septim. Carena part. 3. titul. 10. numer. 156. Guazin. Defens. 30. cap. quart. Mar. Anton. lib. 3. resol. 44. num. 4.*

Quæres 3. An conuictus possit torqueri?

Respood. Potest io aliquo grauissimo delicto ad 18
eum finem, ne appellet à senteotia, si sit spes, quod per torturam confiteatur delictum, quia cooaictus simul, & confessus non appellat, *lib. secund. Cod. quorum appellat. Bald. in l. Observare, C. eod. & l. 1. C. de iuram. calumn.* Ita Farioac. *quæstion. 38. numero quart. quæstion. 40. numer. 5. Miranda quæstion. 26. numero 23. & seq.* Alias abstinendom est, ne iudex sit earnifex, qui debet esse solius veritatis indagator, quam habet per legitimos testes, ergo illa sit contentus, vnde vti certus vlterius non est certiorandus, maxime, quia solum datur in subsidium probationom, *Farinac. quæstion. 38. numer. 4. Miranda quæst. 26. num. 24. Guazin. Defens. 30. cap. 2. num. 3.*

Quæres 4. Qualis probatio prærequitatur, vt reus torqueri possit?

Respond. Semiplena probatio delicti necessaria 19
est, vt reus torqueri possit, ea ratione, quia ad condemnationem requiritur plena probatio, per quam de delicto plene coostat, nullus enim damoari potest, nisi sit vel conuictus, quod contingit per plenam probationem, vel confessus ore proprio, ergo ad torturam requiritur alia mioor probatio, quæ est semiplena, si enim reus esset conuictus, ac proinde plene constaret de delicto, non esset opus tortura, quæ est in subsidium probatiooum, ergo semiplena probatio est necessaria, & illa tantum sufficit ad torquendum reum, quando alia via non potest haberi veritas ex ore rei, aut aliis probationibus. De hac semiplena probatione *Spathun. tractat. 9. cap. 10. numero 3. Compend. Rodriq. resolut. 45. numer. secund. Thomas à Iesu tract. 3. cap. 13. numer. 8.* contra de Angelis Carmelitam cap. 24. nom. 6. qui petit maiorem probationem, quam semiplenam, eitando pro se Aldrete, & Martinum à S. Ioseph, sed non placet, qoia maior probatio semiplena, & minor plena, sufficit ad pœnam extraordinariam, vt dixi capit. 5. numero 14. ergo semiplena sufficit ad torturam, vt gradatim procedatur.

Sed quid est semiplena probatio inducens contra 20
reum nolentem confiteri delictum semiplene probatum?

Respond. Est illa, quæ oriri potest ex tribus. *Primo* ex depositione vnius testis omni exceptione maiorla, qui viderit fieri delictum, dictus ocularis, vel auricularis, debet enim immediatè tangere delictum suo visu, aut auditu iuxta exigentiam delicti. Vt latius diai capit. quint. numero 19. *Secundo* ex indicio proximo, & multum vrgente probato legitimis testibus resultat semiplena probatio, de proximo indicio dixi cap. 51. quæst. 9. *Tertio* resultat semiplena probatio ex pluribus indiciis remotis plene probatis, iuxta dicta ibidem. Ex vno igitur trium prædictorum reus subiicitur torturæ, vt magis infra patebit, discurrendo per singula.

Quæres 5. An vnicus testis faciat semiplenam probationem ad reum torturandum.

21 Respond. sic, qui sit omni exceptione maior ocularis, seu auricularis, etiam contra reum alias bonæ famæ, ratio illius est, quia duo integri testes sufficiunt ad condemnandum reum, vt constat apud omnes, ergo ad torquendum sufficit vnus, cum id sit quid minus, quam condemnatio. Ratio secundi est, quia querelatus esto sit bonæ alias famæ, statim tamen ac est querelatus grauatur eius opinio, *Gloss. 11. Pendente accusatione cap. fin. de testib. & capit. quart. de accusat. vbi Glos. 11. Nuntiantur,* vt dixi etiam capit. quint. numer. 20. Quod vnicus testis sufficiat ad torturam docet de communi *Farinac. quæst. 36. numero 224. & quæst. 37. numer. 58.* cum multis aliis ibidem à me citatis? vbi etiam citaui plures asserentes, vnicum testem licet integrum non sufficere ad torquendum reum bonæ famæ, nisi in casibus exceptis, & difficilis probationis, sed magis mihi placet opinio contraria, ex allata ratione.

Quæres 6. An vnicus testis defectuosus cum adminiculis sufficiat ad torturam?

22 Respond. Vnicus testis vnum tantummodo patiens defectum adminiculatus aliquo bono indicio sufficit ad torturam contra reum etiam bonæ famæ, non si patiatur plures defectus.

23 Prima pars de teste adminiculato probatur, quia per illud adminiculum tollitur defectus, & testis habilitatur, non requiruntur autem plura adminicula, quia vnum sufficienter opponitur vni defectui. Ita *ex Romano cons. 451. numer. quart.* Farinac. *quæstion. 37. numero 56. Guazin. Defens. 30. cap. 30. numer. quint.* loquentes in plurali de adminiculis, sed meo iudicio sufficit vnum, quia plura sufficiunt sine oculari teste, vt infra dicam.

24 Secunda pars contra reum bonæ famæ patet ex præcedenti quæstione, nam testis adminiculatus habetur pro maiori omni exceptione.

25 Tertia pars de insufficientia testis plures defectus patientis asseritur ab omni cum *Farinac. quæstion. 37. numer. 64. Honded. vol. 2. cons. 93. numer. 83. Guazin. defens. 30. cap. 30. numer. 4. Natta vol. 2. cons. 354. num. 6.*

Quæres 7. An ex dicto vnius testis vnicum patientis defectum torqueri possit sine aliquo adminiculo reus malæ famæ?

26 Respond. Affirmatiuè, quia mala fama sufficienter adminiculatur testem reddendo habilem, dum de mala fama constet in processu. Ita *Bajardus ad Clarum quæstion. 21. numer. 15. Menoch. libro prim. de præsumption. quæstion. 89. numer. 6. Diana ex illis part. quart. tractat. 6. resolutio. 6. §. Vnde è contra.*

Quæres 8. An duo testes inhabiles sufficiant ad torturam?

27 Respond. Duo testes inhabiles de visu, aut auditu propriis vnicum patientes defectum, sufficiunt ad torturam, quia faciunt semiplenam probationem, ac si esset vnus testis omni exceptione maior. Confirmatur, quia si vnus inhabilis cum adminiculo probat ad torturam quæstion. sext. & septim. à fortiori duo licet inhabiles, quia fortior est probatio per testes, quam per indicia. Ita Castropal. *part. prim. tractat. quart. disputat. 8. part. 15. §. 4. numero prim. quem citat Diana part. quart. tractat. 6. resolut. 11. §. Nota quarto, & tractat. 8. resolut. 57. §. Dico quarto, vbi citat Farinac. quæstion. 188. numero 8. Iannarius Neapolit. resolut. 47. de casib. reseruat. numer. 28. Vercellus tractat. 8. quæst. 44. num. 59.*

Quæres 9. An dictum querelantis, accusatoris, vel denuntiatoris sufficiat ad torturam, quando quilibet eorum est omni exceptione maior?

Respond. Negatiuè, quia ad inducendam torturam requiritur probatio per testem integrum, prædicti autem non dicuntur probare, cum non sint testes, sed causam proponentes deinde probandam per testes. Vide infra cap. 84. q. 4. 28

Quæres 10. An ex dicto vnius, vel plurium sociorum oriatur indicium sufficiens ad torturam contra socium?

Respond. Affirmatiuè, nimirum requiri dictum duorum ad minus sociorum, qui cum iuramento deponent in tortura, vnus non sufficit, nisi sit adminiculatus, cum non sit integer, iuxta dicta quæstion. 6. Dictum ergo duorum sociorum aliud non patientium inducit torturam, quia ambo vniti faciunt semiplenam probationem. Ita *Clarus quæstion. 21. Aldreto libro secund. de disciplina eccles. libro secund. cap. 8. numer. 27. Quevede de indic. cap. secund. numer. 20. Castropal. tom. prim. tract. quart. disput. 8. part. 15 §. 4. numer. prim. Beccanus de iust. quæstion. 10. de iniust. indic. numer. 50. cum Diana resolut. septim. de tortura §. Notandum, Carena part. 3. titul. 50. numer. 37.* Si patiantur alios defectus nihil probant ad torturam, *ex prædictis, & aliis Carlin. capite 10. numer. 120.* De hac quæstione diai etiam capit. 10. quæstion. quart. vide ibidem per totam sect. 15. à numer. 97. 30 An debeant esse concordes loco, & tempore, dixi ibidem num. 109. Vide Vercellum tract. octau. quæstion. quadragesima quarta, numer. 59. sufficere quod sint singulares. 29

Quæres 11. An, & quæ indicia debeant præcedere torturam? Quid, & quotuplex sit indicium dixi supra capit. 51. illuc remitto lectorem, vbi distinxi inter testem, & indicium, vt dictum vnius testis ocularis, seu auricularis non sit vocandum indicium, cum indicium immediatè non tangat delictum, sicut facit dictum testis ocularis, sed tantum percutit circunstantias, ex quibus infertur delictum probabiliter. De indiciis ergo hoc modo quæritur an faciant ad torturam. Alia autem sunt proxima, alia remota, secundum quod magis, vel minus ea circunstantia approximatur delicto. Inter remota sunt fama, fuga, consanguinitas, inimicitia, &c. Inter proxima sunt conuersatio solius cum sola in lecto, repertus cum gladio asperso sanguine apud occisum, &c.

Respond. Quis non potest subiici tormentis, nisi prius sit indiciatus; vnicum autem sufficit indicium ex proximis, ex remotis autem requiruntur ad minus duo, vt reus torqueri possit. 31

Prima pars, quod nullus torqueri possit sine indiciis sufficientibus, est indubitata apud omnes, in l. 1. ff. de quæstion. vbi dicitur, quod à tormentis non est incipiendum, quia tortura est res fragilis, & periculosa, & quæ sæpe veritatem fallit, ideo indicia præcedere debent torturam, per quæ iudex moueatur ad credendum probabiliter, querelatum esse reum, & ideo negans delictum torqueri potest ad eruendam veritatem. Ita omnes cum *Farinac. quæstion. 37. initio, Carena parte tertia, titul. decim. §. tertio, Guazin. Defens. 30. capite quarto,* 32

numero

numero tertio. Et cæterì omnes nullo contradicente.

33 Secunda pars, quod sufficiat vnicum indicium proximum, indubitatum, & vrgens, patet ex eo, quia tale indicium æquìparatur testi oculari, seu auriculari integro, ita enim mouet animam iudicis, vt contrarium credere non possit, cum approximetur ita delicto, vt illud valde probabiliter inferat. Ita Farinac. *quæstion. trigesima-septima, numer. quatragesimo-sexto, & sequent. Guazin. Defens.* 30. *capit. quart. numero* 12. *Carena part. tert. titul. decim. numero* 16. *de Angelis capite duodecim. numero* 10.

34 Tertia pars, quod duo remota sufficiant, probatur, quia sicut sunt remotiora à delicti probatione, ita & debiliora, ergo debent esse plura inter se vnita, vt fortem reddant probationem, virtus enim vnita fortior est. Ita præcitati *cum Diana part.* 4. *tract.* 6. *resol.* 4. §. *Verum.*

Quæres 12. An, & quomodo probanda sint hæc indicia in ordine ad torturam?

35 Respond. Hæc indicia probanda sunt singula per duos testes omni exceptione maiores, etiam singulares loco, & tempore, modo sint concordes in substantia rei, & indicij.

36 Prima pars, quod singula indicia sine remota, siue proxima duobus probentur testibus, est communis apud Farinac. *quæstion.* 37. *numero* 13. *cum aliis quos citaui cap.* 51. *numero* 48.

37 Secunda pars, quod debeant esse omni exceptione maiores, manet probata ibidem num. quadragesimo nono.

38 Tertia pars de testibus singularibus ibidem numero 54. probatur. Vide Farinac. *quæstione trigesima-septima, numero trigesimo-octauo, rem explicantem suo modo.*

Quæres 13. An fama sit indicium sufficiens ad torturam?

39 Respondetur. Non sufficere, nisi sit adminiculata, *iuxta quod dixi capite* 52. *quæstion.* 11. *à numero* 13.

Quæres 14. An fuga faciat indicium ad torturam?

40 Respond. Negatiuè, quia est debile, & remotum, *ex dictis capite* 54. *quæstione quarta, numero quinto.*

Quæres 15. Quænam sint indicia, quæ per se sola sunt insufficientia ad torturam?

41 Respondetur. Leuia, & remota dicuntur singula per se insufficientia ad torturam, quia vt dixi quæst 11. duo ad minus ex remotis necessaria sunt. De his autem dixi cap. 55. enumerando illa, quæ dicuntur leuia, & remota.

Quæres 16. An confessio extraiudicialis faciat indicium ad torturam?

42 Respondetur. Affirmatiuè, iuxta cap. 63. per totum, non obstante, quod sit indicium remotum, quia ex circumstantiis ipsius confessionis censetur quodammodo indicium proximum.

Quæres 17. An tortus superuenientibus aliis indiciis à prioribus diuersis iterum torqueri possit?

43 Respondetur. Posse, modo indicia superuenientia sint diuersa in specie, & substantia à præcedentibus, & de se sufficientia ad torturam, priora enim posterioribus non præiudicant. Ita Farinac. *quæstion. trigesima octaua, numero septuagesimo-nono, Carena part.* 3. *titul. decim. numero* 148. *Diana part. quart. tractat.* 6. *resolut.* 16. Non est autem necesse, quod noua indicia sint fortiora antiquis. Ita præcitati *Diana* §. *Sed ego, Carena numero* 153. quorum indiciorum copia danda est reo, sicut prius. *Pegna part.* 3. *cons.* 54. *Diana* §. *Notandum*, cum aliis.

Quæres 18. An in dubio sit locus torturæ?

Respondetur. Negatiuè, quia in dubio magis fauendum est reo, quam actori Reg. 11. in 6. Confirmatur, quia incerta, & dubia non iudicantur, Cap. Nomen Presbyter. 2. quæstion. prim. sed ante torturam debet iudicium ferri, & decretum fieri sententiæ interlocutoriæ de tortura, ergo iudex debet esse certus, quod reus meretur torturam, & non dubitare de illa. Ita *Caballus casu* 200. *numero* 145. *Ciriacus contr.* 106. *numero* 55. *Guazin. Defens.* 29. *capite secunda, numero quart. Carena parte tertia, titul. decim. numero* 24. 44

Quæres 19. Cum non sit locus torturæ in dubio, an stante opinione dari possit?

Respondetur. Cum aliud sit dubium, aliud opinio; quæ verè opinio est nempe probabilis, certum est, iudicem ea opinione etiam minus probabili posse reum torquere, quia tunc se prudenter gerit. Ita *Delrius libro quint. in Append. quæst. prim. citatus à Diana part. quart. tractat.* 6. *resolut. fin.* exemplificando in ea opinione, quæ docet, posse subiici torturæ reum ex dicto vnius solius socij criminis, contra aliam magis probabilem, non posse, scilicet, nisi adiunctis adminiculis. 45

Quæres 20. An reo torquendo danda sit copia processus, & indiciorum?

Respondetur. Affirmatiuè. etiamsi non petatur, non tamen nomina testium; agitur enim de graui damno inferendo, ideo debet illi constare ex notitia indiciorum, an legitimè torqueatur. Ita omnes cum Diana *part. quart. tractat.* 6. *resolut.* 28. *Miranda quæstion.* 26. *numero* 220. *Carena part.* 3. *titul. decim. numero* 159. Farinac. *consil.* 103. *Guazin.* Defens. 30. *capite quart. numero* 16. *Nouar. consil.* 8. *de accusat. Peyrin. lit. R. cap.* 9. *numero* 6 *Gennens. cap.* 68. *numero* 5. *Sousa lib.* 2. *cap.* 39. *numero* 22. 46

Quæres 21. An detur appellatio à tortura?

Respondetur. Datur, quandocunque non est friuola, sed legitima, ratio est, quia appellatio legitima habet pro obiecto grauamen, quod sine dubio reperitur in tortura danda, non præcedentibus sufficientibus indiciis, iuxta dicta in præcedentibus. Ita omnes *cum Farinac. quæstion. trigesima octaua, numero* 27. *Miranda quæstion.* 26. *numero* 249. *Diana part. quart. tractat.* 6. *resolut.* 20. *Carena parte prim. titul. prim. numero* 127. *& part.* 3. *titul.* 14. *numero quart. Pegna part.* 3. *com.* 31. *Sousa libro secund. capit.* 35. *numero* 6. *Guazin.* Defens. 30. *cap.* 1. Friuola autem appellatio dicitur, quando constat adesse sufficientia indicia ad subiiciendum reum torturæ, vt docent præcitati *cum Rodrig. tom.* 2. *q.* 53. *art.* 10. 47

Quæres 22. An obstinatus nolens respondere possit torqueri.

Respondetur. Affirmatiuè, quia iudex ex semiplena probatione ius acquirit ad interrogandum reum, ergo & ad ipsum torquendum si nolit respondere. Ita omnes *cum Capicia decis.* 145. *Miranda quæstion.* 26. *art.* 4. *concl.* 5. Diana *part.* 4. *tract.* 6. *resol.* 34. 48

Quæres 23. An torqueri possint clerici, & religiosi?

Respondetur. Ecclesiastici legitime indiciati, sicut laici sunt torquendi, nulla etiam præcedente infamia, maiora autem debent esse indicia contra Ecclesiasticos, quam contra seculares; & tortura debet esse mitior, nisi enormitas delicti aliud suadeat, & danda est per laicum practicum. 49

Prima pars, quod torqueantur etiam nulla præcedente infamia, patet, quia nullo priuilegio eximuntur, absurdum enim esset, si non possent torqueri, 50

queri, quia omnes euaderent pœnas persistentes in negatiua delicti, sunt enim & ipsi homines ex natura rei mendaces, & nonnulli aliquando peiores laicis. Ita omnes *cum Pegna part. 3. comm. 110. Salcedo ad Diaz capit. 125. lit. A. Miranda quæstion. 26. numero 189. Diana part. quart. tractat. 6. resol. 36. Carena part. 2. tractat. 1. numero 115.* Exceptis nonnullis, quia tamen nullo fundamento eximunt illos à tortura.

52 Secunda pars, quod maiora debeant esse indicia, suadetur ex qualitate personarum, quæ ratione status censentur esse meliores, quam laici, ac proinde quæ vix sufficiunt pro laicis, sunt insufficientia pro Ecclesiasticis. Ita *Farinac. quæstion. quadragesima-prima, num. 6. Carena part. secund. titul. prim. numer. 115. Guazin. Defens. 30. cap. 10. numero 3.* Id autem relinquitur arbitrio iudicis. Et quando reus est malæ famæ torquendus est sicuti laicus, cum per malam famam abusus sit sua conditione.

53 Tertia pars, quod sint mitius torquendi, probatur ex bono nomine, quod reportant ex conditione sui status, propter honorem clericatus. Ita præcitati *cum Sousa libro secund. cap. 39. numero 32. Spathar. tractat. 9. cap. 22. à Sancto Iuliano cap. 8. Aduert. 3. §. 3. Rodriq. tom. secund. quæstion. 19. artic. 1. fine.* Nisi enormitas delicti, & mala fama aliud suadeat.

54 Quarta pars, quod sit danda per laicum practicum, probatur, quia ligandi sunt per personam vilem expertam in hoc officio, ad euitandam periculum disturbationis, & debilitationis membrorum ob ineptam ligationem, sed hanc experientiam habent solum seculares, ergo id munus illorum est. Ita *Diana part. 4. tract. 6. resol. 36. §. Nota etiam, Carera part. secund. titul. prim. numere 114. §. Adde, Guazin. Defens. 30 capit. decim. numer. quint. Barbosa ad cap. Vniuc situatu 24. de sent. excommun. numero 3.* Et hæc consuetudo est vniuersalissima in Italia, neque enim decens est, vt clericus fungatur officio bitruatij.

Quæres 24. An tortura dari possit in die festu?

55 Respondetur. Dari posse etiam in festis Paschalibus pro eruenda veritate circa enormia delicta. *Tiraquel. de pœnis temp. Causa 49. numere 27.* Id tamen non fit ob cultum Deo debitum, *Farinac. quæstion. 38. num. 107. ex eo Sousa lib. 2. cap. 39. numer. 23.*

Quæres 25. Quot vicibus tortura repeti possit?

56 Respondetur. Vltra tertiam vicem quis non est torquendus pro eodem delicto, ne fiat de iudice carnifex, intellige, quando torturatus variat, si enim semper negat tam in prima, quam in secunda tortura, non est vlterius torquendus, quia videtur sufficienter purgasse indicia etiam vrgentissima. Ita ex *Hipoll. Riminal. vol. 4. cons. 395. numero 42. cum aliis Farinac. quæstion. 38. numero 106. Miranda quæstion. 26. numero 298. Guazin. Defens. 30. capite 24. Diana part. quart. tract. 6. resolut. 24.* referens duas opiniones, primum asserentium, quem torqueri posse vsque ad tertiam vicem, secundum, vsque ad secundam tantum. Sed concordari possunt, vt supra, vt nimirum variantes tertio conqueri possint, negantes vero vniformiter non posse torqueri vltra secundam vicem.

Quæres 26. An eodem die quis pluries torqueri possit?

57 Respondetur. Negatiuè, semel enim torquendus est, & quidem distinctis diebus. *Farinac. quæstion. 38. numer. 103.* de communi. *Guazin. Defens. 30. cap. 25. num. 11.*

Quæres 27. An tortura repeti possit respectu cuiuslibet indicij?

Respondetur. Repeti potest tantum ex indiciu 58
proximo, non autem ex remoto. Ita *Petrus Caball. Cent. 2. cau 193. numero quint. Peregrin. vol. 2. cons. 2. num. 104. Guazin. Defens. 30. capite 23. numero quarto.*

Quæres 28. An tortura diuidi possit?

Respondetur. Diuidi potest, & tunc incipiendum 59
est à minima temporis parte, qua si non fuerit confessus, prolixior adhiberi potest, quia à minimis incipiendum est, Glos. fin. cap. Nouatianus 6. 7. quæstion. prim. etiam in pœnis, vnde si pœna temporalis potest habere locum, non est recurrendum ad pœnam spiritualem excommunicationis, & ab ea incipiendum, Butr us cap. secund. de testib. cog. procedendum est ergo gradatim. *Farinac. quæstion. 38. numero 83. Caualcan. de bracch. reg. part. 3. numero 137. Guazin. Defens. 30. cap. 23. num. 6.* Iterum infra quæst. 30.

Quæres 29. An in diuisione, & repetitione torturæ iudex debeat se declarare? Vide infrà quæstione 52.

Respondetur. Vtique, vnde Decretu torturæ 60
addere debet, se leuiter velle illum torquere cum animo retorquendi illum, si non fuerit confessus, in quantum de iure repeti potest tortura. Ita *Clarus quæstion. 64. numero 22. Peregrin. vol. 2. cons. 2. numero 132. Farinac. quæstion. trigesima-octaua, numero 104. ex illis Guazin. Defens. 30. capit. 23. numer. 10.*

Quæres 30. An leuiter tortus iterum torqueri possit?

Respondetur. Sic, quia indicia non dicitur pur- 61
gasse. *Farinac. quæstion. 38. numero 79. 83. & 93. Guazin. cit. §. Sed vero.*

Quæres 31. An tot vicibus quis torqueri possit, quod sunt indicia?

Respondetur. Vnica debet esse tortura respectu 62
omnium indiciorum, ita quod nec valet consuetudo in contrarium, nec iudex protestari potest, se torquere reum tantum super vno indicio, quia tortura inuenta est in subsidium probationis delicti, ergo ea mensuranda est à quantitate delictorum, ita vt si sint plura, & vnum fateatur in tortura, & aliud neget, torqueri possit pro eruenda veritate delicti negati, non ergo regulatur ab indiciis iam notis ab ea suppositis iam probatis. Ita aliis citatis Guazin. Defens. 30. cap. 25.

Quæres 32. An ex solis adminiculis sine indiciis inferri possit tortura?

Respondetur. Negatiuè, quia adminicula non 63
faciunt aliquam speciem probationis, sed tantum coadiuuant speciem imperfectam probationis, cuiusmodi sunt indicia. Ita *Farinac. consil. 55. numera 74. Caualc. de brach. reg. par. 3. numer. 116. Guaz. Defens. 30. cap. 27.*

Quæres 33. Pro quibus delictis possit inferri tortura?

Respondetur. Tortura datur pro delictis grauio- 64
ribus, quæ merentur pœnam sanguinis, aut aliam corporalem, vt fustigationis, triremium, perforationis linguæ, relegationis &c. Ita quod pœna debeat esse maior, quam ipsa tortura: In casibus sancti officij datur reis vehementer de hæresi suspectis.

Prima pars de delictis merentibus pœnam gra- 65
uiorem, docetur à *Gomez 3. Variar. cap. 13. numero secund. Farinac. quæstion. trigesima-octaua, numero 6.* vbi, quod tortura datur pro delictis merentibus pœnam corporis afflictiuam, *Riccius par. secund. resolut. 414. Pittgianus in 2. subst. cap. 6. §. Secundo obseruandum, à Sancto Iuliano capit. 8. Ad-*

uerti.

nert. 3. *§. secund. numero quart. de Angelis cap.* 24. *numero* 3. *Miranda quæstion.* 26. *numero* 15. *Guazin. Defens.* 30. *cap.* 3. *num.* 2.

66 Secunda pars de Sancto Officio patet ex eo, quod delicta, ex quibus infertur vehemens suspicio hæresis, merentur pœnam corporis afflictiuam grauem, pro cuius veritate eruenda negantes delictum torquentur.

Quæres 33. An reo dandæ sint defensiones antequam torturetur?

67 Respondetur. Dandæ sunt, nam illæ dependent à copia indiciorum, quæ sicut reo datur ex quæst. 20. ita & defensiones, ad alium enim finem ei copia non datur, nisi vt se defendat. vnde & eius appellatio admittitur, nisi sit friuola ex quæstion. 21. Ita aliis citatis *Guazin. Defens.* 30. *cap. quart. numero* 27.

Quæres 34. Quando plures sunt torquendi, à quonam est inchoandum?

68 Respondetur. Ab eo, à quo veritas facilius speratur, ac proinde ab eo, qui timidior est, & minus robustus, consequenter torquentur prius fœminæ, quam masculi; prius vxor, quam maritus; prius filius, quam pater, prius minor, quam maior; prius vilior, quam non vilior. Ita allegati à *Carena parte tertia, titul.* 10. *numero* 162. *Guazin. Defens.* 30. *cap.* 4. *numero* 24.

Quæres 35. An reus super complicibus sit torquendus?

69 Respondetur. Reus conuictus, seu confessus delictum, quod solet committi cum aliis, non solum interrogatur, sed etiam torquetur super complicibus, quamuis nullum extet indicium super illis, quia ex confessione sola rei, aut ea conuictione iudex habet legitimam causam asserendi, quod in delicto suo habuerit socios. Ita *allegati à Guazin. Defens.* 30. *capit.* 9. Sancto Officio similiter torquentur, *ex Farinac. quæstion.* 185. Carena part. 2. tit. 1. num. 116.

Quæres 36. An dari possit tortura statim post comestionem?

70 Respondetur. Dari non potest, nisi post decem horas à sumpto cibo, & potu. Ita *Clarus quæst.* 64. *§. Decreta tortura*, Farinac. *quæstion.* 38. *numer.* 32. *Carena part.* 3. *tit.* 10. *numero* 160. *Guazin. Defens.* 30. *cap.* 4. *numero* 20. quia supponitur facta digestio, qua ea parte oneratur corporis defatigatio. Alij variant in horis, quod sufficiant quinæ aut sex horæ.

Quæres 37. Quanta debeat esse tortura?

71 Respondetur. Quantitas torturæ quo ad tempus, & rigorem est in arbitrio iudicis, qui se regulare debet in ea determinanda, considerando qualitatem indiciorum, & personæ torturandæ, vnde si indicia sunt vehementia, & vrgentiora, prolixior, & acrior debet esse tortura, quam quæ danda est reo minus indiciato, ita vt horam non excedat etiam in grauissimis delictis. *Farinac. quæstion. trigesima-octaua, numero* 54. *Diana part. quart. tractat.* 6. *resolut. trigesima-quint. Carena parte tertia, titul.* 10. *numero* 171. *Sousa libro secund. cap.* 39. *numero* 25. In Sancto Officio, tortura danda super vsu, complicibus, & intentione non debet excedere semihoram. Ita *Genuens. cap.* 68. *num.* 8. *fine*, *Ciarlin. cap.* 181. *numero* 69. *Diana resolut.* 27. *fine*, *Masin. in suo Arsen. fol.* 162. ait dari sine Squassis. Vide *Guazin. Defens.* 30. *cap.* 22.

Quæres 38. Quot sunt gradus torturæ? Variant Doctores apud Farinac. quæst. 38. à num. 34. cum quo num. 40.

72 Respondetur. Esse quinque tantum. *Primus* est ligatio rei vsque ad actum eleuationis exclusiue. *Secundus* est eleuatio personæ sic retentæ ad plus per vnum Miserere. *Tertius* est, quando perseueratur in eadem retentione per spatium duorum Miserere, seu paulo plus. *Quartus*, quando detinetur per semihoram, vel horam, cum vno, duobus, vel pluribus ictibus seu squassationibus. *Quintus*, cum in fine horæ præter ictus, seu squassationes reo obstinato persistenti in negatiua alligitur pondus ad eius pedes, vt fateatur verit., oolit. Hos assignat Farinac. à num. 40. ad 50.

73 Primus gradus torturæ datur reis leuiter indiciatis, timidis, debilibus, delicatis, & similibus, experientia enim docet, hos faciliter induci ad confessionem ob timorem tormentorum.

74 Secundus datur reis plene indiciatis, magis suspectis, quam aliis, qui sub primo gradu torturantur potius ligatione, quam dolore,

75 Tertius datur reis, quorum indicia sunt plana, & plene probata, in delictis atrocibus.

76 Quartus datur reis, quorum indicia sunt vrgentia, & bene probata, ita quod habeantur pro suspectissimis, & delicta sint atrocia, & sint rei robusti. Delicta atrocia sunt homicidium, falsitas literarum Apostolicarum, furtum magnæ rei, vel sacræ, sacrorum abusus &c.

77 Quintus gradus torturæ datur reo indiciato in crimine hæresis, læsæ maiestatis, euersionis status &c.

Quæres 39. Quomodo reus interrogandus sit in tormentis?

78 Respondetur. Paucis est interrogandus, vnde sufficit illi dicere, vt respondeat veritatem de illis omnibus, super quibus antea fuit interrogandus, nec vlterius debet eum vexare verbis obiurgatiuis, aut minis. Quod si fateatur veritatem plane, & plene reddendo rationem, cur delictum tale commiserit, statim deponitur. Ita omnes *cum Farinac. quæst.* 83. *numero* 96. *ex eo Guazin. Defens.* 30. *capit. trigesima-secund. numero quint. Carena part.* 3. *titul.* 8. *numero trigesimo quinto, & trigesimo-sexto.* Quando conuictus, vel confessus, aut condemnatus in tortura interrogatur super complicibus, tormentis subiiciendus est cum protestatione sine præiudicio probatorum, conuictorum, & confessatorum, multis allegatis Guazin. *Defens.* 30. *cap.* 32. *numero prim.* Interrogatio autem de complicibus fit in genere. *Ruin. vol.* 5. *cons.* 17. *numero* 14. *Clarus quæstion.* 21. *prope finem*, *Blanchus de Indic. numero* 381. *Gomez cap.* 12. *de delictis numero* 17. *Bursatus vol.* 2. *cons.* 101. *numer.* 56. *ex illis Guazin. cit. numero* 2.

Quæres 40. An decretum torturæ faciendum sit à iudice cum consilio aliquorum?

79 Respondetur. Affirmatiuè, quia cum agatur de præiudicio graui, & inemendabili, ratio dictat, ne iudex sibi ipsi fidat, sed alios prudentiæ innitatur. Vnde iudices criminales in quibusdam ciuitatibus nunquam faciunt decretum torturæ nisi de consilio personæ peritæ deputatæ à Principe. In Sancto Officio non torturantur rei super intentione, neque super vsu, probato delicto, à quibus ea pendent, nisi de consilio consultorum, quorum placitum in multis aliis petitur, vt cum quis carcerandus est. *Vide Pegnam parte tertia, com.* 126. *Zanardum capite sexta, quæstion. quadragesima-secund. Vers. Secundo notandum*, *quos citat Carena par.* 1. *tit.* 8. *num.* 36.

Quæres 41. An decretum torturæ in S. Officio sit faciendum ab Inquisitore cum Episcopo, an diuisim fieri possit?

80 Respondetur. Coniunctim faciendum est, imò & ambo assistere torturæ, vt territus eorum præsentia veritatem fateatur, quod si Episcopus non poterit interesse, committat suam vicem alteri vel inquisitori,

quisitori, alter vero sine altero torturæ subiicere potest testem ad dicendam veritatem. Ita *ex Clem. 1. de hæret. Pegna parte tertia com. 122. Farinac. quæstion. 186. numero 75. Barbosa in dicta Clem. numero decim. Diana part. quart. tractat. 6. resolut. 57.*

Quæres 42. An tortura iniuste illata conualidetur per indicia superuenientia?

81 Respondetur. Negatiuè, quia quod ab initio non subsistit, cum nullum sit, vires recipere non potest, non ensis siquidem nullæ sunt qualitates, & passiones; indicia enim, vt operentur, præcedere debent non sequi, nulla ergo est confessio, licet tortura fuerit leuis, & tortus robustus. *Farinac. quæstion. 83. numero quart. Clarus quæstion. 55. Bertazol. cons. 8. numero 50. Bursatus vol. 2. consil. 101. numero quadragesimo-primo, cum aliis Guazin. Defens. 30. capite trigesima-octaua, numero primo* Ita quod nec conualidatur per subsequentem ratificationem, ex allegatis ab eodem Guazin. numer. quarto.

Quæres 43. An iniusta tortura noceat torto?

82 Respondetur. Negatiuè, adeo quod confessio ex illa extorta pro nulla habeatur, non enim pars aduersa, seu fiscus ex sua iniquitate cum iudice commodum reportare debet. Ita omnes *cum Farinac. quæstion. 83. initio, Carena parte tertia, titul. decim. numero 13.* De qua re latius in sequenti capitulo.

Quæres 44. An præter funem dentur alia tormenta?

83 Respondetur. Farinac. quæstion. trigesima-octaua, à numer. prim. numerat tormentum funium, à numero 65. tormentum Stanghettæ, numero 68. sibillorum pro pueris; vel debilibus, numero 69. tormentum ignis in atrocissimis delictis, abiit in dissuetudinem, eius loco successit quintum tormentum dictum Vigiliarum sic nuncupatum, quia custodes non sinunt dormire reum; ex eodem numero 70. Vsus frequentior est in fune, vt aliis citaria insinuat *Diana part. quart. tractat. 6. resolut. trigesima-quint.* & aliud tormentum non practicatur in Sancto Officio, alia enim videntur potius carnificum, quam iudicum, maxime Ignis, & Vigiliæ.

Quæres 45. Quid operetur clausula inserta in decreto torturæ similis tenoris: *Absque præiudicio probatorum &c.*

84 Respondetur. Operatur, ne elidantur probationes per torturam, vnde obseruat ius suum fisco contra reum. Ita *aliis citatis Diana part. 4. tractat. 6. resolut. 32. Carena part. 3. titul. 10. numero 159. §. Debet.* Caueat ne interroget super delicto conuicto, quia tunc ea clausulæ, nihil prodest, vti protestatio facto contraria, vt *ex Girrba cons. 42. num. 9. docet idem Carena num. 180. Guazin. Defens. 30. cap. 40. num. 6.*

85 Quæres 46. Quid operetur tortura in sustinente eam tantum indiciato, & non conuicto?

Respondetur. Tortura reo tantum indiciato sufficienter illata purgat omnia indicia etiam violenta, tam pro se, quàm pro complicibus, eam sustinendo.

86 Prima pars pro se constat, quia censetur puram dixisse veritatem, ex quo dicuntur elisa, & destructa indicia, id ergo operatur tortura iuste, & cum suo rigore data. Ita omnes *cum Berter. decis. 163. numero 14. Rimináld. iun. tom. secund. consil. 84. Decian. resp. 43. numero 132. Clarus quæstion. 64. numero trigesimo-septimo. Farinac. consil. decim. numero 18. cons. 25. numero quadragesimo-quinto, Crauetta consil. trigesimo quint. numero 20. Guazin. Defens. 30. capite 40. numero 1.* Est enim tortura species probationis, & succedit loco testium, & probationum, vt aiunt prædicti.

Secunda pars pro complicibus patet ex eo quod 87
cum sint purgata indicia principalis, censentur etiam purgata circa accessoria, quæ dependent à principali, quo corruente in nihilum transit accessorium. *Decian. vol. secund. Resp. 93. numero 117. Menoch. de arbitr. casu 351. numero 12. cum aliis Guazin. Defens. 30. capit. quadragesim. §. qua opinio.*

Quæres 47. An plenè, & legitimè conuictus sustinens torturam sibi illatam ab imperito iudice purget etiam probationes huiusmodi?

Respondetur. Non purgat, sed condemnandus 88
est in pœnam extraordinariam, licet torturam et am ter sustinuisset. Ita *Farinac. quæstion. quadragesima, numer. 13. Caballus casu 288. numero vigesimo-octauo, Tiraquell. quæstione quadragesima-quinta, numero primo & numero decim. cum aliis Guazin. Defens. 30. capit. quadragesim. numero secund. §. Sed Moderniis.* Si vero non erat conuictus, sed solum indiciatus etiam indubitate, sustinens debitam torturam iuxta qualitatem indiciorum, non est condemnandum nec in pœnam extraordinariam, debet enim tortura aliquid operari, nempe destructionem illorum indiciorum, quibus alias subsistentibus in eandem pœnam potuisset condemnari, & non post torturam, quæ vim indiciorum destruxit. Ita criminalizatur Guazin. ex ore Farinacij, loco citato igitur si rigorosa fuit torturæ, & excedens videtur esse absoluendus à pœna etiam extraordinaria, quia per eam nimis rigidam censetur purgasse etiam plenas probationes, & iudex sibi imputet, dum poterat eum condemnare ex conuictione legitima.

Quæres 48. An reus rigorosè tortus, & potenter sustinens tormenta, sit absoluendus?

Respondetur. Non est simpliciter absoluendus, sed 89
rebus sic stantibus, seu ex hactenus deductis, cum his clausulis, aut similibus, & relaxandus cum fideiussione ad se præsentandum, & ita practicatur, accidere enim potest, vt noua appareant indicia magis vrgentia, ideo simpliciter absoluendus non est, sed limitate, & sub conditione. Ita *Clarus quæstion. 64. numero trigesimo-septimo, ibi Baiard. numer. 126. & 127. Caballus casu 238. numer. 29. Farinac. quæst. 4. numero 25. cons. 50. numero 23. ex illis Guazin. Defens. 30. cap. 40. numer. 11. §. Alij autem*, asserentes non esse molestandum, nisi alia superueniant indicia, contra Gomez *de delictis capit. 13. numero 28. cum aliis ibidem apud Guazinum.* Affirmantes, reum sustinentem valenter torturam esse omnino absoluendum, nec iudicem posse causam relinquere indecisam. Alij non malè respondent, priorem causam esse reuera omnino decidendam fauore rei fortiter torti, non obstante conuictione, quia per illam virilem constantiam superauit non solum indicia, verum etiam probationes testium, qui illum conuixerant, quod si superueniant noua indicia, nouus quoque processus sine relatione ad primum formandus est. Itaque non est condemnandus neque criminaliter, neque ciuiliter, nullaque pœna etiam pecuniaria plectendus, quia non amplius pro reo habendus est. *Farinac. consil. 51. numero quadragesimo-octauo, Guazin. num. 12.*

Quæres 49. An grauissime, & violenter indiciatos sit torquendus, an puniendus pœna extraordinaria?

Respondetur. Melius est ipsum condemnare in 90
pœnam extraordinariam, quam torquere, cum enim per torturam sustentatam euadet pœnas, iustitia non poterit habere suum intentum, vt rei puniantur, ob

ob bonum commune, pœna enim vnius eſt metus in totum, ideo melius eſt, vt iudex eligat pœnam, non torturam, vnde aliqui aſſerunt, iudicem debere punire, & non torquere *cum Ant. Gomez. de delict. cap. 12. numerò 26. Sarmient. ſelect. interpretat. lib. 1. cap. 1. apud Guazin. Defenſ. 30. cap. 41.*

Quæres 50. An tortura Infamiam irroget torto?

91 Reſpondetur. Negatiuè, neque iuris, neque facti infamiam adſcribit tortura vexata, *ex l. Nullam 24. C. Ex quibus cauſis infam. irrog.* vbi id expreſſe dicitur, niſi ſequatur condemnatio. Ratio eſt, quia tortura de ſe non eſt quid infame, cum ſit inuenta ad eruendam veritatem, & habeatur prò actu probationis fauore ipſius rei dum ſuſtinet potenter tormenta non condemnatur, ſed abſoluitur ab impetitis, & ab inſtantia iudicij, ex dictis præcedent. quæſtione. Ita Bartol. *in repetit. l. Barbarius ff. de officio Prætor. num. ſeptim. Donellus in comment. iuris ciuilis lib. 18. cap. 6. col. 3. Molina tom. 3. tractat. 4. diſput. 9. numer. 19. fine apud Barboſ. ad dictam legem.* Nec obſtat Gloſ. ſuper dictam legem aſſerens tortum excurrere infamiam facti, non iuris, quia id gratis aſſerit, nam textus ſic habet: *Nullam exiſtimationis infamiam pertimeſcat.* &c. Non minus includens infamiam facti, quam iuris, cum illud verbum *exiſtimationis* magis videatur eſſe referendum ad factum, quam ad ius, nam exiſtimatio ad vulgi opinionem pertinet. Paſqualig. quæſt. 132. initio ſequitur Gloſſam. Donatus Antonius Marinus *I. C. Neapolit. Reſolut. Quotid. tom. 1. libro 1. capit. 287. numero 9.* defendit tortum, & non condemnatum, ſed abſolutum ab inſtantia cum onere ſe præſentandi, non eſſe infamem iuris, nec facti, vnde ſic tortus poteſt ſuſcipere ordines, & dignitates ſine vlla diſpenſatione, quia textus loquitur vniuerſaliter, quod nulla infamia incurritur, niſi ſecuta ſententia condemnatoria, & ita tenendum eſt, quia abſolutus ab inſtantia pro innocente habendus eſt, niſi aliud appareat, non eſt ergo cenſendus infamis, nec iuris, nec facti.

Quæres 51. An tortura in teſtibus purget eorum inhabilitates in ordine ad teſtificandum ritè, & legitimè?

92 Reſp. Tortura in teſtibus inhabilibus vnicum in eis defectum purgat, & abſtergit licet infamem, ſeu turpem. Ita omnes *cum Claro q. 25. num. 1. Decian. vol. 2. Reſp. 93. n. 3. Cepella conſ. 60. dub. 1 Honded. vol. 1. conſ. 104. num. 26. Farin. conſ. 29. num. 10. Guazin. Defenſ. 30. cap. 40. num. 9.* Non expurgat ergo plures defectus, ſed vnicum tantum, *Cravetta conſ. 6. n. 54. Burſ. vol. 2. conſ. 192. n. 22. conſ. 201. n. 69. Rimin. Iun. vol. 2. conſ. 133. n. 33. Roland. vol. 3. n. 48. Farin. conſ. 21. n. 12. conſ. 22. n. 16. conſ. 79. nu. 10. apud dictum Guazin. nu. 13. Ego cap. 48. nu. 34.* Duos autem defectus, nimirum inimicitiæ, & periurij non tollit tortura, de inimicitia

93 *Bertaz. conſ. 252. num 14. Rimin. Iun. vol. 5. conſ. 324. nu. 30. Pariſ. conſ. 153. nu. 41. vol. 4. Roland. vol. 1. conſ. 24. nu. 38. Grammat. conſ. 18. nu. 12. ex Guazin. Defenſ. 30. cap. 40. nu. 15. Ego cap. 48. nu. 35.* Quia inimicitia eſt homini inſerta, quæ tolli non poteſt, niſi per voluntatem contrariam inimici conuertentis odium in amorem. De periurio, *Matth.*

94 *Brunus conſ. 62. nu. 12. Hond. vol. 2. conſ. 93. nu. 33. Burſat. lib. 3. conſ. 311. num. 28. Turretus conſil. 12. nu. 51. & 75.* Quia eſt vitium pendens à ſola hominis voluntate inexpurgabile, niſi per bonam voluntatem hominis. Nihilominus ex conſuetudine admittitur eiuſmodi purgatio per torturam, *ex Claro, Boſſio, & Farin. conſ. 11. num. 11. apud Guazin. Defenſ. 30. cap. 41. num. 19.*

Quæres 52. Quomodo cognoſcendum eſt, an tortura ſit continuata, an replicata, & repetita?

Reſpond. Tortura dicitur repetita *primo*, cum iam tortus denuo torquetur, ſuperuenientibus indicijs. *Secundo*, cum reus tortus dimittitur ad largiores carceres cum alijs, præſumitur enim tortura completa, vnde ſi iterum torquetur, tortura dicitur repetita. *Tertio*, quando reus primo loco tortus fuit, & depoſitus ſine proteſtatione, & animo continuandi torturam, ſi iterum torqueatur, dicitur tortura repetita. 95

Continuatio vero torturæ tunc dicitur, cum iudex proteſtatur ſe habere animum conſeruandi illam, vt accidit *primo*, cum reus torturæ ſuppoſitus in veram ſincopem lapſus, languidus, & frigidus languet, & in periculo vitæ eſt conſtitutus, nunc iudex proteſtando ſe velle continuare tormenta ſequenti die, tortura ſequenti die illata, non dicitur repetita, ſed continuata virtute illius proteſtationis, & hoc ſe tenet impedimentum ex parte rei. *Secundo* ex parte etiam ipſius iudicis legitime impediti, vt ſi vocatus à Principe, tunc facta proteſtatione continuandi torturam, ex poſito impedimento, non dicitur repetita, ſed continuata. Ita *Maurus Burghaſ. de modo proced. ex abr. q. 24. & q. 42. nu. 15. & 16. Antonius de Ballis lib. 2. q. 17. tit. Quando poſſit tortura repeti num. 2. Viuius deciſ. 143. in fine, Carrar. in pract. interrog. reor. lib. 4. cap. 1. num. 116.* 96

Quæres 53. An tortura repeti poſſit contra latronem famoſum, & viarum graſſatorem?

Reſp. Affirmatiuè, quia ita exigit grauitas delictorum, iuxta illud Apoc. 18. 6. *Duplicate duplicia ſecundum opera eius. Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit tantum date illi tormentum.* Et licet hæc verba referantur ad pœnam, vt commenſuretur culpæ, nihilominus applicari poſſunt etiam torturæ pro eruenda veritate delictorum, quibus tortura proportionabiliter commenſuranda eſt. Ita *Pariſ. de ſyndic. V. Tortura Verſ. Quidam latro famoſus, Decian. lib. 9. cap. 29. num. 49. Farin. q. 38. num. 105.* 97

Quæres 54. An inimicitia faciat indicium ad torturam?

Reſp. Negatiuè, niſi ſit capitalis, & offenſus non habeat alios inimicos, *Baron. de effect. inimic. effectu 20 n. 3. & 33. Gambin conſ. 81. n. 29. Far. conſ. 127. n. 6. 26. & 27. conſ. 147. n. 12. Cyriac. contr. 488. n. 49.* Datis ergo pluribus inimicis non eſt locus torturæ. *Burſat. conſ. 10. num. 18. Far. q. 49. num. 101. 107. & 114 Vermil. conſ. 62. num. 6. conſ. 75. num. 8. Farin. conſ. 102. num. 2. conſil. 130. num. 10.* Stante ergo pluralitate inimicorum, iudex remanet anceps, & cum hoc indicium connumeretur inter remota inſufficiens eſt ad torturam. *Garon. Var. reſol. cap. 11. num. 39. Burſat. conſ. 216. num. 71. Honded. lib. 2. conſ. 96. nu. 65. Antonius de Ballis fol. 32. numero 14. Ciriacus contr. 544. numero 39.* 98

Quæres 55. An ſanguinis fluxus ex vulnere occiſi ſit indicium ad torturam?

Reſpondetur. Non ſufficere, cum ſit incertum, & fallax, & periculoſum cum agatur de reo condemnando ad mortem, æquum non eſt, vt iudex ſe fundet ſuper incerto medio ad cogendum illum ad dicendam veritatem. Ita *Toſſanus deciſ. 173. numer. 7. Poſſentinus ſing. 240. numer. 2. Carena part. 2. titul. 12. à numerò 186. & part. 3. titul. decim. num. 183.* De hoc fluxu ſanguinis prodigioſi multa *Vericell. erudit. 1. quæſt. 22. Cavalcanus de brachio reg. quæſtion. tertia, numero 104. Anton. de Ballis libro prim. quæſtion. 25.* tradunt formam practicandi hoc indicium ſanguinis. 99

Quæres 56. An indicium ad torturam oriatur ex actu, qui poteſt eſſe delictum, & non poteſt eſſe, ex quo eſt indifferens?

200 Respondetur. Negatiuè, eum tunc sit quid æquiuocum, & incertum. *Farinac. consil.* 22. *num.* 34. *cons.* 37. *num.* 10. *cons.* 147. *num.* 39. *Vermil. cons.* 292. *numero sexto.* Indifferens igitur ad delictum, & non delictum non facit indicium, *Antonel. cons.* 47. *numero* 22. *Vermil. cons.* 325. *numero* 7. *& cons.* 332. *numero* 9.

Quæres 57. An latitatio, & mobilium transportatio sint indicium ad torturam?

201 Respondetur. Negatiuè. *Porrus in fasciculo rerum crim. fol.* 626. *numero* 6. *Bertazol. cons.* 133. *nu.* 8. *Farinac. cons.* 19. *numero* 6. *Vermil. consil.* 105. *numero* 8. Maxime quando persona non se recepit ad locum, quo bona transtulit, *Blanch. de indic. numero* 85. Et quia legitimam adduxit causam, quæ excludit dolum. *Marius Anguessola consil.* 215. *numero* 3. *Cornazan. decis.* 4. *numero* 21. *&* 22. *decis.* 14. *numero* 3. Latitare enim dicitur ille, qui dolose aliquid facit, quo minus reperiri possit, *Baron. de cit. quæst.* 12. *num.* 53. Posita ergo iusta causa latitationis indicium nihil facit.

Quæres 58. An delatio armorum faciat indicium ad torturam?

202 Respondetur. Negatiuè, maximè cum probatur, querelatum habere inimicitias, & in loco omnes solere arma deferre. *Farinac. consil.* 138. *numero* 30. præsertim cum in loco sunt banniti, *Simon de Prætis consil.* 50. *numero* 12. *Farinac. quæstion.* 52. *numero* 79. 81. 85. *&* 86. *quæstion.* 126. *numero* 203. *Vermil. consil. trigesimo-quart. numero* 15. *& consil.* 72. *numero* 10.

CAPVT LXXIX.

De confessione reorum in tortura, & ex metu, an noceat confesso non indiciato?

1 REus constitutus coram iudice interrogatus persistens in negatiua delicti, subiiciendus est tormentis, duobus concurrentibus, & quod sit indiciatus sufficienter, & quod non sit priuilegiatus, ne torqueretur, si in tortura confiteatur, attendenda est eius confessio, si persistat in negatiua potenter sustinendo tormenta expeditur iuxta dicta in præcedenti capite. Hic igitur agendum est de confessione emanata ex tortura, & ex metu.

Quæres 1. An confessio extorta ex tortura data nullis præcedentibus indiciis, vel aliquibus, sed insufficientibus noceat torto?

2 Respondetur. Confessio extorta à reo nullis precedentibus iudiciis, vel aliquibus insufficientibus, & non legitimis, non valet, nec nocet reo, qui vi tormentorum fuit confessus. Ita Doctores *per l.* 1. *§. Decius Seuerus ff. de quæstion. & in cap. At si clerici, de iudic. quos magno numero refert Farinac. quæstion.* 83. *numero prim. Guazin. Defens. trigesima-secund. cap.* 31.

3 Procedit primo licet confessio fuerit iurata, quia iuramentum adiectum regulatur secũdum actum, super quem cadit, vnde si actus est nullus nullum ei tribuit valorem. Ita *Mascard. concl.* 353. *num.* 3. *Bertazol. lib. secund. consil.* 341. *num.* 19. *Roland. lib.* 3. *cons.* 12. *num.* 92. *Honded. cons.* 108. *num.* 20. *ex illis Farinac. q.* 83. *num. secund.*

4 Procedit secundo licet fuerit geminata, & ratificata, quia isti actus qualificantur ab ipsa confessione, ac proinde nulli cum ipsa remanent. Ita *Bartol. Albel. Castrensis, cum aliis Farinac. quæstion.* 83. *numero* 9. *Marsil. cons.* 14. *numero quart. Grammat. cons.* 15. *numero* 11. *Bertazol. libro secund. cons.* 341. *num.* 19. contra nonnullos à Farin. recensitos num. 10.

Procedit tertio, etiamsi postea superueniant noua indicia, *ex eodem Farinac. numer.* 4. *Roman. cons.* 167. *Corneus libro quart. consil.* 134. *numero quarto, Roland. libro tertio, consil.* 12. *numero* 93. quia quod nullum fuit ab initio conualidari non potest à superuenientibus, vt dixi capit. præcedent. quæstion. 17. 5

Procedit quarto, licet reus sit robustus *ex eodem Farinac. quæstion.* 83. *numero* 18. quia tortura non iustificatur à robore torti, sed à præmissis indiciis. 6

Procedit quinto, licet iudex habeat liberum arbitrium, & absolutum, *ex eodem num.* 3. *Bertazol. lib.* 2. *cons.* 341. *num.* 20. *Roland. lib.* 3. *cons.* 12. *n.* 95. *Bursatus lib.* 2. *cons.* 201. *num.* 41. 7

Procedit sexto respectu omnium delictorum etiam læsæ vtriusque maiestatis. Ita *Farinac. quæstion.* 83. *num.* 6. *ex Viuiano opin.* 139. *num.* 5. *Roland. libro* 3. *cons.* 3. *num.* 55. *Bursat. cons.* 201. *num.* 41. *Honded. cons.* 108. *numer.* 36. Quia iustitia torturæ, & subsequentis confessionis non mensuratur à qualitate delictorum, sed à conditione indiciorum. 8

Procedit septimo, licet homo robustus tortus fuerit leuiter, quia cum non præcesserint indicia, non potest dici reus tortus leuiter, aut rigorose in ordine ad indicia, quæ non extabant, præterquam quod carentia indiciorum simpliciter negat torturam, ac proinde omnem torturam. *Farinac. quæst. trigesima-septim. num.* 96. *vbi num.* 98. de communi ait confessionem sic extortam ex leui tortura nullam esse, & reo non nocere. 9

Quæres 2. An confessio extorta à latronibus publicis, & viarum grassatoribus, ac similibus facinorosis hominibus diffamatis, valeat, & illis noceat, indiciis non præcedentibus?

Respondetur. Affirmatiuè, quia eorum diffamatio habetur loco indiciorum. ita allegati à *Farinac. quæstion. trigesima-septim. num.* 162. *&* 172. *Mascard. concl.* 353. *num.* 30. 10

Quæres 3. An reo sufficiat asserere, se confessum ex vi tormentorum, ita vt sit illi credendum sine probatione assertæ torturæ?

Respondetur. Sic asserenti non est credendum, quia tortura vt quid facti nõ præsumitur, sed probatur. Ita *Farin. quæstion.* 83. *num.* 22. *cum* 24. *Franc. Bec. cons.* 70. *num.* 14. contra alios plures, asserentes præsumi torturam, sed eos concordat Bossius *de confess. num.* 78. *apud eundem* Farinac. *num.* 24. posteriorem opinionem procedere respectu mali iudicis, qui solet torquere reos sine indiciis. Creditur autem magis duobus testibus deponentibus de confessione ex tortura, quam aliis testantibus de voluntaria confessione, *ex eodem numero* 25. Cum autem tortura sit difficilis probationis, persuadetur præsumptionibus, & coniecturis, *ex eodem numero* 26. consequenter probatur per famam, *Mascard. conclus.* 1384. *numero* 15. *Farin. quæstion.* 83. *numero* 27. per clamores, & gemitus auditos, *ibidem.* Idem probat gestatio brachiorum ad collum, & signum ligaturæ, *num.* 29. Item & per familiares iudicis criminalis, *num.* 30. 11

Quæres 4. An confessio facta extra torturam, sed metu tormentorum extracta à reo, valeat, an illi noceat? Dictum fuit in præcedentibus confessionem emanatam ex tortura, & in tortura non nocere reo, nullis præcedentibus indiciis, vel aliquibus sed insufficientibus. Modo quæritur an confessio metu tormentorum facta extra torturam valeat? 3

Resp. Confessio extorta per metum tormentorum nulla 12

nulla est, & non nocet reo confitenti, quia æquiparatur confessioni factæ in tortura. Colligitur ea l. 2. §. Si quis vltro, ibi: *Nennnnquam atsam, aut metu.* ff. de quæstion. & l. 2. C. Quorum appellatio &c. illis verbis: *Aut formidine tormentorum territus aliquid dixerit. Farinac. quæstion.* 83. *numero* 32. *Franc. Marchus par.* 2. *decis.* 60. *num.* 10. *Bald. conf.* 479. *lib.* 5. *Marsil. conf.* 14. *num.* 5. *Grammat. conf.* 65. *numero* 6. *Roland. lib.* 3. *conf.* 17. *numero* 14.

Quæres 5. An in dubio præsumatur spontanea, an potius coacta ea metu tormentorum?

13 Respondetur. Præsumitur spontanea, vnde allegans metum probare illum debet, quando enim concurrunt duæ præsumptiones, metus, & conscientiæ, seus præsumitus confessus sponte ad exonerandum conscientiam, non metu tormentorum, ea allatis à *Farinac. quæstion.* 83. *num.* 34. *num.* 36. contra plures alios ab eo citatos num. 33.

Quæres 6. An confessio facta intra carcerem præsumatur ex metu facta?

14 Respond. Præsumitur facta ex metu, ac proinde non valet, nec nocet reo, quod intelligitur semper, nullis præcedentibus indiciis, *ex allegatis à Farinac. q.* 83. *numero* 37. attentis infra scriptis.

15 Primo, quod seus sit detentus in carcere atroci, in quo valde patitur, & cruciatur in corpore, *Abbas in cap. fin. de confess. num.* 11. Farinac. *num.* 41.

16 Secundo, si patiebatur famem, sitim, & frigus in carcere, *ex numera* 42. *cum aliis.*

17 Tertiò, si detinebatur in cippis, manicis, & catenis ligatus, num. 44.

18 Quarto, si minis coactus fuit fateri, terribilibus, vehementibus, & geminatis *ex numero* 45. *ad* 50. præsertim in loco tormentorum, *ex numero* 31. à fortiori, si ibi sit ligatus fune, *numero* 55. etiam sine minis, qoia plus est facto, quam verbis minari, *numero* 56. item si fuit spoliatus, & non ligatus, *num.* 57.

Quæres 7. An dicta in præcedenti quæstione locum habeant, quando postea reus confessionem metu extortam ratificauit?

19 Respondetur. Non, sed eam confessionem ex ratificatione nocere reo, quia ratificatio purgat præcedentem metum. *Marianus in cap. Qualiter* 24. *de accusat. num.* 1017. *ex eo* Farinac. *quæstion.* 83. *numero* 63. *qui num.* 64. tenet oppositum, quia si præcesserunt indicia, metus fuit iustus, si non præcesserunt, ratificatio non supplet, secundum opinionem veriorem.

Quæres 8. Sed numquid prædicta procedunt in eo, qui non solet timere tormenta?

20 Respond. Negatiuè, quia metus in his locum non dicitur habere, *ex eodem Farinac. quæstion.* 38. *numer.* 65.

Quæres 9. An confessio metu tormentorum facta sufficiat ad torquendum?

21 Respondetur. Sufficere, quia quod supra dictum est, non nocere reo confesso, intelligitur in ordine ad pœnam. *Ita Bossius de confess. num.* 76. *Farin. qu.* 83. *num.* 66.

CAPVT LXXX.

De Ratificatione Confessionis extortæ

1 Ratificatio est approbatio actus præteriti validi quidem, sed non totaliter firmi, qui legitima confirmatione omnino firmatur, & solidatur irreuocabiliter.

Est autem confessio reorum duplex, vna sponte facta, altera coacta vel per torturam, vel per metum, iuxta dicta præcedenti capite. Conueniunt omnes, confessionem spontaneam non egere ratificatione, cum de se vti valida sit satis firma, dum enim reus sponte, & nullo timore fatetur delictum supponitur dicere veritatem ad exonerationem suæ conscientiæ. Ita *Farinac. quæstion.* 81. *numero* 8. ex communiori sententia, dum enim expresse non reuocat confessus illam, censetur in ea perseuerare, & ideo non eget ratificatione. Nihilominus ad tollendas cauillationes Aduocatorum valde vtile erit, facere eam ratificare à reo, ne occasionem habeat subterfugiendi iudicium, vt aliis citatis docet idem *Farin. num.* 12.

Confessio autem extorta siue in tormentis, siue extra tormenta ex metu, ratificanda est, extra locum torturæ, & post vigintiquatuor horas à tormentis, vel metu illatis, coram iudice, Notario relegente ei depositiones ex tortura, vel metu emanatas, & scribente singulatim ratificationem, etiam quando alias extraiudicialiter confessus fuerat; aut leuiter robustus tortus fuit. 3

Prima pars, de ratificanda confessione emanata in tormentis, probatur, quia cum tortura sit res fragilis, & periculosæ propter tormentorum impatientiam, *ex l.* 1. §. *quæstion. ff. de quæstion.* aliquando rei fatentur, quod non fecerunt, aliquando obstinati nihilo pendentes tormenta, negans delicta, quæ perpetrarunt, ideo ad iustificandam veritatem confessionis extortæ petitur eius ratificatio, per quam dicitur transire in spontaneam, dum sine tormentis, & metu iterum fit confessio. Ita omnes *cum Farinac. quæstion.* 83. *numero* 67. *Menoch. de arbitr. lib.* 2. *casu* 38. *num.* 1. *Viuian. opin.* 140. *numero* 2. *Anton. Gomez tom.* 3. *Var. cap.* 13. *numero* 24. 4

Secunda pars, emanata ex metu sine tormentis, probatur eadem ratione, & præterea metus in se includit ignorantiam, *l. si cum exceptione*, §. *In hac actione ff. quod metus causa.* Et excludit consensum, *Cap. Cum locum* 14. *de spons.* ergo sine ratificatione non potest subsistere. Ita *de communi Farinac. q.* 83. *num.* 70. 5

Tertia pars, quod ratificatio confessionis extortæ fiat extra locum torturæ, docetur ab omnibus *cum Farinac. numero* 71. qui ait fieri posse etiam in carcere, & sine testibus, modo sit extra locum torturæ, & extra eius aspectum, alios refert *Diana par.* 4. *tractat.* 6. *resolut.* 22. *Carena para.* 3. *tit.* 10. *numer.* 174. 6

Quarta pars, post 24. horas, probatur, quia videtur posse cessare dolor torturæ non impediens voluntariam ratificationem. Ita aliis citatis *Farin. q.* 83. *num.* 74. *qui num.* 75. *ex Casono de torment. cap.* 25. *num.* 3. *Simanch. tit.* 63. *de instit. Catol. num.* 71. ait, differendam esse ad tres dies, qui num. 76. relinquit id in arbitrio iudicis. 7

Quinta pars de ratificatione facienda coram iudice, & notario scribente, patet, quia is actus spectat ad complementum processus, & de eius actis est. *Ex allegatis à Farin. num.* 69. 8

Ratificatio igitur non solum confessionis spontaneæ, vt supra dixi, de consilio est facienda, sed etiam extortæ, & quidem de necessitate, alias non nocet confesso, *Pegna par.* 3. *com.* 39. *num.* 150. *Sousa lib.* 2. *cap.* 39. *numer.* 42. *ex illis Diana part.* 4. *tractat.* 6. *resolut.* 22. *Notab. penul.* Quod procedit licet alias extraiudicialiter fuerit confessus, *ex Bossio de confess. per tortur. numero quint.* quia extraiudicialis potuit esse ex iactantia, & vana gloria, *Gomez tomo tertio, Variar. cap.* 13. *de tort. numero* 8. *apud Farinac. quæstion.* 83. *numero* 81. *qui præcedenti numer.* retulerunt opinionem contrariam, non esse scilicet necessariam ratificationem. Pariter ratificanda est à reo robusto, qui leuiter fuerat 9

tortus, & ita practicatur, ait *Farinac. quaestion.* 83. *numero* 81.

10 Sed quid agendum est, quando reus non vult ratificare confessionem captessam in tortura, vel per metum? Ad id cogi debet per torturam, quia huiusmodi mendacium, & variatio est sufficiens indicium ad nouam torturam. Ita *Bossius de tortura num.* 34. *Miranda quaest.* 26. *num.* 196. *Guazin. Defens.* 30. *cap.* 36. *numero* 4. *cum aliis Diana par.* 4. *tract.* 6. *resol.* 13.

11 In ratificatione debet iurare se dixisse, & dicere veritatem, & si sit minor non est necessarium, quod in ea interueniat curator iuxta dicta cap 77. licet aliqui petant praesentiam curatoris *apud Dianam par.* 4. *tract.* 6. *resolut.* 22. *Notab. vlt.* Quòd si quis post ratificationem reuocet confessionem, nihil facit, nisi doceat de errore, & illum concludenter probet, iuxta dicta cap. 76.

CAPVT LXXXI.

De Defensione Reorum.

1 INter substantialia iudicij sub quarto numeraui citationem, quae continet defensiones rei, Cap. 2. nu. 22. de istis hic agendum est per sequentes quaestiones.

Quaeres igitur primo, an defensio sit de iure natur?

2 Respondetur. Affirmatiuè, quod exprimitur *in Clem. Pastoralis 2. de sent. & re iudic. Farin. quest.* 39. *numero* 1. & 18. *Miranda quaestion.* 21. *numero* 70. *Ghisler. cap.* 12. *numero* 9. Et alij communiter nullo discrepante.

Quaeres 2. Quotuplex sit defensio?

3 Respondetur. Triplex: Dilatoria, Peremptoria, & Mixta, per primam causa prolongatur, vt si reus recuset iudicem tamquam suspectũ, vel asserat, eum carere iurisdictione. Per secundam, causam terminat, & perimit. Per tertiam miscetur, causa ex vtrisque exceptionibus dilatoriis, & peremptoriis. *Petrus ab Angelis cap.* 21. *num.* 2. *ex ee de S. Iuliano cap.* 7. *Aduert.* 1. *numero* 3.

Quaeres 3. Quid sit defensio?

4 Respondetur. Est propulsatio iniusti grauaminis imminentis reo querelato, quod ab eo tollitur, excipiendo, hoc est, allegando ea, quae faciunt ad infirmandum, & annullandum ea, quae contra ipsum in processu producuntur, tum ex parte querelantis, tum iudicis, tum notarij, tum testium, & modi procedendi in causa.

5 Dixi *iniusti grauaminis* quia defensio ordinatur ad tuendam innocentiam inique querelati, vel male grauati in modo procedendi in causa, vbi enim est iusta offensio, ibi reprobata est defensio, cum non sit legitima, *Bart. in l. Vt vim ff. de iust. apud Megal. l.* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *numero* 4.

Quaeres 4. An defensio tolli possit à Principe, lege, aut statuto?

6 Respondetur. Negatiuè, si loquamur quo ad substantiam, cum ius naturae suadeat vnicuique licere tueri propriam innocentiam, contra quod nullus homo, quamuis supremus Princeps potest. Et in hoc conueniunt omnes. Verum quidem est, quod
7 defensio spectari potest dupliciter, *primo*, quoad substantiam, in quantum quilibet innocens vti potest remediis ordinatis ad tuendam propriam innocentiam, & in hoc sensu à nullo tolli potest, nec impediri defensione, cum in hoc sensu sit de iure naturae; *Secundo*, quo ad modum se defendendi, introductum à legibus, seu statutis, & hunc modum Princeps tollere, aut variare potest, quia quod homo ponit, homo tollere, & variare potest, legislator enim sicut legem ponere potest, ita & tollere, & in hoc nulla etiam difficultas est. Ita *Farinac. quaestion. trigesima-nona, numero* 23. de Principe & *num.* 26. de statuto, & numer. 29. de consuetudine, quae tollere non potest defensionem quoad substantiam.

Quaeres 5. An defensiones negari possent à iudice cum priuilegio procedendi de plano, & propositis apicibus iuris?

Respondetur. Tenetur admittere defensiones le- 8
gitimas, non autem exceptiones dilatorias, & frustratorias, expresse *Clem. Sepe, de verb. signif. vt notaui cap. secund. num* 18. 19. & 20. 26. & 27. *Farinac quaestion. trigesima-nona, numero* 16. & 17. Ratio est, quia defensio est vnum de substantialibus, quod à nullo iudice omitti potest, sicut nec ab ipso Principe ex dictis praeced. quaestione.

Quaeres 6. An negentur reis in delictis atrocissimis?

Respondetur. Negatiuè, sed concedi debent, 9
quia atrocitas delicti non tollit, quod natura concedit. Ita *Roland. lib.* 3. *cons.* 12. *numero* 50. 61. 62. 76. & 79. *Farinac. quaestion. trigesima-nona, numero quadragesimo primo.* Etiam in crimine haeresis, *Bald. vol.* 1. *cons.* 95. *Roland. cit. numer.* 61. *Paris. libro quart. cons.* 2. *numero* 155. *Farinac. numero quadragesimo quarta, Carena part.* 3. *tit.* 9. *numer.* 1. qui cum aliis ait, esse denegandas haeretico notorio, & pertinaci, aliis vero concedendas, quamuis conuictis, imo & confessis. Nec denegandae sunt reo criminis laesae maiestatis, ex eodem *Farinac. quaestion. trigesima-nona, numer.* 45. Neque assassino, *num.* 46.

Quaeres 7. An reo malae famae denegari possint defensiones?

Respondetur. Negatiuè, quia mala fama potest 10
fallere, cùm sit indicium extrinsecum, & remotum non tollens, quod natura concedit. Ita Far. q. 39. n. 47.

Quaeres 8. An excommunicato denegari possint defensiones?

Respondetur. Negatiuè, quia, vt aiont, nec 11
diabolo denegantur, *ex Marsil. in l. Vnum ff. de quaestion. num.* 77. *fine.* Ita *ex cap. cum inter, de except. Farin. q.* 39. *num.* 49.

Quaeres 9. An conuicto, & simul confesso dandae sint defensiones?

Respondetur. Affirmatiuè: Ita omnes cum *Farin.* 12
q. 39. *num.* 32. *Claro q.* 49. §. *Est igitur, Anton Gomez tom.* 3. *Variar. cap.* 12. *Rubr. de probat. delict. num.* 3. *fine.*

Quaeres 10. An in delictis notoriis, & ex flagranti crimine defensiones locum habeant?

Respond. Affirmatiuè, quia notorietas facti non 13
tollit à natura concessum, & si factum est notorium, non tamen omnino patet crimen, potest enim esse, quod occiderit ad sui defensionem vel quod equum proprium acceperit, non furatus fuerit alienum. Ita *Bossius in cit. quomodo procedatur in crimine notorio num.* 4. *Foller.* §. *Item quod commisit crimen notor. numer.* 6. 7. & 9. *Clarus qu.* 9. §. *quaero etiam, cum aliis Farinac. q.* 21. *num.* 72. & 78. & *latius num.* 103. *ad* 110. Si timetur graue scandalum in populo ob dilationem, delinquens puniatur sine defensionibus, cum palam est, eis non indigere, *ex allegatis à Farin. num.* 73. De delicto notorio latè in eodem *q.* 21. *per totam, dixi c.* 3. *sect.* 1. *à n.* 20. *ad* 30.

Quaeres 11. Numquid defensiones sint dandae à iudice timente subornationem testium examinandorum pro defensione rei?

Resp. Dandae sunt, oculatus tamen, sit iudex de- 14
curtando illas, & non dando illis liberam locutionem, nisi in praesentia iudicis, notarij, & fiscalis, cum copia indiciorum

indiciorum. *Ex allegatis à Farinac. quaestion. 39. numer. 68.*

Quæres 12. An dandæ sint defensiones à iudice procedendo ex officio, an tantum quando procedit ad instantiam partis?

15 Respondetur. In vtroque casu dandas esse defensiones, quia modus procedendi sicut non dat defensiones, sed grauamen, ita nec eas tollit. Ita *Barbat. lib. 2. consf. 27. numero 27. Bossius de indiciis numer. 75. Clarus quaest. 49. cum aliis Farinac. quaestion. 39. num. 78.*

Quæres 13. An denegari possint defensiones ei, qui non exprimit qualitatem defensionis?

16 Respond. Negatiuè, quia ius defendendi reus non accipit ab eiusmodi expressione, sed à iure naturæ, quo quia se defendere potest. Ita *Blanchus de indiis. & tortur. numero 56. Bossius eod. tit. num. 80. cum aliis Farinac. quaest. 39. num. 75.* contra paucos ibidem. Procedit, licet iudex interrogaret, reum, quomodo vult se defendere, si responderet simpliciter, volo me defendere. nam Aduocatus debet materiam, & modum defensionis docere, & non reus, qui regulariter ignarus est, cum non sit Aduocatus.

Quæres 14. An conclusio in causa tollat defensiones?

17 Respond. Negatiuè, potest siquidem reus se defendere vsque ad sententiam scriptam, & subscriptam nondum pronuntiatam. Ita *Couaruuias apud de Angelis cap. 21. num. 3. de communi allegati à Farinac. quaestion. 39. num. 82.* imò post sententiam, si accedit officium iudicis, *num. 83.*

Quæres 15. An blasphemo dandæ sint defensiones.

18 Resp. Affirmatiuè, maximè contra testes, qui possunt pati exceptionem. Ita *Clarus 21. Blasphemia §. Reperio, Hector Æmil. de testib. part. 1. 11. Blasphematur num. 18. Boër. decis. 301. num. 11. Farin. quaestion. 39. num. 102. fine.* Contra nonnullos nulla sufficienti ratione fultos.

Quæres 16. An defensiones negari possint insigni latroni.

19 Respond. Negari possunt illi, & similibus facinorosis, quando notorij sunt, quia ex notorietate eorum manifestum est non indigere defensionibus, quia in nullo sunt grauati. Ita omnes *cum Farinac. quaest. 36. num. 107.*

Quæres 17. An sodomitæ sint denegandæ defensiones?

20 Respond. Negatiuè, quia si est solum indiciatus, potest indicia eliminare, si conuictus, forsan testes patiuntur exceptiones, si confessus, tueri se potest à pœna ordinaria. Ita *Farinac. quaest. 37. num. 111.* solus contra plures.

Quæres 18. An reo non petenti exhibendæ sint defensiones, sicut dantur eas petenti?

21 Resp. Dandæ sunt non petenti, sicut & petenti, siue sit doctus, siue ignorans, tam in causa torturæ, quam ante condemnationem. Ratio est, quia aliter si non daretur non petenti, id alia ratione non censeretur factum, nisi quia illis renuntians, & non curans se tueri, sed illis nec tacite, nec expresse renuntiare potest, vt mox dicam, ergo dandæ sunt non petenti, ne videatur illis tacitè renuntiasse, quod non est præsumendum, cum sit contra ius. Ita ex allatis *à Farin. qu. 39. num. 97. 98. & 99.*

Quæres 19. Qualis terminus sit reo præscribendus, intra quem debet se defendere?

22 Resp. Competens tempus reo dandum est, vt possit se defendere, iuxta qualitatem, & grauitatem causæ, vnde tempus hoc etiam ad tertiam dilationem dari potest, *ex allegatis à Farinac. quaestion. 39. num. 4.* in notoriis Gubernator Vrbis dat terminum trium dierum cum clausula: *Et plus, & minus arbitrio ipsius iudicis*, numer. 12. quo casu dilatione pendente ad vlteriora procedere potest. Limitatio ergo temporis est in potestate iudicis attenta qualitate negotij. Vide *Guazin. Defens. 32.*

Quæres 20. An pendentibus defensionibus datis, iudex vlterius procedere possit?

23 Resp. Negatiuè, *l. Vatus §. Cogniturum ff. de quaestion. Barsat. lib. 2. consf. 202. num. 75. Alex. lib. 1. consf. 55. n. 5. cum aliis Farin. q. 39. num. 7.* Tamen procedit, quando exurgit tumultus in populo, *n. 9.* Et quando iudex expresse reuocauit dilationem, *num. 10.* Et quando dilatio fuit concessa cum potestate ad vlteriora procedendi, *num. 11.*

Quæres 21. An concessa facultate se defendendi, danda sit reo copia processus?

24 Resp. Affirmatiuè, quia ex processu elicitur materia defensionis, dum reus opponit indiciis, testibus &c. Ita *Rolandus lib. 3. consf. 11. n. 41. Hyppol. Rimin. lib. 1. consf. 88. n. 59. Bursatus lib. 3. consf. 201. n. 70. Decian. lib. 1. consf. 8. n. 102. cum aliis Farin. q. 39. n. 2.* Nullo contradicente, tam in defensione contra torturam, vt dixi cap. 78 q. 20. quam in ordine ad tuendum se à condemnatione.

Quæres 22. An in copia processus exprimenda sint nomina testium?

25 Resp. Affirmatiuè, exceptis in casibus S. Officij, licet querelatus sit potens, & timeatur offensio testium; Ita expresse *cap. Qualiter 24. de accusat. ibi Canonista cum aliis Farin. q. 39. n. 83.* Licet reus, vt dixi, sit magnæ potentiæ, *n. 87. ex Claro q. 49.*

26 Dixi, *exceptis casibus S. Officij*, quia cap fin. de hæret. in 6. clare prohibetur testium publicatio, de qua re *Farin. q. 39. n. 88. Pegnapar. 3. com. 154. Carena par. 3. tit. 7. n. 63. Salellee Reg. 176. n. 241.*

Quæres 23. An reus possit renuntiare suis defensionibus sibi iure naturali debitis. Pro reo in S. Officio *Carena par. 3. tit. 9. num. 90.*

27 Resp. Apicibus iuris spectantibus ad defensionem à iure inductis reus renuntiare potest, non autem defensioni quo ad substantiam, etiam si dicat, se certo scire eas sibi non competere, & si eis renuntiet, potest reuocare renuntiatum; in notoriis vero, & repertis in fragranti crimine, & famosis latronibus admittitur, & valet renuntiatio; sicut etiam respectu delictorum non inferentium pœnam corporalem.

28 Prima pars de apicibus, & inductis iure positiuo, docetur ab omnibus *cum Farin. q. 39. n. 67.* quia non sunt tanti ponderis, vt eis non possit renuntiare, quæ sunt potius ad eludendam pœnam, quam ad protectionem propriæ innocentiæ.

29 Secunda pars de defensione substantiali non renuntianda colligitur *ex l. Non tantum ff. de appellat. Glos. 11. cum liceat, l. Pactum inter heredes ff. de pactis. Natta vol. 2. consf. 359. n. 3. Roland. l. 3. consf. 82. n. 14. Clarus q. 49. §. Quære nunc, cum aliis Farin. q. 39. n. 51. Guazin. Defens. 27.*

30 Tertia pars, etiamsi renuntiet declarando, eam sibi non competere, est *Angeli in l. Sed & si quis, §. Quaesitum ff. si quis cert. pet. Menoch. de arbitr. lib. 2. q. 7. num. 10. cum aliis Farinac. q. 39. n. 56.* contra plures relatos ab eodem num. 55.

31 Quarta pars, quod possit pœnitere, & reuocare renuntiatam defensionem. *Ex allegatis ab eod. n. 57.*

32 Quinta, quod valeat renuntiatio in casibus, in quibus constat, non competere reo defensionem, docent omnes *cum Faria. q. 39. numer. 58.* Primo in notoriis, *numero 61.* Secundo in confessis, *num. 62.* Tertio, in famoso latrone, *numer. 63.* Quarto, in assassino, *numero 64.* Quinto valet renuntiatio respectu delictorum, quibus non est infligenda pœna corporalis, num. 66.

Quærer 24. An supradicta intelligantur de defensionibus tam respectu torturæ, quam pœnarum?

33 Resp. Affirmatiuè, quia in vtroque casu agitur de obuiando grauamini inique imminenti, ergo quod dicitur de vno, intelligendum est de altero.

Quæres 25. An hoc priuilegium defensionum sit commune etiam religiosis? & dicta in præcedentibus locum habeant in eisdem?

34 ℞. Affirmatiuè, quia ius naturæ stat pro omnibus hominibus in quantum homines sunt, tales non desinunt esse religiosi per professionem, ergo non minus retinent ius defensiuum, quam laici, & cæteri seculares. *Spathar. tract.* 10. *cap.* 1. *n.* 3. *Ghisler. cap.* 12. *per totum*, vbi nec diabolo, nec brutis negantur, multo minus religiosis. *Longus Capucin. de casibus reseru. par.* 2. *casu* 5. *num.* 98. *ex Follerio Pitiginn. in* 4. *substant. cap.* 1. Nec vllus sanæ mentis contradicit, cum defensio sit de substantialibus iudicij.

Quæres 26. An reus ponendus sit ad largam, vt possit se defendere?

35 ℞. Affirmatiuè, quia hoc modo habet amplam commoditatem se defendendi loquendo cum quibuslibet personis; si tamen dubitatur de subornatione, & in delictis atrocissimis, non ponitur in loco communi omnibus carceratis, sed datur illi Aduocatus in carcere proprio. *Farinac. q.* 39. *num.* 13. & 14. In religionibus cum non sint carceres more laicorũ, carceratus se defendit in eodem carcere, in quem fuit coniectus. V. de *Guaz. Defens.* 23.

Quæres 27. Quales debeant esse testes producti à reo ad sui defensam?

36 ℞. Vt plene probent pro reo eos producente debent esse integri, idonei, & omni exceptione maiores, inhabiles vero admittuntur cum suis exceptionibus, & tantum probant, quantum si inducerentur à fisco contra reum.

37 Primum de eorum integritate patet, quia non debent esse minoris credulitatis testibus productis pro fisco, imò maioris efficaciæ, si possibile est, quia par non agit in parem, sed fortior superat minus fortem. Si ergo testes adducti pro reo nullam patiā-

38 tur exceptionem habentur pro fortioribus, quia causa defensionis rei est fauorabilior, quam causa fisci. *l. Fauorabiliores ff. de Regul. iur. Marsil. sing.* 90. Ita docent *Grammat. cons.* 12. *n.* 31. *Boer. decis.* 40. *num.* 130. *Farinac. quæstion.* 62. *num.* 23.

39 Secundum de inhabilibus, quod admittantur ad defensam rei, sed cum sua exceptione, si vnum patiantur defectum, docent *Natta vol.* 2. *cons.* 359. *num.* 2. *Cephal. vol.* 1. *cons.* 110. *num.* 30. *Farinac. quæst.* 43. *num.* 16. *qu.* 62. *num.* 90. & 98. *Roland. lib.* 3. *cons.* 3. *n.* 50. *Grammat.* 59. *n.* 12. Asserentes aliqualem facere probationem pro reo, non tamen plenam. Plures tamen facient plenam iuxta dicta de testibus inhabilibus, nunquam tamen contra testes aduersarios omni exceptione maiores, quia sunt inuulnerabiles. Vide *Carenam p.* 3. *tit.* 5. *num.* 82.

40 Si testes inhabiles patiantur plures defectus, reijciuntur omnino, & prorsus nihil probant pro reo, sicut nec pro fisco. Ita *Craueta cons.* 66. *num.* 55. & 57. *Marsil. cons.* 102. *n.* 12. & *singul.* 385. *Grammat. cons.* 45. *num.* 22. *fine, Paris. lib.* 4 *cons.* 2. *n.* 85. *Cephal. vol.* 1. *cons.* 65. *n.* 27. *Roland lib.* 3. *cons.* 3. *n.* 49. cum multis aliis nullo discrepante. *Farinac. qu.* 62. *num.* 181.

41 Ne lectori rescribā hic, quod Doctores tradunt de testib ad fauorem reorum, recurre ad Farin. lib. 2. vbi de opposit. cõtra testes in Indice eius, verb. Defensio.

Qu. 28. An & quomodo elidi possint præsumptiones, & indicia fisci contra reũ, dum vult is defendere?

42 ℞. Eliduntur multis modis præsertim *Primo*, quādo præsumptio pro reo est potentior & validior, tunc tollit præsumptionem inductam à fisco. *Craueta cons.* 6. *n.* 50. ea autem dicitur validior, quæ est clarior, & certior, *Grammat. cons.* 13. *n.* 7. *Socin. iun. cons.* 36. *n.* 7. *vol.* 2. *ex illis Guazin. Defens.* 29. *cap.* 2. *n.* 5. Secundo, specialis elidit generalem. Idem Craueta *n.* 50. *fine. Grammat. cons.* 31. *n.* 11. & *cons.* 13. *n.* 8. *ex eodem Guazino.* Tertio, si sint pares rei, & fisci præsumptiones, præualent quæ sunt rei. *Rimin. iun. vol.* 4. *cons.* 359. *n.* 39. *Grammat. cons.* 57. *n.* 23. *Roland. lib.* 1. *cons.* 7. *n.* 40. *ex illis Guazin. Defens.* 29. *cap.* 2. *num.* 6. Quarto, si sint plures ex parte rei, & pauciores ex parte fisci, à fortiori eliduntur, quæ sunt ex parte fisci *Craueta cons.* 145. *n.* 11. *Paris. vol.* 1. *cons.* 10. *n.* 8. *Rimin. iun. vol.* 2. *cons.* 183. *n.* 19. & *cons.* 196. *num.* 83. *ex eodem Guazin. Defens.* 29. *cap.* 2. *num.* 7. Quinto, ad eligendam præsumptionem iuris requiruntur duo testes. *Bursatus vol.* 4. *cons.* 389. *n.* 5. *Guaz. n.* 8. De præsumptionibus, & indiciis vide cap. 50.

Quæres 29. cum duobus modis reus se defendere possit, allegatione iurium, & Doctorum super processu facta; & examinatione testium pro reo; vel repetitione eorum, de quibus in processu. Quorum, quo faciendum est hoc examen? Coram iudice processus? An coram electo procuratore eius?

℞. Omnia acta examinis pro reo facienda sunt co- 43
ram eodem iudice causæ scribente eodem Actuario, cum enim defensiones sint partes eiusdem processus fabricati à iudice, consequens est, vt prosequatur ex parte defensionum ab eodem iudice, cum Procurator, nec Consiliarius, neque Aduocatus possint fungi in eadem causa duobus officiis.

CAPVT LXXXII.

De modis, quibus Reus potest se defendere.

CErtum est, quod quis prohiberi non potest à 1
pluribus defensionibus illis enim vti poterit, *ex Reg.* 20. *in* 6. *glos.* 11. *Præscripsisse cap. Audito* 15. *de prascrips.* Et in subiecta materia partes sunt Aduocati tueri reum in iis, in quibus reus verè grauatum se sentit, & non aliter, si enim sibi nota essent crimina, pro reo via agere posset, & reuera vt reum illum
defendere non posset vt innocentem, vtique ad mi- 2
tigationem pœnæ, non ad illius euasionem, quia crimina non debent remanere impunita. Defensio ergo ordinatur ad eximendum reum à pœna, demonstrando eum innocentem, vel ad mitigandam pœnam ex causa ab Aduocato adducta, & probata fauore rei.

Modi autem defendendi solent à peritis appellari 3
exceptiones, per quas excluditur actio inducta contra reum, & à Francisco Longo Capucino par. 2. de casibus reseru. casu 5. post num. 98. enumerat decem. Carena par. 3. tit. 9. multo plures enumerat, Guazin. opus integrum absoluit ad defensam reorum. Magis necessaria, & vrgentiora referam, & explicabo in sequentibus sectionibus.

SECTIO PRIMA.

De Recusatione Iudicis.

IVdex appellatur à iure, & à Iustitia, ab illo qui- 4
dem, quia nullus datur iudex sine iurisdictione in subditos; ab illa vero, quia debet iustè, & rectè exercere suum officium. Defectu prædictorum recusatur à subdito contra quem intendit instruere processum, iuxta inferius dicenda. Et cum inter iudices alij sint ordinarij ex officio suo, & alij delegati, dicenda procedunt respectu vtriusque cum non minus vnus, quam alter sit capax suspicionis, ex qua oritur recusatio.

Suppono iudicem fictum solo nomine talem, re 5
carentem ex natura rei censeri recusatum, quia cum iurisdictione careat, nihil validum, nec subsistens agere potest contra reum. Ita omnes *cum Craueta cons.* 169. *num.* 4. *Anchar. cons.* 177. *num.* 2. *Paris. cons.* 114. *num.* 15. *lib.* 4. Farinac cons. 48. *Guazin. Defens.* 1. *cap.* 1. *n.* 1. Nullus contradicit, quia ad valorem 6
actus requiritur voluntas, & potestas, *cap. Ad hæc* 6. *de appellat. ibi, Potest, si voluerit* Decius *in cap. cum*

super,

super, de offic. deleg. num. 14. *alios citat Diana part.* 6.
7 *tract.* 8. *resol.* 4. §. *Verum.* Et ita vrget defectus iurisdictionis, vt sit insanabilis, vt docent *Staphil. de signat. inst. fol.* 411. *num.* 11. *Vantius de nullitate ex defectu iurisd. num.* 6. *Scaccia de appellat. q.* 17. *limitat.* 190 *num.* 2. *ex Guazzin. Defens.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. & 5. Modo agendum est de iudice, re & nomine tali sed suspecto, & ex hoc recusabili.

8 Certum est, reum posse recusare iudicem suspectum, vt expressè habetur, *cap. Quod suspecti* 15. 3. *qu.* 5. *cap. Secundo* 41. *de appell. cap. causam* 17. *cap. Insinuante* 25. *de offic. deleg. cap. Iudex eod. in* 6. de causis suspicionis bene *glos. in cit. cap. causam, & in cap. Accedens* 2. *Vt lite non cont.* 11. *subesse*, expressè in *l. Apertissimi* 14. *C. de iudic.* vbi quod libellus suspicionis porrigendus est superiori, & id cum iuramento ipsius rei, vt notant *ibidem glos. Bald. & Angel. cum alijs referente Tambur. tom.* 3. *decis.* 30. *num.* 22. De materia recusationis iudicis tractans *Soares de Paz. tom.* 1. *temp.* 5. *numero* 21. *Menoch. de arbitr. casu* 152. *Miranda qu.* 21. *art.* 2. *Gratian. cap.* 100. *Riccius par.* 1. *collect.* 83. *aliosque citat Barbos. ad dictam. leg.*

9 Causæ autem recusandi iudicem sunt plures, nempè Inimicitia, nimia familiaritas cum parte, consanguinitas, affinitas, & dominatio aduersarij, excommunicatio maior, &c. de singulis aliquid est dicendum.

10 Inimicitia capitalis est legitima causa recusandi iudicem inimicum, *cap. Quod suspecti* 15. 3. *qu.* 5. *cap. cum oporteat* 19. *de accusat.* ibi: *glos.* 11. *Inimicos*, loquitur de inimicitia capitali. Vide *Farinac. qu.* 49. *initio. Pitigianum in* 4. *subst. cap.* 3 *Spathar. tract.* 10. *cap.* 12. Coriolanus *de casib. reseruat. par.* 2. *casu* 5. §. 4. *n.* 16. ait *cum Craneta cons.* 6. *n.* 31. & *Ioanne Andr. in cap.* 2. *de appellat. in* 6. recusari etiam iudicem ea inimicitia non capitali *Miranda qu.* 21. *n.* 18. Sed debet esse capitalis, *Masc. concl.* 857. *n.* 55. & 56. *cum alijs Barb. in cap.* 4. *vt litè non cont. num.* 12.

11 Familiaritas nimia est sufficiens causa recusandi iudicem nimis familiari parti, *ex cap. cum R.* 35. *de offic. deleg. ibi glos.* 11. *Cum sint eius socij. Nauar. in cap. cum contingat, de Rescript. causa nullit.* 10. *n.* 3. *Coriolanus citat. num.* 41.

12 Consanguinitas, affinitas, & dominium sunt legitima causa recusandi iudicem, qui est talis respectu aduersarij, vt docet *Armilla V. Iudex, ex illo Coriolanus n.* 19. & colligitur ex citato cap. cum R. censetur enim iudex multum fauere his propter attinentiam inter illos, & iudicem, *ex cap. Accedens* 4. *vt lite non contest. Nauar. cit. n.* 5. *Coriolanus n.* 20.

13 Excommunicatio maior est causa recusandi iudicem, qui tamen sit denuntiatus, & si non fuerit recusatus excipi potest contra eum excommunicatio, *cap. Ad probandum* 24. *de sent. & re iud.* Et acta cum sententia ab eo emanata nulla sunt, *Glos ibidem* 11. *Innodatur, ibi Butr. n.* 3. *Panorm. n.* 2. *Felin. & Bald. ibid. Vantius de nullit. ex defectu iurisd. n.* 137. *Suar. de cons. disp.* 16. *sect.* 1. *n.* 6. *Riccius. de iur. person. extra grem. Eccles. lib.* 5. *cap.* 18. *Sayrus lib.* 2. *cap.* 6. Si vero non est denuntiatus, acta per ipsum valent, vt præcitati Canonistæ docent *Cum Gutier. lib.* 1. *Canon. qu. cap.* 1. *n.* 76. *Mascard. concl.* 649. *num.* 35. *Sbroc. de offic. Vicar. lib.* 3. *qu.* 17. *n.* 6. *cum alijs Barbos. ad dictum cap. num.* 8. Alias causas magis in specie lege *apud Peyrinum de Subd. qu.* 1. *cap.* 19. §. 2. vbi latè rem tractat.

Quæres autē primo, quomodo fiat recusatio iudicis?

14 ℞. Fit hoc modo, nam recusaturus iudicem debet in libello recusationis exprimere coram iudice recusato causam suspicionis, propter quam illum recusat, vt expressè dicitur *cap. cum speciali* 61. *de appellat.* Et si causa fuerit friuola, eam non debet acceptare, sed reiicere, quando manifestè constat de vana, & friuola recusatione, & procedere in causa, *Farinac.* 11. *iudex n.* 806. quia causa recusationis debet fundari in iusta suspicione, cum aliis idem dicit *Peyrin. de subd. qu.* 1. *Cap.* 19. §. 1. *Notab.* 5.

Præterea, iurare debet, se non recusare iudicem ex 15
calumnia, neque ad protelandam litem, vt dicunt Doctores citati supra num. 8. *de S. Iuliano capite* 6. *Aduert.* 2. *n.* 7.

Deinde causa suspicionis allegata est probanda 16
coram iudice vtriusque vel coram arbitris. Ita ex eodem *cap. cum speciali* & si non probetur intra terminum præfigendum à iudice, recusans succumbit, & puniendus est, *ex allegatis à Peyrino Notab.* 7. & iudex recusatus potest suam causam prosequi, quia recusatio habetur pro nulla, dum probata non fuit, *ex eodem cap. Peyrin. Notab.* 4.

Quæres 2. An recusatione legitima existente, & pendente, valeant acta attentata à iudice recusato?

℞. Non valere, quia per recusationem legitimam 17
suspensa est potestas iudicis recusati, sine qua nihil validè agi potest. Ita omnes *apud Peyr. de subd. qu.* 1. *cap.* 19. §. 1. *Notab.* 13. *Sanch. lib.* 6. *consil. cap.* 8. *dub.* 3. *n.* 3. *Barbos. ad cap. quoniam* 11. *de prob. n.* 25.

Quæres 3. An recusari possit non solum iudex delegatus, sed etiam ordinarius?

℞. Iudex ordinarius suspectus de iure ciuili recu- 18
sari non potest. Ita *Glos.* 11. *Iudicee leg. Apertissimi* 14. *C. de iudic. Iacob. Laur. de Iud. susp. cap.* 5. *n.* 1. *Farinac. in fragm. crim. lit. A. n.* 731. *cum alijs Barb. hic n.* 15. Potest vero iudex ordinarius suspectus recusari de iure canonico. Ita omnes Canonistæ *super cap. cum speciali* 61. *de appellat. Gailard. lib.* 1. *obseruat.* 33. *n.* 1. *Seraph. de priuileg. iuram.* 7. *n.* 3. *Scaccia de iudic. cap.* 66. *num.* 13. *cum alijs Barb. hic n.* 10.

Quæres 4. An merus executor recusari possit?

℞. Negatiuè, quia exequitur pœnam iam deter- 19
minatam ab alio, vel per sententiam, si non fuit appellatum. Ita Panorm. *in cap.* 51. *quis contra clericum, de foro compet. num.* 11. *ex eo Peyrinus de subd. qu.* 1. *cap.* 19. §. 1. *Notab.* 11.

Quær. 5. An prædicta locum habeant inter regulares?

℞. Affirmatiuè, quia religiosi per professionem 20
non renuntiarunt iuribus suis naturalibus, inter quæ est defensio, cum etiam in iudicibus regularibus locum habere possit suspicio, sunt enim & ipsi homines proprias passiones patientes, ideo data vera, & reali suspicione recusantur. Ita omnes *cum Sanchez lib.* 6. *cons. cap.* 8. *dub.* 3. *num.* 17. *Peyrin. de subd. quæst.* 1. *cap.* 19. §. *Dec.* 1. *de S. Iuliano, cap.* 7. *Aduert.* 2. §. 1. *n.* 3. Qui aiunt, reum etiam Generalē suum recusare posse, si sit illi suspectus, quia si potest recusari Concilium Prouinciale, Legatus à latere, & communitas, cur non Generalis ordinis? Ita etiam indistinctè loquentes *Spathar. tract.* 10. *cap.* 12. *Miranda qu.* 21. *n.* 28. *Pitigianus in* 4. *subst. cap.* 3. *Barb. ad cit. cap. cum speciali, plures referens in fine, de Angelis cap.* 21. *num.* 8. *Sanch. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 311. *Longus Capuc. casu* 5. §. 4. *per totum.*

Nec obstat cap. cum speciali 61. de appellat. ex- 21
tremis verbis: *Cæterum has duas constitutiones præmissas, volumus ad regulares extendi contra suas speciales obseruantias.* Quia ibi sermo est de correctionibus iuxta obseruantias regulares, secundum quas superiores regulares non vt iudices, sed vt patres corrigunt in certis leuibus delictis suos subditos, sine formatione processus, in quo casu, præfatæ constitutiones concedentes recusationem iudicis, non extenduntur ad correctiones fraternas, in quibus non potest recusari iudex, quia tunc superior non vt iudex procedit, sed vt pater ad emendationem filij. Ita præcitati respondent.

Quæres 6. An recusatio debeat admitti maximè

N 4 inter

inter regulares, & quãdo causa recusationis est dubia?

22 ℞. Non est admittenda, quia superior est in possessione suæ potestatis, & boni omnimis, ergo his priuandus non est. Ita omnes *cum Petra ab Angelis cap.* 25. §. 5. *de recusat. apud de S. Iuliano cap. 7. Adnert.* 2. §. 3. *Sanch. lib.* 6. *cap.* 8. *n.* 111. *de Luga disp.* 37. *sect.* 15. *n.* 176. *Castropal. par.* 3. *de vota relig. obed. disp.* 4. *p.* 56. *num.* Adhærentes admittendas esse recusationem, & appellationem, quæ pari passu currunt, quando causa manifesta est. Qui tamen de S. Iuliano præf. tos citans affirmat ex propria opinione admittendam esse recusationem ex causa dubia, quia in dubiis fauendum est reo magis, quam actori, ex Reg. 11. in 6. Non obstat, quia licet sit vera regula inter reum, & actorem, non tamen inter reum, & iudicem, qui ex depositionibus actoris ius acquisiuit contra reum qui se non ita facilè subtrahere potest à sua iurisdictione.

Quæres 7. An recusari possit à reo regulari iudex pariter religiosus ex eo, quod non est ex eius factione, sed de contraria?

23 ℞. Iudex caput certum factionis in ordine ad gradus, & regimen recusari potest à reo alterius factionis, quia factio est efficax causa suspicandi in iudice iniquitatem contra reum, maximè prætensorem alicuius officij in religione, vt colligitur ex cap. Cum R. 35. de offic. deleg. ibi: *quas cum sint eius socij, merita habet pars aduersa suspectos.* Nulla antem est maior societas, quam ea, quæ contrahitur ex causa factionis, quæ fundatur in appetitu, & ambitione regendi, & dominandi aliis, vt experientia patet, quia aduersarij omnibus modis deprimuntur, ne regimine potiantur, vnde merito in factione datur legitima causa suspicandi contra iudicem alias factionarium. Lege Reggium Capucinum de Regim. Regul. initio multa congerentem contra factionarios. De S. Iuliano cap. 7. § V. & VI. cum nonnullis inclinat in oppositum, sed non video efficacem rationem pro ipsis.

SECTIO SECVNDA.

De Reprobatione Testium.

24 CLarus quæst. 54. dicit, quod exceptio contra testes est magna pars defensionis. Reus autem ad se defendendum potest excipere, *Primo*, contra personas testium, quod sunt inhabiles, de quibus latè dixi à cap. 8. ad 15. *Secundo*, contra dicta illorum à cap. 18. & seq. *Tertio*, si conuincatur falsitatis, & contrarietatis, cap. 20. & seq. *Quarto*, si sint singulares in suis dictis, cap. 19. *Quinto*, si non iurarunt in suis depositionibus cap. 4.

Duæ difficultates supersunt, vna de probatione requisita ad reprobandos testes pro fisco? Altera an reus detegere possit occultum crimen, vel defectum testis ad ipsum reprobandum pro sua defensione.

25 Primæ respondetur, quod testes debent esse digniores, vel plures, vel ad minus pares cum testibus fisci, vt intelligantur reprobati testes fisci, vt probaui præced. cap. quæst. 27. Ita Longus *casu* 5. §. *V. n.* 5. *Pitigian. in* 4. *subst. cap.* 2. §. *Secunda*, *Spathar. tract.* 10. *cap.* 7. *n.* 7. Faciunt, quæ dixi cap. 32. quibusnam testib. sit credendum? Vide etiam Barb. ad cap. In nostra 32. de testib. vbi Doct. citatur.

26 Secundæ respondetur, reus intendendo se defendere, potest obiicere testi crimen verum, non solum publicum, sed etiam occultum, modo illud probare possit, & sit ordinatũ ad infirmandum dictum testis, quod verum est in vtroque foro, itavt sic deregendo ad sui defensionem non peccet, licet crimen sit occultũ. Crimen verò falsum nullo modo impingere potest contra testem, esto eius testificata essent falsa.

27 Prima pars de crimine publico probatur, quia ius à natura est inditum vnicuique ad se defendendum, consequenter reus se defendendo non peccat. Ita omnes *cum Corsolano casu* 5. § *V. n.* 19. *Miranda qu.* 24. *num.* 12. Vbi ait id esse verum, siue testificata sint vera, siue falsa.

Secunda pars de occulto pariter detegendo contra falsos testes patet eadem ratione, modo aliud non habeat remedium ad infirmanda testium dicta. Ita *Miranda qu.* 24. *num.* 14. & 18. 28

Ad veritatem autem vtriusque requiritur, *Prima*, vt alio modo non possit infringere dicta testium. *Secundo*, vt crimen possit ab eo probari. *Tertio*, vt ordinetur ad infirmandum dictum testis. Colligitur ex eodem Miranda. Aliter non valens probare delictum propalatum tenetur actione iniuriarum. 29

Tertia pars de falso crimine non impingendo est omnium apud eundem num. 2. & 8. quia ita se defendendo non seruat moderamen inculpatæ tutelæ, sed manifestam iniuriam infert proximo; & præterea mala non sunt facienda, vt inde eueniant bona. 30

SECTIO TERTIA.

De Defensione rei ex capite innocentiæ.

REus suam innocentiam probare potest multis modis. *Primo*, circa corpus delicti, quod scilicet non inuenitur homo occisus, sed viuere, non inuenitur vulneratus, nec percussus sed sanus corpore. Manifestum in his est querelatum super his esse innocentem; sicut & si quis sit inculpatus de furto, & res inuenitur apud Dominum suum. De cõrpore delicti probando, ante omnia, dixi cap. 6. idem illuc remitto lectorem. Quod si in processu non constet de corpore delicti, bene defenditur reus, quia in eo acta non nocent reo, licet non probetur ex hoc innocens, sed tantum, quod puniri non potest, quia nullus est pr. cessus. Innocentia dicitur hoc modo probata de pleno, & directè, dum reus per euidentiam facti probat rem aliter se habere. Ita *Clarus qu.* 52. *Carena par.* 3. *tit.* 9. *num.* 9. vbi exemplificat in querelato circa fractionem factæ imaginis, quæ tamen apparet intacta. 31

Secundo reus probat se Innocentem, dum constare facit, se fuisse multum distantem à loco, in quo delictum sibi imputatum fuit commissum. Ita *Clarus quæst.* 55. §. *item potest*, *Simanch. de Cathol. Instit. tit.* 57. *num.* 7. *Carena par.* 3. *tit.* 9. *num.* 50. *Spathar. tract.* 10. *cap.* 13. Etiam post latam sententiam admittenda est probatio innocentiæ, *ex Innoc. & Bald. apud eundem num.* 32

Tertio, si alter fatetur se fuisse reum, & non querelatum, vt contingit, quando offensus accusat alium iniquè, & postea in extremis laborans fatetur exonerando conscientiam, se falsò illum accusasse. Ita Marsilius *in pract.* §. *Diligenter num.* 204. *apud dictum. Spathar. num.* 4. *Longus casu* 5. §. 2. *vers. Quarto. Item* §. 3. *num.* 4. 33

Quarto probatur innocentia per negatiuam coarctatam tempore, & loco, ostendendo testes, qui contra reum deposuerunt blasphemiam, homicidium &c. factum die decima Ianuarij Regij, eo die fuisse Mediolani, Romæ, &c. ita à loco maleficij distantes, vt impossibile sit, quod potuerint videre delictum fieri. Ita *Cantera in qu. crim. de Reo quæst.* 52. *vers. quo ad personas apud Carenam par.* 3. *tit.* 9. *num.* 51. De negatiua dixi sub cap. 31. 34

Quinto, ex actibus contrariis probatur innocentia, vt si quis querelatus fuit negasse Purgatorium, ostendit se innocentem ab hac hæresi, si constat, ipsum antecedenter celebrasse, vel fecisse celebrare sæpius missas pro animabus Purgatorij, item sæpius recitasse officium defunctorum. Ita *Simanch. tit.* 17. *num.* 58. *Carena num.* 13. 35

Sexto

36 Sexto multis coniecturis probatur innocentia rei. *Primo*, si accusatus sponte se præsentet iudici. Ita *Capola cons. 31. num. 8. Spathar. tract. 10. cap. 13. numero 4. Longus casu 5. §. 3. numero 2.* Secundo, sponte carcerem ingressus. *Grammat. cons. 29. num. 32. apud eosdem.* Tertio, si damnatus ad mortem euadit illam prodigiosè, antea protestatus se esse innocentem. Ita Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 49. n. 19. Decius in l. Fauorabiliores ff. de reg. iur. in fine, Longus n. 5. Spathar. cit. n. 4. fine.* His præsumptionibus & aliis coadiuuatur innocentia querelati, talis tamen non declaratur, quia fundatur in solis præsumptionibus, quæ concludenter eam non probant.

SECTIO QVARTA.

De Defensione ex capite Præscriptionis delicti.

37 Reus potest se defendere allegando præscriptionem delicti, quod multo tempore ante fuerit adeo commissum, ac proinde habere priuilegium à lege, seu statuto, vt nullus audeat agere contra illum de illo delicto. Vide *Farinac. quæstion. 10. Guazin. Defens. 2. Spathar. tract. 10. num. 3.*

38 Fornicationis delictum præscribitur spatio triennij. Ita *Thomas. Triuis. decis. Veneta 59. num. 10. apud Guazin. Defens. 2. cap. 2. numero 53.*

39 Adulterium, stuprum, incestus, lenocinium, & alia delicta, quæ à lege Iulia puniuntur, spatio quinquennij præscribuntur, cum eorum accusationibus, actionibus, & aliis. *Ex allegatis à Farinac. quæstion. 10. n. 15. Boer. decis. 160. n. 12. Tuschus tom. 6. concl. 571. num. 7. ex illis Guazin. Defens. 2. cap. 2. n. 45.* Si adulterium sit coniunctum cum incestu non sufficit quinquennium, sed spatium viginti annorum. *Farinac. n. 19. Tuschus n. 10. Guazin. n. 46.* Stuprum sine vi factum quinquennio præscribitur. non verò cum vi factum. *Farin. n. 18. Boer. decis. 26. n. 14. Guazin. n. 51.* Petitio autem diuortii nunquam præscribitur, cum sit causa spiritualis. *Farinac. num. 20. Guazin. num. 52.*

40 Iniuriæ præscribuntur vnico anno, l. Si non conuitij C. de iniuriis. *Farinac. quæstion. 10. n. 21 Guazin. Defens. 2. cap. 2. n. 54. Tuschus cit. concl. 571. num. 1.*

41 Alia vero crimina præscribuntur spatio viginti annorum, ex l. querela C. ad legem Cornel. de Falsar. *Farinac. quæstion. 10 n. 1. Carena par. 3. tit. 9. n. 27. Guaz. Defens. 2. cap. 2. n. 2.* Siue delictum sit publicum, siue occultum, *Farinac. n. 1. & 12.* Etiam in notoriis, *num. 14.* Procedit, quouis modo in causa procedat iudex, siue ex officio, siue ad instantiam partis *Farinac. n. 3. Ant. Gomez de delictis cap. 1. n. 6.*

42 Non solum lex potest præscribere delicta, sed etiã statutum, quod tamen spatium temporis dilatare non potest, sed tantum minuere, vt vltra tempus præfixum delinquens non vexetur. *Farinac. num. 25. & 26.*

43 Tempus autem præfixum lege, vel statuto incipit currere, non à die scientiæ, sed à die patrati criminis. Ita *Clarus qu. 51. §. Sed quæro Farinac. qu. 10. num. 12.* Si delictum sit continuatum, vt in eo, qui stetit plures annos cum adultera, vel concubina, non præscribitur incipiendo à primo adulterio, sed ab vltimo tantum. *Farinac. qu. 10. n. 26.* Requiritur præterea ne fuerit interrupta præscriptio per querelam, *num. 28.* Tempus autem præscriptum debet esse absolutum, vltra quod prohibetur vexatio rei.

44 Si nihilominus iudicium fuit attentatum valebit quantum est ex se, quousque per exceptionem huiusmodi præscriptionis infirmetur. *Farinac. quæst. 10. num. 35. Guaz. Defens. 2. cap. 2. num. 70.*

45 Multa autem sunt crimina, quæ nunquam præscribuntur, cuiusmodi sunt hæresis, crimen læsæ maiestatis, suppositio partus, assassinium, falsæ monetæ, concussionis, abortus, parricidij, & Sodomiæ, de quibus *Farin. qu. 10. n. 29. Guazin. Defens. 2. cap. 2. à num. 71. & sequent.* De hæresi, cuius crimen nunquam præscribitur, *Carena par. 3. tit. 9. num. 18. Sousa lib. secund. cap. 50. num. prim.*

46 Prædicta valent etiam apud Regulares. Vnde Benedictus 11. *apud D. Antoninum par. 3. tit. 9. cap. 7. §. 7.* præcepit, vt intra biennium terminaretur processus, alias elapso biennio, non posset amplius obesse, apud Petrum Belasium *Fesulan. in suo Promptuario Regul. 11. Processus num. 4.*

SECTIO QVINTA.

De Defensione ex defectibus processus.

47 Nullo existente processu, maximè quo ad substantialia, nulli dubium est, iudicem non posse procedere contra querelatum. *Spathar. tract. 10. cap. 3. num. 1.* Et omnes nullo contradicente.

48 Processus autem sic definiri potest, quod continet omnia in scriptis redacta ab initio querelæ vsque ad sententiam per notarium coram iudice. Ita colligo *ex Scaccia lib. 1. de iudic. cap. 64. n. 25. Gaspare Caballino ad constit. Marchia cap. 24. n. 1. Guazin. Defens. 22. cap. 2.* vbi quid veniat nomine processus.

49 Dixi primo, quod processus initium capit à querela, quia ab hac incipit processus nuncupatus informatiuus, quia per querelam, & subsequentes depositiones testium contra querelatum iudex informatur super statu causæ, & cum testes deponant contra querelatum, ex hoc processus denominatur offensiuus relatiuè ad reum, sicut appellatur informatiuus in ordine ad iudicem.

50 Debent autem querelans, & testes iurare, ille quidem de calumnia, qualiter scilicet non intendit calumniare proximum, sed prosequi causam suam, isti vero de veritate dicenda. Defectu iuramenti processus dicitur nulliter inchoatus, quia iuramentum est vnum de substantialibus iudicij. Ita. *Comm. in cap. quoniam 11. de iudic. Carena par. 3. tit. 7. num. 1. Barbos. ad cap. Tuis 39. de testibus*, aliter nihil probant, ac proinde nullus est processus, cuius esse est probare. De iuramento dixi cap. 4.

51 Dixi 2. processum à querela continuari vsque ad sententiam, quæ licet dicatur, non esse de actis, *Mar. Anton. lib. 3. resol. resol. 49. num. 9. ex l. 3. C. de sent. quæ sine certa*, componitur tamen ex actis, quorum appellari potest conclusio deducta ex illis tanquam præmissis, debet enim colligi ex allegatis, & probatis, dum debet esse conformis libello, & processui formato, *l. Vt fundus 18. ff. commun. diuid. l. cum quidam 17. C. de fideicom. liber.* Vnde l. Si præses 32. ff. de pœnis dicitur, quod sententia debet conformari petitioni, vel accusationi factæ in libello, adde tu, & probatæ in processu.

52 Potest autem processus esse validus, & sententia inualida, vt docet *Bart. in l. Si expressum ff. de appellat. & in d. cum acquirebatur ff. de re iudic. per scribentes in cap. In literis, de offic. deleg. & in cap. Ad probandum ff. de re iudic. Verallus par. 3. decis. 148. n. 2.* E contra, processu existente nullo, sententia necessario sequitur illius nullitatem, cum ab eo dependeat tanquam conclusio à præmissis.

53 Dixi 3. per Notarium esse conscribendum processum, ex cap. Quoniam 11. de probat. ibi: *publicam personam, si potest habere, aut duos viros idoneos, qui fideliter vniuersa iudicij acta conscribant.* 54 Hinc inferunt Doctores Notarium habere vim duorum testium, quos retuli *sup. 15. num. 33. & cap. 32. num. 25.* Quare Iudex per seipsum processum scribere non potest, aliter nullus est. Miranda q. 30. num.

num. 8. & 9. Perez apud Barbos. ad dictum cap. num. 24. afferens, iudici scribenti processum non esse
55 credendum. Debet autem Notarius omnia diligenter scribere non solum, quæ dicuntur per testes, reum, & iudicem, sed etiam quæ fiunt ab eis, vti trepidationes, pallores, & alia signa, de mandato iudicis, & quæ vidit ipse Notarius exprimere debet
56 his verbis: *Prout ipsimet ego vidi*, ex allatis *à Guazin. Defens. 10. cap. 14.* Notarius autem examinare non potest, nisi de mandato iudicis, & confessio tunc reo non nocet. *Mascard. concl. 344. numero 6. concl. 348. num. 5. Farinac. quæstion. 81. num. 43. Guazin. Defens. 1. cap. 6. num. 2.* Non potest publicare processum, nisi de mandato iudicis, nec tribuere copiam partibus, *ex allegatis à Guazin. Defens. 24. cap. 1. num. 12.*

57 Quando Notarius, & Testes altercantur ad inuicem in ordine ad pœnam, nulli eorum creditur cōtra alterum *Natta libro tertio, consil. 542. n. 1. cum aliis Farinac. quæstione 159. numero 104. Guaz. Defens. 18. cap. 15. num. 1.* quia quilibet eorum est suspectus versus alterum. Si plures testes dixerint, se non deposuisse, prout reperitur scriptum in processu, faciunt solum indicium ad inquirendum contra Notarium, non vero ad illum torquendum. *Roland. lib. 1. cons. 39. numero 17. & 33. Natta lib. 2. cons. 392. ex illis Guaz. num. 2.* Quando ad ionicem aduersantur vnus testis, vt Notarius, tunc testis torquetur, quia Notarius stat pro duobus testibus, & contra Notarium requiruntur duo testes ad torturam, *Natta cons. 361. vol. 2. Guazin. num. 4.* Si vero loquamur de probatione magis credendum est scripturæ, quam testi asserenti deposuisse aliud, quam scriptum est. Ita *Conar. lib. 2. cap. 13. numero 10. Menoch. lib. 2. præsumpt. 79. num. 14. Mascard. concl. 1094. num. 7. Clarus §. Falsum num. 11. & quæstion. 53. num. 17. ex illis Guazin. Defens. 28. cap. 25. numero 4.* Si vero plures sunt testes fideles, & idonei creditur illis magis, quam Notario suspecto, *ex allatis à Farinac. quæstion. 59. num. 197. & sequentibus, Guazin. num. 9.*

58 Quia non expedit religiosis conficere processus per manus Notariorum, secularium, ideo superiores regulares pro Notariis vtuntur suis secretariis, seu scribis, imò & creare possunt ex suis professis aliquem, vel aliquos in Notarios, qui sint moribus probati, & fide, ac doctrina idonei, pro scribendis causis tum ciuilibus, tum criminalibus, quibus non minus credendum erit, quam formalibus Notariis laicis, & eorum scripta eiusdem fidei, & valoris, ac si fuissent edita à Notariis secularibus, vt ex Bulla Pij V. incip. *Debitum* 124. in B. N. docet *Rodrig. tom. 3. quæstion. 8. artic. 1. Castellinus de elect. capite vigesimo. Peyrin. ad hanc const. 9. Pij V. num. 6. Donatus par. 4. tract. 4. quæstion. tertia, numero nono, & decimo. Lucerna Regul. 51. Notarius,*
59 *Portellus 11. eodem*, qui cum Peyrino & aliis ab hoc exigunt tanquam substantiale iuramentum fidelitatis, quos sequitur cum aliis de Angelis capite decimo-tertio, numero quarto, quia iuramentum facit fidem authenticam eorum, quæ scribuntur à Secretario, vel alio scriba accepto pro Notario, & cum iuramentum detur actori, testibus, & reo dandum quoque est Secretario, aliter nullus est processus, sicut talis est, si iuramentum à prædictis non exigatur, cum iuramentum connumeretur inter substantialia iudicij.

60 Ego in ea sum opinione, quod exigendum non sit iuramentum à Secretario, seu alij electo adscribendum processum, siue talis appelletur Notarius, siue aliu nomine creatus, & assumptus ad hoc officium. Probatur quia nullibi hæc obligatio iurandi expressa est, & cum sit quid onerosum, non est cuiquam imponendum, quod nec lex imposuit. *Confirmatur*, Tum quia dum in cap. quoniam 11. de probationibus præscribitur, quod in dealoco Notarij non extantis, duo viri idonei conscribant processum, non dicitur, quod tales assumpti ad id iurare iurent, sed simpliciter, quod coacta conscribant. *Tum quia* in præfata Bulla Pij V. nulla fit mentio huius iuramenti, sed Papa indulget, vt superiores maiores possint creare suos Fratres in Notarios, quorum scripturis tanta fides adhibeatur vbique tam in iudicio, quam extra quanta adhibetur Notariis secularibus si ea scripta edissent. *Tum quia* cap. Ad audientiam 13. de præscript. allatum ab Aduersariis cum cap. quoniam loquuntur solum de formali Notario onllam mentionem facientes de aliis, ergo in aliis ea obligatio non est inducenda. *Tum quia* nullus superior regularis, aut alter officialis inter eos iurat de exercendo fideliter suum officium, cum sciat, se teneri illud exercere rectè, & fideliter. Demum pro Secretario, & scriba præsumendum est bene, & rectè exercuisse suum officium, ex electione, quæ est assumptio vnius dignioris ex aliis, nisi contrarium probetur.

Notat & bene Lezana part. 1. tract. 18. num. 62
95. superiores non posse suos Fratres in Notarios creare, ex vi præfatæ Bullæ Pij V. quia id concedit solum ad notificandum, & intimandum priuilegia Religionis Dominicanæ, non vero ad scribendum processum contra aliquem Religiosum. Vnde ex hoc capite non dicuntur creare Fratres suos in Notarios, sed ex potestate sui officii, cum ad illud exercendum indigeant Secretariis, & actuariis eiusdem ordinis, sicut similibus vtuntur Episcopis in negotiis suarum Ecclesiarum; vel ex consuetudine, vt ex Aldrete insinuat *Portellus 11. Notarius numero secundo, fine.*

Notarius autem siue secularis, siue regularis acta 61
subscribere debet, vt fides eis adhibeatur. *Portellus numero tertio, ex Rodrig. tom. 4. Sum. cap. 58. concl. 10. de Angelis cap. 13. num. 5.*

Quæ dicta sunt de Notario formali in concursu 63
cum testibus, puto habere locum etiam in Notario regulari, cum ea electione facta dicatur persona publica non minoris fidei apud Religiosos, quam sit Notarius apud quoscunque.

Dixi 4. processum esse conficiendum à Notario 64
coram iudice, nam omnes causæ agitantur inter partes coram iudice, qui mediator est ad ministrandam iustitiam inter illas, vt colligitur ex cap. Quoniam et. de probat. Sicut enim Notarius est de substantia processus, cum ab eo sit scribendus ex citato capite *Rodrig. tom. 2. quæstion. 12. art. 2.* Non enim est de apicibus iuris, *de Angelis cap. 13. num. 1.* Ita iudex est de substantialibus eiusdem processus, qui sine illo formari potest, eum ad ipsum spectet examinare testes, & reum, atque in primis querelam recipere. Non potest autem processum per seipsum scribere, & si scriberet, ei non crederetur, nullusque esset processus, *ex Perez. Barbos. ad dictum cap. num. 14.*

Processus in dubio non præsumitur bene, & ritè 65
fabricatus, *ex allegatis à Barbos. in citatum capite vndecimum, de probat. numero duodecimo. Mascard. concl. 1237.* Carens anno, die, & loco non probat, *Felin. in cap. 1. de fide instr. col. 4. Conar. practic. quæstion. cap. vigesimo, num. secundo & quinto, Rota apud Rubeum tom. tertio, ab anno 1635. decis. 306. numero quadragesimo-quarto*, & carens anno Domini, in totum vitiatur, *Dynus cons. 14. Bald. vol. tert. cons. 66. numero quarto, apud eundem Rubeum decis. 340. numero octogesimo-nono, tom. prim. Nouissim. part. secund.* Verum quidem est, quod apponi potest antequam tradatur exemplum partibus, vel producatur in iudicio. *Bart. in l. Si librarius ff. de reg. iur. Gabriel cons. 169. numero vigesimo-nono,*

Parisius

Parisiis volum. secund. consi. vigesima-octaua, numero quadragesimo-secundo, cum alys Mar. Anton. libro tertio, resol. quadragesima-quarta, ad finem quint. casus 5. Tum quia apponere. Factus coram iudice recusato est nullus, maximè stante protestatione, modo recusatio non sit calumniosa. *Seraphin. decis. 897. Guazin. Defens. prim. capite decimo-nono, numero quinquagesimo quinto, & tertium capite vigesime.* In dubio censendus est valere, *ex Vantio de Nullitat. Rubr. 14. numero 127. de Bellis qu. 156. num. 59.*

66

SECTIO SEXTA.

De Defensione contra propriam confessionem.

67 QVamuis nulla sit maior probatio, quam proprii oris confessio, *l. Generaliter C. de non numer. pec. Mascard. concl. 350. Parif. libro decimo-quarto, de Resign. benef. quaestion. nona, num. quint. vbi num. 6.* ait, id procedere etiam in iudicio criminali, *Capataq. part. tert. decis. 242. & dixi capite sexagesimo-nono, numero decimo.* Quod procedit siue confessio prout facta in iudicio, siue extrajudicialiter. Nihilominus reus se defendere potest excipiendo contra propriam confessionem factam siue in iudicio, siue extra iudicium, siue sponte, siue coactè ex vi tormentorum, vt docent omnes cum Claro *quaestion. quinquagesima-quinta, vsque ad sexagesima, Coriolanus Capacin. casu V. §. VII. Spathar. tractat. decim. cap. 8. & 9.*

68 Defendere autem reus se potest excipiendo contra propriam confessionem, quod multis modis accidere potest. Referam nonnullos.

69 Primo, quia extraiudicialis confessio non inducit poenam ordinariam, sed tantum extraordinariam, ex dictis cap. sexagesimo-tertio.

70 Secundo, quia reus non fuit legitimè interrogatus, ideo confessio inde emanata reo nocere non debet, capite sexagesimo-septimo, quaestione quinta.

71 Tertio, quia confessio emanauit ex interrogatione suggestiua, capite sexagesimo-octauo, vbi probatur non nocere reo.

72 Quarto, quia facta solum coram Notario reuocata non nocet confessio, cap. sexagesimo-nono, quaestione sexta.

73 Quinto, quia facta coram vno iudice, & non aliis, coram quibus erat facienda, non valet, cap. sexagesimo nono, quaestione nona.

74 Sexto, quia facta in puncto iuris, & non super factum non nocet, capite sexagesimo-nono, quaestione vndecima.

75 Septimo, quia confessus est qualificate, ac proinde cum sui defensione ad minus mitigandam poenam, capite septuagesimo.

76 Octauo, quia confessio facta coram iudice incompetente licet non excuset à tortura, excusat tamen à poena, cap. septuagesimo-primo.

77 Nono, quia confessio incidenter facta excusat à poena ordinaria, cap. septuagesimo-tertio.

78 Decimo, quia confessio emanata sub spe impunitatis promissae excusat à poena ordinaria, nisi adminiculetur, capite septuagesimo-quarto, quaestion. quinta.

79 Vndecimo, quia confessio dubia, & incerta interpretanda est in fauorem rei, capite septuagesimo-quinto, numero octauo.

80 Duodecimo, quia erronea reuocabilis est, cap. septuagesimo-sexto, q. 1. vbi de modo reuocandi eam, quod scire valde vtile est ad defensionem.

Decimo-tertio, quia confessio ex tortura iniusta non nocet reo, capite septuagesimo-octauo, quaestione quadragesima-tertia, & sequenti cap. septuagesimo-nono, quaestione prima. 81

Decimo-quarto, quia confessio emanata ex tortura nullis praecedentibus indiciis, aut in sufficientibus non nocet reo, cap. septuagesimo nono, quaestione prima, praeced. cap. quaestione quadragesima-tertia. 82

Decimo-quinto, quia extorta per metum extra torturam non nocet reo, cap. septuagesimo nono, quaestione quarta, ratificata vero nocet quaestione septima. 83

Decimo sexto, quia facta in carcere non nocet reo, cap. septuagesimo nono, quaestione sexta. Ratificata vero nocet quaestione septima. 84

Decimo-septimo, quia confessio siue spontanea, siue extorta per torturam, vel ex metu non nocet reo, nisi illam ratificet. Capite octogesimo, numero uono. Alia vide locis praecitatis. 85

SECTIO SEPTIMA.

De Defensione ex causis mitigantibus poenam.

CLarus quaestione sexagesima, quam plures refert causas, per quas iudices debent poenas reis minuere, quae causae sunt species defensionis, de quibus *Spathar. tract. decim. cap. decimo-quinto, Carena par. tert. tit. nono, à numero vigesimo.* Sunt autem plures, & de singulis aliquid dicendum est ordine Alphabetico, & sunt Amor, Confessio spontanea, Consuetudo, Dominus, Ebrietas, Furor, Ignorantia, Inaduertentia, locus, Iussum superioris, Lubricum linguae, Minor aetas, Mulieris conditio, Multitudo, Prouocatio, Rusticitas, & Senectus. 86

Amor carnalis, quo nihil vehementius, cum naturae sit inditum, comparatur furori, *Mar. Mant. vol. 1. cons. 14. num. 81. Carena part. 3. titulo 9. num. 50.* & ebrietati aequiparatur, quia inordinatè amans rectum peruertit iudicium, & quasi ignorat quid faciat, *Glos. 11. Barthara instit. de success. sublatis, Farinac. quaestion. 98. num. 77. Masch. concl. 86. num. 10. cum illis Barb. ad cap. Veniens. 13. de sponsal. num. 3.* Amantibus ergo aliquid parcendum est, eum malè quidem egerint, sed non ex plena aduertentia aliud delictum à luxuria admiserint quasi furiosè agendo. Ita *Clarus quaestion. 60. num. 7. Menoch. de arbitr. casu 318. Anton. Gomez tom. 3. cap. 14. num. 28. Torrebl. lib. 1. de Magia cap. 47. num. 54.* Quia potentissimus est effectus amoris, qui non consilio, sed furore dicitur *apud Alciat. emblem. 115. ad. 107. cum aliis Barb. cit. num. 4.* De minuenda poena in sortilegio amatorio, *Oldrad. cons. 210. Monaldus cons. 101. Farinac. quaestion. 98. num. 88. Carena par. 3. tit. 9. num. 51. qui num. 53.* ait, non tamen minor abiurationem, quae debet esse de vehementi, si sortilegium fuit haereticale. 87

Confessio spontaneè facta minuit poenam delinquenti, quia praesumitur sine dolo deliquisse. *Farinac. quaestion. 81. num. 171.* licet fateatur timore probationum, *numero 174.* Itaque mitius punitur sponte confessus, quam conuictus, quod verum est respectu cuiuslibet poenae tam ordinariae, quam extraordinariae loquendo respectu iudicis ordinarii. Vide eundem Farinac. ibidem. 88

Consuetudo aliquando minuit poenam, dum delictum de vna specie transfert in aliam minorem. Do exemplum in blasphemia, *Diabolo fante*, quae 89

da

de se est hæreticalis, tamen ex consuetudine habetur apud Siculos, vbi est multum in vsu, & consuetudine, pro simplici, & sic minus punitur. Ita Albertinus, *quæst. 6. num. 2. Alberghinus ex nostris in suo Manuali qualificat. cap. 16. num. 10.* testis auricularis, cum sit Siculus, *Lupus super Edictum S. Inquisit. lib. 23. Dist. 2. Diffinl. prima*, Quamuis alioquin consuetudo augeat pœnam delicti sæpius reiterati, *Farinac. quæst. 23. num. 32. Carena par. 3. tit. 9. num. 58.* asserentes eum omnibus, mitius esse puniendum, qui semel deliquit, quam qui pluries, quia sicut aggrauatur delictum ea reiteratione, ita & pœna augetur, & multiplicatur ad multiplicationem delictorum.

90 Dormitio minuit pœnam delinquenti in sõnis imò quãdoq; omnino excusatur, quia dormiẽs pro mortuo habetur, & comparatur furioso, *l. 1. §. Adipiscimur ff. de acquir. possess. ex glos. in fine dist. 6.* In quantum scilicet inculpatur antecedenter, quia expertus se solere exire è domo cum armis, sibi non prouidit, vel subsequenter, approbando scilicet delictum commissum; punitur ergo mitius ex his tantum culpis antecedenti, vel subsequenti, secundum *Clarum qu. 60. §. quæro etiam*, *Farinac. qu. 63. num. 70. & 75. Pegna part. 3. com. 37. Vers. De Dormientibus*, *Sousam lib. 3. cap. 36. num. 4. & 5. ex illis Carena par. 3. tit. 9. num. 38. qui num. 39.* ait, Inquisitores in casu hæresis debere diligenter aduertere ad mores, & vitam proferentium hæreses, & blasphemias in somnis, quia dormientes de nocte solent proferre, quæ de die diaerunt, *ex Conymbr. in lib. Arist. de somno, & vigil. cap. 7. Maldulens. de Anima disp. 5. num. 359. Pontius part. 3. Cursus Philosoph. disp. 16. num. 58.* asserentibus, somnia prouenire ex iis, quæ in vigilia tractauimus.

91 Sed nunquid credendum est asserenti pro sua excusatione, sed blasphemias protulisse in somnis, non in vigilia? Si querelatus fuit ab aliquo cum ea qualitate, quod blasphemauerit de nocte existens in lecto, verisimilis est eius excusatio, quia nox est pro quiete capescenda, & regulariter homines dormiunt de nocte.

92 Ebrius quid dicatur explicaui cap. 10. num. 16. & quotuplex sit ebrietas, num. 17. Maxima ebrietas excusat in totum à pœna, quia demit vsum rationis, *Cantera quæst. crimin. cap. 7. de homicid. Carena part. tertia, titul. 9. numero quadragesimo-prim.* Magna vero ebrietas, quæ non tollit affatim vsum, & iudicium rationis, sed tantum diminuit, non excusat à toto, sed à tanto solum, & sic mitigat pœnam. *Farin. qu. 92. num. 1. Sousa lib. 3. cap. 53. num. 1. Menoch. de arbitr. casu 326. num. 7. Carena cit. num. 42.* Leuis ebrietas à nullo excusat, quia non tollit iudicium rationis, sed hominem reddit tantum hilarem, ita *pracitati cum Carena num. 46.*

93 Furor in triplici casu spectari potest. *Primo*, quando quis tempore furoris delinquit, & tunc excusatus à delicto perpetrato. Ita omnes *cum Farinac. qu. 94. num. 1. Menoch. de arbitr. casu 376. num. 8. Sousa lib. 2. cap. 33. num. 3. cum Carena par. 3. tit. 9. num. 64.* Ratio est, quia facta furiosis non imputantur, *Cap. 5. 15. qu. 1* Nam furiosus, & mente captus æquiparantur, *Megal. t. 2. lib. 2. cap. 7. num. 21.* Et furiosi nulla est voluntas, *l. Furiosi ff. de reg. iur.* ideo sicut non peccat ita nec punitur.

94 Secundo, furiosus habens lucida interualla, & ignoratur, an deliquerit, dum erat sanæ mentis, vel dum erat in furia, præsumendus est deliquisse tempore dementiæ, & furoris. Ita *Ant. Gomez. tom. 3. Var. cap. 5. num. 70. Farin. qu. 94. num. 8. Pegna par. 3. com. 22. Vers. interdum habere. Carena par. 3. tit. 9. num. 65. Panorm. cons. 87. num. 13. M. Ant. lib. 1. resol. 43. fine.* Nisi ex eius actibus probetur contrarium, vt in eo, qui postquam vulnerauit suum inimicum, confugit ad Ecclesiam, præsumitur enim ex his fuisse tunc sanæ mentis, *Farinac. qu. 94. num. 16*

Tertio, si post commissum delictum, sit delinquens furiosus, antequam feratur contra eum sententia, corporaliter puniri non potest, sed tantum in bonis, *Farinac. 94. num. 16. alijs citatis cum Carena num. 68.* 95

Quoniam autem furor non præsumitur, *cap. fin. de success. ab in est. l. Filium ff. de acquir. hered.* ideo probandus est ab allegante illum. Probatur autem *Primo*, ex dictis, seu factis insanis. *Secundo*, ex inordinato statu memoriæ, *Alex. vol. 2. cons. 54. fine.* Tertio ex præterito præsumitur in præsenti, & futuro durare, *Paris. cons. 87. num. 11. Farinac. quæst. 94. num. 52.* olim enim furiosus etiam hodie talis præsumitur, *Barbos. ad dictum cap. fin. de success. num. 13. quam plures citat Doctores*, ideo furor non præsumitur, quia sanitas mentis naturaliter, & de iure præsumitur, cui opponitur. *Menoch. lib. 6. præsumpt. 45. & Farinac. qu. 94. num. 50. & 51.* docent modum probandi furorem. 96

Ignorantia non solum pœnam minuit, sed quandoque excusat ab eadem, quia ignorantia, si sit probabilis tollit voluntarium, vel saltem illud minuit, Theologi cum S. Thoma 1. 2. qq. 6 ac proinde peccatum, quod sine voluntario non datur, consequenter tollit, vel minuit pœnam iuxta conditionem ignorantiæ, ignorans ergo non dicitur delinquere, ideo non punitur ignorantia, *l. Genero 8. de his, qui not. infam. Specul. in tit. de noui oper. nunt. §. 2. vers. pæn.* Procedit non solum de ignorantia facti ex Reg. 13. in 6. Ignorantia facti, non iuris, excusat, si sit probabilis, vnde ea excusat à dolo, *Farinac. qu. 90. num. 94.* & à pœna, *numero 258.* Verum etiam de ignorantia iuris, quæ licet non excuset à pœna minuit tamen illam, *ex eodem, qu. 90. num. 964* Ignorantia iuris præsertim dubij excusat à dolo, & pœna capitali *ex eodem, quæstion. 103. num. 258.* Ignorantia facti præsumitur, vbi scientia non probatur Reg. 47. in 6. Percussi clericum incedentem seculariter, in me præsumitur ignorantia clericatus, dum eum non cognosco, nisi per habitum laicalem. Occidi venando intra siluam hominem inaduertenter, præsumor ignorare circunstantiam homicidij, quia feræ, non homines, solent habitare in siluis. Associans ignoranter delinquentem allegata ignorantia, fiscus habet onus probandi scientiam, *Riminal. Iun. vol. sext. cons. 675. numero decimo, cum alijs GuaZin. Defens. vigesima-tertia, capite vndecimo, numero secund.* Ignorantia vero iuris non præsumitur ideo probanda est per allegantem illam. *Farin. quæstion. 90. num. 105.*) probatur autem per iuramentum, *nu. 106.* Signis quoque & coniecturis, *numero 107. Barbosa ad cap vigesim., de elect. numero vigesimo quinta.* 97

Communis quoque sententia est, ignorantiam probabilem excusare non solum à culpa, sed etiam à pœna censuratum, Ita *Clarus quæstione octogesima-quinta, §. Secundus est casus, Grassius parte prima, decis. aur. lib. quarto, capite sexto, numero vigesimo-primo. Rodrig. tom. prim. Sum. capite septuagesimo-septim. numero tertio. Sanch. libro nona, disputat. 32. Sayrus libro primo, de cons. capite decimo-octauo, numero decimo-quarto, Bonac. disput. primo, quæstione secunda, parte prima, numero sexto.* Imo si censura sit lata contra temerarios, & præsumptores, ignorantia crassa, & supina excusat à censura, quia temeritas, & præsumptio petunt dolum in transgressione, qui stare non potest cum ignorantia prædicta, *Bonac. cit. num. 12. Castropal. par. 1. tract. 2. disp. 1. part. 18. qui part. 19.* bene probat, allegari posse in foro externo ignorantiam, & docet quomodo ea sit probanda. 98

Inaduer

99 Inadvertentia, quæ est defectus memoriæ, quæ non attendit quando homo aliquid operatur, æquiparatur ignorantiæ in excusandis delictis, vt docent *Suarez de cons. disp.4. sect.8. num. 1. & 11. Azor. par. 1. lib.1. cap. 16. quæst.3. Sanch. lib.1.cap.16.num 8. Bonac. disp.1. quæst. 2. de cens.p.1.num.5.§.Notandum.* Ideo remitto lectorem ad dicta de ignorantia. Verum quidem est, quod pro foro externo non attenditur allertum excusantis se ex causa inadvertentiæ, quæ cum in animo consistat alio medio non probatur, nisi per iuramentum, quod non admittitur in delictis excusandis.

100 Iocus facetia est, seu vrbanitas quædam facta ad lætitiam, vnde ioco factum pœnam non meretur, cap.1. de sent. excom. vbi ab excommunicatione excusatur, qui percussit clericum ioco, & non ex odio, seu indignatione, quia aliàs excommunicatus est, non enim ioco fecit, sed prauo animo, nam iocus noxius est in culpa, cap.1. de præsumpt. nam omne male factum semper præsumitur praue factum, *Farinac. quæst.85. per totam;* quæ enim de se mala sunt, non possunt præsumi bene facta, ideo punientur, cum in illis iocus locum non habeat. Vide *Simanch. de Catol. instit.tit. 59. numer. 17. Pegnam par.3. com.17. Sousam lib.1.cap.13.* de lubrico linguæ, & ioco in causis fidei.

101 Iussus superioris minuit pœnam, si non in totum tollit eam; Præceptum igitur superioris excusat à pœna delinquentem in iis, quæ non sunt de genere prohibitorum, sed indifferentia, vt iussus laborare in alieno fundo. *Farinac.q.97.num.131.Clarus quæst.60.§.solet dubitari, Carena par.3.tit.9. num.78.* In his vero, quæ ex se sunt de genere malorum, si delictum est leue, præceptum excusat; si vero est graue, non excusatur obtemperans, tamen non punitur pœna ordinaria, sed tantum extraordinaria, vt dicunt præcitati, si Dominus, præcipiens, iussit cum minis, solum eas exequi, alter si non constat de minis, punitur pœna ordinaria, quia videtur potius voluntate adhæsisse iussioni superioris, quam coacte obtemperasse. Confirmatur id, quia certum est, in iis, quæ intrinsece mala sunt, non esse obediendum superioribus, nec dominis, *cap.si quis 89.ad 100.11. quæst.3 Homob. par.1. Resp.88.* dicens, quod nemo debet obedire suo superiori, siue Principi, siue Domino, siue patri siue marito, siue Prælato in prohibitis de iure naturali, aut diuino, *Farinac. q 97. num. 5. & 6.* obediendum est ergo magis Deo, quam hominibus.

102 Lubricum linguæ, quod est facilitas obloquendi contra aliquem iniuriis, conuitiis, & blasphemiis, non est facile ad pœnam trahendam, *l. Famosi 7. ff. ad leg. Iul. Maiestatis,* quia verbum temere dictum non præiudicat, *l. si quantitatem 2.C.qui bonis ced. poss.* Temere dictum, i. inconsiderate prolatum, in hoc sensu intelligendum est, vt non importet dolum, sed solum inadvertentiam, & incuriam, secundum Barbosam sentorem *in l. Cum qui temere ff.de iudic.apud Carenam resol.81.num.1.* Nam alias si importaret temeritatem, & dolum potius augeret, quam diminueret pœnam. De lubrico linguæ in causis fidei, qui non sunt puniendi vt hæretici, *Sousa lib.1. cap. 13. Simanch.de Catol. instit.tit.59.n.17. & 18. Pegna par.3. com.17.Carena par.3.tit.1. num.70.*

103 Minor Ætas, quæ durat vsque ad annum vigesimum quintum inclusiue, excusat à pœna capitali, ideo mitius puniuntur delinquentes, *ex l.1.§. Impubes, ff.ad Syllan. Farinac. quæst.92.num.41.Carena par.3. tit.9. numer.10.* Quod locum habet etiam in causis S.Officij, vnde Vrbanus VIII. in sua incip. *Apostolatus officium* 79. declarauit, constitutionem Clementis VIII. contra nondum sacerdotes celebrantes, vel absoluentes tradendos curiæ sæculari, comprehendere etiam minores viginti quinque annorum, modo vigesimum suæ ætatis annum compleuerint.

104 Abiurant minores de formali cum clausula: *citra pœnam relapsi* qui excesserunt decimum quartum annum masculi, & duodecimum fœminæ, & in hoc omnes conueniunt, cum id præscribatur in Conciliis Tholosano *cap.11 & Biterrensi cap.31.apud Pegnam part.3. com.40. vers. sed hæc difficultas,fol.490. Farinac.quæst.194. num. 31.Sousa lib.2.cap.46.num. 4. Carena par.3.tit.13. num. 41.* An impuberes masculi ab anno decimo cum dimidio, & fœminæ annorum nouem cum dimidio, cogantur ad abiurandum, affirmant, apud Carenam numer. 43. si sint doli capaces. Aliqui non male negant illis abiurationem, quia cum hæresis formalis petat certam cognitionem, & pertinaciam, quibus constituti in ea ætate non videntur capaces, ideo non debent abiurare de formali. Vide eundem Carenam rem discutientem loco citato, & *par. 1.tit.9 à num.10.ad 34.* 105

Mulieb ris conditio excusat, vt delinquens mitius puniatur, *l.quicquid §. Ad filias C ad legem Iul. Maiestatis, & cap. Sicut dignum 6. de homicid Farinac. quæstio.8. numer.1.* Procedit in iis, quæ à iure positiuo sunt prohibita, non vero in iis, quæ sunt interdicta iure naturali, vel diuino, aut gentium, *ex eodem num.13.* Quare excusandæ non sunt in delictis contra fidem, nisi ratione earum incapacitatis, quando hæresim non intelligunt, cæterum ipsis nota sunt delicta poligamiæ, sortilegiorum, blasphemiarum &c. in quibus earum sexus non excusat, *ex allatis à Carena par. 3. tit. 9. numero 47. ad 49.* 106

Multitudo delinquentium minuit pœnam eis alias rigorose debitam, & hoc fit ad euitandum maius scandalum, vel stragem populorum, quando probabiliter timetur. Ita *Farinac quæst 96 num.1.* Vnde habetur axioma hoc: *Multitudini parcitur*, expressum *in cap. Commessationes 1. sect. 40. cap. Quoties 13. 1. quæst.7. cap. Non potest 35.33. quæst.4. Glos.11. Multitudo cap.1. de temp. ordin.* refert hunc versum: *Ob populum multum crimen pertransit multum.* An tota communitas puniri possit, & quomodo? docet *Menochius de arbitr. casu 598.* Respectu autem principalium, & auctorum non minuitur, sed potius augetur, dum fuerunt causa tanti maleficij. Prædicta locum habent etiam in crimine hæresis, quando timetur populi tumultus, & strages, *Carena par.3.tit.9.num.55.Farinac.quæst.197.num.33. Sousa lib. 2.cap.35.* 107

Prouocatio facta ab aduersario minuit pœnam in aggresso, quia percutiendo censetur id facere ad se defendendum, non ad occidendum. *Spathar. tract.10. cap. 15. num.7. Farinac. quæst.91. num.7.& 8.* quia licet dicatur culpa delinquere, non tamen dolo agit. 108

Rusticitas, hoc est, simplicitas est causa parcendi, ex *cap. Qui secundum 13.33. quæst.4. per cap. Sancta 55.2. quæst.7.* vbi Glos. explicat, rusticitatem importare simplicitatem. Vide *Farinac quæst.89.num.46.* vbi non præsumitur dolum committere; *quæst.98. à num.19.* vbi late de hac materia. 109

Senectus minuit pœnam in sene delinquente, & existente in decrepita ætate. Ita aliis allegatis *Farinac.quæst. 92. à num.23. ad 41.* cum suis ampliationibus, & limitationibus. Quis dicatur senex dixit sub numer. 32. incipere ab anno quinquagesimo. Vide quæ dixi cap. 78. num.7. 110

Demum dubitatur, an reus defensus sit absoluendus, & declarandus innocens?

℞ Quando Actor, vel Fiscus nihil probat, certum est, quod reus absoluendus est, dum & ipse negat crimen perpetrasse. Ita omnes *cum Claro quæst.62.Guazin. Defens. 29. cap. 1. numer. 6. de Bellis quæstio. 92. numer.1.* Absoluendus ergo est ab illa imputatione, non tamen simpliciter, & definitiue, quia non absolute declaratur innocens, sed tantum talis censetur præsumptiue ex eo, quod contra illum nihil probatur. Absoluitur ergo ab imputatione sub conditione stantibus rebus prout stant, vnde si deinde superuenissent indicia, & probationes contra eum proceditur. *Clarus quæst. 62. §. Forma, Farinac. in Fragm. A.num.27. Guazin. cit. & de Bellis num 6.* 111

Quando delictum est probatum, & reus est vel confessus, vel conuictus, aut per indicia vigentia, & indubitata, 112

bitata, quamuis ſe defendat longo proceſſu probando ſe eſſe hominem probum, teſtib. deponentibus de eius vita, & moribus, ſed directe, & immediate non percutientibus delictum, nec dicta teſtium, indea procedat ad ſententiam contra reum, quia defenſiones, quod ſit vir bonæ famæ, ſunt inſufficientes, generi enim derogatur per ſpeciem, eſto enim probetur bonus, non ideo eliditur probatio legitima quod tale delictum non fecerit, quia in reliquis eſt bonæ vitæ, non in hoc, quod ignoratur à teſtibus defenſiuis. e.g. Ego nunquam audiui, nec ſcio, hunc furatum fuiſſe, nec credo hoc. Bene dico, ſecundum propriam ſcientiam, non ideo elido indicia, vel probationes contra illum factas, quia ignoro hoc, quod alij ſciunt, vt teneur credere, ne iudicem teſtes falſarios, qui præſumuntur veritatem contra ipſum depoſuiſſe.

CAPVT LXXXIII.

De confrontatione Rei cum Teſtibus.

1 QVoniam Reus quandoque in ſuis defenſionibus aſſerit, ſe à teſtibus non cognoſci, ſed illis eſſe ignotum, ideo partes fiſci, & iudicis erunt probare teſtes noſcere reum, contra quem depoſuerunt, ideo hic agendum eſt de confrontatione rei cum teſtibus illum recognoſcentibus.

Quæres igitur primo quid ſit confrontatio.

2 ℞ Eſt diſcuſſio cauſæ inter reum, & teſtem à facie ad faciem facta ad recognoſcendum, & redarguendum illum negantem delictum, ſuper quo fuit indiciatum. Ita colligo ex infra citandis.

Quæres 2. Quomodo fiat huiuſmodi confrontatio, & recognitio rei.

3 ℞ Vt confrontatio ſit iuſta, & legitima ſex requiruntur, vt obſeruant Criminaliſtæ *apud Guazin. Defenſ.20. cap.20.*

4 Primo, vt reus ponatur inter tres, aut quatuor ſimiles illi, quantum eſt poſſibile, ſtatura, facie, veſtibus &c. ita *Scaccia lib. 1. de indic. cap. 86. num.59. & 67. Guazin. num.5. de Bictis q. 81. num. 1.* Illi duo, vel tres, ſeu quatuor, hoc enim eſt arbitrarium, ponendi cum reo non debent eſſe noti teſtibus, inquiunt prædicti. Si teſtis errabit, exculpatur imputatus, vt iidem docent.

5 Secundo, ſi ſint plures teſtes, non omnes ſimul confrontari debent cum reo, ſed ſeparatim, quia teſtium depoſitio debet eſſe ſecreta, & in ſecreto ſunt examinandi ſigillatim, vt dixi cap. 41. num. 10. Ita *Honded. vol. 1. conſ.101. num.30. Canalc. de teſtib. par. 3. num.207. Guazin. Defenſ.20. cap.20. num.4. de Bictis quaſt.82. numer. 12.* Complicum quoque confrontatio ſeparatim eſt facienda, ex citatis.

6 Tertio, teſtis iurare debet ad præſentiam partis. *Boer. deciſ.319. num.4 Vulpell. Reſp.76. num.14. Farinac. q 72. num.148. Guazin. num.6.* Si non conſtat de iuramento, nulla eſt confrontatio. *Berta̧ vol. 2. conſ. 351. num.30. Burſat. vol. 3. conſ 191. num.35 Guazin. num.6.*

7 Quarto, in confrontatione ſeruanda ſunt ea omnia, quæ in primo examine fuerunt ſeruata. Ita *Farinac. conſ. 55. num.4 Honded. vol.1. conſ.101. Guazin numer.7. de Bictis quaſt.82. num.10.* Socius autem criminis in facie rei eſt torquendus, ex dictis.

8 Quinto teſtis in faciem rei repetere debet ea omnia, quæ depoſuit in primo examine, ſaltem quo ad ſubſtantiam, vel legatur examen ad verbum coram vtroque. *Ex citatis cum Guazino Defenſ.20. cap.20. num.8.* Colligitur id ex præcedenti.

9 Sexto demum, non debent teſtes referre omnes circunſtantias, & qualitates delicti, ſed ſolum ſubſtantialia, ne reus in tortura inſtructus ſuper dictis qualitatibus dicatur fateri per ſuggeſtionem. Ita *Mar. Socinus in cap. Qualiter de accuſat. num.950. Farinac. quaſt.72. num 139. § Verum quando Guazin. num. 9.* cui non placet huiuſmodi reſtrictio, & ſicca confrontatio, nec mihi.

Quæres 3. An confrontatio ſit de ſubſtantialibus iudicij, ac proinde neceſſario facienda?

℞ Eſt in arbitrio iudicis, cum magis ſit de apicibus iuris, quam quod pertineat ad ſubſtantiam eius, cum veritas aliter haberi poſſit. Ita *Clarus quaſt. 45. verſ. Ego certe, Scaccia lib.1. de indic. cap.86. numer.153. Guazin. Defenſ.19. num.1.* Eſt tamen vtilis, quia acrius reus vrgetur. *Farinac. quaſt.72. num. 132.* In caſu quo dubitatur an teſtis cognoſcat reum, vt cum ab eo cognoſcitur ſolum de viſu, non de nomine, vel ipſe reus negat perſonam ſuam eſſe notam teſti. Tunc neceſſaria eſt recognitio rei poſiti cum alijs iuxta ſuperius dicta, vt euacuetur difficultas, & depoſitio cognoſcatur vt legitima, & legalis. Ita omnes *cum Guazin. Defenſ.20. cap.19. num.7.* 10

Quæres 4. An interrogatio fiat antequam lis conteſtetur, & reus interrogetur?

℞ Prius lis conteſtatur, hoc eſt, reus examinatur, ſi enim fatetur delictum, non eſt opus confrontatione, quæ ſolum fit ad redarguendum reum negantem delictum. Ita *Scaccia lib.1. de indic. cap. 86. num. 54. Guazin. Defenſ 20. cap.19. num.13.* 11

Quæres 5. An confrontatio fiat à teſtibus ſubditis reo contra ipſum reum?

℞ Negatiue, quia confrontatio cum ſit periculoſa, & ſubditi ſoleant timere ſuos dominos, accidere poteſt, vt teſtes varient depoſitiones iam datas, & illas eneruent. Quare familiares, domeſtici, vaſſales, & ſimiles non ſunt confrontandi cum dominis reis. Caualcan. *in pract. de teſtib par. 1. num.9. Scaccia cit. cap. 86 numer.53. Guazin. Defenſ.20. cap.19. num 3 de Bictis quaſt.82. num 8.* 12

Quæres 6. An teſtes inter ſe contrarij cogi poſſint ad ſe ſe confrontandos?

℞ Poſſunt, quia ſi coguntur ad teſtificandum, ergo & ad confrontandum, cum ſit ſpecies probationis. Ita *Scaccia lib. 1. de indic. cap.86. num.58. cum alijs Guazin. cit. num.8.* 13

Quæres 7. An confrontatio collat. defectum citationis?

℞ Affirmatiue, immo includit ipſam verbalem citationem, cum plus operetur confrontatio, quam illa, vt docent *Farinac. quaſt.72. num.139. Guazin. Defenſ.20. cap. 21. num.1. de Bictis quaſt.82. num.13.* Confrontatio igitur operatur, vt examen dicatur receptum, ac ſi reus fuiſſet citatus ad videndum iurare, & mandari recipi teſtes. 14

Quæres 8. An reus conuictus ſit confrontandus?

℞ Negatiue, quia ſolum confrontatur reus indiciatus, vt redarguatur negans delictum, poteſt enim conuictus condemnari abſque eo, quod fateatur delictum. 15

Quæres 9. An confrontatio operetur, ne fiat vlterius repetitio teſtium?

℞ Confrontatio impedit, ne reus poſſit petere repetitionem teſtium confrontatorum, quia confrontatio ita adæquat probationem, cum facialis fuerit, vt vlterius non ſit quærendum. Ita *Clarus quaſt. 45. Farinac. quaſt. 72. num 144. Caballinus caſu 269. num.18.* Quos contra ſe citat Guazin. *Defenſ.20. cap.21. num.2.* 16

Quæres 10. An reus in confrontatione poſſit teſtes interrogare?

℞ Affirmatiue, quia cum confrontatio ſit ſpecies relationis, correlatiua non debent iudicari ad imparia, ergo ſi teſtis interrogat reum, & è contra reus poterit interrogare teſtem. Ita *Clarus quaſt. 45. verſ. ſed in propoſito, Honded. lib. 1. conſ.101. num.26. cum alijs Guazin. Defenſ. 20. cap.21. num 6.* 17

Quæres 11. An per confrontationem inducatur publicatio proceſſus?

℞ Sic, in ea tantum parte, in qua facta fuit confrontatio. Ita *Guazinus Defenſ. 20. cap. 21. num.7. ex Bart. Baiard. ad Clarum q. 49. num. 2.* 18

Quæres 12. An confrontatio locum habeat apud religioſos?

℞ Quamuis confrontatio locum habere poſſit in cauſis regularium, *vt ſupponit Ghisler. cap.19. numer. 17.* tamen non expedit ſtatui religioſo confrontatio, cum ex 19

ca

ea conuitia, & iniuriæ non leues oriri possint, est enim confrontatio alienatio inter partes valde odiosa, & causlosa, & ideo exulare debet à religiosis.

CAPVT LXXXIV.

De Conscientia Reorum.

1 NOn est inutile hic tractare de conscientia reorum, vt ipsi sciant, quandonam teneantur respondere iudici, ne peccent tacendo veritatem, & mentiendo, seu æquiuocando contra mentem iudicij, dum debent ei veritatem manifestare. Huius quoque cognitio erit valde vtilis vtrique iudici tum temporali, tum spirituali, vt reis persuadere possint ea quæ faciant pro conscientia eorum.

Quæres 1. An, & quando reus teneatur in conscientia fateri veritatem coram iudice?

2 Resp. Tenetur, quando iuridice interrogatur. Tunc autem iuridice interrogatur, quando delictum est semiplene probatum, & ei notificatæ sunt depositiones testium saltem in communi, iuxta dicta c. 67. q. 3. & 6. His ergo duobus positis reus respondere tenetur veritatem, & non ante, quia antequam hæc duo sciat, retinet processessionem suæ famæ, quam perdit per notificationem illorum duorum, ideo fateri tenetur veritatem quam non potest occultare æquiuocando, vel tacendo. Ita *Miranda q. 19 n. 132. Antonius Cottonius ex nostris Meta physicus in publico gymnasio Patauino in Sum Diana* 11. *Reus num.* 10. *cum suo Auctore par. 3. tract. 5. resol.* 91. vbi ad hoc alij citantur inter se altercantes, an danda sit copia processus reo antequam examinetur. Negaui c. 67. q. 6. Procedunt dicta etiam in causis regularium, vt non teneantur respondere, nisi sibi illa duo notificentur, non enim minus ius habent ad conseruandam suam famam, quam alij, immo maius, ex quo sunt religiosi in statu honorabiliori constituti, *ex citatis à Diana in fine dicta Resol.* contra Iosephum à S. Maria *in Tribun. Regul tract* 4. *cap.* 17. §. 3. Dixi de hac difficultate latius c. 67. quæst. 11.

Quæres 2. An reus in causa grauis pœnæ teneatur respondere iudici iuste interroganti, ita vt non possit æquiuocare in iurando, & respondendo?

3 Resp. Negatiue, c. 67. q. 11. Contra oppositam opinionem putatam à plerisque probabilem apud *Cardin. de Lugo de iust. disp. 40. sect. 1. cum Portello* 11. *Correctio Fratrum* §. *Reus*, *Peyrin. de subdito quæst. 2. cap.* 16. §. 1. Intelligitur, modo speret posse fugere condemnationem negando delictum. Sed talis spes videtur improbabilis, quis enim credit, aut sperat sustinere tormenta iam atrocia. Non videtur ergo hæc opinio multum probabilis, dum suum habet fundamentum in spe sustinendi tormenta, quæ spes certe obumbratur ex timore eius, qui vel alias cessit tormentis vel illa nondum est expertus. *Diana par. 10. tr. 13. resol.* 13. conatur auctoritate præcisa quamplurium grauissimorum Doctor. confirmare probabilitatem huius opinionis. Ego eam relinquo in suo statu, prout inuenio, solum dico, quod mihi non placet, quia est magis speculatiua, quam practica, sicuti spes euadendi, quæ fragilis est, & non habet in se radicem probabilitatis, dum spes sit probabilis per subsequentem experientiam, si tormenta instaurantur, vnde bene dixit Cicero in Catilin. Sola spes neminem in miseriis consolari solet.

Quæres 3. An in sententia horum, quando delictum est plene probatum per testes, reus interrogatus possit eludere iudicem æquiuocando, cum ea spe euadendi pœnam mortis, mutilationis &c.

4 Resp. Potest in sententia istorum, vt docet Sancius in select. disp. 43. de præcedenti, & præsenti quæstione fusius à n. 29. & n. 33. vbi respondet, reum non teneri manifestare delictum etiam plene probatum, si enim non tenetur, quando est semiplene probatum multo minus si sit plene probatum; & quia reus conuictus negans delictum puniri potest, etiam pæna capituli, ideo subdit id procedere si mos est, vt reus non damnetur ad mortem nisi ipse sit confessus, esto alias sit conuictus. Ratio Sancij fuit, quia reus esset suæ mortis auctor, quod naturæ repugnat. Nullius momenti est hæc ratio. *Primo*, quia 5
proprie non dicitur auctor, quasi ab eo solo procedat mors, cum initium habuerit à testibus, & complementum ab ipso reo, qui proinde dicitur cooperari suæ morti, quod non repugnat, quia secundum iura, pæna tenet suos auctores, *Glos. 11. Culpa. c. 2. de constit. ex l. Sancimus 22. C. de pænis.* Authores autem sunt ipsi delinquentes, quia sibi ruinam fabricant. *Secundo* nonne Adam fuit sibi, & posteris auctor mortis spiritualis, & temporalis, transgrediendo præceptum domini comedendo de ligno scientiæ boni. & mali, ergo absurdum non est, quod quis sit faber suæ ruinæ, immo id sequitur ex necessitate posito delicto. Et id à fortiori dicendum est in casu nostro, in quo delictum est semiplene probatum, & plene remanet probatum, & perfecte absolutum per confessionem ipsius rei, qui ex hoc tenetur cooperari perfectæ probationi, vt debitam sibi pænam persoluat, amisit enim ius suæ famæ per semiplenam probationem, immo & per recusationem correctionis fraternæ, dum in secunda correctione, si in prima nihil actum est, corrector duos testes secum adhibere potest in crimine sibi soli noto, vt probaui cap. 3. sect. 1. n. 42. & 43. *Tertio* dici potest contra Sancium, reũ confessum non esse auctorem, sed tantum cooperatorem suæ mortis, quia is dicitur auctor, à quo initium habet effectus, verum autem est, mortem rei initium non habere ab eo, sed à testibus.

Quæres 4. An reus sciens contra se habere solum denuntiatorem teneatur respondere in conscientia?

Resp. Non teneri; sed si respondeat, æquiuocare potest, 6
nam iuridice non interrogatur, quia præter querelantem, requiritur testis omni exceptione maior, querelans enim patitur exceptionem proprij interesse, dum fungitur officio accusatoris. Ita *Valent. tom. 3 disp. 5. q. 13. p. 2. Dicastillus lib. 2. de iust. tr. 2. disp. 6. dub. 1. n. 12. cum illis Diana par. 9. tr. 8. resol.* 43. Vnde nec torturari potest, *vt dixi c. 78 q. 9. n.* 28.

Quæres 5. An qui semel negauit delictum à se vere commissum teneatur se retrahere?

Resp. Non tenetur, licet iuridice interrogatus, & quã 7
uis fuerit per testes legitimos conuictus; nec à confessario cogendus est, immo stante bona fide rei non debet notificare illi, se male egisse, sed tacere, & relinquere eum in sua bona fide.

Primum, quod nõ teneatur se retractare, probatur, quia 8
si debet se retractare maxime, quia nocuit in fama testibus, qui deposuerunt contra illum; sed nullum inde nocumentum allatum fuit testibus, quia omnibus manifestum est, reos solere negare delicta, & id eis ascribitur pro actu heroico sub specie constantiæ, & pro stultis habentur confitentes ea, ergo cum nullum fiat præiudicium testib. reus non tenetur se retractare, finis enim retractationis est, vt consulatur famæ proximi, quæ hic non periclitatur. Ita *Pisigian. in pract. fol. 258. Reginal. l. 24 c. 7. n. 145. Rodriq. tom. 2. q. 18 art. 9. Diana par. 1. tr. 15. resol. 26. & par. 3. tr. 5. resol.* 103. contra nonnullos asserentes, reum debere se retractare, ad detergendum infamiam illatam iudici, & testibus, scandalizatur enim populus credens, à iudice, & testibus reum fuisse iniuste vexatum. Sed id dicere stultum est, quia luce clarius est, reos solere semper negare delicta.

Secundum, quod confessarius non possit eum obligare 9
ad se retractandum, colligitur ex dictis, quia obligatio cõfessarij in hoc mensuratur ab obligatione pænitentis, qui non tenetur ex probatis, ergo nec confessarius, vt docent supradicti, vnde non oportet eum monere de hac re, sed relinquendus est in sua bona fide, & sufficit confiteri periurium.

Quæres 6. An reus ad euitanda grauia tormenta possit sibi imponere crimen?

Resp. Potest sibi imponere crimen falsum, ad euitanda 10
tormenta, æquiuocando, ne committat periurium, quia

tam grauia tormenta ſuſtinere non tenetur pro ſaluanda vitæ ſua, quibus illa non eſt digna. Ita de communi non peccare mortaliter docet *Petrus Nauar. lib. 2. de Reſtit. cap 4. num. 21. quem pro ſe citat Diana par. 3. tract. 5. reſol.7.* aſſerens cum Sancio *in ſelectis diſp. 46. num. 16.* nec peccare venialiter, quia ſi æquiuocatio excuſat à mendacio, etiam à iuramento, quod ſequitur effectum æquiuocationis, & ſic excuſat ab omni culpa.

Quæres 7. An reus aliquando teneatur ſe prodere?

11 ℞ Reus occultus licet eius delictum non ſit ſemiplene probatum, poteſt ſe prodere iudici, immo aliquando tenetur. Ratio illius eſt, quia ſicut poteſt quis innocens exponere vitam pro amico ita & pro ſeipſo pœnam merente. Huius ratio eſt, quia bonum publicum vt preciosius præponderat bono priuato. *Diana par. 5. tract 4. reſol. 23. Cottonus in ſum. Diana 11. vitam exponere.*

Quæres 8. An reus ſe defendendo à teſtibus poſſit illis obiicere crimen occultum, ſed verum, vel etiam falſum?

12 ℞ Reus pro ſua defenſione poteſt obiicere crimen tam publicum, quam occultum, modo ſit verum, & poſſit à ſeo probari, nequaquam vero falſum. Id totum probaui *cap. 82. à num. 26. ad 30.*

Quæres 9. An damnatus iniuſte ad mortem, ſed ſecundum allegata, & probata, poſſit ſe armis defendere contra iudicem, & alios? Reſolutio huius quæſiti dependet ab alio; An ſcilicet iudex poſſit condemnare inno-
13 centem, quem certo ſcit eſſe talem, probatum tamen nocentem ſecundum allegata, & probata in proceſſu? Affirmant enim plerique iudicem poſſe illum condemnare, ſi prius omnibus modis procurauit eius liberationem, & non potuit obtinere, quia licet priuata ſcientia cognoſcat habitum reum eſſe innocentem, non tamen ea, ſed publica ex proceſſu vti debet ad iudicandum. Ita *Couar. lib. 1. Variar. cap 1.* vbi rem exactiſſime probat, reſpondens obiectis, *eſt Thom. cum S. Thoma 2. 2. quæſt. 64. art. 6.* quam Cardin. de Lugo vocat communiſſimam, & probabiliſſimam, *diſp. 37. de iuſt. ſect 4. num 48.* Oppoſita ſententia, non poſſe, ſcilicet, iudicem condemnare innocentem probatum in proceſſu reum, eſt Leſſij cum multis aliis *lib. 2. cap. 19. num. 78.* quia occidere innocentem eſt intrinſece malum, ſicut cognoſcere non ſuam. Non dicitur innocens, ſed reus, dum iudex vt iudex fungi debet officio ſuo, aliam cognitionem non dicitur habere, niſi reatus hominis iudicati, & conuicti, ergo hæc opinio ſupponit querelatum eſſe innocentem, & tamen iure oppoſitum conſtat. Lege de Lugo, vbi rem exacte tractat.

14 ℞ Cum prima ſententia, innocentem non poſſe ſe defendere occidendo iudicem, vel alios miniſtros executores ſuæ mortis, quia locum non poteſt habere defenſio, vbi probatur iuſta offenſio, nulla enim infertur iniuria huic homini, dum iuſte condemnatur à iudice, qui ignorat eius innocentiam, ſicut confeſſarius dicitur ignorare, & neſcire peccata ſacramentaliter audita in confeſ-
15 ſione, *cap ſi ſacerdos 2. de offic. ordin.* Nec video, quomodo ſeruari poſſit moderamen inculpatæ tutelæ per opinantes in contrarium, nam vim vi repellere licet, ſed incontinenti, quo vti non poteſt reus dum iudex laturus eſt
16 ſententiam, & carnifex eam executurus, quia vtroque tempore reus ſine dubio ita eſt ligatus, vt agere nequeat, ergo poſt modum ſi conſtitueretur in libertate, ſe defendere amplius non poſſet, cum alium medium haberet ſe tuendi à morte, nempe fugam, ergo hanc amplecti deberet & non mortem iudicis eligere contra moderamen inculpatæ tutelæ. Demus libertatem reo, vt poſſit incontinenti ſe defendere, tunc non poteſt id facere occidendo iudicem, ſed omnino fugere debet, vt ſaluet propriam vitam, quam ſine dubio, & ſecuriori modo ſaluare poteſt. Ita etiam ſentit *Diana par. 9. tract. 8. reſol. 43. in fine.*

Quæres 10. An captus poſſit fugere de manibus birruariorum?

17 ℞ Poteſt ſine peccato fugere, modo illos non lædat, ſed ex induſtria ſe ex illorum manibus eripiat, etiam ſi ſe in terram proſternant. Ita *Sylvius in 2. 2. quæſt. 69. art. 2. quæſt. 2. ad 4. Diana par. 5. tract. 5. reſol. 102. Notab. 1.*

Quæres 11. An iam carceratus fugere poſſit?

℞ Inique carceratus fugere poteſt, non autem ſi iuſte 18
fuit carceratus, tam poſt ſententiam, quam ante. Ita docui cap. 66. quæſt. 14. num. 20. contra plures allatos à *Diana par. 3. tract 5. reſol 102. Benac. diſp. 10. de legib. quæſt. 3. p. 2. num. 13. & ſeq.* aſſerentes, reum carceratum fugere poſſe frangendo etiam carceres ſiue ante ſententiam, ſiue poſt, nec aliquid ex fractione tenetur reſtituere, cum iuſte fugerit, & nihil acquiſierit ex ea, & ſic damnum fractionis compenſare non tenetur; nec peccat conſulendo aliis fugam, dum ſponte propria fugam arripere poſſunt. Sed probabilior eſt prior opinio, cum carceratus ſit priuatus iudice ſua libertate, ergo ad eam reuertere non poteſt, ad quam non habet ius, ſicut aliqualiter habebat ante carcerationem, dum erat ſub poteſtate birruariorum.

Ex his deducitur, neminem poſſe dare conſilium ad 19
fugam, quia eſt de re iniuſta, & multo minus dare arma ad frangendum carcerem. *Dicaſtillus apud Dianam par. 9. tract. 8. reſol. 43. §. Notandum.*

Quæres 12. An reus negans delictum teneatur ſoluere pœnam, quam confeſſus ſoluiſſet?

℞ Negatiue, quia pœna non debetur, niſi poſt ſen- 20
tentiam. Præterea ſolutio pœnæ ſupponit peccatum contra iuſtitiam, ſed reus negans delictum non peccat contra iuſtitiam commutatiuam, ſed tantum legalem, ergo ad nihil tenetur. Ita omnes *cum Benac. diſp 10. de legib. quæſt. 3. p. 2. num 23.*

Quæres 13. Quale peccatum dicatur mendacium à reo dictum in iudicio?

℞ Vocatur iuramentum falſum, quod iure appellatur 21
periurium, nam reis præbetur iuramentum ſuper veritate dicenda, vt dixi cap. 4. n. 10. occultus igitur veritatem, quam tenetur manifeſtare periurus eſt, niſi habeat legitimam cauſam æquiuocandi, vt eſt vtilitas ſeruandæ proprium corpus. De qua re vide *Dianam par. 3. tract. 6. reſol. 30.* vbi de iuſtis cauſis æquiuocandi etiam iurando. Vide ſupra quæſt. 2. de æquiuocatione.

Quæres 14. An confeſſarius ſine periculo irregularitatis exhortari poſſet reum ad dicendam veritatem, ex qua eius ſequitur mors?

℞ Affirmatiue, quia irregularitas ex defectu lenitatis, 22
(aliam enim incurrere non poteſt) incurretur ſolum ab iis, qui ex officio vti iuſtitiæ miniſtri agunt ad mortem. Ita *ex Cornee Diana par 4. tract. 2. reſol. 99.* Iure lige, quando exhortatio, ſeu obligatio eſt conditionata, vt ſcilicet fateatur verum, quandocunque iuſte interrogatur.

CAPVT LXXXV.

De Condemnatione Reorum.

EXpedita in cauſa concluſione, quæ eſt renuntiatio 1
omnium probationum, & defenſionum facta inter actorem, & reum productarum in proceſſu, neutra pars vlterius procedere poteſt, ſed expectare debet condemnationem, vel abſolutionem, vt dixi cap. 57. num. 6. Ideo hic agendum eſt de reorum condemnatione.

Quæres igitur primo an conuictus tantum, ſed non confeſſus perſiſtens in negatiua ſit puniendus?

℞ Vtique condemnandus eſt. Imper. Conſtantinus re- 2
latus cap. 2. 2. q. 1 his verbis: *Iudex criminoſum diſcutiens, non ante ſententiam proferat capitalem, quam aut reum ſe ipſe confiteatur, aut per innocentes teſtes conuincatur.* Et poſt ipſum S. Auguſtinus ibidem relatus cap. 1. ita decernit. *Nos in quemquam ſententiam ferre non poſſumus, niſi aut conuictum, aut ſponte confeſſum.* Hæc eſt certa veritas, à qua nemo recedit, ita omnes apud

Farinac.

*Farinac.quæst.*81. *num.*2. vbi reddit rationem, quod solum conuictus ac si esset confessus, condemnandus est, quia paria sunt, quem esse conuictum, ac confessum, *etiam quæst.*63.*num.*234.

Quæres 2. Quomodo quis dicatur conuictus, vt condemnari possit?

3 ℟. Ille dicitur conuictus, qui contra se habet duos ad minus testes omni exceptione maiores contestes deponentes sub eodem delicto, iuxta dicta cap. 5. quæst. 4.
4 Quis autem conuincitur quatuor modis, secundum Glos. in. conuictum, c.1.2. quæst. 1. Primo testibus eius conditionis, quam mox dixi. Secundo, instrumentis, de quibus egi cap. 64. Tertio, facti euidentia, vt cum delictum factum est coram iudice, qui vidit eum in fragranti crimine. Vide *Farinac.quæst.* 21. *de Bictis q.*87. Quarto ille dicitur conuictus, qui sæpe citatus non respondit, contumax quoque dicitur. Vide *Farin.q.*18. *de Bictis q.*131.

Quæres 3. Quales testes requirantur ad conuincendum reum, vt possit condemnari in pœnam ordinariam? vel extraordinariam?

5 ℟. Ad inducendam pœnam ordinariam, requiruntur testes omni exceptione maiores oculares, seu auriculares proportionati delicto; ad pœnam extraordinariam, seu arbitrariam, & mitiorem sufficiunt testes deponentes de indicio proximo, & indubitato, seu violento, qui sint omni exceptione maiores.

6 Primum in ordine ad pœnam ordinariam docent omnes, quod testes debent immediate deponere, quod viderint propriis oculis, aut auribus fieri delictum ore, vel opere, vt latius docui cap. 5. quæst. 4. Illuc remitto lectorem, ne idem hic repetam.

7 Secundum in ordine ad pœnam extraordinariam, & mitiorem ibidem tractaui num. 25. Ita quod conuictus non per testes oculares, vel auriculares, qui viderint, vel audiuerint delictum tunc perpetratum, sed tantum præsumptionibus à iure approbatis, seu indiciis violentis, & indubitatis, non potest puniri pœna ordinaria, sed tantum extraordinaria, & mitiori, Ita docent *Bursat.lib.*4. *cons.* 346. *num.*19. *& seq. Mascard. concl.* 221. *à n.*51. *Scaccia de iudic. lib.* 1. *cap.* 97. *num.*1. *Anton. Gomez de delictis cap.*3.*n.*45. *Clarus quæst.*20. §. *scias tamen*, *Menoch. de arb.iu. casu* 179. *Canola cons.*6. *num.*11. *Bertazol. vol.* 3. *cons.*251.*num.*90. *Surdus cons.* 132. *num.*94. *Farinac. cons.*82.*& quæst.*86.*à num.*110. *ex illis Guazin. Defens.* 33.*cap.*14 *num.* 14. Pœna autem huiusmodi potest esse corporis afflictiua. Ita *Innoc. in cap. quia verisimile*, *de præsumpt. Decian.Resp.*115. *num.*9. *Clarus quæst.*20. *n.*6. *Bursat.vol.*4.*cons.*430. *num.*4. *Riminald. fun. vol.*5. *cons.* 571.*num.*42. *Petrus Caball. casu* 288. *n.* 15. *apud Guazin. cit.num.*15.§. *Alij autem*, contra nonnullos ab eo relatos asserentes puniri posse solum pœna pecuniaria.

Quæres 4. An reus non confessus, sed tantum conuictus possit puniri pœna ordinaria?

8 ℟. Affirmatiue, quia conuictio tantam vim habet, quanta inest confessioni ipsius rei: Ita *Canon. in cap.*] *At si clerici* §. *Si vero, quos citat.* *Farinac. quæst.*81.*num.* 8. qui refert differentiam, nempe id procedere iure ciuili quouis modo iudex procedat; iure vero canonico, reum plecti pœna ordinaria, si processus fabricatus fuit ad instantiam partis, si vero per inquisitionem, solum extraordinaria, & mitiori.

Quæres 5. An sola rei confessio sine conuictione testium sufficiat ad condemnationem?

9 ℟. Sola rei confessio vera, & nullam patiens exceptionem sufficit ad condemnandum reum. quia nulla verior, & efficacior confessio, quam proprij oris, ergo cum iudex certus sit, nihil prohibet, quin sic confessus possit condemnari. Confirmatur, quia auctoritates initio adductæ ex S. Augustino, & Imperatore loquuntur disiunctiue, quod scilicet ad condemnandum reum sufficit, quod sit conuictus, aut confessus. Ita omnes *apud Farinac. quæst.*81.*num.* 3.

Quæres 6. An sine processu possit quis condemnari?

10 ℟. Negatiuè, quia sicut sententia non potest ferri sine scriptis ex cap. 87. quæst. 3. ita neque sine processu quis condemnari potest, dum iudex secundum allegata, & probata in processu ferre debet sententiam, & non ex priuata scientia, aliter non præmisso processu, sententia est nullius momenti, cum ea debeat colligi ex processu. Confirmatur in sequentibus.

Quæres 7. An in manifestis, & notoriis sit necessarius processus? Quod idem dicitur de reperto in fragranti crimine? *de Angelis cap.*25. *num.*4.

℟. Necessarius est processus summarie factus cum suis 11
citationibus licet enim dicatur, quod in notoriis non seruatur iuris ordo, tamē intelligitur quando constat manifeste iudici vt tali, reum nullam habere excusationem, *Farinac. quæst.* 21.*num.*78. *qui num.*69.*ait* citandum esse ad sententiam, & inde tenetur formare processum, quando non fuit præsens delicto, aliter dicitur delictum notorium ignorare, *num.*84.*&* 85. immo debet prius ipsi constare de qualitate notorij ante quam procedat in causa, *num.*86. adeo quod in notoriis quoque formandus est aliqualis processus, & deducta ex eo sententia in scriptis redigenda est, vt conclusio in omnibus sit conformis præmissis in processu. *Farinac. num.*115. ait posse sine scriptis ferri sententiam. Citandus ergo est reus notorius, potest enim esse, quod e.g. occiderit ad sui defensionem. De Notorio dixi cap. 3. sect. 1. à num. 20.

An detur appellatio à notorio? Dicam infra cap. 87. 12
interim vide *Barbos.ad cap.*14. *de appellat* *Farinac. q.*21. *à num.*117.

Quæres 8. Quot testes requirantur ad condemnandum aliquem etiam ad mortem?

℟. Sufficiunt duo testes omni exceptione maiores 13
oculares, seu auriculares, qui immediate deponant de delicto viso, vel audito perpetrati à reo. Dixi late cap. 5. num. 21. & cap. 17. num. 3.

Quæres 9. An inauditus condemnari possit conuictus à testibus idoneis.

℟. Inauditus nullo modo condemnari potest, licet con- 14
uictus, sed omnino citandus est ad respondendum, & se defendendum, quare non debeat puniri. Ita colligitur ex iure naturali, quo vnicuique inditum est se defendere; ex iure diuino, nam Gen. 3. dum castigare voluit primos parentes præuaricatores præcepti de non comedendo de ligno scientiæ boni, & mali, prius eos citauit, & audiuit eorum priuatas excusationes, ex iure positiuo tum ciuili, *l. Absentem*, *l. Accusationis C. de accusat. & præscript.* tum Canonico *cap. qualiter* 24. *cap. licet Heli, de accusat.* *c.*1 *de causa* possess. vbi dicitur, quod Princeps in quemquam non fert sententiam, nisi prius parte audita. Ita omnes, quos magno num. ibid. citata *Barbosa n.*7. *Messina late c.*1.*q.*4. *in examine pœnalium districtionum.*

CAPVT LXXXVI.

De Condemnatione Contumacium.

REi, qui sunt in carceribus, contumaces dici non pos- 1
sunt, quia cum sint in fortiis iudicis, coguntur obedire, velint, nolint, qui vero absentes sunt, & fugitiui contumaces fiunt, si non comparent citati legitime à iudice. De contumacia eorum hic dicendum est.

Quæres igitur primo quid sit contumacia?

℟. Est voluntaria inobedientia eius, qui elapso tempore 2
citationis comparere noluit, contemnendo iudicis præceptum Ita *Syluester v.* *contumacia*, *Sousa lib.*2. *cap.* 49. Si ergo comparet antequam expiret tempus præfixum dicitur purgare contumaciam, & non amplius esse inobediens, dum comparendo se subiicit mandatis iudicis. Dicitur voluntaria inobedientia, vnde qui ignorauit citationē non dicitur contumax, non enim est contumax, qui non audiuit vocem præconis, *Glos.v.* *Caueant.* 2.3.q.9. Nec contumax dicitur, qui non coarctatur comparere, *ex Rota coram Seraphino decis.* 6. *apud Dianam par.* 5. Monitio ergo, & citatio, cui non paretur, constituit reum contu-

macem. §. *contumacem* 53. *ff. de re iudic.* vt constat ex eius definitione.

Quæres 2. An contumacia sit delictum?

3 ℞ Affirmatiue, quia est punibilis. *l. omne delictum §. contumacia ff. de re milit. Farinac. quæst. 18. num* 26. Et est peccatum mortale, *Marc. Anton. lib. 3. resol. 13. num. 52.* Et quidem grauissimum, *ex Glos. in caus. 4. Farinac. n. eod.* quomodo autem sit mulctandus, *ibid. à n. 29. & seq.*

Quæres 3. An impeditus à comparendo sit vere contumax?

4 ℞ Negatiue, quia eius inobedientia non est voluntaria, vnde stante eius legitimo impedimento, quod probandum est, excusatur, & ab eo non est exigenda mulcta inobedientiæ. *Farinac. quæst. 18. numer.* 40. melius *quæst. 11. num. 50.*

Quæres 4. An dicatur contumax citatus non comparens ad locum non tutum?

5 ℞ Non est contumax, nec tenet citatio, quando notorie constat locum non esse tutum, id autem probandum est reo. Ita allegati *à Farinac. quæst. 11. num 55. & quæst. 28. num. 43. Ruin. cons. 114 num. 186.* vbi de monitorio ad comparendum Romæ, *Portel par. 2. casu 2 x. n. 4.*

Quæres 5. Vt quis dicatur contumax, quot monitiones debeant præcedere?

6 ℞ Tres formaliter, & distinctis temporibus sub triginta diebus, vel virtualiter sub vna cum expressione illarum trium, vt colligitur *ex l. contumacia 53. ff de re iud.* ibi: *contumax est, qui tribus edictis propositis, vel vno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur.* Et dixi de hac citatione cap. 63. quæst. 4.

Quæres 6. Quomodo puniendus sit contumax? Nota, quod quis potest dici contumax duobus modis. *Primo* respectu præcepti iudicis contempti sine vllo ordine ad sententiam. *Secundo* pro contumacia in ordine ad sententiam. De primo hic agam, de secundo in sequenti.

7 ℞ Certum est, quod contemnens mandatum iudicis mulctari potest, quia omne delictum pœnam meretur. Ita omnes *cum Farinac. quæst. 18. num. 27. de Bictis quæst. 131. num.* 4. Pœna autem est excommunicatio comminatoria respectu iudicis Ecclesiastici, *ex eodem num. 39.* & exilij, vel carceris ex parte iudicis laici, *ibidem & de Bictis num.* 7. Debet tamen ei præfigi terminus ad se defendendum, & præterea citari tandem ad respondendum quare non debeat mulctari, *num. 44. de Bictis n. 9.* citatio ergo duplex est necessaria ad se defendendum, & ad audiendam sententiam; si autem quis indebitè mulctatur, appellare potest *l. Et in mulctis C. de appellat.* Farin. n. 58.

Quæres 7. Quomodo contumax in ordine ad sententiam vocandus sit?

8 ℞ Formato processu offensiuo, reus fugitiuus, & absens vocandus est illa trina citatione formali, vel virtuali ad respondendum & se defendendum, quare non debeat condemnari, & si non comparet infra spatium temporis præfixum, denuo citatur præfixo alio temporis spatio ad audiendam sententiam, & non comparens, condemnatur, ac si esset confessus, contumax enim, qui non comparuit infra terminum præfixum, si potuit, habetur pro confesso, & conuicto, vt docent omnes *cum Farinac. quæst. 11. num. 3. §. Præmitto tertio.*

Quæres 8. An contumax iam condemnatus comparens probaturus suam innocentiam sit audiendus? Ratio dubitandi est, quia contumax, qualis est proprie iam condemnatus, non auditur nec appellat *l. Et post 73 § fin. de iudic. Glos. cap. 7. 14. quæst. 3.*

9 ℞ In statu Ecclesiastico non auditur ex Bulla Pij incip. *cum ob innumeras* 9 nisi positis quibusdam circunstantiis. Alibi vero audiuntur volentes probare eorum innocentiam, secundum veriorem opinionem, de qua Farinac. *quæst. 11. num. 12. § Quid dicendum, & 47. §. sed his non obstantibus.* de Bictis quæst. 131. num. 16.

Quæres 9. An contumax condemnari possit ad eandem pœnam, ad quam fuisset damnatus si proprio ore delictum fuisset confessus?

10 ℞ Affirmatiue, quia conuictio, seu confessio ficta ex contumacia idem operatur de vera conuictio, seu confessio. Ita *Farin. q. 12. num. 3. §. Præmitto* 3. vbi ait, de generali consuetudine practicari in Italia, vt rei contumaces pro confessis habiti, banniri, & condemnari possint etiam ad mortem, & bonorum confiscationem.

Quæres 10. Quænam sint causæ viræ non comparendi excusantes citatum à contumacia?

℞ Sunt plures. *Prima* est absentia causa reipublicæ. 11
Secunda, est infirmitas per medici fidem probata. *Tertia*, est carceratio, & tunc debet mittere procuratorem. *Quarta*, est bonus non tutus, ad quem citatus non tenetur comparere personaliter, sed procuratorem mittere debet, seu excusatorem. *Farinac. q. 11. à n. 52. ad 60*

Quæres 11. An legitime impeditus vt euitet contumaciam & subsequentem condemnationem possit, & debeat mittere procuratorem ad docendum de impedimento?

℞ Reus legitime absens, & impeditus potest mittere 12
procuratorem ad allegandas causas absentiæ, & impedimenta iuris, vel facti; non tamen admittitur ad agendum, vel defendendum reum absentem, qui tenetur se præsentare; si tamen admittatur, parte non opponente, prodest reo. Admittitur vero Dominus pro seruo, item pater, & maritus pro filiis, & vxore.

Prima pars de admissione procuratoris ad allegandas 13
causas absentiæ, habetur *ex cap. veniens 15. de accusat. Farinac. quæst. 99. num. 211. cum aliis Barb. ad dictum c. num* 8. Nulla enim est rationabilis causa negandi audientiam rei absentis, dum nondum est contumax, volentis per suum procuratorem allegare causas absentiæ.

Secunda pars, quod non admittatur ad agendum, & 14
defendendum reum, exprimitur ibidem, & ratio est, quia si admitteretur iudicia contra reum eluderentur, dum non posset iudex reo condemnato, procedere ad eius executionem, *ex Farinac quæst. 99. num.* 2. Ita omnes cum eo, & alios multos refert Barb. cit num. 2.

Tertia de admisso, parte non opponente, est fere om- 15
nium *cum Farinac quæst. 99. num. 242. Cenedo ad Decret. collect. 30. num. 2 Barbosa num. cr. 4 Guazzin. Defens. 12. num. 33.* referens opinionem contrariam.

Quarta pars de admissione dominorum, *idem Farinac.* 16
quæst. 99 num. 154. de domino pro seruo, *cons. 33. num. 6.* de patre, & marito, *ex eadem quæst num. 156.*

Quæres 12. An condemnatus in contumaciam, dicatur etiam condemnatus ex delicto?

℞ Non, quia contumacia differt à delicto, & ideo ex 17
condemnatione vnius non infertur ad aliud. Ita *Farinac. quæst. 18. num* 28. Præterea differunt in eo, quod sententia ex contumacia est interlocutoria, cum expectetur vlterius alia sententia, quæ dicitur definitiua delicti principalis, ea cognoscitur ex eo, quod dicitur lata contra inobedientem citationi, & monitorio, hæc vero ex causa delicti.

Quæres 13. An contumax sententiatus siue interlocutorie ob contumaciam, siue definitiue ob delictum, incurrat sequentes pœnas ex sententia, ac si conuictus, vel confessus vt præsens incurrisset? e.g. committens tale delictum est priuatus voce actiua, & passiua, est priuatus officiis, seu inhabiles &c. certum est, quod sententiatus ex conuictione, vel confessione, non absens, vel contumax, ipso iure posita sententia statim fit reus illarum pœnarum, quæ sequuntur ad sententiam. Numquid sententia contumacialis eundem operatur effectum?

℞ Sententia contumacialis ex contumacia tantum nul- 18
lum producit effectum pœnarum sequentium ex delicto condemnato, dum non refertur ad principale delictum, sed ad inobedientiam, vnde nec infamat, *Clarus q. 44. & 72. Molina to. 1 disp. 96 n. 5. ex illis Thesaurus Iesuita par. 1. de pœnis eccles. c. 33. vers. limita quod.* Quod si sententia contra contumacem lata sit ex delicto, quod apparet probatum non solum legitimis testibus, verū etiā ex solis indiciis indubitatis, infert dictas pœnas, quia de crimine cōstat. *Menoch l. 1. de præsumpt. q. 96. Thesaur. cit. § Amplia.* Si vero reus contumax solum fuit indiciatus sufficienter ad torturam, & non ad condemnationem, secuta sententia

sententia contumaciali ex delicto non infert pœnas sequentes, dum incurruntur per sententiã iudicis declaratiuam criminis, ex quo illæ sequuntur, quia licet contumax habeatur pro conuicto, & confesso, ex supradictis, tamen cum id præferat fictionem, & non constet in processu de delicto, non potest dici delictum, seu crimen declaratum, sed tantum latam sententiam super illud crimen, de quo reuera non constat, an ab eo fuerit commissum, cum de eo reuera non sit confessus, nec conuictus. Sententia ergo illa nihil aliud operabitur, nisi obligationem parendi illi, causatam ab illa contumacia.

Quæstio hæc supponit dari pœnas, quæ non sunt exequendæ nisi post sententiam criminis, quod ab omnibus fere conceditur, de qua re dicunt Thesaurus *ibidem Castropal. par. 1 tract. 3. de legib. resp. 2. p. 2.*

CAPVT LXXXVII.

De Conscientia Iudicis.

1 IVdex, vt rectam habeat conscientiam ad iudicandum plura debet habere, nimirum, potestatem, seu iurisdictionem, veritatem, formam iuris puritatem linguæ, & animæ, scientiam, celeritatem in iudicando, executionem pœnæ, & abstinentiam à muneribus, defectu singulorum peccat mortaliter, aut venialiter iuxta grauitatem transgressionis. Vt autem recto ordine procedamus proponendæ sunt more solito quæstiones, & resoluendæ.

Quæres igitur I. An vsurpans sibi alienam iurisdictionem, cum non sit iudex peccet, & nihil agat.

2 ℞. Peccat mortaliter, & nihil agit. Primum patet, quia delinquit in re graui, præiudicans vero iudici, & damnum inferens inique condemnato, licet alias vere reo. Ita omnes cum *D Thoma 2. 2. quæst. 60. art. 6. Nauar. cons. 5. de h. tret. num. 4. §. secundo.* Secundum clarum est, quia ad valorem cuiuslibet actus requiritur potestas ad agendum, actus enim procedit à potentia, ex dictis c. 82. n 6. Ita omnes *cum S. Thoma 2. 2. quæst. 67. art. 1. Benac. Disp. 10. q. 2. p. 1. n. 1. Vantius de nullis defectu iurisd. n. 2. Decius cons. 38. n. 7. Paris lib. 2. cons. 804. n. 102. Menoch. cons. 080 num. 2. Pasqualig. quæst. 134. n. 4.* Et is defectus est omnium maximus, & insanabilis, *Verallus lib. 3. decis. 38. n. 2. Thomas Treuisanus decis. 81. num. 2. lib. 2. Camillus Burella in summa omn. decis. tit 41. numer. 191. Barbosa ad cap. At si clerici de iudic. numer. 4.*

Numquid acta à iudice non vero, sed tantum putato tali valeant.

3 ℞. Valere, tribus concurrentibus. *Primo*, quod talis iudex habeat titulum coloratum à superiore saltem initio. *Secundo*, quod communi errore putetur officialis, iudex, superior, confessarius &c *Tertio*, quod ei nihil desit de iure naturali, aut diuino requisitum. Ita communiter sentiunt Doctores de iurisdictione tam laica, quam Ecclesiastica pro vtroque foro, *cum Sanch. lib. 3. disp. 22. Bonac. disp. 10. de legib. q. 2. p. 1. num 2. Barb. ad c. 34. de elect. n 3. & 17. Genuens. c. 50. in praxi Neapol. in Annot.* vult valere gesta ab officiali carente titulo colorato, vnde vult sufficere errorem communem in eo, qui se intrusit in officium non vocatus.

Quæres 2. An ignarus obtinendo officium iudicis peccet mortaliter, & acta per ipsum nullius sint roboris.

4 ℞. Certum est, hunc peccare mortaliter, quia indignus est, vt assumatur ad tale officium, cum eius ignorantia multum obesse possit subditis. Et facit contra illud Psalmi *Erudimini, qui iudicatis terram* Præcipit enim Deus per suum prophetam, vt iudices sint eruditi, & docti circa ea quæ spectant ad suum officium. *D Thomas 2. 2. q. 76. art. 2. Sayr. lib. 12. c. 13. n. 2. cum aliis Benac. de legib. disp. 10. q. 2. p. 3. numer. 1.* aiunt, talem ignorantem debere officio renuntiare, immo nec esse absoluendum, nisi habeat firmum propositum illud renunciandi.

Dices iudices tam in criminalibus, quam in ciuilibus 5 possunt habere assessorem, & nunquam controuersias decidunt sine Aduocatis, & consultoribus, quare cum hoc modo non possint nisi bene, & cum iustitia fungi officio suo, non peccant recipiendo officium, & illud exercendo, quia aliena scientia funguntur suo munere, & cum prudenter agant, neminem lædunt, ergo permanere possunt in officio, & non tenentur illud renuntiare.

Hoc argumentum nullius est momenti, quia iudex 6 ex propria scientia publica debet scire interrogare reum modo iuridico, & intelligere cætera, quæ necessaria sunt ad formationem processus tam pro parte fisci, quam pro parte rei, vt singulis ministret iustitiam? Aduocati defendunt suos dicentes, iudicis partes sunt scire, an defensio sit legitima, necne. Quare iudex per se scire debet ea, quæ spectant ad suum officium, id enim est de iure naturæ, cum non excedat vires naturæ, sed illi sit conforme.

℞. Ad secundum, acta per iudicem ignorantem esse 7 valida, nisi ex alio capite sint inualida, quia non obstante ignorantia iudex habet potestatem, à qua pendet sufficienter valor actuum gestorum, vnde dixit Rodriq. tom. 1. q. 20. art. 15. quod valor actus non pendet à notitia priuilegij ignorati, sed à posse, vnde qui putat se posse absoluere, quamuis ignoret priuilegium absoluendi, valide absoluit, quia valor absolutionis pendet à posse, non à notitia priuilegij.

Quæres 3. An iudex existens in peccato mortali iudicando, & exercendo suum officium peccet.

℞. Non peccat nec venialiter ex hoc, quia hoc exer- 8 citium nullam supponit sanitatem, sed solum potestatem in iudicante, ergo iudex ex hoc non peccat. Dico, *ex hoc*, quia ratione scandali peccare potest e. g. dum ipse existens publicus adulter alios simili vitio infectos condemnare vult. Ita *Salonius, Arragonia cum aliis Bonac. disp. 10. de legib. q. 2. p. 3. n. 3.* contra Valentiam *tom. 3. disp. 5. q 4. p. 2. & Sayrum in Claui lib. 12. c. 8.* citatos ab eodem, cuius sistei pro nunc sto.

Quæres 4. An causam in longum protrahens notabiliter nullam habens iustam causam ita differendi iudicium peccet mortaliter.

℞. Affirmatiue ex l. Properandum 11. C. de iudic. 9 vbi, quod vltra triennium causa ciuilis non est protrahenda, multo minus criminalis, quæ cito expedienda est, dum agitur de graui præiudicio carcerati. Immo iudex sine causa, aut ex negligentia detinens reum in carceribus, tenetur ad damna reo illata, & ad expensas Ita *Silu. 11. Iudex. Sayr. lib. 1* *c. 12. n. 8. Nauar. cap. 25. numer. 14. cum eis Bonac.* *disp. 10. de legib. q. 1. p. 3. num. 4.*

Quæres 5. An iudex peccet mortaliter ferendo sententiam, contra dispositionem iuris, hoc est, non seruato ordine iuris.

℞. Affirmatiue, quia iniquam fert sententiam contra 10 proximum, non seruando leges præscriptas, quod est grauissimum peccatum iniustitiæ.

Quæres 6. An iudex possit interrogare de delictis, de quibus non habetur infamia.

Resp. Iudicis officium est quærere tantum de illis de- 11 lictis, super quibus data fuit querela, & non super aliis, aliter peccat grauiter, quia non procedit secundum ordinem iuris, & facit iniuriam proximo, cuius delictum dicitur occultum. Vide dicta cap. 3. sect. 1. num. 19. 48. 54. 57. 66. & 67. In visitatione autem superior quærit generaliter super omnibus delictis ex officio suo, nullam tamen personam in specie nominare debet, sed detectam admittere, vt debito ordine seruato eam punire possit, vt dixi locis citatis.

Quæres 7. An iudex interrogando super complicibus peccet.

12 Resp. Affirmatiue, quando contra eos nulla præcessit infamia, nisi delictum principalis necessariam connexione n habeat cum complice. Ita *Nauar. cap.* 18. *n.* 58. asserens, peccare mortaliter, quem pro se citant *Rodriq. tom* 1. *q.* 19. *art.* 10. *Spathar. tract.* 9 *c.* 1 *a.n.* 2. & 3. Obstat tamen consuetudo, vt dixi n. 10. q. 6.

Quæres 8. An peccet mortaliter extorquens confessionem a reo per astutiam & fraudem.

13 Resp. Iudex his modis, & cauillationibus seu minis, & verbis captiosis extorquens confessionem à reo etiam legitime interrogato, & debente respondere, peccat grauiter, quia isti modi sunt illiciti, potest enim vti iure suo, procedendo per exquisitas interrogationes non suggestiuas, & deueniendo ad torturam. Ita *Miranda quæst.* 17. *art.* 5. *concl.* 2. *ex illo de Angelis cap.* 18. *num* 21.

Quæres 9. An iudex peccet mortaliter non admittendo appellationem.

14 Resp. Affirmatiue, quando legitima est appellatio ab iniqua sententia, quia nimis grauat reum contra iustitiam. Ita *Nauar. c.* 25. *n.* 3. *Aldrete lib.* 3. *c.* 28. *Portellus* 15. *Appellare n.* 1. *ex illis de Angelis cap.* 27. *n.* 9. vbi vice versa ait, reum similiter appellantem peccare mortaliter, quia calumniatur iudicem in re graui sine causa, *ex D. Thoma* 2. 2. *q.* 69. *art.* 3.

Quæres 10. An iudex possit recipere querelam de delicto, quod vnus tantum scit.

15 Resp. Si procedatur per viam accusationis etiam in visitationem, iudex peccat mortaliter, quia cum non possit procedere contra sic querelatum, inutiliter querelam recipit, & facit iniuriam illi, dum non potest illum interrogare, præter enim querelantem, requiritur ad minus vnus testis omni exceptione maior, qui det ius iudici ad interrogandum illum, vt dixi cap. 3. sect. 1. num. 60. cap. 84. num. 6. & cap. 67. num. 17. In visitatione iudex non recipit depositionem vnius tantum, qui scit delictum, quia dicitur querelare, & cum non adsit testis, iudex visitationis inutiliter recipit denuntiationem, dum non potest descendere ad inquisitionem specialem contra querelatum, vt dixi cap. 3. n. 71. & n. 72. excepi iudicem S. Officij, qui potest recipere denuntiationem eius, qui solus scit delictum, quia euenire potest, quod alter compareat ad denuntiandum eundem de eodem delicto, ex quo inquisitor acquirit ius ad interrogandum denuntiatum.

Quæres 11. An iudex possit condemnare reum talem probatum iuridice, sed à se peccata scientia cognitum reuera innocentem? quia e. g. iudex vidit clare Petrum occisum fuisse à Paulo, & inculpatur Camillus, qui in iudicio probatur Petri occisor.

16 Resp. Iudex postquam tentauit omnia media ad liberandum innocentem, si non prosunt, debet fisco instante, seu querelante condemnare illum reum probatum secundum allegata, & probata, quia in causa procedit vti persona publica, & ex scientia publica, vt dixi c. 84. num. 13. Lectorem remitto ad Cardinalem de Lugo, qui disp. 37. de iust. sect. 4. rem fuse tractat, referendo tres opiniones, & singularum argumẽtis respondet adæquatè approbando hanc opinionem tanquam communissimam, & probabilissimam. Vide *Bonac. disp.* 10. *de legib. q.* 2. *p.* 2. *num.* 2. Sententiam oppositum, quia repugnat iuri naturæ, & diuino innocentem directe occidere, Exod. 22. Princeps id facere non potest, multo minus inferior. Demum, quia iudex debet iudicare secundum allegata, & probata, ne agat contra veritatem, ergo cum certus sit se errare in condemnando innocentem, illum non potest condemnare.

Respondetur ad primum repugnare vtrique iuri quem condemnare ex scientia priuata, non ex publica qua ignoratur innocentia. Ad secundum de Principe verũ est, quod non potest eum condemnare, dum in eius potestate est remedium parcendi etiam vere reo. Ad tertium requiritur probatio, ne iudex decipiatur, sed vt deueniat in notitiam se iuste condemnare, ad quod sufficit legitima probatio testium, quibus credere debet, vnde totum ius condemnandi oritur ex legitima testium probatione, & non à scientia priuata iudicis, qui sicut ex propria conscientia non potest condemnare impium, ita neque innocentem liberare.

Quæres 12. An iudex possit condemnare eum, quem scientia priuata nouit nocentem, sed probatum innocentem ex actis processus.

Resp. Iudex etiam Princeps condemnare non potest 17
reum à se cognitum talem priuata scientia, dum per publicam cognitionem scit esse probatum legitime innocentem. Ratio est, quia sicut non potest liberari à iudice ex priuata scientia innocens probatus nocens ex publica scientia, vt dictum est in præcedenti quæstione, ita nec condemnari nocens cognitus talis ex priuata scientia, sed ex publica probatur innocens; currit paritas, quia iudex in quouis casu debet iudicare ex publica scientia, siue liberando, siue condemnando: Confirmatur, quia ordo iuris naturalis in iudicando est, vt iudex procedat sub formalitate iudicis, ac proinde indicare debet secundum scientiam habitam per testes, quorum est probare innocentiam, vel nocentiam querelatorum. Ita communior, & verior opinio Doctorum, quos refert Diana *tom.* 2. *tract.* 5. *Miscell. resol.* 98. *de Lugo disp.* 37. *de Iustitia sect.* 5. *Bonac. disp.* 10. *de legib. q.* 5. *p.* 2. *n.* 5.

Quæres 13. An iudex teneatur concedere aduocatum reo?

℞. Affirmatiue, quia sicut tenetur concedere illi, vt se 18
defendat, ita & dare eidem ea remedia, inter quæ est aduocatus, qui illum defendere possit. Et si non dat, peccat mortaliter, sicut & negans illi defensiones. Ita *Nauar. in cap. Inter verba corollar.* 5. & *in sum. cap.* 25. *num.* 14. *Villalobos tract.* 14. *de iudice diffic.* 10. *n.* 4. *ex illis de Angelis c.* 20. *n.* 7. qui ait, teneri dare si petat, nõ autem si tacet doctus, sed reuera vnicuique dandus est aduocatus siue petat, siue non, cum hæc obligatio dandi mensuretur ab obligatione dandi reis defensiones, licet non petantur, vt dixi cap. 81. q. 18. Pro religiosis assignatur alter religiosus doctus, vel etiam secularis iuxta grauitatem causæ.

Quæres 14. An iudex iniuste carcerans Ecclesiasticum sibi subditum incurrat excommunicationem Canonis.

Resp. Affirmatiue *c.* 66 *q.* 14. *n.* 16. 19

Quæres 15. An præmittens impunitatem, quam non potest obseruare peccet.

Resp. Peccat mortaliter, quia in hoc vsurpat ius 20
Principis, & in re graui offendit proximum, & cum nulla fuerit promissio, ad eius obseruationem non tenetur, vt probani c. 74. q. 3.

Quæres 16. An iudex non condemnans reum, vt tenetur, peccet mortaliter, & teneatur ad damna partis, & resarcire pœnas fisco applicandas.

Resp. Peccat mortaliter, & tenetur resarcire parti 21
læsæ damna illata, cum huiusmodi omissio sit contra iustitiam, quam inter partes ministrare debet. Et in hoc conueniunt omnes. Idem dic si male, & malitiose iudicauit in præiudicium partis. Vide *Layman. lib.* 3. *tract.* 6. *c.* 2. *n.* 10.

Resp. Ad secundum, iudicem non condemnantem 22
reum, quem debuisset damnare, non teneri restituere fisco, vel parti pœnam pecuniarum, ad quam fuisset reus obligatus. Ratio est, quia iudex omittendo ferre sententiam non peccat contra iustitiam commutatiuam, sed tantum legalem, *ex allegati, à Diana par.* 3. *tract.* 5. *resol.* 52. Tenetur vero ad expensas, quas fecit pars, quia est in causa illarum, & non habent rationem pœnæ consequentis sententiam.

Quæres 17. An iudex munera accipiens peccet mortaliter, & teneatur illa restituere; & sententia lata illorum intuitu sit nulla.

Resp. Peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur 23
in foro conscientiæ, ac proinde ante sententiam, siue

tulerit sententiam iustam, siue iniustam, quia censetur inuite datum, & non ea liberalitate. Ita Lessius *lib. 2. cap. 14. num. 64. P. Nauar. lib. 4. cap. 2. num. 97. Thesaurus de panis 11. Munera cap 4.* Lessius *cit. num. 54. & seq. cum Vas. de Restit. cap. 7. dub. 4. & 6.* docet, acceptum pro ferenda iniusta sententia, esse solum post sententiam condemnatoriam restituendum, & non ante. Restitutio autem fit ei, qui inuite dedit.

24 ℞. Secundo, sententiam ex pretio datam licet alias iustam ipso iure esse nullam *cap. Et qui §. Venales 2. q. 6. L. Venales C. quando procur. non est necesse, Menoch. de arbitr. casu 141. n. 19. Capicia decis. 153. n. 13. & Canon. in c. 1. de sent.*

Quæres 18. Quam opinionem sequi possit sine peccato videtur tam in condemnando, quam in absoluendo reum.

25 ℞. Potest sequi minus probabilem relicta probabiliore, cum enim in agendo prudenter se gerat, non peccat. Ita communis sententia cum *Dian. par. 1. tract. 13. resol. 3. & par. 9. tract. 8. resol. 62. §. sed quia, vbi alios refert.* Contra aliam magis communem, quod index in absoluendo, vel condemnando debeat sequi communem, & probabiliorem, quam refert de B. Actis q. 143. Dian. cap. 88. n. 49.

Quæres 19. An iudex debeat solum attendere ea, quæ allegata sunt, vel allegari possunt.

26 ℞. Loquendo de expressis in processu, quæ dicuntur de facto, ad iudicem non spectat supplere, sed tantum ea, quæ sunt iuris, in casu, quo aduocatus ex inaduertentia, vel malitia omisit, iudicis enim partes sunt examinare, & ponderare ea omnia quæ sunt expressa in processu, vel ex eo resultare possunt. Vide *Dianam par. 9. tract. 8. resol 41.* item fuse referentem.

CAPVT LXXXVIII.

De Sententiis ferendis.

1 IVdex absoluto processu tam offensiuo, quam defensiuo antequam accedat ad illius terminationem per sententiam, quæ illius est conclusio deducta ex eius præmissis actibus, debet omnia in eo contenta attente considerare ex cap. Iudicantem fin. 30. q. 5. & si est delictum, vel delicta sunt probata, debet iudex procedere ad condemnationem rei per sententiam; vel eum absoluere ab instantia iudicii, si nihil fuit probatum. Ita omnes nullo dicente. pariter. Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres 1. Quid sententia, & quomodo differat à decreto.

2 ℞. Sententia est iudicialis definitio controuersiæ finem componens, facta à iudice finito processu offensiuo, & defensiuo, per quam reus aut condemnatur in pœnam debitam, aut absoluitur ab impetitis. Colligitur à Doctoribus per Scacciam *de sent. & re iud. e. glos. 14. quæst. 2. Sanch. lib 6. consil. c. 3. dub. Peyrin. de prælato quæst. 1. c. 2. §. Unico, n. 25. de S. Iuliano c. 8. Aduert. 4. Carena par. 3. tit. 11. n. 5*

3 Dixi primo, quod est definitio iudicialis, quia is actus condemnandi, vel absoluendi reum spectat ad iudicem, vt ad quem attinet scientiam habere de toto processu, vt iuste, & iudicialiter controuersiam determinare possit sine errore.

4 Dixi 2. facta à iudice, quia ad ipsum spectat ius dicere, ex quo hoc habet officium, & iurisdictionem, sine qua nulla ferri potest valide sententia, ex dictis cap. 12. num. 5.

5 Dixi 3. finito processu tam informatiuo, quam defensiuo, quia cum iudex iudicare, & pronuntiare debeat secundum allegata, & probata, iuxta illud Ioan. 5. 30. *Sicut audio iudico*, cap. Iudicet 4. 3. q. 7. D. Thomas 2. 2. q. 67. art. 2. necesse est, quod processus sit iam formatus, vt secundum illius tenorem pronuntiare possit sententiam, quæ debet esse conformis libello, *l. vt fundus 18. ff. commun. diuid. l. cum quidam 17. C. de fideicom. liber. Miranda q 27. n. 6.*

Dixi 4. vt reus condemnetur, vel absoluatur, is enim actus est finis iudicis, & effectus sententiæ, vt puniatur delinquens. 6

Decretum autem differt à sententia, quod illud est prouisio circa causam controuersam sine absolutione, aut condemnatione, quæ duo dicunt sententiam, vt *ex Cyno notat Carena par. 3. tit. 11. n. 5. Scaccia de sent. glos. 14. q. 2. num. 47.* 7

Quæres 2. Quotuplex sit sententia.

℞. Duplex. Definitiua, quæ totam causam determinat obligando, vel absoluendo. Interlocutoria vero dicitur ea, quæ definit incidentia, & emergentia in ventilatione causæ, vt si reus sit torquendus, an dilationes plures sint dandæ, an admittenda appellatio &c. Differunt inter se, quod Definitiua non potest dari, nisi seruato ordine iuris. Vtique vero interlocutoria. *Scaccia de sent. glos. 14. q. 4. n. 30. & 31.* Sententia valida ab eodem iudice reuocari non potest, *l. Iudex ff. de re iudic. cap. In literis, de offic. de leg.* Interlocutoria vero reuocatur. *Sanch. lib. 6. consil. c. 1. dub. 24. n. 1. & 2.* Ab interlocutoria non datur appellatio sicut à definitiua, per appellationem enim à definitiua reparari potest grauamen illatum in interlocutoria, *Scaccia cit. num. 36.* Præscripta in definitiua non expirant, sicut in interlocutoria sine causæ cognitione. Item definitiua fertur in scriptis, interlocutoria non necessario, *ex eodem Scaccia n. 268. ex Peyrino lib. 5. c. 2. num. 2.* 8

Quæres 3. An sententia ferenda, in scriptis sit redigenda.

℞. Affirmatiue, aliter nulla est. *Expresse cap. fin. de sent. & re iudic. in 6. Clem. Sæpe, de verb. signif. L. statutis 3. C. de sent. ex periculo & ibi Autent.* est enim de substantialibus, vnde nec à regularibus omitti potest. Ita *Peyrin. in Formul. lib. 5. c. 3. num. 4. Canon. in cap. quoniam, de probat. Barb. ad cit. cap. fin. de sent. in 6. Carena par. 3. tit. 11. num. 8.* Subdens ex Scaccia glos. 12. quod lata sine scriptis adhuc restaret nulla, licet post in scriptis redigeretur. 9

Quæres 4. An vulgari idiomate, an latino ferenda sit.

℞. Solent ferri latino sermone, quia dum index eam ferre debet secundum leges, & canones, rationabile est, vt ferantur conformiter ad idioma latinum. Ita seruatur in Italia, *Scaccia de sent. Gloss. 14. quæst. 58. ex eo Carena par. 3. tit. 11. num. 9.* Vbi ait stilum S. Officij esse, proferre illas vulgari lingua, quia cum publica adiuratione rei condemnentur, ideo vt omnibus innotescat tenor sententiæ, materna lingua nota tam indoctis, quam doctis pronuntiatur. Qualitas ergo idiomatis est de apicibus iuris, dum iudex altero vti potest. 10

Quæres 5. An iudex per seipsum debeat proferre sententiam, & non per alium.

Resp. iudex ore proprio debet illam proferre, de iure communi, aliter est nulla; nihilominus ex consuetudine, quæ iuri derogauit, in tota Italia valet pronuntiata per alium ab eo delegatum. 11

Primum de iure communi expresse *cap. fin. de sent. in 6. vbi Barbosa n 5. citans Doctores, Gutier. lib. 1. q. 99. num. 4. Guazin. Defens. 25. cap. 9. numer. 3. Carena par. 3. tit. 11. n. 10. Scaccia de sent. glos. 12. n. 10.* 12

Secundum de consuetudine docetur à prædictis, *cum claro q. 93. num. 1. Vent. de nullit. ex defectu proces. n. 85. cum aliis Guazin. Defens. 35. cap. 9. num. 3. Sperell. decis. 39. num. 6. Ghisler. cap. 10. num 13.* dicens quod legatur ab vno, vel alio de mandato iudicis spectare ad apices iuris, *cum Spatbario tract. 10. c. 5. n. 1.* In causis fidei *Farinac. q. 185. numer. 170. cum aliis apud Carenam num. 10.* 13

Quæres 6. An de necessitate sedere debeat dum sententia pronuntiatur.

Affirma

14 Resp. Affirmatiue, alias sententia est nulla de iure communi, expresse *cap. fin. de sent. & re iud.* respectu eorum iudicum, qui non habent priuilegium procedendi summariè, & de plano sola ter veritate inspecta. Quare iudices priuilegiati, qui non tenentur ad apices iuris, inter quos propriè connumerandi sunt actus sedendi, vel standi, possunt ferre sententiam stando, & ambulando, expressè *clem. Sp̄e, de verb. signif. Gratian. cap. 522. n. 4. Ghisler. c. 20. n. 12. Pignan d. 4. subst. c. 9. §. Propterea, Petrus ab Angelis cap. 25. n. 9. de S. Iulian. cap. 8. Aduer. 4. num. 38.* Et omnes alij nullo discrepante.

Quæres 7. An publicè sit ferenda sententia, an semen possit in occulto.

15 ℟. Debet in publico ferri aliter non valet, *l. cum sententiam 6. C. de sent. & interlocut.* hoc est præsentibus testibus eam subscribentibus, qualiter audiuerint eam legi, & pronuntiari. *Guazin. Defens. 35. c. 9 n. 6.* vbi ait, ita seruari in curia Romana.

Quæres 8. An reus citandus sit antequam condemnetur.

16 ℟. Citandus est ad se defendendum, etiam in notorijs, quare non debeat condemnari, vt docent *Scaccia de sent. Glos. 9. n. 36. & 37. Ghisler. c. 20. n. 9. Clarus q. 31. num. 14 de S. Iuliano, cap. 8. Aduer. 4. n. 9. Guazin. Defens. 31. per totam, Diana par. 3. tract. 5. resol 98.* Sed aduerte, quia plerique ex citatis confundunt citationem defensionis cum citatione ad audiendum legere sententiam. Duæ igitur sunt citationes, immo tres sunt citationes, ad respondendum, ad se defendendum, & ad audiendum legere sententiam, quæ sunt de substantialibus iudicij, vt dixi cap. 2. num. 22. modo agendum de citatione ad audiendam sententiam.

Quæres 9. An reus citandus sit ad audiendam legere sententiam contra se ferendam

17 ℟. Affirmatiue, quia debet esse præsens, *l. 47. ff de re iud. Clem. sæpe, de verb. signif.* Vnde hæc citatio debet esse specifica ad audiendam sententiam definitiuam tali die, *Menoch. cons. 345. num. 14. Gonzal. ad 8. Regul. Cancell. Glos. 9. in Annotat. n. 118. cum alijs Barb. ad dictam Clem. n. 24. Carena par. 3. tit. 11 n. 22.*

Quæres 10. An sententiam ferri possit die feriato.

18 ℟. Affirmatiue, quia dies feriatorum sunt de apicibus iuris. Ita *Menoch. de arbitr. quæst. 60. de Angelis c. 25. num. 9. de S. Iulian c. 8. Aduert 4. num. 38. Ghisler c. 20. n. 13. Pignan. de 4. subst. cap. 9. §. Propterea.* In causis fidei res est certa, quia solent sententiam diebus festiuis ferri. *Ita Scaccia de sent. Glos. 14. q. 28. n. 7. & 8. Carena par. 3. tit. 11. n. 12.*

Quæres 11 An de nocte sententia ferri possit.

19 ℟. Affirmatiue, cum id sit de apicibus iuris. Ita *præcitati cum Carena par. 3. tit. 11. n. 9. Guazin. Defens. 35. c. 9. n. 7.* tenens oppositum, esse scilicet inualidum. Curia tamen Romana, quam ait male facere, absque solemnitate subscribit sententias, & eas tradunt Notario coram duobus testibus siue de die, siue de nocte. Super his ne dubites pro iudicibus regularibus, qui in hoc non debent discernere diem à nocte, sed solum lucem veritatis à tenebris.

20 ℟. Negatiue, quia id nullibi exigitur in iure, quod scilicet sit authentica quo ad sui valorem, *ex adductis à Sperello decis. 39. n. 7. & 8.* loquendo de sententia, excommunicationis in scriptis proferenda. Nihilominus quo ad probationem, si opus erit, debet esse subscripta à iudice, vel notario, vt probari possit, *vt docet ibidem num. 9.* qui licet loquatur de sententia excommunicationis, idem tamen dicendum est de alijs sententijs.

Quæres 13. An ad valorem sententiæ requiritur initium, & finis sub verbis *In Christi nomine &c. lecta, publicata &c.*

21 ℟. Neutrum est de substantia, & valore sententiæ, cum nullo iure id præscribatur. Ita *ex citatis à Guazin. Defens. 35 c. 9. n. 5. de Bellis q. 144. n. 3. Peyrin. lit. 5. cap. 3. n. 5.* Nihilominus confici debet ex illis, vt dicatur perfecta iuxta morem omnium iudicum.

Quæres 14. An vt valeat ferenda sit per verbum indicatiuum *condemno*, vel *absoluo*.

℟. Nulla est illa sententia, quæ non continet condemnationem, vel absolutionem formaliter per hæc verba, vel æquiualenter. *l. Præses 3. C. de sent. & interlocut. l. 1. ff de re iudic. Guazin. Defens. 35. c. 17. num. 1.* qui ad difficultatem, an valeat expressa per gerundium, *condemnandum, absoluendum* item *debet condemnari, debet absolui.* Item *condemnamus* &c. Respondet illis verbis addendum esse, *Prout condemnamus* cum Vantio *de nullit. ex processu n. 91. Mascello par. 6. Glos. condemnando n. 163.* Aliter secundum veriorem sententiam inficiunt actum, quia præfata verba respiciunt aliquid faciendum, non vero factum, nec definitum prout essentialiter petit sententia ipsa, quæ negotium de præsenti determinat, & definit, vt patet ex eius definitione initio allata. *Erudimini qui iudicatis terram* inquit Propheta, nam huiusmodi prolationes ineptæ proueniunt ex iudicibus ignorantibus. 22

Quæres 15. An sententia conditionata valeat.

℟. Valet lata sub conditione extrinseca, quia vt impertinens non vitiat sententiam, vt si dicat: *condemno & C si venerit nauis ex Siria.* Ita docet Gabriel *de sent. concl. 1. Tuschus lit. S. concl. 108. n. 13. cum illis Guazin. Defens 35. c. 16 num. 11.* Valet quoque lata sub conditione intrinseca de præsenti, vel præterito, vt condemno te si delictum est probatum, nam verificata conditione, sententia spectatur ac si prolata esset sine conditione. Negant id tamen citati à Guazino num. 3. & pariter nulla est ex conditione de futuro, vt si actor non probauerit. Vide citatos ab eodem, nam cum sit res parui momenti, non est immorandum. 23

Quæres 16. An lata sine expressione pœnæ valeat.

℟. Non valet, quia sententia essentialiter ordinatur ad pœnam si sit condemnatoria, ergo pœna exprimenda est, & non relinquenda incerta sententia, quæ nulla est, *ex allegatis à Guazino Defens. 35. cap. 15. num. 1.* qui in sequentibus ait valere, quia virtualiter continet pœnam, quam postmodum iudex declarare potest. 24

Quæres 17. An sententia exprimens pœnam maiorem, quam delictum patiatur, valeat.

℟ Negatiue, quia pœna debet esse proportionata culpæ, & delicto, secundum illud Deuter. 25. *Pro mensura delicti, erit, & plagarum modus.* Est enim commensuranda delicto, *cap. Felicis, §. illud de pœnis in 6 l. Rescriptum ff. de bo. qu. bo. vt indob. Giurba cons. 53. n. 14. cons. 71. n. 5. cons. 85. num. 8. Ploeus tom. 2 cons. 72. n. 31. Farinac. q. 11. n. 61. cum alijs Guazin. Defens. 35. c. 14. num. 1.* 25

Quæres 18 An sententia nulla in vna parte, inualida quoque sit in alia.

℟. Quando sententia cōtinet plura delicta inter se diuisa, separata, tunc potest valere pro vna parte, non pro alia, in qua est defectus, quia vtile per inutile non debet vitiari, nam non vna censetur sententia, sed plures iuxta pluralitatem delictorum in ea expressorum, *secundum glos. 11. Iudicatis l. Ampliorem C. de appellat.* Ex quo sequitur, posse iudicem in vno capitulo absoluere reum, & in alio condemnare eundem. Ita *Tuschus lit. 5. concl. 165. n. 7. Roman. lib. 1. cons. 190. n. 69. & cons. 281. n. 2. Guazin. Defens 35. c. 13. n. 2.* 26

Quando vero delicta sunt vnita, connexa, vel inseparabilia inter se, ex quo non possunt diuidi, sententia nulla in vno, talis est in alijs connexis, & sic non potest valere pro parte, & esse valida pro parte, *l. in hoc 28. ff. famil. Erciscun.* & in hoc sensu sententia dicitur vnum quid, & indiuiduum ex eadem lege. Ita *Caballin. cent. 1. casu 186. n. 33. Cauallin q. 960. Guazin. cit. numer. 2. §. Aut.* 27

Delicta autem separata sunt illa, quæ nullum habent communem effectum, nec causam. Vide *Roman. cons. 195. fine. & 281. n. 1. Tusch. lit 5. concl. 165. n. 1. Guazin. Defens. 35. cap. 13. n. 3.* Delicta vero connexa, & 28

insepara

inseparabilia sunt illa, quæ ad eundem effectum referuntur cum dependentia vnius ab alio, ita quod vnum tantum factum reputatur. Ita *Petrus Caballin. contur.* 3. *casu* 286. *n.*31. *Tusch. n.*2. *Guazin. cit.* vt lenocinium, & adulterium, licet enim diuersa sint crimina, tendunt tamen ad eundem effectum.

Quæres 19. An sententia sit partim nulla, partim valida ex defectu iudicis, vel reorum.

29 ℞. Affirmatiue, nam si iurisdictio respiciat plures personas, e. g. clericum, & laicum, sententia iudicis laici valet quoad reum laicum sibi subditum, non quo ad clericum, contra quem nullam habet iurisdictionem. *Bald. lib.* 3. *cons.* 365. *num.* 3. *Tuschus lit.* S. *concl.* 165. *num.* 3. *Guazin. Defens.* 35. *cap.* 14. *num* 4. §. *Nisi.* Etiam ex parte subditorum eiusdem iudicis, sententia potest esse ex parte valida, nempe citatorum, inualida vero respectu non citatorum. Ita *Roma. cons.* 501. *fine, idem Tusch. n.*4. *Guazin. cit.* quia citatio, vt dixi hic q. 8. & 9. est de substantialibus sententiæ.

Quæres 20. An valeat sententia lata à iudice nullo eam petente.

30 ℞. Valet siue reus fuerit confessus, siue solum conuictus, quia fiscus semper dicitur instare, & petere, vt reus puniatur, quamuis instantia nõ esset expressa in processu; & iudex tenetur ex officio suo perficere processum, & terminare controuersiam. *Clarus q.* 10. *fine. Baiard. n.* 10. *Roman. singul.* 570. *Bolog. cons.* 34. *n.* 2. *apud Guazin. Defens.* 35. *cap.* 7. *n* 3.

Quæres 21. An valeat lata ex falsis testibus.

31 ℞. Lata contra præsentem non est ipso iure nulla, sed fit talis per appellationem, & restitutionem in integrum. *Decian. de criminum lib* 2. *cap* 12. *n.* 20. Iure vero canonico est nulla, *ex Vantio de nullit. ex processu n.* 132. *apud Guazin. c* 6. *n.* 1. Potest autem retractari etiamsi transierit in iudicatum, modo infra quadriennium agatur, & per viam querelæ retractari potest infra viginti annos, *ex citatis ab eodem n.* 2. *&* 3.

Quæres 22. An sententia lata extra diem citationis ad eam audiendam sit nulla.

32 ℞. Est nulla, quia ferenda est die præfixo, nisi citatus vt contumax noluerit comparere, quia tunc valet contra ipsum. *Maranta par.* 6. *de sent. num* 88. *Farinac. cons.* 28. *n* 6. *Menoch. lib.* 1. *casu* 300. *n.* 282. *Paulus de Castro lib.* 2. *cons.* 254. *Ruin. lib.* 1. *cons.* 6. *n.* 5. *Guazin. Defens.* 15. *c.* 9. *n.* 8.

Quæres 23. An in tenore sententiæ narranda sint omnia delicta probata in processu.

33 ℞. Affirmatiue, quia sententia est quædam conclusio deducta ex præmissis in probatione processus, in quo exprimuntur delicta probata, ergo & in conclusione, & sententia exprimenda sunt, colligitur enim in conclusione, quod seminatum fuit in præmissis. Confirmatur, quia ex hac expressione cognoscitur æqualitas pœnarum ad delicta expressa. Ita in causis fidei *Pegna part.* 3. *com.* 40. §. *Postremo. Sousa lib.* 2. *c.* 36. *n.* 25. *cum aliis Carena par.* 3. *tit.* 11. *n.* 23. In profanis quoque idem seruandum est eo eisdem rationibus, non enim id est peculiare in eo tribunali, sed commune omnibus, cum ex natura ipsius sententiæ id colligatur, dum definitur determinatio totius controuersiæ, quæ formaliter consistit in punitione, quæ includit pœnam & delictum, sunt enim hæc duo correlatiua ab inuicem inseparabilia.

Quæres 24. An iudex in sententia debeat exprimere causam, per quam mouetur ad reum condemnandum, vel absoluendum

34 ℞. Negatiue, *ex gloss.* 11. *Non exprimantur cap. Sicut* 16. *de sent. & re iud. Farinac. quæst.* 17. *n.* 62. *Hieron. Buccarenus de differ. inter iudic. ciuil & crimin. Differ.* 188. quia in sententia facile potest exprimi mala causa, & bona subticeri, ex quo redditur nulla sententia. *Peyrin. lib.* 5. *c.* 3. *n.* 1 *de S Iuliano c.* 8. *Aduert.* 1. *n.* 37. *Guazin. Defens.* 35. *c.* 5. refert Doctores in oppositum, quod debet exprimi causa similibus verbis: *Fuit N. accusatus de tali delicto, & nobis per testes constat, quod ipse illud commiserit, ideo illum condemnamus &c.* Praxis tamẽ ab omnibus prolata est talis: *Iustis de causis animum nostrum mouentibus &c. Miranda q.* 27. *n.* 99. dicit, hanc posteriorem opinionem esse multo veriorem, vt scilicet exprimatur causa, quod scilicet delictum sit probatum, seu reus confessus, & ideo condemnatur.

Quæres 25. An iudex possit suam sententiam declarare, seu etiam retractare, & reuocare.

35 ℞. Potest eam declarare non alterando eius substantiam, non tamen eam retractare, & reuocare, nisi & ordinarius cum clausula: *Nobis reseruamus.*

36 Primum de declaratione patet, quia cum nihil de nouo dicat, sed tantum obscurum, & dubium notificet, non dicitur aliam ferre sententiam, *l. In prætoriis ff. de prætor. stipul. Decian. cons.* 57. *n.* 19. *vol.* 2. *Guazin. Defens.* 35. *c.* 18. *n.* 1. contra Gratianum cap. 447. n. 7. quia est eius, qui habet merum imperium. Sed standum est cum priori opinione. Quis enim prohibet, iudicem declarare, condemnationem nempe ad triremes sine temporis limitatione, esse ad quinquennium, vel septennium, attenda delicti grauitate.

37 Secundum de retractatione respectu ordinariorum patet, quia sicut possunt in pœnis dispensare, ita & retractare sententiam inferentem pœnam, maxime si in sententia inseratur claus. *Nobis reseruando auctionem, vel diminutionem pœnarum, vel earum retractationem.* Oppositum tamen docent fere omnes apud Guazinum *Defens.* 35. *c.* 18. *n.* 2. *qui n.* 9. ait, iudicem finito negotio, & dimisso officio non posse amplius sententiam declarare, quia vt persona priuata iudicaret, quod fieri non potest. *Vincent. de Franchis par.* 1. *decis.* 187. *n.* 3. *&* 6. Nullam vero existentem retractare potest ordinarius *ex l* 1. *C. de sent & interlocut. in fine* Menoch *de arbitr. q.* 67. *à n.* 2. *cum aliis citatis à Barb. super* 1 *cap. de sent. n.* 13. quod tamen interdicitur delegatis iudicibus, ex ibidem allegatis.

Quæres 26. An festinanter lata valeat.

38 ℞. Sententia est nulla, quando fuit festinanter lata, hoc est, sine cognitione causæ, vel non dato tempore congruenti reo ad se defendendum. Ita *aliis citatis Guazin. Defens.* 35. *c.* 21. Vnde prohibetur *in cap. Decis.* 20. *q.* 2. *& l.* 2. §. *Non subditus C. de sentent. ex breuiloq. Farinac. vol.* 3 *decis.* 14. *n.* 3. *in Addit.* quod sententia præcipitanter non est ferenda.

Quæres 27. An præsumatur rite, & iuste lata.

39 ℞. In dubio debet præsumi rite lata Ita omnes cum *Sigism. Scaccia de appellat. q.* 27. *n.* 65. *Paris. lib.* 1. *cons.* 111. *Menoch. cons.* 110. *n.* 6. *Capola tom.* 1. *cons.* 64. *n* 4. *Surd. decis.* 69. *n.* 8. *Seraphin decis. q* 84. *n.* 3. *cum multis aliis Barb. ad c.* 1. *de sent. n.* 3. Debet ergo in dubio interpretari sententia, vt non contineat iniustitiam, quia iudex non præsumitur velle facere contra iustitiam, nec contra iuris dispositionem, vt dicit Crauetta *cons.* 45. *n.* 5 *& Mathesil. sing.* 20. Quod verum est, quamuis alias iudex sit nequam, vel magnus ribaldus, vt dicit *Guazin. Defens.* 35. *c.* 26. *n.* 1. In antiquis præsertim præsumitur iusta, *Tiraq. de præscrip.* §. 1. *glos.* 4. *vers.* 32. *apud Barb ad c.* 13. *de sent. n.* 8. Quare prætendens eam esse iniustam debet appellare, & probare iniustitiam; & posita appellatione, tunc incipit præsumptio contra sententiam; quia appellatio est quid fauorale, cui deferendum est contra sententiam, cuius effectus per eam suspenditur. Ita Ferretus *lib.* 1. *cons.* 51. *n.* 23. *Torreblanca de Magia l.* 3. *de crim. punit. c.* 25. *n.* 7. *&* 8. *Scaccia de appellat. quæst.* 17. *numer.* 65. *Burat. decis.* 416 *fine, cum Barb. ad cap.* 17. *de sent. num.* 2. *Guazin. defens.* 35. *c.* 26. *num.* 4.

Quæres 28. An sententia sit stricti iuris, itavt in ea non expressum habeatur pro omisso, & non valeat argumentum à contrario sensu, & interpretatio semper sit facienda contra fundantem se in ea.

40 Resp. Est stricti iuris *l.* 2. *ff de ordin. cognit. l* 1. *C. eod. Alex. vol.* 5. *cons.* 108. *num.* 2. *Gratian. c.* 770. *numer.* 5. *Menoch. cons.* 110. *numer.* 17. *Cephal. cons.* 317. *n.* 18.

ex

ex illis Giurba cons.44. n. 2. Vnde sequitur, quod non expressum habeatur pro omisso, *l.1. C. quando plur. vn. sent. Osasch. decis.64. n. 3. Anchar. cons.237. fine. Roland. lib.3. cons.79. numer* 10. *Tusch. lit. S. concl.* 126. *n.57.* Nec deinmi potest argumentum a contrario sensu, *Osasch. decis.146.n.10. cum illis Guazin. Defens.37 c. 26. n.3.* Vnde interpretatio circa eam semper est stricte facienda, *Decius cons.43, Farinac decis.172. n. 8. cum aliis Giurba cons.44.n.2.* Interpretatio facienda est contra fiscum, *Decius cons.321, num 6. Ruin. lib.4. cons 146.n.9. Tusch. concl.126. n.9. cum illis Guazin. cis. num.3. §. Et quod.*

Quæres 29. An sententia iniusta sit etiam inualida.

41 ℞. Notorietas iniustitiæ facit sententiam esse nullam, quandocumque procedit ex alio capite, quam ex odio, & passione iudicis. Ita omnes, *Corset. sing. sent.7. Hippol. sing.473. Couar. lib.1. Var. cap.1. numer.* 10. *Barb. ad p. 9. de sent. num. 4. Guazin. Defens. 35. cap. 23. num.2. Farinac. cons. 53. num.2. Tusch lit S. concl.147. numer.* 11. *Ant. Gabriel de sent lib. 2. concl.* 10. asserentes, necessarium esse, quod notorietas iniustitiæ resultet ex actis. Nunquam autem transit in rem iudicatam, neque meretur executionem. Ita *Barbar. lib. 2. cons.1. num 4. Rimin. Iun. lib.2. cons.139.n.29. cum aliis Guazin.n 1.*

Quæres 30 An sententia noceat tertio.

42 ℞. Non nocet nisi causæ connexionem habeant ad inuicem, *l.5. & 4 ff. quib res iudic. Tiraq. in tract. Res inter alios limit.* 22. Vnde intelligitur lata absque præiudicio tertij *l. Et post 12. § Res, quæ ff famil. ercisc.*

Quæres 31. An faciat notorium

41 ℞. Sententia valida facit notorium, & maioris est efficaciæ, & magis probat. *Martil. in C. de pr bat. n. 245. Sperell. decis.174. n. 118.* immo acta iudicis postquam conclusum est in causa, faciunt notorium, secundum Puteum *lib.2. decis.284. in Antiquis, Mascard. concl. 1102.n.24. Surd cons.8.n.12 Farinac.q.21.n.15.*

Quæres 32. An sententia faciat ius.

44 ℞. Sententia à Principe lata facit ius, & pro lege est habenda, *l. fin ff. de legib.* procedit, quando se explicat, vt pro lege habeatur, *Sanch. 2. disp.14. num.4 §. Et ad cap* Vide Barbosam *ad cap.19. de sent. num. 2.* vbi Doctores citat. Respectu aliorum iudicum sententia non dat ius, sed illud declarat, *l. Sicuti 8. §. sed si quæratur ff si seruitus vendic.*

Quæres 33. An fisco absente sententia sit nulla.

45 ℞. Sententia lata contra fiscum, eo absente, vel eius aduocato est nulla, non vero si absit aduocatus rei *l. Velamento 4. C. de postul. Pereg. de iure fisci lib.7 tit.2. n.2. fine*, & num.5. quod valet lata pro fisco, quamuis absit eius procurator, quia eius priuilegium sibi nocere non debet, ex illis Barbos. ibidem.

Quæres 34. An lata in vno iudicio noceat in alio?

46 ℞. Sententia lata in iudicio ciuili acto ciuiliter de crimine non nocet eidem in iudicio criminali, cum in hoc maiores, & lucidiores probationes requirantur, quam in illo. *Felin. in cap. At si clerici de iudic. num.26. Abbas in cap. Per inquisitionem. de elect. n.12. Clarus q. 53. n.2. Tusch. lit.5. concl.172 Guazin. Defens. 35.c.25. num. 2.* Sententia vero lata in causa criminali plene probat in causa ciuili inter easdem personas, ex quo minores probationes requirantur. Ita *Rimin. Iun. lib.1. cons.163.n.28. Socin. lib 4. cons.60.n.3. Tusch. lit.5. conc. 175. num.* 11. *ex illis Guazin. Defens. 35 cap. 25. numer. 5.* Sententia lata in causa ciuili præiudicat in criminali, quando ex ea oritur infamia, repelli enim potest à dignitate, testimonio, &c *Guazin. n.3. ex Bossio tit. de plurib. viol. num.* 117.

Quæres 35. An sententia nulla patiat aliquos effectus.

47 ℞. Nullam patit effectum, cum eo nihil aliquid fieri non possit iurib. naturæ. Ita omnes *cum Felino in cap. Ex tenore, de rescrip. Paris. vol.4. cons.171. n.2. Guazin. Defens.35.c.22.n.1.* Quare nihil operari potest inter partes, multo minus contra alios. Ita *Alex lib.3. cons.77.n.14. §. Nec est bona, Tusc. lit. S. concl. 54. n. 2. Guazin. n. 3.* Neque vnquam sententia transire potest in rem iudicatam. Ita *Felin. in cap. quoniam contra de probat. n. 25. Abbas cons.92. lib.1. Tuschus n.4. Anchar cons.36. Bald. lib.4. cons.163.n.2.* Nec potest eo consensu partium sustineri. *Felin in cap. Significasti de foro compet. n. 7. Decius cons.475.n.35. Tuschus n.10.* Et de nullitate dici potest vsque ad triginta annos. *Alex lib. 3. cons. 77. n. 14. §. Denique Tuschus concl.154. n.9. Farinac. cons.53. n.4. Guazin. n.6.* Ad veritatem prædictorum, sententia debet esse euidenter nulla, euidentia autem deducitur ex actis, *secundum Alex. lib.4. cons.59.n.17. Tusch. n.5. & 8. Farinac. n.13. cum aliis Guazin. n.7.* Quod si fuerit dubia, & debeat probari eius nullitas per media extrinseca, non poterit transire in rem iudicatam. Ita *Farinac. cons. 85. num.140. Clarus q.32. §. Pariterque Vincent de Franchis par.4. decis.688.* Guazin. n. 12. §. Secus.

Quæres 36. An sententia lata contra ius commune, vel statuta, & constitutiones speciales sit nulla.

48 ℞. Sententia lata contra ius commune, aut speciale, aut contra consuetudinem, quæ sint certa, & clara, est ipso iure nulla, *ex l.2. C. quando prouocat. non est nec. sse Ant Gabriel. de sent. lib.2. concl.7. Vant. de nullit. proces. n.118. Tuschus lit. S. conclus. 241. Bertazol. vol. 2. cons. 463. n.4. ex illis Guazin. Defens. 35.c.20. n.1.* Quando lex, seu statutum est clarum, ex præcitatis, *Anchar. cons.* 182. Asserentibus id procedere, si error est expressus in sententia, quia pronunciauit contra casum legis, vel non seruauit formam à lege præscriptam, aliter non *ex prædictis cum Ancharano.*

Quæres 37. An nulla sit sententia lata contra communem opinionem.

49 ℞. Negatiue, quia iudex dicitur se prudenter gessisse sequendo minus communem opinionem. *Sperellus decis. 106.n.41.* Confirmatur, quia iudex relicta probabiliore potest sententiam ferre secundum minus probabilem. *Vericellus referens pro se viginti Doctores, tract.2 q. 15.* Dixi *c.87.n.25.*

Quæres 38. An iudices regulares in ferendis sententiis debeant punire suos subditos secundum ius commune an secundum statuta sui ordinis.

50 ℞. Debent obseruare suas constitutiones, & secundum illas punire suos reos, alias eorum cõstitutiones essent inutiles, & deducitur, *ex cap. Qualiter 24. de accusat. cap. Per suas 32 de Simon. & Clem. 1. de Priuileg.* Ita docent Clarus *q 85.n.5. Gb. fler. c.13. n.11. & seq. Peyrin. lit. S. c.3. n.5. ex vtroque Bonifac. VIII. & IX. apud Compend. Priuileg. 11. Correctio Fratrum n.6. & 8.* Lege dictum Peyrinum, *& de S. Iuliano c.8. Aduert.1.n.39.* Illis deficientibus recurritur ad ius commune, ad consuetudines, & ad aliorum leges, & statuta, *ex compend. Rodriq. resol.47. n.3.*

Quæres 39. An, & quomodo sententia transit in rem iudicatam.

51 ℞. Vt sententia transeat in rem iudicatam requiritur *primo*, vt sit valida; *secundo* ne interponatur appellatio intra decem dies; *tertio*, vt non sit contumacialis, *quarto*, vt non sit lata ex præsumptionibus. *quinto*, vt non sit lata super relatione medicorum, vel ad consilium sapientis, *sexto*, in crimine vsuræ. Pro quibus vide Guaz.n. Defens.35.c.24. Quandocunque autem sententia non transiuit in rem iudicatam, semper reuocari potest vsque ad trigesimum annum, *Scaccia lib. 1. de iudic. c.97 n.131.* si tamen sit periculum animæ, semper reuocari potest, *ex eodem, cum* Guazin *n.11. cum aliis Barb c.20 de sent. n.6.* Sententia autem, quæ transit in iudicatum habetur pro veritate, *l. Ingenium ff de statu homin. l. Res iudicata ff. de reg. iur. Scaccia loca citato. R min. Iun. vol.1. cons.41 Guazin. n.12. Barb. ad c.13. de sent n.4.*

Quæres 40. An ferri possit contra mortuum.

52 ℞. Ferri non potest sententia contra mortuũ, *l. Defuncto ff de public iudic. l. Ex iudiciorum ff de accusat. l. Pœna ff. de pœnis* De qua re late Peregr. *de iure fisci lib.4. tit.5. cum aliis Guazin. Defens.35.c.27. n.1.* Et attentata est

ipso

ipso iure nulla, *l. In summa §. si quis ff. de re iudic. l. Paulus ff. quæ sent. sine appellat.* Viuius *decis. 52. n. 6. Surdus lib. 1. cons. 99. n. 11. Turretus lib. 3. cons. 63. num. 5. Roman. sing. 511. Guazin. cit.* Quia morte rei finitur lis, *ex glos. 11. Soluitur, dicta l. In summa.* Procedit, licet iudex ignoret mortem rei. Ita Verallus *par. 3. decis. 140. Gabriel. lib. 1. cons. 50. num. 15. Cornaz. decis. 155. n. 4. Guazin. n. 2.* cum non adsit subiectum capax sententiæ. Nulla quoq; est si feratur in febricitantem, *ex l. quæsitum ff. de re iud. ibi Doct. Mastrill. decis. 137. n. 4.*

53 Damnati tamen potest memoria defuncti rei criminis vtriusque maiestatis, intra quinquennium, vel quadraginta annos, de qua re *Farin. q. 10. à n. 82. Guazin. n. 5.*

Quæres 41. An ex sententia reus euadat infamis.

54 ℞. Affirmatiue lata sententia super crimine famoso inducente infamiam iuris, quando sententia fuit iusta, & ab ea non fuit appellatum. Ita *l. Furti ff. de his, qui not. Verallus par. 2. decis. 90. Melsius de pœnis in fam. par. 2. cap. 27. §. Dico 2. Guidop. sing. 73. Osasch. decis. 79. num. 32. cum aliis Giurba cons. 65. num. 62. Caputaq. par. 2. decis. 90. Peyrin. de Prælate quæst. 2. cap. 5. §. 2. num. 50. Thesaurus de pœnis Eccles. c. 33. §. limita,* vbi *§. Tertio*, enumerat causas famosas. Requiritur autem *primo*, quod delictum sit famosum, hoc est, quod de iure inducat infamiam, ex præcitatis, delicta autem habentia adnexam de iure infamiam, enumerari c. 9. n. 4. Requiritur *secundo*, vt sententia sit valida, quia vt dixi hic q. 35. Requiritur *tertio*, vt non interponatur appellatio, quia tunc suspendit omnes affectus sententiæ, *l. Appellatione 3. C. de appellat.* vbi dicitur, quod posita appellatione omnia debent remanere in eo statu, in quo erant antequam sententia proferretur. Requiritur *quarto* vt pœna infligatur ordinaria, nam si pœna mitiore puniatur, ex sententia non infertur infamia. *Thesaur. de pœnis Eccles. par. 1. cap. 33. Aduert. 4. Rota vol. 3. lib. 3. decis. 125. Faby num. 6. & num. 4.* dixit, eum non esse infamem, cui remissa fuit pœna. Vide quæ dixi cap 9. per totum vsque ad num. 10.

55 Infamia autem tam iuris, quam facti, si vtraq; sit probata, illa quidem per sententiam, hæc per notorietatem facti, iuxta dicta c. 9. repellit non solum à testimonio dicendo, vt ibidem notaui, sed etiam ab electione tum actiua, tum passiua, & quidem infamia iuris non solum repellit à passiua, sed etiam facit remouere officialem ab officio, & dignitate habita, *l. Infamia C. de Decur. lib. 10. l. Iudices C. de dignit. lib. 12. Couar practic. c. 19. n. 5. concl. 5. Nicol. Garz. de Defens. par. 7. c. 8. n. 33. apud Barbos. Allegat. 43. n. 19.* Infamia vero facti licet repellat ab habendis, non tamen ab habitis, & obtentis, *ex eodem Garzia, n. 35. & 36. Henriq. in sum. Lib. 14. c. 5. §. 3. Campanil. in diuers. iur. Rubr. 11. c. 18. n. 5. fine, ex eodem Barbosa ibidem, repetente in cap. 4. de accusat. n. 5.*

Quæres 42. An iudex maior possit mitigare, vel etiam relaxare pœnam inferioris iudicis.

56 ℞. Maior iudex, sub quo minor est, potest rationabili causa subsistente, pœnam à minori iudice latam augere, vel minuere, aut etiam relaxare, & in hoc non est difficultas respectu iudicis delegati, qui post latam sententiam cum functus iã sit officio suo, non dicitur contemni in suo officio; neq; respectu iudicis ordinarij, quia legitimè existente causa nulla illi irrogatur iniuria, dũ legitima mouetur superior ad mitigandam, vel relaxãdam pœnam à minori iudice inflictam. Ita *Rodriq. tom 1. q. 22. art. 8. Miranda tom. 2. q. 30 art. 15. concl. 1. ex illis Peyrin. de Prælate q. 1. c. 8. num. 17.* Nec obstat cap. Cum ab Ecclesiarum 3. de offic. ord. vbi dicitur, quod Episcopus debet seruare sententiam ab ordinario sibi subiecto latam in suum subditum & illã sine satisfactione, & conscientia proferentis relaxare non debet: quia id intelligitur nulla subsistente causa mouente iudicem superiorem ad relaxandum pœnam inflictam. Sufficit ergo admonere minorem iudicem, instruendo illum de iusta causa &c.

Quæres 43. Quænam sententiæ dicantur conformes.

57 ℞. Illæ sic dicuntur, quæ conueniunt in substantia, & qualitate. Ita *Ruginell. de appellat. §. 12. glos. 1. n. 10. Scaccia de appellat. q. 17. limit. 1. num. 21.* Deformitas ergo non debet esse in substantia, & qualitate principali. *Alex. cons. 77. n. 3. lib. 1. Barb. ad c. 65. de appellat.*

Quæres 44. Quomodo intelligenda sit illa propositio S. Gregorij: *Sententia Pastoris siue iusta, siue iniusta semper est timenda* relata cap. 1. 11. q. 3.

℞. Sic intelligenda est, quod subditus debet eam ti- 58
mere primo, quando est lata ex odio. Secundo, non seruato ordine accidentali. Tertio, quando dubitatur de eius valore, in his debet obedire, quia aut valet, aut præsumitur valere. Quando vero notorie, & manifeste est inualida, tunc non est timenda, secundum *Suarez. disp. 4. de cons sect. 7. fine, Mar. Alterius, tom. 1. lib. 3. disp. 2. c. 1. Vers. secundo, Bonac par. 3. de cens. q. 1. p. 3c. n. 3. Barb. ad dictum cap. & lib. 2. Voto 34. n. 90.*

CAPVT LXXXIX.

De Appellatione Reorum.

IVs Canonicum post titulum de sententia, & re iudica- 1
ta subiungit alterum de appellationibus, regulare enim est, quod ea interponitur à reo grauato per iniquam sententiam à iudice latam, de ea autem hic tractandum est.

Quæres igitur primo, quid sit appellatio:

℞. Est prouocatio à minori iudice ad maiorem facta 2
per reum sentientem se grauatum, vt auxilio maioris iu-
dicis à grauamine releuetur. Duo in hac definitione per- 3
pendo. *Vnum est*, quod reus prouocans, & iudex à quo
sit prouocatio, debeat esse subiecti tertio iudici, qui
inter vtrunque ius dicere debet, tollendo grauamen. Vn-
de Religiosus à superiore locali debet appellare ad Pro-
uincialem, qui subditur in ea Prouincia, & non ad Pro-
uincialem alterius Prouinciæ, cum is non possit inter
vtrumque ministrare iustitiam, cum neutrius sit supe-
rior, & iudex, nisi constituatur à maiore, *Alterum est*,
appellationem supponere grauamen in reo, id enim est fi-
nis appellationis, *cap. omnis oppressus 3. 2. q. 6.* debet sal- 4
tem præsumi grauamen, aliter non habet locum, *cap.
Porro 61. c. Ut debitus 59. de appellat.* à paruia etiam gra-
uaminibus appellatur, nec fit iniuria iudici, *l. Et in ma-
ioribus 10. C. de appellat.* Appellans autem non grauatus
peccat mortaliter, quia non leuem iniuriam facit iudici,
*ex l. omnem honorem C. quando prouocar. cap. vt debitus
honor, cit. de appellat. D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 3.* Perturbat enim aduersarij iustitiam.

Quæres 2. An appellatio sit à iure naturali, an inuentum hominum?

5 ℞. Est de iure naturali in quantum dicit defensionem à grauamine illato, vel inferendo, ita quod reus se tueri possit, *ex cap. Cum specialis 61. §. Porro, cap. Suggestum 15. cap. Reprehensibilis 26. §. si vero, de appellat. cap. significauerunt 15. de except.* Est enim defensio de iure naturæ, *ex dictis cap. 81. quæst. 1.* ergo & appellatio, ex quo est species defensionis. Si vero spectetur modus appellandi, tunc est inuentum ab homine, nam ius humanum docet modum, quo reus appellare potest, vt infra patebit. Barbosam vide ad c. 3. de appellat. vbi respondet obiectis, & Doctores concordat.

Quæres 3. Quotuplex est appellatio.

6 ℞. Duplex friuola, & legitima. Friuola dicitur, quæ sine legitima causa fit, *Rodriq. tom. 2. q. 53. art. 10.* seu quæ nullum supponit grauamen, non admittenda à iudice inferiore, cum sit frustratoria. *ex cap. cũ appellationib. 5. de appellat. in 6.* tenetur obedire, aliter dicitur contemnere iudicem, *cap. cum parati 19. eod.* Vnde iudex vlterius procedere potest absque vitio attentatorum. Ita *Osasch. decis. 5. n. 8. Mascard. concl. 148. n. 51. Farinac. q. 38. n. 23.* Legitima vero ea dicitur, quæ vere supponit grauamen.

Quæres 4. In quo consistat grauamen dans ius reo appellandi.

℞. Grauamen dans ius ad appellandũ reo debet esse iam
illatum, 7

illatum, vel inferendum irreparabiliter, aut futurum, sed comminatum à iudice. Reus ergo in his grauaminibus appellat, & non aliter, quia à futuro grauamine generaliter non appellatur, *cap. consuluit* 18. *de appella.* Ideo regulariter appellatur post sententiam iniquam, quia iam illatum est grauamen, & prohibetur appellatio ante sententiam, secundum leges, non vero secundum Canones *cap. Super eo* 12. *de appellat.* secundum quos reos ante litis contestationem, ante & post sententiam licet appellare; quoniam autem grauamen quodcunque reparabile tolli potest etiam post sententiam, ideo peculiaribus statutis prohibetur appellatio ante sententiam, quod intelligunt respectu grauaminis reparabilis.

8 Quando grauamen non potest reparari in definitiua, tunc iure communi, *cap. super eo pralibato. & l. 1. § quasitum ff de appellat* licet appellatio ab interlocutoria. Ita omnes *cum Menoch. de arbitr. casu* 490. *num.* 3. *Surd. decis.* 36. *num.* 13. *Decian. Resp* 62. *n.* 21. *vol.* 5 *Miranda q.* 29. *num.* 51. *Gratian. cap.* 202. *num.* 5. *Scaccia q.* 17. *limit.* 47. *n.* 85. *Barb. ad cap. cum cessante* 60 *tad.* Amplia, esto possit reparari ex parte, vel magna cum difficultate. Ita *Scaccia cit. n.* 86. *Surd. decis.* 39. *num.* 14. *&* 15 *Riccius in praxi resol.* 405. *num.* 2. *Compend. Rodriq. resol.* 10. *n.* 16 *Gratian. cap.* 74. *n.* 12. *&* 13. *& c.* 77. *n.* 9. *ex Barbosa cit.*

9 Grauamen autem in multis casibus dicitur irreparabile. *Primo* decretum ad capturam, ab hac enim sententia interlocutoria licet appellare. Ita *Riccius par. 3. collect.* 642. *Compend. Rodriq. resol.* 10. *num.* 37. *Scaccia de Appellat q.* 17. *num* 47. *cum aliis Barbos ad cap.* 60. *eodem num.* 17. Damnum irreparabile *secundo* affert tortura. Ita Clarus *q* 61. *n.* 17. *Riccius collect.* 642. *Compend. Rodriq. resol.* 10 *numer.* 38. *Scaccia quæst.* 17. *num* 143. *Barb. num.* 18. Damnum irreparabile fert excommunicatio, vnde contra eam decreto interlocutorio prolatam conceditur appellatio Ita Duenas *reg.* 52. *limit.* 1. *Roland à Valle vol.* 2. *cons.* 77. *num* 2. *Maria de iurisd. par* 3. *c.* 11. *num.* 6. *Barbosa num.* 19. Damnum irreparabile *quarto* inducit sententia excludens ab aliquo officio publico aliquem tanquam infamem, is autem ab ea appellare potest. Gama *decis. Lusit.* 13. *num.* 1. *ex Barbosa numer.* 20. qui num. 21 ait appellari posse à sententia interlocutoria, quæ grauamen inducit habens tractum successiuum. Ita *Decius in cap. Ex parte, de appellat. num.* 3. *cum aliis ibi relatis.* Certum ergo est, quod ab interlocutoria licet appellare, quando in definitiua reparari non potest, vt in præcedentibus casibus. *Ex cap. fin. eod in* 6. *Gratian. c.* 74. *num.* 14. *Menoch. casu* 490. *cum aliis Barb. in eo cap. num.* 4.

10 Grauari autem potest reus tribus modis. *Primo*, quando iudex in procedendo non seruat ordinem iuris tam accidentalem, quam substantialem. Verum quidem est, quod iudex habens facultatem procedendi de plano, postpositis apicibus iuris, vt iudices regulares, non dicitur grauare reum non seruando ordinem accidentalem, sed tantum transgrediendo ordinem essentialem. *Secundo* reus grauatur supra modum, dum est innocens, tunc enim sine dubio appellat. *Tertio*, dum iudex in puniendo excedit notabiliter, debet enim pœna esse proportionata culpe aliter iniuria fit reo, qui eam appellatione propulsare debet.

Quæres 5. Infra quantum temporis spatium reus appellare potest.

11 ℞. Infra decem dies incipiendos à die latæ sententiæ incluso tam respectu sententiæ definitiuæ, quam interlocutoriæ, si vero grauamen sit successiuum habés tractum successiuum, etiam post denarium potest appellari. Post illud tempus interposita appellatio nulla est. Et in dubio, an fuerit infra illud spatium interposita, id probare debet appellans.

12 Prima pars de spatio denarij habetur. *Aut. Hodie C. de appellat & cap.* 3. *§. Si vero, de appellat. in* 6. *Miranda quæst* 19. *num.* 42. *cum aliis Barb. ad dictum cap. n.* 7. *Guazin. Defens.* 36. *cap.* 1.

Secunda pars, quod incipiat currere ipso die latæ sententiæ, docetur ab omnibus cum Baldo *in cap. Si ad consultationem de sent. & re iud.* *Lancell. de attent. par.* 2. *cap.* 11. *num.* 6. *cum aliis Guazin. n.* 2. Currit enim de momento ad momentum, à die vero scientiæ, quando reus ignorauit esse priuatum, & exclusum à promotione, *cap. concertation.* 8. *de appell. in* 6. *ibi Barb n.* 5. 13

Tertia pars, quod illud spatium intelligatur respectu 14
vtriusque sententiæ, tenetur *à Monatello in pract. de appellat.* 11. *Potest num.* 38. *Caranisa tit.* 243. *& tit.* 159. *apud Guazin. n.* 1. quia grauamen eum inferri possit pariter ex vtraque sententia, merito par temporis spatium datur vtroque modo grauatum.

Quarta pars de tractu successiuo grauaminis, vt cæ- 15
teris, tenetur *ab Ant. Gomez tit. de delictis c.* 9. *n.* 10. *cum aliis Guazin. Defens.* 36. *c.* 1. *n.* 5.

Quinta pars, quod post illud tempus sit nulla, est *Van-* 16
tij de nullit. ex defectu iurisd. n. 89. *Guazin. n.* 1.

Sexta, quod incumbat probatio appellanti in dubio, 17
certa est, quia cum sit quid facti non præsumitur, sed probatur, ex citatis.

Quæres 6. An quilibet sine mandato possit appellare pro reo.

℞. Affirmatiue, quia si vere est grauatus appellatio est 18
opus misericordiæ, quod cuique licet. Ita *Anton. Gomez cap.* 1. *num.* 14. *Farinac. q* 11. *num.* 49. *& q.* 99. *n.* 175. *& q.* 101. *num.* 23. *cum aliis Guazin. Defens.* 36. *cap.* 2. *num.* 1. Etiam pro inuito potest appellari, *ex Gomez cap.* 13. *de delict. num.* 31. Debet tamen reus esse in fortiis, & non absens; & non perseuerare in confessione delicti, *ex allegatis à Guazino num.* 3. *&* 4. Sed id non practicatur.

Quæres 7. An respectu cuiuslibet delicti, etiam criminis vtriusque læsæ maiestatis possit reus appellare.

℞. Appellare interlocutorie in causa hæresis, defini- 19
tiue vero non, in cæteris vero delictis etiam læsæ maiestatis humanæ admittitur appellatio etiam contra definitiuam.

Prima pars de appellatione ab interlocutoria in causa 20
hæresis est communis *cum Symanc. tit.* 6. *n.* 3 *Pegna par.* 3. *com.* 31. *Farinac. q.* 185. *n.* 232. *cum illis Carena par.* 2. *tit.* 1. *n.* 121. Notant tamen raro admitti, quia cum decretum de torturando sit factum per consultores, verisimilius est, appellationem esse friuolam. *Scaccia lib.* 1. *iudic. ciuil crim. & hæret. c.* 97. *n.* 90. *cum eo Carena n.* 123.

Secunda pars de non appellando à definitiua est com- 21
munis Doctorum *in cap. Vt inquisitionis* 18. *de hæret. in* 6. vbi prohibita dicitur appellatio à legibus, & Barb. num. 6. citat quamplures Doctores, *Farinac. quæst.* 185. *numer.* 227. *Diana par.* 4. *tract.* 8. *resol.* 20. *&* 32. *Castropal. tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *p.* 7. *num.* 1. *Carena par.* 3. *tit.* 14. *num.* 1. Sed cur negatur appellatio hæreticis, cum sit de iure naturæ, vt quisque possit se exonerare à grauamine illato. Dico eam esse rationem, quia cùm nullus damnetur, nisi aut conuictus aut confessus, hæreticus pro tali habitus, & probatus, & à fortiori confessus hæresim in nullo grauatur, neque in pœna etiam mortis, dum est condigna tanto delicto; neque in modo procedendi, cum hoc tribunal de plano procedat, sola veritate inspecta, seruando ea, quæ sunt iuris naturæ, & gentium, non potest dari casus grauaminis, ideo locum non habet appellatio, quæ supponit grauamen.

Tertia pars de appellatione interposita contra interlo- 22
cutoriam, & definitiuam, etiam in causa criminis læsæ maiestatis, est communis legistarum *in l. Et in maioribus C. de appellat. Decian. lib.* 5. *cap.* 58. *num.* 2. *Farinac. quæst.* 101. *numer.* 1. Etiam in crimine læsæ maiestatis, *Ant. Gomez c.* 13. *de delictis n.* 3. *Roland à Valle cons.* 73. *cum aliis Guazin. Defens.* 36. *n.* 1. *§. Et quod.* Quid autem sit sententia interlocutoria, & definitiua dictum fuit præced. cap. q. 2. num 8.

Quæres 8. An in dubio appellatio sit admittenda.

℞. Affirmatiue, etiã quo ad vtrunq; effectũ, suspensiuũ 23
scilicet,

scilicet, & deuolutiuum. Ita *Decian. in cap Pastoralis, de appellat. Mars. cons.* 84. *n.* 4. *Surd. decis.* 27. *n.* 2. *Mar. Anton. lib.* 2. *resol.* 50. *casu* 7. *cum alus* Guazin. *Defens.* 36. *c.* 3 *n.* 2. *Barb. ad c.* 58. *de appellat. n.* 13. Quia appellatio in omni casu est permissa, quoties expresse non est prohibita, vt docent *Tiraquel. de priuileg pia causa priuileg.* 153. *Surd. de alim tit.* 8. *priuileg.* 60. *n.* 1. alus ibidem enarrats a dicto Barbosa. Facit axioma, quod in dubiis fauendum est reo magis, quam actori.

Quæres 9. An si vnus ex pluribus condemnatis sub eadem sententia appellet, prosit aliis, qui non appellarunt, nec de eis appellans mentionem fecit.

24 ℞. Affirmatiue, si pro eadem causa omnes fuerunt condemnati, & omnes poterant appellare, quia sicut omnes fuerunt consortes in grauamine, ita & tales debent esse in eius exoneratione, confirmatur, quia aliter ex eodem facto possent sequi duæ sententiæ contrariæ, nempe condemnatoria, & absolutoria, quod est absurdum. Ita *clarus q.* 94. *n.* 4. *Petrus Caballus casu* 75. *n.* 4 *Vinc. de Franch decis.* 464 *par.* 3. *& par.* 4. *decis.* 658. *n.* 4. *Guazin. Defens.* 36 *c.* 3. *n.* 13.

Quæres 10. An conuictus, & confessus possit appellare.

25 ℞. Conuictus, & simul sponte confessus non potest appellare, vt expresse dicitur *in l.* 2. *C. quorum appll.* vbi referuntur quinque casus, nempe homicidij, veneficij, maleficij, adulterij, & violentiæ manifestæ. Requiritur ergo, quod sponte sit confessus, non vi aut metu tormentorum, aliter appellat, vt colligunt ex textu Doctores, asserentes etiam id procedere in omnibus aliis delictis, quia illi quinque casus videntur enumerati potius exempli causa, quam restringendo. Ita *Clarus q.* 94. *Ant. Gomez de delictis c.* 13. *n.* 31. *Scaccia de iudic. lib.* 1. *c.* 97. *n.* 126. *Guazin. Defens.* 36. *c.* 10 *n.* 2. referens subsequentes negantes eam legem extendi ad alios casus vltra illos quinque Barb. *ad cap. cum speciali* 61. *de appellat. n.* 12. alios refert de more.

Quæres 11. An tantum conuictus possit appellare.

26 ℞. Potest, vt colligitur *ex cit. l.* 2. *C. quorum appell. Ita Gomez. c.* 13. *n.* 31. *Farinac. q.* 101. *n.* 131. *Scaccia lib.* 1. *de iudic. c.* 97. *n.* 59. *& de appellat. q.* 17. *limit.* 4. *num.* 72. *Guazin. Defens.* 36. *c.* 11. *n.* 1.

Quæres 12. An confessus tantum, sed non conuictus possit appellare.

27 ℞. Negatiue. Si confessio sponte facta fuit. Pius V. Bulla 34. Ita communior opinio cum Claro *q.* 94 *Vulpell. Resp.* 137. *n.* 3. *Farinac. q.* 101. *n.* 154. *Scaccia de appell. q.* 17 *limit.* 4. *n.* 30. Procedit de iure ciuili, & canonico, *ex Couar. practicab. quæst. c.* 23. *num.* 5. *Scaccia n.* 32. *quod Guazin. Defens.* 36. *c.* 12. *n.* 1. referens oppositam opinionem, quam corroborat instruendo defensorem, vt in appellatione inserat causam, quod vult reus docere de errore, qui in eius confessione accidit. Sed cum in defensionibus potuerit se tueri allegando, & probando errorem, non videtur posse appellare, dum negligens fuit in se defendendo, immo præsumitur velle euitare executionem pœnæ per huiusmodi appellationem, & non esse grauatum, dum ad id antecedenter ad sententiam non aduertit tollendo per defensionem grauamen, quod appellatione fingit.

28 Confessus vero ex vi tormentorum, aut metu illorum potest appellare, quia ab appellatione repellitur solum sponte confessus ex citata l. 2. C. quorum appellat. Ita *Farinac. q.* 101. *n.* 132. qui n. 133 ait intelligendum, si extra tormenta non ratificauit confessionem, quia ratificatio habetur pro spontanea; oppositum in hoc sentiunt August. & Aufrerius *apud Guazin. Defens.* 36. *c.* 13. *n.* 7.

Quæres 13. An ficte conuictus, & confessus possit appellare. Id contingit in absentibus contumacibus, seu fugitiuis, qui citati, & non comparentes habentur pro conuictis, & confessis, vt dixi c. 85. n. 10.

29 ℞. Potest, iuxta quod dixi eodem cap 86. quæst. 8. vnde auditur paratus ostendere suam innocentiam. Ita *Farinac. quæst.* 11. *numer.* 48. *Cartar. de excusat. sent. cap.* 1. *numer.* 261. *Caballus casu* 110. *num.* 2. *Baiard. quæst.* 94. *num.* 3. *ex illis Guazin. defens.* 36. *c.* 3. *n.* 15. §. *Immo.*

Quæres 14. An condemnatus in contumaciam possit appellare.

℞. Elapso anno non potest appellare in statu Ecclesiastico, iuxta dicta à Farinac. *q.* 101. *n.* 59. *Scaccia de appellat. q.* 17. *limit.* 48. *n.* 3. *Guazin. Defens.* 36. *cap.* 4. *n.* 2. *&* 3. 30

Quæres 15. An appellatione prohibita intelligitur interdictus recursus ad superiorem.

℞. Negatiue, quia ab vno ad aliud non infertur, cum negatio appellationis sit quid odiosum, ac proinde restringendum. Ita *Roland. lib.* 1. *cons.* 94. *num.* 2. *Diana par.* 6. *tract.* 2. *resol.* 30. §. *Vnde Decian. lib.* 8 *cap.* 9. *num.* 17. *Farinac. q.* 101. *n.* 105. contra alios relatos à *Guazin. Defens.* 36. *c* 4. *n.* 11. 31

Quæres 16. An in pœnis arbitrariis detur appellatio.

℞. Affirmatiue, aliter nostris temporibus, quibus pœnæ sunt arbitrariæ tolleretur omnino appellatio, & via aperiretur iniquis sententiis. Ita *Anton. Gomez tit. de delictis cap.* 1. *n.* 63. *Couar. lib.* 2. *Var. cap.* 11. *num.* 5. *Farinac. q.* 17. *n.* 28. *Scaccia lib.* 1. *de iudic. cap* 52. *num.* 98. *Guazin. Defens.* 36. *cap.* 7. *num.* 1. vbi refert sententiam in oppositum, cuius auctores audiendi non sunt ob adductam rationem, cum præterea etiam in pœnis arbitrariis possit dari excessus, & grauamen. 32

Quæres 17. An detur appellatio à superiore maiore non recognoscente alium superiorem se maiorem.

℞. Negatiue, quia appellatio est prouocatio à minori iudice ad maiorem, qui sit superior iudicis, & iudicati, ex dictis initio huius capitis, ergo ab hoc supremo non potest dari appellatio ad alium maiorem, aliter non esset supremus, si alium supra se haberet. Quare non detur appellatio à Papa, ab Imperatore, à Rege &c. Ita Farinac. *q.* 101. *n.* 7. *Caualcan. de brachio regio par.* 5. *num.* 250. *Thesaur. decis.* 101. *n.* 4. *Scaccia de appellat. q.* 16. *limit.* 1. *Guazin. Defens.* 36. *c.* 8. 33

Quæres 18. An detur appellatio in notoriis? Quid sit notorium, & quotuplex dixi c. 3. sect. 1. n. 20. ad 30.

℞. Non datur appellatio in notoriis facti, & fragrantis criminis. Ita *Clarus q.* 94. *n.* 2. *Vulpill. resp.* 137. *n.* 8. *Farinac. q.* 21. *num.* 117. *& quæst.* 101. *num.* 60. *Scaccia lib.* 1. *de iudic. quæst.* 97. *num.* 119. *& de appellat. q.* 17. *limitat.* 4. *num.* 88. *Caball. centur.* 3. *casu* 262. *num.* 25. *cum aliis Guazin. Defens.* 36. *cap.* 9. *Barb. ad cap.* 5. *de appell. num.* 19. *& melius cap.* 14. *eod.* vbi limitat primo non procedere quo ad effectum deuolutiuum, à quo potest appellari, *ex Farinac q* 101. *n.* 63 *Scaccia cit. num.* 91. Secundo, potest appellari à declaratione notorij, *ex eodem Scaccia num.* 65. *cum aliis Barb. num.* 5. Tertio, si in appellatione exprimatur causa rationabilis obumbratiua notorij, *ex Farinac. q.* 101. *n.* 64. *Scaccia num.* 93. *cum aliis Barb. num.* 6. Quarto, appellatur ab excessu pœnæ in notoriis, *ex Farinac. num.* 110. *Scaccia num.* 96. *Barb. n.* 6. Quinto in notorio probationis admittitur, *ex Farinac quæst.* 101. *num.* 56. *&* 131. *Barb. numer.* 7. Sexto denium in manifestis datur appellatio, cum sit quid minus notorio, *ex Ruginello, Salgado, & Scaccia apud Barb. n.* 8. 34

Quæres 19. An arripiens iter ad superiorem iudicis dicatur appellare. Et idem sit arripere iter, ac habere recursum ad superiorem.

℞. Arreptionem, seu recursum ad superiorem communem vtrique iudici scilicet & reo, esse speciem appellationis, & eosdem producere effectus, quos generat appellatio formaliter facta. 35

Primum, quod arreptio, & recursus ad superiorem pro eodem habeantur, clarum est, cum ad eundem finem referantur, nempe ad exonerationem illati grauaminis, & qui iter arripit ad superiorem reuera ad illum recurrit, ergo idem sunt. 36

Secundum, quod arripere iter sit appellare, docetur 37

expresse *in cap. Dilecti 51. de appellat.* quia plus est facto, quam verbo prouocare, facta enim magis declarant voluntatem agentis, quam verba ipsa. Ita *Nauar cons. fin. de sent. num. 6. Portell. part. 1. casu 18. num. 3.* Producit autem omnes effectus, quos causat ipsa formalis appellatio, *vt insinuat Guazin. Defens. 36. cap. 15.* Procedit in eo, qui fuit è carcere, modo statim adeat superiorem, aliter pro fugitiuo habetur. Ita *M. Anton. Genuens. in practicab. Eccles. quæst. 741. num. 3. Barbosa super dictum cap. 52. num. 3.* Et cum sit species appellationis debet regulari secundum terminos appellationis verbalis.

Quæres 20. Quænam sint de substantia appellationis, vt valide fieri possit?

38 ℞. quinque sunt de essentia, & substantia appellationis, aliter facta non tenet. *Primum est*, quod contineat nomen appellantis. *Secundum*, quod contineat nomen iudicis à quo appellatur. *Tertium*, quod in ea exprimatur sententia. *Quartum* quod exprimatur dies, qua fuit appellatum. *Quintum* denique quod hæc omnia redigantur in scriptis. De singulis aliquid dicendum. q. 9.

39 Primum de nomine appellantis colligitur *ex l. 1. §. fin ff. de appellat. Scaccia de appellat. quæst. 4. n. 39. de Bictis quæst. 146. num. 8.* Et si plures sint condemnati sub eadem sententia, sufficit vnus pro omnibus, vt dixi hic.

40 Secundum de exprimendo nomine iudicis à quo docent præcitati. *Scaccia n. 43. de Bictis num. 3.* Nomen autem debet habere adnexum vocabulum dignitatis, seu officij, vt appello à Iudice criminalium Parm. item ab Episcopo &c. Ita quod non est necessarium nomen baptismi, sed vocabulum officij.

41 Tertium de sententia exprimenda in appellatione docent *supradicti Scaccia quæst. 4. num. 55. de Bictis quæst. 146. num. 4.* Non est autem necesse eam ad verbum referre, sed sufficit eam indiuiduare ex materia, quam continet.

42 Quartum de die interponendum est, vt sciatur, an tempore debito, hoc est, infra decendium sit facta, iuxta dicta sub quæst. 4. Ita omnes cum *Scaccia. quæst. 4. num. 57. de Bictis num. 5.*

43 Quintum denique est, quod in scriptis redigatur, ex tex. l. 1. ff. de appellat. loquendo respectu sententiæ definitiuæ. Ita omnes *cum Burs. vol. 3. cons. 188. num. 13. Caroc. decis. 49. Scaccia quæst. 4. num. 1. de Bictis q. 146. num. 6. Guazin. Defens. 36. cap. 19. num. 1. Barb. in cap. 1. de appellat. in 6. num. 2. cum Michael Graff. tom. 2. commun. opin. lib. 7. tit. 21. num. 91. & Chaldas Pereira de empt. & vend. cap. 6 num. 18.* dicit, non solum à definitiua, sed etiam ab interlocutoria esse in scriptis appellandum, immo id expresse dicit textus allegatus, & in scriptis porrigenda est iudici; & tenet, licet eam non legat, cap. appellatio 9. eod. in 6. Appellandum ergo est in scriptis, nec sufficit appellare viua voce, & postea appellationem redigere in scriptis, nisi in casu, quo iudex incontinenti interpellatur post latam sententiam, dicendo appellans Notario scribe meam appellationem, quam ore tenus interpono. Ita *Scaccia quæst. 4. de appell. & ex eo Guazin. defens. 36. cap. 19. num. 1. 5. Et quod de Bictis quæst. 146. n. 10.* qui subdunt, appellationem dici factam incontinenti, si appellauit condemnatus antequam iudex discedat à tribunali. Quod si iudex admisit appellationem viua voce factam, tenet, licet in scriptis non sit redacta, *Scaccia quæst. 4. num. 18. de Bictis quæst. 146. n. 9.*

44 In causis regularium appellatio in scriptis non est necessaria, nec eius libellus, quia scriptura est de apicibus iuris in appellatione. Ita *Scaccia quæst. 4. num. 10. 11. & 38. de Bictis num. 11.* qui subdit, eam nihilominus esse in scriptis redigendam, vt de ea appareat in actis, & ita seruandum est.

Quæres 21. An nomen *appellationis* sit de ipsius substantia?

45 ℞. Negatiue, cum alia sint verba idem significantia, vt *prouoco, reclamo, conqueror, &c.* Nihil enim refert, quid ex æquipollentibus fiat. Ita *Scaccia q. 4. n. 19. Nauar cons. 606. n. 1. & 4. de Bictis q. 146. n. 14.*

Quæres 22. An nomen iudicis ad quem sit appellatio sit exprimendum, sicut nomen iudicis à quo appellatur? Videtur exprimendum, quia est correlatiuum iudicis à quo, vt patet ex definitione appellationis, quæ est prouocatio à minori iudice ad maiorem, ergo sicut exprimitur nomen iudicis à quo ex dictis supra n. 40. Ita exprimendum est nomen iudicis ad quem, & hoc maximè ad euitandas æquiuocationes.

℞. Doctores communiter docent, id non esse substantiale, sed appellationem subsistere, dum postmodum potest se declarare electione iudicis, quando plures sunt, ad quos potest fieri appellatio, vnde sufficit dicere, *appello ad iudicem competentem.* Vel, *Ad quem de iure debeo appellare.* Tollendo postea incertitudinem electione vnius de iudicibus, coram quo agendum est. Ita fere omnes *cum Scaccia quæst. 4. num. 46. quæst. 7. n. 4. & 7. q. 9. num. 8. de Bictis quæst. 146. num. 20. 21. & 22.* Itaque ex his colligo nomen iudicis ad quem non esse exprimendum in indiuiduo, & in actu exercito, tanquam quid substantiale appellationis, vtique vero in actu signato, & in genere, cum appellatio essentialiter sit prouocatio iudicis minoris ad maiorem, & cum plures possint esse iudices ad quem, sufficit eorum, expressio in genere, in indiuiduo vero iudicis à quo, dũ ipse solus causam agitauit. 46

Quæres 23. An valeat appellatio facta ad plures iudices?

℞. Affirmatiue, siue omnes sint competentes, siue non, necesse tamen est, quod vnus illorum sit competens, si non omnes, & appellatio in eo casu censetur facta ad eum, qui est competens, ne actus appellationis pereat. Ita *Menoch. cons. 106. n. 165. Aufrer. ad Capellam decis. 475. v. 4. Rota Genuens. decis. 13. n. 24. ex illis Barb. ad cap. cum in Ecclesia 38. n. 3.* 47

Quæres 24. An sit de substantia appellationis in ea exprimere causam grauaminis?

℞. Quod expressio causæ grauaminis videtur de substantia appellationis, nam dicitur in c. 1. de appellat. in 6. quod causa appellationis ponatur in scriptis, ibi: *In quibus appellationis causam exprimat.* Vnde expressio causæ appellationis pro forma habetur. Ita *Tiraq. de iure mariti Glos. 6. 120. Rebuff. in tract. nominat. q. 47. n. 37. ex illis Barb. ad cap. 1. præfatum n. 3.* Id tamen plerique negant etiam vtroque iure *cum Scaccia q. 4. n. 25. & 26. de Bictis q. 146. n. 15. 16. & 17.* qui in pluribus requirunt expressionem causæ. Ea ergo est exprimenda, & quidem rationabilis, & in indiuiduo maxime in interlocutoriis, allegando causam specialem indicantem grauamen. 48

Quæres 25. An in appellatione sit exprimendum nomen querelantis.

Resp. Negatiuè, quia neque in definitione appellationis concurrit. Ita *l. Scio ff. de appellat. Scaccia quæst. 4. n. 30. de Bictis quæst. 146. n. 19.* contra nonnullos. 49

Quæres 26. An appellatio interposita, sed non acceptata a iudice à quo valeat?

Resp. Valere, quia acceptatio non est de eius valore, aliter nulla daretur valida, eo quod iudices id ægrè ferant. Ita *ex cap. Interposita 20. eod. §. Eisdem.* 50

Quæres 27. An iudex acceptans appellationem à se abdicet iurisdictionem?

Resp. Affirmatiuè, expressè cap. Cum appellationibus S. de appellat. in 6. *Anton. Gomez tom. 3. Variar. cap. 13. num. 32. Surd. cons. 424. num. 53. apud Barb. ad dictum cap. num. 4.* 51

Quæres 28. An appellatio quandoque fiat à pari ad parem.

Resp. Negatiuè, quia id est contra eius naturam, & substantiam, cum sit prouocatio à minori iudice ad maiorem, ita quod iudex à quo, & appellans debent esse sub eodem iudice ad quem, ex quo impossibile est dari appellationem à pari ad parem. Ita *Glos. v. si non possunt, cap. Super 27. de offic. deleg. Leonellus decis. 22. num. 9.* 52

Quæres 29. An iudex à quo præfigat terminum ad prosequendam appellationem coram iudice, ad quem reus prouocauit?

℞. Iudex à quo admissa appellatione præfigit terminum appellanti

appellanti accedendi ad iudicem, datis apostolis cum processu, & sententia, & si infra tempus datum non accedat, iudex eo tempore elapso resumit suum exercitium, & causam prosequitur cum executione sententiæ iam datæ. *Ex cap personas 4.cap.aures 33.eod.ibid. Barbosa.* Et licet ponat terminum ad prosequendum, seu potius ad inchoandum effectum appellationis, non tamen ad finiendum, quia id spectat ad iudicem ad quem, cui minor iudex legem imponere non potest, *cap. Ex insinuatione 50. de appellat.*

Quæres 30. Quosnam effectus producat appellatio? & quid sit effectus eius suspensiuus, & deuolutiuus.

54 Resp. Appellationis effectus sunt suspendere omnia acta præcedentia reducendo negotium ad eum statum, in quo ante erat tempore litis contestatæ, & cum tantum suspendat non destruit illa in se subsistentia; suspendit autem iudicis à quo iurisdictionem, ita quod alia in futurum gesta dicantur attentata à iudice ad quem reuocanda, seu potius inualida declaranda ex defectu iurisdictionis, & cum appellatio sit odiosa non suspendit iurisdictionem, nisi in causa, à qua fuit appellatum, deuoluendo cognitionem causæ ad iudicem ad quem. Et ex illis colligitur appellationem duos producere effectus, vnum suspensiuũ omnium gestorum ante appellationem, alterum deuolutiuum causæ ad superiorem, ad quem fuit appellatum; suspendit ergo pronuntiatum, quod nullum effectum producere potest, & deuoluit cognitionem causæ ad superiorem ad quem. Iste autem duplex effectus non reperitur in omni appellatione, nam respectu censurarum non suspendit, quia censuræ suum trahunt effectũ, qui non potest manere in suspenso, sicut in aliis causis, vt dicã infra sub n. 66. producit ergo tunc effectum tantummodo deuolutiuum.

55 Prima pars de effectu suspensiuo iam actorum, vt non deueniatur ad executionem sententiæ, est communis, & deducitur ex tit. Vt lite pendente nihil innouetur *cap. Post 28. 2. q.6. l. Ei cuius 5. & l. Sciendum 6. ff. de appellat. recip.* dicitur, quod appellatione pendente, siue sit recepta, siue non, debet officium iudicis conquiescere, & nihil innouandum, & nihilominus attentata sunt reuocanda à iudice ad quem, & idem expressius dicitur in l.1. ff. Nihil innouari appellatione interposita. Vide Guazin. Defens. 36. c.15. Doctores referentem.

56 Colliguntur ex his plura *Primo*, quod executio sententiæ suspenditur, quia extinguit pronuntiatum, *l. fin. ff. ad turpill. Lancellot. de attent. c.12. in præfat. n.114.*

57 Secundo, suspendit iudicatum, & reducit rem ad eum statum, in quo erat ante contestationem litis *l. ita demum C. de procur. Farinac. q.56. num.20. Scaccia lib. 1. de iudic. cap. 97. n.111. Guazin. Defens. 36. cap.15. n.1. & 2.*

58 Tertio, impedit ne quis dicatur ex sententia infamis, dum appellatio pendet, & potest testari actiue, & passiue, Boërius *consil.1. n.2. apud Guazin. n.1.* Appellatio enim efficit, ne sententia sortiatur suum effectum infamandi, & inhabilitatem ad testamentum.

59 Quarto depositus Episcopus, vel alius ab officio suo, pendente appellatione, potest prosequi suum officium, à quo alias impeditus erat per sententiam depositionis, quæ suspenditur appellatione interposita cum omnibus suis effectibus. Ita Abbas *in c.2. Vt lite pend. n 6. Decius cons. 14. Lancell. de Attent. c.12. n.84. Scaccia q.3. de appellat. n.72. Guazin. Defens. 36. c.15. n.4.*

60 Quinto, priuatus vocibus per sententiam, interposita appellatione legitima, adhuc potest eligere, & eligi, & testificari *Lancell. num. 95. Scaccia num.72. Guazin. num.5.*

61 Sexto, cum appellatio sit odiosa non suspendit omnem iurisdictionem iudicis, sed tantum in causa, à qua fuit appellatum. *Lancell c.12. n.109. Scaccia n.46. Barb. ad cap. Prorosui 24. de appellat. n.2.*

62 Septimo, ex quo appellatio suspendit omnes actus processus, ne interim noceatur reo, appellans propterea non dicitur condemnatus. *Gloss. 11. Sententia, cap. Sæpe 44. de appell. per l. 2. §. fin. ff. de pœnis.* Et integer est status eius, vt interim fungatur honoribus, quibus non fungeretur, si appellationem non interposuisset, *l. Interposita ff. de appell. l. V. §. Integer ff. Nihil innouand.*

63 Secunda pars de effectu deuolutiuo, patet ex eo, quia cum per appellationem sit suspensa iurisdictio minoris iudicis, per recursum appellantium ad maiorem, necesse est, quod cognitio causæ deuoluatur ad maiorem iudicem, cuius partes erant examinare processum, & sententiam latam à minori iudice, an processerit seruato debito ordine, & pro reo sententiam ferre, si ita exigant merita causæ. Deinde debet postquam habuit cognitionem iniquitatis & iniustitiæ factæ à minori iudice, reuocare ea omnia, quæ post appellationem attentauit contra appellantem. Posita ergo legitima appellatione, & cognita causa per maiorem iudicem reuocantur ab eo attentata post appellationem, vt docent omnes cum *cap. Non solum 7. de appellat in 6. Duenas reg. 42. Afflict. decis 98. Couar. pract. cap. 23. numer. 1. § Prima cogitur cum aliis Barb. ad dictum cap. numer. 2. Layman lib. 3. fine, num. 5. Melfius de pœnis par. 2. cap 26. q. 2. Vers. Ideo stante.*

64 Dixi hos duos effectus suspensiuum, & deuolutiuum non semper concurrere, sed quandoque dari deuolutiuum sine suspensiuo, vt in causis censurarum, de quibus mox dicam, & id notat Layman *in fine dicti lib. 3. n. 5. vers. Deuolutiuus, Spathar. tract. 10. de appellat. c. 3. n.5. de Bictis q. 154. n.13.* vbi ait, appellationem subsistere posse cum solo effectu deuolutiuo sine suspensiuo etiam in aliis casibus, præter censuras, subdens n. 14. clausulam: *appellatione remota*, non tollere effectum deuolutiuum, sed tantum suspensiuum, *citatis aliis cum Scaccia q. 16. limit. 1. n.105. vers. declara.*

65 Quæres 31. An, & quomodo appellatio habeat locum contra censuras. Quæ sunt excommunicatio, suspensio, & interdictum. Pari autem passu currunt, *cap. licet. 14. de sent. excom. in 6. 11. Excommunicationis, Nauar. cap. 27. n.159 & 168. Angelus, & Silu. 11. Suspensio 2. n.3.* Vnde quod dicitur de vno intelligitur de alio. Nota præterea, quod quandoque suspensio non est censura, sicut nec interdictum, sed simplex pœna priuatiua, vnde appellatio contra eum sortitur suum effectum suspẽdendi, & deuoluendi ad superiorem, vt docet Franch. *in cap. Ad hæc 37. de appell. n.3. Scaccia q.3. n.67. & 68. & 78. & q. 57. limit. 22. n. fin. Barb. ad dictum cap. num.2.* Et sic suspensio pura pœna, non censura, à beneficio à Pontificalibus, vsu pallij, posita appellatione impeditur à suo effectu, vt aiunt præcitati.

66 ℞. Appellatio præcedens incursionẽ censuræ tam latæ sententiæ, quam ferendæ impedit efficaciter futuram incursionem censuræ excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ac proinde attentata censura, & eius declaratio nullius est momenti, impediente appellatione præcedente. Appellatio vero sequens iam incursam excommunicationem, seu aliam censuram, non suspendit effectum ipsius censuræ, sed in suo robore ac si appellatio non fuisset interposita, remanet, vnde nec impedit sequentem denuntiationem, in duobus autem casibus prodest appellatio, primo quo ad effectum deuolutiuum, secundò, si contineat errorem intolerabilem patenter talem. Appellatio verò facta directe contra declarationem censuræ, incursæ, sortitur suum effectum, hoc est, suspendit effectum cedulonis, ne affigatur, & si fuerit affixus, remouendus est, ac proinde interposita legitime appellatione à declaratione, potest appellans ea omnia facere, quæ poterat facere ante declarationem, ac si non fuisset declaratus. Demum in concursu appellationis, & censuræ, quid horum fuerit prius, præsumitur pro foro conscientiæ præcessisse censuram, in foro externo appellationem. Singula sunt explicanda, & probanda.

67 Prima pars, quod appellatio præcedens impediat futurã incursionem censuræ, colligitur, *ex cap. Ad hæc 37. cap. Præterea 40 cap pastoralis 53. de appellat. c.15. cum 20. de de sent. excom. in 6.* vbi dicitur, quod sequens appellatio nõ suspendit censurã, ergo à contrario sensu, præcedens illam impeditur, ne sortiatus suũ effectũ. *Scaccia q.72 limit. 22. num.54.*

num. 54. Barbosa ad dictum cap. Pastoralis Idem dic de appellante à comminatoria, seu ab eius præcepto, cuius transgressionis non sit reus interposita appellatione antequam tempus prætereat adimplendi præceptum. Ita *Saccia quæst.* 71. *limit.* 22. *num.* 47. *Franch. in cap.* 1. *in cap. cum ad præsentiam* 16. *in cap. Dilectis* 55. *de appellat. Barbosa lib.* 2. *voto* 34. *n.* 98. asserentes vtrumque effectum suspensiuum, & deuolutiuum producere appellationem præcedentem incursionem censuræ, itavt si post appellationem iudex procedat ad ferendam sententiam excommunicationis, nihil agat, & nulla sit attentata excommunicatio, supposito semper, quòd appellatio sit legitime interposita. Sayr. lib. 1. de cons. c. 16. n. 18 quā plures referens Doctor. & in hoc nullus contradicit.

Secunda pars, quod appellatio præcedens impediat etiam attentatæ excommunicat. declarationem, patet ex eo, quod declaratio supponit veram existentiam censuræ, quæ tamen non existit, vt probatum est, cum fuerit impetita per interpositam appellationem, ergo neque illius declaratio impedita non solum per appellationem, quæ tollit omnia sequentia, sed etiam per nullitatem ipsius censuræ, declaratio enim non habet locum, vbi nihil existit. Vnde nec sic excommunicatus contra appellationem vitandus est, dum neutrum subsistit. Ita *Peyrin. de de subd. q.* 1. *c.* 20. §. *Vn. vers. si vero.*

68 Quare interim celebrans non fit irregularis, quia reuera suum officium non exercuit cum censura. Ita *Sayr: lib.* 1. *c.* 16. *in Addit. post num.* 18. §. *Adde*, *Couarr. in cap. Alma par.* 1. §. 7. *num.* 7. *Lancell de Attent. part.* 2. *cap.* 12. *ampl.* 8. *num.* 7. *cum aliis Barb ad cap. Solet* 2. *de sent. excom. in* 6. *n.* 11. *Suarez disp.* 3. *de cens. sect.* 6. *n* 2. *cum aliis Barb. ad cap.* 40. *num.* 4. asserentes, remanere immunem à peccato, & censura, si legitima fuit appellatio.

69 Tertia pars, quod appellatio facta contra censuram iam incursam, nihil prosit quo ad effectum suspensiuum, sed censura, & excommunicatio remaneat in suo robore, habetur *cap Pastoralis* 53 § *Verum*, vbi excommunicatus non obstante sequenti appellatione, talis adhuc remanet, *& cap.* 15. *cui* 20. *de sent. excom.* vbi hæc non suspenditur per appellationem, *cap Ad hæc* 17. *de appellat.* vbi sententia interdicti non suspenditur per appellationem. Ratio horum est, quia lata censura secum inseparabiliter trahit executionem, ex eodem §. Verum, cum ergo non possit executio censuræ manere in suspenso, sicut in aliis sententiis, necesse est, quod excommunicatio cum aliis censuris secum trahat executionem. Et in hoc omnes conueniunt, cum Canones præcitati clare loquantur. Ita *Farinac. quæst.* 101. *num.* 66 *& sequentibus Scaccia quæst.* 71. *limit.* 12. *alios plures refert Barb. ad dictum cap. Pastoralis* 53. *de appellat. num.* 5. Appellatio igitur sic interposita post latam sententiam nullo modo fauet appellanti quo ad effectum suspensiuum, vnde nec potest exequi officium suum per censuram impeditum. Ita *Canon. in cap. Sæpe* 44. *de appell. Lancell cap.* 12. *limit.* 21. *num.* 99. *Scaccia quæst.* 3. *num* 76. *Barb ad dictum cap. num.* 7. Neque ipsa appellatio directa tantum contra ipsam excommunicationem impedit eiusdem declarationem, & denuntiationem, nisi contra eam expresse dirigatur vt mox dicam. Ita *Duenas reg.* 42. *limit.* 8. *Nauar. in cap. cum contingat de rescript. remed.* 7. *vers. Et ne demireris*, *cum aliis Barb. ad dictum cap. Pastoralis* 53. *de appell. num.* 6.

70 Quarta pars, quod appellatio prosit censurato quoad effectum deuolutiuum, astruitur ab omnibus *cum Scaccia quæst.* 71 *limitat.* 22 *num.* 34. *Barb. ad cap.* 53. *n.* 5. *Guazin. Defens.* 36. *cap.* 6. *num.* 1 §. *Secus.* Vnde potest iudex ad quem absoluere illum vel remittere ad iudicem à quo, vt præcitati docent.

71 Quinta pars, quod appellatio prosit etiam quoad effectum suspensiuum, quando continet errorem intolerabilem, vt excommunico te, quia dedisti eleemosinam, quia non occidisti tuum inimicum &c. est communis, neque enim talis sententia subsistit, ideo mirum non est, si ei non defertur, dum enim non est, nec executionem potest habere paratam, quia non entis nullæ sunt passiones, & qualitates. Ita *Scaccia. q.* 71. *lim.* 22. *num.* 54. *Guazin. Defens.* 36. *cap.* 6. *num.* 4.

72 Sexta pars, quod detur efficax appellatio contra declarationem censuræ, suspendens eos effectus, qui sequuntur ad declarationem, nempe denuntiationem, est communis, potest enim iudex, qui declarauit, fuisse deceptus, ideo admittitur appellatio, inquit *Sperell. decis.* 48. *num.* 9. *multis ab eo citatis, Suarez disp.* 3. *de cens. sect.* 6. *num.* 6 *Bonac. disp.* 2. *q.* 2. *part.* 1. §. 1. *num* 2. *vers* 4. *Gutier. lib.* 1. *quæst.* 50. *num.* 2. *Farinac. quæst.* 101. *num.* 67. *Guazin. Defens.* 36. *cap.* 6. *num.* 3. *Genuens. cap.* 22. *num.* 1. *Sanchez lib.* 3. *opuscul. dub.* 32. *num.* 243. Per hanc igitur appellationem directam contra declaratoriam non tollitur, nec suspenditur ipsa pœna censuræ iam incursæ, vt patet supra, & præterea quia appellatio limitatur ad ipsam declaratoriam, cuius effectus erat, vt sic declaratus excommunicatus posset à iudice denuntiari per cedulonem, vt ab omnibus euitaretur, vnde posita huiusmodi appellatione, non solum prohibetur iudex ab affixione cedulonis, sed etiam affixam cogitur remouere, cum caruerit potestate vlterius procedendi. Ita *Genuens. cap.* 22. *num.* 1. *&* 2. *Sanchez lib.* 3. *consil. dub.* 32. *num.* 243. *quos citat. Thesaur. Societatis de pœnis Eccles. part.* 1. *cap.* 25. §. *Tertio*, subdens, quod ea appellatione pendente nemo tenetur excommunicatum vitare, *ex eodem Sanch dub* 33. *fine*, *Auila part.* 2. *cap.* 5 *disp.* 5. *dub.* 11. *concl.* 3. *Gutier. lib.* 1. *cap.* 50. *num.* 2. *Sperellus decis.* 48. *num.* 9. *vers. A. proinde Bonac. disp.* 2. *de cens. quæst.* 2. *p.* 1. §. 1. *num.* 6.

73 Habeo non leuem difficultatem, nam ratio, cur detur appellatio contra declarationem, & non contra ipsam censuram, ea est, quia iudex in declarando potest errare, seu decipi; sed hoc idem contingere potest in sententiando, quem incurisse in excommunicationem siue iuris, siue hominis, multæ enim dantur causæ excusantes ab incursione censurarum, ergo non minus potest decipi iudex in sententiando, quam in declarando, ergo sicut ad tollendum errorem in declarando admittitur vtilis appellatio, quare non est admittenda contra sententiam censuræ.

74 Respondeo nihilominus, cum deceptio, & error semper se teneant ex parte facti, non ex parte iuris hinc desumitur ratio differentiæ, quod appellatio non datur contra sententiam iuris, quia in ea nullus supponitur error nec grauamen, sed tantum ex parte declaratoriæ, quæ respicit factum, in quo iudex potest decipi.

75 Septima demum pars de conuersa excommunicationis, & appellationis eodem momento, quòd in foro animæ præferatur excommunicatio, & in foro fori appellatur, docetur *à Scaccia quæst.* 17. *limit.* 22. *num.* 57. *Barb. ad cap. Ad præsentiam* 16. *de appell. num.* 5. Bonac. *disp.* 1. *de cons. quæst.* 2. *p.* 2. §. 1. *num.* 5. *cum Couar. Sanchez, & Sayro* putant, præsumendum esse pro excommunicatione, quia pro ea stat possessio, & de eius excusatione dubitatur.

76 Restant nonnulla dubiola discutienda. *Primum*, an appellatio facta contra declarationem incursæ excommunicationis, vel alterius censuræ restringatur ad excommunicationem latam tantum ab homine, an etiam extendatur ad latam à iure? *Secundum* an, ad ferendum sententiam incursæ censuræ sit reus citandus. *Tertium*, an appellatio sit interponenda infra decem dies, an vlterius differri possit. *Quartum*, an huiusmodi appellationes prosint in foro animæ? *Quintum*, cur in censuris potest appellari ante sententiam, & non in aliis, prohibetur enim appellatio ante sententiam, cap. Super eo 12. de appellat.

77 Primo respondetur, appellationem suspendere declarationem censuræ latæ tam à iure, quam ab homine, cum enim omnis excommunicatio, & censura eosdem pariat effectus siue sit ab homine, siue à iure, & eandem admittat declarationem, non est maior admittendi appellationem

nem in vna, & non in alia. Ita *Domin. Anchar. Franch. in cap.* 15. *cui, de sent. excom. in* 6 *quos sequitur Genuens. c.* 22. *num* 1. *Thesaurus de pœnis par.* 1. *cap.* 25. §. *Tertio.*

78 Secundo, index non potest reum declarare incurrisse censuram nisi prius ab eo citetur, quare non debeat declarari excommunicatus, declaratio enim aggrauat reum, qui non potest in foro externo, neque interno valide exercere nonnullos actus, vt censurare, absoluere &c. Ita *Menoch casu* 541. *num.* 7. *& casu* 543. *num.* 27. *&* 28. *Cartar. decis* 61. *num.* 38. *&* 39. *Conrlin. cap.* 147. *num.* 39. *Baronius in Addit. ad q.* 17. *num.* 10. *&* 11.

79 Tertio, appellatio à declaratoria facienda est infra decem dies iuxta dicta sub numer. 11. Si vero sermo sit de appellatione contra futuram excommunicationem, sub qua præceptum fuit aliquid præstandum intra tale tempus, ea fieri potest infra illud tempus antequam purificetur conditio, aut adueniat illud tempus, in iis enim, quæ habent tractum successiuum vt ibidem dixi, non habet locum tempus decennij. Ita Vgolin. de censur. *Tab.* 1. *cap.* 13. §. 18. *num.* 10. *Sair. lib* 1. *cap.* 16. *num.* 24. *Barb. ad cap. Præterea* 40. *de appell. numer.* 4. *plures citans, Bonac. disp.* 1. *de cens. quæst.* 2. *p.* 2. *numer.* 8. *vers. sed iuxta.*

80 Quarto, huiusmodi appellationes si sint iustæ, & legitimæ nulli dubium est, quod prosunt pro foro conscientiæ, vt si reuera non peccauit mortaliter, vel bona fide, aut ex ignorantia inculpabili fuit transgressor &c. & non tantum pro foro externo, in quo prosunt, esto non essent vndequaque legitimæ e. g. declaratus excommunicatus nulla præmissa citatione esto reuera sit clerici percussor, potest appellare contra declarationem ex causa ordine iuris essentiali non seruato, & prodest excommunicato, in quantum non potest denuntiari per cedulones, ne cum aliis valide agat. Dico *valide*, quia certum est ipsum illicite. & cum peccato agere, quia huiusmodi appellatio prodest illi magis in ordine ad alios. quam ad se ipsum, vt patet in excommunicato tolerato, qui aliis prodest absoluendo, si est confessarius, sed ex parte sua peccat, quia excommunicatus licet nondum denuntiatus.

81 Prodest etiam sibi soli e. g. incendiarius positâ declaratione excommunicationis a solo Papa absoluitur *cap. Tua nos* 19. *de sent. excom. Sayr. lib.* 3. *cap.* 29. *numer.* 7. *Barb. hic num.* 2. si interponat appellationem à declaratione huiusmodi suspenditur reseruatio, vnde sibi etiam prodest appellatio, & non tantum aliis. Vnde Nauar. tom. 4. in cap. Cum contingat remed. 6. num. 8. mihi videtur bene locutum, dum dixit, per appellationem non posse quem denuntiari excommunicatum, quia in plus ligaretur non solum quo ad alios, sed etiam quo ad se dum non potest absolui incendiarius post declarationem, nisi à Papa, ante eam vero non erat reseruata absolutio incendiarij, & poterat valide exercere iurisdictionem, non vero post denuntiationem, ergo denuntiatio semper in plus ligat, quam faciat excommunicatio, non solum relatiue ad alios, vt illum euitent, sed etiam in ordine ad se, dum post denuntiationem non potest exercere valide
82 aliquem actum iurisdictionis. Ex quo patet, Extrauag. *Ad euitanda* in foro conscientiæ in nullo releuare excommunicatum siue ante, siue post denuntiationem, vtique vero releuare eum in foro externo ante denuntiationem Genuens. cap. 22. num. 2. impugnat supradicta, cui per nos sufficienter est satisfactum. Guazio. *Defens.* 36. *cap.* 6. *num.* 5. *& Scaccia quæst.* 17. *limit.* 21. *num.* 12. dicunt, non posse excommunicatum denuntiari, quando in plus ligatur, vtique vero, si non in plus ligatus, non obstante appellatione; sed hæc distinctio superflua est, cum excommunicatus per denuntiationem inualide operetur multa, quæ ante denuntiationem valide agebat.

Quæres 32. An liceat appellare à pœna legis?

83 ℞ Negatiue, quia hoc nihil aliud est, quam dicere legislatorem inique pœnam statuisse, quod manifeste falsum est. Ita *Farinac. quæst.* 101. *numer.* 65. Ab eius vero declaratoria licet. *Roman. sing.* 224. *apud eundem.* Faciunt dicta praeced. quæst. sub num...

Quæres 33. An appellatio negari possit manifestis latronibus, seditiosis, & capitibus factionum?

84 ℞ Potest, & in aliis casibus, in quibus reipublicæ interest citius expedire causas *l. si quis filio*, § *Hi autem, fine, ff de iniust. rupt. & irrit. testam.* Farinac *quæst.* 101. *num* 53.

Quæres 34. An officialis qui deliquit in suo officio, condemnatus possit appellare?

85 ℞ Negatiue, *ex l. Nulli*, C. *quorum appellat.* Ratio est, quia iura præsumunt contra officialem, quod deliquerit, ex quo est condemnatus. Intellige, quando in officio suo deliquit. *Farinac. quæstio.* 101. *numer.* 83. *ad* 88.

Quæres 35. An detur appellatio à sententia syndicatus?

86 ℞ Non dari, quando officialis minor syndicatur à suo superiore vt tradunt multi *cum* Farinac. *quæst.* 101. *à num.* 89. *ad* 94.

Quæres 36. an à sententia simoniæ possit appellari?

87 ℞ Simoniacus appellat, quando est occultus, non vero quando est notorius, vel confessus, appellat quoque à sententia collationis beneficij vacantis propter simoniam. *Farinac. q.* 101. *n.* 47.

Quæres 37. An in crimine raptus detur appellatio?

88 ℞ Non datur respectu principalis raptoris, si manifestis probationibus est conuictus, & mulier fuit cognita, alias datur. *Farinac. q.* 101. *n* 48. *ad* 51.

Quæres 38. An detur appellatio in crimine falsæ monetæ?

89 ℞ Negatiue, siue sit conuictus, siue confessus, *ex l.* 1. §. 1. *C. de falsa mon. cum aliis* Farinac. *quæstio.* 101. *num.* 52.

Quæres 39. An in omnibus casibus, in quibus à iure prohibetur appellatio, sit in arbitrio iudicis eam interpositam à reo admittere?

90 ℞ Quamuis iudex interpositam appellationem in dictis casibus non teneatur admittere, si tamen illam admittat, vt potest, prodest appellanti, ac si non fuisset prohibita, quia licet lex prohibeat reis appellationem in certis casibus, non ideo tamen vlterius procedit interdicendo iudicibus propositam illis appellationem. Ita *Anton. Gomez de delictis cap.* 13. *numer.* 32. *Scaccia de iudic. lib.* 1. *cap.* 97. *numer.* 124. Farinac. *quæstio,* 101. *num.* 106.

Quæres 40. An in illis casibus, in quibus prohibetur à iure appellatio, reus omnino excludatur à quibuscunque remediis?

91 ℞ Nequaquam, nam primo potest recurrere ad superiorem per modum supplicationis, & querelæ. Ita *Decian. lib.* 8 *cap.* 9. *num.* 17. *Roland. lib.* 1. *cons.* 94. *num.* 2. Grammat. *decis.* 35. *num.* 4. *Farinac. quæst.* 101. *num.* 105. Secundo supersedetur à iudice in executione, quando iudex ad quem est dubius, an sit admittenda appellatio, *ex citatis à Farinac. num.* 109. Tertio potest reus appellare, quando iudex excedit in pœna, *ex eodem numer.* 110. Quarto interdictus appellare non prohibetur dicere de nullitate, *num.* 111. Quinto, prohibita appellatio non censetur prohibita, vbi constat notorie de iniustitia sententiæ. Canon. *in cap. Inter cæteras* 11. *de sent. & re iud. ibi Barb.* Farinac. *quæst.* 101. *num.* 112. qui num. 113. ait prohiberi ap- 92 pellationem in criminibus violentiæ, raptus, hæresis, falsæ monetæ, seditionis, insignis latrocinij, assassinij, simoniæ. Intellige, quando reus ore proprio confessus fuit legitime, aut legitimis probationibus conuictus, aut in fragranti crimine, repertus, nam sola criminis atrocitas non sufficit ad prohibendam appellationem, ne detur occasio iudicibus ferendi iniquas sententias.

Quæres 41. Quid importet illa clausula: *Appellatione remota* ? quod faciet ad intelligentiam mox dictorum. Suppono, solum Principem superiorem non recognoscentem ea clausula vti posse, ex adductis à Barb. Claus. 9. num. 2.

93 ℞ Hanc clausulam remouere friuolam appellationem, non legitimam. Ita *Menoch. de arbitr. casu* 197. *num.* 2.

cum aliis Barbosa ad cap. Pastoralis 53. *num.* 2. *& alios plures Clauf. hac* 9.*num.*10.15. qui in feq.16. ad 19. excepit duos, primum, quando datur Cardinali, quia tunc remouetur etiam iufta, & legitima; fecundum, vt etiam vtraque remoueatur in priuilegiis conceffis religionibus, fecundum *Rodrig. tom.*1. *quaſt.* 8. *art.*15. Si tamen conftat notorie de grauamine non extenditur ad legitimam, & iuftam, *ex ibidem allegatis num.*10. Non tollit fupplicationem ad fuperiorem, nec illius recufationem, ex ibi dictis. Immo nec tollit legitimam appellationem, quando appellans exprimit iuftam caufam, *fecundum Glof.* 11. *Mandetur cap.* 3. *de appell. in* 6. *vbi Barb. num.*15. *citat. Couar. in practicab. cap.*15.*num.*1.*& cap.*23. *num.*5. *verf. fecunda conclufio.* Super eadem claufula vide Paulum, Rubeum plora dicentem clauf.7.& 171.

94 Caufa habens plures articulos connexos commiffa cum hac claufula, fi exprimatur in vno, intelligitur pro omnibus aliis, propter connexionem, ex cap. fecundo 41. de appell. quia claufula in medio pofita refertur ad præcedentia, & fequentia, ficut pofita in fine refertur ad omnia præcedentia, ex allegatis à Barb. hic num.3. Quando negotia funt diuerfa non habentia ad inuicem connexionem, claufula hæc: *Appellatione remota*, fi fuit pofita in medio, refpicit folum fuperiora, fi vero reperiatur in fine refpicit omnia, *cap. Inquifitioni* 71 *de appellat.*

Quæres 42. An ftatutum fiat ab Epifcopo, vel regulari prælato, ne reus appellet ante fententiam? Canones ante, vel poft fententiam concedunt appellationem, leges negant id ante fententiam, *cap. fuper* 12. *de appell.*

95 ℞ Poteft fieri, quia poft fententiam appellatione interpofita poteft reparare omne damnum per fententiam illatum; ex quo fequitur ftatutum non poffe habere locum in cenfuris, quæ continent damnum irreparabile, iuxta dicta fub num.66. ideo reftringitur tantum ad fententias corporales, quarum pœnæ funt fufpenfibiles, & reparabiles. Vide cap.feq. q.10.fine.

Quæres 43. An iura prohibentia appellationem fint odiofa, ac proinde ftricte interpretanda?

96 ℞ Affirmatiue, quia lædunt libertatem fe defendendi, quod cuique eft naturale, vnde appellatio intelligitur conceffa in omnibus cafibus, in quibus expreffe non eft prohibita, vt dicunt *Tiraq. de priuileg. pia caufa* 153. *Surd decif.*27. *num.*4. *Genuenf. in Practicab. quaſt.* 319. *Barb. ad cap. vt debitus* 59 *num.*3. vbi quod iura prohibentia appellationem dicuntur odiofa, ac proinde ftricte interpretanda, *cum eodem Surdo decif.*102.*numer.*1. *alios referens idem Barb. Clauf.*9 *num.*6.

Quæres 44. An detur appellatio contra leges, & canones?

97 ℞ Non datur, & attentata nullius eft momenti, quia ius neminem grauat, *cap. confului* 29. *de appellat. Franch. hic num.*3. *&* 4. Vnde nec fufpendit lata contra geftum fecundum ius, *ex Maranta par.*6.*tit. de appell. num* 345. *Gutier. conf.*10.*num.*21. Et fic nec à pœna legis appellatur, *vt dixi quaſt.*32. licet vero ab eius declaratione appellare quo ad vtrunque effectum, *Nauar. in cap. cum contingat* 15 *cauf. nullit. Gutierez conf.*10 *num.*16. *Barb. ad dictum cap num.*2.

Quæres 45. An appellari poffit ab executore mero?

98 ℞ Negatiue, nifi excedat modum executionis *cap. fuper eo* 12. *cap. confuluit* 29. *ab executore iuris*, *& cap. Noluit.*43. *de appellat.* quia non motu proprio procedit, fed de mandato iudicis exequitur, non enim cognofcit de caufa, fed tantum exequitur fibi mandatum à iudice; vnde non executor, fed iudex, qui cognouit, infert grauamen, à quo reus debito tempore debebat appellare. Ita Nauar. *in cap. cum contingat*, *de refcript. Nullit.* 10. *num* 9. *Scaccia de appell. quaſt.*17. *limit.*11. *Mar. Anton. lib.*1.*refol.*52.*num.*2. eft tex. expreffus *in l. Ab executore C. quorum appell. non recipitur.* Nifi fiat exceffus in modo exequendi, tunc enim licet appellatio, quia grauatur tunc ab executore, non à iudice, *ex allegatis à Barbofa fuper dictum cap.*12.*num.*3.

Quæres 46. An poffit reus à correctione appellare?

℞ Non poteft religiofus, nec quiuis alius appellare à 99
correctione legitime facta à fuperiore, nifi excedat modum corrigendi, quia appellatio non debet fauere delinquentibus. Expreffe *cap. Ad noftram* 3. *cap. quia nos* 32. *de appellat. & cap. De priore* 31. *eod.* vbi expreffe dicitur, quod appellatur, quando exceffus eft enormis. Vide Doctores quos Barbofa citat fuper dictis capitibus. Iterum infra cap.feq. de appellatione religioforum.

Quæres 47. An iudex non admittens legitimam appellationem fit puniendus à fuo fuperiore?

℞ Quando conftat clare de legitima appellatione iudex 100
eam recufans admittere punitur depofitione, *ex cap. Dilecti* 1. *ibi Glof.*11. *Grauem de appellat. Scaccia q.* 17. *de appell. limit.*22. *numer.*54. *ad* 57. *cum aliis Barb hic num.*4.

Quæres 48. An valeat generalis appellatio facta fuper omni caufa quæ contra appellantem poffet aliquo tempore deinceps moueri?

℞ Negatiue, quia à futuro grauamine non licet ap- 101
pellare, nifi fit irreparabile, vt in cenfuris, & carcere, vel nifi effet iam comminatum. Expreffe *cap. Inter cætera* 2, *de appell. quaſt.*5.*à num.*114. *ad* 115.*Barb. hic numer.*2. Si tamen generalis reftringatur ad certam caufam, expreffe *cap. confuluit.*18.*eod.*

Quæres 49. An detur appellatio à captura, & carceratione?

℞ Non datur quo ad actum fufpenfiuum, fed tantum 102
quo ad actum deuolutiuum, in quantum fcilicet, pofita appellatione de iniufta carceratione, adhuc captus carceratur, & acta proceffus transferuntur ad iudicem appellationis, vt videat quid concludendum fit. Ita refponfum fuit à Sacra Congreg. interrogata fuper cap. 1. Seff. 13. & cap. 20. feff. 24. in quibus locis difponitur, ne Epifcopi teneantur deferre appellationi ab interlocutoria ante definitiuam, nifi in cafu, quo grauamen huiufmodi per definitiuam fententiam non poffit reparari, vel nifi ab ipfa definitiua appellari poffit. Refponfum autem extendit Riccius *par.* 2. *refol.* 114 *citatur à Ciarlin. cap.* 125. *num.*65. A pœna autem carceris non appellatur, *vt dixi cap.*66.*quaſt.*7.*num.*13.

Quæres 50. An detur appellatio à tortura?

℞ Datur, quando delictum non eft femiplene proba- 103
tum, quia tunc infert graue damnum, & illud irreparabile, vt dixi cap.78. quæft. 21. verum quidem eft, quod fuper ea faciendũ eft decretũ, & ftatim reus ducendus eft ad locum tormentorum, & torquendus, vt docet *Ambrof. lib.*3 *de modo form. proceffum cap.*1. *numer.*26. palam tamen illud decretum in proceffu regiftratum minime interponendum, ne reo detur occafio appellandi, *ex Claro, & Ambr. num.* 27. *ex illis de Bictis Praxis quarta num.*56.

Quæres 51. Coram quo iudice fit appellandum?

℞ Appellatio regulariter facienda eft coram iudice à 104
quo, qui fententiauit, alias eft nulla quo ad vtrumque effectum; cenfetur autem facta coram eo, fi illi notificetur ante lapfum temporis decendij.

Prima pars, de appellatione facienda coram iudice qui 105
fententiauit, patet, quia cum per appellationem reus intendat tollere grauamen illatum, vel comminatum, neceffe eft vt appellatio innotefcat ei iudici, ne vlterius procedat, fciens eius iurifdictionem effe fufpenfam, & caufam ad maiorem fuperiorem effe deuolutam. Ita *Gutier. pract. lib.*1.*quaſt.*102.*num.*1. *Lancell. de attent. par.* 2. *cap.* 12. *ampl.*15. *Scaccia quaſt.*6. *de appel. numer.* 6. *Rota apud Farinac. par.* 2. *Recent. decif.* 196.*n.*3.

Secunda pars de nullitate afferitur à prædictis, & aliis 106
citatis à *Barbofa ad cap fuggeftum* 15 *de appell. num.*5 *& cap. fin. num.*17.

Tertia de notificatione conftat, quia licet ante fuerit 107
expofita, & in fcriptis redacta etiam præfentibus teftibus, tamen notificanda, & intimanda eft iudici à quo, aliter non dicitur facta, valet ergo facta in abfentia, fi poftea notificetur iudici. *Lancell. de Attent. appell. pend. cap.*12. *ampl.*15. *num.*11.*&* 21. *Barb. ad cap. fi duobus* 7. *num.*3.

Antequam

Antequam transeat decendium. Ita *Vitalin. in Clem.1. de appellat.num.20.col.2.Rum.lib.4. cons.113. numer.18. Gratian. Discept.10.num.9.*

Quæres 52. An apppellatio facienda sit coram iudice, qui se absentauit casu, vel ex industria se abscondit, ne sibi notificaretur appellatio?

108 ℞ In eo casu facienda est coram personis honestis, *cap.fin.de appellation.* Hoc est, ad minus coram vna persona honesta appellatio facienda est, notario scribente, duobus testibus rogatis ad id, & intra decendium. Ita *Abbas in dicto cap.col 1. Lupus alleg 58.num.8. Lancell. de Attent.appell pend amplet 3.cap.12.num.9. & 16. ex illis Gratian. Disceptat. 10. num 17.cum aliis Barb. ibidem, num.21.* Vir bonus, & honestus debet esse ille, coram quo fit appellatio, ergo etiam excommunicato facta non valet, *Menoch. de Arbitr. casu 69. Barb.numer. 20.* Inserenda autem est causa absentiæ, propter quam impeditur appellare, *Capella Tholos.decis 300. Ioan. Bapt. Certa de remed.subsid.remed.60.numer.4. Barb. num.20.*

Quæres 53. An reus intuitu metus possit appellare coram bonis personis?

109 ℞ Reus, qui vere non est contumax, appellare potest, eo modo quo dictum fuit de appellante à iudice se absentante, *cap.fin.de appell.* iusto igitur existente metu non comparendi coram iudice in loco sibi non tuto potest appellare, & in hoc conueniunt omnes, metum debere esse iustum, & cadentem in constantem virum. Iustus autem metus multis dicitur modis, quos refert *Barbosa hic à num.3. ad 17.* Si autem non constat de metu, vel absentia iudicis nulla est appellatio, quæ alio respectu non dicitur subsistere nisi metu, vel absentia illius subsistentibus, *ex allegatis à Gratian. cap.10. numer. 1.* Vnde causa metus allegata in tenore appellationis probanda est, vt illa subsistere possit.

110 Dixi, *qui vere non est contumax* quia huius appellatio non admittitur *l. Properandum 11. §. sin autem C. de iudic. num. 41.* Barb. ibi: *Cum ei, qui contumaciter abesse noscitur, nulla sit prouocationis licentia.* Hoc est, verus contumax, non fictus, *ibidem num.42.* In casu autem præsenti absens ob metum non dicitur contumax, quamuis citatus non compareat ob metum, *ex dictis cap. 86. quæst.3.*

Quæres 54. An reus appellatus ad locum non tutum possit appellare?

111 ℞ Affirmatiue, etiamsi in citatione exprimatur clausula: *Appellatione remota,* habet enim rationabilem causam non comparendi, expresse *cap.Ex parte 47. eod. ibidem Barb.num.2.3.& 4.* referens causas loci non tuti, vt pestis, vltra mare, bellum, aer corruptus, si locus redderetur suspectus ex culpa rei, *Mascard. concl.19.num.5.& 7.apud Barb.ibidem.* Vt si religiosus sit reus in foro laicali, citatus à suo superiore in eodem loco, appellare potest, quia non est tutus accedendo illuc cum periculo vt capiatur à iudice laico, vbi ex abusu Ecclesiastici solent puniri.

Quæres 55. Quid debet facere iudex quando reus ab eo appellat?

112 ℞. Debet considerare an appellatio sit legitima, an friuola, antequam eam admittat, habet autem triginta dies ad deliberandum, an appellationem admittat, necne; debet autem ei præfigere terminum ad prosequendum admissam appellationem, quo elapso si nihil incæpit agere, tunc faciat decretum super desertione causæ, & procedat ad executionem sententiæ.

113 Prima pars, de cognitione appellationis, patet ex eo, quia cum respondere teneatur per verbum Admitto, vel non admitto, necesse est prius scire an sit legitima, & sic eam admittere, an friuola, & sic eam negare, & non admittere. Verum quidem est, quod non potest iudicare, esse legitimam, vel friuolam, cum id spectet ad iudicem, ad quem fuit appellatum *Scaccia quæst. 10. de appell. à num. 1.ad 4.de Bictis quæst.148.num.24.*

114 Secunda pars de spatio triginta dierum colligitur *ex cap Ab eo 6.de Appell.in 6.Lancell.par.2.de Attent. cap. 12.num.53.Scaccia quæst.13.de appell.num.42. Barb. hic num. 4.* Incipiunt autem currere à die sententiæ latæ, vt ib *dicit Glos.11.Triginta dies, Mysinger.Cent.4. obseru. 56. Expressè, l. Iudicibus 24.C.de appellat.* Nihilominus praxis est in contrarium, vt illi dies incipiant currere à die appellationis, *ex Lancell.num.2.& 3.Scaccia num.83. Barb.num 4 de Bictis quæst.148. num.35.in fine.* Et cum hoc tempus sit in commoditatem iudicis, in eius est libertate limitare illud & respondere admittendo, vel negando appellationem, vt infra dicam de dandis Apostolis ad comparendum coram iudicem, ad quem fuit appellatum.

Tertia pars de præfigendo termino ad prosequendam appellationem admissam traditur ab omnibus *cū Scaccia quæst.11.num.166.de Bictis quæst. 148. numer.26.* Iudex autem tempus à se datum prorogare potest, vel restringere iuxta causæ exigentiam, *ex allegatis à Barb. in cap. Quamuis 2.Clem de appell.num.7.* 115

Quarta pars, quod termino elapso censentur appellatio deserta, traduntur *ab eisdem Scaccia ex Mandosio, & de Bictis mox citatis,* vnde iudex facto decreto de appellationis desertione facit exequi sententiam. 116

Quæres 56. An iudex debeat dare apostolos hoc est, licentiam ascedendi ad superiorem ad quem cum copia processus?

℞ Iudex debet licentiare cum omnibus actibus processus ad superiorem ipsum appellantem, si sæpius,& instanter petiit Apostolos. Apostoli autem sunt literæ testimoniales, in quibus exprimitur appellatio facta. Horum autem quatuor sunt species. Alij vocantur Dimissorij, ex quibus apparet appellantem, cuius appellationem iudex admisit, dimitti ad superiorem. Alij dicuntur Reuerentiales, quando appellationi aliàs non admissibili defertur ob reuerentiam superiori debitam, in quibus exprimitur causa, per quam dedit solum reuerentiales, non dimissorios, in illis autem putat se teneri dare Apostolos ex quo appellationem admittit, non in his, quia dubitat de legitima appellatione. Alij dicuntur Refutatorij, quia appellationem negauit, & in illis causam debet exprimere negationis, *cap.1. de appell. in 6.* Demum alij nuncupantur speciales, qui scilicet dantur ab honestis personis, coram quibus fuit appellatum, *iuxta dicta hic quæst. 52. & 53. Ita de Bictis quæst.148.num.37. ad 40.* 117

Iudex ergo infra spatium triginta dierum debet dare Apostolos reo, dummodo illos sæpius, & instanter petierit, hoc est, vnico contextu verborum sæpius repetito, vt dicitur *cap.quamuis 2. Clem. de appellat.* Quod si infra id tempus illos non petat, censetur renunciasse appellationi, *cap. Ab eo 6. de appellat. in 6. & cit. Clem. quamuis,* vbi dicitur, quod si non obtinuit Apostolos instantes petitos, nihilominus potest appellationem suam prosequi. 118

Obserua tamen, quod quando appellatio est clare friuola, iudex qui expresse negauit admittere appellationem, potest prosequi executionem suæ sententiæ. *Farinac.quæst.58.num.23.Osasch. decis.3.numer.8. Mascard. concl. 148.num.31.ex illis Barb.ad cap.5 de appellat in 6. numer 3.* 119

Quæres 57. Cuiusnam expensis dandi sint apostoli, hoc est copia processus?

℞ Expensis ipsius rei, ex quo enim sperat emolumentum ex appellatione, æquum est, vt onus expensarum experiatur. Ita *Glos.11.oblatos idem quamuis 2.de appell. Tiraquel.de Retract. tit.1.§.1.Glos.10.num.107. Afflict. lib.1,constit.Rubr.45.num.22.Boer. decis.303. numer.5.ex illis Barb.hic num.8.* 120

Quæres 58. In quibus casibus appellatio dicatur deserta?

℞ Datur vnus annus ad prosequendam appellationem, ex causa vero dantur duo, expresse *cap. Cum lit.3. de appellat. Clem. si appellationem 6. eod. Guazin. Defens. 36. cap.25.num 1.* qui num.2. subdit, iudicem nolentem admittere appellationem non posse restringere tempus iuris communis prædicti anni dati ad prosequendum appellationem, sicut potest, quando admisit appellationem. 121

Appellatio

122 Appellatio igitur dicitur deserta *primo*, quando intra tempus præfixum à iudice, qui admisit appellationem, eam non fuit prosequutus, ex dictis q. 5. *Secundo*, si eam neglexit prosequi intra tempus præfixum, cap. constitutus 45. de appellat. quia negligentia rei non debet nocere officio iudicis; & quia iura non subueniunt negligentibus, sed tantum diligentibus, *l. Non enim 16 ff. ex quib. caus. maior.* & negligentiæ ignosci non debet *l. veluti 7. ff. de edend. Grisleuzon. consil. 44. num 45.* Qui renunciat appellationi. *Tertio* dicitur eam deserere, quod contingit duobus modis, expresse, vel tacite, quod fit, prosequendo causam coram eodem iudice, *cap. solicitudinem 54. de appell. vbi Barb. citat Doctores numer.* 3. Si vero alleget impedimentum, quo non potuerit prosequi causam, illud probare debet, *ex allegatis à Barb. ad c. Cum Romana 5. de appell. num 7. & ad cap. 8. eod.* Annus secundus non datur, nisi doceat de impedimento, *Ciarlin. cap. 153. num. 26. & 31.* vbi plura de hac re?

Quæres 59. An carceratus non obstante appellatione adhuc detinendus sit in carceribus?

123 ℞. Appellatione ab interlocutoria, vt dixi quæst. 49. detinendus est in carcere eodem, donec iudex aliud decernat, *Gemuens. cap 88. num 41 apud Guazzin. Defens. 36. cap. 24.* A definitiua potest petere se remitti ad superiorem, quia appellatio dicitur esse de processu, *secundum Guidop. de appell. quæst. 30. num. 59. Guazzin. citatus*, quando vterque iudex est in eodem territorio; sed re vera praxis est, ne excarceretur, vel de vno ad alium carcerem causæ transportetur, nam reus semper quærit libertatem, vt pœnas euitet.

Quæres 60. An appellatio deserta adhuc impediat, ne sententia transeat in iudicatum? Quid sit transire in rem iudicatam dixi cap. præced. quæst. 39.

124 ℞. Transit, quia appellatio pro nihilo habetur, proinde sententia non fuit impedita, ne suum sortiretur effectum. Clem. Si *appellationem 6. de appell. Gratian. cap. 10. numer. 10. Riccius part. 3. collect. 645. Barb. hic num. 2.*

Quæres 61. Quid agere debeat iudex ad quem causa fuit deuoluta?

125 ℞. Iudex debet cognoscere de tota causa, ad quam ius acquisiuit per appellationem, & eam expedire, reuocando attentata ab inferiori iudice, & eidem inhibendo, ne in causa se ingerat; & in primis debet videre, an appellatio sit legitima & tali existente facit iudicium, & iustitiam, si friuola est, appellantem remittit ad iudicem, à quo appellauit vt causam terminet, deferendus enim est ei debitus honor, ne iudex contemnatur, *ex cap. Accepta 35. & cap. cum in Ecclesia 38. de appellat. Vide Doctores citatos à Bicl[?] quæst. 152.*

Quæres 62. An appellatio in die festo interponi possit?

126 ℞. Potest, sed non prosequi, quia est quid licitum, & in decisionem, quæ fere in momento expeditur. *Scaccia de appell quæst. 12. num. 51. cum aliis Barb. ad l. Quoniam 3. de feriis num. 3.*

Quæres 63. An appellatio facta omisso medio valeat?

127 ℞. Quamuis de iure tum ciuili, tum canonico gradatim sit appellandum ab inferiori ad immediatum eius superiorem, tamen appellatio interposita medio omisso valet, nisi à parte opponatur. In tribus autem casibus valet, *Primo* si fiat ad Papam. *Secundo*, si superior immediatus esset inhabilis. *Tertio*, si nollet facere iustitiam.

128 Prima pars de appellatione gradatim facienda *cap. Dilecti 66. eod. vbi Glos. 11. post huiusmodi appellationem*, citat alia iura etiam iuris ciuilis, vbi omnes Canonistæ *cum Barbosa, Scaccia quæst. 7. de Bictis quæst. 151.*

129 Secunda pars, quod valeat medio omisso, nisi opponatur, exprimitur in dicto cap. Dilecti 66. vbi dicitur, quod licet appellare ad superiorem, omisso medio, quando non opponitur, ergo facta oppositione non valet appellatio. *Ita Franch. num 12. Abbas num 7. Scaccia quæst. 7. num. 18. Barb. hic num. 4.* Facta autem ad iudicem, vel ad iudicem competentem, eo non nominato, censetur facta ad proximiorem, *ex eisdem Scaccia num. 4. & 14. & Barb num. 2.*

Tertia pars, quod ad Papam appelletur omissis mediis, asseritur *2. quæst. 6 per plura capita, Barb. ad dictum cap. 66. numer. 3. Scaccia quæst. 7. numer. 46. de Bictis quæst. 151 num. 3.* 130

Quarta pars de inhabilitate, vel iniquitate medij iudicis *docetur ab eodem Scaccia num. 43. Barb. num 3.* De regularib. dicam infra. 131

Quæres 64. Quot vicibus permittatur appellatio à sententia?

℞. A sententia licet possit quis non solum semel, sed etiam bis appellare, non tamen potest tertio, si fuit confirmata, *cap. Sua nobis 65. de appellat. l. Vn. C. Ne liceat in vna.* Vbi dicitur, quod non licet tertio appellare, vbi quis in duplici succubuit. Barb. hic Doctores cumulat. 132

Quæres 65. An liceat appellare iudicem coram Deo in valle Iosaphat, vel alibi?

℞. Affirmatiue, facta cum modestia ab eo, qui vere innocens est, ad eum finem, vt eo meliori modo, quo potest tueatur suam innocentiam, & infamiam propulset à sua familia, deposito semper odio, & vindicta contra persecutores suæ innocentiæ. Ita Delrios *lib. 4. Magicar. quæst. 14. sect. 1. Carena par. 2. tit. 1. num. 10. aliis citatis, Diana par. 10. tract. 15. resol. 9.* Contra nonnullos, quorum dicta subsistere non possunt, cum ex Historiis constet, eorum appellationem fuisse exauditam morte iudicum. Cum prioribus sentit Donatus ordinis Prædicat *par. 2. tract. 10. quæstio. 45. de rebus Regularium.* 133

Quæres 66. Quas leges, & statuta debeat sequi iudex appellationis ad quem recurritur?

℞. Iudex ad quem fuit appellatum in remissione processus iudicis à quo debet seruare, & attendere ad statuta, quæ seruare debebat iudex à quo. Ita omnes *cum Alex. lib. 6. consil. 164. num. 1. 2. & 8. Guidopapa 9. 51 de appellat. num. 40. Natta cons. 553. num. 10. Scaccia quæst. 18. de appell. num. 1. ex illis Guazin. Defens. 36. cap. fin. num. 1. de Bictis, quæst. 152. num. 25.* Ratio est, quia dum primus iudex in modo procedendi seruauit sua statuta, seu vsus fuit suis priuilegiis, vt faciunt iudices regulares, quo ad hoc processus non est corrigendus à iudice secundo, ad quem fuit appellatum. Iudex vero ad quem informando proprium processum, seruare debet sua statuta. In decidendo vero seruare debet ordinem, quem primus iudex seruasset in bene decidendo. Ita præcitati, qui distinguunt duplex statutum Ordinatorium, & Decisorium, illud respicit tantum ordinem procedendi in causa. Hoc vero merita causæ & sententiam respicit. Inter iudices regulares non spectatur hæc differentia, quia vterque iudex eodem modo procedit, vnde ista diuersitas attenditur solum, quando appellatio fit ad iudicem extraneæ professionis licet competentem, vt ad legatum à latere, ad Protectorem, ad Sacram Congregationem, ad Monarchiam Siculanam, vbi solent interloqui, appellantem in modo procedendi fuisse grauatum, non attendentes ad priuilegia regularium, vnde in illis partibus valde periclitatur regularis disciplina, quia non vlterius proceditur, & cum delicta remaneant impunita delinquentium augetur inobedientia, & iniquitas. 134

CAPVT XC.

De Appellatione Regularium.

SPeciale caput propono, quia materia appellationis respectu religiosorum nonnullas habet singularitates, vt patebit ex dicendis in sequentibus. 1

Quæres igitur 1. An religiosi possint appellare? Ratio dubitandi est, quia id prohibetur religiosis expresse *c. Ad nostram 3. c. quia nos 32. c. cum speciali 61. fin. de appellat.*

In

in quibus locis prohibetur appellatio regularibus. Quibus tamen non obstantibus.

2 ℞. Appellare posse, quando reuera sunt grauati, & manifeste constat de grauamine, in dubio vero grauaminis nequeunt interponere appellationem, ratio est, quia se defendere est de iure naturæ, cui per professionem religiosi non renuntiarunt, *vt probaui de profess. regul cap. 1 num. 84. in editione Veneta*, ergo hoc iure non sunt priuati, vt colligitur etiam ex citatis textibus in contrarium allatis, siquidem in 3. cap. dicitur, quod regulares non appellent à correctione legitima, quia appellatio non debet fauere delinquenti, vtique appellans, quando superior excessit in modo corrigendi. Et in cap. De priore 31. eod. legitimæ appellationi non deferens mittitur puniendus Romam. Et in sequenti *Cap. Quia nos*, non prohibetur simpliciter appellatio, sed dicitur quod illa locum non habet in notoriis, vel contra regularem correctionem. Est communis sententia, quòd in manifestis grauaminibus appellare possunt, quod etiam confirmatur ex responso Sacræ Congregationis infra referendo, quæ ex quo tradit modum appellandi gradatim, sine dubio supponit hanc veritatem, licere religiosis grauatis appellare. Referuntur quoque priuilegia ad hoc à Peyrino infra citando. Ita omnes *cum Sanch. lib. 6. cap. 8. n. 101. Rodriq. tom. 1. quæst. 29. art. 2 cum suo Compend. resol. 10. Sayrus lib. 12. cap. 17. à num. 38. Peyr. de subd. quæst. 1. cap. 20. §. Dico primo. Miranda quæst. 29. num. 35. Pitigianus cap. 10. Melfius de pœnis cap 26. Resp. 4. Spathar. tract. 10. cap. 2. num. 2. Faber de Restit. disp. 54. num. 149. de S. Iuliano cap. 9. Aduert. 5. de Bictis quæst. 151. num. 7.* Hucusque probatum est licere religiosis grauatis appellare, dico grauatis, quia in sententia omnium, vbi non est grauamen, locum habere non potest appellatio. Modo videndum est, quale debeat esse hoc grauamen, vnde pro clariori intelligentia.

Quæres 2. An sufficiat grauamen dubium, an vero necessario debeat esse manifestum, & certum, vt valeat appellare?

3 ℞. Grauamen debet esse certum, & manifestum, & non dubium. Colligitur ex cap. 3. & 32. in quibus locis dicitur, appellationem debere esse legitimam, & non contra regularem correctionem, nec in notoriis, in his enim non apparet grauamen, dum correctio est legitima, & regularis, hoc est, facta secundum Regulam, & constitutiones ordinis, condemnatus, verbi gratia, ad carcerem per semestre ob aliquam culpam, si hæc pœna est expressa in Regula, vel Constitutionibus, non potest appellare, quia in nullo grauatur, non enim licet appellare à Canonibus, & Constitutionibus, *vt dixi præced. cap. 4. 44.* Si vero fuisset condemnatus per septem menses, vel alia pœna maiori, seu diuersa, posset appellare, quia manifestum est grauamen, & excessus. Ita *Nauar. com. 3. de Regul. num. 51. Sayr. lib. 12. cap. 17. num. 38. Sanch. lib. 6. cap. 8. num. 110. Peyr. de subd. quæst. 1. cap. 20. vers. Dico 2.* Et alij supracitati. Itaque à grauamine dubio appellare non possunt, *Sanch. num. 110.* vbi bene ponit differentiam inter religiosos, & alios in eo, quod religiosi prohibiti ex priuilegiis ordinis appellare id intelligitur in dubiis grauaminibus, non in manifestis, & certis, vt dixi; alij verò etiam in dubiis possunt appellare, *ex cap. cum speciali, §. Porro, 61. de appell.* & dixi q. 8. *cap. præced.*

Quæres 3. Quandonam superior dicatur excedere in correctione?

4 ℞. Excedit *Primo*, quando pœnam sibi arbitrariam imponit loco pœnæ expressæ in Regula, vel Constitutionibus. *Secundo*, quando pœnam statutam alterat augendo, vt si culpatus meretur carcerem trimestris punitur per quadrimestre; vel si debet manere in sua cella detruditur in carcerem formalem.

5 Philippus Faber Minor Conuentualis loco præcitato de Restit. disp. 54. num. 149. §. Vbi illud, ait, in quibusdam religionibus esse in vsu pro paruis transgressionibus priuare religiosos pane, & vino, & obsonio, quæ sibi pro vna vice conuenirent pro prandio, vel cœna; hanc pœnam vocat excessiuam ea ratione, quia sine pane impossibile est viuere, vnde subdit, quod talis pœna nunquam esset imponenda, immo neque etiam vini, quia ieiunium in pane, & aqua est pœna satis grauis, mitiores sunt carceres ad paucos dies, genuflexiones publicæ, & aliæ mortificationes regulares. Ita Faber, cuius pace, & reuerentia dicerem, talem pœnam non excedere, quia omnium religionum talem esse vsum, vt mortificentur in gula, & esse proportionatam culpæ, cum reuera non sit dicenda grauis, cœna ablatio prandij, vel pœnæ pro vnica vice, neque enim homo per hoc potest mori, nec fieri debilis, cum per sequentem comestionem sibi satisfaciat; priuationem vero victus per vnicum diem integrum censerem grauem, cui proinde deberet respondere culpa grauis. Nec verum puto dictam pœnam esse grauiorem pœna carceris paucorum dierum, quia carcer longe excedit pœnam priuationis victus etiam pro vno die, quia sequenti die reparare potest perditum præcedenti die, nunquam vero carceratus reparare poterit amissam libertatem, quæ auro, & quolibet obsonio pretiosior est. Quid si mitiorem pœnam imponat transgressori, omissa maiori, & grauiori præscripta in Regula, numquid dicitur excedere? & sic detur locus appellationi? Nequaquam, ideo enim detur appellatio contra excessum, quia talis excessus est grauamen, quod reuera hic assignari non potest, dum non grauat reum, sed cum eo mitiùs agit.

Quæres 4. An appellatio ab excessu detur non solum quando superior processit iudicialiter formando processum, sed etiam corrigendo sine processu, & extraiudicialiter?

Resp. Oppressum quouis ex illis modis posse appellare, quia præcitati textus *cap. Ad nostram 3. & cap. Quia nos 32.* loquuntur de correctione simpliciter non distinguendo inter iudicialem, & extraiudicialem, ergo neque nos distinguere debemus, cum in vtroque casu possit subesse grauamen. Ita *Abbas in cap. cum speciali 61. §. Porro, num. 3. ibi Alex. de Neuo num. 8. Prepositus fine, ex illis Sanch. lib 6. cap. 8. num. 103.* 6

Quæres 5. An in appellatione exprimenda sit causa huiusmodi excessus?

Resp. Exprimenda est similibus verbis; *Appello, quia modum excessisti in me puniendo*, aliter iudex potest esse qui suam sententiam, cum religiosus non appellet à correctione simpliciter, ideo debet exprimere causam, vt iudex deferat appellationi. Ita *citati à Sanch. lib. 6. cap. 8. num. 106. Donatus ordinis Prædicat. part. 2. tractat. 10. quæst. 19.* 7

Quæres 6. Quo ordine regulares possint appellare?

℞. Appellatio facienda est à Superiore locali ad Prouincialem, ab hoc ad Generalem, ab hoc ad Protectorem, ab hoc ad Congregationem, & demum ab hac ad Papam. Esse Decretum S. Congregationis dicunt plerique *cum Lezana part. 1. c. 9. n. 4. Compend. Rodriq. resol. 10. n. 3 Peyrin. de subd. q 1. c. 20. § Probatur primo Donatus par. 2 tract. 10. q. 33. & 34. de Bictis q. 251. n. 8. Sanch. lib. 7. cap. 8. n. 107. fine.* 8

Quæres 7. An facta per saltum eo ordine non seruato sit nulla?

℞. Ex se reuera non est inualida, vt dixi præced. cap. quæst. 63. tamen quia fieri potest oppositio à parte, & etiam à iudice, ideo videtur habenda pro nulla Ita *Peyrin. ad confessi Leonis X. cap 3. num 18. Ego resol. 32. q 8. n. 27. apud Donatum part. 2. tract. 10. q. 34. de Bictis q. 151. num. 10.* dicit absolute esse nullam. Nulli vero dubium est, quod religiosi, sicut & cæteri homines possunt immediate appellare ad Papam, vt dicit Donatus seq. quæst. 35. Ad alios vero saltare crederem non posse, sed esse seruandum præfatum ordinem, quia eminentia, quæ reperitur in summo Pontifice omnium supremo iudice, nullatenus persuaderet, posse reos medio relicto prouocare ad Sacram Congregationem, vel Protectorem. Experientia docet, prouocationes extra ordinem relaxare disciplinam regularem, non enim extraneos quam- 9

uis

nis regularium superiores cognoscunt eoes quæ suæ
non sunt, nisi incidenter. Nec in hoc placet Donatus
cit. quæstion. 35 numer. 6. dicens, religiosos, pro-
uocare posse immediate ad S. Cong. quia est tribunal
intra religionem, & iudex ordinarius. Quoniam esto sit
iudex ordinarius, immo & intra religionem, quod postre-
mum falsum est, non inde infertur fieri posse prouoca-
tionem per saltum, siquidem non potest reus grauatus
saltare à Guardiano ad Generalem, vt notum est, qui ta-
men est ordinarius, & intrinsecus iudex; ergo multo mi-
nus ad Protectorem, & Sacram Congregationem, qui
sunt iudices extranei, nec simpliciter ordinarij, cum sint
delegati.

Quæres 8. Ad quos superiores extra ordinem possint
appellare?

10 ℞. Possunt appellare ad Protectorem, ad Sacram Con-
gregationem, vt patet ex dictis præced. quæst. 6. & 7. vl-
terius ad legatum à latere existentes sub ea Prouincia, &
Legatione, sunt enim eorum superiores ordinarij, sed de-
legati à Pontifice etiam super regulares, qui eis subii-
ciuntur, *Glos. in c. vniuersitas cap. 1. de offic. deleg. cap. si
abbatem, de elect. in 6. Rodrig. tom. 2. quæst. 65. art. 4.
Roman sing 513. Peyrin ad const. 2. Sixti IV. n. 8. Com-
pend Rodrig. resol. 63. num 15 Diana par. 3. tract. 2. resol.
16. cum illis Donatus par. 2. tract. 10. resol 35. num. 9.* Ex
quo infert, sed male, posse religiosos ad eos immediate
prouocare, quod tamen admittendum non est, ob ratio-
nem adductam.

Quæres 9. An prouocare possint ad Episcopum.

11 ℞ Religiosum morantem de familia in conuentu sub-
iecto etiam Episcopo iuxta Decretum Innocentij X. su-
per subiectione nonnullorum conuentuum iurisdictioni
Ordinarij loci grauatus à suo superiore non potest ab eo
appellare, ad Episcopum, cui subiicitur ille conuentus. Id
autem probatur ex Respons. Sacræ Congregat. datis die
27. Iulij 1655. & sunt viginti & vnū dubium approbata
à Pontifice maximo Alexandro VII. nunc regnante. Re-
feram sequentia ad rem nostram.

12 11. *An Prouinciales, & alij superiores Regulares possint
eiusmodi conuentus iurisdictioni Ordinarij subiectos, & re-
ligiosos in illis degentes visitare, corrigere, & punire, om-
nemque iurisdictionem in eos exercere, sicut poterant ante
dictum Decretum? Resp. Posse, sicut prius, non tamen pri-
uatiue ad Episcopum.*

13 12. *Si superior Regularis in causa præuenerit subditū de-
gentem in aliquo ex eiusdem conuentibus Ordinario subie-
ctu fabricando processum, vel eum carceri mancipando, an
Episcopus possit huiusmodi causam reassumere, & superiori
inhibere? Resp. Non posse, nisi ex causa iusta, veluti cum
videt, superiorem. Regularem ex odio, vel amore, cupidi-
tate, vel metu, aut ex nimia seueritate, vel indulgentia
quid durius, aut remissius constituere, quam causa depoſcit,
in quo ipsius Episcopi conscientia oneratur.*

14 13. *Si è conuerso Episcopus præuenerit in causa cōtra reli-
giosum in tali conuentu commorantem, an superiori regu-
lari in eo casu liceat illum amouere, & in alio conuentu col-
locare, & si de facto collocauerit, an nihilominus Episcopus
possit causam prosequi, ac religiosum sic amotum reuocare
ad primum conuentum?* Resp *Non licere superiori regulari
religiosum ab Episcopo inquisitum à loco amouere, & si
amotus fuerit, posse Episcopum causam prosequi, & illum
quibuscunque remedijs reuocare, etiam inuocato auxilio Or-
dinarij, & brachio seculari, si opus fuerit, cuiuscunque lo-
ci, in quo religiosus ille erit.*

15 14. *Si Prouincialis, vel superior localis voluerit aliquē ex
Fratribus à tali conuentu remouere, an Episcopus prohibere
possit?* Resp. *Non posse.*

16 Ex his responsis manifeste apparet, vtrumque tam
Prælatum Regularem, quam Episcopum esse iudices cri-
minales in causis regularium conuentuum sibi subiecto-
rum, non subordinatos, sed cumulatiuos, dum dicitur in
11. Prælatum sicut ante posse procedere, non tamen pri-
uatiue ad Episcopum, in 12. & 13. sermo est de præuen-
tione in causa, qui modus loquendi, non priuatiue, &
cum præuentione arguit cumulatiuam potestatem; vbi
autem est iurisdictio cumulatiua, vnus alteri non subor-
dinatur, ergo neque appellatio locum habere potest, si-
quidem ea est prouocatio à minori ad maiorem iudicem,
cui etiam inferior iudex subiicitur, vt e. g. Prouincialis
generali, Episcopus Archiepiscopo, in casu autem nostro,
nec Prælatus subditur Episcopo, nec Episcopus Prælato,
dum habent procedere cumulatiue.

Multo minus appellare possunt ad Episcopum, cui non 17
subiicitur conuentus appellantis, dum nullam habet po-
testatem emendandi grauamen iudicis regularis, qui nul-
lo modo est iudex illi subordinatus, vt petit conditio, &
natura appellationis, quæ est prouocatio à iudice inferio-
re ad superiorem, cui ille subordinatur. Confirmatur id
ex Bulla Leonis X. incip. *Romani Pontificis* 10. apud
Confect. prohibentis Dominicanis appellationem ad tri-
bunalia Ecclesiastica, & secularia, sub pœna excommu-
nicationis latæ sententiæ tam ipsis Fratribus, quam iudi-
cibus, ad quos recurrunt, vt in terminis notat *Donatus
par. 2. tract 10, quæst. 35. num.* 14. Alia refertur Bulla 1. 18
Gregorij XIII. incip. *Quoniam* apud Confect. registra-
ta in B. N. sub num. 27. in qua prohibetur Minoribus de
obseruantia sub pœna excommunicationis reseruatæ ap-
pellatio, & recursus ad tribunalia secularia, nulla facta
mentione de Ecclesiasticis iudicibus. Sub his autem pœ-
nis, & prohibitionibus non comprehenduntur regulares
aliorū ordinum, quia odiosa non ampliantur, sed restrin-
guntur, quicquid dicat dictus Donatus quæst. 42. citando
pro se *Mirandam quæst. 29. num 43. Rodrig de ordine iu-* 19
dic. cap. 13. numer. 6. Peyrinum de Subd quæst. 1. cap. 20.
Vers. Dico 3. asserens dictas Bullas, & alias extendi ad
omnes religiosos omnium ordinum. Sed in hoc tenera
non placet, esto enim de iure omnibus regularibus pro-
hibentur appellatio, & recursus ad iudices extraneos, quia
prouocatio fit tantum ad iudicem, cui subordinatur infe-
rior iudex à quo prouocatur, non tamen subduntur illis
Bullis, nisi illi, qui sunt eius ordinis, pro quo priuilegium
emanauit. Citati vero Doctores à Donato in terminis no-
stris de extensione, & communicatione dictarum Bulla-
rum alijs ordinibus ne verbum quidem, satis enim notum
est, non fieri communicationem priuilegiorum in odio-
sis, sed tantum in fauorabilibus, *Rodrig. tom. 1. quæst.* 55. 20
*art 17. fine, Miranda tom. 2. quæst. 46 art. 6. Sigeron. de
elect. dub. 56. num. 10. Portellus in commun. Priuileg. num.
10. Sorbus ibid. §. Notandum.* Hoc idem docet ipse Dona-
tus *par. 1. tract. 7. quæst.* 12. ergo non debuit à seipso re-
cedere.

Quæres 10. An religiosi ius appellandi habeant à iure
communi?

℞. Affirmatiue, vt patet ex dictis sub quæst. 1. vbi 21
citaui *cap. 5. 31. & 32. & 61. de appellat.* in terminis
Miranda quæst. 29. numer. 35. dicens esse communem
omnium Doctorum.

Quæres 11. An Tridentinum loquens de appellatione
aliquid statuat pro, vel contra religiosos?

℞. Nihil penitus nec pro, nec contra, quia loquitur 22
tantum de subditis Episcoporum. Ita *Sanch. lib. 3. consil.
dub. 32. num. 206. apud Iulianum cap. 9. Aduert. 5. §. 2.* In
huius confirmationem refero verba Tridentini sess. 13.
cap. 1. *Cum igitur rei criminum plerumque ad euitandas
pœnas. & Episcoporum subterfugiendu iudicia, querelas, &* 23
*grauamina, simulent & appellationis diffugio iudicis pro-
cessum impediant, ne remedio ad innocentiæ præsidium in-
stituto ad iniquitatis defensionem abutantur, atque vt hu-
iusmodi eorum calliditati, & tergiuersationi occurratur, ita
statuit, & decreuit; in causis visitationis, & correctionis,
siue habilitatis, & inhabilitatis, nec non criminalibus ab
Episcopo, seu eius in spiritualibus Vicario Generali ante
definitiuam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocunque
grauamine non appelletur, nec Episcopus, seu Vicarius
appellationi huiusmodi tanquam friuolæ deferre teneatur,
sed ea, ac quacunque inhibitione ab appellationis iudice
emanata, necnon omni stilo, & consuetudine etiam imme-
morabili contraria non obstante, ad vlteriora valeat pro-
cedere;*

cedere, nisi grauamen huiusmodi per definitiuam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiua appellari non possit, quibus casibus sacrorum, & antiquorum canonum statuta illibata persistant.

Idem Tridentinum Sess. 24. cap. 10. hæc habet: *Episcopi vt aptius, &c. In his, vbi de visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut vlla inhibitio, appellatio, seu querela etiam ad sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut iudicata fuerint, quoquo modo impediat aut suspendat.*

25 Et in cap. 20. eiusdem Sessionis 24. vbi causæ omnes in prima instantia cognoscuntur coram ordinariis locorum terminandæ infra biennium, ita disponitur: *Neque appellationes ab eisdem interposita per superiores quoscunque recipiantur, eorumve commissio, aut inhibitio fiat, nisi à definitiua, vel à definitiua vim habente, & cuius grauamen per appellationem à definitiua reparari nequeat.*

26 Si supradicta intellectu ponderentur manifeste patet sermonem esse de reis Episcoporum, & locorum ordinariorum, & non de regularibus; non possunt ergo rei ante sententiam definitiuam, vel habentem vim definitiuæ appellare, nisi in casu, quo grauamen reparare non possunt per appellationem a definitiua, vel si eis hæc negatur post sententiam, vnde Episcopi in suis Synodis prohibent appellationem ante sententiam, quod ad tenorem Concilij intelligendum est. Quæ autem sint irreparabilia post sententiam, vt ante illam sit admittenda appellatio secundum Tridentinum; dixi c. præced. q. 48. & 49. esse carcerationem, incursionem in aliquam censuram, torturam, & grauamen comminatum, hæc enim, & alia sunt irreparabilia post sententiam definitiuam, ideo ius commune, & Tridentinum concedunt appellationem contra interlocutorias præcedentes definitiuam.

27 Huiusmodi autem inhibitio appellationis ante sententiam intelligitur respectu affectus suspensiui, non autem deuolutiui, iuxta decretum allatum à Barb. ad c. 1. sess. 13. num. 21. his verbis: *In causis vero visitationis Ordinariorum, aut correctionis morum quo ad effectum deuolutiuum tantum admittuntur, nisi de grauamine per definitiuam irreparabili agatur, vel cum Visitator citata parte, & adhibita causa cognitione iudicialiter procedit, tunc enim appellationi locus erit quo ad effectum suspensiuum.* Vide Doctores ibid. & in c. 10. sess. 24. ab eodem citatos n. 6.

28 Quamuis Tridentinum vt dixi in dictis decretis non comprehendat religiosos, nihilominus ex natura rei cum in eisdem decretis statuta sint omnino conformia supradictis de illis, quod eisdem nō licet appellare nisi respectu grauaminum certorum, superiores regulares in causis suorum subditorum procedere debent iuxta eiusmodi decreta Tridentini, cum religiosis de iure commun strictius concedatur facultas appellandi, quam clericis, & ita videtur insinuare *Peyrinus de subd. q. 1. c. 2. §. Aduersandum.* Sparhar. tract. 10. cap. 1. de appellat. n. 2.

Quæres 11. An religiosi habeant priuilegia pro, vel contra in causis, appellat. & quomodo sint intelligenda?

29 ℞. Habent priuilegia restringentia facultates appellandi, & declarantia ius commune, quod scilicet non liceat religiosis appellare in grauaminibus dubiis, aut modici momenti, sed solum à grauaminibus certis, & manifestis alicuius momenti; & id patet, quia omnibus ius naturæ concedit, vt possint se defendere, id autem nec ius commune, nec priuilegium, aut statutum præsumitur tollere a religiosis reuera grauatis, aliter ordinatio non esset iusta nec honesta, neque vtilis subditis, sed iniqua, & valde præiudicialis. Et id confirmatur ex cap. cum speciali 61. §. Porro, de appellat. vbi Pontifex ait, in dubiis admitti appellationem his verbis: *Excessu quoque dubio existente, ne friuola appellationis diffugio appellans iudicis processum impediat, coram eodem probabilem causam appellationis exponat.* Et in fine excludit regulares his verbis: *ceterum has duas constitutiones præmissas nolumus ad regulares extendi contra suas speciales obseruantias.* Harum duarum constitutionum prima est præsens, vt non admittatur appellatio in grauamine dubio, quæ tamen admittitur in aliis personis non religiosis. Secunda est in c. Sacro 48. de sent. excommun. vbi de appellatione, cui deferre debet iudex, quamuis error commissus in sententia ferenda fuerit dubitabilis. Ita Sanch. cum aliis à me citatis quæst. 2.

Petrus ab Angelis Carmelita Discalceatus cap. 27. à 30 num. 16. multa congerit priuilegia Regularium in materia appellationis varia immiscens, tandem sub n. 32. illa ita restringit sub 3. concl. his verbis: Valde probabile est, quod in nulla sententia correctionis, quantumuis grauis, & religiosus videatur notabiliter grauatus, immo de facto sit, habeat locum appellatio propria, & iuridica etiam intra religionem, sed solum impropria, quæ est simplex quidam recursus ad iudicem superiorem per modum querelæ, & supplicationis, per quam petitur defensio contra grauamen, quod quis patitur, hæc enim sufficiens est ad iustam rei defensionem, quæque de iure naturali est. Citat autem pro se plures, an hoc dicant; relinquo aliis videndum, & discutiendum; vnum scio, quod hæc conclusio destruit facultatem appellandi regularibus, quod hactenus nullus dixit, dum non solum ius commune, verum etiam speciale in dictis, quod aiunt, priuilegiis admittit appellationem, quando grauamen est certum, notabile, & non dubium, & illa priuilegia si bene considerentur non prohibent omnem appellationem, sed friuolam, & vbi grauamen est dubium, vel fere nullius momenti, & proprie interdicitur appellatio simpliciter etiam in manifestis 31 grauaminibus extra ordinem ad eos iudices, quibus non subordinantur iudices regulares. Ita omnes tradūt, si bene explicentur. Nec ille recursus reparat damnum, sicut facit appellatio, nam hæc suspendit executionem sententiæ, recursus vero, non, quia non potest impediri iudex, quin procedat ad executionem, & cum recursus quandoque nō ita facile, aut in breui non possit haberi, potest reus incurrere irreparabile damnum, ideo appellatio debet habere locum; vt damnum efficaciter reparari possit. Per recursum igitur ad superiorem non suspenditur iurisdictio in iudice, vt mox dicam.

Quæres 12. An liceat recurrere ad superiores? Videtur hoc negare Tridentinum sess. 25. cap. 4. illis verbis: *Nec liceat regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint.*

℞. Licere, quando supra modum vexatur. Ita fere om- 32 nes, quos magno numero refert hic Barb. n. 6. & tunc non suspenditur iurisdictio iudicis à quo, sicut fit per appellationem, potest enim iudex à quo præsumere potius fugam, quam defensionem quærere. Ita *Nauar. cons. 2. de sent. & reiud. n. 8. & cons. 5 de appell. num. 8. Rodriq. tom. 1. q. 19. art. 2. Sayr lib. 12. cap. 17 n. 38 Sanch. lib 6. cap. 8. n. 110.* Ad Tridentinum respondent loqui de recurrentibus ob leuissimam, vel leuem causam. Ad tollendam omnem difficultatem, religiosus coram duobus aliis religiosis petat humiliter licentiam à superiore, si neget, obtineat fidem ab illis duobus de licentia petita, licet non obtenta. Quod si timet carcerationem, eam petat per Notarium, vt de ea fidem facere possit ne pro apostata, seu fugitiuo habeatur. Sic practicatur in aliquibus locis, præsertim Neapoli, & in Sicilia.

Quæres 13. An superior recusari possit, à reo?

℞. Iudex suspectus valde, qui probabiliter creditur 33 excessurus in procedendo, & puniendo querelatum, vel ex odio, vel ex alio interesse, potest recusari, redigendo in scriptis causam recusationis, qua superiorem maiorem possit informare. Colligitur ex c. Postremo 36. de appellat. vbi dicitur, quod recusans iudicem debet exprimere causam, cur illum recuset. Ibi *Barb. n. 12. citat Doctores cum Farinac. 11. Iudex num. 108. & seq.* Ita in terminis nostris *Canon. in c. cum speciali 61. quos refert. ibi id. m Barb. n. 16. cum Sanch lib 8. c. 8. n. 111.* quia pari passu currunt appell & recusatio, sequitur Portell *p. 1 casu 22. n. 2. Donat par. 2 tract 10. q. 37. Messius c. 26 de Pœnis § 5. §. Recusans, fol. 344.* A visitatione autē nemo potest appell. & sic nec recusare iudicem, vt ex Tridentino dixi supra.

Quæres 14. An in scriptis appellatio, & recusatio iudicia sit facienda?

34 ℞. Id non esse necessarium, cum scriptura sit de apicibus iuris, ad quos regulares non tenentur, sicut de facto appellans accepto itinere ad superiorem nihil in scriptis ponit, præterquam quod textus *in cap. cum speciali 61. §. Porro, de appellat* nullam facit mentionem scripturæ, Ita Portellus *par. 1. casu 22. num. 6. Donatus par. 2. tract.* 10. *quæst. 37. num. 5.* Qui subdit, & bene, omnino esse in scriptis redigendam, vt iudex ad quem possit cognoscere, an legitima, vel friuola fuerit; in voce enim vnum dicere potest, & postea coram iudice aliud proponere, quod euenire non potest, si in scriptis redigatur non solum per Notarium, verum etiam per religiosum priuatum à recusante rogatum cum duobus testibus. Vide eundem Donatum quæst. 39. vbi in appellatione de facto nec scripturam, nec causæ expressionem petit.

Quæres 15. An sentiens se grauatum, de facto possit arripere iter ad superiorem maiorem?

35 ℞. Affirmatiue, quia quod verbo conceditur, facto non negatur. Ita docent citati præced. c. q. 59. Non tamen potest arripere iter ante sententiam, quia ante eam nec verbo, nec facto licet appellare. *Donatus par. 2. tract.* 10. *q.* 58. Sed non est immorandum, quia hoc idem dictum fuit sub q. 12.

Quæres 16. An licet appellare à suspensione vocis actiuæ, & passiuæ? Ratio dubitandi est, quia censura cum secum inseparabiliter trahat executionem, impediri non potest per subsequentem appellationem, vt dixi præced. cap. q. 31 ergo à suspensione huiusmodi non appellatur, cum sit censura?

36 ℞. Datur appellatio à suspensione vocis, ratio est, quia huiusmodi suspensio vere censura non est, sed pura prohibitio extra naturam censuræ, nam censura est medicinalis, & præseruatiua imposita contra inobedientem, & contumacem cum præuia monitione, simplex vero hæc prohibitio est vindicatiua, nulla præcedente monitione, nec fertur propter futurum inobedientiæ delictum, sed propter iam præteritum, & non incurritur nisi post declarationem, vt docet Ballæus Capucinus ex Portello 11 Suspensio 2. n. 12. Quod autem priuatio vtriusque

37 vocis non incurratur simul cum ipso delicto perpetrato, sicut incurruntur pœnæ censurarum, nisi per declarationem incursi delicti, docent *Sanch. l. 9. disp. 30. n. 1. & l. 2. c. 39. n. fin. & c. 26. n. 1. & l. 6. c. 15. n. 64. & l. 2. Opuscul. c. 1. dub. 52. n. 11. ad 13. Less. lib. 2. c. 35. dub. 26. cum multis aliis Thesaurus de Pœnis par. 1. cap. 29.* ergo cum non sit censura nihil impedit, quin per superuenientem appellationem possit suspendi eius effectus; & ex his patet ad rationem dubitandi.

38 Rodriquez *tom. 1. q. 19. art. 5. ex illo Spatbar. tract. 10. de appellat. c. fin. n. 5. ex illis Peyrin. de subd. q. 1. c. 20. §. Vn. Vers. quando autem, apud Donatum par. 2. tract.* 10. *q.* 40. Idem affirmant, sed alia via, quia licet appellatio à suspensione non retardet effectum censuræ eiusmodi, intelligitur enim solum de suspensione à diuinis officiis, vel ab ingressu Ecclesiæ, ex Panorm. in c. Ad hæc 57. de appellat. n. 1. secus in interdicto ratione temporalium, nam censuræ concernunt ipsam animam, vnde suspensus à Pontificalibus, vel ab vsu pallij appellando suspendit sententiam, referunt ex eodem Panormitano, quasi illa duo potius temporalia dicantur, quam animã respicientia. Huius sententiæ est quoque Nauar. *cons. 8. de elect. quẽ sequitur Castropal. de suspens. p. 7. n. 4.* in terminis motis de voce actiua, & passiua, qui n. 7. ait, appellationem impedire suspensionẽ ab officio, & ingressu Ecclesiæ, quando est pura pœna, cũ Abbate, *in c. 1. de cler. excomm. min. n. 2. & in c. sæpe de appellat. n.* 16. Itaque suspensio siue sit censura, siue pura pœna

39 per superuenientem appellationem suspenditur quo ad hunc effectum, & alios, qui non sunt suspensi ab ingressu Ecclesiæ, vel ab officio, vt plane colligitur *ex cap. 15. cum aliis de sent. excom. in 6.* vbi dicitur: *Sane sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus per appellationem sequentem minime suspenduntur.* Appellatio igitur contra mere spiritualia nihil potest, vt concludit ex hoc textu Gloss. 11. sequentem. Et cum de duob. hic fiat mentio, contra quæ non potest appellari, sequitur appellationem impedire quoscunque alios effectus non mere spirituales, quia exceptio firmat in contrarium alios casus non exceptos, *ex allegatis à Barb. Axiom. 85. n. 4. ab d. Castropal. n. 5.*

Quæres 17. An priuatus suo officio v. g. Prioratu, Guardianatu, vel simili, cuius iam habuit possessionem promotus per viam electionis canonicæ possit appellare sentiens se grauatum?

℞. Affirmatiue, quia nemo priuandus est iure suo, nisi causa subsit, quæ hic subesse non potest, dum reuera grauatur, *Glos. 11. Non mutentur c. Monachi 2. de statu mon. Azor par. 2. l. 3. c. 26. q. 15. Rota par. 1. Diuers. decis. 772. n. 3. cum aliis Sigism. de elect. dub. 49. n. 4.* Ergo dato grauamine appellare potest. Ita *Donatus par. 2. tract. 10. q.* 41. 40

Procedit in officiis electiuis, nam in aliis, quæ per solam superioris prouisionem acquiruntur, non datur appellatio, quia cum superior ad arbitrium suum possit priuare prouisum, vt notant Canon. cum Glos. Non mutentur cit. in quo casu priuatus nullum dicitur passus grauamen, appellatio locum habere non potest. 41

Numquid Prior expriorатus per interpositam appellationem possit prosequi suum officium præcipiendo, & faciendo sibi obedire subditos?

Vtique, quia per interpositam appellationem cum iuris fictione non dicatur condemnatus, nec ab officio depositus remanet virtute appellationis in suo officio, sicut ante, ac si non fuisset illo priuatus, integer enim est status eius, quo suis oneribus, & honoribus fungi potest, *Scaccia de appellat. q. 1. n. 72. Couar. Variar. c. 16. n. 11. fine, Lancell. de attent. par. 2. c. 12. limit. 16. n. 6. ex illis Barb. ad c. sæpe 44. de appellat. n. 6.* Qui se fundant in eo textu, *& Glos. 11. Rata manet sententia*, & licet loquantur de Episcopo, tamen idem dicendum est etiã de Prælato regulari, ex identitate rationis fundatæ in grauamine, & effectu ipsius appellationis, quæ suspendit respectu cuiuslibet appellantis, *iuxta dicta cap. præced. q.* 30. In terminis nostris Donatus *par. 2. tract. 10. q. 42. n. 3.* 42

CAPVT XCI.

De priuatione officiorum apud Regulares.

NOmen officij est generalissimum comprehendens quemcunque gradum siue habeat adiunctam superioritatem, & prelaturam, siue solam administrationem, siue aliam qualitatem sine prælatione, aut administratione. 1

Vnde Siluester 15. *Dignitas cum Portello 11. officia ordinis in Addit.* distinguit hæc tria: Dignitas, Officium, & Personatus. Ille dicitur habere dignitatem, qui habet iurisdictionem, & administrationem fori externi, vt sunt omnes superiores electi, vel prouisi. Ille dicitur officialis qui habet administrationem sine iurisdictione, vt Procurator, Vicarius, Sacrista. Personatus est illorum, qui neutrum habent, sed solum honorantur in præcedentia, vt Magistri, Lectores, Patres &c. Si nomẽ officij vel officialis sumatur generice non restrictum, tunc comprehendit quemlibet gradum, & ministerium siue habeat adnexam superioritatem, siue non, vt probatur per verba casus reseruati sub 2

Clem. VIII Ibi *Falsificatio manus, aut sigilli officialiũ monasterij, aut conuentus.* Quo nomine venit non solũ Abbas, sed etiam Cellarius, Procurator &c *Coriolanus Capuc. de casib. reseruat. par. 2. casu 7.* Si exprimatur cum aliis vocabulis, vt si dicatur quis priuatus administrationibus, gradibus, dignitatibus &c. hæc videntur restringenda ad officium superioritatis, aliis exclusis, nempe Definitoribus, Magistris, Confessariis. Ita Bonac. *de largit. disp. 5. p. 5. n. 2. & de Clausura p. 4. n. 6. Filliuc. tom. 2. tract. 34. cap. 3. n. 77. quos pro se citat Diana par. 4. tract. 4. resol. 224. Sanch. lib. 6. cap. 13. num. 66.* contra de Bictis *quæstio. 130. numer. 5. & Lezanam cap. 10. numer. 32.* quia illa verborum complexio est amplissima, ergo sine fundamento restringitur; 3

restringitur;sed res non ita se habet, quia vbi cum gene-
4 re exprimitur species, genus per eam restringitur, *l. quæsitum* 76. §. *Mani filis ff de legat.* 3. *l.* Generali 12. §. *Vern ff de vsu,& vsufr. Sanch. lib.* 8. *disp.* 25. *num.* 20. Quia generi per speciem derogatur, *l. Seruus* 97. §. *si alij ff de legat.* 3. *l.* 81 *ff. de reg. iur. l. cum alij* 2. *ff de tritice, vino &c.*

5 Idem Lezana eo cap. 10. num. 32. ad rationem, quam aduersarij adducunt, ita declarasse Sixtum V in sua secunda moderatiua, & interpretatiua prioris de non recipiendis illegitimis ad religionem, quos nihilominus receptos voluit perpetuo remanere inhabiles ad gradus, honores, & dignitates obtinendas, hoc est, ad officia cum honore, & superioritate coniuncta, respondet, id declarasse præcise in casu proposito, & respectu illius constitutionis ibi: *Declaramus hac in re, de qua nunc agitur, appellatione digni-*
6 *tatum &c.* Sed contra est, quia hæc verba ibi non sumuntur dispositiue, & restrictiue. sed tantum demonstratiue, vt recipi debent in dubio, *Menoch cons.* 539. *num.* 7 *Paris. cons.* 4. *num.* 36 *lib.* 4. *Rota par.* 1. *Diuers. decis.* 442. *num.* 3. Per illa igitur verba Pontifex demonstrat se respondere ad illud quæsitum, non tamen negat, eius interpretationẽ extendendam esse ad quascunq; constitutiones eapn mentes similia, seu eadem verba Sed accedamus ad quęstiones.

Quæres igitur primo quotuplex sit officium superioritatis quo ad eius creationem, & promotionem?

7 ℞. Duplex, vnum dicitur electiuum, alterum appellatur Manuale, & non electiuum; officium electiuum est illud, quod prouenit ab electione, quod contingit duobus modis, vel per electionem factam à cõmunitate, vt quando vocales in capitulo e.g. Prouinciali eligunt Prouincialem, Definitores, Priores Guardianos &c. vel per prouisionem à solo superiore factam extra tempus capituli, vt prouideat de superiore in locum præmortui, prior electio vocatur formalis, secundo dicitur virtualis. Officium non electiuum est illud, quod non electione, sed ea mera voluntate fit a solo superiore, qui designat aliquem in officialem sui conuentus ad nutum suum amouibilem, ac proinde sine causa, quia in exercitio illius officij pendet ab ore eius, qui illud contulit. De hoc duplici officio facit mentionem *Glos.* 11. *Non mutentur cap. Monachi* 2. *de statu monach. Sanch. lib.* 7. *cap.* 29. *num.* 108.

8 Officium ergo electiuum duobus modis confertur, vel communi electione in capitulo, vel extra illud à superiore, cum casu deficit officialis, quod contingere potest quinq; modis. *Primo;* morte superioris seu alterius graduati. *Secundo*, remotione, & priuatione officij *Tertio*, renuntiatione officij *Quarto*, translatione officialis. *Quinto*, deuolutione, quando scilicet vocales in capitulo non concordant in eligendo, tunc enim positis quibusdam circunstantiis, facultas eligendi transit in superiorem maiorem, qui quandoque in eodem capitulo est vocalis. Se solo igitur in his casibus eligit officialem. Et huiusmodi electio non est minoris virtutis, quam ea, quæ fit à corpore capituli, sed eiusdem efficaciæ, cum superior maior in tali casu absorbeat in se totius capituli potestatem, illius enim est caput.

Quæres 2. An officialis remoueri possit à suo officio ad nutum superioris sine processu, & officiali inaudito?

9 ℞. Nullus remoueri, nec priuari potest à suo officio electiuo, nisi prius fabricato processu formali, & parte audita; ab officio vero manuali sine processu, & parte inaudita priuari potest.

10 Primum, quod sine processu priuari non possit, probatur auctoritate sacrorum Canonum. Nam *Primo* id colligitur ex cap. Monachi 2. de statu monach his verbis: *Priores autem cum in Ecclesiis conuentualibus per electionem capitulorum suorum Canonice fuerint instituti, nisi pro manifesta, & rationabili causa non mutentur, videlicet, si fuerint dilapidatores, si incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amouendi merito videantur.* Ponderanda sunt illa verba: *Nisi pro manifesta, & rationabili causa non mutentur* quæ clare indicant, superiorem non esse remouendũ, nisi prius causa sit manifesta; nõ potest antẽ causa fieri manifesta nisi per formationem processus, vt docet Glos. 11. Dilapidatores ibi. illis verbis: *Denec causa cognoscatur.*

Sine ergo instructione processus quis priuari non potest.

Secundo probatur per cap. Ea, quæ 8. de stato monach. 11
his verbis: *Si autem dilapidator inuentus fuerit, vel aliàs merito amouendus per diœcesanum, postquam hoc sibi à visitatoribus demũ datum fuerit, amoueatur absque strepitu iudiciali à regimine Abbatiæ.* Considerandum est *Primo*, quid importent illa verba: *Si inuentus fuerit dilapidator*, nam significant, aliquem non posse inueniri iuridice, & legitime dilapidatorem, nisi prius per legitimos testes probetur delinquens *Secundo*, illa verba *Absque strepitu* eximunt quidem iudicem ab apicibus iuris, sed non ab essentialibus iuris ordinis, iuxta quod dixi cap. 2.

Tertio probatur per cap. Qualiter 24. de accusat. vbi 12
postquam nonnulla retulit ad inquirendum contra Prælatum in ordine ad priuandum illum ab officio, tandem cõcludit: *Hunc tamen ordinem circa Regulares personas non credimus vsquequaque seruandum qua cum causa requirit, facilius, & liberius à suis possunt administrationibus amoueri.* Ex quibus verbis colligitur, iudicem regularem, ex quo non tenetur totaliter seruare formam in dicto capite præscriptam in deponendo prælato à suo officio, obligari nihilominus ad aliqua, hoc est, ad substantialia, sine quibus processus subsistere non potest, nempe examinare testes, citare reum ad respondendum, quare non sit priuandus suo officio, ex quo probatur deliquisse. Ita Canonistæ *super dictum cap. & in c. cum sæpe, de verb. significat. Sigism. dub.* 95. *num.* 10. *de elect. Melfius de pœnis c* 1. *fol.* 26 *&* 27. *& sub dicto textu plura dixi c.* 2. *n.* 8. *& à n.* 34. *ad* 42. vbi respondi variis obiectionibus. Ita docent omnes, quod superiores à suis officiis inauditi, hoc est sine processu non sunt remouendi *Sigism. dub.* 49. *de elect. n.* 4. *&* 6 *dub.* 95. *n.* 10. *& dub.* 102. *n.* 6. *Sanch. l.* 7. *c.* 29 *n.* 118. *Rodr. tom.* 2. *q.* 26. *art.* 1. *&* 2. *Lezana tom* 2. *c.* 12. *num.* 30. *Melfius de pœnis c* 1. *q.* 4 *fol.* 25. *Spathar. tract.* 3. *c* 19 *n.* 4. *ex statutis sui ordinis latius tract.* 9. *cap.* 4. *n.* 2. *ab Angelis Carmelita c.* 25. *n.* 5. *citans Mirandam q.* 28. *art.* 1. *concl.* 6.
vbi, quod semiplena probatio impedit ab officio, plena ve- 13
ro necessaria est ad remouendum ab officio. Clarius *de S. Iuliano c.* 8. *Aduert.* 4. §. 4 *n.* 9. vbi aliis citatis, infert, sententiam contra inauditum latam esse nullam, fol. 229.

Leo Zambellus ordinis Minorum de preseruantia in 14
suo Responsorio Morali, dicit, quod Generalis aut Prouincialis priuare potest Guardianum suo officio, etiam sine causa, ex suo beneplacito, & pro se citat *c. Qualiter* 24. *de accusat. & c. Per tuas, de sim. Lauor. c.* 23. *de elect n.* 23. *&* 24 *Sigism. par.* 1. *de elect. c.* 7. *num.* 7. *Ioseph à S. Maria tract.* 5. *c.* 6. § 1. *quos citat Barb. ad dictum c. Qualiter* 51. *Facilius, inquit Melfius c.* 1. *q* 2. *fol.* 3. In illis autem textibus dicitur, quod facilius remouentur regulares, quam seculares à suis administrationibus.

Contra, quia facilitas remouendi regulares non tollit 15
formationem processus quo ad substantialia, sed tantum iuris apices; adde quod facilius remouentur, hoc est, propter delicta, licet non sint tam grauia, quam debent esse respectu Prælati secularis. Vel dic, quod facilius remouentur, quia habent vnde viuant, cum alantur semper à
monasterio, Prælatus vero secularis priuatus beneficio 16
magnũ patitur detrimentũ, dum ei subtrahuntur fructus beneficij, à quo deponitur. Et ex his patet ad illa duo capita, immo expresse sunt cõtra ipsum Zambellũ, dũ dicunt, remoueri ea causa, & non sine causa, vt falso ipse dixit.

Lanorius vero non sentit cum Zambello, eo enim in 17.
loco sequitur dictum Sigismundi, qui vt supra vidimus, ait superiores facilius quidem remoueri, sed causa probata dub. 49. n. 4. & 6. & dub. 95. n. 10. ait, quod iudex non eximitur ab iis, quæ sunt de substantia iudicij, & pertinent ad cognoscendum veritatem, & dub. 102. n. 6. ait, insufficientiam remouendi prælatum esse concludenter probandam. Itaque ea facilitas non est referenda ad modum procedendi, quasi essentialia saltem ea parte relinqui possint, sed ad apices, & qualitatem delicti.

Secundum, quod ab officio manuali quis remoueri 18
possit sine causa à superiore pro suo arbitrio, colligitur clare ex cap. Cum ad monasterium, de statu monach.

Tales autem ad agenda officia monasterij deputentur, qui
fideles fuerint, & discreti. Nec alicui committatur aliqua
obedientia perpetuo possidenda tanquam in sua sibi collo-
cetur vita, sed cum oportuerit, sine contradictione qualibet
reuocetur. Ibi Barb. citat Doctores num. 7. Et id confir-
matur pro omnibus regularibus in cap. 5. sess. 25. ibi. *Ad-*
ministratio autem bonorum monasteriorum, seu conuentuum
ad solos officiales eorumdem ad nutum superiorum amouibi-
les pertineant. Ratio est, quia sicut pro libero conceduntur,
tur, ita ad libitum auferuntur, vt eodem modo dissoluan-
tur, quo nascuntur. Noto ea verba *cum oportuerit* indica-
re arbitrium, & nutum superioris debere esse à ratione
regulatum, quo etiam modo intelligendum est decre-
tum Tridentini, cum nihil noui ponat, sed ius antiquum
confirmet in suo esse. Vnde Nauar. allegatus à Peyrino
de Prælato quæst. 1. cap. 4. num. 92. ait, quod si officialis
remoueatur malo animo à superiore, potest agere coram
superiore ad restitutionem. Vnusquisque in hoc seruet
sui ordinis institutiones. Vnum hic aduerto, quod supe-
rior in hac re debet esse prudens, nam si dicat officiali
19 causam vitiosam propter quam intendit illum remouere,
illum priuare non potest, nisi prius causam probet, quia
non dicitur remouere ex suo arbitrio, sed ex causa culpa-
bili, ideo ea omnino est probanda, aliter recte appellat à
remotione, si reuera non errauit, immo & si errauit, quia
dum ordine essentiali non seruato fert sententiam, & pri-
uat officio etiam iure reum, infert grauamen eidem vt di-
xi cap 89. num. 10. nam grauamen etiam ex modo pro-
cedendi indebito infertur, vt ibidem dixi.

Quæres 3. Quænam sint officia, à quibus officialis
inauditus remoueri non potest, sed processus formandus
est, vt possit priuari?

20 ℞. Officia electiua, à quibus remoueri non possunt
inauditi, sunt sequentia Generalatus, Prouincialatus,
Prioratus, Guardianatus, Definitoratus, Custodiatus,
Discretatus. Abbatiatus, Præpositatus, Rectoratus, &
quouis alio nomine instituti per canonicam electionem
in dictis officijs, quæ adiunctam habent superioritatem.
Aliæ vero dicuntur Manualia, vt officium Procuratoris
conuentualis, non tamen Ordinis, Sacristæ, Cellerarij,
Confessarij, Syndici, & alij. quorum officia honoris non
dicuntur, sed oneris, & laboris, etiamsi assumerentur per
21 electionem suffragiorum conuentus. Excludo ab his
officia Magistri nouitiorum, cum vere sit electiuus,
Regentis, & Rectoris, cum sint honoris, à quibus remo-
uendi non sunt sine causa, & citatione, cum huiusmodi
priuatio grauissima sit pœna in eorum non leue dedecus,
qui etiam ad hæc non solent promoueri, nisi per electio-
nem, & examen eorũ meritorum, vnde certũ ius acquirũt,
quo priuãdi nõ sunt nisi ex causa cognita, & ipsis auditis.

22 Dices per hoc distinguuntur officia manualia à perpe-
tuis, quod illa temporalia sunt, non ista, ex allatis à Sanch.
lib. 7. c. 29. à n. 104. ergo siue sint collatiua, siue electiua
præsertim apud Regulares, cum sint temporalia, omnia
sunt manualia, ac proinde ad nutum superioris amouibilia.

23 ℞. Ex eo quod officia de perpetuis effecta sũt tẽporalia,
non ideo mutatur in illis ius, quod promoti acquirunt per
suam electionem canonicam, quæ siue referatur ad per-
petuam, siue temporalem promotionem, certo dat ius
quæsitum promoto secuta confirmatione, electio autem
scrutinio publicato, dat electo ius ad rem, *Glos.* 11.
Relatio cap. Quanto dist. 63. & 11. *Resilire cap. Cum inter*
21 *de elect. Lauor. tit. de elect. cap. 19. num.* 107. Confir-
24 matio vero perficit ius, quod à re transit in rem, *idem*
Lauor. cap. 25. num. 66. Tambur. tom. 1. disp. 6. q. 1. n. 22.
qui disp. 11. q. 4. ait, illud perfectum ius acquirere etiam
ante possessionem officij, nam in religionibus formaliter
non est in vsu ille actus possessorius, qui dicitur de facto
quæsitus etiam in ipsa confirmatione formali, vel virtuali,
ex qua publicatur electio.

25 Hinc collige cur officia electiua parte non citata re-
moueri non possint ab officiali, sicut manualia, nam ea est
ratio, quia nemo priuandus est iure suo, sine culpa, nisi
subsit causa, quæ constare debet in forma probante,
consecutus autem officium per electionem, & secuta con-
firmatione dicitur habere ius quæsitum ad illud officium,
non sic ille, qui obtinuit officium manuale, in quo confir-
matio non habet locum, sed sola obedientia superiori de-
bita, ergo in electiuis remouendis requiritur causa proba-
ta, & parte audita, non vero in manualibus, in quibus
officialis nullum ius acquisiuit, dum a iure vocantur obe-
dientialia ad nutum superioris?

Quæres 4. Propter quæ delicta officialis electus remo-
ueri possit ab officio?

℞. Delicta Debent esse grauia, quia grauis pœna est 26
priuare officialem suo honore. In cap. Monachi 2. de sta-
tu monach. Assignantur in exemplum duo delicta, hono-
rum dilapidatio, vita incontinens, aut quid tale, Dilapi-
dare autem est bona monasterij prodigaliter, & indiffe-
renter rogare, secundum Archid. in cap. statutum de re-
scr. in 6. & à fortiori si sit fur, pariter luxuriosus ducen-
do vitam incontinentem. Vide *Mellium referentem cap.*
3. de Pœnis quæst. 3. fol. 121. varia delicta, propter quæ
officiales in suo ordine priuantur.

Quæres 5. An priuare aliquẽ ab administratione idẽ
sit ac auferre illi officium, per quod dicitur administrare?

℞. Sistendo in iure, remotus præcise ab administratio- 27
ne, vt contingit in causa dilapidationis, non dicitur remo-
tus à prælatura, sunt enim diuersa, & stare potest præla-
tura, ac superioritas sine administratione, non hæc sine
illa, cum tanquam accidens suo debeat inhærere subiecto,
vnde remanet prælatus sine administratione, cui est obe-
diendum, *Glos.* 11. *Donec causa, in fine, cap fin. 3. q. 2. Vide*
in cap fin de statu monach. dicitur: *Amoueatur à regimine*
Abbatiæ, & monasterio prouideatur interim administrator,
donec ipsi monasterio fuerit de Abbate prouisum Ex quo
textu solent quandoque iudices auferre administrationem,
non dignitatem. *In cap. Qualiter 24 de accusat. cap. Per-*
tuas 35. de simon. superiores regulares dicuntur amoueri
ab administratione, nulla facta mentione officij, & præla-
turæ. Sed quicquid sit de hoc, iudices exprimant obiectũ
priuationis esse ab officio, & sic ab vtroq; remoueatur, cum
ea expressione, ne detur occasio reis priuatis se tuendi, non
fuisse amotos ab officio, sed tantum ab administratione.

Quæres 6. An accusatus, vel denuntiatus super delicto
priuante officio, vel voce, possit nihilominus prosequi
suum officium?

℞. Potest prosequi suum officium, & ei est obedien- 28
dum, quia nondum est illo priuatus per sententiam, vt re-
quiritur, ad minus declaratoriam criminis. Confirmatur,
quia etiam post sententiam per interpositam appellationẽ
prosequitur suum officium, & obedientiam sibi debitam,
vt probaui c. 90. n. 40. ergo à fortiori ante sententiam.

Quæres 7. An accusatus, vel denuntiatus super aliquo
delicto possit promoueri ad prælaturam, & aliud offi-
cium electiuum?

℞ Negatiue, quia cum eius opinio sit grauata ex ea 29
querela dicitur inhabilis ad promotionem, & sic carere vo-
ce passiua, non autem actiua, ex ea differentia, quod ex
querela de habili fit inhabilis, nullum enim ius habet ad
vocem passiuam, sicut habet ius quæsitum in voce actiua,
qua ideo priuari non potest nisi per declarationem crimi-
nis iam perpetrati. Colligitur *ex c. omnipotens 4. de accusat.*
Glos. 11. sententia c. n. 8. q. 4. Intellige si sint grauatus per
bonos viros, & non maleuolos, ex allegatis *à Barb in dicto*
c. 4. Lauor. c. 16. n. 103. & 104. de Angelis Carmelita c. 25.
n. 5. ex Miranda, dicit, quod requiritur semiplena proba-
tio, vt quis dicatur exclusus à promotione, plena vero ad
remouendum reum à suo officio iam quæsito. Neque
enim simplex querela sine probatione persuadere potest,
quod quis sit repellendus a promotione.

Quæres 8. An sine aliquo processu possit quis priuari
voce actiua, licet incursa ipso iure? De passiua dixi in
præcedenti quæstione.

℞. Requiritur sentẽtia criminis propter quod incurritur 30
declaratoria, ante quã huiusmodi pœna nõ dicitur afficere
reum, vt latius dixi c. 90. n. 37 Quod verum est etiamsi di-
catur in lege, seu statuto, quod ipso iure, & absque alia
declaratione

declaratione incurratur, quia ista negatiua refertur ad
declarationem pœnæ, & non ad declarationem delicti,
31 ad quod pœna sequitur. *Absque alia declaratione* scilicet
iuris non facti, crimen enim declarandum est, vt sciatur,
an inculpatus sit reuera reus pœnæ iam à lege statutæ, &
declaratæ; *Sanchez lib 9. disp. 30. num. 1. Lessius lib. 2. cap.
29. num. 63. Filliuc. tract. 44 cap. 6. apud Thesaurum par.
3. cap. 5. Ampliat. 1. Ianuar. resol. 65. num. 61.*

32 Aduertendum tamen est, quod si priuatio vocis vtriusque sit effectus excommunicationis, tunc ea incurritur
ipso iure sine alia declaratione, ita quod excommunicatus
illicite dat suffragium actiuum, & recipit passiuum, nondum, vero denuntiatus valide quoque eligit, ita de communi *Sayrus lib 2. cap. 6. num. 4. Castropal. de excommun.
p. 13. num. 9 à num 12.* refert duas sententias, aliquorum
33 asserentium excommunicatū vitandum cum aliis eligendo non inficere electionem, quando voces superfunt,
contra alios dicentes inficere. Idem dic de priuatione vocis, vt est effectus suspensionis ab officio, vt omnes docent *cum Castropal. de suspens. p. 1. §. 1. num. 1.*

Quæres 9. An priuatio officiorum obliget in conscientia statim post perpetrationem delicti, propter quod incurritur, an post sententiam?

34 ℞. Obligare post sententiam criminis declaratoriam,
& non ante, quia adhuc dicitur habere dominium, &
possessionem sui officij, ad cuius priuationem actualem
requiritur executio, quam nemo tenetur contra seipsum
exercere, nisi delictum ita sit notorium, vt non possit celari. Ita *Sanch lib 6. cap. 15. num. 65 & lib. 2. cap. 39. fine,
Lessius lib. 2. cap. 29. num. 63. Sanctarell de apost. cap. 4.
num. 15. Quaranta 11. Sodomia limit. fin. Barb allegat. 44.
num. 29. Regin lib. 13. num. 284. apud Thesaur. de pœnis
par. 1. ca. 18. quæst. 3.* Contra nonnullos cum Sayro *in
Claui lib. 3. cap. 9. num. 35. Garzia de benef par. 11. cap. 10.
num 18. 19. & 20.*

Quæres 10. An inhabilitas ad officia incurratur ante sententiam?

35 ℞. Inhabilitas incurritur solum post sententiam nominis declaratoriam. Ita *Nauar. cons. 92. de simon. Lessius lib.
2. cap. 35. dub. 16. Sanch lib. 9. disp. 30. & lib. 2. cap. 39. fine,
Suar. tom. 1. de* Relig. *tract. de simon. cap. 61. num. 11. cum
aliis Thesaur. par. 1. de pœnis cap. 30. quæst. 2.* vbi quod si
inhabilitas proueniat ex aliqua censura, vel irregularitate, ipso iure incurritur, iuxta in præcedentibus dicta. Iterum infra cap. 94. quæst. 33.

CAPVT XCII.

De Iudiciis, & Causis Criminalibus.

1 QVamuis hæc duo vocabula confundantur, & pro eadem re accipiantur, tamen notabilis differentia
inter ea inuenitur, si volumus speculari, prout infra patebit in propriis quæstionibus.

Quæres igitur primo quid sit Iudiciū & quid sit Causa?

2 ℞. Primo, Iudicium est actus trium personarum, iudicis, actoris, & rei, in iudicio contendentium. Vel sic.
Iudicium est legitima discussio causæ facta per iudicem
cum strepitu forensi. Vtraque colligitur *ex cap. Forus, de
verb signif Nauar. in consil. de iudiciis, Suarez Par. tom. 1.
in praxi Annot. 1. num. 51. Barb. ad Rubr. de iudic. num. 7.*
Vbi eam explicat.

3 ℞. Secundo, Causa sic definitur à Cicerone apud Nizolium. Est res, quæ habet in se controuersiam in dicendo positam cum personarum certarum interpositione. Est
igitur lis, & controuersia inter actorem, & reum à iudice
decidenda. Vtriusque autem Iudicij, & Causæ definitio
communis est iudiciis, & causis tunc criminalibus, tum
ciuilibus, dum earum termini vtrique applicari possunt.

Quæres 2. Quæ differentia sit inter Iudicium, &
Causam?

4 Resp. Eam colligi ex diuerso modo cognoscendi quodnam eorum sit ciuile, an criminale. Nam ad cognoscendum, an iudicium sit ciuile, vel criminale non attenditur finis, & effectus agendi, sed solum causa, & origo,
atque principium ipsius iudicij. Ad cognoscendum vero,
an causa sit ciuilis, vel criminalis, non principium, sed
finis & effectus attenditur, nempe, an pœna applicanda
sit fisco, an parti; ac propterea datur iudicium criminale,
attenta illius origine, & tamen causa non est criminalis,
sed ciuilis. Ita Blanchus *in sua practica crimin. §. visis indiciis num. 158. & 159 apud Farin q. 100. n. 57.*

Quæres 3. Quotuplex sit Iudicium?

℞. Duplex Ordinarium, & Extraordinariū. Ordinarium 5
illud est, in quo proceditur seruato ordinis iure tum essentiali, tum accidentali. Extraordinarium vero est illud, in
quo seruantur tantum essentialia. Id prosequuntur iudices
priuilegiū habētes agēdi summarie, sine strepitu iudiciali, sola veritate inspecta. Alias explicationes, & diuisiones vide apud Angelum, & Siluestrum, *Barb. ad Rubr.
de indic num. 9.*

Quæres 4. Quotuplex sit Causa?

℞. Triplex. Ciuilis, Criminalis, & Mixta. De qua di- 6
uisione *Farinac. quæst. 100. cap. 1. Suares de Pace tom. 1. in
proœm. Annotat. 1. de iudic. num. 19. de Bictis quæst. 10. Miranda quæst. 1. num 45. Barb cit. num. 3.*

Ciuilis est illa, in qua agitur pro interesse, & commo- 7
do priuatæ personæ, siue agatur ex contractu, siue ex crimine, vt actori fiat restitutio, vel vt damnum illatum eidem reficiatur. Ita Clarus *quæst. 1. Iason in Rubr. C. de iud.
cum aliis Barbosa cit. num 4. de Bictis quæst. 10. numer. 3.
Farin. quæst. 100. num 6.* Quando ergo causa cedit in vtilitatem proximi dicitur ciuilis, vt si maritus agat ad separationem thori propter adulterium, *Farin. quæst. 100. num.
9.* Item reus excipiendo contra testem, vt se defendat,
non ad puniendum, dicitur agere ciuiliter, *Farin. num. 16.
& 17.* Item ciuilis est causa mota contra iniquum detentorem, *num. 32.* Item mota pro pace rupta ad soluendam
pœnam conuentionalem, *num. 33.* Item pœna applicatā
partim fisco, partim priuato, ab eo in consequentiam
huius est criminalis; ciuilis vero, si à priuato veniat in 8
consequentiam fisci, tum quia ciuilis denominatur à maiori commodo priuati; tum quia in mixtis denominatio
debet fieri à potentiori, & ab eo, quod principaliter agitur, non autem in consequentiam, *l. Mixtum, §. qui furtum
ff. de furtis, Farin. quæst. 100. num 56.*

Et ex his patet, quid sit agere ciuiliter de crimine, cum 9
scilicet iudex in iudicio criminali, quod ducit originem à
crimine, non intendit punire delinquentem, sed consulere
commodo actoris, vt patet in exemplis allatis de Marito
contra vxorem, & Reo contra testes. *Farin. quæst. 100.
num. 6. 7. & 9. de Bictis quæst. 10. num 3.*

Criminalis est illa, in qua principaliter agitur ad vin- 10
dictam, & pœnam inferendam reo ob commodum publicum. Ita omnes supradicti. Procedit 1. siue pœna sit corporalis, siue pecuniaria. Ita omnes *cum Farin. quæst. 100.
n. 3. de Bictis q. 10. num. 2. Barb. in Rubr. de iudic. num. 4.*
Procedit 2. siue agatur ad pœnam ordinariam, siue extraordinariam, *Farin. num. 19. & 20.* Procedit 3. vbi agitur
de infamia, cum sit maior pœna corporali, *num. 29.* Pro- 11
cedit 4. si agatur contra alienantes in forenses sub pœna
fisci, *num. 36.* Procedit 5. quando agitur, de damno illato
in agris, *num. 37* Procedit 6. si agatur de turbata possessione in ordine ad pœnam, *num 38. 40. & 45.* Procedit 7.
quandocunque pœna applicatur fisco, *num. 1.*

Mixta est illa, in qua pœna ex parte applicatur fisco, 12
& ex parte actori Ita Decius *in Rubr de iudic. num. 62.
Ioseph. Ludouis. decis. 71. Barbos. hic num. 6. cum aliis de
Bictis q. 10. num 8. Farin.* q. 100. num. 50. qui num. 56. vocat ciuilem, quando maior pars pœnæ tribuitur actori,
quam fisco, ob rationem supra adductam.

Quæres 5. An in dubio pœnæ pecuniariæ veniat causa ciuilis, an criminalis?

℞. Venit causa ciuilis, secundum *Menoch. l. 1. de arbitr. 13
q. 88. n. 1. 5. & 6. Buccarenus de different. inter iudic. ciuil. &
criminal. in præmiss. 3. Barb. ad* Rubr. *de iudic. n. 5.*

Quæres 6. An causa intentata à iudice in ordine ad pœnam priuationis beneficij, officij, dignitatis, & superioritatis sit criminalis, an ciuilis.

14 ℞. Est criminalis, quia intenditur punitio, quæ cadit in vtilitatem reipublicæ, l. si ita vulneratus ff. ad legem Aquil. vbi dicitur, quod reipublicæ interest, ne delicta impunita remaneant. Confirmatur, quia in cap. Qualiter 24. de accusat. *Qualiter* dicitur *& quando debeat Prælatus procedere ad inquirendum, & puniendum subditorum excessus.* Ita Berous *in Rubr de iudic. n. 66. Spathar. tract. 7. cap. 3. num. 4. Melsius part. 1. de pœnis cap. 2 q. 5. Resp. 3. fol. 63.* contra Clarum, & Farinac. q. 100. n. 16. & 19. Qui nullo nituntur sufficienti fundamento, nam siue pœna sit ordinaria, siue extraordinaria, semper arguit causam criminalem, dum est imposita propter delictum, & ad eum finem, vt delinquens puniatur; nullus autem negabit, magnam esse pœnam priuationis ab officio, cum per eam priuatus valde erubescat, & affligatur in honore, cum per sententiam fiat infamis, vt notaui cap. 88. num. 54.

Quæres 7. An ex distinctione pœnæ ordinariæ, & extraordinariæ inferatur distinctio causæ criminalis à ciuili?

15 ℞. Negatiue, sed causa dicitur criminalis sub quacunque ex his pœnis terminetur, quia non ex qualitate pœnarum causa denominatur criminalis, aut ciuilis; sed criminalis appellatur ex eo, quod iudex procedit in causa, vt reum puniat præcise, quia deliquit, ne crimina remaneant impunita; ciuilis vero ea est, in qua iudex punitionem non quærit, sed bonum personæ priuatæ, vt notum est ex supradictis. Ita *aliis citatis Farinac. q. 100. num. 19. & 20.* contra nonnullos alios, qui ex pœna ordinaria cognoscunt causam criminalem, & ea pœna extraordinaria inferunt causam ciuilem, hoc citat idem Farinac. *n. praced.* 20. *cum quibus est de Bictis q. 10. n. 7.*

Quæres 8. Quando concurrunt plures causæ siue ciuiles, siue criminales, vel diuersæ, de quanam prius agendum est?

16 ℞. Primo, quando causa ciuilis est principaliter mota, & criminalis est incidens, tunc vtraque terminatur à iudice, expresse *l. cum ciuili 3. C. de ordine cognit.* Criminalis vero facit supersedere ciuilem, & è contra ciuilis criminalem, quando secunda principaliter intentatur, *ex Farinac. q. 100 num. 86.* Secundo causa criminalis principaliter intentata post ciuilem facit ciuilem supersedere, expresse *l. Quoniam 4. C. de ordine cognit. Farinac. q.* 100. *n. 58.* Tertio, causa ciuilis mota post criminalem, prius est cognoscenda, quam criminalis, quando ea est præiudicialis criminali, licet sit prius intentata, & hoc propter præiudicialitatem, & è contra. *Farinac q. 100. n 60. &* 61. Quarto, quando causa criminalis est præiudicialis ciuili, & tunc si vna compatitur alteram, in vtraque iudex procedit, *ex Farinac n. 75.* Reliqua vide apud eundem q. 100. per totam.

CAPVT XCIII.

De Litis Contestatione.

1 DE hac materia breuiter dixi cap. 2. num. 24. vbi inter apices iuris connumeraui. Sed quia de ea proprium caput non institui, quod ordine doctrinæ attento reponendum erat post cap. 64. ne varientur, sub præsenti pauca subiiciam.

Quæres 1. quid sit litis contestatio?

2 ℞. Contestatio litis est hinc inde narratio negotij facta coram iudice per actorem, & reum, sibi inuicem respondentes super causa; Contestatur ergo lis affirmatione vnius, & alterius negatione, vt dicunt *Menoch. lib. 2. de præsumpt. 30. n. 1. Mascard. concl. 414. cum aliis Barb. ad l. 1 C. de litis contest. n. 2.* Itaque ad eam tres personæ concurrunt, Actor, & Reus inter se litigantes, & Iudex eos audiens.

Quæres 2. An ad contestandam litem necessarium sit, quod actor, & reus simul agant coram iudice?

℞. Negatiue, sufficit enim, quod vnus post alium agat, vnde Actor à quo processus incipit, proponat suam querelam, absente, immo & ignorante id reo, ne ei detur occasio fugæ, & faciat etiam examinare testes, non est ergo necesse, quod pars sit præsens, etiamsi iudex procedat ad instantiam partis, ita Clarus *q. 45. §. Et in primis cum aliis de Bictis q 81. n. 3. Farinac. q. 10. num. 55. Petrus Caballin. cent. 3. quæstion. crimin. casu 269. num. 11. Guazin Defens. 20. c. 18. n. 2.* Tunc ergo contestatur lis inter actorem, & reum, quando post processum informatiuum reus à iudice interrogatus respondet affirmando, vel negando delictum, siue sit præsens, siue absens actor, *ex eodem Guazino ibidem.* 3

Quæres 3. An citatio rei ad respondendum querelæ sit litis contestatio?

℞. Non est litis contestatio, sed quid præuium ad illam, 4 nam reus citatus verbaliter, vt plurimum arripit fugam, vnde solet citari realiter per capturam, & conijci intra carceres, ex quo constat citationem esse aliud à contestatione, dum citatio consistere potest sine vlla interrogatione, & responsione eius facta per iudicem, in quibus consistit contestatio litis.

Quæres 4 Quomodo citatus, qui fugam arripuit, dicitur contestari litem?

Resp. cum absens, & contumax pro confesso, & conuicto habeatur, contestatio fingitur facta per fictam confessionem, per quam iudex procedit ad condemnationem. Ita Farinac *q. 10. n. 55 Scaccia lib. 1. Iudic. cap. 103. n. 9. fine, ex illis Guazin. Defens. 20. c. 18. n. 3.* 5

Quæres 5. An reus comparens, parte absente, & respondens ad primam interrogationem dicatur litem contestari.

Resp. Affirmatiue, cum ea consistat in responsione 6 facta iudici, quod procedit, siue agat ad instantiam partis, vel ex suo officio. Ita Arctinus *cons. 58. n. 7. cum aliis Farinac. q. 10. n. 55.*

Ex his colligitur, contestationem litis, in sensu exposito 7 esse de essentialibus iudicij, & non posse omitti, ex quo nec citatio prætermitti potest, nec inauditus, condemnari. Et ita tenet *Miranda q 21. n. 63. cum aliis Barb ad c. vn. de litis contest. n. 5.* Nec id obstat, quod dixi c. 2. num. 24. nempe litis contestationem esse de apicibus iuris, quia ibi locutus sum de simultate, & compræsentia actoris, & rei, secundum iura, quæ petunt interrogationem actoris factam coram reo, & responsionem ipsius rei coram iudice, *ex c. 1. de litis contest. ibi Glos. 11. Responsiones,* & ita intelligendi sunt Doctores locis citatis, dum dicunt litis contestationem, scilicet, simultate tẽporis faciendã esse de apicibus iuris, cũ Clem. Sæpe, de verb. significat. vbi dicitur, quod iudex de plano procedens omittere potest contestationem litis, hoc est, potest reum interrogare iudex sine præsentia actoris, solemnitas ergo simultatis est de apicibus iuris.

Non placet, quod dicit de Angelis Carmelita cap. 17. 8 n. 2. nempe citationem, & litis contestationem in substantia esse idem, ac vocare reum, & ab ipso petere iudice confessionem, & reum respondere ad interrogata; Quia stare potest vnum sine alio, nimirum citationem, vt constat in citato fugiente, immo & in carcerato per citationem realem, posito enim reo in carcere, perfectus est, & absolutus actus citationis, & nondum reus est interrogatus, nec proinde ab eo data responsio; citatio ergo aliud est à confessione litis; verum quidem est, quod citatio procedit, & est quid illi præuium, ergo ambo idem esse non possunt, dum vnum necessario est prius altero.

Quæres 6. An lis contestari possit ab vtroque per procuratorem?

℞. In causis ciuilibus regulariter contestatur per procuratores vtriusque partis, qui vices gerunt actoris, & 9 rei. In criminalibus contestanda est per ipsos actorem, & reum, vt patet ex dictis, nam iudex interrogat reum positum

sita saltem semiplena probatione delicti, & dum ille respondet iudici affirmando, vel negando delictum dicitur litem contestari.

Quæres 7. An quandoque causa terminari possit sine contestatione litis.

80 ℞. Barb. in cap. Vn. de contest. litis num. 6. refert casus, in quib. lis non contestatur, quorum *primus est*, quod in causa hæresis lis non contestatur, ita ex Cardoso *in praxi iudic. 11 Lis, numer. 20. Camill. Borella in summa omnium decis. tit. 50. num. 52. plures alios citat Farinac. quæst. 185. num. 17.* Sed quicquid sit de formali huius contestationis, certum est, reum interrogatum de fide respondendo litem contestari. *Secundus est*, quando petitur aliquem declarari excommunicatum, Sed revera interuenit etiam hic litis contestatio, citatur enim, vt respondeat, & dum responsum præbet, vel negat se esse excommunicatum, vel fatetur se talem esse, ex quo apparet etiam in hoc litem contestari. Quod declarandus excommunicatus sit citandus dixi cap. 65. num. 25. *Tertius est*, in notoriis lis non contestatur, *Farinac. q. 21. n. 65.* Sed cum citetur ad respondendum, & se defendendum, vt dixi cum eodem Farinac. cap 65. q. 19. meo iudicio respondendo litem contestatur. *Quartus casus est*, cum summarie proceditur, *ex Cardosio cit. & Scaccia q. 15. de appellat. num. 245.* Sed cum iudex non possit procedere, etiam in summariis iudiciis ad condemnationem rei, nisi eo citato, ideo respondendo dicitur litem contestari. Quare interpretari possunt, quod non est necessaria litis contestatio, quantum ad eius solemnitatem, vt scilicet, simul sint actor & reus, & ille interroget, & iste respondeat, *ex l. 1. C. de contest. litis, ibi glos. 11. cum index, ex L. 2. C. de iuram. calum.* quod manifeste indicat simultatem vtriusque & præsentiam, litis enim contestatio fit, iudice interrogante, actore proponente suam actionem, & reo respondente ad interrogationem iudicis, *inquit glos. ad cap. Vn. de litis contest.*

CAPVT XCIV.

De Pœnis delictorum in genere.

1 Pœna est modum humanæ naturæ contrarium, quo delinquens à iudice punitur ob reipublicæ bonum in vindictam delinquentis.

2 Dixi primo esse malum, non quidem culpæ, quod est peccatum, sed pœnæ ac proinde secundum quid tale, & non simpliciter, quia ex fine malum non est, sed bonum, hoc ipso, quod est actus iustitiæ vindicatiuæ, bonum igitur est pœna, quia vindicat, malum vero, quia patienti est incommodum, afflictio, & tristitia, de hoc malo intelligitur illud Isaiæ 45. 7. *Ego Deus creans malum*, scilicet pœnæ.

3 Dixi 2. Id malum esse contrarium naturæ, habet enim homo incommodum, afflictionem, & tristitiam in subeundo pœnam, vnde per hæc explicatur ea contrarietas. Duæ autem conditiones ex hoc habet pœna, *Primo*, quod sit inuoluntaria eam patienti, nollet enim eam pati, ex quo cogitur eam subire, vt iustitiæ satisfaciat, habet ergo pœna de ratione inuoluntarij, cum sit contraria voluntati, dum eam sponte non acceptat, *ex D Thom par. 1. q. 8. art. 5. & 1. 2. q. 87. art. 2. & 6. & 2. 2. q. 18. art. 3.* Secundo, quod infligatur ad vindictam, finis enim iudicis hoc debet esse, vt puniatur delinquens ob bonum commune, quia interest reipublicæ vt malefactores castigentur, est enim pœna vnius metus multorum, Deuter. 17. 13. *Cunctusque populus audiens timebit*, cap. Quapropter 47. 2. q. 7. vbi dicitur, quod *transgressionis vltio fit cæteris interdictio delinquendi.* Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres 1. An omnis pœna supponat culpam.

4 ℞. Affirmatiuè, quia sunt relatiua ad inuicem, ergo vnum non datur sine alio, pœna enim infligitur propter transgressionem, ex *l. Sancimus 22. C. de pœnis*, vbi dicitur, quod pœna debet culpæ respondere. Ita omnes *cum D. Thoma 2. 2. art. 4. q. 108. & 1. 2. q. 87. art. 7. Barbosa Vot. 11. Pœna. n. 10.*

Quod si dicas, id non esse vniuersaliter verum ob duas rationes. Primo ex Reg. 23. in 6. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus, ergo datur aliquando pœna sine culpa. Secundo, leges pure pœnales non obligant ad culpam, secundum opinionem valde probabilem, *apud Dianam resol 17. de legib. Becanum de lege pœnali q. 2.* Et hoc est certum in multis religionibus, quarum Regulæ, & constitutiones non obligant nec ad culpam venialem, vt in mea Religione expresse in Regulis Nicolai IV. & Leonis X. & in Dominicana teste Sanct. Thoma 2. 2. q. 186. art. 4. Sanch. lib 6. c. 4. n. 11. ergo datur pœna nulla præcedente culpa. 5

Respondeo, quod culpa dupliciter spectari potest, vt legalis est, in quantum importat legis transgressionem, siue immediate obliget ad culpam, vel non obliget: vel vt Theologica est dicens peccatum in transgrediente legem, in hoc posteriori sensu quandoque datur pœna sine culpa scilicet Theologica, & sic procedunt illa duo argumenta in oppositum relata; respectu vero prioris sensus pœna semper supponit culpam legalem, quia sine legis transgressione nullus punitur, nisi delinquens contra aliquam legem, seu statutum, saltem corporaliter, quod dico propter pœnam, quæ quandoque extenditur ad eum, qui non deliquit, vt pœna infamiæ, & confiscationis bonorum contra hæreticum extensa ad eius filios, qui non peccarunt, infra q. 52. 6

Quæres 2. An pœna debeat proportionari culpæ, & illam non excedere.

℞. Affirmatiue Deuter. 25. 2. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excedant.* Lege Mosaica quis condemnari non poterat vltra quadragenarium numerum verberationum, vnde Paulus dixit 2. ad Corinth. cap. 11. 25. de seipso, *A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi*, nimirum triginta nouem plagas quinque vicibus. Pœna igitur commensuranda est culpæ, *cap. Non afferamus 21. 24. quæst. 1. cap. Felicis §. Illud de pœnis in 6. & cap. Quæsiuit 2. de his, quæ fiunt à maior.* dicitur in fine, quod pœna non est vlterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente repertum, quia pœna commensuratur delicto, *l. Rescriptum ff. de his, quib. vt indeb.* & æquali peccato æqualis pœna debetur, *cap. Accusatus 8. §. Sacerdotes, de hæret. in 6.* Et paritas delicti paritatem pœnæ requirit, *l. Nihil interest 32. ff. de adulter.* Et vbi maior est culpa, ibi grauior debet esse pœna, *cap. cum bona de ætate, cap. Tanta, de excessib. Prælator.* Et pœna augenda est crescente malitia, seu contumacia, *Glos. 11. Cupientes cap. 4. de cohabitat. Cleric.* Vide Doctores apud *Sanch. lib. 9. cap. 52. numer. 9. Giurbam consil. crim. 53. num. 34. cons. 72. num. 5. cons. 83. numer. 8. Megal. 2. 2. lib 2. cap. 7. num 93. Becanum de pœna peccati ubi q. 2.* quærit, an omnis pœna sit propter aliquam culpam? Vbi distinguit triplicem pœnam, *Medicinalem*, quæ semper supponit culpam, & quatenus medicina infligitur quandoque propter alium finem, dum ordinatur ad consequendum aliud maius bonum, vnde Deus permittit mala corporis, & rerum temporalium propter bonum animæ. *Satisfactoriam*, quæ & ipsa supponit culpam, quia non habet locum, nisi vbi est debitum, non tamen semper in illo, qui pœnam patitur, vt patet in Christo, qui non peccauit, & tamen satisfecit pro aliis. Et *pœnam simpliciter* dictam, quæ & ipsa supponit culpam, cum pœna sit quoddam malum ad vindicandam culpam siue legalem, siue Theologicam per iudicem, reum condemnantem. 7 8

Quæres 3. Quid sit pœna ordinaria, seu legalis dicta, & extraordinaria dicta etiam arbitraria.

℞. Pœna ordinaria est illa, quæ à lege, seu statuto ordinatur, & decernitur. Extraordinaria vero, quam iudex imponit reo conformem rationi, & æquitati, in quantum scilicet debet conformari delicto perpetrato, Ita omnes. 9

Quæres 4. An iudex teneatur imponere pœnam legis, seu statuti, quando ea proportionatur delicto? An vero ea relicta possit imponere aliam sibi arbitrariam?

10 ℞. Ordinarius non tenetur, sed arbitrium habet augendi, minuendi, aut commutandi pœnas legales in alias, modo expresse non prohibeatur; delegatus vero debet pœnas legales imponere prout sunt conformes edicto. De ordinario patet apud Farinac. q. 17 num. 7. De delegato ibidem num. 66. De iudicibus regularibus, qui tenentur seruare sua statuta dixi cap. 88. quæst. 38. numer. 50.

Quæres 5. An iudex teneatur imponere pœnam legalem relicta statutaria.

11 ℞. Debet imponere pœnam statutariam, licet hæc sit minor legali, & eam impositam non potest commutare in legalem, ratio est, quia per speciem derogatur generi, nec inutile debet esse statutum ad eum finem, vt seruetur. Ita *BertaZol. vol. 2. conf. 263. num 4. Iason vol. 2. conf. 188. fine Petrus Caballin. casu 2. Rimin. Iun. vol. 7. conf. 758. num. 24. Tuschus concl. 234. lit. P. num. 6. quos sequitur Guazin. Defens. 33. c. 19. num. 1.* Etiamsi pœna legis sit maior, *Decian. Resp. 104. n. 31. vol 3 Tusch. num. 3 Guazin. num. 2.* Esto in statutis prætermitteretur pœna legalis, imposita iam statuti commutari non potest in legalem, quia iudex functus est officio *Gomez cap. 1. de delictis n. 39 Clarus q. 85. n. 5. fine, Tuschus n. 8. Guazin n. 4.*

Quæres 6 Quid sit pœna corporalis & non corporalis.

12 Resp. Corporalis, quæ & positiua dicitur, est illa, quæ corpus affligit vel directe, & proxime, vt mors, membri mutilatio, fustigatio, triremium, exilium, tortura, carceratio &c. vel indirecte remote, & in consequentiam, vt bonorum confiscatio, & pecuniæ solutio. Non corporalis, seu spiritualis, & priuatiua est illa, quæ affligit animam, cuiusmodi sunt censuræ hoc est, excommunicatio, Suspensio, & interdictum, item irregularitas, depositio, degradatio, priuatio officiorum, beneficiorum, vocis vtriusque, inductio infamiæ, & inhabilitatis. De quibus *Farinac quæst. 19. Sousa lib. 3. c. 1 n. 4.*

Quæres 7. Quid sit pœna capitis, seu capitalis.

13 ℞ Pœna capitalis est mortis illatio, secundum ius ciuile triplex, mors naturalis, mors ciuilis dãnationis ad metalla, quæ facit perdere libertatem, & ciuitatem, in cuius locum successit pœna triremium, *Farinac. q. 19. num. 3. 13. & 14.* Et mors pariter ciuilis deportationis, & relegationis, in cuius locum successit bannum, & exilium, deportatione reus perdebat ciuilitatem, non relegatus, *ex eodem num. 16.* In dubio autem an veniat mors naturalis, an ciuilis? Venit ciuilis, & inter ciuiles damnationis ad metalla, & deportationis venit hæc non illa, & inter illas deportationis, & relegationis ista. Ratio horum est, quia in dubiis mitior pœna eligitur, *l. si præses ff. de pœnis Farinac. q. 19. num. 3.* Pœna gladij, seu ferri, aut ignis, est mors naturalis, *ex eodem n. 9 21. & 22.*

Quæres 8. Quid sit pœna mortis, seu capitalis in iure canonico.

14 ℞. Neutra mors venit, nec naturalis, nec ciuilis, nisi sit exequenda à seculari, sed eius nomine venit excommunicatio, *ex allegatis à Farinac. q. 19. num. 12.* Ea hoc tamen Ecclesiæ non negatur ius sanguinis, potest enim summus Pontifex, sed ipse solus, inducere pœnas mortis naturalis, & membrorum mutilationis, habet enim vtrũque gladium, Glos. 11. Cælestis cap. 1. dist. 22. Spiritualem, ad censurandum, & temporalem ad percutiendum corpus, Couar. lib. 2. Var. cap. 20 num. 10. Solus ergo Papa habet iura sanguinis, & non alius Ecclesiasticus, nisi illi concederetur cum feudo habente iura sanguinis, & tunc per alium exercere deberet illud. Idem dic de mutilatione membri, cum hæc pœna exequi non possit sine effusione sanguinis.

Quæres 8. An iudices Ecclesiastici etiam regulares possint imponere pœnam triremium non solum ad tempus, sed etiam perpetuam.

℞ Possunt, de clericis *Clar. q 67. §. Item damnatio ad metalla, q. 70. §. Frequens est, apud Farinac. q 19. n. 34.* 15
De regularibus *Nauar. tom. 2. com. 3. de Regul. ad finem citans seipsum consil. 1. de heres. num. 2. Miranda tom. 1. q. 52. art fin. Lezana par. 1. cap. 16. n. 32. Peregrin. de subd. q. 1. cap. 17. Rodriq. tom. 2. q. 25. art. 3. Vermil. conf. 312. n. 17.* Degradatus Sacerdos si perpetuo traditus fuit triremibus, *Saluedo ad Diaz c. 145. fine.* Sunt infames, vnde reuersi non admittuntur ad altare sine dispensatione, *Rodriq. tom. 1. q. 24. art. 6. Tolet. lib. 1. c. 62. ex illis Lezana part 1. cap. 16. num. 32.* Dispensare autem possunt superiores regulares, *ex eodem Pyrrho cit. in fine illius capitis.* Dum sunt in carceribus laicis alendi non 16
sunt à religione, respondit *S. C. 8. Octobris 1591. Bariola 11. Regulares remo. Petrus Be asius in suo Prompt. Regul. 11. Triremis.*

Quæres 9. An clerici, & religiosi fustigationis pœna puniri possint.

Resp. Negatiue, quia in opinione hominum maior 17
censetur ignominia pœna fustigationis, quam triremium, esto horum pœna sit magis afflictiua corporis ex diuturnitate temporis, quam fustigationis, quæ cito transit, & talis pœna etiam à iuris doctis pro valde ignominiosa habetur, vnde solis personis vilibus datur, non nobilibus, nec honestis. *Ioseph Ludou. decis. Lucens. apud Guazin. Defens. 33. cap 4. n. 13.* vbi quod non datur clericis ob honorem clericatus, *Ugolin. de auctor. Episcop par. 2. c. 56. n. 3. Genuens. cap. 73.* Et quod dicitur de clericis, idem dicendum est de religiosis, qui dicuntur constituti in statu honorifico. Pœna ergo fustigationis, berlinæ & mitrationis imponitur solum personis vilibus, vt furibus, blasphemis, falsis testibus, & aliis infamibus personis. *Farinac. q. 19. n. 29. & consil 82. n. 3. Guazin. n. 13 loco citato.* contra *Pellizar. tract 9. c. 3. n 77.* Qui ait, fustigari posse publice per plateas. Sed certe errauit, nulla ratione munitus, est enim actus iurisdictionis contentiosæ, quem iudex regularis extra mandare non potest.

Quæres 10. An pœna verberationis religiosæ, quam vocant disciplinam, sit fustigationis species.

Resp. In religionibus solet esse in vsu pœna vt aiunt, 18
disciplinæ religiosæ, quæ nullo modo potest appellari species fustigationis, siue per proprias manus, siue per alienas patiens verberetur. Huiusmodi castigandi vsus est antiquissimus, *& habetur in Regula D. Benedicti cap. 30. & in cap. Vniuersitas 24. de sent. excom.* mandatur, prælatis regularibus vt per se ipsos, vel per clericum, aut monachum suos religiosos verberent, & non per laicos etiam seruientes in conuentu, etsi adsit consuetudo. Ita Suarez *de censur. disp. 22. sect. 1. num. 22. Rodriq. tom. 1. q. 19. art. 8. cum aliis Barb. ad dictum cap. n. 2.* Aliter vterque incurrit excommunicationem, vt expresse dicitur in texto. Itaque possunt superiores disciplinare per se vel suos monachos, etiam Tertiarios, & alios habitum deferentes licet nondum sint professi, quia in his dicuntur Monachi. Vsus autẽ frequentior est, vt rei per proprias manus seipsos verberent. Hæc autem pœna ex se non infamat, cum sint apprehensio humilitatis, & actus mortificationis, & solet fieri extraiudicialiter, & sine processu.

Quæres 11. An clericis, & religiosis dari possit tortura in pœnam?

Resp. Eam non esse in vsu contra Ecclesiasticos, sed 19
tantum contra laicos, quod sæpius practicatur etiam in leuibus delictis, vt in ludo, delatione armorum &c. *Farinac. quæst. 19. num. 10.* qui in casu nostro nihil dicit. Sunt autem alij modi reos puniendi, ideo ea non infligitur Ecclesiasticis nisi pro eruenda veritate, quæ aliter haberi non potest, *D. Anton. par. 3. tit. 9. c. 7. Spathar tract 9. c. 19. Lezana par. 1. c. 18. num. 17.* De tortura danda pro eruenda veritate dixi cap. 78. q. 23. etiam ministerio laici, n. 53. Vide Spathar. tract. 9 c. 22. cuius dicta mihi non placent, ob adductam rationem loco citato.

Quæres 12. An clerici, & religiosi puniri possint pœna carceris.

Resp. Affirmatiue, etiam perpetuâ, si delictum id 20
exigat,

exigat, colligitur ex *cap Nouimus, de sent. excom c. Antiqua de hæret. & cap. quamuis de pœnis in 6. & clem. 1. de hæresic. Farinac. quæst. 19. num. 31.* Confirmatur id pro regularibus, quia *in cap. Abbates 16. 18. quæst. 2.* dicitur quod vagabundi sub custodia reuocentur Peyrin. litt. C. c. 4. Est autem maximum dedecus religioso carcerato in pœnam condemnato, *Rodriq. tom. 2. quæst. 22. art. 2.* Ab ea autem damnatus fugere non potest, *Sayr. in claui lib. 22. cap. 18. num. 9.* Seruiens carcerariis peccat grauiter non seruans præceptum sui superioris circa custodiam, & seruitutem carcerato faciendam, subministrando cibos alios à præscriptis, *Rodriq. tom. 2 quæst. 43. art 2 Peyrin. cit. num. 3.* De carceratione reorum dixi cap. 66.

Quæres 13. An puniri possint pœna exilij?

21 ℞. Affirmatiue, cum non repugnet clericatui, nec monachatui; & licet sit pœna grauissima, quia exul factus cogitur peregrinari extra patriam, ea qua sequitur paupertas, & ex hac miseria, & ignominia, vt asserit *Magon. decis. Lucins 16. num. 25.* respectu præsertim secularium, & clericorum, tamen respectu religiosorum videtur esse leuis, quia vbique in suis conuentibus eodem modo tractantur, & extra illos in exilium mitti non possunt; huiusmodi autem exilium practicatur in causis scandali, vt remoueantur à conuentu ad conuentum. De exilio *Guazin. Defens. 33. cap. 27. numer. 24.*

Quæres 14. An pœna pecuniaria imponi possit clericis, & religiosis.

22 ℞. Potest imponi clericis secularibus, non tamen Episcopus sibi eam applicare, ne nota auaritiæ inuratur, nec conuertetur in fabricam Ecclesiæ, aut pro salario Vicarij, sed assignanda est locis piis, *ex Tridentino sess. 25. de Reformat. cap. 3. ex allatis à Barb. in cap. 3. de pœnis.* Regularibus vero nequaquam, dum sub voto paupertatis degunt, plectendis aliis pœnis corporalibus. Verum quidem est si habent liuellum, quod potest eis auferri pro expensis à iudice factis in eorum causis, eundo, & redeundo ad proprium conuentum, & damnum illatum monasterio resarciendum est.

Quæres 15. An iudices etiam regulares possint imponere suis reis pœnam depositionis, & degradationis?

23 Est autem tam Depositio, quam Degradatio pœna Ecclesiastica, per quam clericus etiam in minoribus constitutus priuatur in perpetuum absque spe restitutionis omni beneficio, & officio. Et in hoc conueniunt vtraque pœna; Differunt vero, quod depositio non priuat vtroque priuilegio, nisi depositus factus sit, & declaratus incorrigibilis; & absens potest deponi. Degradatio vero priuat vtroque priuilegio fori, & canonis, & clericus degradandus debet esse præsens propter solemnitatem induendi, & exuendi illum ignominiose. Hæc docent communiter omnes sine discrepantia ad easdem materiæ de suspensione. Vide *Barbos. ad cap. 2. de pœnis referentem Doctores.*

24 ℞. Ad solum Pontificem spectare depositionem, & degradationem Episcoporum cum certis solemnitatibus. Ad Episcopum vero pertinere depositionem, & degradationem suorum clericorum etiam sacerdotum. Per degradationem autem non semper traduntur curiæ seculari. Regulares prælati non habent ius deponendi, neque degradandi. Demum solus Papa depositos, & degradatos restituere potest, & nullus alius.

25 Prima pars de Papa respectu Episcoporum habetur *cap. Accensatus, cap. Quamuis 3. quæst. 6. Bonac. de degrad. n. 8 Castropal. n. 7.*

26 Secunda pars de episcopo deponente, seu degradante suos clericos, etiam sacerdotes per se ipsum cum præsentia Abbatum, vel illis deficientibus alios ecclesiasticos in dignitate constitutos, habetur ex Trident. sess. 13. cap. 4. etiam per suum Vicarium, ibidem. Ita supra citati.

27 Tertia de prælatis regularibus non valentibus deponere, nec degradare docetur à prædictis, *cum Gauanto 11. eod n. 6. Sayr. de cens. lib. 5. cap. 20. num. 18.* Aliquando suos subditos priuant suis dignitatibus, & officio exercitij ordinum vel ad tempus vel perpetuo, vt propter ignorantiam, vel alium defectum, non tamen dicitur depositio proprie dicta, sed talis ablatio, qua non obstante restitui possunt ab eisdem prælatis.

28 Quarta, quod solus Papa dispenset, *vt Bonac. num. 4. colligitur ex cap. 1. & 2. dist. 50. Castro-Pal num. 14.* Vbi quod episcopus dispensat cum depositis ob crimina adulterio minora per seipsum.

29 Quinta, quod depositus retineat vtrumque priuilegium fori, & canonis quod admittit degradatus, asseritur in iure *cap. Nouimus, de verb. signif. & cap. Degradatio, de pœnis in 6. Silu. num. 8. Castro-Pal. num. 2.*

30 An deponantur, & degradentur constituti in minoribus, & prima Tonsura? ℞. Sic, quia exuuntur cotta, & veste talari tonsurati & in Minoribus promoti etiam ab officio sui ordinis, immo beneficio, si quod habent, adest ergo materia sufficiens, vnde nihil prohibet, quin forma illi possit applicari. Et de minoribus nulla est difficultas, cum id expresse dicatur in cap. 2 de pœnis in 6. Sà cum Silvestro dicit, non degradari iuxta solitum constitutos in minoribus.

31 Sed ob quæ delicta quis degradatur? Castro-Pal. n. 12. numerat quatuor, hæresim, falsificationem literarum Apostolicarum, sodomiam exercitam, & conspirationem in Episcopum. Hæc in iure sunt expressa, etiam propter alia enormia, & notabiliter scandalosa potest quis degradari, ea allegatis ab eodem num. 13. Bonac. num. 6. vbi refert crimina depositione digna, quæ sunt adulterium, concubinatus perseuerantis post monitionem, simonia notoria, stuprum, incestus, furtum, periurium, homicidium, & his maiora, &c.

Quæres 16. An possit infligi pœna sine processu, & scriptis?

32 ℞. Vt pœna possit infligi reo, necessarium est, quod præcesserit non solum processus, sed etiam formalis sententia condemnatoria, aliter contra reum non potest fieri executio. Apud regulares leuibus pœnis mortificantur religiosi transgressores viua voce, sine processu, & sententia.

33 Prima pars, quod non infligatur pœna sine sententia, probatur, quia sicut pœna supponit culpam, ex probatis hic quæst. 1. Ita & pœna sententiam, hæc enim est causa illius, ac proinde causa debet præcedere suum effectum, effectus enim procedit à causa, & non causa ab effectu. Ita omnes *cum Petro Caballino casu 133. num 2. Guazin. Defens. 33. cap. 1.* Esto pœna esset clare in iure expressa, quia licet constet de illa, non tamen constat de delicto pœnam inducente, ideo prærequiritur sententia criminis declaratoria, *Peregrin. de priuileg. fisci lib. 4. tit. 5. num. 8. Guazin. num. 1. Plotus lib. 1. cons. 30. num 6. Iason vol. 3. cons. 46. n. 5.*

34 Secunda pars de religiosis explicatur, obseruando, quod apud religiosos sunt in vsu duo genera pœnarum, vnum vocatur mortificationum, alterum appellatur punitionis, & ad vindictam delictorum.

35 Sub primo genere comprehenduntur recitationes orationum; genoflexiones; disciplinæ hoc est verberationes per se ipsos, vel alios de ordine superioris, ieiunia etiam in pane, & aqua; comestiones in terra cum genuflexione; deosculatio pedum, vel terræ, &c. quæ pœnitentiæ magis, quam pœnæ ordinatæ ad conseruationem disciplinæ regularis imponuntur etiam à superioribus regularibus sine scriptis, & sententia, sola voce ab eis intimatæ transgressoribus, reddendo eis rationem, cur ab eis petunt similes pœnitentias, nempe, quia non surrexerunt ad Matutinam, quia fregerunt silentium, quia leui iniuria affecerunt suum correligiosum, quia negligentes fuerunt in suis exercitiis, quia sine licentia clausuram violarunt; quia resistunt obedientiæ superioris, & cætera, de quibus vide Spathar. tractat. 50. capit. 11. vbi ait numer. 3. eas non esse infligendas iuris grauibus in consilio definitorio, loquitur secundum statuta sui ordinis. Si religiosus est grauis, & eminens

non

non est transgressor, aliter talis non est per suam n gligentiam, & excessus extra grauitatem, & eminentiam præhendo minoribus ansam violandi obseruantias regulares, ideo videtur corrigendus seuerius aliis propter malum exemplum. Huiusmodi autem correctiones, mortificationes, & pœnitentiæ non infamant pœnitentiarium, quia leues sunt, nec arguunt delicta esse grauia, propter quæ de illis sit grauanda bonorum, & prudentum opinio.

37 Sub secundo genere comprehenduntur pœnæ priuationum actuum legitimorum, vt sunt priuationes officiorum, dignitatum; graduum, vocis vtriusque &c. hæ enim pœnæ priuatiuæ, sicut & aliæ positiuæ, & corporis grauiter afflictiuæ, vt carceris, exilij triremium &c. petunt processum, & sententiam, aliter inflictæ nullius sunt momenti, non seruato ordine iuris essentiali, ibidem Spathar. num. 4. Idem dicere de ablatione caputij, quia non leuis pœna est, dum quasi Tertiarius efficitur professus ei æquiparatus per talem mortificationem.

An missus ad cællam, ne inde exeat, sit pœnitentia, an pœna exigens sententiam?

38 Solent superiores etiam locales mittere ad cameram quosdam petulantes, & inobedientes subditos, ad eum finem, vt tollant ab eis contentiones, rixas &c. Quod eis licitum est ex honestate huiusmodi, vel alterius finis, etiamsi alias esset eis prohibitum carcerare religiosos, quia id non est prohibitum, cum huiusmodi prohibitio intelligatur de carcere formali, & in ordine ad procesandum, non ad mortificandum. Id videtur insinuare. *Melsius de pœnis par. 1. cap. 4. q. 1. fine. fol 136.* Farinac.

39 *q. 27. n. 28.* Itaque prohibitio carceris intelligitur ea, quæ ordinatur ad pœnam infligendam per viam processus, non vero ad mortificandum, & euitandum aliquod imminens malum, in quo casu inobedientes mittuntur ad cameram, vel etiam carcerantur ad breue tempus.

Quæres 17. An puniri possit affectus, seu conatus pro effectu, e. g. quis explodit sclopum, & in nullo lædit inimicum, vel solum tangit eius vestimenta, & sic non sequitur effectus homicidij.

40 ℞. Conatus, effectu non secuto, etiamsi sit actus proximus, non punitur pœna ordinaria, sed extraordinaria, sicut enim conatus minus crimen est, quam sit effectus ipse, vt notum est, ita minori pœna puniendus est, quam puniretur effectus. Ita communior, & verior opinio, quæ practicatur in vrbe, & orbe, *Farinac. quæst 124. num. 10. & 73. cum Guazin. Defens. 33. cap. 24. numer. 3. & 6.*

Quæres 18 An quis pluribus pœnis puniri possit.

41 ℞. Duplici pœna quis non est puniendus, *ex cap. 4. de iudiciis, Glos. ibidem 11. Duplici*, intellige, quando vna sufficit, & proportionatur delicto, quod si est insufficiens, tunc duæ delicto proportionatæ habentur pro vna, *Glos. 11. Et carceri, cap. Attendendum est* 33. 17. *q. 4.* Quando igitur quis fuit sufficienter punitus, non debet iterum vocari ad supplicium, quia pœnæ non debent repeti, *l. qui propriè. § Pœnam ff de procur.* Non enim consurgit duplex tribulatio, *Nahum cap. 1. 9.* Quando plures pœnæ decernuntur in iure, illæ sunt imponendæ, nisi appareat posteriorem corrigere priorem, *Bart. in l. 1. ff. de vi bonor. cap. Gomez tom. 3. Variar. cap. 1. n. 18. concl. 4. Sanch. lib. 3. disp. 48. num. 3. §. vltimo.* Videtur autem legislator per nouam pœnam mitiorem tollere antiquam grauiorem, *ex eodem Gomez, num. 38. Bossio tit. de officialibus corruptis num. 19. Sanchez n. 4. § Primo.* In legibus plures pœnæ contra ideoi delictum imponuntur, vt notum est. Iudex vero debet esse contentus vnica delicto proportionata, quando ex suo arbitrio procedit, *Nald. 11. Pœna num. 17.* Vide Guazinum multa congerentem Defens. 33. c. 21.

Quæres 19. An, & quomodo pœna sit medicina culpæ?

42 ℞ Pœna dicitur medicina culpæ, ex illo Ierem. c. 31. 18. *Castigasti me & eruditus sum*, Ad Hebr. 12 6. *Quem diligit Dominus castigat.* Apoc. 3. 19. *Ego quos amo, arguo & castigo* D. August. lib. 1. Retract. cap. 9. pœnam vocat medicinam. Et id est proprium censurarum, quæ dicuntur medicinales *cap 1. de sent. excom.* vbi excomunicatio nuncupatur pœna medicinalis, feruntur enim, vt peccator recipiat, & à malo timore pœnæ retrahatur, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 5. 5. *Tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt Spiritus saluus sit.* Pœnis igitur, & pœnitentiis affligitur caro, ne spiritus pereat, pœna ergo medicinalis est in ordine ad animam, ne in peccatis pereat.

Quæres 20. Ex pluribus pœnis, quænam primo est infligenda.

℞. Illa est imponenda primum, quæ magis timetur, 43
ex cap. quoniam 5. ad finem, vt lite non cont. Hoc enim solum bene agitur, vt vita hominum corrigatur *cap. Prodest 4 23. q 5. Graff. tom. 1. cens. 2. de pœnis numer. 15.* Pœna enim, vt dixi præced quæst. est in emendationem inducta, *Glos. 11. Relatè text. de pœnis per l. si pœnam ff. de pœnis.*

Quæres 21. An pœna vnius sit metus multorum.

℞. Affirmatiue, Deuter. 17. 13. *Qui autem superbie-* 44
rit nolens obedire sacerdotis imperio id est Papæ, *morietur homo ille, cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* Pœna vnius est metus multorum. *Glos. 11. simili pœna cap. fin. de calumn. per cap. quapropter 47. 2. q 7.* vbi dicitur quod transgressionis vitio fit cæteris interdictio delinquendi, *cap. Irrefragabili 13. §. cæterum. de offic. ordin.* ibi: *Castiget, quod metu pœnæ talia de cætero non præsumant.* Pœna enim est in exemplum aliorum, *cap. cum quidam 12. c. Sicut 13. de iureiur. cap. Ea quæ 8. de statu monach.* Multis delinquentibus pœna vnius debet esse metus multorum, *l. Aut facta 16. §. Nonnunquam ff de pœnis.*

Quæres 22. An pœna simpliciter imposita sine limitatione temporis censenda sit perpetua

Resp. Vtique inflicta pro delicto, *l. Seruus C. de pœ-* 45
nis glos. 11. Non statuta c. 1. dist. 50. Glos 11. In perpetuum cap. 3. de pœnis in 6. Si vero infligatur pro contumacia censetur temporalis vsque ad illius purgationem, *ex eadem glos. per cap. Ex literis 11 de constitut. Thomasset. Reg. 138.*

Quæres 23. An pœna inflicta à superiore tolli possit ab inferiore? & è contra.

℞. Iudex inferior ve superior tollere non potest pœnas 46
inflictas à maiori iudice; neque è contra maior inflictam pœnam per minorem relaxare potest, nisi ex rationabili causa.

Prima prima constat ex eo, quod minores vires habens 47
non potest vincere maiores habentem, fortis enim fortiorem vincere non potest, vnde minor cedit maiori, *cap. est ordo 12. 33. q. 5.* quia minoris est obedire *cap. A subdiacono 5. dist. 93.* & non imperare, nec disponere de iis, quæ maior ordinauit, *cap. Inferior 4. dist. 21. cap. Cum inferior 17. de maior. l. Formam C. de offic. præfect.* Ita *Spathar. tract. 10. cap. 9. n. 9.* Et in hoc omnes conueniunt.

Secunda pars, quod maior iudex non possit relaxare pœ- 48
nam impositam ab inferiori, nisi ex causa, suadetur ex eo, quod licet maiorem habeat potestatem non solum in subditum, sed etiam in eius iudicem sibi subordinatum, eam tamen non potest exercere nisi in ædificationem, & non in destructionem disciplinæ regularis. Adde, quod ex hoc contemneretur iudex minor, & eius potestas vilesceret in graue illius præiudicium, & obseruantiæ religiosæ. Ita *Spathar. tract. 10. cap. 9. n. 10. Rodriq. tom. 1. quest 21. art. 8. Peyrin. de Prælato q. 1. cap. 8. num. 17. Miranda tom. 1. q. 30 art. 11.* Quod colligunt *ex cap. Cum ab Ecclesiarum 3. de offic. ord* vbi Episcopus non debet relaxare pœnam inflictam ab ordinario sibi subiecto, & ex Tridentino sess. 14. cap. 1. Dixi posse ex rationabili causa, vt si rogaretur à persona graui, & tunc cum licentia illius iudicis, si adhuc est in officio, alias non, *ex Spathar. & Peyrino, ac aliis.*

Quæres 24. An iudex pœnam legis, seu statuti mitigare

rigare possit, aut moderare in minus, vel maius, si qualitas delicti, & conditio personæ ad postulent, dum eam vult imponere reo condemnato.

49 ℞. Affirmatiue, quia cum lex non potuerit omnes circunstantias, & qualitates delictorum præuidere, vt eis posset proportionatam pœnam imponere, ideo reliquit id in arbitrio iudicis augendi, vel minuendi pœnam, vt cõmensuraretur culpæ, immo & mutandi eam, si ita conditio personæ, & qualitas delicti exposceret. Ita de communi *Farinac. q. 17. à n. 7. Spathar. tract. 10. cap. 9. n. 1.* vbi quod non est necessarium exprimere causam moderationis.

Quæres 25. Quodnam tempus sit attendendũ in pœnis.

50 ℞. Attenditur tempus delicti, non sententiæ *l. 1. ff. de pœnis. Bertius in sua praxi tit. 1. cap. 2. num. 23. Riccil. lib. 5. cap. 32. n. 22.* Ratio est, quia obligatio ad pœnam consurgit ex delicto, non ex sententia.

Quæres 26. An sponte cõfessus sit mitius puniendus?

51 ℞. Affirmatiue, quia præsumitur sine dolo deliquisse. Ita *Farinac. q. 81. à num. 172.* licet fateatur timore probationum, *ex num. 174.* etiam in pœnis ipso iure impositis, *ex num. 182.* tum certis, tum incertis, & arbitrariis, *ex num. 184.* respectu iudicis ordinarij, *ex n. 185.* tantum. Mitius etiam punitur conuictus ex præsumptionibus, quam ex legitimis probationibus, *numer. 187.* Vide *Guazin. Defens. 33. cap. 26.*

Quæres 27. An in pœnis benignior sit facienda interpretatio.

52 ℞. Sic, nam interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ, *l. Interpretatione 42. ff. de pœnis, & l. 198. ff. de reg. iur.* in pœnalibus causis benignius est interpretandum. Vnde pœnæ in dubio sunt restringendæ *cap. pœna 18. dist. 1. de Pœnit.* quia odia sunt restringenda *Reg. 16. in 6.* Colligitur hinc *primo*, pœnas esse restringendas etiam quo ad tempus. *Sanch. lib. 3. disp. 30. §. secundo.* Colligitur *secundo* pœnam in dubio intelligi temporalem, non perpetuam, *glos. fin. in cap. Non oportet 10. 31. quæst. 4. glos. in Reg. In pœnis, Abbas in cap. Ex literis, de constit.* Colligitur *tertio* non fieri pœnarum extensionem de casu maiori ad minorem seu in quo est minor ratio, *Aymon. vol. 3. cons. 450. Paris. vol 3. cons. 110. num. 22. Roland. vol. 1. cons. 55. n. 31.* licet militet fauor publicus, *Paris. cit. num. 23. Aymon. cons. 363. num. 12. M. Anton. lib. 3. cons. 39. num. 12. ad 14.* Colligitur *quarto* non fieri extensionem pœnæ à persona ad personam, *Carena par. 2. tit. 13. num. 5. ex l. si quis ita §. penult. ff. de testam. tutel. Cephal. cons. 167. num. 18. Roland. vol. 3. consil. 36. numer. 24.* Colligitur *quinto*, pœna pluribus modis intellecta, de minori accipitur, *Decius in cap. Ex literis de constitut. n. 48.* Colligitur *sexto*, nomine pœnæ capitis in dubio venit ciuilis, non naturalis, *vt dixi supra hic q. 7.*

Quæres 28. An, & quomodo causa bestialis, vt aiunt, excuset à pœna. Vide *Farinac. q. 18. n. 64.*

53 Resp. Non excusat in iis, quæ sunt contra bonos mores, & clare contra leges, ita *Rota vol. 2. decis. 41. n. 13.* Nec in aliis admittitur, nisi innitatur ignorantiæ. *Sperell. decis. 105. n. 20.*

Quæres 29. An pœna tam priuationis, quam positiua alteratur si non sit expressa in iure.

54 Resp. Nullus declarari, & condemnari potest in pœnam iuris, quæ in eo expressa non est, cum sit contra rationem aliquem non currere in pœnam, quæ non reperitur. Ita *Glos. in. Exui, cap. fin. de iurepatron.* vbi de pœna priuationis, quod idem dicendum est de aliis. *Nauar. cons 4. de temp. ordin. & cons. 13. de prabend. n. 3. & consil. 44 de sent. excom. Decius cons. 851. num. 10. Curtius sum. vol. 2 cons. 119. num. 1. & cons. 137. num. 17 cum mul-*
55 *tis aliis M Antonin. lib. 3. resol. 39. num. 11.* Hinc collige perperam, quandam dixisse, percussorem cuiusdam laici in Ecclesia cum magna sanguinis effusione incurrisse in excommunicationem, neque enim talis pœna iuris expressa est in iure; & quamuis talis percussio sit sacrilega ob iniuriam loco sacro factam, non tamen per hoc inducit de iure excommunicationem, quia hæc ob percussionem contrahitur tantum à percutiente personam Ecclesiasticam *ex allegatis à Sperello decis. 4. num. 12.* Nec quis dicat arguendo à persona sacra ad locum sacrum, sicut percussio sacrilega illius inducit excommunicationem, ita & facta in Ecclesia, cum sit sacrilega. Quia non valet in pœnalibus argumentari à maiori ad minus, maior est enim persona sacra, quam locus sacer, quia persona locum sanctificat, non locus personã, cap. Multi 12. dist. 40.
S. Gregor. 9. in Exechiel. *Et si desit Spiritus, non adiuuat* 56
locus; Idem enim Loth in Sodomis sanctus extitit, in monte peccauit, nam si locus saluare potuisset, Satan de cœlo non cecidisset. Quod autem non valeat argumentum à maiori, à simili, nec è contra in pœnis docent omnes mox citandi in sequenti quæstione.

Quæres 30. An in pœnis valeat argumentum à minori ad maius, vel e contra? à simili, & ab identitate rationis.

Resp. Negatiue, ita docent omnes, quod ex identita- 57
te, seu similitudine non est facienda extensio in pœnis de casu ad casum, à persona ad personam, de loco ad locum, *Abbas vol. 1. cons. 37. Decius cons. 85. Craneta vol. 1. cons. 161. num. 11. Pasqual. q. 170. num. 10. Suarez lib. 6. de legib. cap. 3. num 5. & c. 4. n. 2. Rodriq. tom. 1. q. 11. art. 6. Reg. 14. Sanch. de matrim. lib. 10. disp. 4. Ciarlin. cap. 130. num. 37. Barb. Axiom. 181. num. 9.* Ratio est, quia determinatio pœnarum pendet magis à voluntate, quam à ratione, ergo legislator exprimens pœnam pro tali delicto, non intendit eam extendere pro aliis, vnde percussio sacrilega relata ad Ecclesiasticam personam, non extenditur ad percutientem laicum intra Ecclesiam, esto vtraque sit sacrilega, quia exprimitur pœna excommunicationis tantum contra percutientem Ecclesiasticum, siue intra Ecclesiam, siue extra, non vero percutientem præcise intra Ecclesiam.

Quæres 31. An licita sit pœna, quod condemnatus seipsum occidat, cadendo e. g. de alta turri, vel quod per se venenum sumat, seu feriat, vel strangulet seipsum, vel se proiiciat in flumen?

℞. Iniqua est huiusmodi pœna, quã iudex nullus potest 58
imponere, quia id non est pati pœnam, sed eam sibi infligere, quod grauissimum est peccatum contra diuinum præceptum *Non occides*, ideo à nullo iudice est imponendus talis modus exequendi contra se mortem, dum repugnat naturæ, quæ sui destructionem abhorret, at nemo vnquam odio habuit carnem suam. *Guazin. Defens. 33. c. 4. n. 16.*

Quæres 32. An licita sit iudici pœna inediæ? hoc est, an possit condemnare reum morte dignum, vt fame pereat? præcipiendo ne quis illi subministret cibos.

Resp. Esse illicitam, & quandam speciem crudelitatis, 59
non pœnam. Ratio est, quia pœna vltimi supplicij est omnium maxima, qua inter corporales maior dari non potest, & per eam sufficienter quodcunque delictum etiã grauissimum vindicatur, ergo frustra additur iste modus moriendi per inediam indicans magis crudelitatem, & sæuitiam, quam iustitiam vindicatiuam. *Confirmatur*, quia de ratione iustitiæ vindicatiuæ est, vt minister per actum positiuum inducat ad mortem condemnatum, & non quod ipse reus cõdemnatus per seipsum pereat. Quare iudex hoc modo condemnans reum fit irregularis, quia sine dubio occidit reum, etiam per subtractionem cibo-
rum, cap. Pasce 21. dist. 86. *Si non pauisti, occidisti*, ibi- 60
dem glos. 11. occidisti. & l. 4. ff. de liber. agnosc. dicitur
Necare videtur, qui alimoniam denegat. ergo iudex hoc 61
modo sententiare non potest, non solum Ecclesiasticus, aliter fit irregularis potius, ex homicidio iniusto, quam ex defectu lenitatis, verum etiam laicus, dum constat de iniustitia, & iniquitate huiusmodi condemnandi. Vide *Pollizar. tract. 9. cap. 3. sect. 3. num. 83.* referentem opinionem contrariam, cui videtur aliqualiter adhærere, sed puto eam esse improbabilem, quia est causa perdendi animam sic condemnati in tam dira necessitate, quæ aliud efficere non potest, nisi inducere reum in desperationem.

Quæres

Quæres 33. An pœna teneat suos auctores. Idest, an vnus puniri possit pro delicto commisso ab alio.

62 ℞. Quo ad peccatum, & censuras excommunicationis, & suspensionis, vnus non punitur pro alio. Quo ad peccatum est de fide, Ezechiel. cap. 18. 20. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris; & pater non portabit iniquitatem filij. Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum.* Idem dicitur Deuter. 24. 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus, sed vnusquisque pro peccato suo morietur.* Repetuntur hæc verba lib. 2. Paralip. c. 25. n. 4.

63 De excommunicatione, quod vnus pro alio non excommunicetur, habetur expresse cap. 1. 24. quæst. 3. cum enim ea non incurratur nisi propter peccatum mortale. *cap. Nemo 41. cap. Nullus 42. 11. quæst. 3.* & illud vnus non contrahat pro alio, consequenter dicendum est, vnũ pro alio excommunicari non posse. Idem dic de suspensione, quę semper supponit & ipsa peccatum. Interdictum vero generale, & locale afficit etiam illos, qui non peccarunt, *cap. Non est, de sponsal. Vide glos.* 11 *De quarta in Rubr. q. 4. causa* 1.

64 Filius vero portat quandoque iniquitatem patris, non quo ad peccatum, nec censuram, immo nec mortem, sed pœnam, seruitutis, infamiæ, & confiscationis bonorum, vt ibidem dicitur.

65 Pœna ergo tenet suos auctores, & non extenditur ad alios, qui non deliquerunt, iuxta superius dicta, l. Sancimus 22. C. de pœnis, *Ibi est pœna, vbi est noxa* cap. 2. de iis, quæ fiunt à maior. Tusch. lit. P. concl. 212. *Noxa enim sequitur caput* l. crimen ff. de pœn. *Barb. Vaz. lit. P. num. 12. Guazin. Defens. 33. cap. 2. Castropal. disp. 2. de legib. p. 6.*

Quæres 34. An pœna legalis, & canonica, scilicet expressa in iure, seu statuto incurrenda ipso iure, incurratur statim post perpetratum crimen, an solum post sententiam criminis declaratoriam.

66 ℞. Censuræ, & irregularitas statim incurruntur delicto perpetrato, vt est communis omnium sententia, quia executionem à se inseparabilem habent, vt etiam docui cap. 89. n. 69. Aliæ vero pœnæ siue sint corporales, siue priuatiuæ, vt confiscatio bonorum, infamia, priuatio officiorum, vocis, & inhabilitatis incurruntur non post crimen perpetratum, sed per sententiam declaratoriam criminis. Ita omnes infra citati.

67 Censuræ ergo cum irregularitate coniunguntur inseparabiliter cum delicto eas producente. Ita Sotus *lib. 1. de Iust. q. 6. art. 6 conc. 2. Salas disp. 15 de legib. sect. 2. num. 29. Sanch. lib. 9. de matrimon. disp. 30. n. 1. & 2. Suar. de legib. lib. 5. cum illis Castropal. de legib. disp. 2. p. 2. n. 1.*

68 Aliæ pœnæ non incurruntur, seu non afficiunt delinquentem, nisi post sententiam declaratoriam, neque enim delinquens tenetur se prodere, quod faceret exequendo pœnam, agendo, vel desistendo ab actione. Ita D. Thomas 2. 2. q. 62. *art. 3. in corp. glos. 11. Cum augmento, cap. Fraternitas 12. q. 2. Sanch. de matr. lib. 3. disp. 53. n. 2. & 6. Ant. Gomez tom. 3. Var. cap. 14. n. 3. Molina tom. 1. disput. 176. §. Illud vniuersis.* Quod maxime procedit in pœnis, quæ priuant iure quæsito, beneficij, vocis &c. quia priuatio tituli non est annexa delicto. Ita Castro *de iusta hæretic. cap. 9. Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 8. cap. 34. dub. 34.* Sanch. *lib. 7. disp. 89. numer 11. Vasq. de legib. disp. 178. cap. 4. num. 25. cum illis Castropal. de legib. disp. 2. p. 2. num. 8.* qui in sequentibus respondet obiectis.

69 De voce actiua, & passiua, quæ non incurritur nisi post sententiam criminis illam inducentis. *Sotus lib. 1. de iust. q. 6. art. 6. ad 4. & lib. 4. quæst 6. art. 3. fine, Ledesma 2. par. 4. q. 18. art. 2. concl. 3. Sanch. lib. 9. disp. 10. & lib. 2. c. 22. n. 19. & 20. Molina tom. 1. de iust. disp 99. ex illis Castropal. disp. 2. de legib. p. 2. n. 11. ego cap. 90. n. 27. & c. 91. num. 32.* vbi ipso iure incurritur, quando est effectus excommunicationis.

70 An priuatio debiti matrimonialis ob peccatum incestus incurritur ipso iure ante sententiam criminis? ℞. Affirmatiue, quia ita vsus id firmauit more censurarum. *Sanch. lib. 9. disp. 30. n. 2. cum Castropal. disp. 2. de legib. p. 2. n. 9.*

Priuatio officij, & beneficij etiam ex causa homicidij requirit sententiam. Ita *Suar. lib. 5. de legib. cap. 8. n. 15. cum Felino in cap. 2. de fide instr. num. 9. Vasq. dis. 166. c. 2. Silu. 11. Assassinus fine, Sotus lib. 1. q. 6. art. 6. ad 8. Salas de legib disp. 15. sect. 2. n. 30. vers. octauo, ex illis Castropal. disp. 2. de legib p. 2. n. 10.* 72

Esto in lege diceretur, quod pœna incurratur ipso iure, & absque vlla declaratione præmissa, adhuc non incurritur nisi post sententiam criminis, quia illa negatiua excludit sententiam pœnæ, non criminis, lex enim satis declarauit pœnam, vt vlterius non sit declaranda, sed tantum crimen. Ita *Vasq. disp. 168. cap. 4. Couar. par. 2. de Sponsal. c. 6 §. 8. n. 18. Sanch. lib 6. disp. 53. n. 1. Molina tract. 2. disp. 96.* De illa clausula. *Ab §. 9. alia declaratione,* dixi c. 91. n. 30. & 31. 72

Inhabilitas similiter non incurritur nisi post declarationem delicti eam inducentis, vt probaui cap. 91. n. 35. ea autem iam vniuersa tolli potest per dispensationem à superioribus regularibus pro suis subditis, *ex Sorbo 11. Ingredi monast. Fratrum, 8. Nunc autem, Ioan. à Cruce lib. 1. c. 6. dub. 13. concl. 2. & dub. 15. concl. 5. Sanch. lib. 6. c. 15. fine, Portel. Disputare, in Addit. n. 4. à S Fausto lib. 8. de Paupert. q. 232. Peyrin. ad const. 6. Iulij II. n. 24.* 73

Quæres 35. An reus defunctus ante sententiam puniri possit.

℞. Reus moriens ante sententiam, conuictus tamen, vel saltem confessus, de iure corporaliter puniri non potest, licet praxis sit in contrarium; quo ad bona vero puniri potest confiscatione bonorum, seu pœna pecuniaria, quæ transit ad hæredes, in quo casu citandi sunt hæredes, si velint defendere innocentiam rei defuncti, & se eximere ab his pœnis; in sententia vero contumaciali non est puniendus, nec ipse, nec hæredes. 80

Prima pars de non puniendo defuncto in corpore constat ex l. Defuncto 6. de public. iudic. Mors enim omnia soluit, quæ scilicet corpus sensibiliter affligere possunt. Praxis tamen est in contrarium, quia in atrocissimis delictis defunctus suspenditur, & in frusta cæditur, ad metum & terrorem aliorum. *Farinac. quæst. 10. numer. 78. Guazin. Defens. 33. cap. 26. numer. 6. §. Tamen.* 82

Secunda pars de bonorum punitione transeunte ad hæredes, tenentur *ab Orchio decis. 148. numer. 9. Caballino casu 298. n. 25. Farinac. q. 10. num. 54. Burat. lib. 2. cons. 77. num. 11. & 23. Guazin. Defens. 33. cap. 26. n. 5. Vers. Sed Farinac.* Possunt hæredes se tueri probando defuncti innocentiam, *ex allegatis ab eodem Guazin. §. At etiam.* 82

Tertia pars, quod non possit condemnari defunctus ex sentẽtia cõtumaciali, docetur à *Caballino casu 298. n. 33.* quia per talem sententiam vere non est conuictus, nec confessus, ergo fictio tantum operari non potest in damnum hæredum, sicut vera confessio, seu conuictio. 83

Quæres 36. An excommunicari, suspendi, & interdici mortuus possit.

℞. Non potest censurari ab homine mortuus, potest tamen declarari incidisse in excommunicationem, ne ab aliis oretur pro ipso, quando decessit contumax non petendo absolutionem, quam poterat obtinere. De suspensione nulla est difficultas quia morte vacat beneficium, & officium in eo, similiter in interdicto, restat difficultas ergo de excommunicatione aliquibus dicentibus apud Saymm lib. 1. c. 8. n. 8. mortuum posse excommunicari, sed errant, vt mox patebit. 84

Prima igitur pars est, quod non possit excommunicari, quia nullus excommunicari potest, nisi prius admoneatur, vt resipiscat à contumacia, eius enim finis, est, vt exeat à peccato, idcirco dicitur pœna medicinalis, *c. 1. de sent. excom. in 6. cap. Nocuit de iudic.* Sed defunctus moneri non potest, nec contumax dicitur, nec à peccato exire potest, 85

nec

necid eationi discordar, vt patet, quia est extra statum mentis, & demetin, ergo excommunicari non potest. Ita *Sayr. loco cit. Bonac. q. 1. de cens. p. 4. n. 2.*

86 Secunda pars, de illius declaratione, probatur quia cum censeatur defunctos in peccato mortali, dum noluit recipere absolutionem, potest talis declarari, ne fideles frustra pro eo orent, non enim communicandum est defuncto, cui non fuit communicatum viuo, *Suarez disp. 35. sect. 1. n. 17. Lauor. tit. 2. de elect. c. 13. num. 14.* de hac communicationis negatione. De iudicio contra defunctum hæreticum Carena par. 2. tit. 19.

CAPVT XCV.

De Pœnis Talionis.

1 POena talionis est eadem pœna infligenda accusatori calumnianti, quam subiisset accusatus conuictus, vel confessus, *l. qui crimen, 3. C. qui accus.* Quia autem hæc retrahebat ab accusatione, & delicta remanebant impunita, ac iudices cum fisco otiose, & sine fructu degebant, necesse fuit, quod exularet ab aula, vt aiunt, & in eius locum successit pœna arbitraria, cum condemnatione ad damna, & expensas, vt cum communi Doctorum notat. *Farinac. q. 16. per totam, & dixi supra c. 2. n. 44. & seq. & cap. 3. sect. 4. num. 7.*

2 Notandum autem est, quod ille accusator dicitur calumniator, qui impingit crimen proximo, & qui potest dici calumniator duobus modis. *Primo*, vere, & realiter, vt cum quis dolose, & malitiose accusat aliquem, quem scit esse innocentem. *Secundò*, præsumptiuè, cum accusator, vel recidit ab accusatione, vel non probat intentum. Duplex est ergo calumniator, verus & præsumptus ita colligo *ex claro q. 62. §. Sed numquid, Menoch. lib. 2. cent. 4. casu 121. Farinac. q. 16. à num. 10. Guazin. defens. 3. cap. 13. num. 42.*

3 Sub nomine calumniatoris præsertim veri non solum venit accusator, sed etiam instigator, & sollicitator, *Farin. q. 16. num. 14.* item & denuntiator, *ex num. 17.* item fiscalis, *ex num. 19.* item iudex agens in causa nullis præcedentibus indiciis, *ex num. 25. 56. & 27* Isti conuicti vt veri calumniatores puniendi sunt arbitrio iudicis; Prædicti verò, si sunt officiales, vti fiscalis, iudex, & denuntiator ex officio, vel ex necessitate, vt in S. officio, præsumpti tantum, non puniuntur, nec in expensis & damnis condemnantur, vt notat *Farinac. q. 56. numeris præcitatis, Miranda q. 12. art. 7.* quia in his fortior est præsumptio pro ipsis, quam pro querelatis.

4 Datur autem iusta causa excusandi prædictos non solum à calumnia & eius pœna, sed etiam à damnis, & expensis, quæ reus patitur, si sermo sit de calumniatore præsumpto, non autem vero, & reali, qui ad hæc condemnatur, excepto officiali, qui licet repertus verus calumniator, de ea punitur, non autem condemnatur ad damna, & expensas, quia necessitate officij accusauit, *Farinac. q. 16. num. 55.* & habuit iustam causam id faciendi ex officio suo. Referendæ modo causæ excusantes à pœna, & à condemnatione damnorum, & expensarum reo illatarum, calumniatorem præsumptum.

5 Præmitto autem *primò*, non sufficere causam bestialem, vt aiunt, quia hæc propriè non est iusta, & licet in ore omnium sit illud vulgatum, quod causa bestialis, temeraria, & iniusta excuset a dolo delinquentem, desumptum *ex l. igitur §. Et generaliter ff. de liber. caus.* illis verbis: *Iustis rationibus ductus, vel non iustis*, non tamen locum habet in delictis iudicialibus, vt est calumnia, *ex allegatis à Farinac q. 16. n. 64. & 65.* Præmitto 2. iustam causam excusare non solum à calumnia, sed etiam à damnis, &

6 expensis, *ex eodem n. 71.* Præmitto 3. excusare etiam ab actione iniuriarum, quia iusta causa excludit dolum, *ex l. Item apud Labeonem § si quis astrologos ff. de iniur. Farinac q. 16. n. 68.* Immo etiam causa iniusta excusat in crimine iniuriarum, *ex eodem n. 69.* Præmitto 4. non teneri calumniatorem præsumptum in expensis, etiamsi extaret statutum contra calumniatorem, quia intelligitur afficere verum non præsumptum, *ex allegatis ab eodem Farinac. num. 73.*

Excusatur ergo primo calumniator præsumptus ab omnibus supradictis grauaminibus, allegatâ iustam causam probando, *ex adductis ab eodem Farinac. q. 16. à n. 33. ad 40.* 7

Excusatur 2. si semiplene probauit, quia ea probatione sublata fuit præsumptio calumniæ, *ex eodem à n. 41. ad 46.* nisi fuerit solitus calumniari, *ex num. 47.* Vel nisi accusatus eliserit semiplenam probationem. *n. 48.* Vide infra num. 18. 8

Excusatur 3. si deceptus fuit à testibus, *ex num. 49. Guazin Defens. 3. c. 13. n. 51.* 9

Excusatur 4. si probat se audisse à personis fide dignis, 10 ex eisdem *Farinac. num. 50. Guazin. num. 12.* Fides enim similium personarum excusat à culpa, & dolo eum, qui bona fide operatus fuit, *ex adductis à Farinac. n. 51. Miranda q. 12. n. 81.*

Excusantur 5. Consanguinei, & affines in causis 11 suorum, si non probauerint accusationem, quia visus dolor videtur illis prodesse, ne præsumantur calumniatores, *Farinac. n. 65. Miranda q. 12. num. 81.*

Excusantur 6. In criminibus læsæ maiestatis, & mo- 12 netæ, & similium, quia præsumuntur accusasse ex necessitate, & zelo iustitiæ, & boni publici, *Farinac. n. 57. Guazin. Defens. 3. cap. 13. n. 18.* in crimine hæresis, *cum Claro q. 62. §. dixi supra, Masiard. conc. 253. n. 34.* de publicis grassatoribus, *Miranda q. 12. n. 81.*

Excusantur 7. mulieres ex fragilitate sexus. *Farinac.* 13 *q. 16. n. 58. Guazin. n. 30.*

Excusantur 8. Probantes per testes inhabiles, *Farin.* 14 *num. 59.*

Excusantur 9. Qui inculpantur ab occiso, inculpatio 15 enim occisi est iusta causa excusans à calumnia, *Farinac. n. 60. Guazin. n. 35.*

Excusantur demum 10. Accusantes diffamatum de cri- 16 mine, *ex eodem. Farinac q. 16. n. 61. Guazin. defens. 3. c. 13. n. 57.*

℞. Primo, si addit statutum in religione, illud obser- 17 uandum est, & interpretandum iuxta superius dicta. Si vero non adest, non tenentur ad illud, quia abiit in dissuetudinem respectu omnium. Quod si accusator, seu etiam denuntiator deprehensus fuerit calumniator verus plectendus est pœna arbitraria, quod dico etiam de testibus, quia & ipsi falsum deponentes sunt calumniatores, siue deponant in visitatione, siue extra illam, quia in vtroque casu potest contingere calumnia, & falsitas.

℞. 2 Ille religiosus, qui accusat, seu denuntiat alium 18 religiosum, & delictum ad minus semiplene probat, non dicitur calumniator, quia cum per semiplenam probationem iudex acquisierit ius interrogandi reum, & illum torquendi, *ex dictis c. 65. n. 24. & cap. 63. num. 6.* & is teneatur ex ibi dictis ad respondendum, nulla præsumi potest calumnia in accusatore, seu denuntiatore, ergo ex hoc capite nullatenus est puniendus, esto reus potenter sustineret tormenta. Ita *Aretinus Pitigianus cap. 5. de accusat. §. debet ergo fol. 26. Lezana tom. 1. cap. 27. n. 24. Pellizar. tract. 9. cap. 4. quæst. 14. num. 84. Portellus 11, Accusatio num. 2. de Angelis cap. 30. num. 6. ex Nauarr. cap. 25. de calumn tit. de peccatis rei accus. num. 35.*

CAPVT XCVI.

De Pœnis singulorum Delictorum.

CErtum est in omnium sententia, de qua dixi 1 capit. 94. quæstion. 4. & 14 iudicem ordinarium posse ex causa pœnas iuris, statutarias, & consuetudinarias minuere, augere, & moderari iuxta exigentiam delictorum, & conditionem delinquentium.

delinquentium, habet enim ad hoc arbitrium, quod tamẽ debet esse regulatum, hoc est, dependens à ratione, & ab æquitate. Ita omnes cum *Farinac. q. 17. per totum, & de Bictis q. 133. & 134.* vbi n 6 connumerat Prouincialẽ, & idem à fortiori dicendum est de Generali, cum illo sit maior in officio ordinarij, & simpliciter, & cum Generali in sua religione dicatur Princeps, quia primus in ordine ad omnes eiusdem ordinis, *ex Rodriq. tom. 2. q. 68. art. 3. vt*
2 *dixi Resol. 1. n. 15. & resol. 80. n. 9.* sequitur, quod iudices ab eo delegati habeant facultatem arbitrandi in pœnis, sicut habent alij Principes, de quib. loquitur ibidem de Bictis n. 7. In hac materia procedam ordine alphabetico, vt in promptu sit pœna iudice culpa.

3 Abiurati in S. Officio sic puniuntur in suis religionibus à Sacra Congregatione de mandato sanctissimi Vrbani VIII. prima Octobris feria quinta 1626. Verba sunt ista: *Sanctissimus D. N. iustis de causis animum suum mouentibus decreuit, & statuit, vt in posterum regulares omnes cuiusuis ordinis, religionis, Societatis, & instituti, quibus pro delicti, ad S. Inquisitionis, Officium spectantibus, Pœnitentia genus aliquod impositum fuerit, salutaribus pœnitentiis exceptis, eo ipso ad omnes religionis sua gradus, & officia inhabiles censeantur, & deinceps, etiam si tempus pœnitentia impleuerint, vel gratiam receperint, ad illa tamen promoueri nullatenus possint, nisi prius obtenta à S. D. N. vel ab hac S. C. coram sanctissimo habenda, speciali, & expressa rehabilitationis gratia. Alias promotio qualibet nulla sit, & promouentes ipsi priuationem suorum officiorum, ac praterea vocis actiua, & passiua ipso facto incurrant, ad qua restitui, nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem sacra congregatione coram S. habenda, non possint.* Refertur à Diana in fine partis 4. Quid veniat nomine officiorum dixi cap. 91. à num. 2. ad 6. Non sufficit, quod sit gratiatus à pœnis, sed præterea debet specialiter dispensari ab inhabilitate per congregationẽ non factam supra Mineruam, sed die Iouis coram Pontifice, vt dicitur hic expresse. Nomine pœnitentiarum salutarium veniunt illæ, quæ imponuntur extraiudicialiter iis, qui sponte comparent vt notat *Melfius par. 2. de pœnis c. 21. Dico 3.* Pœnitentiæ ergo impositæ iudicialiter abiurantibus etiam de leui inhabilitant religiosum sententiatum.

4 Abortum procurantes, causantesue, seu illi cooperantes fœtus animati, morte secuta rei sunt quatuor pœnarum. *Primo* pœna mortis, & si sunt clerici degradandi sunt. *Secundo*, ipso iure sunt excommunicati absoluendi ab Episcopo, vel à Prælato regulari respectiue, *Rodriq. tom 2. quæst. 33. art. 4. Diana par. 2. tract. 2. resol. 13.* & alij apud ipsos. *Tertio* incurrunt Ecclesiastici priuationem omnium dignitatum, officiorum, & beneficiorum, cum inhabilitate ad illa, secuto effectu abortus fœtus animati, reseruatione perpetua Papæ, *Farinac. q. 122. n. 122. & 151.* cum aliis. *Quarto*, ipso iure abortiens fœtum animatum est irregularis, cum hominem occiderit. Ita colligitur ex Bullis Sixti V. incip. *Effrænatam* 87. & Gregorij XIV. incip. *Sedes Apostolica* 8. illius moderatiua bene Thesaurus societatis IESV 11. Abortus. In dubio, an fœtus fuerit animatus, affirmatiue concludendum est pro irregularitate, non pro aliis pœnis, *Sanch. lib. 1. c. 10. n. 3. & 48. Farinac. q. 122. n. 138. Barb. alleg. 151. n. 138.* Ad incurrendas autem eas pœnas, præter irregularitatem, requiritur, quod intentione directa, & per se sit causatus abortus, vnde qui dat media directa ad sanitatem mulieris prægnantis, & non directa ad destructionem fœtus, licet per accidens sequatur, eas pœnas non incurrit cum non intendat abortũ, credens probabiliter ex iudicio medici abortum non secuturum, *ex allegatis à Diana par. 2. tract. 5. resol. 2.* Procurare abortum fœtus inanimati ad euitandam infamiam mulieris nunquam licet, *Sanch. lib. 9. disp. 20. n. 9. Farinac. q. 122. n. 158. Thesaurus limit. 3.* Petens dispensationem super irregularitate debet exprimere se fuisse causa fœtus à se geniti, aliter subreptitia erit dispensatio, inquit dictus Thesaurus in fine.

5 Absoluens sacramentaliter sacerdos non existens fit irregularis licet sit laicus, *ex adductis à Sayro lib 7. c. 10. num 6.* Quamuis nonnulli velint solum clericum effici irregularem *ex Suar. disp. 32. de Pœnit. sect. 7. n. 2. Bonac. de irregul. q. 3. p. 6. num. 4.* Absoluens autem à peccatis nondum sacerdos est vehementer suspectus de hæresi ac proinde subditur tribunali S. Officij. ex Bulla: *Officij nostri* 21. Gregorij XIII. degradatur, & traditur curiæ seculari morte plectendus, ex Bulla *Etsi alias* 81. Clem. VIII. quod verum est in eo, qui vigesimumannũ excessit, ex Bulla: *Apostolatus Officium* 79. Vrbani VIII. 6

Sacerdos absoluens à peccatis sine approbatione requisita à Tridentino puniendus est pœna arbitraria, *ex Menoch. de arbitr. casu 320. n. 4.* Alij asserunt esse puniendum crimine falsi, sicut punitur, qui vsurpat officium alienum, *ex l. Eos ff. ad leg. Cornel. de fal.* & qui vsurpat gradum Doctoris, quo caret, *ex allegatis à Thesauro 11. Absolutio c. 2.* Et condẽnatus euadit infamis, *ex ibid. dictis.* 7

Absoluens à casibus reseruatis plectendus est pœna falsi, vel extraordinaria, & condemnatus fit infamis. Absoluens à casibus Bullæ Cænæ Domini est excommunicatus, sed non reseruatus, *Nauar. c. 27. num 73. Sayr. lib 3. c. 25. n. 7.* Contra alios. Clemens tamen VIII. in Decreto S. Cong. die 9. Ianuarij 1601. Prætextu priuilegiorum præsumentes absoluere à Casibus Bullæ clare, vel dubie in ea contentis, & aliis Papæ reseruatis, & à casibus reseruatis ordinariis locorum, subiecit excommunicationi reseruatæ Papæ, & priuationi officiorũ, dignitatum, & beneficiorũ, & cũ inhabilitate ad audiendas in posterũ confessiones, & ad officia, beneficia, & prælaturas in posterum obtinẽdas, absoluentes extra articulum mortis quoscunq; pœnitentes seculares etiã clericos. Sequenti vero anno 1602. 26. Nouembris dictæ pœnæ fuerunt mitigatæ, vt eas incurrerent solũ absoluentes à casibus Bullæ, & ab aliis quinque ibidem expressis, & à casibus reseruatis locorum ordinariis, sublata etiam inhabilitate ad audiendas confessiones, remanente reseruatione respectu aliorum. 8

Easdem pœnas incurrunt præsumentes, ex suis priuilegiis, absoluere à censuris Episcopis reseruatis, vt de mandato Clem. VIII. decreuit Sacra Congregatio 7. Ianuarij 1617. apud Naldum 11. Casus reseruati. 9

Adulterium committens nupta lege Moysi lapidabatur, *Leuit. c. 20. Deuter. c. 22 Daniel. cap. 13.* Iure legali ambo morte afficiebantur, *Farinac. quæst. 141. num. 15. & 17.* Iure Ecclesiastico confessi deponuntur, & detruduntur in monasterium, sed hæc detrusio non est in vsu, infamatus vero non se purgans deponitur, *Farinac. num. 39. ad 53.* Condemnatus autem fit infamis, & irregularis; Hæ pœnæ deducuntur ex Iure Canonico contra clericos, & consequenter etiam contra religiosos adulteros, & fornicatores. Farinac. q. 141. num. 72. ait, modo pœnas esse arbitrarias, vel pecuniæ, exilij, fustigationis, & triremium n. 74. etiam si accessus sit ad solutam, num. 81. 10

Melfius cap. 8. de pœnis in castitatis violatores, refert pœnas in ordine Minorum his verbis: *Quicunque conuictus fuerit domos suspectas ingressum fuisse, ab eo loco omnino, & perpetuo remoueatur, & grauiter arctetur. Si confessus fuerit in fornicationem, vel grauiorem culpam incidisse, vel de eo legitime constiterit pro prima vice semestri carceri mancipetur, & voce actiua, & passiua triennio careat. Pro secunda carceretur per annum, & omnibus ordinis officiis decennio careat. Pro tertia ad omnia ordinis officia inhabilis existat, longiori carcere maceretur, vel etiam ad triremes, superiorum iudicio pro qualitate delicti mittatur.* Vide præfatum sanctorum de Melfio explicantem dictas pœnas. 11

Apostasia triplex, à fide, ab ordine, & religione. Apostasia à fide est recessus in totum à fide cum transitu ad aliquam falsam religionem; & sic includit hæresim, & connotat falsam sectam. Is casus sicut hæresis ipsa, quæ in minus se habet iudicatur à tribunali S. Officij; eius pœnæ sunt excommunicatio, infamia, irregularitas, confiscatio bonorum, & filiorum, mors, combustio &c. vt colligitur ex tit. de hæret. 12

Apostata

12 Apostata ab ordine dicitur clericus etiam primæ tonsuræ deserens illum statum; si enim habet tonsuratus beneficium prætendens illud retinere in statu laicali, vti apostata puniendus est. Carens vero beneficio etiam in minoribus constitutus deserens statum per matrimonium, seu desertionem vestis, & abiectione coronæ, non est apostata nec puniri potest, ex Sanch.lib.7. disp. 31. n.9. qui n.10.ait peccare venialiter sine causa deserens illum statum. Factus ergo laicus omne amittit priuilegium. *Farinac.q.8.n.50.Suarez disp.22 de cens.sect.1. n.11.* In sacris constitutus ducens vxorem fit apostata, & incurrit excommunicationem non reseruatam, *Clem vn. de consang.Suar disp.13.sect.5.n 17.* Apostata est ille qui veste deposita viuit vt laicus, & fit infamis infamia facti, quæ
13 non tollitur, nisi per triennalem vitæ emendationem, iuris autem infamiam non incurrit, contra nonnullos *apud Thesaurum* 11. *Apostasia n.4.* Fit tamen irregularis si ducat vxorem, *Suar.disp.49.sect.4.n.6 Sanch.lib.7.disp.85.* Non tamen est ipso iure priuatus beneficiis constitutus in maioribus ducens vxorem, *Sanch.lib.7.disp.43.num.4. Barb.alleg.57.n.207.* vtique in minoribus existens, perdit etiam pensiones, *Thesaurus ibid.* §.5. qui §. Similiter, ait, idem dicendum de facto militę, quod dictum est de vxorato. Simplici depositione habitus non perdit beneficia nisi secuta declaratione, ex Bulla 92. Sixti V. Alia vide apud dictum Thesaurum à n.6.

14 Apostasia à religione tunc contrahitur, cum professus deserit religionem à se professam cum animo non amplius redeundi ad eandem, siue dimittat, siue retineat habitum suæ professionis. Ita fero omnes cum *Rodr.tom. 1.quæst.30.art.1. Miranda tom.1.q.51.art.1. Sanch.lib.6. c.8. n.2.* Hæc est vera ratio apostasiæ, sed quoniam ea perficitur eo prauo animo non amplius redeundi idcirco cum talis animus exterius non innotescat vt plurimum recedens insalutato hospite pro tali habetur in foro externo, esto fugisset ex alio motiuo, vt ad excitandam correctionem sui superioris. Pœnæ autem Apostatarum sunt sequentes.

15 Prima est, quod non gaudeat priuilegiis suæ religionis, dum enim non vult esse illius filius, æquum est, vt non gaudeat priuilegiis matris suæ, *Sanch. lib.6.cap.8. n.75.Bonac.de Clausq.2.p.11.n.3. Thesaurus* 11. *Apostasia c.2.§.8.*

16 Secunda, amittit priuilegium exemptionis, vnde puniri potest ab Episcopo, *Tridet. Sess.7.c.7.& 15.& Sess.25. c.14.Barbos.allegat.105.n.14.*

17 Tertia, remanet suspensus ab exercitio ordinum, quos in apostasia suscepit, *c.fin de apost.* Vocant eam suspensionem potius speciem irregularitatis, & sic celebrans, qui non dimittit habitum, non fit irregularis, secundum *Bonac. q.2.p.11.de Claus.* §.4.*n.* 10.& 11. Sed id parum refert, nam cum sine licentia sui superioris ordines receperit, est suspensus ab executione ordinis suscepti ex Bulla Pij 11. incip. *Cum ex Sacrorum* 7.

18 Quarta, cum apostata soleat habitum dimittere, recipiens ordines fit irregularis, sicut & in illis ministrans, quia est excommunicatus, *ex cap. 2. Ne clerici, vel mon.* Ita quod apostasia sola non inducit de iure communi excommunicationem, sed sola habitus dimissio, *Sanch. lib.6.c.8.n.20.* & n. 25. refert conditiones necessarias ad eam incurrendam propter dimissionem habitus.

19 Quinta, apostata à suo superiore vbique reuocari potest ad religionem eum carcerando ad mensuram delicti, *cap. A nobis 3.de Apostat.*

20 Notandum autem est, quod non quilibet recessus à conuentu constituit recedentem apostatam, sed solum, quando recedit deserendo in totum religionem, aliter pro fugitiuo habendus est, & quidē *Primo* qui statim redit, *ex Bald.in l.1.C.de adil.edit.n.19.Imola cons.84.n.18. Riccinll.lib.5.c.19.n.22.latius lib.8 c.2.n.15.* Tēpus autēm reuersionis, ne indicetur apostata, videtur trium dierum, *ex allegatis à Riccinll.lib 8.c.2.n.31.* Præterea *Secundo*, recurrens ad superiorem non censetur apostata, quia ex hoc fine purgat suspicionem apostasiæ dum recognoscit suum superiorem maiorem. *Tertio*, In opinione aliorum recedens à clausura, & semper retinens habitum, censendus est potius fugitiuus, quàm Apostata: *Quarto*, si maneat apud consanguineos, vel affines, vel apud alios religiosos, vel fugit è carcere ad euitandas pœnas, vel sæuitiam sui superioris, non est censendus apostata, quia hæ causæ non arguunt animum relinquendi religionem.

Pœna autem apostasiæ proportionata est carcer, vt 21
sicut per culpam quærebat libertatem, ita per carcerem eam perdat. In ordine Minorum de obseruantia pro quarta vice mittetur ad triremes de qua Melsius c. 9. fol. 595.apud nos errantes, & vagi carcerantur, cap.20.

Arma retinentes Monachi tam nigri, quam albi intra 22
septa monasterij sine licentia Abbatis, incurrunt excommunicationem non reseruatam, *ex clem. 1.§. Quia vero, de statu monach. Sayr.lib.3.cap.33. num.28.* vbi nomine armorum veniant tam defensiua, quam offensiua, non tamen ligna, & lapides, quæ veniunt solum cum agitur de insultu facto contra aliquem, non autem de ferentibus, aut simpliciter retinentibus, *Farinac. cons. 169. num.21.Caball.resol.crimen.casu 63. num 4.* Dicta censura ab aliis religiosis non incurritur, *ex eodem Sayro, & aliis.*

Assassinium ille dicitur committere, qui mercede 23
accepta Christianum interfecit, & ex cap. 1.de homicid. in 6. Assassinus, & eum receptans, defendens, vel occultans *Primo*, incurrit excommunicationem non reseruatam, etiam effectu non secuto. *Secundo*, incurrit priuationem omnis dignitatis, honoris, ordinis, officij, & beneficij, etiam laicus. Tertio, incurrit pœnam perduellionis hoc est, à quolibet impune occidi potest, & eius bona diripi, post sententiam criminis. *Quarto*, est irregularis secuta morte, vel membri mutilatione. *Quinto*, secuta sententia fit infamis. *Sexto*, caret immunitate cum suis cooperatoribus ex Bulla Gregoriana, etiam effectu non secuto. *Septimo*, Ecclesiastici data sententia, non sunt degradandi pro vltimo supplicio quia iam de iure sunt degradati. Multi tamen docent, clericum non esse tradendum curiæ seculari, sed solum deponendum. Vide *Farinac.q.123.vbi de Assassinio.*

Celebrans non sacerdos easdem pœnas incurrit, qui- 24
bus afficitur non sacerdos absoluens à peccatis; ideo vide supra dicta 11. absoluens num.6.

Clausuræ violatio contingit duobus modis, *primo*, ex 25
parte personæ professæ egredientis sine licentia superioris; *secundo*, ex parte extraneorum ingredientium sine licentia. Est autem clausura ambitus omnium illorum locorum, qui clauduntur septis monasterij vsque ad portam, extra quam non licet egredi, definita a Superiore, vel approbato vsu, intra quam non licet ingressus personis prohibitis, nec egressus ab existentibus intra propria auctoritate. Ita omnes *cum Bonac de claus.Sanch.lib.6.c.15.* Limites autem clausuræ determinare spectat ad eos, qui habent ius visitandi clausuram, & sic ad superiores maiores regulares respectu clausuræ virorum, & etiam ad Episcopum respectu clausuræ monialium etiam exemptarum, *ex Trident.sess.25.c.5.Suarez tom.4.de Relig.tract.1. lib.1.c.7.n.2.Barb.alleg.* 102.*n.6.& 11.* Violatur autem, si persona se totam ponat immediate intra clausuram, *Diana resol.52.de regular. Thesaurus* 11. *claus.cap.1.* qui subdit, limen portæ esse clausuræ partem, & initium. si claudatur per ianuam *ex Barb. in l.1.ff de cloacis, Gemin. in cap vn. de consecr eccles. Francus decis.402. n.11. Cornitolus lib 6.quæst.3.* Violatio clausuræ respectu virorum egredientium est peccatum veniale, nisi superaddatur præceptum superioris. vel nisi fiat de nocte, ob casum reseruabilem, *ex S. Thoma 2.2. q. 186. art. 9. Nauar. com.4.de Regular. n.35.* Respectu monialium egredientium, vel admittentium, & virorum admittentium mulieres, peccatum mortale, vt arguitur ex graui pœna excommunicationis latæ contra violatores clausuræ.

Mulieres ingredientes clausuram virorum incurrunt 26
excommunicationem reseruatam Papæ, siue ingrediantur prætextu licentiarum cum sint reuocatæ, siue sine illarum

prætextu, ex Bullis Pij V. incip. *Regularium*, incip. *Decet Romanum*, sub num. 20. Ita communior opinio *cum Sanch. lib. 6. cap. 16. num. 79. alios refert Thesaurus cap. 2.*

27 Religiosi superiores, & subditi introducentes mulieres intra sua monasteria clausurata sine ex prætextu licentiarum, siue non, incurrunt suspensionem à diuinis ipso iure non reseruatam. Ita ex eisdem Bullis *Sanch. lib. 6. cap. 17. n. 35.* loquens de superioribus, & subditis, qui num. 36. requirit dolum, & scientiam, & quod non sit reseruata, num 41. Ego resol. 119. q. 21. Conuersi non afficiuntur hac pœna, cum huius censuræ sint incapaces, docui resol. 76. n. 62. etiamsi Bon. ad malum finem, Marcus Paulus in praxi literarum sacræ Pœnitent. fol. 500. col. 2.

28 Præterea ex eadem Bulla Pij V. & etiam Greg. XIII. incip *Vbi gratia* 28. Superiores, & subditi officiales introducentes, mulieres incurrunt priuationem officiorum cũ inhabilitate. *Thesaurus c. 3. n. 121. Sanch. lib. 6. c. 17. n. 35.* Requiritur tamen declaratio criminis perpetrati per sententiam ad eas pœnas incurrendas, *Thesaurus ibidem ex Suar. tom. 4. Relig. lib. 1. c. 7. in fine.* qui Thesaurus ait obligari ad pœnam inhabilitatis ante declarationem, sed *ego cap. 91. 35. & cap. 92. numer. 73.* requiri sententiam.

29 Demum superiores tantum, & non subditi admittentes mulieres infra sua claustra, prætextu licentiarum incurrant, præter dictas pœnas, etiam excommunicationem reseruatam, ex dicta Bulla Gregor. XIII. Ita *Sanch. lib. 6. c. 16. n. 79. & 84.* Quidquid alij dicant in contrarium includentes etiam subditos, & admittentes sine prætextu licentiarum.

30 Ingredientes monasteria monialium tam viri, quam mulieres sine debita licentia etiam in ordinarijs earum indigentijs, etiam non ad malum finem, & à fortiori ad malum finem, excommunicantur in Tridentino sess. 25. cap. 5. vbi non fit reseruatio, facta tamen fuit postea ex Decreto S. Congreg. sub his verbis: *Violationis clausuræ monialium ad malum finem.* Sublatis omnibus priuilegijs alias absoluendi. Licentia autem subreptitia, falsis narratis, non suffragatur, *Sanch. lib 6. c. 16. n. 73.* Sicut suffragatur in voce data, *ex eodem n. 38. Suarez tom. 4. de Relig. lib. 1. c. 10. n. 15.* Contra alios apud Dianam *resol. 129. de regular.* Nota ex verba Sacræ Congreg. *ad malum finem*, excommunicationem Tridentini fuisse reseruatam contra ingredientes ad malum finem, vnde famuli monialium ingredientes non incurrunt eam reseruationem.

31 Aliam excommunicationem reseruatam incurrunt ingredientes prætextu licentiarum, ex Bulla Gregoriana incip. *Vbi gratia* 28. & alteram Pauli V. in sua incip. *Monialium* 47. ex prætextu tantum licentiarum, secundum communiorem opinionem, *Suarez de censuris disp. 22. sect. 6. n. 14. Sayr. lib. 3. c. 31. n. 10. Sanch lib. 6. cap. 16. n. 78. & 79. Barb. alleg. 102. n. 37. Diana par. 1. tract. 4. resol. 23. & Miscell. 2. resol. 32.* contra plures alios relatos à Thesauro cap. 4. §. Aduertendum.

32 Superiores tam viri, quam moniales introducentes, vel intrare permittentes infra claustra monialium incurrunt excommunicationem, & priuationem dignitatum, beneficiorum, & officiorum, cum inhabilitate ad ea, tam superiores, quam superiorissæ, ex dicta Bulla. *Vbi Gratia*. Greg. XIII. Quas pœnas omnes reseruatas innouauit Paulus V. citata Bulla *Monialium*. Intellige, sub prætextu, vt dixi, & non aliter. Et hæ pœnæ solum afficiunt superiores, & superioritas, non personas priuatas, *Sanch. lib. 6 c. 18. n. 84. Miranda de monial. q. 2. art. 22. concl. 3. Rodriq. tom 1. q. 47. art. 3. arb. alleg. 192. n. 33. Diana part. 1. resol. 33. & 34. Miscel 2.* Confirmatur id ex Bulla Pauli V. qui solum nominat superiores.

33 Prælati tam regulares, quam seculares etiam episcopi sine causa necessaria ingredientes monasteria monialium, pro prima vice Episcopi etiam Cardinales ex officio intrantes sunt interdicti ab ingressu Ecclesiæ; pro secunda vice suspensionem à munere Pontificali, & à diuinis; pro tertia vice, & vltra excommunicationem. Regulares vero superiores præter excommunicationem incurrunt etiã priuationem omnium officiorum, ex Bulla 28. *Dubiis quæ emergant*, Greg. XIII. Supradictæ pœnæ non sunt reseruatæ, vnde electione confessarij possunt se facere absoluere, antequam sint denuntiati, *Sanch. lib. 8. disp. 3. n. 3. & lib 6. c. 16 n. 98.* Suspensio à munere Pontificali non includit iurisdictionem, vt quid diuersum, *ex Sayro, & Auila Thesaur. c. 6.* Est sermo de solis Prælatis, non eorum Vicarijs, *ex eiusdem cum Sanch. n. 99. Barbac. de clausura q. 4. p. 5. num. 24.* Non est hic sermo de inhabilitate, quam ideo non incurrunt, *Sanch. n. 98.*

Ingredientes ad malum finem, hoc est, ad luxuriandum, 34
ex Graffio lib 2. de casib reseru. c. 5. n. 9. 12. & 54. sunt excommunicati cum reseruatione extra Vrbem, & intra Italiam, ex Decreto Sacræ congreg. *relato à Barbosa allegat. 50. n. 186.* Et grauissimum delictum depositione dignum, *Farinac. q. 146. n. 26* Et condemnatus de illo fit infamis, non tamen est excommunicatus si cum moniali fornicetur extra clausuram, *Thesaurus c. 7. fine*, Iure ciuili morte punitur, *Auth. de sanct. Episc. §. Pœnalis. cap. Si quis rapuerit 27. q. 1. Farinac q. 146. n 5.*

Ingressus cum legitima licentia, sed deinde data occa- 35
sione, fornicans cum moniali, qui non fuerat ingressus cum illa praua intentione, non dicitur violasse clausuram ad malum finem, nec proinde incurrisse excommunicationem latam à Gregorio XIII. Ita *ex Sanchez Diana resol. 67. de regular.*

Moniales egredientes sine vrgenti causa, & superiores 36
eis concedentes expressum sine legitima causa, incurrant excommunicationem reseruatam, ex Bulla 8. incip. *Decori.* Pij V. Et tam illæ, quam isti incurrunt priuationem officiorum, & administrationum cum inhabilitate ad eadem, vel alia obtinenda. Sed ibidem non additur reseruatio. Vide Barb. *ad cap. 1. de statu regular, in 6. & Sanchez. lib. 6. c. 15. Thesaur. 11. Clausura c. 8.*

Confessionem Sacramentalem reuelans deponendus 37
est à beneficio, officio, & exercitio ordinum detrudendus in arctum monasterium, vt perpetuo agat pœnitentiam, *ex cap. Sacerdos dist. 6. de pœnit. & cap. omnis, de pœnit. & remiss.* Et cũ hæc depositio sit perpetua ex lege, non potest Generalis super ea dispensare cõtra legem canonicam, loquitur *Melfius c. 23. de pœnis § Respond. 3. & seq.* ait, post sententiam fieri infamẽ. Quoniam autẽ monasteria grauantur varijs missarum oneribus, crederem, iudicem posse talem confessionis reuelatorem priuare omnibus legitimis actibus perpetuo eum suspendendo ab audiendis confessionibus, permittendo post aliquod tempus missarum celebrationem, nam eo dispensando super infamia, ea ratione, quia nostris temporibus, pœnæ sunt arbitrariæ, in quantum ex causa possunt minui, & augeri, *ex dictis c. 94. n. 49.* Si reuelator confessionis habeat errorem in intellectu, credens scilicet licere eam reuelare, contra illud axioma: *Hæresis est delictum quod confessio celat.* reus est tribunalis S. Officij, *ex Melfesie Carena par. 2. §. 23. n. 93. qui n. 95.* ait, Inquisitorem posse vocare confessarium malæ famæ, & consuetum reuelare confessionem, & interrogare quid sentiat de fide super hoc sacramento.

Crimen læsæ maiestatis tum diuinæ, tum humanæ 38
punitur morte, *de quo dixi cap. 61. Vide de Bictis q. 110.*

Ebrietas vitium est intemperantiæ proueniens ex 39
nimia potatione triplex est ex dictis cap. 10. numer. 17. repellit à testimonio ibidem numer. 19. & 20. quando minuat pœnam 82. numer. 92. Ebrius autem mente alienatus, puniendus est, non propter delictum aliquod etiam homicidij in ebrietate commissum, sed propter vitium inebriationis, & quidem mitius, ac pœna iudicis arbitraria, *vt Farinac. quæst. 93. numer. 1.* deducit ex sacris literis, *c. Sane 15. q. 1. & cap Inebriauerunt, ibidem.* Si vero non erat morte alienatus, sed hilaris, & leuiter inebriatus punitur pœna ordinaria conueniente delicto commisso in ea ebrietate leui quæ vsum rationis non absoluerat ex eodem *numer. 58. ad 82. qui numer. 53 ait,*

ebrietatem

ebrietatem non præsumi, cum sit vitium, sed esse probandam etiam per testes credulitatis; & cum sit difficilis probationis. *ibidem n.16.* etiam coniectoris, & signis probari, ex transformatione faciei, ex aspectu rubeo, exilarato, ex actibus indecentibus, ex loquutione confusa, ex vomitu.

40 Ecclesiastici se inebriantes, clerici, & religiosi suspenduntur ab officio, & beneficio, *ex cap. A crapula 14. de vita, & honest. cler.* intellige si sunt consueti in hoc vitio; vnde nec possunt ordinibus initiari, *ex cap. Episcopus dist. 35. Salcedo cap. 80. ad Diaz, Cenedus ad Decret. collect. 33. num. 4. Barb. ad dictum cap. 14. de Vita, & honest. num. 2.* qui sunt irregulares, *ex eodem Barb. alleg. 28. num. 11. Gutier. lib. 2. Canon. pract. cap 4. num. 8.* Electio religiosi consuetudinarij in ebrietate, ipso iure nulla est, *Cenedus collect. 33. num. 4. ad Decret. Aldrete lib. 2. cast. 15. num. 40. Barb cit. Peyrin. de Prælato q. 2. num. 5. §. 5. Sayr lib. 5. de cons. cap. 31. num. 12.* Superior ebrius in officio suo, aut ter monitus, si non se abstinet priuandus est officio, ita *Can. in cit. cap. 1. Crapula 14. de vita, & hon. Gutier. cit. cap. 4. num. 65. & 66.* Extra ebrietatem non caret voce actiua, *Sigism. de elect. dub. 89. numer. 8.* Vide *Tambur. tom 1. disp. 5. quæst. 21. à num. 49.* multa congerentem contra deditos huic vitio.

41 Falsarius quis dicatur exposui cap 10. à num. 27. vbi quod crimen falsi est publicum, inducens infamiam, & testis repellitur à testificando, *num. 28.* late de teste falso cap. 33. & de pœnis testium falsorum cap. 34. Restat hic agere de aliis falsariis.

42 Falsarius accusator punitur pœna arbitraria, alias de iure erat pœna talionis, iuxta dicta præcedenti capite.

43 Falsarios literarum Apostolicarum, hoc est, falsificantes literas Apostolicas per se, vel alios, & fautores illorum, & defensores, item vtentes illis sunt excommunicati, ex cap. Ad falsariorum, de crim. falsi, & non sunt absoluendi, nisi satisfecerint, *Sayr. lib. 3. c. 10. n. 7.* Hodie tamen falsantes tantum, & non alij incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini.

44 Falsarius literarum Ordinariorum suspensus est si ordines recepit falsis dimissoriis. Et damnatus de illis fit irregularis, & infamis, *ex l. Eos ff. ad leg. Cornel. de fals.* intellige, quando literas ordinariorum existentes in forma probante falsificauit, *Abbas in cap. Post cessionem, de probat. n 5. Guidop decis. 481. Osasch. decis. 71. numer. 10. ex illis Thesaur. 11. Falsum cap. 1.* Super hac infamia dispensat Episcopus, *ibidem Thesaur. fine.*

45 Falsificantes literas superiorum puniendi sunt pœna arbitraria, vnde in ordine Minorum sunt excommunicati, & carcerandi arbitrio superioris falsitantes per se, vel alium literas, aut sigilla Prælatorum; si vero sint Generalis, sine eius assensu à carceribus non liberentur; & præterea sunt perpetuo inhabiles ad omnia ordinis officia. *Melfius c. 11. q. 5.* caplicat, vbi q. 6. quærit, an literas Generalis destruens, impediens, retinens, vel aperiens, sit falsarius? & re. Negatiue. Huius pœnas indicat ibidem, esse priuationem ipso facto omnium actuum legitimorum, & si hæc pœna non competeret delinquenti, deferat capocium probationis. Non placet hæc pœna posterior, quia secularibus datur occasio inquirendi de scelere occulto eisdem, ideo melius est, delinquentem carcerare, est enim grauis culpa intercipere literas superiorum. Vide præfatum Melfium multa ibidem congerentem, Portellum, & Lezanam 11. Falsarius.

46 Fornicatio simplex est copula soluti cum soluta peccatum mortale, prohibita non solum iure canonico, sed etiã diuino, expresse Leo X. in Bulla incip. *Primitiua*, sub n. 10. §. 23. *Farin. q. 137. n. 11. & 12. de Bictis quæst. 115. n. 4.*

47 Fornicator concubinarius hodie nullam incurrit ipso iure censuram, *ex allegatis à Thesauro 11. Concubinatus c. 1.* vbi quod nec suspensus, nec irregularis est, vnde in Tridentino sess 25. c. 14. traditur modus corrigendi concubinarios. Morientes in concubinatu notorio sine aliquo pœnitentiæ signo priuantur Ecclesiastica sepultura, vnius autem testis sufficit ad probandum illud signum, ex allatis ab eodem Thesauro.

Religiosus non potest regulariter dici concubinarius, 48 ex quo in domo religiosa non possunt retineri concubinæ, vnde ex hoc capite dicetur tantum fornicator. Dico ex hoc capite, quia eius copula licet cum muliere soluta non potest dici simplex fornicatio, sed coniuncta cum sacrilegio carnali, ob violationem voti castitatis, quod idem dicendum est etiam de clerico in sacris constituto, ideo vterque acrius puniendus est, quam laicus secularis, qui simplex fornicator dicitur.

Furti pœna est arbitraria, ex allegatis à *Farin. q 172.* 49 *n. 11. ad 16. de Bictis q. 123. n. 18* Vnde secundum *Ioan. Andr. in cap. Dilecti 6. de maic. apud Donatum par. 2. tract 9 q fin. n. 3.* Pro primo furto bullator in humeris; pro secundo fustigatur; & pro tertio mittitur ad triremes. Secundum alios *apud Farin. q. 174. à n. 27. ad 50. & de Bictis q. 123. n 39. ad 41.* Pro primo furto catilatur, vel tribus ictibus affligitur Pro secundo, flagellatur, & abscinduntur auriculæ. Pro tertio, morte punitur, si magnum sit furtum, vel fustigatur cum catilio, vel cum remo.

Condemnatus autem etiam ciuiliter, fit infamis, ex 50 Diaz cap. 93. consequenter fit irregularis, in his Episcopus dispensat, *ex allatis à Thesauro 11. Furtum c. 1.*

Clericus præter infamiam, & irregularitatem condem- 51 natus deponitur cum detrusione in monasterium, *ex cap. fin. de furtis. Farin. q. 167. n. 9. apud de Bictis q 123. n. 41.* Ciarlinius *c. 207 n. 45. ex Diaz c. 139.* ait, *non solere deponi, sed condemnari.* Vnde eorũ pœna erit pecuniaria, vel carceris, vel catilij, vel triremium, nam pro magno furto quis condemnari potest ad triremes, *Farin. q. 19. n. 24. Guazin. Defens. 33. c. 4. n. 9. Ciarlin. c. 207. n. 11.*

Furans res sacras, & alia vasa pro seruitio Ecclesiæ, vt 52 calices, candelabra, cæreos &c. committit furtũ notabiliter qualificatum, quod dicitur sacrilegium, & si id fiat cum fractione portarum Ecclesiæ, seu sacristiæ, aut capsæ seu murorum eorum, incurrit præterea excommunicationem Papæ reseruatam, *cap. conquesti 22. de sent. excom.*

Non est dubium, furem sacrilegum esse acrius puniendũ 53 quam simplex fur, dum pœna debet commensurari culpæ vnde pœna aliquando est catilij, aliquando carceris, *apud de Bictis q. 123. n. 18. Farin. q. 172. n. 16.* iure canonico punitur infamia, carcere, & depositione, *ex Sperelle decis. 105. n. 29. & 30.* Iure ciuili, pœna mortis, *l si quis in hoc genus C. de episcop. & cler.* Mittitur ad triremes, vel fustigationis damnaretur surripiens Candelabrum, *Clarus 11. Sacrilegium n. 4* & quidam fur sacræ pixidis, in qua erat corpus Christi, furca fuit suspensus, vt dicit ibidem. Furtum ergo sacrilegũ grauissimũ est peccatũ, ideo acriorem pœnã meretur, contra quod eius grauitatem exaggerat *Riccius par 2. decis. 27.* vbi ponit exemplum de Pixide, & Calice.

Prædicta à fortiori debent habere locum in religioso 54 fure, qui præter sacrilegium, si fuerit furatus rem sacram, præterea contrahit etiam vitium proprietatis auferendo alienum, quodcunque illud sit, siue religionis, siue secularis, fur ergo religiosus simul etiam proprietarius dicitur, quia contra voluntatem sui superioris accipit & sibi appropriat alienum. Ita *Lessius, Valentia, cum aliis Lezan. 11. Furtum. n. 2. apud de Bictis q. 123. n. 1. de communi Sanch. lib. 7. c. 21. n. 7. Castropal par. 3 disp. 3. p. 20. n 4.* crederem religiosum furantem etiam pro prima vice Pixidem, vel calicem sacratos, mitti posse ad remum ad tres, vel quinque annos, attenta grauitate furti sacrilegi ex duplici capite rei sacræ, & vitij proprietatis, maxime si fur esset sacrista, & eo magis, si furto adiunctum haberet vitium carnale, propter quod præsumitur furtum fuisse ad satisfaciendum mulieri.

Fur autem famosus dicitur, qui tria successiue furta 55 fecit, vel qui vnum ingens. *Clarus §. Furtum vers. Quæro an vers. Quære item, apud Melfium cap. 27. §. Hinc secundo,* qui tamen Clarus id explicite non dicit, licet deduci possit.

Habitum religiosum dimittens temerarie professus 56

incurrit excommunicationem non reseruatam, *ex c. p. 2. Ne clerici, vel monachi*, vt em bene explicat *Sanch. lib. 6. c. 8. à num. 39.*

57 Clericus secularis etiam non coniugatus in minoribus constitutus deserens omnino habitum, & tonsuram perdit omnia priuilegia. In sacris vero positus, etiã beneficiatus, habitu deposito, secularibus se immiscens negotiis, post tertiam monitionem non resipiscens, priuatur priuilegio canonis. Coniugatus deserens habitum, & tonsuram perdit omne priuilegium clericale minoribus initiatus. Iuxta dicta. 11. *Apostasia num. 12.*

58 Beneficiati quicunque etiam militares, & pensionarij tenentur deferre vestem clericalem cum tonsura, & habitum suæ militiæ, alias prouisio, & reseruatio est nulla, & ipso iure sunt priuati omnibus officiis Ecclesiasticis, nulla monitione, aut sententia expectata, & beneficiarij nõ teneantur soluere pensiones incedentibus sine tonsura, & veste, & eorum beneficia perpetuo remanent amissa, & reseruata collationi sedis Apostolicæ, *ex Bulla 9. Sixti V incip. Cum sacrosanctum.* Licet semel quis publice incedat sine veste sine rationabili causa, *Garz. part. 7. cap 1 num. 1. & Viuald. super dictam Bullam n. 10.* Pensionarij nondum ea gerentes, nec habentes, pensionem excedentem 60 ducatos auri de camera, non sunt subiecti dictis pœnis, ex alia Bulla incip. *Pastoralis*, §. 2 & 6. Nec subduntur familiares Papæ seruientes in ministeriis inferioribus, § 3. Verior opinio est, eas pœnas non incurri, nisi post sententiam, Doctores citat Thesaurus 11. Habitus c. 1.

59 Hæretici multas incurrunt pœnas. *Primo*, sunt excommunicati, *cap Achatius 24. quæ 1. cap. Ad abolendam, cap Excommunicamus il primo, de hæret. cap Nouerit, de sent. excom.* ibi non reseruatur, vtique in Bulla cœnæ Domini. *Secundo*, est infamis infamia iuris, *cap. Alieni 2. quæst. 7. cap Infames 6. quæst. 1. Sanch lib. 2. cap. 26. Farinac. quæst 189. num. 56.* Incurrunt *Tertio* irregularitatem, *ex cap 2. de hæret. in 6.* quæ tamen locum non habet in reuersis, quando eorum hæresis non fuit notoria, & etiam in notoria in regionibus palam infectis, *ex allegatis à Thesauro 11. Hæresis cap. 1. num 3.* Incurrunt hæretici *Quarto* priuationem omnium officiorum, & beneficiorum, cum inhabilitate, *ex cap. Miramur 24. quæst. 1, cap. Ad abolendam §. 1. de hæret. Sanch. lib 2. c. 26. num. 6.* modo hæresis sit publica, *ex eodem Sanch n. 1.* Intelligitur etiam de priuatione officiorum laicalium, & inhabilitate ad illa, *l. Infamiam C. de Decur lib. 10. cap. vt commissa, § Priuandi, de hæret. in 6. Sanch lib. 2. c. 6. num 6 Farinac. quæst. 189. à num 40. Carena par. 2. tit. 2. num 144.* Incurrunt *Quinto* confiscationem omnium bonorum iurium, & actionum, *l Manichæos §. 1. C. de hæret. cap Excommunicamus il primo, § Damnati de hæret. cap. Cum secundum, eod clem. 2 eod. Sanch lib 2. cap. 22. num. 7.* Ex quo sequitur hæreticum patrem perdere ius patriæ potestatis in filium, qui statim emancipatus est, & sui iuris factus, *cap. 2. §. fin. de hæret in 6.* Similiter, serui liberi fiunt, coniuges non tenentur reddere debitum coniugi hæretico, *Sanch lib. 2. cap. 24. num 6. & 53.* vbi vassalli eximuntur à iuramento fidelitatis. Huiusmodi pœnæ temporales non procedunt contra hæreticos regionum infectarum, *Nauar. consil. 12 de hæret. n. 10. & 12. Layman. lib. 4 de fide cap 10. §. Sexta, & de irregul. cap. 4. fine.* Hæreticus *Sexto* incurrit priuationem immunitatis Ecclesiæ ex Bulla Gregoriana. Demum *Septimo* priuatur Ecclesiastica sepultura, *cap 1. de hæret. & cap. 2. eod. in 6.*

60 Eadem incurrunt pœnas receptatores, defensores, fautores, & credentes hæreticis, quas refert Thesaurus 11. eodem c. 2.

61 Filij prædictorum non sunt infames ex veriori opinione, *ex Sanch lib. 2. c. 28. n. 5.* vnde possunt esse testes in iudicio, *ex eodem c. 27.* Filij eorundem vsque ad secundam generationem per lineam paternam, & vsque ad primam per maternam sunt irregulares, si eorũ parentes sunt defuncti impænitentes, *cap. Quicunque. §. hæretici. de hæret. in 6. cap Statutum 71. eod. Sanch lib. 2. cap. 28. num. 7.* Possunt autem ministrare in susceptis ante paternam hæresim, *ex eodem num. 10.* qui *cap. 27. num. 13. & 14.* ait, genitos ante hæresim nullo modo esse irregulares. Sicut neque tales sunt filij illorum in iis regionibus, in quibus impune vigent hæreses, *ex allegatis à Thesauro 11. eod. cap. 3.* Præterea tunc fiunt irregulares, quando hæresis paterna est, notoria iure, vel facto, *Sanch. lib. 2. cap. 27. num. 28.* Insuper sunt inhabiles ad beneficia, & officia publica *c. 2. §. Hæresi, de hæret. in 6. Sanch cit. num. 1.* Demum sunt priuati paterna hæreditate etiam quo ad legitimam, *cap Vergentis, de hæret. cap. cum secundum, eod. in 6. Sanch. lib. 2. cap 16. num. 25 & 26. Barb super dictum cap. Vergentis. Farinac. q. 190.*

Suspecti de hæresi non sunt excommunicati, etiamsi sint vehementer, seu violenter tales, quia nullo iure probatur talis censura; nec oppositum sentiunt Pegna, & alij citati à Thesauro 11. eod. cap. 4. quia intelligendi sunt pro foro externo, ex quo enim Inquisitores præsumunt quemlibet suspectum de hæresi non solum violenter, sed etiam vehementer, solent illos ad cautelam absoluere, vt notat Arsenale par. 9. fol. 302. Neque fiunt irregulares, dum per abiurationem se purgant ab hæresi formali, quæ sola facit irregularem, ex aliatis à Thesauro, cap. 6. Regulares sunt inhabiles ad officia, vt dixi supra Abiurati, n 3. 62

Homicidium contingit fieri dupliciter, publica auctoritate, & priuata voluntate, illud fit ex iudicio iusto per ministros, vel in bello, & vtrunque inducit irregularitatem ex defectu lenitatis. Ita omnes de irregul. ex defectu lenitatis. Homicidium priuatum aliquando est culpabile, aliquando inculpabile, & hoc vel necessarium, vel casuale. 63

Occidens ex necessitate inculpabili, hoc est, ad defensionem vitæ, vel corporis sui seruato moderamine inculpatæ tutelæ non fit irregularis, *ex clem. Si furiosus, de homic. Sayr. lib 1. c. 6. n. 6.* Idem dic si occidat ob defensionem necessariam vitæ alterius innocentis, vel reipublicæ, cum eodem moderamine, quando nempe lege naturali, vel diuina obligatur ad talem defensionem, ita plerique *cum Thesauro 11. Homicidium.* Immo id quoque verũ est, licet non habeat obligationem defendendi proximum, vt subiungit, *ex Suare disp. 46. de cens sect. 3. n. 2.* qui tamẽ subdit, tutius esse petere dispensationem. Idem dic de occidente ad necessariam defensionem proprij honoris, aut bonorum temporalium, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, quando scilicet, sunt bona magni momenti, & aliter recuperari non possunt, *Sayr. lib. 7. c. 17. n. 22.* quia ex homicidio priuato non oritur irregularitas ex defectu lenitatis, nisi illud sit factum auctoritate publica; & id extendunt etiam ad clericos, & religiosos, *allegati à Barbosa in cap. Suscepimus 10. de homicid.* apud dictum, Thesaurus, qui ait, oppositum esse communius, nempe fieri irregularem ex defectu lenitatis. 64

Homicidium casuale omnino inculpabile nullam inducit irregularitatem, *Farinac. q. 126. num. 51. Suar. disp. 46. sect. 2.* 65

Priuatum homicidium cum culpa factum duplex est, vnum voluntarium, & alterum casuale, quod contingere potest duobus modis. *Primo*, cum culpa Theologica, cum scilicet in causa præuisum fuit periculum homicidij, sed non directe volitum, aliter non esset casuale, sed voluntarium in se. *Secundo*, cum culpa legali, vt quando homicida dedit operam rei illicitæ, & periculosæ mortis, quamuis adhibuerit sufficientem diligentiam ne homicidium sequeretur, dicitur culpa legalis, quia lex præsumit ex illa opere illicito operantem malitiose occidisse. 66

Committens homicidium casuale ex culpa Theologica in sententia omnium fit irregularis, *Suarez disp. 45. sect. 6. Farinac quæst 126. numer. 74. apud Thesaurum.* Sola autem culpa venialis excusat ab irregularitate, *ex Sayro lib 7. cap. 6. num. 13.* contra alios allegatos à *Diana par. 1. Miscell. 2. resol. 20.* 67

68 Homicidium casuale proueniens ex sola legali culpa inducit irregularitatem tantum in casibus in iure expressis. *Sayr lib. 7. cap. 6. num. 7. Suarez disp. 45. sect. 6. num. 9. Thesaurus* referens ex illis tres casus, de clerico chirurgo, colludente cum prægnante, de mandante percussionem, ex qua mors. In aliis casibus non incurri, si fuit adhibita sufficiens diligentia, multis ibidem citatis, contra alios.

69 Voluntarium homicidium in se tale perpetrans ipso iure fit irregularis licet sit occultissimus delinquens, *cap. fin. de temp. ordin. cap. 1. & seq. de homicid. Trident. sess. 14. cap. 7. sess. 14. cap. 6. Farinac. quæst. 119. num. 56. Suarez disp. 44. sect. 2.* Secuta condemnatione euadit infamis, *l. 1. ff. de publicis iud. l. 1. ff. de his, qui not. Sanch. lib. 6. cons. c. 3. dub. 6. num.* 10. Intellige si homicidium fuit factum cum dolo, si tantum culpabiliter sine dolo, non fit infamis. *Farinac. quæst. 119. num. 28.*

70 Homicida ipso iure non est priuatus beneficiis, *Sanch. lib. 2. opusc. cap. 2. dub. 14. Azor. lib. 2. c. 18. quæst. 1. tom. 2.* Si requirat seruitutem personalem debet quærere dispensationem, si non potest obtinere debet illud renunciare, *Suar. disp. 40. sect. 2. num. 19.* In aliquibus casibus illud ipso iure perdit, quos enumerat Thesaurus.

71 Homicida voluntarius incurrit irregularitatem, vt dixi, & præterea ex ea, & ex speciali decreto Tridentini sess. 14. cap. 7. inhabilitatur indispensabiliter.

72 Potest autem superior Generalis dispensare in foro conscientiæ suos religiosos in irregularitate contracta ex homicidio voluntario, modo non fuerit commissum post professionem, & eos habilitare ad quascunque dignitates, & officia, & à quibuscunque aliis excessibus etiam Bullæ Cœnæ Domini; ita Pius V. in sua 129. incip. *Dum ad Congregationem* concessit Abbatibus Cassinensibus. Priuilegium derogatiuum Concilij, & communicabile aliis regularibus, inquit *Compend. Theatin. 11. Dispensatio* § 2. Restringitur ad homicidium in rixa, & non ad factum per insidias indispensabile, vt hoc modo *Peyrin. ad constit. 2. Iulij 11. num.* 104. interpretatur dictum priuilegium concessum Cassinensibus Abbatibus.

73 Pœna homicidij corporalis est mors tam contra nobilem, quam ignobilem, vt de communi notat Clarus *11. Homicidium num.* 14. qui num. 15. cum multis reprobat statutum puniens homicidam pecunia, quia talis mulcta æquari nunquam potest culpæ homicidij, qui enim gladio ferit, gladio perit. Clericus vero, & religiosus homicidiarij perpetuo deponuntur, *cap. cum ab homine* 10. *de iudic.* non tamen degradantur, *Farinac. quæst. 119. num. 46.* qui num. 55. ait, nostris temporibus damnari ad triremes in perpetuum, vel ad tempus, iuxta exigentiam huius delicti.

74 Incestus est copula cum persona cognata intra illos gradus, in quibus non potest celebrari matrimonium, quod contrahi non potest inter cognatos cognatione consanguinitatis, affinitatis legali etiam, & spirituali, & etiam ex impedimento publicæ honestatis. *Sanch. lib. 7. disp. 5. à n. 5. cum eo Bonac. q. 4. de matrim. p. 16.*

75 Incestus inducit infamiam iuris, & irregularitatem, secuta condemnatione, vel notorietate huius criminis, *Sayr. lib. 7. cap. 12. num. 12.* Non est excommunicatus incestuosus, *Sanch. lib. 7. disp. 48. n. 5.* Est tamen dignus depositione, *ex Farin. q. 149. n. 34.*

76 Priuatur petitione debiti committens incestum cum consanguineis primi, & secundi gradus, suæ vxoris, vel sui mariti, *ex cap. 1. de eo, qui cognou. Thesaur. 11. Incestus num. 4. Sanch. lib. 9. disp. 27. num. 14.* Ipso iure sine declaratione criminis, *vt dicti cap. 94. num. 70.* Non afficiuntur hac pœna consanguinei inter se commiscentes *Sanch. lib. 9. disp. 32.*

77 Pœna corporali etiam mortis punitur incestuosus de iure ciuili, vt si pater cognoscat filiam, vel fustigationis, vel triremium, vel carceris, aut pecuniæ &c. de qua re *Clarus 11. Incestus numer. 3.* Vide *Farinac. quæst. 149. à num. 121.* vbi plura de incestu in quantum dicit copulam, & in quantum conficitur ex incestis nuptiis.

78 Iniuria vituperans proximum puniendus est iuxta grauitatem iniuriæ illatæ, vt pœna commensuretur culpæ, & seruetur iustitia in puniendo. Est autem iudici arbitraria, de communi, *Clarus 11. Iniuria n. 2. Farinac. quæst. 105. num. 56.* Et de ea condemnatus siue ciuiliter, siue criminaliter, siue per transactionem, euadit infamis, *ex allegatis à Farinac. à num 61. ad 69.* vbi excusatur compareus per procuratorem; immo & soluens pœnam ante condemnationem, *ex num.* 70. Præterea iniurians tenetur ad restitutionem famæ, & ad se desciendum, & ad petendum veniam ab iniuriato in loco, vbi illum infamauit, *Farinac. quæst. 105. num. 71. qui num. 72. ex Grassio ait*, nisi sit nobilis, qui non tenetur se retractare pro persona vili, immo ex Diaz. cap. 66. dicit, nullo iure caueri huiusmodi retractationem, neque veniæ petitionem, & quod retractatio irrationabilis est, quando dixit verum, *num.* 74. Diuersa iniuriarum exempla refert *Clarus num. 1. Farinac. q. 105. à num.* 103. qui iniurias graues, & leues explicat *à num.* 175. super quibus vide etiam Melfium *cap. 13. par. 2. q. 3. fine, & sequentibus*, qui sub initium secundæ quæstionis ponit pœnas tu suo ordine statutas contra iniuriantes, his verbis.

Si quis Fratri non Prælato verbum improperij, aut contumeliæ dixerit, aut leuiter quemquam prouocauerit, flagella disciplinæ singulis vicibus in communitate Fratrum sibi adhibebit. Si vero in Prælatum talia verba protulerit disciplinæ addat ieiunium in pane, & aqua humi genibus flexis, & suffragiorum iure triennio careat. Addit autem Melfius § Respondeo 4. acrius esse puniendos Fratres iniuriantes seculares. 79

Tollitur autem iniuria primo, lapsu vnius anni, *Farin. quæst. 10. num. 21.* Secundo, conuersatione cum offensore, *Clarus num. 11.* Tertio per remissionem expressam, *num. 12.* iuxta *Farin. q. 105. à n. 314.* 80

Infamis igitur est condemnatus de iniuria, intellige graui, & non de leui, *ex cap. cum te, de sent. & re iud.* ex opinione valde probabili, & magis conformi dicto textui, & Doctorum allegatorum à *Farinac. quæst. 105. num. 66. Clarus num. 9. de Bellis quæst. 125. num. 4. Thesaurus 11. Iniuria cap. 1.* vocat, eam magis communem, asserens posse in ea Episcopum dispensare, ac proinde etiam Prælatum regularem, is enim parem habet cum eo potestatem in vtilitatem suorum subditorum. 81

Dicta autem infamia esto iniuria sit atrox, adhuc non incurritur, nisi formalis sententia ex processu sequatur, nam correctio facta per verbalem sententiam apud regulares, quos non semper expedit formare processus, nullatenus infamat pœnitentiatos, practica enim est in singulis religionibus, vt hodie verberetur publice iniurians, & cras accedat ad altare sine vlla dispensatione. 82

Inobedientia grauissimum est delictum inter religiosos contra suum superiorem, cui ex voto promiserunt obedientiam, & sic eius transgressio est sacrilegium execrandum. Habet autem Inobedientia adiunctum triplex vitium, sacrilegium iam dictum; contumaciam, qua quis resistit superiori præcipienti, & iudici monenti ad obediendum, apparet enim contumacia, & contemptus in eo, qui superiorem spernit vt superior, & vt iudex, nolendo ei obedire, dum potest, & tenetur, ex quo sequitur tertium rebellionis vitium consistens in eo, quod non seruat illi fidelitatem debitam. Vide Melfium cap 6. par. 1. fol. 236. qui ponit pœnas à suo ordine statutas contra inobedientes, quæ sunt sequentes. 83

Inobedientium pœna est carceratio, ac consequenter actuum legitimorum priuatio, si debite moniti in contumacia perseuerant idest si trina monitione præmissa per diem naturalem congruis interuallis inobediens perseueret. Qui autem pœnitentiam per locorum superiores sibi impositam agere renuerit, de Discretorum consilio, & assensu, etiam trina monitione non præmissa carceri mancipetur. Qui Commissario à Generali misso resistere, contradicere, se opponere, vel rebellem se exhibere præsumpserit, ipso facto excommunicationis sententiam incurrat &c. Qui Prouinciali, aut superiori locali rebellauerit omni suffragiorum iure triennio careat. 84

85 Obseruandum autem est, non omnes inobedientias esse pares, sed alias esse grauiores, alias minus graues iuxta resistentias respectu obiectorum, & superiorum quibus resistitur, grauior enim inobedientia est nolle recognoscere Commissarium, seu suum superiorem, quam nolle cantare e.g. missam, hæc enim purgari potest regulari disciplina, illa indiget carcere, vt obedientiam subter fugiens velit, nolit expectatur suum superiorem, & illum sic recognoscat, dum ab eo exitum è carcere petere debet vti à suo superiore, quem antecedenter hegauerat.

86 Iurisdictionis vsurpatio est peccatum mortale *D. Thom. 2. 2 quæst. 66. art. 5. ad 3. ex eo Megal. 2. 2. dub. 2. cap. 3. num. 9.* Qui autem sibi vsurpat alienam iurisdictionem in criminalibus præsertim puniendus est pœna extraordinaria, secundum Grammaticum *decis. 6 t. num. 18. apud Mar. Antonium lib. 3. resol. 1 t. num. 13.* vbi loquitur etiam in causis ciuilibus. Et ita dicunt etiam Legistæ *in l. Eos ff ad leg. Cornel. de fals.* Thesaur. 11. *Absolutio cap. 2. § Resp. 2.* vbi quod ite condemnatus est ipso iure infamis, & irregularis.

87 Vsurpans alienam iurisdictionem criminalem, siue furtiue, aut intrusiue, siue iure prætenso, nullam incurrit censuram, neque est excommunicatus in Bulla Cœnæ, neque ex Tridentino, quia excommunicatio lata contra vsurpantes iurisdictionem Ecclesiasticam, vel temporalem respectu Ecclesiarum, & locorum Ecclesiasticorum, non furtiue, sed prætenso iure, fertur tantum contra vsurpantes iurisdictionem in causis ciuilibus, vt clare colligitur *ex cap 17. Bullæ, & ex Tridentino sess. 22. cap. 11: vide Suar. disp. 21. de cens. sect. 2. num 95. Bonac. disp. 1. quæst. 18. p. 2. numer.* 20. asserentem, esse sermonem de iurisdictione tantum ordinaria, contra Thesaur. 11. vsurpantes cap. 3.

88 Lenocinium committens, secuta copula, & condemnatione euadit infamis, quia est publicum iudicium legis Iuliæ de adult. *l. Mariti, §. Plebs ur ff. ad l. Iuliam, de adulter Farinac. quæst. 143. num. 13. Menoch. de arbitr. casu 534. num. 46. Thesaur. 11. Lenocinium*, vbi quod consequenter est irregularis. Pacta autem inita inter lenones, & mulieres sunt ipso iure nulla; & locator perdit domum locatam illis, permittendo eis exercitium lenocinij. *Farinac. quæst. 143. numer. 14. & 29. Menoch. casu 534. num. 9.*

89 Libellus famosus est scriptura, vel signum continens occultam alicuius infamiam, vt nescientibus innotescat. Vide *Bonac. disp. 2 de Restitut. quæst 4. p. 9. Melsium de Pœnis cap. 12. Portellum 11. libelli famosi.* Est peccatum mortale obligans ad restitutionem famæ faciendam eo modo, quo fuit ablata; secuta autem condemnatione, euadit libellator infamis de iure, *l ob carmen ff. de testib. cap. si testes 4 quæst. 3.* consequenter irregularis, & intestabilis tam passiue, quam actiue, *Maiol lib. 3. cap. 1. numer. 15.* Pius V. Bulla 147. incip. *Romani Pontificis* infligit vtriusque iuris pœnas dictas contra scribentes, dictantes, retinentes, transmittentes, & non lacerantes libellos famosos, & literas nuncupatas de Auisi, continentes alicuius famæ læsionem, futurorumque successuum, & eorum, quæ pro regimine status Ecclesiastici secreto tractantur reuelationem. Vide *Farinac. cons. 145.* Pœnæ autem legales sunt, vel mors naturalis secundum *l. 1. C famosi libelli*, vel deportatio, *ex Turrecr. in cap.* De prima, *vers. si conuincitur 5. quæst. 1.* In statu Mediolani libellatores extraordinaria plectuntur, nimirum, fustigationis, aut triremium, *ex claro quæst. 68 num. 15. Bors. cons. 94. num. 38. fine, apud Farin. cons. 145. n. 2. & 3.*

90 Nulla autem censura ipso iure plectuntur, nisi qui libellos famosos edunt, vel retinent, vel publicant temere in Infamiam status ordinum Prædicatorum, vel Minorum, *Sayr. lib. 12. Clauis cap. 4. num. 9.* Requiritur ergo scriptura. Dictus Sayrus cum Filliucio, & Bonacina apud Thesaurum, hoc priuilegium commune dicunt alijs ordinibus. Sed non placet, quia non pœnæ, sed solum fauores communicant, vt clare colligitur ex Bulla incip. *Dudum per nos 32.* Leonis X.

Demum alia extat excommunicatio contra taxantes institutum, & constitutiones Societatis Iesu, ex Bulla incip. *Ascendente Domino* 89. Gregorij XIII. De qua Bonac. disp. 2. de cens. quæst. 3. p. 35. 91

In ordine Minorum libellatores sunt excommunicati, *Melsius cap.* 12. Apud alios carcerantur, vel priuantur actibus legitimis.

Literas missiuas intercipientes. Vide supra 11. Falsarius, sub num. 92

Ludus taxillorum, cartarum, & similium prohibitus *in l. fin. C. de relig.* consistit in sorte, & fortuna, vel etiam in mixtum ex fortuna, & ingenio. Ludi vero liciti, & non prohibiti consistentes in mera industria, & ingenio, vt scacorum omnibus permittuntur à dicta lege cum moderatione, Quod vltra solidum aliud perdi non potest. i. vltra vnum aureum, ex allegatis ibidem *à Barb. num. 32. Farinac. quæst. 109. num. 130. Clarus 11. Ludus, numer. 4.* Sed manifestum est præfatæ legi derogatum esse per contrariam consuetudinem, passim enim in curijs Principum permittuntur ludi prohibiti cum lucro, & damno notabili. Opinio quod ludent non teneatur ante sententiam pecuniam amissam & promissam tradere victori, etiam in foro conscientiæ, est valde probabilis, quam tuentur *Nauar. cap. 20. num. 17. Sotus lib. 4. de iust. q. 5. art. 2. fine* cum alijs contra alios *Barb. cit. n. 15. Thesaur. 11. Ludus, cap. 4 §. An autem.* 93

Contra ludentes ludis prohibitis certa pœna non fuit imposita iure ciuili, ideo arbitraria iudici sunt puniendi, *Clarus 11. Ludus num. 8.* 94

Episcopis, & clericis prohibetur ludus alearum, aliter si non desinant, sunt deponendi, *cap. Episcopus 1. dist. 35.* Eadem prohibitio est *in cap. Clerici 15. de vita, & honest.* ibi: *Ad aleas, & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint.* Sub his autem prohibitionibus veniunt etiam regulares, *ex Rodriq tom. 1. quæst 38. art. 1. & 1. Melsio, cap. 20. per totum* Pœna autem, qua Ecclesiastici sunt puniendi, arbitraria est, *Abbate, & Diaz. Rodr. cit. art. 2.* Verum quidem est, quod publicus aleator exercens ludum, & in notabili quantitate notatur infamia, & vilitate, non iuris, sed facti, *ex cap. inter dilectos 11. de excessib. Prælat. Rota par. 1. Diuers. decis. 426. Menoch casu 399. Thesaur. 11. ludentes cap. 4 §. 111.* Ac proinde in dicto textu dicitur, quod collatio beneficij facta publico aleatori est nulla, ex quo est infamis. Hæc autem infamia ea quo est facti, tollitur emendatione triennij, ea *eodem Thesauro*, qui subdit, aleatores publicus vti infames non posse promoueri ad ordines, nec ferre testimonium, nisi post emendationem, *ex Glos. in dicto cap. 11. Ad aleas*, & de non testificando, *Rolandus à Valle lib. 2. cons. 34. num. 2. & 4. Gutier. de contractibus iuratis cap. 53. num. 5.* 95

Non desunt Doctores negantes publicum aleatorem esse, inhabilem ad beneficium, ac proinde collationem beneficij valuisse, posse vero irritari, & deponi, si monitus non desistat. Sed verior est aliorum sententia magis textui congrua dicentium, aleatori publico collationem beneficij esse ipso iure nullam, occulti vero esse irritandam, *Barb. plures citans numer.* 4. Posita ergo hac certa conclusione, quod publicus aleator sit infamis, sequitur dicta superius locum habere in religioso publico lusore, siue ludat cum suis correligiosis, siue cum quibusuis extraneis, siue in conuentu, siue extra monasterium, in magna quantitate, & sæpius, ita *multis citatis Peyrin. de Prælato quæst. 2. cap. 5. §. 5. num. 76.* qui num. 52. bene declarauit quis dicatur publicus delinquens. Idem docet *Farinác. quæst. 109. numer. 96. ad 12. Tambur. tom 1. disp. 5. quæst. 11. num. 48. Melsius cap. 20. quæst. 1.* qui cum cæteris subiungit, his pœnis non affici eos religiosos, qui animi gratia, & ea recreatione ludunt etiam taxillis, & cartis, non ex consuetudine, sed raro, & moderate extra oculos laicorum. Id tamen non permittitur Reformatis quibusdam. 96

Osculum arguit amorem erga osculatum ab osculante, vel turpem, & lasciuum, vel honestum, vt parentum 97

erga

erga liberos, & amicorum inter se, vel ratione consuetudinis, vt inter Gallos. De primo quærimus quibus pœnis plectatur osculans luxuriose, supponendo osculum turpe esse indicium ad copulam, cum sit incentiuum libidinis, *cap. Nec aliqua 4.27 quæst.1.* præsumitur ergo copula ex osculis, *Farinac. quæst.136.num.129. de Bittis quæst.120. num.8.* non tamen probat, nisi habita sint in locis absconditis, *ex eisdem ibidem.*

98 Osculans inuitam mulierem cuiuscunque conditionis, & status, siue virgo, siue nupta, siue vidua sit, punitur pœna stellionatus, hoc est, pœna extraordinaria, *l.1 ff. de extraord. crimin. Clarus quæst.83. numer.31. Farinac. quæst.142 num.154 de Bittis quæst.118.num.1.* Osculans puellam per viam coacte, quandoque punitur pœna triremium *ex Farinac. numer.160.& seq.* quandoque pœna mortis, *num.167.*

99 Monialem exosculans tantum consentientem non morte, sed arbitraria punitur. *Decian.lib.6.crimin.cap.20. num.16. Farinac quæst.146 num.33. de Bittis quæst.116. num.40*

100 Puerum, & adolescentem osculans, *per l.1.§. qui puero ff.de extraordin. crimin.* deportatur, sed cum hæc pœna non sit in vsu, plectatur extraordinaria, *Farinac. quæst. 142. num. 158.* oscula, quæ infiguntur infantibus infra septennium, præsertim coram aliis, & iuuenibus, barbatis eodem modo non præsumuntur facta ex incentiuo libidinis, sed potius ex beneuolentia, & amicitia, nam loquendo de infantibus, *Bonac. cum aliis docet quæst. 4. de matrimon. p. 9. num. 12.* non esse peccatum mortale, quia non fit ex amore venereo, sed puro amore illius ætatis, nec id aberrat à præfata lege dum enim loquitur de puero, hoc nomen accipit pro ætate à septennio ad decimum quartum, masculus enim intra id tempus dicitur puer, & à decimo quinto cœpto adolescens dicitur, *Vocabul. vtriusque iuris 11. Adolescens & 11. Puer.* Osculum erga barbatum non videtur lascinum, sed potius impictum ex amicitia, & familiaritate, ex illo vulgi carmine: *Dum nigri crescunt pili perduntur amici.*

101 Monachi prohibentur osculari fœminas, *cap. Monachi 104 dist.4.de consecrat.* Quare seuerius sunt puniendi propter violationem voti castitatis.

102 Percussio alia leuis seu modica, alia grauis, seu enormis, vel atrox, *secundum Ioannem XXII. apud Rodriq. in Bullario suo fol mihi 57.* Leuis illa dicitur, quæ fit pugno, manu, pede, digito, lapide, aut baculo, ad quæ instrumenta non sequitur liuor, mutilatio, occisio dentis fractio, depilatio capillorum non modica, vel sanguinis effusio, non è naribus. Vel non sit facta in loco publico, aut contra personam in officio positam. Grauis vero enormis, & atrox censetur facta cum prædicto excessu, vel in loco publico, vt in foro, in theatro, in platea, in Ecclesia, vel coram Principe, iudice, superiore, & coram multis. Item percussio illata personæ constitutæ in dignitate, vel personatu. Vide *Bonac. disp 2. de cens.in particul.q.5. p.6. sect. 5. numer. 8. ex eo Melfius cap. 34. quæstio. 3.* qui refert pœnas in suo ordine statutas contra percusientes.

Farinac. quæst.105. à num. 175. differentiam inter leuem, & atrocem fuse tractat; qui loquendo de pœna contra percutientes, dicit, *num 56. & cum eo de Bittis q. 128.* quod est arbitraria, corporalis scilicet, vel suspensionis, vel priuationis officij, & talis esse potest, vt delinquens sit carcerandus, immo ad triremes mittendus. Qui percussiones fuste, baculo, alapa, pugno &c. vocat graues, & atroces, licet non sint tales quoad læsionem corporales, tales tamen reputantur quo ad ignominiam, & pro talibus sunt puniendi rei, *ex n.210. ad 215.*

103 Non sunt autem puniendi percutientes causa correctionis, nisi in modo excedant, *Farinac. quæst.105. num. 131. ad 140.de Bittis quæst.128. à num.10.ad 16.* Quomodo autem fiat infamis condemnatus iniuria de facto dixi supra num.81.

104 Nondum autem est, licet percussio grauetur sacrilegio ex iniectione manuum violentarum in Ecclesiasticum, non tamen de leui transit in grauem, & atrocem, quamuis grauius sit puniendus percutiens sacrilege, quam sine sacrilegio.

105 Periurium est iurata depositio falsi coram iudice facta. Pluribus plectitur pœnis periurus. *Primo* namque repellitur à testificandu, vt latius dixi *cap.10 sect. 12.num.75.* eius tamen testimonium admittitur contra producentem illum, *Henric in cap Testimonium, de testib. Suar.lib.3. de Iuram. cap.20. num. 19.* dicit, periurium non ligari hac repulsa, in neutro foro, sed licite, & valide testificari, nisi exceptione periurij repellatur. *Secundo* in tribus casibus incurrit infamiam iuris. & irregularitatem, ipso iure. Primo, maior viginti quinque annis violans pacta, & transactiones solemniter iuratas, actu consummato violationis. fit ipso iure infamis. *Glos. in l. si quis maior, C. de transact. 11. Infamia, vbi Barbosa in d.l.41. citat Doctores.* Non incurritur tamen nisi post sententiam declaratoriam super tali periurio, *Seraphin. decis. 1285. fine. Suarez lib.3. de iuram cap.fin.num.15.§. Dico 3.* Infamia hæc non habet locum, quando intercedit læsio enormissima, vel relaxatio iuramenti, *ex Sanch.lib.3. cap.21.num. 28. cum multis aliis Thesaurus 11. Periurium § limita.* Secundo periurus querelator fit infamis secuta sententia calumniæ, *cap si quis 1. quæst.3. Rodriq tom. 2.quæst.32. art.2.Sayr.lib.12.cap.15 num.18 Thesaur.11. Accusatoris cap.1.* Tertio condemnatus de falso periurio producto, vel à se dato testimonio est infamis, & irregularis, *l.1.ff. de his, qui not.infam.l. Infamem ff.de public. iudic. Maiol. lib.5. cap.36.num. 2.* Vide supra 11.Faltarius.num.

106 Alia pœna est, quod periurus non admittitur ad iurandum in litera, *Doctores in l.qui iurasse ff de iureiur.* qui scilicet dolose peierauit, *Clarus 11.Periurium, vers. Excusari. Salcedo ad Diaz.cap. 95. vers. Excusatur,* dicens procedere licet periurus non sit infamis ipso iure.

107 Non est autem periurus inhabilis ad beneficia, & multo minus est ipsis priuatus ipso iure, sed declaratus infamis illis priuatur, & fit inhabilis propter infamiam, & irregularitatem. Ita *Salcedo ad Diaz.cap.95. §. sed priuandus Garzias par.11.cap.10. numer.167. Seraphin. decis. 1283. fine.Suar. lib.3. de iuram. cap.20. numer. 4.5. & 6.*

108 Punitur etiam periurium pœnis arbitrariis, siue committatur à querelante, siue à teste, *Menoch. de arbitr. casu 319.num. 10.Guazin.Defens. 20.cap.43.numer.2. Suarez. lib. 3.de iuramento cap fin.num.16.* qui *num.2.* docet, nullam esse statutam ipso iure censuram contra periuros. De his autem pœnis dixi latius cap. 34.per totum.

109 Proprietarius dicitur ille religiosus professus, qui rem aliquam ita contrectat ac si esset sua, independenter à voluntate superioris. Is autem retinendo rem notabilem, cuius retentio est peccatum mortale, duas incurrit pœnas iuris canonici. Primo namque est priuatus sepultura Ecclesiastica, decedens proprietarius, dum inuentus fuit in morte habere proprium, dum scilicet habebat apud se sine licentia saltem interpretatiua, pecuniam notabilem, vel aliud peculium ignotum superiori, & cum eo sepeliendum est aliquid pecuniæ apud ipsum inuentæ, *ex cap. Monachi, cap. Cum ad monasterium, cap. Super quodam, de statu monachor. ibi Canon.& Sanch lib. 7. cap. 10. num. 11. Layman lib.4.de statu relig. cap.7. Melfius cap. 7. §. Tertia pœna, Ego de profess. regul. in 2.edit. Veneta. cap. 24 quæst. 35.* Et si fuit sepultus in loco sacro exhumandus est, expresse supradictum *cap super 4.eodem.*

110 Quilibet autem actus proprietatis non induceit hanc pœnam tam grauem sed sola pecuniæ, seu peculij retentio, vt clare colligitur ex citatis textibus, qui citantur his verbis: *Et qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, & digne non pœnituerit,* cap. Monachi 2. *Licet à Priore suo commonitus, proprium, quod contra Regulam latenter habuerat, noluit consignare, & sic diem clausit extremum.* cap. super eo 4. Debet ergo moribundus admoneri à superiore, vt peculium consignet, aliter inuentus cum proprio non est plectendus hac pœna, cum non fuerit contumax, & inobediens, vnde præsumendus est fuisse paratum ad

illud

illud consignandum; de hac monitione fit quoque mentio in *cap. cum ad monasterium*, & subdit textus: *Quod si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte &c.* Manifestum est ex his non quemlibet actum proprietatis, vt donandi, vendendi &c. sed solum actum retentionis inducere carentiam sepulturæ, supposita monitione superioris, & inobedientia subditi cum rei occultatione, vel negata resignatione. Ita de Retentione *Castropalaus, Tambur. Lezana, Bassans Comsend. Rodriq. quos citaui dicto cap. 25. de Paupert. quæst. 35.* Idem dic, si habeat chyrographum apud se pecuniarum mutuo datarum alicui, quia dicitur proprium retinere, dum illud superior ignorat.

111 Hæc pœna auctorem habet S. Gregorium, qui proprium habentem fecit sepeliri in sterquilinio, *ex citato cap. cum ad monasterium*, quem casum ipse sanctus refert *lib. 4. Dialog. cap. 55. vt dicit Couar. lib. 1. Variar. cap. 1. n. 11.* Ille autem monachus, quem mandauit sepeliri in sterquilinio, quia tenebat absconditos tres scutos, vt ipsemet confessus fuit in extremis, vocabatur F. Iustus, cui noluit quemquem seruire in ea infirmitate ex monachis, præter suum fratrem secundum carnem secularem, fecit ergo eum sepelire cum illis tribus scutis ad aliorum terrorem, commiserans deinde illius animæ præcepit, vt triginta missæ pro illius anima continuo celebrarentur, quibus finitis fratri suo carnali lætus, & resplendens apparuit. Hinc originem habuit trigesimum missarum S. Gregorij, ait Ioannes Dominus Francinus in suo opere. *Roma antica, è moderna* Romæ Typis Iacobi Phei anno 1653. fol. 330. & 331.

112 Melfius citato cap. 7. §. Respondet, impugnando dictum Thesauri *ex Sanchez lib. 7. cap. 20. num. 11. & Layman. cap. 7. num. 22.* asserentis, illum non dici proprietarium, qui aliquid alienat sine licentia. sed solum qui possidet aliquid, vt proprium, scilicet sine licentia superioris, multa congerit, persuadendo etiam alienationem esse actum proprietatis, quod non erat necessarium, quia præfati Doctores Societatis Iesu loquuntur de illo vsu proprietatis, quo incurritur pœna priuationis sepulturæ, quem præcise esse actum retentionis, & possessionis tempore mortis, probauimus manifeste de mente legislatoris supra sub num. 110. Nullus enim sanæ mentis negat esse actum proprietatis alienationem factam contra voluntatem superioris, sed is non inducit dictam pœnam, cum de eo actu alienationis, sed tantum retentionis mentio fiat.

113 Secunda pœna indicitur à Tridentino sess. 25. cap. 2. his verbis: *Quod si quis aliter quicquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua, & passiua voce priuatus sit, atque etiam iuxta sua Regulæ. & ordinis constitutiones puniatur.* Retinens ergo proprium, non autem dans, subditur huic pœnæ, sicut diximus de priori pœna, Concilium enim aperte dicit *quicquam tenere*, quod non est dare. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 20. numer. 15. cum præfatis Thesauro. & Layman*, *Castropal. Disp. 3. de Voto Relig. p. 24 num 4 Lezana cap. 6. num. 59. cum Peyrino de subd. quæst. 2. cap. 2. § 9. B. ssaus 15. Paupertas num. 20 §. Hinc de Bictis quæst. 123. num. 10.* Ad incurrendas autem has pœnas requiritur sententia declaratoria retentionis proprietariæ, vt præfati fere omnes docent *cum à S. Fausto lib. 8. Thesauri relig. quæst. 198. num. 2. Sanch lib. 7. cap. 20. num. 13. Thesarus cum Layman locis citatis.* Debet autem constare de corpore delicti, nempe rem extare apud religiosum contra voluntatem superioris sui, seu constitutionum, vel Regulæ, vt in Regula Minorum, *de Bictis quæst. 123. num 26.*

114 Aliis pœnis de iure communi non plectuntur proprietarij. non pœna expulsionis, *ex cap. cum ad monasterium*, cum sit correcta, secundum *Sanch. lib. 7. cap 20. num. 12. ex eo Lezana cap. 6. num. 59.* Multi enim quærerent occasionem expulsionis, vt liberius viuere possent. Non excommunicationis, quia nullibi est expressa, *Sanchez num. 14. Lezana cit.*

115 Raptus est traductio fœminæ de loco ad locum, causa libidinis, aut matrimonij, quod inter raptorem, & raptam consistere non potest, nisi rapta in loco libero constituta consentiat habere in virum raptorem. Raptus igitur est impedimentum dirimens matrimonium, quandiu rapta est apud raptorem. *Tridentinum sess. 24. cap. 6. Sanch lib. 7. disp. 13.*

Pœna rapientis, & illi consilium, auxilium, & fauorem præbentium ex eodem Concilio, est *Primo* excommunicatio non reseruata. *Sanch. cit. initio, Bonac. quæst. 4. p. 18. num. 9. Farinac. quæst. 145. num 21.* Secundo, sunt infames, omniumque dignitatum incapaces, & clerici de proprio gradu decidunt; & raptor tenetur dotare raptam licet eam ducat in vxorem. Ibidem clare dicitur. Hæ autem pœnæ non incurruntur, nisi post sententiam criminis declaratoriam, *Sanch lib 7. disp. 13. num. . Barb. ad hoc cap. num. 13. Farinac quæst. 145. num. 18. Thesaur. 11. Raptus, fine.* Incurruntur pœnæ dictæ ab illis licet rapiatur mulier inhonesta, *Farin quæst. 145. num. 153.* Tridentinum enim vtitur nomine *Rapta* quod commune est omnibus fœminis. Traducens vero suam sponsam his pœnis non est subiectus, dum ea consentit ire cum illo, quia sua est ex conditione sponsalium. 116

Iure ciuili L. vn. C. de raptu virg. &c. Raptores mulierum honestarum capite plectuntur, siue sint virgines, siue viduæ, siue coniugatæ, & sanctimoniales, immo reperti in fragranti crimine raptus impune occiduntur raptores cum suis auxiliatoribus à consanguineis, & aliis, sub quorum cura sunt raptæ, occidi possunt impune, & bona rapientis, & auxiliantium transeunt ipso facto in dominium raptæ, *ex eadem lege.* Præterea nullum inter eos potest esse matrimonium, & rapta amittit dominium ipsorum bonorum, *Auth de Raptor. mulieres.* Sed hoc postremum de nullitate matrimonij. & amissione bonorum correctum fuit per Tridentinum, dum decreuit valere matrimonium inter illos, vt notat *Sanch. lib. 7 disp. 12. num. 27. Farinac quæst. 145. num. 12. Thesaur. 11. Raptus, §. Nota 2.* 117

Asserunt probabiliter plerique *apud Barb. ad cap. 6. de Raptorib.* abducentem mulierem consentientem de domo parentum id nescientium, immo & ipsis inuitis, *cum Sanch lib 7. disp. 13. num. 11. Regnald. lib. 22. num. 31. Lessio lib. 4 cap. 3. dub. 9. num. 20.* non dici raptorem quo ad has pœnas. 118

Raptor igitur quo ad pœnam corporalem, morte punitur iure ciuili, vel pecunia, aut fustigatione iure canonico *cap. In Archiepiscopatu 4 de Raptor.* Non solum raptores morte puniuntur, sed etiam eorum socij, fautores, & auxiliatores *ex citata leg. Farinac. quæst. 145. num. 34.* 119

Puer etiam dicitur rapi causa libidinis, & sic raptor eisdem pœnis plectitur, quibus castigatur raptor mulierum, *ex allegatis à Farin. quæst. 145. num 46. qui num. 47.* refert *Glurbandum, Iodocum, & Decianum* sentientia oppositum, quia *in l. vn. C. de Raptor.* fit mentio tantum de mulieribus. Nihilominus prior opinio verior est, & lex illa suppletur per canones in citato cap. 4. de Raptor. vbi, quod etiam pueri rapiuntur causa libidinis. 120

Sacrilegium est læsio rei sacræ. *Glos. in cap. Sacrilegium 4. 17. quæst. 4.* Diuiditur autem in Personale, Reale, & Locale, de singulorum pœnis dicendum est, præmittendo, quod leges, & Sacri Canones loquendo de pœnis contra sacrilegos, restringunt crimen sacrilegij ad rem sacram furto ablatam, Deo publice dicatam, vt colligitur *ex l. In tantum ff. de rerum diuis. Suar. lib. 3. cap. 2. initio, tom. 1. de Relig* Estque mixti fori, *Maria de iurisd. par. 2. cap. 11. num. 21. & 22. Salcedo ad Diaz. cap. 90.* 121

Personale sacrilegium est illud, quod committitur contra personam aliquam Deo dicatam vel ex voto solemni, seu simplici, & dicitur carnale ex commixtione cum illa; vel ex dedicatione personæ ratione clericatus, vel monachatus assumpti. Pœna istius sacrilegij, quod dicitur iniectio violenta manuum facta in Ecclesiasticam personam, est excommunicatio Pontifici reseruata, satis nota apud omnes. Percussor autem puniri potest corporaliter morte, si clericum occidit, vel remo, si mutilauit, carcere, exilio, & pecunia mulctari. 122

Duo

123 Duo priuilegia habet Ecclesiastica persona, vnum Canonis, de quo modo dixi, vt non possit percuti sine pœna excommunicationis; alterum Fori, vt non possit trahi coram iudice laico, aliter trahens incurrit excommunicationem decimam-quintam Bullæ cœnæ Domini, vel trahi facientes, vel procurantes directè, vel indirectè, præter iuris dispositionem, siue causa sit criminalis, siue ciuilis, conceditur tamen tractio per reconuentionem, vt docent omnes interpretes. Vide Thesaurum 11. Iurisdictio.

124 Sacrilegij carnalis pœna, si sit hoc crimen commissum cum moniali, est vltimi supplicij, *vt dixi supra hic 15. Clausura sub n. 34.* Copula autem cum monialibus professis proprie, & tenera non miscetur nisi cum fornicatione, vel adulterio, aut stupro, non autem cum incestu, cum professio non inducat incestum, sed solum sacrilegium ea parte voti castitatis, quod potest esse in vtroque coëunte, vt si professus, vel constitutus in sacris luxurietur cum moniali, quicquid dicant legistæ hoc vitium cum moniali appellantes incestum, de qua re *Decian. lib. 6 cap.* 20. vbi de variis pœnis à num. 6.

125 Si vero professus, vel constitutus in sacris luxurietur, sacrilegium committit, & deponitur, sed nostris temporibus tam ille, quam iste carcerantur, & ieiuniis mortificantur præsertim religiosi, & priuantur voce, clerici vero mulctantur in pecunia. De aliis pœnis vide *Decian. lib. 6. cap. 23. Melsium cap.* 8. de pœnis contra violantes castitatem.

126 Sacrilegium carnale committitur non solum violando personam Deo dicatam voto castitatis, sed etiam luxuriando intra Ecclesiam, iuxta dicta à Doctoribus *apud Bonac. quæst. 4. de matrim. p. fin. per totum.* Ex hoc autem peccato sequitur Ecclesiæ pollutio, de qua re latissime, & diserte D. Petrus Franciscus Passerinus nunc Parmæ publicus legum interpres in suo erudito codice de Pollut. Eccles. Disput. 7. qui disp. 10. cap. fin. ait, hos violatores per seminis effusionem nullam incurrere pœnam canonicam, aut legalem, sed esse puniendos pœna arbitraria à iudice Ecclesiastico, *cum Bonac. quæst. 4. de matrim. p. fin. num.* 26. Barb. *Alleg. 28. num. 54. Diana par 6. tract. 6. resol.* 48. *Ego resol.* 89. *n.* 39. apud eundem Passerinum.

127 Sacrilegium locale committitur Primo, extrahendo à loco sacro reum in eo existentem, vel eidem inferendo nocumentum in persona, vel in rebus, quæ apud se habet in loco sacro. Pœna autem est excommunicationis, ex Bulla Gregorij XIV. incip. *Cum alias*, 7. §. 9. quæ Pontifici est reseruata, iuxta Decretum Clementis VIII. ibi: *Violantes immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constitutionis felicis recordationis Gregorij XIV. quæ incipit: Cum alias nonnulli.* Et non est absoluendus extrahens, nisi prius restituat Ecclesiæ reum, *Farinac. de immun. num.* 311. *Sanch. lib. 6. opusc. cap. 1. dub. 7. num.* 1. Ea censura afficitur non solum extrahens, sed etiam attentans extrahere, effectu non secuto, F*arinac. num.* 322. *Diana par. 1. tract. 1. resolut.* 15. Non incurrunt extrahentes, vel offendentes reos, qui non gaudent immunitate in illis octo casibus, qui in Bulla exprimuntur, in extrahendo autem seruanda est forma Bullæ, aliter incurrunt, *Thesaur. 11. Immunitatem cap. 1. §. Limita.* Episcopus autem, & clerici extrahentes, vel cooperantes positiue extractioni reorum, secuta morte, vel mutilatione, fiunt irregulares in casibus, in quibus gaudens immunitate, nec valet protestatio, cum tanquam quid illicitum sit contraria facto, F*arinac. num.* 321. *Sanch. lib. 3. opuscul. cap. Vn. dub. 17. num.* 2. excusantur, si negatiue se habent, *ex Thesauro.* Damnatus de violatione huius immunitatis fit infamis, quia est crimen capitale, & publicum, *l. Fideli 2. l. Præsenti 5. C. de his, qui ad Eccles. confug. ibidem Barb.* quod puniuntur morte naturali ex dictis textibus. Molestans
128 vero reum in Ecclesia propria auctoritate, vel eum percutiens, vel offendens numquid incurrit hanc excommunicationem, vel aliam? R. Negatiue, *ex Abbate, Ioanne Andrea, & aliis in cap. cum pro causa, de sent. excom.* Quod intelligendum est, licet reus molestetur in ordine ad extractionem, modo positiue non extrahatur, ita *Bonac. de cens. disp. 2. quæst. 3 p. 16. §. 14. num. 9. Castropal. tom. 2. de Relig. tract. 11. disp. Vn. p. 12. num. 13. apud Thesaur. 9. Præscinaendo.* Vnde religiosi bene faciunt non admittentes huiusmodi reos non solum intra claustra, sed nec intra Ecclesias, quia quotidie videtur concursus, & occursus huius generis hominum, qui nullam reuerentiam deferunt Ecclesiæ, & vt plurimum rei abutuntur hoc priuilegio, ideo impedire possunt, ne confugiant, non tamen extrahere iam receptos per se, vel per ministros. Obseruaui quandoque nonnullos religiosos valde fauere reis apud illos diuersantibus, si extrahantur per vim, prætextu violatæ immunitatis, sed an id sit in causa, vel aliquod aliud interesse, cognoscent ipsi, certum mihi est, ex eorum conuersatione relaxari disciplinam regularem, vnde melius est, sinere eorum extractionem, quam impedire.

Committitur secundo sacrilegium locale verberando, 129
percutiendo, aut occidendo in Ecclesia aliquem etiamsi non sit reus confugiens in eam, sed ibi sit alio fine, magnam enim facit iniuriam Ecclesiæ, non tamen aliquam incurrit pœnam, aut censuram, vt patet ex modo dictis, & notaui cap. 94. num. 55.

Tertio committitur locale sacrilegium exercitio iudi- 130
ciorum secularium in Ecclesia, seu loco sacro, *c. 1. de immun. Eccles.* mortale peccatum ex genere suo, *Suar. lib. 3. de Relig. cap. 4. num.* 12. & in ea acta contentiosa nullius sunt momenti, *Abbas in cap. Cum Ecclesia, de immun.* intellige criminalia in dicto capite, vbi excommunicatio lata est ferendæ sententiæ, secundum communem, sermo igitur est de causa criminali agitata in Ecclesia, vel cœmeterio.

Quarto committitur sacrilegium locale à celebrante 131
in Ecclesia polluta non tamen incurrens aliquam censuram, vel irregularitatem. Ita melior pars Doctorum *cum Toleto lib. 5. cap. 8 §. quinta causa. Sayr. lib. 5. cap. 16. numer. 29. Barb. s. allegat. 28. num. 54. Miranda tom. 2. quæst. 39. art. 6. cum Thesauro 11. sacrilegium cap. 5.*

Sacrilegium denique rei, quod est furtum qualificatum 132
ex sacrilegio, dicitur ablatio rei sacræ de sacro, vel rei sacræ de non sacro, vel rei non sacræ de sacro, *vt expresse habet cap. quisquis 21. 17. quæst. 4.* Itaque tribus modis committitur hoc sacrilegium, primo cum res & locus sunt ambo sacra; secundo, cum res est sacra, non locus; tertio, cum locus est sacer non res ablata, vt cum fur aufert bursam existenti in Ecclesia, vel alio loco sacro. Ius ciuile petit vtrumque esse sacrum, nempe rem sublatam, & locum, à quo aufertur, *l. Diui 5. C. ad legem Iul. Pecul.* vide Barbosam ad dictum cap. num. 4. qui refert Doctores tenentes esse sacrilegium etiam iure ciuili auferre non sacrum de sacro. Furantes ergo res sacras, vel non sacras in loco sacro sunt sacrilegi, & per dictum caput venit excommunicandus nisi restituat, & si furtum committatur in cœmeterio, vel Ecclesia cum effractione illorum, hoc est, non solum ianuas, aut muros frangendo, sed etiam fenestras, etiam vitreas, per vim facientes quoque eas cadere, incurrit hoc modo furans excommunicationem, & post declarationem factam per Episcopum, absolui non potest nisi à solo Papa, *ex cap. Conquesti 22. de sent. excom. Thesaur. 11. sacrilegium cap. 2. Sayrus lib. 3. cap. 29. à num. 15. ad 22.* Restringitur excommunicatio ad auferentes, seu destruentes res ipsius Ecclesiæ, seu ad eius vsum deputatas, *ex Suar. disp. 22 de cens. num. 12. Reginald. lib. 19 num. 60.* Alienantes quoque res Ecclesiæ pretiosas incurrunt excommunicationem contra alienantes latas *ex Bulla Ambitiosa.* Et quasi dicuntur fures, quia non Domini sunt, sed ministri vasorum sacrorum.

Damnatus autem hoc sacrilegio incurrit infamiam iuris, 133
& consequenter fit irregularis, quia crimen hoc est publicum. *lege Iulia ff. ad leg. Iuliam Peculat. & de sacrileg. Clarus q. 1. Saluedo c. 90. ad Diaz. refert cap. fin. de furtis, cap. si quis Presbiter, dist. 50. Canon. in cap. Conquestus, de foro compet. Thesaur. 11. Sacrilegium cap. 1.* qui cum eodem Diaz, & aliis, ait, hunc esse ipso iure infamem, & irregularem, quando crimen est notorium,

cum crimen enorme sit depositione dignum. Potest tamen Episcopus super ea dispensare, *ex allegatis à Sayro lib.7. cap.11. num.45. & cap. 12. num. 3.* ergo regularis maior, pari eom passu currit vtriusque iurisdictio, respectiue ad suos; & hoc intelligitur, cessante scandalo, & pœnitentia saltem ex parte peracta, *ex cap. fin. de furtis.* Huiusmodi autem fures data notabilitate furti sacrilegi aliquando morte plectuntur, aliquando ad triremes mittuntur, interdum carcerantur, aut mittuntur in exilium. Vide Clarum 11. Sacrilegium.

134 Simonia est contrectatio rei spiritualis, vel annexæ spirituali, quolibet iure prohibita, vnde omnis conuentio, seu pactum circa huiusmodi attentata est ipso iure nulla, *cap.fin. de pactis, cap Tua nos 34. de Simon.cap. Quæsitum 5. de rerum permutat.* Pacta ergo circa spiritualia, & spiritualibus annexa inducunt Simoniam, ideo sunt prohibita, & irrita ipso iure. Et cum collatio, institutio, præsentatio, resignatio, permutatio &c. illis pactis innitantur, cum sine illis non fierent, ideo nullæ sunt, nullis eaistentibus pactis, etiam in foro conscientiæ, & ante omnem declaratoriam sententiam & fructus suos facere non possunt sic simoniace promoti, *Extrauag. 2. de Simon. Pij V. Bulla 5. incip. Cum primum* §. 8. Ita quod nec excusat ignorantia etiam inuincibilis, & bona fides, si infra triennium transiuit in scientiam, & malam fidem, ea Reg. Triennali *Sanch lib.2. Opusc. cap.3. dub. 116. num. 25. Suarez tom 1. de Relig. cap 57. de Simon. num.39. Thesaur. 11. Simonia cap. 2.* Et pretium acceptum, seu lucrum restituendum Ecclesiæ læsæ, seu pauperib. *cap. De hoc 11. de Simon. ex eodem Sanch. dub. 114.* Et complices, prout pal non restituente, tenentur ipsi.

135 Omnes in simonia complices incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam, ex dictis *Extrau. 2. de Simon. & Bulla Pij V. Sanch. lib.2. opuscul. cap. 3. dub. 16. num 7.*

136 Inhabilitas est ipso iure ad illud beneficium etiam in foro conscientiæ, & licet sit occultus, *ex cap. pen. de elect. cap. De Simoniac. 22. de Simon. & ex dicta Bulla. Thesaur. 11 eod. cap. 5.* Est etiam inhabilis ad alia beneficia, sed hæc non incurritur nisi per sententiam, quia sic recepta fuit Bulla, in qua fit mentio de hac secunda inhabilitate, *ex Sanch. dub. 104. num.14. Suar c.58. de Simo. n.11.*

137 Infamis non efficitur, nec irregularis, nisi ex notorietate iuris, aut facti, vel sententia secuta, *ex Sanch. n.15. & 18. apud Thesaur.n.8. & 9.*

138 In supradictis pœnis Papa solus dispensat in nullitate pactorum, in obligatione dimittendi beneficium, & super inhabilitate ad illud, quando Simonia fuit contracta ipso sciente, si vero ignorauit dispensat etiam Episcopus, *Sanchez dub.120.n.22. & 27. Thesaur. cit.* Circa restitutionem fructuum componere potest in occultis cum Pœnitentiaria, in publicis cum Dataria; sicut & in restitutione pretij. *ex eodem Thesauro.*

139 Absoluere potest ab excommunicatione in occultis Episcopus ex cap.6. sess.24. in publicis etiam Pœnitentiaria, *ex eodem Thesauro.*

140 Habilitare ad alia beneficia non potest Episcopus, quia Trident. non loquitur de inhabilitate, *ex Suar. cap. fin. de Simon. n. 11.* Contra *Sanchez, dub. 120. n. 40.* Pœnitentiaria potest in occultis.

141 Infamiam, autem, & irregularitatem nemo tollere potest, præter Papam, cum ex dictis casibus sit factus publicus. *Sanchez dub. 120. numer. 43. Thesaur. §. Septimo.*

142 Vt autem supradictæ pœnæ incurrantur, necesse est ex probabiliori opinione, quod vitium Simoniæ sit vtrinque perfectum, nempe & vna parte sit datum ad minus aliquid pretij, & ex alia facta prouisio, vel dispositio beneficij, vt scilicet sit obtentum per expeditionem literarum, facta præsentatio, resignatio in manibus potentis acceptare, &c. *Sanch lib.2. opusc. c.3. dub.106. n.43.& 44. cum aliis Thesaur. §.10. vers. Limita.*

143 Nota, quod mediatores, præter excommunicationem, non incurrunt alias pœnas, de quibus supra, *Nauar, cons.99. de Simon. Sanch.dub.104.num.6.* quia in extrauag. comprehensi sunt solùm respectu excommunicationis Extrauagans eadem obligat ad reuelandum complicid non fuit positum in vsu, *ex Nauar.c.27.n.106. Sanch. dub.104.n.4.*

Ad tollendam autem Simoniam necesse est, vt circa beneficia contrahétes in Memoriali fideliter exprimant omnia pacta, & conuentiones, cum clausula: *Saluo Romani Pontificis beneplacito,* si enim in expeditione omnia approbauerit, iustificatur contractus sine vlla labe Simoniæ, vt docent omnes *cum Paris lib.14.de Resig benef.q.6 n.10. Suar. c.24. de Simon. Sanchez dub.42. n.7.* 144

Sed numquid Regulares in suis officiis iurisdictionis Simoniam committétes e.g. in electione Prioratus, Guardianatus, Generalatus &c. incurrant supradictas pœnas? ℞. Negatiue, quia nomen beneficij in odiosis proprie, & strictè accipitur pro iure exigendi fructus, non pro iure exercendi potestatem super subditos sine iure percipiendi fructus, vt contingit in officiis regularium, qui viuunt cum cæteris sub titulo paupertatis, non sub titulo beneficij Et clare id ex ipsa extrauaganti colligitur illis verbis: *Nec inde faciat aliquis fructus suos.* Vt enim diximus, beneficia regularia non habent aliquos fructus adnexos. Ita *Nauar.c.23.n.111. Less. lib.2.c. 35. num. 137. Bonac. de cens. in partic. disp.2. q.3. p.24. n.4. Barb.ad Extrauag.n.9.* quos refert Thesaurus 11. Simonia c. 2. §. *Amplia, fine.* Alia vide apud dictum Thesaurum. 145

Sodomiam committentes pœna mortis plectuntur, *ex l. Cum vir. C.ad leg.Iul. de Adulter. Farinac. q.148.n.4. de Bictis q.117. n.1.* Fit infamis ea notorietate iuris, vel facti, & non ante, *Toletus lib.2. c.74. fine, Thesaur. 11. eodem c.1.* consequenter irregularis, *Quaranta 11. eod.* explicando Bullam Pij V. intellige, posita notorietate iuris, vel facti, *Diana part. 1. tract. 3. Miscell. resol. 21.* Non est ipso iure suspensus, *secundum communiorem opinionem, cum eodem Diana resol.69.Sayro lib 7.c.22.n.22. Suar.disp 31.de cens. sect.4. n.20.* 146

Pius V. in sua Bulla 72. incip. *Horrendum*, quoscunque laicos, aut Ecclesiasticos exercentes hoc vitium ipso facto priuat omni priuilegio clericali, omni officio, & dignitate, & beneficio Ecclesiastico, mandato, vt per iudicem Ecclesiasticum degradati tradantur curiæ seculari puniendi supradictæ pœnæ incurruntur tantum per declaratoriam criminis, cum illæ non sint censuræ, nec irregularitas, sed puræ pœnæ priuationis petentes sententiam, *ex allegatis à Diana resol.21. & 67.* 147

Stuprum committens siue consentiat virgo, siue non secuta condemnatione, fit infamis infamia iuris, & consequenter irregularis, vt non possit promoueri, quia est crimen publicum legis Iuliæ §. *Item lex Iulia, Instit. de public. iudic.* Et cum sit depositione dignum, stuprum notorium inducit infamiam iuris, & irregularitatem, *ex Maiolo lib.5.c.40.n.1.Thesaur. hic.* 148

Stuprans tenetur ducere per vim stupratam, & illam dotare, *c.1 de adulter. Farinac. q. 147.n.97.* Intellige hoc vinculum habere locum secuta sententia, nisi adsit promissio, *Sanch lib 7. disp.14.n.11. Farinac. n.119.* Clericus etiam in minoribus tenetur solum dotare non ducere, *Farinac. n.108.* 149

CAPVT XCVII.

De furibus, & eorum pœnis.

Farinacius de furtis latissime tractat à quæst. 165. ad 177. ex quo selectiora excipiemus Furtum quomodo probetur dixi cap. 6. num. 18. quomodo differant Fur, Raptor, & Latro dixi cap.10. num. 29. vbi, quod repellitur à testificando. De cuius punitione dixi præced. cap.96. à numer. 49. ad 55. Multa alia hic sunt subijcienda, vt huius materiæ completam habeamus cognitionem 1

tionem, explicando in primis nonnulla furum genera.

2 Fur in tota sua latitudine dicitur ille, qui alienum aufert, modus autẽ auferendi cum suis circunstãtiis diuersa tribuit genera furum, nam alij vocantur simpliciter Fures, alij Latrones, alij raptores, alij publici, & famosi, alij grassatores, alij prædones, seu prædatores, alij piratæ, alij abigei, alij directarij, alij plagiarij, alij expilatores, alij effractores, alij manifesti, alij non manifesti, alij diurni, alij nocturni, alij sacrilegi, & peculatij. De singulis aliquid dicendum.

3 Fur simplex, qui clam, & sine armis, siue de nocte, siue de die, Farinac.q.166. n.2.

4 Latro, qui de repente aggrediendo furatur in via semel, iuxta illud Prouerb.23.28. *Insidiatur in via quasi latro.* Ierem.18.22. *Adduces super eos latronem repente.* Latro igitur dicitur ille, qui violenter, aut cum armis aggreditur in domo, vel extra proximum. *Auth. Sed nouo iure C. de seruis fugit*: Farinac.q.166.n.7.

5 Latro, seu fur publicus, & famosus dicitur ille, qui de pluribus furtis famosis in via factis cum armis, vel sine illis, sed violenter, reus est, tria autem furta latronem constituunt publicum, & famosum, *Farinac. quæst.* 166. *num.* 5 *ad* 17.

6 Grassator ille dicitur, qui frequentando vias publicas sæpius furatur cum armis, vel sine illis, cum violentia, etiam sine interfectione. *ex eodem* Farinac.*n.*26.

7 Prædator fere in nullo videtur differre à Grassatore, cum iste etiamsicut Grassator expectet in via personas, vt illas aggrediatur ad furandum, *ex eodem num.*30. vbi quod Prædo dicitur ille, qui accipit absque voluntate domini etiam rem sibi debitam, de quo dicitur, quod prædo etiam manutenendus est in possessione, quousque probetur, rem non esse suam, sed furatam, *ex cap. In literis S. de restit.* Spoliat.

8 Pirata est ille, qui furatur in mari, latrunculis æquiparatur. *Farinac. q.*166. *n.* 29. qui vulgariter appellatur cursarius maris.

9 Abigei sunt illi, qui furantur animalia ex pascuis, seu ex armentis, *l.*1. §. 1. *ff. de abigeis, Auth. de Nupt.* §. *Si igitur, collat* 4.*Farin.q.*166.*n.*39. *ad.*43.

10 Directarius ille dicitur, qui se abscondit in cænaculo, vel in culina, vt furetur, *l.Saecularij ff. de extraord. crimin.Farinac.n.*44.

11 Plagiarius dicitur ille, qui liberum hominem, vel alienum seruum alienat, vel retinet, vel abscondit, vel suadet, vt à domino recedat. *l* 1 *l. Lege Flauia*, *l. cum l. penalt. ff ad leg. Flaui. de Plagiar.& C. eodem* Farinac. *quæst.*166.*n.*45. Est crimen publicum, *l.Plagij ff. ad legem Flauiam, de Plagiar.*

12 Expilator ille dicitur, qui paulatim de hæreditate vacante, vel alias surripit, & expilat, *Azon.in sum. Cod.& ff. de crim. expil. hered.* Vocatur etiam expilator, qui alia, & vestes aufert.*l.*1.*de Effractor* Farin *q.*166.*n.*48.*ad* 50.

13 Effractor qui furatur cum fractura, *ex eodem num* 50. & si furatur in ecclesiis cum fractura est excommunicatus, vt dicam infra quæst.19.

14 Manifestus fur dicitur ille, qui reperitur in fragranti crimine furti visus ab aliquo furtum asportare, lib. 2. ff. de furtis, quod acclamatione, cursu, vel alio actu manifestatur. *Farinac. quæst.* 166. *num.* 20 *ad* 22. vbi manifestus dicitur ex eo, quod visus fuit cum furto, non autem ex infamia. Dans consilium, vel auxilium non dicitur ex hoc manifestus, *num.*24. Non manifestus, qui caret hac deprehensione, *n.*23.

15 Nocturnus, & diurnus patet ex ipsis vocabulis furando de die, ac de nocte, hi sunt frequentiores, quia commodius furantur.

16 Raptor fur ille dicitur, qui per vim furtum abstrahit de manu domini, seu possidentis, vel ipso vidente, & reclamante. Furtum autem per raptorem factum appellatur Rapina rerum inanimatarum, hominum vocatur Raptus, seu Plagiarium. Raptores autem regulariter dicuntur latrones famosi, grassatores, prædones, piratæ, & alij, qui furantur per vim præsentibus dominis, seu possessoribus

& custodibus alienorum bonorum.

Sacrilegi demum fures sunt illi, qui furantur non solum res sacras, sed etiam profanas loco sacro commendatas, nimirum ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, & cæmeteriis, de quibus infra dicam latius in proprijs quæstionibus. 17

Et quoniam de his tracto potissimum in gratiam iudicũ ecclesiasticorum, antequã accedã ad quæstiones præmitto, ecclesiam aliis nominibus præscelere iniquam oblationẽ.

Sancti Patres ita abhorrent vitium furti in personis ecclesiasticis, quod non audent eos aliena auferentes appellare fures, sed nominibus honestis vocant eos alienatores, venditores, distractores, & dilapidatores bonorum ecclesiarum; & ita hoc vitium detestantur, quod Gregorius relatus c.Hi qui 3.14.q.6. dixerit nullum debere furẽ, vel raptorem defendere, sed solum humanitatis causa posse pro eo intercedere facta restitutione; huius rationẽ reddit S.Aug.Ep.54.ab Macedon.relatus c.1.14.q.6. quia non est inhumanum pro talibus intercedere tanquam pro reis criminum, non ad hoc, vt minime restituant aliena, sed ne frustra homo sæuiat in hominem, conceditur ergo intercessio, ne nimis crucientur in pœnis, non autem defensio, vt à pœnis eximantur. Sed vt hoc institutum debito ordine prosequamur, procedemus per quæstiones. 18 19

Quæres 1. Quid sit furtum?

℞. Est occulta ablatio rei mobilis alienæ domino rationabiliter inuito? Dixi *primo, ablatio* ad differentiam damnificationis, quæ furtum non est, cum damnificans e. g. incendens, domum nihil auferat, sed destruat tantum, *Card.de Lugo disp.*16.*de iust.n.*1.§.*Ceterum.* Dixi *secundo occulta ablatio*, per occultationem enim furtum differt à rapina, quæ est ablatio manifesta rei de manibus domini raptæ, furtum occulte fit domino inscio, *Bonac disp.*2. *de Restitut.q.*8.*p.*1.*n.*1. Dixi *tertio, rei alienæ*, quia nemo dicitur furari suam rem, *Azor. par.*3. *lib* 5.*c.*11. Dixi *quarto, rei alienæ mobilis*, quia stabilia, & immobilia sunt incapacia furti, dum auferri non possunt, remouendo illa de loco ad locum *de Lugo n.*3. Dixi *quinto inuito domino.* Si enim contentus est, & sibi non displicet, accipiens alienum non est fur sicut nec quando putat dominum non dissentire, vt omnes cum præfatis docent, tunc enim domino volenti, seu consentienti non fit iniuria, immo nec furtum est, quando licet displiceat modus accipiendi, tamen non displicet ipsa ablatio rei, dum petita à domino fuisset concessa & id etiam in religiosis locum habet, vt non dicatur fur ille religiosus, qui ex præsumpta licentia Superioris in occulto aliquid accipit, sciens, hunc modum displicere superiori, qui tamen licentiam dedisset, quam ex quodam respectu humano non petiit, debet enim licentia præsumpta aliquid operari, nam fundatur in illa bona voluntate, qua superior rem concessisset, si fuisset petita, quare cum ille modus occulte accipiendi non sit contra votum paupertatis, nec contra voluntatem præsumptam domini, sed tantum contra reuerentiam superiori debitam, non facit religiosum furem, nec proprietarium, *Miranda tom.* 1.*q.*28. *art.*16 *Rodr.tom* 3.*q.*29.*art.*11.*Tamb.tom.*2.*disp.*22.*q.*8. *n.*15.*Diana resol.*11.*de Paupert.Sanch.lib.*7.*c.*19.*à n.*13. *ad* 16. Dixi demum sexto, *irrationabiliter domino inuito.* quia auferens gladium furioso, vt impediat homicidiũ, vel librum hæreticũ ab amico, ne inficiatur, tunc dominus non dicitur rationabiliter inuitus, sed irrationabiliter, ideo furtũ non cõmittit, cum illi non faciat iniuriã, sed beneficiũ, quo intendit illum remouere à periculo, & malo imminente, *Bonac.disp.*2.*de restit.q.*8.*p.*1.*n.*1.§. *Dicitur domino.* 20 21

Quæres 2. Quid veniat nomine *Domini* contra quem committitur furtum?

℞. Primo, venit in primis dominus rei propietarius, & in hoc nulla est difficultas, cum quilibet rem suam habens apud se, seu apud alium, dicatur illius dominus, vnde fur dicitur non solum respectu proprietarij, sed etiam respectu possessoris, cum vtrique faciat iniuriam, & damnum inferat, vnde furans pignus à depositario, vel ab alio possessore non domino, committit furtum respectu vtriusque cum faciat contra iustitiam respectu vtriusque, nam possessor tenetur resarcire damnũ domino 22

De *Lugo disp.16.de iust.num.2. & 8.* Immo ipse tet Do-
23 minus,& proprietarius dicitur fur,licet improprie, quan-
do clam vel coram rapit pignus, vel aliam rem traditam
ad alterius commoditatem,dum debet eam possidere iux-
ta exigentiam contractus inter eos initi, *Azor par.3.lib.
3.c.11.§. vltimo.* Similiter depositarius fur dicitur vtens
re ad alium vsum, sibi non concessum à Domino, com-
mittit enim furtum vtens pecunia in saculo deposita,
*Tusch lit. F concl.553. num.19. & 20. Sperellus decis.29.
num.31.*

24 ℞. Secundo, respectu rerum Ecclesiarum nomine *Do-
mini* venire Ecclesiam ipsam, & Ecclesiæ rectorem esse
solum administratorem,loquendo de clericis, *cap Expedit
13.12.q.1.& in seq cap.& quæst Castropal de Iustit.Tract.
31.disp Vn.p.7.§.3.num.2. Layman lib 4. tract.2.cap.1.
num.2.late Barb lib 2.de iure Eccles.cap.17.numer.9.* vbi
de hac re tres refert opiniones. Prima asserit clericos non
habere dominium suorum redditum, sed solum esse dis-
pensatores, & administratores ad accipiendum sibi pro
suis necessitatibus, sed esse communes pro seruitio Eccle-
siæ,& pauperum. Secunda S.*Thomæ 2.2.q.185.art.7.* posse
vti redditibus suis pro suo arbitrio,sicut de bonis suis pa-
trimonialibus. Tertia clericum beneficiatum æquiparat
vsufructuario dum viuit, qui pro suo libito de illis dispo-
nere potest,non autem in morte, quia comparatur vitua-
rio. Ipse sequitur opinionem sancti Thomæ. Itaque be-
neficiarij sunt Domini suorum redditum, superfluos ta-
men erogare tenentur ex iustitia in pios vsos, vt multis
probat Layman *cap.3.§.Ad primam.§.Ad alteram.* Sunt
ergo Domini,& proprietarij redditum sibi necessariorum,
& vtilium, administratores vero superfluorum, sicut &
bonorum stabilium,& supellectilis sacræ Ecclesiæ, & sa-
cristiæ illarum propriæ, quam si distrahat fur est, & di-
lapidator sine dubio.

25 ℞. Tertio respectu regularium nomine *Domini* venire
religionem, & eius conuentus, qui singuli sunt Domini
bonorum suorum tam mobilium,quam immobilium, su-
periores vero sunt administratores, & dispensatores iuxta
potestatem sibi à iure concessam, *ex Trident sess.25.cap.
3.Sanch.lib.7.cap 18.n 9.& 10. de Lugo disp.3. de iustit.
num.74.* Cum autem cōuentus sit quoddam corpus politi-
cum ex capite,& membris conflatum,sub nomine *Domini*
venit ipsum caput,& superior, dum in omnibus admini-
strationis actibus non sit necessarium totum corpus præ-
stare consensum membris ad agendum, vel accipiendum
aliquid sine vitio furti, à quo excusat solius superioris
consensus maxime in mobilibus, in quibus cadere potest
furtum.

26 Qualis autem consensus,seu licentia sit necessaria,non
est huius loci; poteris videre *Sanchez lib.7.c.19. de Lugo
disp.3.de Iustit.sect.7.num.123. Castropal par.3.disp.3.
p.23.*

Quæres 3. An furtum de rebus Ecclesiasticis nuncu-
petur Peculatus.

27 ℞. Affirmatiue, quia peculatus est furtum de rebus
communibus nempe sacris, religiosis, vel publicis, *l.1.ff.
ad legem Iuliam Peculatus,cap.Quid ergo 3.25.q 4.* Ho-
rum fures dicuntur etiam sacrilegi, *ex l.Sacrilegi 9. cod.*
vbi capite plectuntur *cap. 3. præcitato* excipiuntur tamen
Æditui, tutores,& custodes rerum sacrarum, ex eadem
l.9.qui in iis,quæ eis tradita sunt, peculatum non admit-
tunt,distrahentes res sacras, lex enim propter seruitium
bono publico factum eis parcit respectu pœnæ capitalis,
28 & quia res sub eorum custodia stat eorum periculo Pe-
culatum deriuare analogia possumus à piaculo, quod
est crimen circa res sacras, & diuino cultui dedi-
catas.

Quæres 4. An quilibet auferens rem publicam, seu
sacram vel non sacram dicatur committere furtum,siue sit
persona priuata,siue publica administrationē habens illa-
rum rerum,quas conuertit in proprium vsum?

29 ℞. Non solum persona priuata, sed etiam administra-
tionem habens incurrit crimen furti, siue distrahat rem
alienam, siue communem commissam suæ administratio-
ni. Non est difficultas de distractione rerum priuatarum,
quod non sit furtum, sed tantum quando administrator
distrahit, & conuertit in proprium vsum res sibi consi-
gnatas de publico, & communitate. Et quod in his com-
munitatis furtum probatur ex diuersis locis sacrorum ca- 30
nonum, nam *cap. Exemplum 12. quæst. 1.* vbi admini-
stratores dicuntur fures, item *cap.Hæc huius 38.12.quæst.
2.* Iudas, qui habebat administrationem bonorum colle-
gij Apostolici dicitur fur, & latro, *cap. quid ergo 1.25.
quæst.4.* & Episcopus alienans, & vendens bona Eccle-
siastica tamquam furti,& latrocinij reus priuatur suo ho-
nore, *c.fin.10.q.2.* S.Bernardus istos vocat raptores, & nō
tantum fures his verbis: *Quicquid præter necessarium vi-
ctum & vestitum de altari retines,tuum non est,rapina est,
sacrilegium est,* Epist.2.versus finem,& Barb. *cit.lib.2. de
iure Eccles. cap.17. numer.9.* refert hæc verba ex codice
Gratiani. *Aliena rapere conuincitur, qui vltra necessaria
sibi retinere probatur.* Ratio est, quia bona Ecclesiarum
sunt Domini, & oblata Ecclesiis pro subueniendis ipsis
ministris Ecclesiæ, & pauperibus, & ad hæc Rectores
tenentur ex iustitia vt docet Layman lib.4. cap. 3. tract.
2.§.Ad alteram,ergo ea dissipans fur est, cum contrectet 31
res alienas inuito Domino. Nihilominus ex contraria
consuetudine apparet, clericos beneficiatos esse vsufru-
ctuarios suorum redditum, ac proinde si de illis partem
non tribuant pauperibus, & in alios pios vsus non con-
uertant, non peccare,ac proinde de furto notari non pos-
se, sed solum, quando distrahunt sacram supellectilem 32
quæ propria est Ecclesiæ inseruiens cultui diuino, sicut
& supellectilis profana destinata pro seruitio Rectorum,
& Episcoporum succedentium in Ecclesia, horum enim
bonorum proprietas est immediate ipsius Ecclesiæ com-
munium clericis prædecessoribus & successoribus, ita
quod horum distractio est proprie furtum & peculatus
dignum graui pœna infligenda distractoribus, & sic in-
telligendi sunt textus superius allegati, quod isti sint pro-
prie fures, qui supellectilem immediate communem ipsi
Ecclesiæ alienant,& distrahunt,sunt enim simplices vsua-
rij, & custodes, nullomodo Domini.

Quæres 5. An religiosi non solum subditi verum
etiam superiores, & alij officiales, & administratores
recipientes, seu distrahentes mobilia sui conuentus, sint
proprie fures, sicut sunt, si auferant bona extraneorum,
quæ ad illos nullo modo pertinent?

℞. Non solum subditi, sed etiam superiores, & ad- 33
ministratores sunt fures, sibi vsurpantes ea bona, de qui-
bus non possunt disponere. Ratio communis vtrisque est,
quia supradicta definitio sub numer.3.illis adæquate qua-
drat, nam isti auferunt occulte alienum inuito Domino,
occulte quidem, quia clam, nec dispensator concederet
& sic inuito Domino, si enim superior concederet, licet
modus displiceret, vt dixi numer. 21. non tamen acce-
ptio, ac proinde cum Dominus non esset inuitus, sed
consentiret saltem interpretatiue, fur in hoc casu non
esset, sed legitimus possessor. Confirmatur id ex casu re-
seruando secundum decretum Clementis VIII. his ver-
bis: *Furtum de rebus monasterij, seu conuentus in ea quan-
titate qua sit peccatum mortale.* Insinuans per hæc verba,
non solum committere furtum, qui peccat mortaliter,
sed etiam qui peccat tantum venialiter, sed casus in hoc
non reseruatur. Vide Franc. Longum Capucin. de hoc
casu reseruato, vbi dub. 3.4. & 3. ait, committi furtum
non solum auferendo aliquid de communitate, sed etiam
aliquid alicui religioso concessum, cum per illam con-
cessionem illud non desinat esse res monasterij, penes
quod semper remanet Dominium. *Graff.lib.5. de casib. re-
seru cap.7.num.21.& 14.*

Maior difficultas est in superiore, & administratore, 34
an reuera dicendi sint fures alienando, & distrahendo res
sibi commissas ad custodiam, vel ad dispensandum? quia
non videntur contrectare alienam inuito Domino, cum
ipsi sint Domini, & in iure non appellentur fures, sed
dilapidatores, vt videre est *cap. 2. & fin. de statu
monach. capite Licet 31. capite Per suas 32. de sim.*

Sed

Sed hæc non obstant, cum verba non vrgeant, sed res ex verbis significata, nam dilapidare, secundum Archid. in cap. statutum de rescript. in 6. est bona prodigere, & indifferenter erogare, est quoque dispердere, & consumere, Cicer. Ad Augustum loquit: *Publicam dilapidabat pecuniam ærarium exhauriebat*, hoc igitur verbum refertur ad destinctionem rerum publici, & communitatis, ea qua specialitate nominis non tollitur nomen genericum furti, quod dicitur de dilapidatione, & peculatu tanquam de specie differente à furto rerum priuatarum.

35. Probant autem administratores rerum Ecclesiasticarum esse proprie fures, si res, quarum dispensationem habent in alios conuertant vsus, quam in designatos ex suis officiis, *Primo* quidem, quia eis competit definitio furti quia contrectant res alienas inuito domino, administrator enim ille dicitur, qui disponit de rebus Domini iuxta mandatum sibi factum ab eo, alieno enim nomine scilicet conuentus curam habet distribuendi res Ecclesiasticas tanquã custos, & procurator, cap. saluator 8. 1. q. 3. non est ergo Dominus, sed dispensator, qui non suo arbitrio potest de bonis suæ fidei commissis disponere, sed ad formam mandati, cuius fines excedere non potest, *Peyrin. de subd. q. 2. c. 2. in fine, Notabilis* 1. disponens ergo de rebus sibi commissis aliter quam habeat in mandatis, furtum committit. *Secundo* in cap. Quisquis 19. 12. q. 2. Abbas conferens extraneis de rebus Ecclesiæ dicitur defraudator, & mandatur abiici de monasterio, quia dispergit, quæ non collegit, nulli dubium est furem defraudare, & dispergere res domini sui. *Tertio* cap. Quid ergo 5. 23. q. 4. Iudas Iscariotes tanquam administrator rerum collegij Domini, & Apostolorum, qui erant reuera religiosi, habebat loculos in eis cõseruans, quæ erant necessaria Apostolis, & ea dispergebat conuertens in alienos vsus præter mandatum Domini, vnde ibidem appellatur fur, & latro dissipans bona Ecclesiastica, & talem vocat Euang. Ioannes 12. 6. *Fur & latro habens ea, quæ mittebantur, portabat*. Demum S. Ambros. l. 2. officior. c. 28. relatus lect. 6. 4. diei infra oct. S. Laurentij inquit: *Sane si in sua quis deriuat emolumenta, crimen est.* Loquitur de bonis Ecclesiasticis destinatis pauperibus, & Ecclesiis ipsis, si quis enim ea conuertit ad extraneos vsos, sine dubio crimen committit, sed quale est tale crimen, nisi furti?

36 Farin. *consil. 7. num. 9. & in fragm. par. 1. n. 33. & 40. ex Glos. 1. 1. contrectare, l. Tres 56. ff. de admin. tutor. quos allegat* Gratian. c. 935. *n.* 12. aiunt, quod ex mala administratione, & conuersione rei in proprium vsum non infertur ad furtum, & dolum, ergo idem similiter dicendum est de administratione rerum Ecclesiæ, & à fortiori, cum administrator Ecclesiasticus sit & ipse particeps bonorum suæ Ecclesiæ, dum illius & pastor, rector, & prælatus, vel saltem filius familias sui conuentus.

37. Sed ego lego illum textum, in quo legislator tutorem appellat furem his verbis: *Sed si ipsi tutores rem pupilli furati sunt, videamus an ea actione, quæ proponitur ex lege duodecim tabularum aduersus tutores in duplum singuli in solidum teneantur, & quamuis vnus duplum præstiterit, nihilominus alij etiam teneantur: nam in aliis furibus eiusdem rei pluribus, non est propterea cæteris pœna deprecatio, quod ab vno iam exacta est. Sed tutores propter admissam administrationem non tam inuito Domino contrectare eam videntur, quam perfide agere.* Ecce, quod perspicuis verbis Triphonius tutorem malum administratorem vocat perfidum furem contrectantem rem inuito Domino. Nec Glossa sentit contrarium, sed solum, quod mitius cum eo agendum est, quia velamen administrationis temperat furtum, supple, quo ad pœnam minorem, non vero, quod non sit vere fur, dum textus tutorem male administrationis appellat furem. Et licet administrator Ecclesiasticus de eisdem bonis sibi administret necessaria, cum sit de corpore Ecclesiæ, & Domini, non ideo tamen potest ius bona præter sui necessaria conuertere in proprios vsus sine vitio furti, in præiudicium aliorum, quibus bona distribuenda sunt. Confirmatur id quia filius familias sibi vsurpans bona paterna inuito patre, cõmittit furtum, non obstante, quod sit hæres, & Dominus, secundum Apostolum ad Galat. 4. 1. vt docent omnes super *Instit. de obligat. quæ ex delicto §. Hi qui parentum*. Bonac. *disp. 2 de Restitut. q. 10. p. 1. n. 3.* à fortiori administrator, qui nec hæres, nec Dominus est.

Quæres 6. An surripientes sacras Reliquias dicantur fures? Ratio dubitandi est, quia illæ non sunt pretio æstimabiles, quod tanquam pro obiecto supponit furtum?

℞. Est id furtum, & quidem sacrilegum, cum rem sa- 38
cram sibi vsurpet contrectat enim alienum inuito Domino, quod sufficit, & ideo in definitione non expressi *rem mobilem præter æstimabilem*. Ita Grassius *l. 3. de casib. reseruat. c. 7. n. 24. Coriolanus casu 8. dub. 4. n. 10.* & alij communiter *cum Riccio par. 1. resol. 60. n. 4.*

Quæres 7. An religiosi tam superiores, & administratores, quam subditi fures sint simul etiam proprietarij?

℞. Vtique fures, siue bonorum communitatis, siue ex- 39
traneorum, fiunt proprietarij, quia contrectare alienum est actus non solum furti, sed etiam proprietatis, quia aufert, vel dat contra voluntatem Domini, nullus enim superior præsumitur cooperari actui furtiuo, ergo religiosus simul est fur, & proprietarius, cum sibi vsurpet alienum, & actum dominij. Ita *Azor. par. 1. lib. 12. cap. 11. quæst. 6. Grassius lib. 3. de reseruat. cap. 7. n. 21. Sayr. lib. 9. cap. 18. num. 21. Sanch. lib. 7. cap. 26. n. 7. Layman lib. 4. tract. 1. cap. 6. n. 9. & 10.* qui loquitur etiam de superioribus, & administratoribus, qui fures, & proprietarij sunt, dum contra Regulam, aut statuta largiuntur, vel expendunt, quod facere non possunt, dum non sunt Domini.

Quæres 8. An, & quando furtum habeat adiunctam malitiam sacrilegij ratione rei ablatæ?

℞. Tunc furtum dicitur sacrilegum, quando fur, qui- 40
cunque ille sit, siue Ecclesiasticus, siue laicus, furatur rem sacram siue de loco sacro, siue extra illum, vel non sacram commendatam loco sacro, *ex cap. Quisquis 21. 17. q. 4.* Committit ergo sacrilegium furans rem sacram, à quocumque loco eam abstrahat, fit enim ei iniuria ratione sui, cum in se sit sacra independenter à loco, augetur autem malitia sacrilegij, si auferatur à loco sacro, quia tunc vtrique fit iniuria, rei sacræ, & loco sacro. Auferens vero rem non sacram sub custodia loci sacri, licet non faciat iniuriam ipsi rei cum non sit sacra, facit tamen ipsi loco, qui honorandus est, & ideo taliter furans est sacrilegus, *Dal bene de Immun. Eccles. par. 1. cap. 2. dub. 1. sect. 3. num. 7.*

Dixi *rem non sacram de loco sacro* commendatam eidem 41
loco sacro, quia non omne furtum intra ecclesiam est sacrilegum, quando res est non sacra, sed solum quando est illi commẽdata, vel in seruitium ipsius Ecclesiæ, vel illi cõsignata in custodiam, seu depositum, vnde furans in Ecclesia crumenam alicui, vbi baldachinum Principis, vel scammum alteri, non est fur sacrilegus, quia licet sustulesit rem ab ecclesia; & in loco ecclesiæ existentem, non tamen abstulit de loco sacro, differunt enim ea verba, *in loco sacro & de loco sacro* nam prima indicant rei existentiam in loco, sed sine ordine, & subiectione ad locum; posteriora vero præter existentiam important ordinem & subiectionem ad locũ, merito ex primis non infertur sacrilegium, sicut ea secundis. Vnde Pontifex cit. c. 21. 17. q. 4. non
vtitur præpositione *in*, sed dictione *de*, quæ insinuat 42
ordinem, & subiectionem; & id suadetur respectu locorum exemptorum, qui dicuntur esse in diœcesi, non de diœcesi, quia non subduntur cum suis personis diœcesano, vt recte notauit *Panorm. in cap. Apostolica 9. de dcimat. n. 3. & ante ipsum Abbas in cap. Pro illorum, de præbend. Plures in hanc rem citat Sigism. dub. 51. de elect. numer. 2.* Crumena ergo, Baldachinum Principis laici & c. dicuntur esse in ecclesia, non de ecclesia ad quem ordinem, nec subiectionem habent, sed ibi sunt materialiter, & tantum ad proprium commodum, non ad ornatum, nec commendata, aut seruitio ecclesiæ. Prædictorum furta non esse sacrilega docent, *Lessius lib. 2. cap. 45. num. 14. Diana resol. 27. de circumst. & cum aliis de Lugo disp. 16. de Pœnit.*

*nit.num.*470. contra plures alios asserentes, non sacra ablata a loco sacro ei etiam non commendata, esse furta sacrilega, *cum Bonac.disp.*1.*Decalogi quæst.*6. *n.*17. *& aliis apud Dianam citatum, & de Lugo num.* 469 Pro perfecta intelligentia dictorum de furto sacrilego videndum est, quid veniat nomine loci sacri, & quid nomine rei sacræ, de primo dicam modo in sequenti quæstione, de secundo in alia subsequente.

Quæres 9. Quid sit locus sacer, vt furtum in eo factum afficiatur malitia sacrilegij?

43 ℞. Locus sacer in ordine ad furtum sacrilegum non solum est ambitus Ecclesiæ consecratæ, aut benedictæ, aut cœmeterium benedictum, quæ duo præcisè, & propriè dicuntur loca sacra, sed etiam exterior partem Ecclesiæ per triginta passus, intra quod spatium furtum factum de rebus personarum Ecclesiasticarum induis malitiã sacrilegij.

44 Primum de Ecclesia ab omnibus conceditur, cum manifeste constet, eam esse sacram ex sua consecratione, vel ad minus benedictione facta auctoritate Episcopi. Et licet sub nomine Ecclesiæ secundum multorũ, opinionem non veniat sacristia, quæ etiam muro dicitur licet intermedio, diuisa ab Ecclesia, sicut campanile, cuius ideo partes non sunt, in ordine ad pollutionem, vt aliis citatis tradit egregius vir Passerinus in Vniuersitate Parmensi iuris Cæsarei interpres *disput.* 2. *de Pollut. Eccles.* c. 28. *n.* 4 & de campanili seq. c 29. n. 4 Tamen in ordine ad præsentem materiam de sacrilegio, vtrumque venit, ex quo fures extra ambitum Ecclesiæ per triginta passus auferentes dicuntur sacrilegi, vt patebit infra sub num. 46. Sacristia enim, & Campanile sunt contigua, & prope Ecclesias, quibus commode debent inseruire.

45 Secundum, quod cæmeterium sit locus sacer docent Canonistæ *cum Glos.* 11 *sepultura cap. Abolenda* 13. *de sepult.* Sanch. *lib* 9. *cap.* 15. *num.* 40. Incipit autem esse tale per benedictionem Episcopi, & non ante, cum nullus locus fieri, nec dici sacer possit, nisi auctoritate Episcopi illum benedicentis, c. *Ad hæc* 4 *de relig domib. vbi Barb. innumeros citat Doctores*, ex quo derogatum censetur legi 4. C. de relig. vbi dicebatur, locum fieri sacrum per illatinnem cadaueris alicuius fidelis. Ecclesia ergo, & cæmeterium proprie, & præcise respectu cuiuscunque effectus sunt loca sacra.

46 Tertium, quod ambitus triginta passuum Ecclesiæ habeatur pro loco sacro in ordine ad furtum sacrilegum expresse decernitur in cap. Quisquis 21. 17. q. 4. his verbis: *Sacrilegium committitur, si quis infregerit Ecclesiam, vel triginta Ecclesiasticos passus, qui in circuitu Ecclesiæ fuerint, vel domos, quæ intra dictos passus fuerint, aliquid inde diripiendo, vel auferendo, seu qui iniuriam, vel ablationem rerum intulerit clericis arma non ferentibus, vel monachis, siue Deo deuotis, omnibusque Ecclesiasticis personis.*

47 Ex his probatur Sacristiam, & Campanile, pariter & monasteria, quæ sine Ecclesiis non ædificantur contineri sub nomine locorum sacrorum in ordine ad furtum sacrilegum, modo res ablata pertineat ad ipsos Ecclesiasticos non solum titulo proprietatis Ecclesiæ, quæ est domina mobilium, sed etiam titulo accommodationis, depositi, aut custodiæ, vt dixi supra, vnde tapeta, & serica à diuite accommodata Ecclesiæ pro solemnitate festi, si quis furetur in sacristia, vel in claustro, aut in domo canonicali Rectoris committit sacrilegium ex dispositione huius textus.

48 Duo dubiola remanent resoluenda. Vnum est, à quonam sit incipienda est numeratio triginta passuum? Alterum est, quid de canonica clericorum, seu monasterio monachorum excedente illos triginta passus?

49 Ad primum passus illi numerandi sunt à parte exteriori murorum, seu porticuum ipsius Ecclesiæ, vt colligitur ex illis verbis: *Qui in circuitu Ecclesiæ fuerint*, nam circuire Ecclesiam idem est, quod ambire illam, ambitus autem est amplexus, & circundatio rei ambitæ, vnde diximus, quod aër ambit, & circuit turrim, & præterea atria, & porticus sunt de Ecclesia. Passus autem Ecclesiasticus est mensura quinq; pedum, pes vero est spatium quindecim digitorũ, secundum Isidorum *apud Glos. in* 1. *Passus c. sicut* 6. 17. q. 4.

Ad secundum respondetur, cum fabricæ principium, & caput cohæreat Ecclesiæ, moraliter loquendo, tota canonica, seu totum monasterium dicitur contineri intra illos triginta passus, incongruum enim est, quod eadem res numero ex parte gaudeat priuilegio, & ex alia parte non gaudeat, priuilegium enim conceditur loco, non passibus, & mensuræ loci, præsertim fabricato. Vide *Decian. lib.* 6. *c.* 24 *num.* 29. *ad* 12. 50

Quæres 10. Quid, & quales sunt res sacræ, ex quarum furatione committitur sacrilegium?

℞. D. Thomas 2. 2. quæst. 99. art. 3. in corpore ponit quatuor genera rerum sacrarum. *Sub Primo* ponit Sacramenta, quæ proprie dicuntur sacra, quia hominem sanctificant, & Deo consecrant per gratiam, inter quæ præcipuum est Sacramentum Eucharistiæ, ad cuius confectionem, & solemnitatem requiruntur diuersa instrumenta, & sacra vasa, de quibus vt rebus item sacris dicam in sequentibus. *Sub Secunda* igitur comprehunduntur vasa consecrata, altaria, crux, imagines Christi, & sanctorum, Chrisma, oleum benedictum. *Sub Tertio* sunt paramenta Sacerdotum, & altarium, vt pallia, pluuiale, candelabra, lampades, vasa. & alia ad ornatum, quæ sigillatim referentur infra. *Sub quarto* referuntur bona omnia tam mobilia, quam immobilia Ecclesiis relicta pro sustentatione ministrorũ, pauperum, & reparatione Ecclesiarum, sub hac enim ratione aliquo modo dicuntur sacræ, quia ordinantur licet remote ad cultum diuinum, dum in iis piis operibus ex eorum fructibus honoratur, & colitur Deus. Gradatim ergo, & analogice secundum magis, & minus supra nominatæ res participant de sacritudine in ordine ad diuinum cultum ad quem gradatim ordinantur. V. de Layman lib. 4. tract. 10. c. 7. n. 2. cum sequentibus. 51

Res igitur sacra est omne id, quod diuino cultui dedicatum est, vel consecratione, vt Sacramenta, calices &c. vel benedictione formali, vt paramenta sacerdotalia, vel virtuali, per eorum vsum, vt candelabra, thuribulum, nauicella &c. vel deuota oblatione, vt vota appensa in Ecclesiis, vel sustentatione ministrorum, cuiusmodi sunt bona tam mobilia, quam immobilia Ecclesiis donata. Sed quoniam non speculamur, sed moralizamur non abs re erit descendere ad singulares res, quarum ablatione committitur furtum sacrilegum, præsupponendo ex Rituali Pauli V. benedici paramenta sacerdotalia, mappæ, & linteamina Altaris, Corporalia, Tabernaculum, Pixis, Crux, Imagines, Ecclesia, Oratorium publicum, primus lapis ædificij Ecclesiastici, & cæmeterium. 52

Corpus Christi in augustissimo Eucharistiæ Sacramento sub speciebus panis, sine dubio est res sacra, cum sit fas omnis sacritudinis, per quod, & in cuius gratiam cætera sanctificantur, & sacrantur. Et in hoc nullus contradicit, cum sit de fide. *Farinac. quæst.* 172. *n.* 62. 53

Pixis, seu Custodia est illud vas, in quo custoditur Sacramentum benedicta ex Rituali præfato ideo res sacra dicitur, Farinac. n. 61. de eius benedictione fit etiam mentio in Missali par. 2. tit. 2. de ingressu ad altare Paulus Maria Quartus *super Rubricas Missal ibidem sect.* 4. *dub.* 5. vbi refert duas opiniones, quorundam asserentiũ, Custodiam benedici ex præcepto aliorum, quos ipse sequitur, ex congruentia, multis citatis pro istis. Narrat *Farinac. ea q.* 172. *n* 62. fures Pixidis, in qua custodiebatur Sacramentum, fuisse suspensos, & in frusta cæsos, alios viuos fuisse combustos, in ordine ad quas pœnas obseruandæ sunt circunstantiæ, e. g. si non inuenitur Sacramentum, si relictum fuit super tobaleam altaris, si dispersum super altare, vel pauimentum, si fuit manducatum ab ipso fure, si concisum, & proiectum, si extra Ecclesiam dispersum fuit, iudex in puniendo hæc & alia considerare debet, & si apparet aliquod signum contemptus vt in aliquibus ex prædictis actibus casus est sancti Officij. Vide Ricciom par. 3. decis. 27. & Resol. 409. 54

Tabernaculum pariter intra quod conseruatur, & custodibus, est res sacra ex eodem Rituali, & apud Doctores venit sub nomine Custodiæ ex tit. de Custodia Euchar. 55

Calix cum sua Patena est res consecrata, *Decian. lib* 6. 56

cap.

cap. 14. num. 6. & cap. 30. num. 19. Farinac. quæst. 172. num. 59. Riccius par. 3. resol. 410. num. 2. Possunt autem considerari primo in quantum ambo sunt in actu consecrationis, furans enim actu consecratum manis, & grauios committit sacrilegium, quam furans nondum consecratum, & simplex furtum furans illum apud aurificem, cudit est, hoc deduco ex Deciano cit. cap. 3. 31. & cap. 34. num. 41. Calix fractus ad effectum vendendi illum, adhuc insuit rationem sacrilegij in fure vendente, licet fractione perdat consecrationem, quia malitia fractionis non debet prodesse furatori, immo non obstante execratione adhuc committitur sacrilegium, quia est res i lius sacristiæ deputata ad cultum diuinum. Quid si calix abiectus in non vsum, hoc est, numquid calix vetus, quo sacerdotes non amplius vtuntur sit dissecratus? Nequaquam, sed adhuc est consecratus, sicut alij, qui sunt in vsu, quia consecratio non tollitur per actum negatiuum consistentem in non vsu, sed per actum positiuum fractionis, & quando redditus est inutilis ad suum vsum, de qua re Quartus *ad Rubr. Missal par. 2. tit. 1 sect. 2. dub. 5.*

57 Calix autem in suo ministerio adornatur sex rebus sacris, corporali, Purificatorio, Patena, Palla, Velo, & Bursa, quorum vnum tantum benedicitur ex Rituali, nempe Purificatorium, Patena consecratur, nihilominus reliqua adhuc dicuntur sacra, dum specialiter deputata sunt ad consecrationem corporis, & sanguinis Christi, eius enim vsu dicuntur sufficienter benedicta. Hæc expressa non inueni apud Farin. nec Decianum, præter Patenam, quam vocant rem sacram, *Farinac. num 63. & Decian. lib. 6. cap. 31. num. 19.*

58 Paramenta sacerdotalia sunt res sacræ, quia ex Rituali benedicuntur. *Decianus lib. 6. cap. 30. numer. 19. Farinac. quæst. 172. num. 71.* Sunt autem Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula dicta Plantea, quibus adde Pluuiale. quo solus sacerdos vtitur.

59 Paramenta item Altaris, vt tobaleæ, Pallia, Candelabra, Icones, & Imagines, Candelæ, de quibus ex parte. *Decian. lib. 6. cap. 30. num 19. Farinac. quæst. 172. n. 46. & 72. Riccius par. 3. resol. 418 num 4.*

60 Lampades cum oleo sunt res sacræ, licet formaliter non benedicantur, tales tamen sunt ex vsu ordinato ad cultum diuinum. *Decian. lib. 6. cap. 30. num. 19. Farinac. quæst. 172. num. 56.* licet ambo nolint esse benedicta, neque proinde res sacræ, intellige tu formaliter, virtualiter tamen tales sunt ex earum vsu cum oleo in illis contento.

61 Thuribulum cum Nauicella res sacra est, quia ex suo vsu virtualiter intelligitur benedicta, cum præsertim alium non habebat vsum. Ita *Paulus de castro cum Riccio par. 3. resol. 408. num. 4. Farinac. quæst. 172. numer. 59. Decian. cap. 30. num. 19.*

62 Crux sine dubio sacra res est, cum benedicatur formaliter ex Rituali, quidam illius fur Neapoli fuit suspensus, *Riccius part. 3. resol. 410. n. 1. Farin. q. 172. n. 76.*

63 Lapis sacratus sine dubio talis est, *ex Gomez. Riccius par. 3. resol. 408. num.* ille enim ab Episcopo consecratur vnctione sacra, olim totum altare immobile consecrabatur, nunc paruum altare dictum *la Pietra sacrata.*

64 Libri sacri dicuntur Missale, Antiphonarium, Psalterium, Graduale, Rituale, Ceremoniale, quorum furtum dicitur sacrilegium, cum quibus est Biblia, à qua alij habent originem. Apud Romanos horum venditores morte puniebantur, quia violabant rem sacram, *Decian. lib 6. cap. 30. n. 40.* à fortiori libri prædicti apud Catholicos dicendi sunt sacri. quia reuera continent verba sacra, licet formaliter non benedicantur, tales tamen sunt ex vsu, & continentia, destinati solum ad cultum Dei. *Farinac. quæst. 175. num 46 & 69. Riccius par. 3. resol. 410. num. 7.* contra *Decian lib. 6. cap. 30. num. 19*

65 Vasa pro ornamentis Ecclesiæ, & altarium, atque tapetiariæ, & flores esse res sacras saltem analogice nulli est dubium, cum sint destinata specialiter ad cultum diuinum, & ex vsu intelligantur esse virtualiter benedicta de quibus mentionem facit *Decianus lib. 6. cap. 30. num. 19.* quæ negat esse benedicta, intellige tu formaliter, nulli dubium esse debet eorum furtum esse sacrilegum. Ea autem nominat idem Decian. & Farinac. num. 56. Et sunt Phialæ, capsulæ eleemosynarum, feretra, cortinæ, flores &c.

Vrceoli quoque pro sacrificio missæ sunt res sacræ, *ex Riccio par 3. resol. 408. num. 3.* contra Decianum *cit. num. 19 à Farinac num. 56.* ex quo inquirent, non sunt benedicta. Dic tu esse res sacras, dum sunt destinati, & in vsu sacrificij, & sic benedicti virtualiter. 66

Reliquiæ sanctorum, & Panis more Græcorū in Missa benedictus, immo & in nostro sacrificio ante consecrationem panis, & aquę cum vino res sacrę sine dubio sunt, cum pluries benedicantur. De Reliquiis *idem Decian. l. 6 c. 30. n. 38 Farin. q. 172. n. 65.* Immo eorum vasa sunt res sacræ, *Riccius par. 1 resol 60. n. 4. par. 3 resol. 410. n. 2.* vbi quod venditor plurium reliquiarum missus fuit ad triremes, licet iudicatus fuisset dignus morte. 67

Campanæ Ecclesiarum sine dubio sunt res sacræ, quia ab Episcopo benedicuntur, Ioan. Bapt. de Rubeis de diuinis offic. lib. 1. cap. 5. Has solent milites sine conscientia existentes furari à Campanilibus. 68

Vota appensa in Ecclesiis ex deuotione fidelium sunt res sacræ, cum ad aliud non sint destinata, nisi ad demonstrandum cultum erga Deum, & sanctos, eorum furtum vocat sacrilegum Decian. l. 6. c. 30. n. 39. non ex sacritudine rei, sed ex loco sacro. Dic tu ex vtroque, quia aliam functionem non habent, nisi testificationem cultus diuini, ex cuius vsu censetur virtualiter benedicta. 69

Vasa fracta furans non est sacrilegus ex parte rei sacræ, dum talis amplius non est vt docet *Decian. l. 6. c. 34. n. 44.* nihilominus talis est adhuc ratione loci sacri, à quo vas aufert. Immo si frangatur vas non casu, sed consulto, vt possit vendi non cognitum vt tale quid sacrum, vt dixi supra de calice, sacrilegium est etiam ex parte rei. Idem contingere potest in lampadibus argenteis, quæ aliquando franguntur ne cognoscantur, vel vt venditio persuadeatur ea illa fractione inutiles effectæ. 70

Non solum prædictæ res, de quibus hactenus, Ecclesia, & cœmeterium, de quibus pariter supra, verum etiam loca alia sunt sacra, nempe domus Canonicalis clericorum, *ex Riccio par. 3. resol. 406. n. 4.* conuentus, & monasteria, atque hospitalia, *ex eodem resol 404. n 6. Farinac. quæst. 172. n. 52. & 53. Decian. lib 6. c 24. n. 32.* ait non esse sacra, intellige tu quoad alios effectus, nempe pollutionis. Vel non esse sacra sacritudine formalis benedictionis, vt benedicuntur res iam perfectæ, sunt nihilominus sacra quoad minimum, quia dum auctoritate Episcopi fundantur, primus lapis iacitur in fundamento cum benedictione, & sacris ritibus. 71

Sub nomine rerum sacrarum analogice, & relatiue veniunt omnia bona profana tam mobilia, quam immobilia 72
ipsarum Ecclesiarum conuentuum, & hospitalium, quibus
eorum ministri sustentantur & pauperes, in ordine ad instituendum
furtum sub genere sacrilegij. Et id clare colligitur
ex sacris Canonibus præsertim *caus. 12. quæst. 2.
cap. Nulli 3. cap. Prædia 5. cap. In legibus 10. c. Indigne
21. cap. Hac huius 28.* Item *caus. 17. quæst. 4. cap. sint
3. cap. omnes cap. sicut 22. cap. qui rapit 18* Immo sacrilegus
est non solum furans bona iam incorporata Ecclesiis,
monasteriis, & hospitalibus, sed etiam legata eisdem
negans vocatur sacrilegus, *cap. Sacrilegium 4. 17.
quæst. 4.* quia cum sint & hæc Christi patrimonia, censentur
ipso iure incorporata, quia Deus ea acceptauit, 73
loquor in ordine ad præsentem materiam sacrilegij. Et
ita iure canonico tenendum est, cum præcitati textus
sint tam clari, vt alia non indigeant declaratione, quam
quod indicant verba. Ita aliis citatis tenet *Layman lib.
4. tract. 10. cap. 7. numero 15. cum* D. Thoma *22. quæst.
99. art. 3.* Ratio ea est, quia quæcumque bona Ecclesiis
relicta sunt Domini, vt ex citatis textibus
colligitur, & docet Tridentinum sess. 25. cap. 1. de Reform.
iuxta illud Psalm. 23. 1. *Domini est terra* id est res im- 74
mobiles, *& plenitudo eius* id est eius fructus, & prouentus
& quatenus tales, sacræ dicendæ sunt, cum sint deputatæ
ad sustentationem pauperum, & ministrorum

Ecclesiæ Dei. Confirmatur id tum quia sunt res publicæ, ergo sacræ ad formam iuris ciuilis ad ff. Ad legem Iuliam peculatus. Tum quia adhærentia religiosis, & Ecclesiastic1s religiosa sunt, & sacra, *l. Quæ religiosis 43 ff. de rei vendicat.* Bona enim sequuntur conditionem personæ, *ex l. In pecudum 18 ff. de vsur.* In hoc enim esse religiosum, & sacrum non differunt, in ordine ad furtum sacrilegum.

75 Nec audiendus est Menoch. *lib. 2. de arbitr. casu 389. cum nonnullis legistis in l. Diui, & l. Sacrilegi ff ad legem Iul. Peculatus*, asserens ad sacrilegium proprie dictum duo requiri, quod sit sacrum, & de loco sacro ablatum, inferens, furantem calicem sacratum de oratorio priuato, non committere proprie sacrilegium, sed quasi; pariter subtrahentem res depositas apud Ecclesiam, non esse sacrilegum, sed simplicem furem.

76 Verum enim siquidem est, quod præfatæ leges expresse dicunt, quod priuatorum res depositæ in ædem sacram surreptæ, furti actio sunt, non sacrilegij *l. Diui 5. eod. item l. Sacrilegi 9. eod.* At qui priuata sacra, vel ædiculas incustoditas tentauerint, amplius quam fures, minus quam sacrilegi merentur. Tamen per sacros canones qui aperte loquuntur corrigendæ sunt præfatæ leges, nulli enim dubium est, furantes rem profanam Ecclesiæ commendatam, facere iniuriam Ecclesiæ, & similiter iniuriam inferre calici consecrato, cuiuscunque ille sit, & à quocumque loco ille fuerit sublatus, habet enim in seipso sacritudinem, ratione cuius independenter à loco, & persona furans imbibit malitiam sacrilegij. Omnes ergo debent sequi sacros Canones, & de hoc sacrilegio rei profanæ commendatæ Ecclesiæ loquuntur Summistæ à r. *Sacrilegium. quos citat Layman lib. 4 tract. 10. cap. 7. num. 17. §. Atqui calix.*

77 Furans scripturas Ecclesiæ, seu monasterij, e.g. instrumenta stabilium emptorum, Inuentaria rerum, processus criminales, & alia acta & gesta in libris publicis registrata, sine dubio sacrilegus est, quia hæc inter bona publica ipsarum Ecclesiarum, & monasteriorum, ac hospitalium connumerantur, & analogice appellantur res sacræ relatiuæ ad ipsa loca, & personas sacras, quibus graue infertur præiudicium, vt colligitur ex cap si quis 33. 12. quæst. 2. Furtum autem huiusmodi scripturarum facit indicium ad torturam contra eum, ad cuius commodum fuerunt subtractæ, non enim præsumi potest, nisi contra eum, qui interesse habet in illis, alijs allegatis *Farinac. quæst. 177. num 89.*

78 Ne dum supradictæ res induunt malitiam sacrilegij contra furantem illas, sed etiam fures sacrilegi dicuntur surripientes patrimonialia clericorum, *Panor. in cap. si clericus 5. de foro compet. num. 3.* vbi ait furem quasi sacrilegum sibi vsurpando patrimonialia clericorum conueniri posse coram Episcopo, quem multi alij sequuntur, infra citandi sub quæst. sequenti.

Quæres 11. An sacrilegium furtiuum sit mixti fori?

79 ℞. Est mixti fori delictum sacrilegij, siue offendatur Ecclesia, siue persona, siue quæuis res Ecclesiæ, aut Ecclesiasticorum, datur ergo locus præuentioni inter Ecclesiasticum, & laicum. Ita communis sententia apud Ciarlin. cap. 15. num. 12. vbi citat 18. Doctores, at respondet dictis Bartoli sentientis oppositum, alios refert *Sperell. decis. 100. num. 40. & decis. 135. num. 94. Guazin. Defens. 1. cap. 11. num. 35.* soluentes Ecclesiasticum laicum puniri posse etiam corporaliter.

Quæres 12. Quid sit furtum domesticum? Et an locum habeat inter Ecclesiasticos?

80 ℞. Furtum domesticum dicitur illud, quo quis furatur rem Domini sui, cum quo habitat, vt sunt filij, vxor, serui, liberti, famuli, & alij habitantes in eadem domo cum patrono, & Domino familiæ, ex allatis *à Farinac. quæst. 174. n. 98. Ciarlin. cap. 165. num 22.* Etiam furta religiosorum appellantur domestica, dum in eadem domo religiosa cohabitant cum superiore, & Domino suo *Faber super Instit. de obligat. ex delicto §. 11. qui, cum alijs Farin. quæst. 174. n. 109.*

Quæres 13. An furtum connumeretur inter crimina publica?

℞. Simplex furtum, qui scilicet excludit sacrilegium est crimen priuatum *l. 1. ff. de priuat. delict. & l fin. ff. de furtis, Farinac. quæst. 18. num. 15. & quæst. 165. num. 9.* Si vero sermo sit de furto sacrilego, certum est illud esse publicum, cum illud noceat communitati *l fin ff ad leg. Iul. Peculatus, Farinac quæst. 171. num 32. & quæst. 172. num. 30.* Ista distinctio facit pro iure ciuili, non canonico respectu cuius omnia delicta sunt publica, vt docent de communi dictus *Farinac. quæst. 18. num. 16. Ciarlin cap. 165. num. 10. & quæst. 1. num* 8. Sic autem distinguuntur crimina in ordine ad modum iudicandi, nam iudex in delictis priuatis non procedit nisi ad instantiam partis, cuius interest, In publicis vero, ex officio procedere potest, sed hæc distinctio non seruatur à iudicibus inquirentes etiam contra delicta priuata sequentes ius canonicum, interest enim reipublicæ, vt inquisitione & non tantum ad instantiam offensi, puniantur delinquentes in exemplum aliorum, vt abhorreant metu pœnarum delicta. 81

Quæres 14 Quale furtum dicatur famosum?

℞. Illud dicitur famosum, quod ingens est, licet vnicum, vel tria furta successiue facta, *Clarus 11. Furtum, Vers Quæro an, Sanctorius de Melsio cap 27. de Pœnis vers. Hinc secundo Farin. quæst. 66 n. 3. & sequent.* Tale iudico furtũ Crucis, Lampadis ex argento, item sacræ Pixidis &c. non solum ratione valoris, verum etiam ratione sacrilegij. 82

Quæres 15 Quodnam dicatur notabile furtum? Magnum, seu paruum?

℞. Attendenda est conditio personæ furantis, personæ, à qua res ablata fuit, & res ipsa furata, & ex horum circumstantiis infertur furtum magnum, siue paruum, ex adductis *à Farinac. quæst. 166. num. 19. Pegnera decis. crim. 27. num. 7.* putat magnum furtum ascendens ad summam centum librarum. Magnum furtum est ablatio Repertorij, in quo multum laborauit, *Menoch. casu 195 num. 10.* Item Manuscriptum, in quo auctor multum insumpsit, *Canalios in com. opin. q. 741. num. 6 & 7.* Magnum furtum est illud, quod habet adiunctum sacrilegium, ex allegatis *à Farinac. quæst. 166. num. 20.* præsertim in rebus sacris immediate ordinatis ad ministerium altaris. Furtum decem aureorum est magnũ, & notabile, Sanctorius *ex Corduba quæst 4. casu 6. ad cap. 7. constit. statuto 5. fol. 533. vers. quæ autem*, exemplificando in cruce, seu calice decem aureorum. 83

Discrepant Doctores in assignando valore, qui furtum constituat magnum, nam *Mendoza quæst. 8. de Paupert. relig.* ait, sufficere duos argenteos; *de S. Fausto lib. 8. quæst. 193. de Paupert.* requirit tres argenteos respectu monasteriorum ditissimorum, duos respectu mediocrium, vnum respectu pauperum, *Rodriq. in summa tom. 4. cap. 218. num. 27. & 29.* petit duos aureos; *Sanchez lib. 7. cap. 20. num. 3. & 5. apud Dianam par. 1. tract. 6. resol. 36.* requirit quatuor argenteos. Quidquid sit de hac diuersitate, credentem, quemlibet ex dictis summis sufficere ad puniendum Ecclesiasticum criminaliter, quia reputatur graue, & notabile delictum propter circumstantiam voti paupertatis, & sacrilegij respectu rerum sacrarum. 84

Quæres 16. de grauitate furti, & sacrilegij?

℞. Furtum simplex semper minus peccatum est sacrilegio, quod ei adiungit circumstantiam in infinitum aggrauantem, hoc est, mutantem speciem Vnde in quantum est sacrilegium longe grauius est, & propter suam enormitatem comparatur multis aliis delictis grauioribus. Vnde *Primo* dicitur delictum atrox, *Glos. 11. Sacrilegium cap. venerabilem, de elect.* Decian. *lib. 6. cap. 11. numer. 3.* Æquiparantur *Secundo* crimini læsæ maiestatis, *idem Decian. num. 2. Riccius par. 3. decis. 27. num. 2.* Deo enim infertur magna iniuria, dum ab eo auferuntur res sacræ primi, & secundi generis, secundum D. Thomam supra sub numer. 51. videtur contemni. Æquiparatur *Tertio*, proditori, *cap. si forte 17. quæstio. 4. ex eodem Deciano numer. 5.* Sacrilegium etiam in re minima reputatur graue, cum de sua natura magnam 85

irreuerentiam

irreuerentiam Deo inferat in re minima, *idem Decian. 6.* Insuper hoc crimen est maius delicto fornicationis, *c. Sicut* 12. 17. q. 4. Immo æquiparatur homicidæ,
86 *c. 1. 11. q. 1. & cap. Quis* 11. q. 2. Præterea Sacrilegium in officialibus maius est, & execrabilius, quam in non officiali ratione sui officij, in quo se gerit infideliter cōsumans, & distrahens commissa suæ custodiæ, & fidelitati, iuxta illud Pauli 1. ad Timoth. c. 5. 8. *Si quis suorum, ratione domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* In administratoribus enim fides, hoc est, fidelitas necessaria est, quod supponit idem Apostolus 1. ad Corinth. cap. 4. 2. *Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.* Hæc autem maxime quadrant religiosis tum officialibus, Prælatis, & subditis, in quibus furtum sacrilegum præter supradictas circumstantias reddentes illud grauissimum superadditur votum proprietatis, & sic eorum furtum circa res Ecclesiasticas duplici sacrilegio grauatur, vno contra reuerentiam rebus sacris debitam, altero contra votum Paupertatis. Alia vide apud præcitatos.

Quæres 17. Quomodo iudex possit procedere contra furem.

87 ℟. Duo sunt modi procedendi, ciuiliter, & criminaliter, primo modo iudex procedit condemnando furem ex duplici actione extra corpus, nempe ad restitutionem rei ablatæ, ex conditione furtiua, & ad duplum, vel quadruplum, ad damna, & interesse causata ratione furti, quod dicitur fieri actione furti. Ita Farinac. quæst. 165. n. 24. Sed hæc actio furti abiit in dissuetudinem, & remanet de iure naturæ restitutio solius rei ablatæ, ex allegatis ab eodem q. 167. n. 18. Criminaliter vero tunc procedit, cum præter restitutionem condemnat furem ad pœnam corporalem, in quo casu furem excarcerare non debet, nisi prius restituat, ex eodem q. 165. num 29. vel data
88 cautione restituendi; Si autem iudex negligat in officio suo non condemnando furem ad restitutionem, tenetur ipse in solidum, ex communi apud eundem cit. num 29. Actio igitur furti duplex reperitur in causa criminali furti, vna pro interesse priuato, nempe restitutio, altera pro interesse publico, vt docent *Decian. conf. 520. Tonsum lit. F concl. 599. num. 4 cum eis Ciarlin cap. 165. n. 14.* Quare secundum posteriorem actionem procedere potest iudex ad punitionem corporalem non solum ad instantiam partis, sed etiam ex officio suo, non obstante, quod furtum sit delictum priuatum iure ciuili, quia iure canonico omnia delicta sunt publica ex dictis hic q. 53. ideo non solum ad instantiam partis actione furti pro interesse damnificati, sed etiam ex officio suo secunda actione in ordine ad punitionem corporalem. Quare iudex ex officio suo procedere potest criminaliter contra filium sibi accusatum à patre de furto, magno, vt notat cum aliis Ciarlin. c. 165. n. 15. & 16.

Quæres 18. Quales sint pœnæ furibus, & sacrilegis imponendæ. Variæ referuntur pœnæ contra fures à Farinac. q. 167. de furto simplici, de sacrilegorum vero pœnis q. 172. à num. 51. Multis postpositis, quæ apud eum, & Decianum lib. 6. c. 33. de pœnis contra sacrilegos, venio ad responsionem.

89 ℟. Pœna furti tam simplicis quam sacrilegi, corporalis est arbitraria ex vtroque iure tam ciuili, quam Canonico, de simplici furto, *Farinac quæst. 167. num 6.* de sacrilegio *quæst 172. num. 11.* respondens num. 13. ex quo morte naturali de iure ciuili videatur esse puniendus sacrilegus furans sacrum de sacro, & ideo censeatur pœna ordinaria, nihilominus, quia aliæ pœnæ exprimuntur in diuersis iuribus, potius appellandæ sunt arbitrariæ, quam ordinariæ, ex quo tamen non excluditur à sacrilego pœna mortis, si eam exigat enormitas sacrilegij, iuxta quod dixi sub num. 81. Quare fur simplex, seu sacrilegus quandoque punitur fustigatione, carcere, exilio, triremibus, vel pecunia *ex cap. Attendendum 13. 17. quæst 4* &c. vt notat Farinac. quæst. 172. num 19. de pœna pecuniaria.

Quæres 19. An fur sacrilegus incurrat aliquā censuram.

90 ℟. Violatores Ecclesiarum sunt excommunicati, *cap. Canonica 107. 11. quæst. 3. cap. Omnes 5. 17. quæst. 4.* non solum facientes, sed etiam consentientes vt, ibidem in textu dicitur, idem *ex cap. quisquis 21. ead. §. si quis domum Dei*, & hoc supponitur tanquam certum *in cap. Conquesti 22. de sent. excom.* vbi, qui cum effractione spoliant Ecclesias, sunt excommunicati, & per Papam tantum post denunciationem absoluuntur, ante autem excommunicatio non est reseruata. Duo ergo sunt necessaria ad incurrendam hanc censuram, spoliatio cum effractione, vno eorum deficiente non incurritur, *Sayrus de cens. lib 3. cap. 29. n. 13. Bonac. disp 2. q. 3. p. 11. Barb. ad dictum cap. n. 2.* Fractio autem contingit contra portas, seras, vel muros, aut moueat Cardines, vel frangatur, fenestra, aut impellatur cadere &c *ex eodem Sayro num. 6. Silu. excom. 7. n. 17. cum illis Thesaur. Iesuita de Pœnis V. Sacrilegium c. 3.*

91 Nomine autem Ecclesiæ veniunt cœmeterium, & sacristia coniuncta, similiter monasteria, hospitalia, & alia loca pia, vt tradunt Barb. *ad dictum cap. num. 3. cum Nauar. c. 27. n. 44. § Octauo, Sayr. num. 13.* de sacristia *Suarez disp. 22. de censur. sect. 2. n. 11.*

Quæres 20. An fur, & sacrilegus sit Infamis.

92 ℟. Vterque infamis est infamia iuris, licet fur non sit manifestus, ex *l. Furti 6 ff. de his qui not. l. Non potest, 65. ff. de furtis l. Si furti 8. C. ex quib. causis.* Iure Canonico cap. infamis 17. 6. q. 1. vbi de furibus, & sacrilegis, *& cap. Attendendum 13. 17. q. 4.* Sacrilegi post condemnationem perpetua infamia notantur. Igitur infamia incurritur secuta condemnatione, nec iudex impedire potest quin sequatur ad condemnationem criminaliter factam, *Farinac. q. 167. num 11. ex præcitata lege Non potest 85. ff. de furtis.* Euitatur autem infamia in tribus casibus. *Primo*, dum tantum fur ciuiliter damnatur, in quo tamen casu damnati opinio grauatur, ex Bonifacio apud Farinac. cit. num. 14. & id aperte colligitur ex cap. fin. de fortia ibi: *Nec est super hoc nota, vel infamia manifesta respersus*, Gl. vocat eam infamiam facti, quæ opinionem grauat, contra eum furem calicis, vt ibi dicitur, qui nullo modo fuerat condemnatus, non effugit ergo condemnatus ciuiliter notam infamiæ facti. Vnde Thesaurus Societatis *de Pœnis V. Furtum ex Baldo in cap. At si clerici, de iudic. num. 15. Felin. in cap. qualiter 24. de accusat. num. 23. Vers. Secunda est pœna*, dicit, infamiam incurri etiam ex condemnatione ciuili, subdens eam tollere posse Episcopum, ac proinde subiicio ergo, etiam superiorem regularem, qui illis in iurisdictione æquiparatur. *Secundo* euitatur, dum reo imponitur pœna statutaria, *ex eodem Farinac. q. 167. num. 15.* Sed id non placet quia *l. Athletas 4 ff. de his, qui not.* fur damnatus, aut pactus etiā pecunia, quod est ciuiliter damnari non euadit Infamiam. *Tertio* depositarius, vel commodatarius damnatus de furto, eoque abusus fuerit re, quæ sibi data fuerat ad determinatum vsum, vel ad nullum vsum, non fit infamis. *Farinac. n. 16. ex Couar. lib. 3. Variar. c. 15. n. 8.*

Quæres 21. An fur, & sacrilegus, si sit persona Ecclesiastica sit deponendus à suo honore.

93 ℟. Mandatur deponi ab honore suo, *cap. Quisquis 19. 12. quæst. 2. cap. Presbyter 12. dist. 82. cap. fin. 10. q. 2. cap. Cum non ab homine 10. de iudic.* Intellige, quando furtum est magnum, seu famosum, alias non est amplius in vsu depositio, *vt ex Diaz notat Ciarlin. cap. 207. n. 17.* vbi plura de eorum degradatione, *& numer. 45. & 46.* quod omissa depositione corporaliter, vel in bursa puniantur.

Quæres 22. Quænam sint pœnæ, corporales in iure expressæ pro puniendis furibus, & sacrilegis.

94 ℟. Sunt sequentes, nam cap. De viro 17. 12. q. 2. quidam, qui sacra vasa abstulerat & sacrum Chrisma, punitus fuit, vt per annum maneret extra Ecclesiam, secundo anno maneret ante fores Ecclesiæ sine communione, tertio anno ingrederetur Ecclesiam cum aliis sine oblationibus, abstinendo se à carnibus, & vino, præter dies Na-

talis, & Resurrectionis. Quarto anno cognita eorum pœnitentia admittebatur ad communionem fidelium, qui præterea vsque ad septimum annum tribus in hebdomada diebus sine esu carnium & vini potatione manebat in pœnitentia: Ille autem surripuerat vasa corporis, & sanguinis Domini, & sacrum oleum. Item *cap. Pecunia* 16. 17. *q.* 4. Si quis de ministerio sanctæ Ecclesiæ furatus fuerit, septem annis pœniteat, tres in pane, & aqua *cap. Attendendum* 1 5. *vad.* sacrilegus traditur carceribus, aut exilio perpetuæ deportationis. *Farinac. q.* 172. *n.* 16. *de Bictis q.* 123. *n.* 18 Supradictæ sunt pœnæ ordinariæ, cum sint in dictis iuribus registratæ. Extraordinaria vero est fustigatio pro primo furto, *Farinac. q.* 167. *n.* 35. *& seq.* Item & transmissio ad triremes, si furtum est valde magnum, *ex eodem num.* 47. *Ciarlin. cap.* 107. *à n.* 45.

Quæres 23. An expoliantes cadauera in Ecclesiis, & cœmeteriis sint fures, sacrilegi, & excommunicati, supradictis pœnis subiecti.

95 ℞. Nullam censuram incurrunt, condẽnatus tamen de violatione sepulchri, siue ciuiliter, *ex l.* 1. *ff. de sepulcr. violat.* siue criminaliter fit infamis, & irregularis, *ex cap. Infames* 17. 6. *q.* 1. Violatio enim sepulchri per spoliationem, seu eius fractionem est peculatus, & sacrilegium, & crimen publicum, ex allatis à Thesauro *V. Sepulchri violatio c.* 1. *Lauor. de prisc. uner. tit.* 1. *c.* 7. *num.* 21. *Sayr. lib.* 7. *cap.* 18. *n.* 8.

Quæres 24. Vt quis criminaliter puniri possit, & cuius condemnatione sequatur infamia, & pœna corporis afflictiua quale furtum requiritur, siue simplex, siue qualificatum ex sacrilegio.

96 ℞. Sufficit, quod valor rei furtiuæ excedat duos aureos, *ex l. Id est* 11 *ff de dolo malo*, vbi gloss. ait, dari actionẽ furti Vnde Clem VIII. declarauit largitionẽ duorum aureorum esse quidem furtum, & peccatum mortale, non tamen inducere pœnas expressas in Bulla de largit. muner. *Diana part.* 1 *tract.* 6 *resol.* 5. De *Bictis q* 123. *n.* 14. Primum simplex furtũ fustigatione punitur, *Farin. q.* 167. *n.* 31. pro secundo aut pariter fustigatur, vel exiliatur vel remigatur, *ex eodem* 44. Furtũ qualificatum ex sacrilegio præsertim primi, & secundi generis punitur triremibus, aut longo carcere, vt furtum calicis, lampades, thuribuli, candelabrorum, &c. Alia furta simplicia minora non excedentia duo aurea, puniantur ieiuniis, disciplinis regularibus, & aliis mortificationibus apud Regulares.

Quæres 25. An paratus restituere ablatum etiam in duplum, vel quadruplum, possit adhuc criminaliter puniri.

97 ℞. Affirmatiue, quia actio furti in duplum, seu quadruplum, quod est ciuiliter punire, abiit iam dissuetudinem, vt dixi q. 17. Quare fur restitutione ablati non obstante, adhuc non est liber à pœna *glos.* 5. *cum augmento cap Fraternitas* 1 1. 12 *q* 2. *glos.* 11. *Deponatur cap. Apostolicos* 12. *ead.* Non enim purgat vitium restituendo, *glos.* 1. *cap. fin. dist.* 5.

Quæres 26. An furtum sit de genere eorum delictorum, quæ sunt difficilis probationis.

98 ℞. Affirmatiue Ita Mascard. *conclus.* 830. *numer.* 1. *Riccius par.* 1. *decis.* 62. *num.* 2. *Farinac q.* 176. *num.* 5. Ideo coniecturis probatur, vnde ex querela data censetur probatum corpus delicti, *ex eodem num.* 3. subsequenter referuntur variæ coniecturæ ad illud probandum, *Merlinus decis* 188. vbi refert coniecturas, citatis Doctoribus *Farinac. q* 176. *n.* 30. refert varia indicia.

Quæres 27. An præsumatur fur, cui desunt res sibi consignatæ.

99 ℞. Affirmatiue, quia certum est, quod apud ipsum erant, ergo si absunt, ipse præsumitur negligens, seu in dolo, consequenter si non probet auctorem furti, pro fure ipse habendus est. *Mascard. concl.* 829. *n* 9. Res furata inuenta apud aliquem malæ famæ facit indicium ad torturam contra ipsum, nisi probet auctorem furti, *Farin. q.* 177. *n.* 5. *Possem. sing.* 108.

Quæres 28. An fures domestici sint puniendi.

100 ℞. Fures domestici non puniuntur criminaliter pro leuibus furtis, vsque pro grauibus, expresse *l. Respiciendum* 11. §. *furta, ff. de pœnis*, vbi dicitur, quod furta domestica de vilibus rebus non sunt vindicanda per iudicem, sed paterfamilias illa vindicabit. Ita *Clarus* § *Furtũ n.* 23. *Tusch.* 5. *Furtum concl.* 555. *n.* 30. *ex illis Farinac q.* 174. *num.* 97. Vnde audiendi non sunt aliqui asserentes, fures domesticos esse impunibiles, sed etiam loquentes de grauibus furtis, quia enim fures domesticos audebit effugere, nisi eos seuerior pœna à tanto facinore retrahat, *Graff. lib* 3. *cap.* 7. *de reseruat. num* 69. Potest ergo iudex ex officio suo, etiam parte non instante per accusationem criminaliter procedere ad punitionem furum domesticorum, ex eodem *Farinac. q.* 174. *num.* 112. *Ciarlin. c.* 165. *n.* 8. *&* 9. *Riccius par.* 3. *decis.* 161. præsertim iudex Ecclesiasticus, qui in quolibet crimine potest procedere ex officio, cum omnia delicta dicantur iure canonico publica, etiam furtum, *glos.* 11. *Fures cap. Infames* 6. *q.* 1. *Ciarlin. cit. num.* 10. maxime furta sacrilega, & qualificata, quæ sine dubio dicuntur publica, dum tangunt ipsam Ecclesiam, & cætera loca pia, & religiosa, quæ ex sua publicitate delictum faciunt publicum, eo ipso, quod nocet reipublicæ Ecclesiasticæ. Graue autem furtum est illud, cuius valor excedit duos aureos ex dictis quæst. 14. Modica furta plures iterata habentur pro magno, vt possint puniri criminaliter, ex allegatis à *Farinac. q.* 174. *n.* 115.

Quæres 29 An Depositarius, Commodatarius, Custos, seu quilibet alius habens rem alienam sibi consignatam, sit fur, criminaliter puniendus, his vtatur ad alium vsum, quam ad designatum.

Resp. Sunt puniendi criminaliter, quia isti dicuntur committere furtum vtendo re ad vsum non designatum. 101
Instit de obligat. ex delict. §. *Furtum autem*, *Farinac. q.* 169. *num.* 1. *ad* 9. Nam in istis præsumitur dolus, & culpa cum hæc committi non soleant sine culpa, quare si non elidens hanc præsumptionem, probando oppositum, remanent rei, & tenentur actione furti, *Mascard concl.* 468. *n.* 5. *Farinac. n.* 12. Vnde illis non creditur asserentibus, rem ab aliis esse furatam, sed probando furem indicare debent, vel facere constare, quod ipsi non sunt fures, siue causa sit exceptiua, siue actiua, *Farinac. q.* 169. *n.* 34. Depositarius igitur tenetur ex dolo, & lata culpa, *num.* 14. Quia contractus non est sibi vtilis, sed tantum deponenti; è contra commodatarius tenetur etiam de leuissima culpa, quia sibi soli contractus est vtilis *num.* 19. Custos recepta mercede tenetur etiam de leui, *num.* 20. *&* 27.

Obserua autem, quod Depositarius, & Commodatarius sunt mitius puniendi *Couar. lib.* 3. *cap.* 15. *numer.* 8. 102
Tusch. 5. *Furtum concl.* 553. *numer.* 21. *&* 25. *Farinac. q.* 169. *num.* 11. Asserentes hos condemnatos non ideo incurrere infamiam, quia tale furtum non est ita inhonestum, nec computabile inter ea furta, quæ legibus, & reipublicæ ita praua, & perniciosa censentur, ex Couar. in fine illius capitis, vbi pro se citat Philip. Corneum lib. 4. consil. 274.

Quæres 30. An Episcopus, regularis superior, & quiuis alius habens administrationem rerum Ecclesiasticarum, vti Procurator, Cellerarius, Vicarius, Sacrista &c. Si rem commissam suæ Curæ, & custodiæ, in alium vsum, quam in destinatum ex officio, conuertat, & distrahat, aut dilapidet dicatur fur, & sit puniendus criminaliter? Loquor de officialibus, quia extra controuersiam est, fures, & sacrilegos Ecclesiasticos carentes administratione esse puniendos seuere in exemplum aliorum.

Resp. Vtique esse criminaliter puniendos in corpore, 103
vel pecunia clericos, religiosos vero tantum corporaliter, non obstante restitutione ablatorum, quia ex restitutione facta non sequitur remissio pœnæ, vt inquit *Glos.* 5. *Præterire c.* 28. *de elect.* Probatur autem responsio contra omnes administratores.

Primo, ex cap. fin. 10. quæst. 2. apertis verbis: *Si quis* 104
Episcopus, nulla Ecclesiastica rationis necessitate compulsus in clero suo, aut vbi forte non est Presbyter, de rebus

Ecclesiæ, vel

Ecclesiasticis aliquid præsumpserit vendere, & res ipsas Ecclesiæ propria restaurare cogatur, & in iudicio Episcoporum deiiciatur auditus, & veniiibus, & tanquam furti, & latrocinij reus suo priuetur honore. Et licet hic non fiat mentio de aliqua corporali pœna, non ideo iudex impeditur ab eius impositione, & causa criminalis sine dubio est dicenda, dum quis punitur vt fur, & latro. Idem docet *Glos. 5. Donec causa cap. Quia vero q. 5. q. 2. glos. 5. De dilapidatione, cap. Licet Hel. 31. de Simon.*

105 Secundo, bonorum Ecclesiæ dilapidator non solum priuatur honore sui officij sed etiam punitur, cap. Cum ad monasterium 6. de statu Monachi ibi; *Pro certo se nouerit non solum ab officio deponendum, sed & alio modo secundum regulam castigandum*. Dilapidatio bonorum non potest reperiri sine dolo, siquidem ille est in dolo, qui non vult facere id, ad quod tenetur, quando scit, & potest, *l. Dolus 44. ff. Mandat.* vnde remotus ex dolo statim fit infamis, *glos. 11. De dilapidatione cap. Licet Heli 31. de simon.*

106 Tertio, Clemens VIII. in Bulla de largitione munerum, & si reuera nunquam à regularibus deducta fuerit in vsum, vt dicitur experientia, mandat quibuscunque iudicibus procedere siue ex officio, siue ad instantiam partis, non solum ad priuationem officiorum, sed etiam ad condignis suppliciis afficiendum reos repertos huius Bullæ. vt videri potest §. 12. & 12, tanquam fures ergo eodem modo scilicet criminaliter procedendum est in dilapidatione, & furtis de rebus Ecclesiæ.

107 Quarto contra dolosos dilapidatores, & fures procedendum est criminaliter, potissimum quando conuicti negant se fuisse dilapidatores, habent enim animum non scit tuendi, & sic non purgandi pœnam criminis *l. Actione ff de tutel & ratica. distrah. Farinac. consil. 160. numer. 2.*

108 Quinto, cum procedit criminaliter contra Prælatum, & officialem administratorem, quando existit in manifesto dolo, conuertendo scilicet in proprium vsum res alienas sibi commissas. *Farinac. consil 96. num. 6. 18 28. 35. & 50. & ex eo Gratian cap. 935. per totam* Ille autem dicitur dolose agere, qui facit actum, quem scit esse
109 prohibitum. *l. 1. C. de Sicar. M. Anton. lib. 1. resol. 73. num. 8.* Nullum enim delictum committitur sine dolo, *ex allegatis à Sperello decis. 37. num. 55.* Vnde mala fides inclusit in se dolum, *ibidem num. 36. ex Cornео consil. 59. n. 2. vol. 4.* Nec furtum committitur sine dolo, & animo furandi, *Instit. de Oblig. ex delicto §. Placuit Farinac. q. 174. num. 9. Sperell. decis. 24. num. 57.* Ex quibus sequitur administratorem Ecclesiæ dilapidantem, & distrahentem bona sibi commissa esse criminaliter puniendum, quia sine dolo, & fraude non dicitur dilapidare res Ecclesiæ.

110 Sexto, sicut tutor dolosus non solum remoueri potest ab administratione, sed etiam puniri, *l. 1. §. fin. l. 2. ff. de susp. Ettu tutor.* ex quo fit infamis condemnatus ex dolo, & fraude, non autem ex culpa, & negligentia, *l. fin. C. de suspectis tutor. & l. 3. §. fin. & 4. ff. de susp.* neque si detur ei coadiutor, *ex eadem l. 4.* immo damnatus, & remotus sine expressione causæ dolosæ, non censetur infamis, sed solum remotus ex dolo cum expressione doli, & fraudis *l. Hæc enim ff. eod.* Tunc ergo solum est infamis, cum remouetur expressa causa dolosa, ita quod nec lata culpa inducat infamiam, *Gutier. par. 2. de tutor. cap. 18 n. 18. Barb ad l. fin. C. eod.* ita & administrator Ecclesiæ sicut dolosus remouetur & punitur criminaliter; equiparantur enim, *ex Auth. de Ecclesi. §. fin. collat. 9 ex glos. 5. Ecclesia cap. Audiuis, de restit in integ.* sicut ergo criminaliter remouetur tutor, qui dolose administrauit, ita & administrator Ecclesiasticus, & in hoc consistit cõparatio, scio enim differre à tutore in eo, quod tutor est temporalis, & non vtitur bonis pupilli, Prælatus vero est perpetuus, si sit Episcopus, qui cum aliis administratoribus vtitur bonis Ecclesiæ pro sua sustentatione, & non vlterius, *Glos. fin. cap fin. 5. q. 3.*

111 Septimo, omnis causa, in qua agitur de remouendo ab officio publico & deponendo administratorem, qui in regimine, & administratione male, & dolose egit, dilapidando, & distrahendo bona Ecclesiæ, est criminalis, & criminaliter intentanda, vt bene colligitur ex definitione causæ criminalis, quæ est illa, in qua proceditur ad vtilitatem, & commodum publicum, sicut ciuilis est illa, in qua proceditur ad vtilitatem priuatam, vt docent omnes *cum Claro q. 1. §. Quarta, Maranda par 4. initio. Mi-* 112
randa q. 1 n 47. Criminalis ergo est, in qua agitur principaliter de crimine, & principaliter ad vtilitatem publicam; Ciuilis vero, in qua principaliter agitur ad vtilitatem priuatam, licet alias originem habeat à delicto, sed non consideretur principaliter, aut à contractu, *Nauar. n. 31. de Iudiciis. § secundo, qui num. 32.* ait, remotionem ab officio publico esse iudicium criminale, licet non agatur ad pœnam ordinariam, sed extraordinariam. Dicas tu, 114
depositionem ab officio esse pœnam ordinariam in sacris canonibus præscriptam furibus, & aliis dilapidatoribus bonorum Ecclesiæ. Et in hoc nulla est difficultas, quin causa sit criminalis, quando iudex procedit contra officialem dilapidatorem, & furem, cum huiusmodi iudicium ordinetur ad bonum publicum Ecclesiæ. Remotus vero ob culpam negligentiæ, inhabilitatis, ob insitiam non dicitur criminaliter punitus, sed ciuiliter tantum, quia principaliter intendebatur publica vtilitas Ecclesiæ, non punitio culpæ, cum non adsit dolus, *Alexander de Ne-* 115
ao apud Panor. in Addit ad cap. 12. de Simon. Ex qua sequitur, quod sententialiter remotus ob fraudem, & dolum furti, deprædationis, fornicationis &c. fit infamis, non vero remotus ob inhabilitatem, & negligentiam, *glos. V. De lapidatione, cap. Licet Heli 32. de Simon. ex l. fin. C. de susp. tutore.*

Quandocunque ergo constat administratorem male, & dolose se egisse non solum quando constat de vero dolo, sed etiam de præsumpto, tunc agendum est criminaliter, & fur deprædator, & dilapidator puniendus est corporaliter, *Farinac consil 96. num. 2. ad 19.*

Dices contra prædicta, non potest iudex procedere 116
criminaliter, vbi dolus purgari potest actione ciuili ex contractu. *Osasch. decis 137. n. 16 Gratus vol. 2. cons. 71. num. 20. apud Farinac cons. 114. numer. 10. & 11. Vermil. cons. 332. & 358. numer. 6. & 7. Tusch V. Furtum, concl. 564. num. 35. Alberic. apud Farinac. cons. 160. n. 9. vbi,* quod semper cessat actio furti, quando res habuit originem à contractu, *ex eodem Farinac. q. 19. n. 36 & consil. 114. n. 53.* multis aliis allegatis.

℞. Dolum purgari actione ciuili ex contractu, si tria 117
concurrant, *Primo*, quod dolus non transeat in particulare nomen delicti. *Secundo*, quod materia ordinata sit potius ad nulliter contrahendum, quam ad delictum committendum. *Tertio*, quod ex contractu is. qui dolum commisit non fuerit factus locupletior cum damno alieno. *Farinac. consil. 96. n. 19. & consil. 114. n. 61.* In administratoribus autẽ Ecclesiasticis rarissime excluduntur illa tria, vnde ius canonicum congrue illorum dolosam administrationem vocat dilapidationem, alienationem, & venditionem &c. & semper locupletatur cum damno Ecclesiæ, ideo nullus eorum se tueri potest actione ciuili purgando dolosam administrationem. Adde, quod velamen furti non tollitur, quando administrator interceptam Domini pecuniam, vel aliud penes se retinet, nec habet animum illam restituendi, *ex eodem Farinac. cons. 114. n. 62. & cons. 160. n. 2.*

℞. 2. In administrationibus Prælatorum, & eorum of- 118
ficialium maxime apud Regulares non video vsitari inter eos aliquem contractum, sed solum inuentarium, ex quo nulla vtrinque oritur obligatio, cum fiant, vt administrantes cognoscant an sit fidelis dispensator rerum, sibi commissarum, debent autem in Ecclesiis fieri huiusmodi inuentaria præsertim ad conseruationem mobilium Ecclesiarum, & monasteriorum; de inuentariis *cap Longinquitate 64. cap. sæpe 72. cap. Caritatem 45. 12. q. 2. c. 1. & 3. 12 q. 4.* Regulares igitur nullum habent fundamentum velandi furta, & dolosas administrationes in contractibus,

tractibus, qui non dantur ex sola consignatione mobilium per inuentarium, quod nullum in se continet contractum.

119 ℟. Tertio Nolens reddere rationem eorum, quæ sibi consignata fuerunt, negans illa distraxisse, dicitur esse in dolo, & sic tenetur de furto, *Farinac. cons. 86. n. 18. 28. 41. & 342.* Ratio autem cur administrator, & alij, qui contraxerunt ratione depositi, commodati, aut negotiorum gestorum, sunt puniendi est, quia vsus earum rerum non prouenit ex *contractu*, cum non ob causam proprij vsus accipiantur, sed alio fine conuenienti naturæ contractus, aut administrationi, ac proinde illis vtendo transgredientes terminos contractus puniendi sunt, & non tantum obligandi ad *restitutionem*, maxime cum res deteriorantur, & à fortiori cum distrahuntur.

120 ℟. 4. Depositarij, gestorum negotiorum, & alij similes ideo non puniuntur criminaliter, quia Dominus præsumitur concedere eis vsum rei sine tamen deteriorationе, vt insinuat Faber *apud Conar. lib. 3. cap. 15. in fine*; & in depositario censetur translatum Dominium pecuniæ numeratæ ad similitudinem mutui, *Ludouis. decis. 146. num. 16. & 24. Ciarlin. cap. 156. num. 8. qui num. 9.* ait, tunc pecuniam transire in naturam mutui, quando numerata deponitur apud mercatorem, vel pauperem, non diuitem, qui non solet negotiari, remanet enim in hoc formale depositum, *ex allegatis ab ipso, & à Gratiano cap. 174. numer. 8.* Sed in religionibus nullus superior præsumitur dare talem licentiam, cum sit illicita, & cum superior non sit Dominus, sed solum dispensator, eam nullatenus dare potest.

121 ℟. 5. Cum alijs administratoribus, depositarijs, & commodatarijs agitur ciuiliter, quia cum ex contractu se obligauerint ad conseruandas res alienas, & seruare indemnem Dominum illarum, per hoc videntur, sufficienter prouidisse indemnitati Domini, dum propria bona obligauerunt eidem, sicut procurator tacite habet propria obligata bona pro Domino, *Peregr. vol. 6. cons. 38. num. 19. Gratian. cap. 730. num. 10. & cap. 955. num. 5.* Talem autem obligationem dare non possunt religiosi administratores, qui bonis carent, & si aliqui habent liuellos etiam grassiores illos obligare non possunt, cum non sint sui iuris, ideo contra illos solum criminaliter procedendum est.

Quæres 31. An remotus ab officio propter delictum in eo perpetratum per sententiam fiat infamis, per solam remotionem, an vero requiratur punitio, vt incurrat infamiam.

122 ℟. Affirmatiue, *ex Glos. 5. De dilapidatione cap. Licet Heli 31. de Simon. Farinac. q. 19. num. 41.* vbi loquitur de sola priuatione ab officio, nulla facta mentione de alia punitione. Vide cap. 88. q. 41. à n. 54. Remotus autem per negligentiam, & inhabilitatem non fit infamis, ex citata glosa. Solum enim incurritur ob dolosam administrationem, vt dixi etiam supra, n. 110.

CAPVT XCVIII.

De Pœnis Incorrigibilium.

INtentio nostra hic non est agere in vniuersũ de pœnis incorrigibilium, sed tantum in ordine ad religiosos, proinde initio huius tractatus extendam decreta Sacræ Congregationis edita, & publicata de mandato Vrbani VIII. de Regularibus apostatis, & eiectis, tenoris sequentis.

1 *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum Regularium eiectorum, & fugitiuorum statui consulere, illorum scandala summouere, & succrescentem audaciam frangere operæ pretium existimans, auditis superioribus religionum, atq; diligentissimè perpensis, communicato*
2 *etiam consilio cum S. D. N. Vrbano VIII. atque ex peculiari sanctitatis suæ facultate infra scripta decreta edidit.*

Ac primo, vt infecta semina, è quibus praui eiusmodi fructus potissimum procedunt, deinceps ne inferantur in vinea Domini, censuit esse innouandas, & sanctissimi auctoritate innouat constitutiones, & decreta generalia sanctæ memoriæ Clementis VIII. ad regularium reformationem ac nouitiorum receptionem, professionem, atque institutionem spectantia; districteque præcipit Generalibus, atque 4
alijs omnibus ordinum superioribus, vt illa exactè obseruent, atque vt obseruentur efficiant, sub pœnis statutis in eisdem constitutionibus. 3

A quibus tamen excipiendum censuit caput illud, quo 5
decernitur, ne in conuentibus, seu monasterijs ad nouitios recipiendos hactenus designatis, & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis, noui ij ad habitum vllatenus recipi possint, nisi prius à Congregatione reformationis apostolica, vel à proprijs locorum Ordinarijs, expresse, & nominatim approbati fuerint, à cuius quidem decreti obseruatione Sacra Congregatione iussit de causis censuit regulares esse absoluendos, prout auctoritate S. D. N. absoluit, atque exemit.

Deinde, vt apostatandi opportunitas regularibus præci- 6
piatur, statuit, vt de cætero nulli permittatur ad arctiorem religionem transire, nisi prius superiori legitime constiterit, eam religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tamque regularis recta se transferat ad arctiorem, quod vt re ipsa adimpleatur, idem superior omni studio ac diligentia inuigilet.

Rursus statuit, vt fugitiui, & apostatæ, siue habitum 7
regularem deferant, siue non possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt in carceres conijci, ac superioribus regularibus consignari, secundum regularia instituta puniendi, vtque ipsi quoque superiores teneantur illos perquirere, ad religionem reducere, atque efficere, vt apprehendantur, salua tamen in omnibus facultate Ordinarijs locorum attributa decreto Concilij cap. 3. sess. 6.

Quod si apostata huiusmodi &c. Gratiam facio sponte 8
comparentibus intra præfixum tempus à die publicationis, quod cum nunc non faciat ad rem, omisimus.

Ad hæc, vt in posterum è religionibus nullus legitime pro- 9
fessus eijci possit, nisi sit vere incorrigibilis, vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur; Sublatis 10
hac in parte statutis, & constitutionibus cuiusque religionis, & ordinis etiam à sede apostolica approbatis, & confirmatis. Verum etiam vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus. Proindeque vnaquæque religio 11
priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia.

Elapso autem anno si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseuerauerit, ne contagione 12
pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre eijci tandem possit. Sed ab ipsomet Generali 13
tantum de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus religionis, eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus.

Tunque nonnisi instructo secundum eos stilum, & consti- 14
tutiones processu & plene probatis causis expulsionis ad sacrorum Canonum præscriptum.

Interea tamen vsque ad primum Generale capitulum, 15
seu Congregationem proxime celebrandam, si quempiam ex istis, & necessarijs causis expellere oportebit, eiectio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, vt supra, quos idemmet Generalis eligere debeat, infra quatuor menses à præsentis decreti publicatione, seruata tamen in reliquis forma superius præscripta.

Sic vero eiecti quamdiu non redierint ad religionem, in 16
habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint. Proinde generales illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneantur.

Cæterũ S. C. religionũ superiores serio admonet, ac per Iesu 17
Christi viscera obtestatur, vt memores paternæ caritatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum suorum, fere in pro-

fundum

fundum malorum delapsas, antequam grauissimum, atque
18 *extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium & sui officij immemorum prælatorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus in supremo Dei iudicio de eorundem prælatorum manibus sit requisiturus.*

19 *Præterea statuit, vt iidē superiores nemini ex religiosis expulsis, literas testimoniales concedant, illos ad sedem apostolicam reiicientes, vel iubentes aliam ingredi religionem.*

20 *Item, vt eiecti extra religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.*

21 *Ac postremo censuit, esse innouandam, & sua Beatitudinis auctoritate innouat constitutionem fel. rec. Gregorij IX. relatam in cap. fin. extrauag. de Regular. Ac præterea declarat, eam constitutionem in iis quoque vendicare sibi locum, seruandamque esse, qui iuste, definitiueque ac iuris ordine seruato, expulsi fuerint: dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes eorundem emendationis, ex literis saltem testimonialibus Ordinarij, cuius conscientiam in his literis concedendis S. C. serio onerauit.*

22 *Ne qua vero difficultas in suprascriptis decretis, & ordinationibus exequendis suboriatur, S. C. sanctissimo D. N. annuente atq; approbante, vniuersis Generalibus, Prouincialibus, commissariis Ministris, Præsidentibus, &c. & quibus-*
23 *cumque aliis superioribus quorumcumque Ordinum &c. iniungit, serioque mandat, vt illa diligenter obseruent, atque obseruari procurent in omnibus cœnobiis, ac monasteriis &c. Efficiantque vt tam decreta supradicta fidelis record. Clementis VIII. quam præsentes ordinatione in singulis eiusmodi locis bis saltem in anno legantur in publica mensa.*

24 *Si quis vero ipsorum aduersus ea, quæ superius præscripta sunt, vel eorum aliquid quoquo modo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque actiuæ, & passiuæ,*
25 *ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda. Pœnaq; huiusmodi sit Sanctitati suæ, ac sedi apostolicæ reseruata iisdē superioribus etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate penitus interdicta. Et nihilominus sit irritum, & inane quidquid secus à quopiam actum extiterit.*

26 *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis in fauorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, &c.*
27 *Nec non illorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudi-*
28 *nibus etiam immemorabilibus; exemptionibus quoque indultis, & priuilegiis, etiam in corpore iuris clausis. Aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis conces-*
29 *sis; etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis; sub quibuscunque tenoribus, & formis; & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio &c.*

30 Datum *Romæ die 21. Septembris 1624. Cosmus Card. de Torres. Prosper Fagnanus Sacra Congreg. Secretarius.*

Habetur in B. N. sub num. 26. apud Peyrinum de Priuileg. const. 10. Vrbani, fol. 381. Donatum Ordinis Prædicatorum part. 1. tract. 8. quæst. 7. Vt autem rem hanc clare, & regulariter tractemus per quæstiones est procedendum.

Quæres igitur I. An in religionibus sit ius expellendi Incorrigibiles.

31 ℞. Adest, & quidem originem trahens à Iure naturali ac diuino, & humano Ecclesiastico etiam singulorum ordinum.

Primum de iure naturali probatur exemplo membri
32 putridi, quod resecandum est, ne reliquas corporis partes inficiat, & corrumpat. D. Hieron. super cap. 5. Ad Galatas, relatus cap. *Resecanda sunt putrida carnes, & Scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant.* 24. q. 3. Natura igitur ipsa dictat malum esse repellendum, ne bonum conuertatur in malum ex contagione vnius cum alio.

Secundum, iure quoque diuino expellitur Incorrigibi- 33
lis, colligitur ex verbis Domini Matth. 18. 15. Vbi, si correctio non est proficua inter corrigentem, & correctum; secunda vice fit coram testibus, & si non est sortita suum effectum, tertio fit coram superiore, ibi: *Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Ecce quod Dominus mandat, religiosum post trinam monitionem, quæ illi non profuit, debere reputari sicut Ethnicus, hoc est, Gentilis, & publicanus, idest, peccator, & infidelis suæ religioni. De correctione fraterna ad dictum textum plura dixi c. 5. sect. 4. Facit illud Apostoli 1. Corinth. 5. 6. *Auferte malum ex vobis, modicum enim fermentum totam massam corrumpit.* Ne igitur massa bonorum religiosorum corrumpatur, & putredine malorum inficiatur, expellendi sunt incorrigibiles. De hac trina monitione cap. De presbiterorum 2. 3.
17. q. 4. Vbi si monitus non resipuerit, excommunicatur, 34
expulsio autem à religione assimilatur excommunicationi, quia expulsus priuatur omnibus bonis religiosorum, *ex S. Thoma quodlib. 12. arg 73. apud de S. Iuliano cap. fin. Aduers. 3. num. 1. Donatus par. 2. tract. 8. q. 4.*

Tertium de iure communi eiici posse incorrigibiles, 35
supponitur in cap. fin. de Regulat. de quo fit mentio hic supra num. 21. de qua re clarius cap. fin. de statu monach. & in omnibus ordinibus id statuitur in Regulis, vel constitutionibus, vt notat. *Pyr. q. 1. de subd cap. 25. Miranda tom 1. q. 52. Rodriq. Compend. resolut. 57. Sperell. decis. 123 n. 52.*

Quæres 2. Quis dicatur incorrigibilis ad effectum, vt 36
possit eiici extra religionem, quam rite fuerat professus? Dico hoc, quia inualide professi non dicuntur eiici, sed dimitti, professi vero valide tantum eiiciuntur. Nouitij pariter dimittuntur, non expelluntur, expulsio enim arguit coactionem ex causa criminali, dum soli incorrigibiles eiiciuntur ab ordine, quem fuerant professi.

℞. De iure communi ille dicitur incorrigibilis, qui post 37
trinam monitionem, non se corrigit, sed ex quadam sua mala inclinatione permanet in malo. Et sic duo requiruntur, monitio, & permanentia in malo, ad constituendum quem in gradu, & statu incorrigibilitatis, quæ non stat cum emēdatione. Ita ex cap. Cum non ab homine tit. de iudic. Canonistæ ibidem, quos magno numero citāt Barb. ad dictum cap. num. 7. Et licet ibi sermo sit de eiectione clericorum à suo statu, tamen idem dicendum est de religiosis expellendis à statu communitatis, & vitæ religiosæ. Ita omnes infra citandi.

Quæres 3. An vnica sufficiat monitio, an de necessitate tres sint adhibendæ.

℞. Tres sunt adhibendæ, vt docent fere omnes *cum* 38
Donato par. 2. tract. 8 q. 10. Sanch lib. 6. cap. 9. num. 4. Portellus 11. Eiicere, § Secundo Riccius par. 1. decis. 87. Ratio est, quia quis non potest dici incorrigibilis, nisi probetur inobediens præmissa monitione, quæ vnica non sufficit, dum incorrigibilitas importat permanentiam in malo, ergo pluries debet resistere superiori manenti, & sic ret, exemplo deducto à correctione paterna, de qua supra dixi hic num. 33. quod non correctus post tertiam exhortationem, tanquam incorrigibilis traditur Satanæ expulsione à religione.

Quæres 4. An hæc trina monitio debeat esse verbalis, & increpatiua, an sufficiat quod sit realis, scilicet coërcitiua, & punitiua.

℞. Sufficit realis, quod scilicet quis sit ter punitus, 39
ipsa enim punitio satis admonet reum, vt se corrigat, cum pœna non solum coërceat, sed etiam retrahat à malo, si vtiliter eam patiatur. Ita *Pasqualig. ad Franchum numer. 1061.*

Quæres 5. Vt quis eiiciatur, quot delictis debet esse obstrictus?

℞. Quis non dicitur incorrigibilis, nisi plura delicta 40
commiserit

commiserit numero eiusdem, vel diuersæ speciei, si enim trina monitio verbalis, vel realis necessaria est ex q. 3. & 4. sequitur, quod ter deliquerit, vt vnicuique delicto respondere possit propria monitio. Ita *Pasqualig. ad Franchum n.* 1060. contra *Rodriq. tom.* 1. *q.* 30. *art.* 5. *Grassum de effectib. cler. Effectu* 1. *num.* 802. & *Donatum par* 2. *tract.* 8. *q.* 15. Rodrig. tamen loco citato videtur petere triplex delictum, dum adducit ex Regula S. Benedicti hoc his verbis: *Ter egressus monasterio, ad monasterium recipi non debet* cap. 2. Regulæ, sed in art. 18. dicit homicidam eijci posse; sed non placet, quia ex vnico delicto non apparet permanentia, neque perseuerantia in eodem, dum non repetitur, ex dictis q. 2.

Quæres 6. An qualecumque delictum pluries perpetratum sufficiat ad expulsionem.

41 ℞. Delictum debet esse graue, vt pœna expulsionis sit proportionata culpæ; expulsio enim dicitur grauissima, *supra n.* 18. & colligitur *ex cap. Cum non ab homine* 10. *de iudic.* vbi exempli gratia, numerantur furtum, homicidium, periurium, seu aliud crimen. Et in cap. Cum ad monasterium 6. de statu monach. deprehensus habere proprietatem, de monasterio expellatur, regolari monitione præmissa, nec recipiatur vlterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam. D. Pater Augustinus rela. in cap. Nolo 10. 12. q. 1. proprietarios eijcit à religione his verbis: *Quisquis inuentus fuerit habens proprium, non illi permitto, vt inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula clericorum.* Vitium autem proprietatis debet esse de re valde notabili, Sanctorum *in exam. Panal. distinct. cap.* 19. §. *Illud certum*, vbi enumerat alia delicta, vt est contumax inobedientia, scandalosus, carnis lapsus, & ea omnia, pro quibus imponitur grauissima pœna triremium, aut diuturni carceris. *Sarch. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 4 *Pasqualig. ad Franch. num.* 1059. *Peyrin. de subd. q.* 1. *cap.* 25. *cum S. Bonau.* §. *D. tamen, Mirand. tom.* 1. *q.* 51. *art.* 2. *Donatus par.* 2. *tract.* 8. *quæst.* 6. Et alij communiter.

Quæres 7. An huiusmodi delictum graue, & notum religiosis, sed secularibus ignotum induceat pœnam expulsionis.

42 ℞. Inducere, sufficit enim, quod expellendus sit conuictus legitime, vel confessus, hoc enim posito, & condemnatione secuta, delictum, & delinquens dicitur simpliciter notorium, *ex cap. fin. de cohabit. cler. & mulier.* Castropal. *disp.* 4. *p.* 19. *n.* 5.

43 Sanctus Bonau. q. 14. super Regulam apud Peyrinum *q.* 1. *cap.* 25. *D. tamen Mirandam tom.* 1. *q.* 52. *art.* 2. dicit, professum non posse eijci, nisi delicta sint publica etiam secularibus. Forsan, ne scandalizentur laici putantes expulsum esse innoxium, ignorantes eius crimina. Sed cum pro iudice stet præsumptio, quod ille eiecerit incorrigibilem, ista publicitas necessaria non est, sed sufficit, quod ex sententia innotescat.

Quæres 8. An ad incurrendam incorrigibilitatem necessarium sit vt religiosus sit legitime conuictus, vel confessus, aut saltem plusquam semplene delictum sit probatum.

44 ℞. Necesse est, quod sit vel confessus, vel conuictus, plusquam semiplena probatio non sufficit. Primum de confessione constat, quia nulla melior, nec efficacior probatio, quam proprij oris. Secundum de conuictione patet expresse *in cap. Cum non ab homine* 10. *de iudic.* & *ex Decretis supra extensis num.* 14. Ita omnes cum Portellu 81. *Eijcere vers. Nota secundo Peyrin. q.* 1. *cap* 28. *vers. In ordine Minorum*, *Donatus par.* 2. *tract.* 8. *quæst.* 16. *num* 5 *Spachar. par.* 3. *tract.* 10. *c.* 19. *n.* 7. Tertium de semiprobatione vlterius non sufficit, quia cum expulsio sit pœna ordinaria postulat vel confessionem, vel conuictionem stricte acceptam, duorum scilicet testium, qui sint immediate vel oculares, vel auriculares, & de propria scientia deponant, vt dixi c. 5. q. 1.

Quæres 9. An formandus sit processus ad declarandum quem incorrigibilem, & condemnandum in pœnam expulsionis.

℞. Affirmatiue, licet enim processus non sit de substantialibus, tamen sine illo non videtur quis posse condemnari, dum permanenter non constat delictum probatum plene, de qua constantia, hoc est euidentia non nisi per processum formatum iuridice constare potest, ergo processus quasi de substantialibus censetur. Nec dici potest iuridice sententiatus, contra quem non extat processus, sed tantum ore tenus paternaliter, non iudicialiter punitus. Quod autem sit formandus processus dicitur expresse in supradictis decretis, num. 14. ibi: *Non nisi iuridice formandum eorum stilum. & constitutiones processu, & plene probatis causis expulsionis ad sacrorum Canonum præscriptum* Sacri autem Canones obseruantur etiamsi procedant in causa iuxta suas constitutiones, postposito apicibus iuris, sola veritate inspecta, & seruato iuris ordine essentiali. 45

Quæres 10. An iste processus, de quo in præfatis decretis, sufficiat, quod sit formatus postremo, cum agitur in ordine ad expulsionem, itavt si antecedenter præcedentia delicta fuerint punita ore tenus sine processu, sufficiat vltimus processus pro expulsione.

℞. In duobus casibus iudex procedere potest cum solo vltimo processu ad expulsionem. *Primo*, cum religiosus reperitur in fragranti crimine punitus fuit, sine alio processo, id enim fieri potest, quia manifesta non egent probatione, cap. De manifesta 17. 2. q. 1. non enim exigunt ordinem iudiciarium. *Secundo*, talis ordo non est necessarius in fugitiuo, seu apostata, quia satis notorius est religiosi recessus a monasterio, dum non apparet cum alijs horis debitis ad chorum, & mensam. Vtrumque tamen debet apparere registratum in libris actorum superiorum, quibus fides est adhibenda, ex Sanctoro Melfi. *cap.* 19. *in exam. panal. distrit. fol.* 269. Sicut perhibetur libris mercatorum, *Rota par.* 3. *in Nouis, decis.* 416. *n.* 1. & 2. & *decis.* 619. *num.* 1. *lib.* 3. *par.* 3. *Tusch. concl.* 72. *V. Familiaris num.* 3. & Archiuiis publicis, *ex Sigism. de Hemo deis cons.* 82. & libris officialium, *Bertaz. V. libri official.* Ita fere in terminis nostris idem Sanctorus loco citato. 46 47

Quæres 11. An ad expulsionem necessarium sit, quod ter professus fuerit non solum inquisitus, sed etiam condemnatus, & punitus super tribus delictis eiusdem, vel diuersæ speciei.

Resp. Sufficit monitio secundum aliquos apud Pasqualig. num. 1066. iuridice facta; sed meo iudicio videtur necessaria etiam punitio, quia alias non punitus de delicto, dicitur absolutus, vnde incorrigibilis dici non potest, *ex allatis à Riccio par.* 4. *decis.* 102. *fine.* Quod vtrumque petatur in Ordine Minorum docet *Rodriq. tom.* 1. *q.* 30. *art.* 16. *cum suo compend. resol.* 11. *n.* 31. *Donatus par.* 2. *tract.* 8. *q.* 14. *Castropal. disp.* 4. *de voto obed. p.* 19. *n.* 6. Et quod requiratur triplex punitio deducitur *ex cap. Cum non ab homine*, vbi clericus deponitur, excommunicatur, & anatematizatur, ita ex Abbate Panor. super dictum caput obseruat Sperellor decis. 125. à n. 21. ad 30. Et licet ibi sermo sit de clerico seculari degradando, & tradendo curiæ seculari, vt puniatur exilio, vel alia pœna, tamen eadem doctrina applicanda est professis, cum expulsio à religione sit pœna grauissima, *Portell. par.* 1. *casu* 7. *ad* finem, item supra numer. 18. & 41. 48

Quæres 12. An ex positione trium punitionum intelligatur declaratus incorrigibilis.

Resp. Negatiue, sed præterea requiritur formalis declaratio, facta per iudicem; nam Generalis in tantum habet potestatem expellendi professum, in quantum est incorrigibilis, & taliter notus iudici per sententiam, quia qualitas, quæ tribuit ius iudici, debet esse iuridice illi nota, & manifesta, ideo expellendus prius declarandus est incorrigibilis, debet ergo incorrigibilitas transire in notorium per sententiam. Ita *Zabar. super dictum cap. Cum non ab homine* 10. *de indic. vbi Addentes apud Panor. num* 30. *lit. B. &c. cum alijs Sperell. decis.* 125. *num.* 33. referens oppositum aliorum non requirentium hanc declarationem 49

rationem incorrigibilitatis, quia ius ipſum poſt illam trinam punitionem ſatis declarat punitum incorrigibilem; & hæc opinio pleroſque habet fautores apud eundem, & Farinac. q. 8. à n. 51. ſed meo iudicio verior eſt prior opinio, quia accidere poteſt, quod poſt tertium delictum velit ſe pœnitere, & conuerti, vt id clare colligitur ex Decretis ſupra n. 12. *vt notant Donatus par. 2. tract. 8. q. 13. n. 2. & Paſq. n.* 1071. pro cuius confirmatione.

Quæres 13. Quid petant ſupradicta Decreta ſupra ius commune, vt quis vere, & proprie dicatur incorrigibilis? Ex dictis namque colligitur de iure communi requiri ad minus tria delicta grauia eiuſdem, vel diuerſi generis, ſuper quibus reus ſit confeſſus, vel conuictus præcedente trina monitione, & punitione ſingulorum.

50 ℞. Requiritur, vt *vnius anni ſpatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus, elapſo autem anno ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua pertinacia perſeuerauerit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida ac membrum putre eiici tandem poſſit.* Quamuis hæc de ſe ſint clara, tamen ſuper eis quæſtiones fieri poſſunt propter materiam moralem, quæ ex variis accidentibus redditur difficilis intellectu.

Quæres igitur 14. An carcer vnius anni debeat eſſe continuus, ita vt non ſufficiat interpollatus.

51 ℞. Continuus eſſe debet ille vnus annus, tempus enim præſcriptum ſine alia limitatione intelligitur de continuo, Bettacch. V. Annus. Portell. n. 4. Ita *Melfius c. 19. q. 2. verſ. Reſpondeo ſecundo*, Qui antecedenter dixerat, hunc carcerem debere eſſe formalem, ſicut carceres publicos, ac proinde ita clauſum ad extra, vt carceratus nullo modo exire poſſit ſine violentia. Non poteſt ergo iſte annus componi ex diuerſis temporibus, quibus reus fuit carceratus pro diuerſis delictis. Ita *ex S. Cong. Petrus ab Angelis in ſuo ordine iudic. in Addit. 7. §. Ad ſecundū, & §. Proxime.*

Quæres 15. An dicatur continuare annum carceris, ſi aliquando cuſtos ſinit eum exire animi gratia.

52 ℞. Affirmatiue, quia panem pro nihilo reputatur, & non dicitur receſſiſſe in breui reuerſus, ſicut eum qui libere dimittitur cum animo redeundi non ſibi præiudicat, ſecundum *Abbatem in cap. Accedens, de probat. Marſil. in Practica §. Attingam, n. 24.* Ita neque carceratus noſter perdit rationem carceris, licet abeſſet etiam per alterum diem. Idem Melfius *c. 19. q. 2. verſ. Reſpondeo, cum de eſſentia.*

Quæres 16. An infra illum annum fugiens è carcere poſſit declarari incorrigibilis ex hac ſola fuga, præmiſſis tamen aliis delictis iam punitis.

53 ℞. Negatiue S. Congr. apud Peytinum in collect. Decretorum 1. ibi: *Fugientes vero è carceribus, etiam pro huiuſmodi fugæ delicto eſſe puniendos, & poſſe ferrea cuſtodia in carceribus detineri. Petrus ab Angelis cit. §. Ad primum.* Ratio poteſt eſſe, quia incorrigibilitas petit incarcerationem vnius anni, & præterea an poſtmodum ſe emendauerit conſtare debet. Idem tenet Paſq. n. 1007. vbi citat *Belletum par. 2. Diſquiſit. Clerical. tit. de pœnis clericor. §. 23. n. 13.* docentem poſſe declarari incorrigibilē, & eiici quia nullū aliud datur efficax ſignum, quā nolle ſuſcipere pœnas correctiuas. Non placet, quia hoc modo non eſt ſatisfactum formæ huius decreti, quod ad incorrigibilitatem incurrendam petit complementum vnius anni intra carcerem, ſuam facere poteſt fugitiuus comprehenſus. Debet ergo recurſus reficere illud tempus, quo manſit in fuga, ex veriori ſententia Petri ab Angelis cit. §. Verum quia contra Melfium, quia ſufficit continuatio moralis, ne carceratus nimis grauetur vltra annum naturalem. Si non reuertitur talis declarari debet, & expelli poſt annum illum, ſatis enim oſtendit ſuam incorrigibilitatem.

Quæres 17. An damnatus per decenniū ad carcerē, poſſit infra id tempus expelli, ſi reuera eſt incorrigibilis.

54 ℞. Negatiue, quia cauſa finalis expulſionis eſt, ne per cōuerſationē alios religioſos inficiat, & cōtaminet, ſed id efficere non poteſt, dū detinetur in carcere, ergo non eſt eiiciendus, niſi abſoluta carceris decennij pœnitentia. Confirmatur, quia aliter ex ſua iniquitate reportaret commodum, quod manifeſtum eſt abſurdum. Ita Paſqual. quæſt. 115.

Quæres 18. Quale, & quot vicibus ieiunium imponendum eſt carcerato.

℞ Satisfiet decreto, ſi bis in hebdomada ieiunabit mo- 55
re Eccleſiaſtico, non regulari, quatenus aliquando pœnitentibus præſcribitur ieiunium in pane, & aqua. Dico bis, non ſemel, quia in omnibus fere religionibus ſemel in hebdomada ſeruatur ieiunium, ergo alter dies erit pro pœnitentia, & ſic vnus dies coadiuuabit alterum ad ſatisfactionem vtriuſque. Vide Melfium cap. 19. q. 2. Reſp. 3. vbi de hac re.

Quæres 19. Quid importat, quod in carcere, vel carceratus debeat facere pœnitentiam.

℞. Quod præter ieiunium debet aliquando ſuperior 56
ſubtrahere illi vel pictantiam, vel pulmentum, aut vinum, panem quoque arctum, & pauperum illi tradere, interdum ſuper tabulatum requieſcat, vel ſuper ſtratum palleatum, &c. Non probo, quod ait Melfius c. 19. Reſp. 4. iſtum ſemel in hebdomada, vel bis in menſe eſſe increpandum in refectorio. Quia id non eſt in ieiunio, & pœnitentia reū probare in carceribus, ſed extra carceres, contra formā decreti ſic loquentis: *Vnius anni ſpatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus*, ergo non extra carceres.

Quæres 20. Quid concludendum, ſi fere nullum diem ieiunauit, nec plures exegit pœnitentias, numquid finito anno poterit eiici.

℞. Non obſtante ſuperioris, aut cuſtodis tranſgreſſio- 57
ne, adhuc eiici poterit, quia ipſamet permanſio in carcere licet cum paucis ieiuniis, & pœnitentiis complet rationem incorrigibilitatis, dum & ipſe cooperatus fuit huiuſmodi omiſſionibus. Ita *ſentit Melfius c. 19. in fine q. 3. §. Defectum, extremis verbis.*

Quæres 21. An præſumendus ſit incorrigibilis ille, qui eo anno integro ſe bene gerit in carcere ſæpius ieiunando, & pœnitentias libenter agendo ſibi præſcriptas.

℞. Præſumendus eſt correctus, quia ex bonis actibus 58
non niſi bonum eſt præſumendum, arbor enim bona bonos fructus facit, Matth. 7. 17. & ex fructibus eorum cognoſcetis eos, vt ibidem dicitur, carceratus autem dum libenter ſuſtinet, & bene agit non amplius mala arbor eſt, ſed bona, vnde S. Greg. Epiſt. 1. ait, quod bonum præteritum facit præſumere de bono futuro; & ſicut præſumitur de præſenti in futurum in delictis *l. Ex perſona C. de probat. l. ſi hi qui C. de adulter. Mar. Anton. lib. 3. reſol. 40. n. 4.* Ita præſumendum eſt bonum futurum ex præſenti bono.
Paſq. n. 1068. *ad Franchum ex Alphonſo de Leone recol-* 39
lect. 6. de cenſur. n. 318. Donato par. 2. tract. 8. q. 12. initio dicit, hunc habendum eſſe pro incorrigibili, ſi adhuc retinet voluntatem male agendi, quia promptitudo ad exequendas pœnitentias non eſt ſignum infallibile emendationis, cum alium finem habere poſſit, quo inducitur ad ſic bene agendum. Sed in his non eſt immorandum, dum exequimus ignorantes proximi internam voluntatem, quam diiudicare non poſſumus, niſi per externos actus, qui ſi ſint boni, non niſi bonum inferre poſſumus.

Quæres 22. An finito anno probationis ſuæ incorrigibilitatis, ſit declarandus incorrigibilis ad effectum expulſionis? An excarcerandus, vt ex eius libertate cognoſcatur, an ſit emendatus nec ne.

℞. Si ex actibus ſecutis ab eo in carceratione redigen- 60
dis in ſcriptis deducatur perſeuerantia in malo, ſtatim declarandus eſt incorrigibilis, & expellendus ſententialiter, quia ſatis conſtat de incorrigibilitate, vt ſi noluit ieiunare dormire ſuper paleis, ſi impatiēs erat, ſi prorupit in verba impatientiæ, & ſimilia peregit, quæ indicant in eo pertinaciam, & obſtinationē, ac proinde incorrigibilitatē. Quod ſi huiuſmodi, & ſimilia ſigna non dedit, ex accidenti, quia forſan aliud gerebat in corde, excarcerandus eſt, & obſeruandus eſt quomodo ſe gerat, ſi enim viuit religioſe pro emendato habendus eſt, & retinendus in cōuerſatione aliorum. Et dicta confirmantur ex verbis ipſorū decretorum, quæ ſunt hæc: *Elapſo anno ſi nihilominus non reſipuerit ſed animo indurato in ſua pertinacia perſeuerauerit, ne cō agione peſtifera plurimos perdat tanquā pecus morbida, & mē-*
brum putre eiici tandem poſſit quæ verba ſupponunt ſcien- 61
tiam incorrigibilitatis, ac proinde ea declarata eſſe expellendos, ſi Generali placebit, verbū enim poſſit nō importat neceſſitatem.

necessitatem, sed arbitrium, *ex allatis à Barb. hac dict. Possum* 268. *num.* 1. debet tamen expellere, ad quid cum monita pecude alias inficere. Nec his dissentiunt *Melsius cap.* 19. *q.* 4. *fol.* 255. *Pasqualig n.* 1070. subdens, si carceratus, se declarat incorrigibilem, sufficere id in actis red gere, cum se abundanter declaret, & nemo id scit, possit melius seipso, dum interna solus animi sui agnoscat qui cum Donato par. 2. tract. 8. q. 19 ait mittendos esse aliquos patres graues ad carceratum, qui eum intra annû obseruent, an perseuerat in malo, an signa emendationis det, quod non displicet, tamen custos, qui illius curâ habet optimus obseruator iudicandus est. Itaque finito anno, probatus perseuerare in sua obstinatione è carcere sententiatus statim expellendus; si ignoratur emendatio, adhuc excarceratus, & in libertate positus probandus est, & iuxta exigentiam suarum actionum expediendus est, decretum enim vnicum illi annum carcerationis tribuit, & non vlterius. ergo excarcerandus est, vt eiciatur à carcere ad seculum vel vt probetur. non est ergo vltra retinendus, quicquid dicat Melsius ea quæst. t.

Quæres 23. Quid si carcere, & extra ostendit signa, per quæ generalis illum non declarat incorrigibilem, æque proinde expellit, & postmodum aliud graue delictum committit, possit in vim præfati anni carcerationis declarare illum incorrigibilem, & expellere.

62 Resp. Affirmatiue, quia reuera non erat emendatus, sed talem se finge a, dum reuera deprehenditur denuo in crimine, licet misericordia n quærat, ne expellatur, cum reuera sit incorrigibilis probatus ex suo delicto. Petrus ab Angelis *Addit.* 7. *fol.* 308. *vers. Dico tertio, & citat pro se Suar. tom* 4. *de relig. lib.* 3. *c.* 4. *n.* 8. Non est ergo illi credendum sup r præmissa emendatione, maxime in præsenti casu, cû habeat contra se præsumptionem, dum enim ille rigorosus carcer illi non profuit, nec censeri debet fructuosa verbalis emendatio, dum non experitur bonis operibus, iuxta dicta in præcedenti quæstione. Neq; ex hoc professus iste dicitur expelli pro vnico delicto, sed etiâ pro præcedentibus illis tribus annû carceris, ex quo religio ius acquisiuit expellendi illû tanquâ reuera incorrigibilê, qui se fingebat emendatum, ob aliquê finem sibi peculiarem, in hoc enim apparet dolus, & fraus, quod nulli patrocinari debet.

Quæres 24. An expulsi appellare possint.

63 Resp. Affirmatiue, supposito grauamine vel in modo procedendi, non seruato scilicet ordine præscripto iure communi, & in dictis decretis, vel in meritis causæ, vt quia non fuit probatum delictum, vel quia vnicum est, vel quia est leue &c. in his enim cum expulsus dicatur grauatus, sine dubio appellare potest, grauamen enim est fundamentum dans ius appellandi.

Quæres 25. An processus debeat præcedere carcerationem præfixam in decretis.

64 ℞. Affirmatiue circa tertium delictum, cum decreto, & sententia interlocutoria, quod iudex intendit reû tertia vice condemnatum conijcere in carcerem in ordine ad eiectionem ad præscriptum Decretorum, & de hoc debet constare in actis subsequentibus tertij delicti condemnatione. Deinde ex acto carcerationis anno perficiendus est processus continens declarationê incorrigibilitatis & cõsequenter condemnationem expulsionis, citando reû pro vtroque ad respondendum quare non debeat declarari, & condemnari, & audiendus est, si quam habet iustam causam, vt non declaretur, neque condemnetur. Quicquid dicat de S. Iuliano cap. fin. Aduert. 4. numero asserens, ante carcerationem declarandum esse incorrigibilem.

Quæres 26. An sententia expulsionis ita à solo Generali danda sit, vt id alteri delegare non possit.

65 Resp. Non potest delegare, sed per seipsum id præstare debet, vt expresse dicitur in ipsis Decretis sub n. 13. his verbis. *Eijci tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum*;
66 vrget enim illa duo verba, *ab ipsomet & tantum*, nam primum est personalissimû. maximè cum illa adiectione *met* ab ego, quæ significat discretionem. *ab ipsomet .i.* ab ipso per se, & non alium, vt inquit Passeratius in Calepino. Excludit ergo quemlibet alium non expressum in terminis, *ex allegatis à Mar Anton. lib.* 2. *resol.* 43. *n.* 5. *&* 6.
67 Vt verbum *ipse* sit personalissimum alias excludens personalissimum alias excludens personas, necesse est, quod adiunctû habeat aliud pronomê demonstratiuum, vt patet hic, *Bart in l. Gallus, §. Instituens, vers Ad secundum dictû, ff de liber. & post. n.* 3. *Puteus lib.* 2 *decis.* 256. *n.* 2. *Gabriel. de verb. signif concl.* 1. *n.* 47. A fortiori coniunctum cum dictione *tantum* restrictiua, *Barb dict.* 402. *n.* 7. Et ita respon- 68
dit S. Cong. apud Petrum de Angelis in Addit. 7. ad 3. fol. 299. *Pasqual. n.* 1083. *fol.* 303. licet teneat oppositum *n.* 1076. & idem ab Angelis & fol. 354. § quarto, dictus Ab Angelis sentit oppositum ob rationes à se allatas, quia scilicet potestas eiiciendi est ordinaria, & concessa officio generalatus, consequenter delegabilis, in sententia omnium apud Sanch. lib. 2. disp. 4. à n. 13. Vnde ad declarationem, dicit S. Cong. responsum esse probabilissimum. Sed eius opinionem puto erroneam, non solum ex declaratione præfata, quæ amplexanda est, sed etiam ex ipsismet verbis decreti, quæ aperte id indicant iuxta adductâ rationem ex illis verbis geminatis, inferentibus actionem personalissimam alijs non communicabilem.

Quæres 26. An Vicarij generales quorundam Reformatorum, vt Carmelitarum, & Augustiniarum habeant potestatem expellendi incorrigibiles. Affirmat Petrus ab Angelis Addit. 7. fol. 315. §. Hic notandum, referendo ex Bullis Clem. VIII. & Greg. XV. quod isti Vicarij Reformatorum S. Aug habent omnimodam potestatem super suos Reformatos, ac proinde posse expellere incorrigibiles.

℞. Nequaquam id posse facere, tum quia licet id iuria 69
haberent ante publicationê horum decretorum, post tamê non habent, quia renocata fuerunt priuilegia, indulta, & omnes concessiones, quæ poterant obstare his decretis, vt patet sub n. 10. & 26. Tû quia nec Vicarij, nec eorû subditi omnino sunt exêpti à Generali, vt ipsemet Petrus ex Bullis asserit, & ideo vocâtur Vicarij licet Generales, quia subsunt Generali, ad quê solû spectat expulsionis sentêtia.

Quæres 28. An Generalis per seipsum, vt supra, non solum sententiam expulsionis, verum etiam alia præcedentia exequi debeat, processando eiiciendum. faciendo decretum carcerationis, declarando carceratum in fine anni incorrigibilem, vel correctum.

℞. Certum est, processus antecedentes de delictis tri- 70
bus grauibus, quæ debent præcedere carcerationê faciendos esse ab illis superioribus, ad quos de iure spectat, quia decreta de hoc nihil disponunt, immo id videtur colligi ex n. 22. in quo præter generalem nominantur alij superiores, circa illorum obseruationem, ac proinde casus omissus relinquitur dispositioni iuris communis, Regulæ, & constitutionum Religionum. Similiter decretum carcerationis, & subsequenter alterum declarationum incorrigibilitatis præstandum est ab ordinarijs iudicibus ex eorum officio, quia in decretis sola expulsio Generali committitur, illis verbis: *Eijci tandem possit ab ipsomet Generali tantum* ergo præuij actus omnes relinquuntur alijs superioribus exequendi sicut ante emanationem horum decretorum. Vide citatos à Pasqualig. n. 1072.

Quæres 29. An Generalis committendo totam suam potestatem alicui religioso faciendo illum suum Vicariû, seu commissarium Generalem, hac ratione dicatur subdelegasse causâ expulsionis, vel possit expresse sic eâ delegare. Affirmat Melsius c. 19. Difficul. 1. fol. 258. & 259. quia licet huiusmodi causæ specialiter commissæ maiori magistratui, censeatur electa industria personæ, ac proinde delegari non possunt, vt inquit ex Claro q. 41. § Nâ siquidê, nihilominus, cum in nominatione Vicarij, aut Cômissarij Generalis seruetur rigor vocabuli, quia gerit omnes vices Generalis. & non dicatur de Ministro, aut Præposito, aut Correctore, salua remanet dispositio, quod à Generali fiat.

Resp Adhuc nô posse delegari, quia industria personæ, 71
quam Melsius supponit in casu præsenti, cum sit personalissima, & ipsissima. non potest per declarationem etiam totius potestatis communicatæ à Generali suo officiali intitulato Generali Commissario, transferri, & refundi in illum, quia industria non est communicabilis, sicuti ipsa potestas, & iurisdictio, lata enim est differêtia inter vtrunq; nam industria immediate, & per se pendet à conditione, 72
sciêtia, & prudêtia personæ, potestas radicatur in officio, & quâdoq; eius personæ, quæ parû sciês, & minus prudês est.

Quæres

Quæres 30. An Generalis in ferenda huiusmodi sententia expulsionis debeat per se considerare, & speculari acta processus.

73 ℟. Id facere debet non solum per se, sed etiam per illos sex Patres, de quorum consilio, & consensu ferre debet sententiam, ergo necesse est, quod Patres studuerint processum, vt bonum consilium dare possint iudici, qui secundum allegata, & probata ferre debet sententiam. Et in hoc nullus dubitat, quia cæcus iudicare non debet, sed videns, & sapiens.

Quæres 31. An Patres, sine quorum consilio, & assensu, sub n. 13. Generalis non potest expellere incorrigibilem, debeant coram Generali capitulariter congregati, præstare suum consilium, & consensum.

74 ℟. Sacra Congregatio ad textum his verbis: *Processus esse conficiendos iuxta stilum, & constitutiones religionis, & illorum transumptum autenticum esse transmittendum ad singulos sex Patres electos, qui per literas possint votū dare.* Ita refert Petrus ab Angelis Addit. 7. fol. 299. Pasqual sub n. 1083. referens omnia responsa autentica. Nā Aduocati sua consilia transmittunt ad iudicem non comparentes coram eo ad informandum, ita nec isti Patres, qui quasi Aduocati suas consultationes in scriptis mittunt. Melius per congressum capitularem, & multis id probat fol. 259. & vrgent, tamen ad euitandas expensas, & incommoda, sufficienter satisfieri potest per literas.

Quæres 32. Quid continere debeant isti processus, quorum copia mittitur ad consultores Patres.

75 ℟. Vltimus processus, si non per extensum, saltem cōpendiose debet continere substantiam illorum trium processuum, qui supponuntur fabricati antea contra emendendū super tribus delictis grauibus cum decreto carcerationis, & declaratione incorrigibilitatis post expletum carcerationis annum, hac enim declaratione terminatur processus transmittendus illis Patribus, vt ex eius intellectu, consilio, & consensu demum generalis ferat expulsionis sententiam. Pasqual. g. n. 1072. requirit, quod per extensum omnes processus inserantur in vltimo, sed meo iudicio sufficit redigere in compendio eorum substantiam, vt fit in S. Officio, ex quo enim compendio inspici potest veritas facti, & secerni à falsitate.

Quæres 33. An vt generalis ferat sententiam sufficiat consensus maioris partis Patrum.

76 ℟. Affirmatiue ex Responso Sacræ Congreg. his verbis: *Sententiam eiectionis à religione ferri debere saltem de voto maioris partis sex Patrum electorū.* Pasq. sub n. 1083.

77 Ad septimū, Petrus ab Angelis fol. 299. fol. 314 Ratio est, quia factū a maiori parte censetur ab omnibus gestum, *l. Quod 19 ff. ad municip. & de incolis l. 120 ff de regul. iur. c. 1. de his, quæ fiunt à maior.* statur enim dicto maioris partis, *l. Diem 32. §. si plures ff. de recept. arbitr.*

Quæres 34. An Generalis auditis Patrum etiam vnanimi consilio votis contra reum incorrigibilem, teneatur ferre sententiam expulsionis, an id facere sit in eius arbitrio, non obstante illo communi omnium consensu.

78 ℟. Id esse in eius arbitrio, vt bene colligitur ex verbis Decreti sub n. 13. *Eiici tandem possit, sed ab ipsomet generali tantum de consilio, & assensu sex Patrum.* Patres præbent votum, & Generalis solus fert sententiā, si volt, vt
79 docet illud verbum, *Possit*, quod tribuit facultaté, non importat necessitaté, *ex notatis à Ciarlin.* a 18 *n.* 11. Cū ergo Patres nullū ius habeant, in ferenda sententia, Generalis nec ab his decretis cogitur, nec ab ipsis Patribus, cū adhuc illi sint subiecti. Petrus ab Angelis fol. 311. §. Tertio, multa de hac difficultate dicit, confundendo terminos & quādo, an requiratur consensus generalis ad ferendam sententiā, itavt sine illo sit nulla, & affirmat. Puto incongruū sic proponere dubium, cum Generalis non sit comparandus cū Patribus quasi sibi consulens, & consentiens, non enim est membrum, nec secreto proferuntur vota, & in vrnam mittuntur, vt fit in electionibus, sed viua voce, si capitulariter sunt congregati, per literas deferunt sua vota, ideo Generalis cū illis cócurrere nó tenetur, sed potest desistere à sententia, cum à nullo cogi possit ad eam ferendam.

Quæres 35. An in singulis Prouinciis eligi possint illi sex Patres, vel intelligantur consulere pro tota religione.

℟. Possunt eligi pro & in singulis Prouinciis, vt respondit S. Congr. his verbis: *Ad quartum, inhærendo declarationi alias factæ die 9. Aug. 1628. à felicis mem. Vrban. VIII. approbata respondit, sex Patres eligi posse in vnaquaque Prouincia, seu Regno.* Referentibus Petro ab Angelis fol. 299. & Pasq. n. 1083. fol. 303. Ratio est, quia Patres singularum Prouinciarum sunt magis informati, quā sex pro tota religione. Ita sentiunt etiam *Pyrrus ad const. 10 Vrbani VIII. n. 1 Lezana par. 1. c 19 n. 1.* 80

Quæres 36. Quid agendum, quando illi sex Patres non fuerunt electi in capitulo, seu Congregatione generalibus, vt dicitur sub n. 13.

Resp. Sacra Congregatio esse ad eam recurrendum in singulis casibus, & est quintum responsum, apud Petrum *de Angelis fol. 299. Pasqual. fol. 301. vbi subdit de mente eiusdem Congregationis, quod Generalis Ordinis B. Mariæ Mercedis Redemptionis Captiuorum* potuit intra quatuor menses a die 21. August. 1653. auctoritate propria eligere illos sex Patres, in qualibet Prouincia. 81

Quæres 37. Si moriatur vnus ex illis sex Patribus quid agendum.

Resp. Esse recurrendum ad Sacram congregationem, cum is casus sit similis præcedenti. Sed ô Deus bone, quid potest vtilitatis, & consilij dare, cum ignoret eos, cum quibus non conuersatur, sicut facit Generalis qui suarum ouium lanam agnoscit. Quare Petrus *ab Angelis fol. 316. § His*, refert duo remedia, vnū est, quod in Capitulo duo substituantur in casu mortis aliorum. Alterum, quod Capitulum Generale deleget facultatem eligendi alios loco defunctorum ipsi Generali de consilio, & consensu suorum Definitorum. 82

Quæres 38 An electio horum sex Patrū debeat fieri à generali simul cum aliis Patribus vocalibus vt fiunt electiones aliorum officialium, an vero propria auctoritate possit eos eligere.

Resp. Generalem auctoritate propria eligere, & nominare nó posse hos sex Patres sine cōsensu, & requisitione vocalium in capitulo Congregatorum, & id probo ex tenore verborū eiusdē Decreti sub n. 13. *Eiici tandem possit ab ipsomet Generali tantum de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus religionis, eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus.* Obserua illa verba, *eligendis in singulis capitulis*, nulla facta mentione de Generali, neq; Vocalibus ergo vterque concurrere debet ad hanc electionem, quia non alia ratione isti Patres sunt eligendi in capitulo, nisi vt eorum electio sit maturior, & diligentius facta, ergo à toto capitulo, a Generali scilicet, & Vocalibus. Et in hoc casu crederem generalem posse adhibere vocales non omnes, sed tantum singularum Prouinciarum pro vnaquaque Prouincia. 83

Quæres 39. Quales debeant esse isti Patres? An illegitimi, an iuniores &c. eligi possint.

Resp. Debent esse tales magis scientia, & prudentia, quam ætate, quasi senatores in iudicando causas incorrigibilitatis. Non puto autem esse necessarium, quod polleant illis conditionibus, quibus fulgent eligendi in superiores, quia eorum gradus est consilij, & consensus, non autem superioritatis, & prælaturæ, quare illegitimi poterunt assumi maximè præditi in materia criminali. Nō est autem necesse, quod sint Patres Religionis, aut Prouinciæ, cum dicantur Patres scientia, & prudentia, quales forsan quandoque non sunt Patres religionis in hoc genere scientiæ criminalis. 84

Quæres 40. In illis locis, in quibus hæc decreta non fuerunt recepta, quomodo expellendi sunt incorrigibiles. Certum autem est, leges non acceptatas nullatenus obligare, ex allatis à Dian. par. 1. tract. 10. Et in aliquibus non promulgantur sine licentia Principis, & in statu Reipublicæ Venetæ non promulgantur. Quid ergo agendū est. 85

Resp. Recurrendum est ad ius commune, & secundū illud procedere contra incorrigibiles, relicto illo carcerationis anno, quod expeditius est, & minoris incommo- 86

di, vel incorrigibiles condemnare ad triremes per quinquennium, vel decennium iuxta grauitatem, & ex gentiam delictorum. Vide Sanctorum de Melfio cap. 19. q. 7. fol. 172. cum quo sentimus, & Petrum de Angelis in Addit. 7. fol. 317. Vers. Pro cotonide etiamtem præfatum Melfium.

Quæres 41. Punitus de tribus delictis grauibus, si dicat, se esse paratum corrigi, & agere pœnitentiam, numquid expelli poterit *Siluester*, *& Armilla V. Religio* 8. §. 17 ille ... §. fin. dicunt, licere religiosum expellere contemnentem ... correctioni, & repugnantem correctioni.

87 R. Licet repugnet expulsioni dicens se paratum esse ad correctionem, & emendationem, adhuc expellendus est, quia ei credendum non est, cum habeat præsumptionem contra se, quod alia delicta deinceps sit commissurus, sicut non patitur hæretico relapso, qui præsumitur lapsurus, quamuis se gerat catholicum. Confirmatur, quia in pœnis, quæ imponuntur ob bonum reipublicæ, ne aliud damnum incurratur vitetur, non indulgetur delinquenti etiam de præsenti dicenti se bene dispositum esse, alter nullus puniretur, quilibet enim ad pœnam euitandam se emendatum ostenderet. Ita *Castropal. disp. 4. de voto obed. p. 19. num. 4.*

88 Quæres 42. An generalis possit expellere incorrigibilem facti, quamuis non sit incorrigibilis de iure? Incorrigibilis autem de iure ille dicitur, qui ter punitus fuit de grauibus delictis, & per annum manisit in carcere, vel probaretur super eius incorrigibilitate, iuxta superius dicta. Incorrigibilis vero de facto ille dicitur, cuius delicta quanuis grauia, iuerunt dissimulata ex affectione, vel non punita, propter nullitatem processus, vel quia non potuerunt probari. Quæstio ergo est, an si vnum graue delictum ad minus sit probatum, possit expelli.

89 R. Ante publicationem horum decretorum poterant expelli etiam ex vnico delicto e. g. homicidij grauissimo, & atroci, extabant enim priuilegia id concedentia, vt videri potest apud *Azor. tom. 1 lib. 12. c. 16 q. 3. Sanch. lib. 6. c. 9 n. 5. Castrop. al. Disp. 4. de voto obedient. p. 19. num. 7. Rodriq tom. . q. 30. art. 15. Mirandam tom. 1. q. 58 art. 2. concl. 1. Portel 11 Encerem 4.* Qui omnes scripserunt ante huiusmodi decreta, quæ sustulerunt quo ad hoc statuta, & priuilegia religionum; quare deinceps illi ener non possunt, nisi probentur incorrigibiles de iure ter puniti, nec sufficit, quod carcerentur ad formam horum decretorum, si vnicum commiserunt delictum grauissimum & atrox.

90 Alphonsus de Leone de censur. recoll. 6. v. Encerc n. 314 dicit, expelli posse probatum in carcere per annum, qui vnum tantum commisit delictum grauissimum apud Pasqual. n. 1065. Probat, quia decreta non excludunt incorrigibilem de facto, dum vere est incorrigibilis, nisi sit talis ex dispositione iuris, hæc tamen verba non ponuntur ad excludendam incorrigibilitatem facti, quam ponebant statuta aliquorum Ordinum, sed recipiunt declarationem, & restrictionem a subsequentibus verbis: *Sublatis in hac parte statutis* Secundo probat, quia etiam incorrigibilitas ex facto est secundum iuris dispositionem, enim in ipso habeat fundamentum, nam in cap. fin. de statu Monach. dicitur: Quos contumaces inuenerint, & rebelles iuxta modū culpæ vice nostra eiicient. Sequitur hunc Pasqual.

91 Respondetur ad primum, falsum omnino esse non excludi incorrigibilitatē de facto, cū ea enim ornatur ex statutis, & priuilegiis Pontificum, quæ concedunt propter vnicum grauissimum, & atrox crimen posse eiici delinquentem, qui præsumitur de malo in peius ruere sine spe emendationis in graue iudicium reipublicæ religiosæ, hinc est, quod priuilegia fuerant concessa superioribus cōsiderando simpliciter bonum publicum sine vllo respectu ad bonum priuatum delinquentis; Summus Pontifex Vrbanus VIII. volens consulere vtrique, & religionibus, & eorum professis mandauit seruari decreta sublatis omnibus statutis, & priuilegiis, quæ cum loquerentur præcise de incorrigibilitate facti, ideo ē contra Leonem, eam omnino exclusam esse ab his decretis. Secundum vero eius argumentum reuera nihil concludit, ex quo enim

dictæ duæ incorrigibilitates diuersæ sunt, vna iuris, altera facti, non possunt in eandem recidere, vt recideret, si incorrigibilitas facti est talis secundum dispositiones iuris communis, quod esset pugnantia, incorrigibilitas ergo iuris procedit secundum suam formam a iure communi, & ab his decretis. Incorrigibilitas vero facti prouenit ex 92 statutis, & priuilegiis, quibus sublatis per huiusmodi decreta, excluditur etiam ab eisdem incorrigibilitas facti. Nec quidquam faciunt pro Leone illa verba *Contumaces, & rebelles*, quia contumacia, & rebellio in materia, præsenti intelligenda est ad formam, & intellectum *cap. Cum non ab homine* 10. *de iudic.* Vna enim lex aliam declarat, *l. Non est dubium ff. de legib. l. sed & posteriores, cod.* Expedit enim iura iuribus concordare, cap. Cum expedat 29. de elect. in 6.

Et ex his puto esse satisfactum rationibus Melfij, qui fol. 93 247. sequitur de Leone, & fol. 256. §. An autem, nec vrget, quod quis de iure commum possit dici contumax ex vnica monitione æquiualenti tribus, quia alterius generis est monitio in Ordine ad obedientiam, quæ ex natura rei refertur ad vnicum delictum, aliud est monitio in ordine ad emendationē incorrigibilis, quæ debet esse trina, vt cognoscatur, an præsumptus incorrigibilis perseueret ea. Ibus sequitur *Petrus de Angelis in Addit. 7. fol. 310. § Fateor & Donatus par. 1 tract. 8. q. 11. n. 9.*

Quæres 34. An statuta ordinum, & priuilegia Pontificum concedentia facultatem eiiciendi incorrigibiles de facto sublata fint? Quamuis ex dictis mox, apparet eorum reuocatio, tamen quia Gibalinus apud F. Franciscum 94 de S. Iuliano Ordinis Discalceatorum S. Trin. Redempt. Captiuor. in suo Tribunali Regulari cap. fin. Aduert. 4. num 13. negat huiusmodi reuocationem, quia priuilegiorum non meminit, & quamuis meminisset cum plerisque & fere omnia indigeant derogatoriorum derogatoriis, & nullam huiusmodi clausulam apponat, decretum illis non derogat. Secundo sub in, explicari tantum ea, quæ ad incorrigibilitatem ex iure communi petuntur, ex illis verbis: *Præterea qua ex iure communi postulantur, se addere annuum carcerem.* Quare non agit de his quæ iure naturali, aut priuato constituuntur. *Tertio*, sit dictum decretum scilicet de eiectis nullam vim habere, nisi eo modo promulgetur, quo constitutiones Pontificiæ promulgantur. *Quarto*, cum vix de illo autentice constet, & vsus ipsi non consentiat, non officit his, quæ nuper sunt stabilita ex variis Pontificum indultis. Hæc ille inquit de S. Iuliano. Quibus non obstantibus tanquam falsis & improbabilibus.

R. Omnino certū, & clarum esse, statuta Ordinum, & 95 priuilegia Pontificum de eiiciendis incorrigibilibus sublata, & reuocata fuisse, vt expresse dicitur in eisdem Decretis de eiectis, & Apostatis his verbis sub n. 10. *Sublatis in hac parte statutis, & constitutionibus quibuscunque vel quonis & ordinis, etiam à sede Apostolica approbatis, & confirmatis.* De derogatione vero priuilegiorum habes sub n. 26. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcunque personarum, atque ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium.* Et infra sub n. 29. *Sub quibuscunque tenoribus & formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, et non irritantibus decretis* &c. Ex quibus verbis efficacissimis, manifeste patet omnibus priuilegiis, & statutis fuisse derogatum, ac si ipsa statuta, & priuilegia fuissent ad verbum expressa, & reserpta in hac Bulla de eiectis registrata in B. N. sub n. 26. cum cæteris constitutionibus Clementis VIII. affixa, & publicata locis solitis anno 1624. die 26. Octobris. Ex quibus omnibus apparet, quam inepte locutus sit Gibalinus.

Ad primum igitur dico me non inuenisse clausulam 96 derogatoriam in priuilegiis Pontificum contra eiectos, & si aliqua ea meminerunt clausula, certe sublatus per aliam efficaciorem expressam in dictis Decretis, vt patet eam legenti, non enim antecessor potest absolute ligare manus successoris, & si in aliquo ligat, potest seipsum soluere expressione clausulæ derogatione derogatoriarum. *Gonz. Reg. 8.*

Reg. 8. Cancell. Glos. 36. numer. 9. Barb. Claus. 43. n. 17. & 18.

97 Ad secundum, verum quidem est, quod legislator disponit de incorrigibilibus secundum ius commune, nihilominus derogat statutis, & priuilegiis, vt visum fuit, quæ obstare possunt huic præsenti formæ & sic tollit facultatem eiiciendi incorrigibiles de facto, qui ideo expelli non possunt, mittantur ergo ad triremes.

98 Ad tertium patet ex supradictis, Bullam de eiectis reuera fuisse promulgatam.

99 Ad quartum patet, non esse simplex responsum sacræ Congregationis, sed Pontificiam Bullam, & constitutionem ab eadem sacra Congregatione compositam, & à Pontifice approbatam, vt patet legentibus illam.

100 Obseruo vnum, plura priuilegia à me visa concedere quidem facultatem Generalibus, & Prouincialibus eiiciendi incorrigibiles, sed non explicare conditionem incorrigibilitatis, nec quinam dicantur incorrigibiles, ergo nomine incorrigibilium, qui poterant eiici vigore priuilegiorum, veniunt incorrigibiles de iure antiquo, ac proinde eo attento, & nouo harum constitutionum non datur hoc genus incorrigibilitatis de facto, consequenter derogatio illorum, & statutorum ordinum refertur ad id quod deinceps Prouinciales non possunt eiicere illos, sed solum Generalem post vnius anni carcerationem, & de consensu illorum sex Patrum.

Quæres 44. An vnico processu confessus, vel conuictus de tribus grauibus delictis punitus, & carceratus per annum ad formam horum decretorum possit declarari incorrigibilis, & expulsabilis.

101 ℟. Non posse declarari incorrigibilem, quia cum incorrigibilitas sit permanentia in malo à non volente se corrigere, necesse est, quod non semel, sed pluries fuerit monitus saltem ter, vt dixi quæst. 2. 3. & 4. *Peyrinus de subd. quæst. 1. cap. 35. §. Hic solum Sanchez lib. 6. cap. 9. numer. 4. Tamb. tom. 3. disp. 8. quæst. 7. numer. 7. Pellizar. tract. 8. cap. 8. numer. 2. Bonac. quæst. 2. de clausura p. 12. §. 1. numer. 6. Lezana cap. 23.*

102 *num. 5.* In casu autem præsenti non fuit ter monitus, ergo non potest dici incorrigibilis, licet possit dici contumax ex vnica monitione, cui non obediuit, ea enim non postulat perseuerantiam, sed sufficit vnica resistentia, incorrigibilitas vero propter permanentiam, & iterationem vnica monitione incurri non potest.

Quæres 44. An huiusmodi decreta de Eiectis sint

103 vsu recepta.

Resp. Cum id sit quid facti, sunt interrogandi superiores Ordinum; quod si in capitulis, seu Congregationibus Generalibus non elegerunt hos sex Patres, manifestum est, non fuisse recepta, stante etiam rationabili causa non contemnenda, nam illa vnius anni carceratio est valde incommoda, & dispendiosa religionibus, maximè cum eo anno finito, simpliciter expelli non possit, nisi permaneat in sua pertinacia, ex dictis sub quæst. 25. Vnde melius est, & expeditius hos mittere ad triremes, quia confusi in tot miseriis meliorem forsan & efficaciorem inuenient emendationem.

Quæres 46. Quomodo Generalis debeat notificare Episcopo sententiam expulsionis, & cuinam Episcopo? Habentur autem sub num. 16. hæc verba: *Proinde Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare tenetur.*

104 Resp. Satisfit adæquate huic notificationi, si copia ipsius sententiæ subscriptæ à Generali, vel eius Actuario transmittatur ad Episcopum, sub cuius iurisdictione eiectus mansurus est, seu alteri Prælato Ordinario habenti territorium. Donatus par. 2. tract. 8. quæst. 18. ait, sententiæ copiam tradendam esse ipsi incorrigibili damnato. De hac re ne verbum quidem sit in decretis, in quibus sub num. 19. *Statuit, vt iidem superiores nemini ex religiosis expulsis literas testimoniales concedant, illos ad sedem Apostolicam reiicientes, vel iubentes aliam religionem ingredi.* Ergo nec est obligatio dandi illi copiam sententiæ, satis enim scit, se expulsum fuisse. Sed cur statuit, non esse illi dandas literas testimoniales, nec præcipiendum transitum ad alium ordinem; Hæc est, quia non amplius superior regularis habet super eiectum potestatem, functus enim est officio suo, ex quo desinit esse illius subditus.

Quæres 47. An pœnæ latæ iam contra incorrigibiles in carcere exequendas, quam contra superiores non exequentes id quod præscribitur in illis decretis obligent in conscientia, & ante sententiam.

℟. Primo Carceratos teneri in conscientia ieiunare, & pœnitere, quia iam sententia carcerationis lata est, cum omnibus suis circunstantiis, & in hoc nulla est difficultas. Transgressionem autem non puto nisi venialem. 105

℟. Secundo. Pœnas inflictas contra superiores non obligare in conscientia, nisi post sententiam, vt in terminis docet de S. Iuliano cap. fin. Aduert. 4 n. 9. & 30. & generaliter idem docui supra cap. 94. numer. 35. 66. ad 73. Nec obstat, quod sint reseruatæ sedi Apostolicæ, quasi supponantur incursæ ante sententiam, quia reseruatio afficit solum post latam sententiam, quia tunc incipiunt afficere transgressorem cum reseruatione. Quænam autem sint istæ pœnæ. Lege eas supra sub num. 34. 106

Quæres 48. Per quasnam transgressiones, & actiones contra dicta decreta incurrantur illæ pœnæ.

Resp. Colligi ex verbis illis: *Si quis vere ipsorum* &c. 107 Superiorum, *aduersus ea, quæ superioris præscripta sunt, vel eorum aliquid quoque modo facere, vel moliri præsumpserit ipse facto pœna incurrat* &c. Sunt ergo duæ actiones, facere scilicet, & moliri contra Præscripta in decretis, cum præsumptione, & temeritate scienter scilicet operando contra ipsamet decreta. Quamuis *facere* & *moliri* idem quandoque significent, tamen differunt hic, nam facere importat actionem factam sine industria, sed de plano; *moliri* vero denotat actionem factam cum industria, & artificio, machinatione, seu excusatione, & quæsito colore, vt colligitur ex cap. Quia ex eo 3. de Pactis in 6. ibi: *Infringere conantur.* Fratres Mendicantes cum Curatis nonnulla pacta fecerant circa iura parochialia, & postea infringere moliebantur, hoc est quærebant artificiose eadem rescindere.

Incurrunt ergo pœnas ibi expressas illi superiores, qui 108 in causa expulsionis transgrediuntur formam præscriptam in his decretis, vel non formando processum legitimum, vel expellendo non ter monitum, vel non punitum, vel non carceratum per vnius anni spatium, vel non consulendo Patres, vel non tradendo copiam sententiæ Ordinario. *Pelliz. tract. 8. c. 8. n. 40.*

Quæres 49. Cuinam Episcopo subdatur eiectus.

Resp. *Eiecti quandiu non redierint ad religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint.* Sunt verba Bullæ, seu Decretorum sub 109 n. 16. Nomine *Ordinarij loci* venit Episcopus, *Glos.* 11. 110 *Ordinarie extrauag. vn. de Præbendis*, & etiam Prælatus Nullius, cum habeat proprium locum, & territorium, licet esset regularis. An autem subesse debeat Ordinario loci suæ originis, vel Domicilij antiqui ante ingressum Ordinis? Nihil colligitur ex tenore supradictorum verborum, quæ indefinite exprimuntur, quare remanebit sub iurisdictione illius Ordinarij loci, vbi Domicilium eliget, vt debet facere ad eum effectum, vt Generalis possit transmittere ad illum Ordinarium copiam sententiæ. Iterum infra q. 57.

Quæres 50. An expelli, possint sub conditione; & iussione vt transeant ad alium Ordinem.

Resp. Negatiue, quia id prohibetur sub num. 19. his 111 verbis: *Statuit, nemini ex religiosis expulsis iubeant aliam ingredi religionem.* Licet olim extiterint priuilegia hos cogendi ad ingressum alterius religionis, vt notant *Pasqualig. numer. 1077. & Donatus par. 2. tract. 8. quæst. 29. Pelliz. tract. 8. cap. 8. numer. 15.* Ratio est, tum quia nemo cogi potest ad assumendum alium statum, cum libere tantum eligatur. Tum quia iudex suo officio functus

functus, non amplius habet poteſtatem ſuper expulſum, quem a ſua iuriſdictione alienauit, factum immediate ſub poteſtate Epiſcopi, cum autem executio adimplendi conditionem non ſit ſub poteſtate iudicis, hinc ſequitur, non poſſe in ſententia, expulſum obligare ad ingreſſum alterius ordinis, quia obligatio, & eius executio pertinere debent ad eundem iudicem, & ſuperiorem.

Quæres 51. An eiectus propria auctoritate tranſire poſſit ad alium ordinem.

112 ℟. Affirmatiue, quia per eiectionem extincta eſt omnis obligatio reſpectu prioris Ordinis, ergo ac ſi eſſet laicus poteſt tranſire; ſi enim poteſt manere in ſeculo, à fortiori ingredi alium ordinem. Ita *Nauar. conſil. 78. de Regul. Rodriq. tom. 1. q. 30. art. 21.* Etiam poſt hæc decreta *Pellizar. tract. 8. c. 8. num. 17.* non obſtantibus illis verbis ſub n. 16. *Sic vero eiecti, quandiu non redierint ad religionem, in habitu clericali incedant.* Quia expulſum non obligant ad redeundum, ſed ſtatuunt, non redeuntem, debere incedere in habitu clericali ſub iuriſdictione Ordinarij, & faciunt hunc ſenſum, ſi eiecti nolunt redire incedant cum habitu clericali quandiu non redierint;

113 dictio enim *quandiu* importat conditionem, *l. Pater 100. §. fin. de condit. & dem. l. Legatum 17. ff de annuis legat. l. Caio 13. §. Imperator ff. de alim. legat.* Limitat quoque tempus, *Bart in l. ſi mihi ff. de verb. obligat. n 6. ibidem Iaſon. num. 12. Anton. Menach. deciſ. Florent. 50. num. 15. Anchar. conſ. 220. num. 2.* Iſta autem limitatio non tollit libertatem manendi in ſeculo, nec coarctat ibi manere vſque ad determinatum tempus, cum nullatenus determinetur ex illis verbis, vnde in ſeculo manere poteſt etiam per mille annos, & vltra, vt dixit in alio caſu *Octauianus Vulpell. de propoſit. & Aduerb. ſub dict. Qualitercunque verſ. Quandiu pag. 86. apud Barb. hac dict. 316.* Quare ſicut perpetuo poteſt manere in ſeculo, & non redire, ita & poteſt ingredi alium ordinem pro ſua libertate. Contrarium poſt decreta ſentiunt *Lezana tom. 1. cap. 13. n. 10. cum aliis Paſqualig. numer. 1077. Donatus par. 2. tract. 8 q. 57.*

Quæres 52. An iniuſte expellens peccet mortaliter, faciat contra iuſtitiam, & incurrat pœnas de quibus ſub

114 q. 47. & 48. Quis iniuſte dicitur expelli, quando non ſeruatur forma iuris communis, & horum decretorum, quod tunc accidit, cum expellitur ſine proceſſibus, vel cum illis, ſed non ſeruato ordine iuris eſſentiali, vel non ter monitus, nec ter punitus, vel non conuictus inconfeſſus, non carceratus, non declaratus incorrigibilis, vel negatis defenſionibus, vel non admiſſa appellatione.

115 ℟. Peccare mortaliter, facere contra iuſtitiam, & incurrere pœnas decretorum.

116 Primum de peccato conſtat, quia in re graui non ſolum facit iniuriam proximo, ſed etiam illi maximum infert damnum priuando illum iure ſuo. Ita Donatus par. 2. tract. 8. q. 53.

117 Secundum de iniuſtia probatur, quia profeſſio eſt quidam contractus, per quem religio ſe obligat alere profeſſum, dum intra religionem manebit; & vice verſa profeſſus promittit ſe illi inſeruire, dum in ea perſeuerauerit, ita omnes cum *Nauar. conſ. 26. de Regular. Azor. part. 1. lib. 12. cap. 4 q. 5. Sanchez lib. 7. diſp. 25. num. 11.* omnes autem contractus fundantur in iuſtitia, quæ mandat vnicuiq; dandum eſſe, quod ſuum eſt, ergo præcipit, vt religio ſtet promiſſis cum ſuis profeſſis, ergo expellens illos iniuſte facit contra iuſtitiã non ſeruando illis promiſſum. Quare tenetur expulſum recipere, & alere cum aliis, reſtituendo illũ iuri ſuo, quo fuit inique priuatus. Ita omnes *cum Pan. in cap. cum dilecta, de reſcript. Nauar comment. 1. de Regular n. 33. Donatus par. 2. tract. 8. q. 53.* vbi q. 54. ait, eſſe reſtituendum ad ſuos honores, & gradus, quando ſententia fuit iniqua, ipſo enim iure eſt nulla, nullum producens effectum, potius vocanda violentia, quã ſententia, *ex Gratiano c. 455. n. 6.* Quod ego puto verum in caſu, quo demeritis caret, dari enim poteſt caſus, quod nulla ſit ſententia ex nullitate proceſſus ex aliquo eius defectu, & quod reus tenera ſit culpabilis, & probatum eius delictum.

Tertium, quod incurrat pœnas, probatur ex dictis ſub quæſt. 48.

Quæres 53. An expulſus ſiue iuſte, ſiue iniuſte teneatur ſe emendare, & redire ad religionem? Et pariter ſuperiores teneantur eos requirere & recipere in religionem? Vide in fine huius quæſtionis quid debeat, tenere in conſcientia.

Reſp. Quamuis electus iuſte teneatur ſe emendare, vt quilibet alius peccator, tamen in ordine ad regreſſum id facere non tenetur, cum non habeat obligationem redeundi; conſequenter nec ſuperiores tenentur illum requirere, nec ſe præſentantem recipere, niſi in caſu iniuſtæ expulſionis, in quo & ipſe tenetur redire, & religio recipere. 118

Primum, quod non teneatur redire iuſte expulſus, probatur, quia ſententia expulſionis de ſe eſt perpetua, neque enim incorrigibilis expelli poteſt ad tempus, quia temporis limitatio arguit ſpem emendationis, quæ magis experiri poteſt in clauſtro, quam in ſeculo, *ex Nauarro Leander in cap. 2. Regula S. Franciſci in fine apud Paſqual. numer. 1064.* ergo perpetuo debet obedire ſententiæ à ſe acceptatæ, ac proinde non tenetur redire. Sicut degradatus non tenetur redire ad exercitium Ordinum, ita nec religioſus redire ad munera clauſtri, cum dicatur degradatus ab ordine, & ſtatu regulari. Demum per expulſionem abſoluitur ab obſeruantia regulari, ergo non amplius habet vinculum ad eam, conſequenter neque ad redeundum, vt ad eam teneatur. Ita Nauar. *tom. 1, de Regul. num. 16. conſil. 18. 64. & 80. Rodriq. tom. 1. quæſt 30. art. 10. Sayrus in Theſauro lib. 6. cap. 9. n. 26. Azor. tom. 1. lib. 12. c. 16. q 6. & c. 17. q. 1.* quos contra ſe citat Caſtropal. *diſp. 4. p. 21. n. 4.* alios citat Diana reſol. 60. non teneri. 119

Contrarium, quod expulſus iuſte, & non ſolum iniuſte, teneatur redire, ſuſtinent *Sanchez lib 6. cap. 9. numer. 23. & 30. Suarez tom. 4. de releg. lib. 3. cap. 5. numer. 4. Leſſius lib. 2. cap. 41. numer. 111. Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 13. quæſt. 3. quos pro ſe citat dictus Caſtropal. num. 5.* & vocat probabiliſſimum, ſequitur cum aliis Donatus par. 2. tract. 8. q. 25. Probant tum ex cap. fin. de Regular. vbi Papa mandat requiri non ſolum fugitiuos, ſed etiam eiectos præcipiendo, vt eos compellant ſub excommunicatione redire ad clauſtra, quod Papa non faceret, ſi non eſſent obligati reuerti. Tum quia eiectus adhuc remanet religioſus ſub tribus votis, ergo tenetur redire ad vitam communem, qua ſubſtantialis obligatio ſcilicet, votorum conſeruatur. Confirmatur id totum ex 120

verbis ipſis, decretorum ſub num. 11. his verbis: *Ac poſtremo cenſuit eſſe innouandum, & ſua ſanctitatis auctoritate innouat conſtitutionem felicis recordationis Greg. IX. relatam in cap. fin. extrauag. de Regul. Ac præterea declarat, eam conſtitutionem in iis quoque vendicare ſibi locum, ſeruandamque eſſe, qui iuſte, definitiueque ac iuris ordine ſeruato expulſi fuerint; dummodo tamen in expulſis huiuſmodi ſubſit ſpes eiuſdem emendationis, ex literis ſaltem teſtimonialibus Ordinarij, cuius conſcientiam in his literis concedendis ſacra Congregatio ſerio onerauit.* 121

Reſp. Ad cap. fin. dupliciter. *Primo*, illud obiiſſe in 122 diſſuetudinem, quia experientia conſtitit apud ſuperiores melius eſſe eos non requirere, neque ſe præſentantes recipere, neque enim meliores erant effecti in ſeculo, quam intra clauſtra, ſed peiores, licet ob fines proprios ſe gererent vt emendati pro eo tẽpore, vt reciperentur quorũ emendatio poſtmodum ficta fuit experta ex eorum mala ſubſequens vita. Sublatum ergo fuit illud caput per cõtrariam conſuetudinem, & illius non obſeruantiam. Ita nonnulli apud Azor. *par. 1. lib. 12. cap. 17. q. 2. Sanchez lib. 6. cap. 9. numer. 18.* quod placet Barboſæ ſuper dictum cap. num. 3. *Secundo* alij dicunt, illud caput loqui ſolum de eiectis iniuſte quos ſuperiores tenentur requirere, & illi ſe emendare, & redire ad ordinem, ſic

dictante

dictante iure naturali, vt vnicuique restituatur ius suum, eiecti enim iniuste dicuntur spoliati, ideo restituendi, & quærendi sunt à superioribus, non autem iuste eiecti, non enim eiiciantur, vt restituantur aliquando, cum non dicantur spoliati. Et hæc est communior opinio, *Nauar. com. 2. de Regul. numer. 36. & cons. 78. de Regular. Rodriq. tom. 1. q. 30. art. 17. cum aliis apud Barb. cit. n. 3.*

Ad rationem respondeo, esto remaneat religiosus, quia
123 expulsio enim non spoliat ab essentiali statu religiositatis, cum votum professionis duret vsque ad mortem; secundum omnes, quos magno numero refert Barbosa ad dictum *cap. num. 10. Sanch. lib. 6. cap. 9. numer. 27. Miranda tom. 1. quæst. 52. art. 5. compend. Rodriq. resol. 57. numer. 6. Donatus par. 2. tract. 8. quæst. 22. vbi plures citat. Pasqualig. ad Franchum num. 968.* qui num. præcedenti retulerat opinionem asserentium, eiectos iuste desinere esse religiosos, & non amplius esse religionis membra, citans Nauarrum, Azorium, Rodriquez, & Sorbum. Sed reuera religiosi remanent, quia sententia expulsionis eos tantum priuat cohabitatione, cum aliis, & consequenter disciplina claustrali, & habitu, cum priuatione exercitij ordinum. Esto, inquam, remaneat religiosus adhuc non tenetur reuerti, quia obseruantiam necessariam quo ad obligationem votorum extra seruare potest, de castitate
124 nullus dubitat, nec de obedientia, quia tenetur obedire Ordinario, sicut alij clerici seculares, quorum vestem gestare debet, non regularem, ne opprobrium sit statui ordinis. Obedientia autem præstanda Ordinario non est sub voto, cum illi professionem non emiserit, sed tantum su-
125 perioribus regularibus, *Portellus v. 1. Eiicere in Addit. num. 6 Cespedes dub. 315. num. 3. Barb. ad cap. fin. de Regul. num. 15. cum aliis Pasqualig. num. 964.* contra Suar. *tom. 4. lib. 3. cap. 6. num. 4.* Votum igitur obedientiæ remanet in eiecto quo ad habitum respectu superioris regularis, & quo ad exercitium simplicis obedientiæ transit in ordinarium, *Cespedes cit. dub. 315. num. 4. Pasqualig. num. 977.* Quoad votum Paupertatis habent vsum bonorum ampliorem, quam qui sunt in claustris, id enim illis est ne-
126 cessarium, vt viuere possint, & id clarum est, dum enim Pontifices Romani disponunt, vt eiectorum bona quæcunque acquirantur cameræ Apostolicæ, censentur illis concedere vsum non tantum facti, sed etiam iuris, quod non repugnat huic voto Paupertatis, cuius intrinseca, & inseparabilis ratio est, vt dicat incapacitatẽ ad sibi acquirendũ, manet ergo votum quo ad abdicationem proprij, & incapacitatem sibi acquirendi, non quo ad vsum etiam iuris sibi necessariũ extra claustra. Ita communiter omnes cum *Rodriq. q. 30. art. 29. Sayrus in Claui lib. 6. c. 9. n. 18. cum aliis Pasqual. n. 995. Barb. in dictum c. fin. n. 12.*

127 Ad confirmationem, in quo tota est difficultas, respondeo, ex illis verbis colligi, innouationem illius capitis non aliud importare, nisi confirmationem eiusdem capitis, quod cum antea non subsisteret, cum illi fuerit derogatum per contrariam consuetudinem, nec modo per hæc decreta vires recepit, quia innouatio ius nouum non tri-
128 buit, sed vetus, si existit, confirmat, *ex allegatis à Sanch. lib. 6. cap. 1. numer. 26. Rodriq. tom. 1. quæst. 8. art. 3. § quod* Sicut enim iuramentum præstitum seruandi statuta quædam non obligat quando ea abierunt in dissuetudinem,
129 quia iuramentum intelligitur factum de solis statutis, quæ reuera obligant, de communi *Sanch. lib. 3. cap. 14. num. 8.* Ita innouatio capitis finalis obligat, si antea obstringebat, non enim est maior vis in vno, quam in alio. Adde, esto quod obligaret ex vi horum decretorum, adhuc saluatur, quod eiecti non tenentur redire, nec superiores eos requirere, quia talis obligatio ita coarctatur, vt via casus sit dabilis eius executionis, dum dicitur illis verbis: *Dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis ex literis ordinarij.* Ea enim dictio *dummodo* est conditionalis, *ex allatis à Barb. num. 3. huius dictionis*, &
130 cum nihil ponat in esse conditio, *l. si quis 8. ff. si quis omissa causa testam. l. cedere 213. ff. de verb. signif.* nec proinde ponit obligationem, nisi per euidentem emendationem, quam puta rarissime contingere, & in contrarium est præsumptio, quomodo enim potest apparere euidenter emendatio in eo, qui in seculo viuit, si in claustris non potuit, vel noluit se corrigere tot vicibus monitus, tot afflictionibus vexatus, & aliorum bonis exemplis inuitatus? quæ excitamenta, & hortamenta in seculo non habuit. Sit ergo capitis finalis virtus obligationis in habitu, non in actu, cum superiores semper rationabilem habeant causam magis male faciendi recipiendo eiectos, quam eos derelinquendo, non obstantibus literis ordinarij, in cuius conspectu non semper apparent eiecti, sicut erant in conspectu superiorum antequam expellerentur.

Castropalaus ea disp. 4. de voto obed. p. 10. num. 4. & 131
5. decipitur, dum ait, in cap. fin de Regul. de solis fugitiuis tractari & decerni, vt compellantur ad reditum religionis, legit enim ipse solum summarium, in quo fit mentio tantum de fugitiuis compellendis ad redeundum; quod si totum textum legisses, inuenisses expresse in eo non solum fugitiuos, sed etiam eiectos esse sub pœna excommunicationis compellendos ad reuertendum.

Secundum, quod superiores non teneantur eos requi- 132
rere, nec recipere petentes regressum, probatur ex modo dictis. Tum quia sententia non debet operari contrarium effectum, ergo excludendo eos recipere non tenentur. Tum quia receptio aduersatur fini eiectionis, qui fuit, ne expulsus remanendo tamquam morbida pecus alios inficeret. Tum quia contractus professionis in ratione contractus per sententiam distractus fuit, ergo sublata fuit mutua obligatio inter superiorem, & subditum. Ita supracitati apud Pasqualig. num. 1016. qui numer. 1017. ait cum communiori omnino certissima superiores debere recipere eiectos iam emendatos, cum quibus tandem ego sentio, propter expressam dispositionem decretorum sub num. 21. quam parum efficaciter exposui supra, ideo sententia in melius mutata cum istis censeo eiectum teneri se emendare, & superiores debere eos recipere, si emendationem euidentem non solum literis testimonialibus, sed etiam propriis actibus bonis præsentibus, & præteritis demonstrent.

Quæres 54. An eiectus remaneat adhuc religiosus?

℟. Affirmatiue, quia sententia expulsionis declarat 133
eum solum indignum communi conuersatione aliorum religiosorum, ne eos tamquam morbida pecus corrumpat, & spoliat eum, iure cohabitandi cum aliis, sicut sententia diuortij declarat, & separat coniugatos à cohabitatione ad occurrendum imminenti periculo vitæ alterius coniugis, & sicut diuortium non dirimit matrimonium, quod perpetuo durat vsque ad mortem, ita neque distrahit professionem; quæ tantum morte destruitur. Ita præcitati supra num. 123. Contra *Nauar. com. 2. de Regular. num. 36. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 17. quæst. 1. Rodriq. quæst. 30. art. 20. Sorbum v. eiicere, initio Annot. Riccium lib. 8. de iure person. lib. 8. cap. 11. num. 2. cum Andria, Abbate, & Sosino*, Asserentes, expulsos in perpetuum remanere absolutos ab obseruatione votorum in eis extinctorum, consequenter non sunt amplius religiosi. Quare tamquam laici, & clerici seculares reputandi sunt se-
cundum hanc opinionem; ex qua sequitur, religiosos 134
eiectos nondum in sacris constitutos posse ducere vxorem, quia vestis clericalis id non impedit; dum videmus in Minoribus constitutos deserere statum clericalem, & ducere vxores. Sed ego id non consulo, quia hæc opinio à me reputatur improbabilis ex supra dictis.

Quæres 55. An eiecti subsint Ordinario, debeant gestare vestem clericalem spoliati iam habitu regulari, & qualiter debeant Ordinario obedire ex voto professionis, an ex simplici subiectione promissæ obedientiæ in ordinatione?

℟. Sunt subiecti ordinario loci, & debent Incedere 135
cum veste clericali, donec reuertantur ad claustra, de qua re nullus dubitat, quia id expresse dicitur in decretis sub num. 16. his verbis: *Sic vero eiecti, quandiu non redierint ad religionem in habitu clericali degant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientia subsint.* Quod verum est, etiam ante hæc decreta, vt docent Innocentius, Hostiensis,

sis, & Ioannes Andreæ apud Pasqualig. num. 960. obe-
dientia autem ordinario præstanda non est ex voto, quia
hanc solis superioribus regularibus promisit, & non aliis.
136 Ita *Sanch lib 6.cap.9. num.29. Cespedes dub.315. num.3.*
Barbosa ad cap.fin. num.11. cum aliis Pasqual. num.964.
contra Hustiensem, *Ioannem Andr. & Suarez lib. 3. cap.*
6. num 4. nullo suffulti fundamento. Tenetur ergo obe-
dire ordinario sicut alter clericus, & si est in sacris con-
stitutus iam habet obligationem, quia ordinatus promi-
sit obedientiam Episcopo. Iterum infra q. 61.

Quæres 56. An dimittens vestem clericalem incurrat
excommunicationem? *Marantia par. 4. controuers. resp. 58.*
num. 31. & ex eo Donatus par. 2. tract. 8. quæst. 42. & ex
illis Pasqualig. num. 1081. Affirmant ex cap 2. Ne cler.
vel mon. in 6. quia habitus clericalis subrogatur in locum
regularis cum omnibus suis circunstantiis.

137 ℟. Non incurrere, quia cap. præcitatum loquitur præ-
cise de habitu regulari deferendo à religiosis claustralibus,
& cum aliis viuentibus, ne extra dimittant temere habi-
tum religionis, vt ei præcipiatur vagandi occasio; quæ
circunstantiæ desunt in eiecto, qui non viuit intra claustra,
nec est membrum claustri, à quo fuit separatus per sen-
tentiam, nec habitus clericalis est habitus religionis, cum
ergo hæc desint in casu nostro, eiectus non subditur ex-
communicationi si deponat vestem clericalem. Nec ab-
ducta ratio quicquam probat, quia licet vestis clericalis
fuerit subrogata in locum habitus regularis, non tamen
138 fuerunt subrogatæ pœnæ, secundum *Seraphin. decis. 537.*
num. 4. Gabriel. de reg. iur. concl. 2. num 29. Guerba cons. 96.
num. 7. apud Barb. Axiom. 213. num. 6.

Quæres 57. Cuinam ordinario loci sit subiectus
eiectus?

139 ℟. Quæst. 49 in eius libertate esse eligere locum cuius
ordinarij, qui sibi magis placuerit, cum id decreta non
determinent nam ea verba *Ordinario loci*, non magis re-
feruntur ad ordinarium loci originis, quam domicilij,
quod habebat ante ingressum, cum casus obliquus se ha-
beat indifferenter ad vtrumque siquidem Ordinarius si-
ue domicilij, vel originis dicitur Ordinarius loci, vnde
vnum ex his eligere potest, vel etiam alium Ordinarium,
præter illos, quia sic agendo suberit Ordinario loci nam
Obliquus *loci* non refertur ad locum expulsi, sed ad lo-
cum ipsius Ordinarij habentis scilicet territorium secu-
larium ad differentiam aliorum Ordinariorum, qui carent
territorio, & diæcesi.

140 Pasqualigus num. 961. refert opinionem Nauarri *in*
cap Non dicatis num. 38. & cons. 79. de Regul. num 4. Mi-
randa tom 1. quæst. 52. art. 4. concl. 2. Riccij par. 3. decis. 95.
cum aliis, subiici Episcopo originis. Ipse vero sequenti
num. 962. *cum Molina disp. 140. Azor. lib. 12. c. 26. quæst.*
81. Fausto *lib. 6. Thesauri quæst. 128. Donato par 2. tract. 8.*
quæst. 33. num. 3. tenet, subditi Episcopo loci, cum ita di-
cat dispositio decreti ibi: *Ordinarij loci iurisdictioni.* Sed
reuera, vt supra dixi, ea verba non referuntur ad expul-
sum, sed ad ipsum Ordinarium loci, vt excludatur quiuis
alius Ordinarius, qui caret territorio, seu diæcesi. In actu
ergo expulsionis potest sibi eligere Ordinarium, cui vult
subesse, & eo electo actu subiectus non potest domici-
lium mutare, & alio abire sine eius licentia, cum subdatur
iurisdictioni, & obedientiæ Ordinarij electi, cui debet
subesse, sicut quilibet alter clericus mere secularis; Ita Pas-
qualig. num. 963.

Quæres 58. An eiectus teneatur ad obseruantias regu-
lares, quæ præscribuntur in sua Regula, & constitutio-
nibus? Est enim adhuc religiosus, ex probatis quæst. 54.
Dictum propterea fuit sub præcedenti quæstione 53. §.
Ad rationem sub num. 123. quomodo ab expulso obser-
uanda sint tria vota; modo restat videre an obseruantiis
regularibus teneatur eiectus?

141 ℟ Non tenetur, licet illæ alias obligent sub mortali,
ratio est, quia ad illas professus se obligauit vti pars, &
membrum communitatis religiosæ, vt se aliis com-
participibus suis conformare, turpis enim est ea pars,
quæ suo toti non congruit; sed eiectus non amplius pars,
nec membrum est corporis religiosi quo ad communita-
tis statum, cum eiectione fuerit recisum, ergo non am-
plius tenetur ad obseruantias, quæ afficiunt solum in
communitate viuentes. Ita habet nouem Theologos à
Pasqualigo pro se citatos num. 979. licet obligent sub
mortali, Sanch. lib. 6. cap. 9. numer. 52. ego Contron. 8.
numer. 19. hoc est resol. 108. ex impressione Lugdu-
nensi.

Contrarium, quod expulsi teneantur ad obseruantias
regulares si sunt compossibiles cum eorum statu, docent 142
nouem Doctores apud eundem Pasqualigum num. 978.
Rodriq tom. 1. quæst. 30. art. 20. Miranda quæst 53. art. 5.
concl. 2. Corduba in cap. 2. Regula quæst. 21. Peyrin. de sub-
diso quæst. 1. c. 25. Vers. Dico quarto, Donatus par. 2. tract.
8. quæst. 52. num. 9. Ducti ea ratione, quia alias ex suis de-
lictis reportarent commodum, contra cap. Tuæ, de cler.
non resid. Sed hæc ratio non vrget, quia verum est, quod 143
quis ex sua malitia non debet directe, & principaliter re-
portare commodum, incidenter vero, & in consequen-
tiam reportare potest, ex adductis à Barb. Axiom. 145.
num. 3. addit Pasqual. num. 985. quod eiectus maius dam-
num, & incommodum patitur, quam quod commodum
recipiat, dum priuatur conuersatione, & aliis bonis suæ
religionis.

Quæres 59. An saltem teneantur aliis votis, quæ in
certis religionibus promittuntur? vt vita quadragesimalis
à Minimis.

℟. Negatiue, quia computantur inter regulares obser-
uantias ipsius communitatis, cuius membrum desinit esse 144
eiectus. Ita Vega, Faustus, & ego apud Pasqual. num.
982. contra Peyrinum *de subd. quæst. 1. cap. 25. concl. 4.*
Donatum quæst 51. num. 2. quia dicunt votum essentiale;
sed reuera non est tale simpliciter, sed pro tali statu viuen-
di in communitate. Difficile enim obseruatu est hoc vo-
tum, dum eiectus cum aliis comedit, qui non tenentur ad
vitam quadragesimalem.

Quæres 60. An eiecti teneantur ad Horas Cano-
nicas?

℟. Negatiue, nisi sint in sacris constituti; quia apud
regulares obligatio recitandi diuinum officium extra cho- 145
rum, vel oritur ex præcepto Regulæ, vel ex consuetudi-
ne religiose introducta; sub his autem modis eiectus non
tenetur, quia sunt obseruantiæ regulares, quæ non am-
plius obligant expulsos ex supradictis, ergo nec ad Horas
Canonicas. Ita *Suar. tom. 4. de relig. tract 8. lib 3. cap. 6.*
num. 12. Lezana tom. 1. cap. 12. num. 7 & cap 23. num. 17.
cum aliis Pasqual. num. 983. Eos obligant *Rodriq. quæst.*
30. art. 20 Peyrin. quæst. 1. cap. 25. concl 4. Donatus quæst.
52. num. 9. Ea ratione, quia tenentur ad obseruantias re-
gulares, quam supra tuli quæst. 58. reiecimus cum senten-
tia communiori.

Quæres 61. An eiectus cum habitu regulari teneatur
illum deferre? Dixi quæst. 55. debere incedere cum veste
clericali, ex decretis.

℟. Eiectus, siue fuerit spoliatus actu habitu, siue non,
ex inaduertentia, vel alio incidenti, non potest illum am- 146
plius deferre, quia virtute sententiæ expulsionis censetur
eo priuatus quousque redibit ad ordinem, consequenter
debet illo se exuere, vt sententiæ obediat, id enim non est
deponere habitum propria auctoritate, sed exequi latam
sententiam, & hoc clarum est ex decretis, dum in eis di-
citur, quod *eiecti quamdiu non redierint ad religionem, in*
habitu clericali incedant. Ita docent sex Doctores apud
Pasqualig. numer. 986. post decreta *Cespedes dub. 315.*
num. 11. Donatus quæst. 41. numer. 5. Ante decreta, *Suar.*
tom 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 6. numer. 14. Azor. lib. 12.
cap. 18 quæst. 14. Lessius lib 2. cap. 41. num. 112. Nauar.
comment. 2. num. 56. & consil. 78 de regul. numer 5. Contra
Sayrum *lib. 6. Clauis cap. 9. num. 28.* Rodriq. *quæst. 30. art.*
27. Sanchez lib. 6. cap. 9. num. 55. Tambur. tom. 3. disp. 8.
quæst. 8. num. 10. Lezanam par. 3. V. Eiecti num. 8. Quia
delatio habitus etiam extra deferendus est, cum ab Epis-
copo regulari deferatur. Lata est disparitas, nam Epis- 147
copus cum defert ad honorandam religionem suam,
eiectus

eiectus vero cum infamis sit, & inhonoratus deferendo habitum eam potius vituperat, quam honore afficiat.

Quæres 62. An eiectus debeat ferre vestem clericalem etiam si non sit constitutus in ordinibus, sed laicus?

148 ℞. Affirmatiue, quia decreta absolute, & indifferenter loquuntur de omnibus expulsis ibi: *Sic vero eiecti quandiu non redierint ad religionem, in habitu clericali incedant.* Dum enim remanent adhuc religiosi, indecens est, quod laicaliter incedant. Ita *Donatus par. 2. tract. 8. quæst. 41. n. 2. Pasqualig. num 987.* Contra Nouarium *in Lucerna regul. num. 7. Lezana 11. Eiecti num. 8. &* *Cespides dub 315. num. 11.* Ea ratione, quia S. Congr. 1. Aprilis 1628. respondit: *quousque in seculo stant, si in ordinibus etiam minoribus constituti sint, tenentur incedere in habitu clericali*; sed laici non sunt initiati, ergo non tenentur ad vestem clericalem. Sed ego non leg. hoc responsum, nec vidi in Lucerna Nouarij, sequitur Barbosa *in decis. Apostol. V Eiecti n. 5. Cespedes, & Lezana.*

Quæres 63. An expulsus perdat priuilegia Canonis, & fori? Ratio dubitandi est, quia eiectio est species degradationis, *secundum Laurentium de Franchis, de Regular. eiect. quæst. 10. apud Pasqual num. 1007.* sed degradatus priuatur vtroque priuilegio *cap. Degradatio de pœnis in 6. Bonac. de degradat. num. 3. vers. Tertia & dixi cap. 94.*

149 *num. 29.*

℞. Neutrum amittere, sed frui vtroque priuilegio, cum adhuc sit religiosus, solum priuatus commercio communitatis religiosæ; & eum habitum religionis mutet in vestem clericalem, ne sua mala vita iniuriam inferat, & dedecus religioni, non est priuatus dictis priuilegijs, sicut degradatus, qui quouis habitu clericali, & priuilegijs expresse exuitur, & sic patet responsio ad rationem dubitandi ex hac disparitate. Non est ergo species degradationis, quia non traditur curiæ laicali licet exuatur habitu propter dictam rationem.

150 Quæres 64. An eiectus sit infamis?

℞. Affirmatiue, non quidem ex iure, quia id non reperitur scriptum, sed ex facto incorrigibilitatis. Ita *Federicus de Senis cons 38. Nauar. ad concil. 77. de Regular. Ego comr. Morals 8. num. 14 apud Pasqualig. num. 1005. Miranda tom. 1. quæst. 32. art. 7 fine, Rodriq. quæst. 30. art. 11 fine, Peyrin. de subd. quæst. 1. cap 25. §. 1. vers. Et merito, apud Donatum quæst. 60.* Et id confirmatur ex decretis, dum enim per illa expulsus perpetuo priuatur exercitio ordinum, vt mox dicam, arguitur illum esse infamem, cui prohibetur exercitium ordinum. Intellige quousque permanebit in seculo, vt colligitur ex tenore decretorum, vt dicam in sequenti quæstione.

Quæres 65. An expulsus sit suspensus ab executione ordinum susceptorum?

151 ℞. Affirmatiue ex eisdem decretis num. 20. his verbis: *Item vt eiecti extra religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinarijs locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.* Ita omnes scribentes post editionem decretorum, *cum Bonac. de Clausura q. 2. d. 32. §. 7. num. 4. Lezana V. Eiecti num. 4. Donato par. 2. tract. 8. q. 35. num. 7.*

152 *quos sequitur Pasqual. num. 1006.* Si vero reuertantur ad suam religionem cessat suspensio, cum tandiu sint suspensi, quandiu manent in seculo, vt constat ex tenore supradictorum verborum; Donatus q. 40. Pasqualig. sorn. qui subdit esse etiam dispensabiles ingressi ab infamia iuris contracta ex delicto eam inducente. Addo ego per regressum tolli infamiam facti, cum per reditum ad ordinem dicatur se emendasse, & bonum nomen acquisiuisse.

Quæres 66. An sic suspensus promoueri possit ad ordines, quos non habet? Ratio dubitandi est, quia ex tenore illorum verborum eiecti tantum sunt suspensi ab exercitio ordinum, ergo non prohibiti à promotione, cum quid diuersum sit, & ex diuersis non fit illatio, maxime in pœnis, quæ non extenduntur.

153 ℞. Negatiue, quia suspensi ab ordine recipientes quem non habent remanent vlterius suspensi ab eius exercitio, *ex citatis à Suarez. disp. 31. de Censur. sect. 2. n. 57.* prohibentur ergo censurati promoueri ad ordines, *Donatus q. 35. n. 8.*

Quæres 67. Quis potest cum istis dispensare, vt recipiant ordines, aut in susceptis possint ministrare?

℞. Spectat ad solum Papam, dum Episcopo id prohibetur in prælatis decretis. Sed id raro accidit, dum enim manent in seculo, & non corriguntur sunt indigni promotione; si vero sunt correcti debent reuertere ad ordinem, & sic non sunt amplius suspensi nec infames de facto, & si tales de iure, habilitantur per suos superiores, vt dixi sub q. 63. & 64 Vide Pasqualig. num. 1007. qui num. 1011. ait, hos tunc esse ordinandos ab Episcopo sub cuius iurisdictione, & obedientia sunt, sicut alij clerici, eodem enim iure cum illis censendi sunt. At ij ab eo citati dicunt esse ordinandum ab episcopo domicilij originis, quod est immutabile & expulsi carent domicilio. Sed ne discedas à prædictis, quia habent domicilium habitationis in ciuitate, seu diœcesi eius Episcopi, cui præstant obedientiam, sicut alij clerici. Quidquid dicant *Barb Alleg. 41. num. 21. Lezana V. Eiecti num. 5. Donatus quæst. 36. n. 3. Cespedes dub. 315. num. 9.* Qui scripserunt post decreta de eiectis. 154 155

Quæres 68. An vocati possint ad concionandum?

℞. Non sunt vocandi, licet enim suspensi ab exercitio ordinum non prohibeantur concionari, quia si non est actus ordinis, tamen indecens est eos inuitare, vel admittere quia sunt infames, & bono nomine carent. *Rodriq Compend. resol. 112. ex eo Pasqualig num. 1080. Donatus quæst. 62.* 156

Quæres 69. An eiectus rediens teneatur renouitiare, & postea iterum profiteri?

℞. Potest superior eum recipere cum onere renouitiandi, quia superior habet iustam causam id faciendi, quia valida est præsumptio, quod adhuc sit incorrigibilis, immo peior factus ob suam libertatem, vt autem ea tollatur probandus est per aliquod tempus. Ita docui *Resol. 99. n. 56. & controuers. 48. q. 4. edit. Lugdunensi resol. 148. & de profess. Regul. editione Veneta cap. 10. quæst. 16. num 28.* Profiteri autem non tenetur, quia eius professio adhuc subsistit, sicut si non fuisset expulsus. Ita *Donatus par. 2. tract. 8. quæst. 27.* cum alijs Pasqual g. n. 10 8. 157

Quæres 70. An expulsus reuersus recuperet omnia iura præcedentiæ, honoris, & vocis, quæ ante eiectionem habeat?

℞. Negatiue, neque ad illa sunt restituendi, non enim præferendi sunt militibus veteranis, qui laudabilem vitam semper gesserunt, & continue portarunt pondus æstus, & diei. Ita *Compend Rodriq. resol. 57. num. 3. cum illo Donatus quæst. 27. n. 3.* Pasqualigus vero num. 1019. ait esse restituendos, quia per sententiam expulsionis gradus honorifici, Doctoratus, & Magistri fuerunt suspensi, non extincti. Ita Sanch. lib. 6. cap. 9. num. 33. fine, nisi ordinis statutum obstet. Nihilominus meo iudicio in his per aliquod temporis spatium mortificari debent. 158

Quæres 71. An eiectus testari possit ad minus de bonis acquisitis post expulsionem?

℞. Negatiue, quia cum adhuc sit religiosus caret proprio fine quo non contingit testari, *ex Auth. Ingressi C. de sacros. Eccles.* Ita docet Pasqualigus *num. 996. Donatus par. 2. tract. 8. quæst. 49.* 159

Quæres 72. Cuinam acquirat expulsus bona quæsita post eiectionem?

℞. Sibi acquirere non potest, immo nec monasterio, sed solum sedi Apostolicæ. Sibi quidem quia rerum dominium non habet, obstante voto Paupertatis, quod illum adhuc retinet inhabilem ad acquirendum sibi. *Pasqualig. n. 994. Donatus par. 2. tract 8 q 46.* 160

Monasterio non quærit de facto, si moritur in seculo, sed Cameræ Apostolicæ ex Bulla 41. Gregorij XIII. incip. *Officij nostri partes* de qua *Sanch. lib. 7. cap. 32. n. 12. Rodriq. quæst. 30. art. 29 cum alijs Pasqual. n. 997. Donatus quæst. 46. n. 5.* 161

Quod

161 Quod si reuertatur ad suum ordinem omnia illi aquisita dicuntur, quia per expulsionem solum fuit separatus ab ordine respectu eorum, quæ poterant inficere alios religiosos, non autem prodesse, vnde retinuit omnia iura acquirendi sui ordini, quæ ante eiectionem habebat, semper enim remanet religiosus. Ita *D Antoninus, Molina, Lessius, cum aliis Lezana cap. 13 num. 15. Pasqualig. num. 999.* Quod clare colligitur ex dicta Bulla §. 3. ibi: *Res, & bona quæcunque per dictos Regulares extra claustra degentes.* Reuerti autem non dicuntur degere extra claustra, ergo de his non loquitur Bulla. Confirmatur ex aliis verbis, quæ sunt hæc: *Ac bona quæcunque eorundem sub spoliorum nomine comprehensa.* Bona nomine spoliorum nunquam veniunt, nisi post mortem; quare dum viuit in religione acquiruntur ipsi religioni, & non possunt dici spolia Cameræ Apostolicæ, dum non amplius vagatur.

163 Si vero transeat ad alium ordinem etiam propria authoritate ex q. 51. incipit acquirere ille professione emissa, & non ante, quia priori intelligitur acquisitio facta. Pasqual. num. 1000.

Quæres 73. An eiectus tuta conscientia vti posset acquisitis in vsus illicitos consumere?

164 ℞. Negatiue, licet enim habeat ampliorem vsus facultatem sibi necessariam pro eo statu, vt dixi sub quæst. 53. §. Ad rationem, tamen ea abuti non potest, cum adhuc sit religiosus, ac proinde teneatur votum paupertatis obseruare eo modo, quo ille status exigit excludens illicitum vsum. Ita omnes *cum Lezana cap. 13. num. 14. Donatus par. 2. tract. 8. quæst. 50. numer. 1. cum aliis Pasqual. num. 1002.*

Quæres 74. An illicite consumpta sint à recipientibus restituenda?

165 ℞. Negatiue, quia semper in huiusmodi consumptionibus aliqua radix iustitiæ videtur habere locum ex parte recipientis, ac proinde etiam ex parte dantis, nam labor meretricius, ludi vsus &c. præseferunt aliquod ius, quo videtur iustificari datio, & receptio, vt non adsit obligatio restituendi, esto modus sit peccaminosus. Ita *Sanch. lib. 6. cap. 9. numer. 47. Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 1. Bonac. de clausura quæst. 2. p. 12 §. 3. num. 2. Diana par. 7. tract. 11. resol. 5.* Quos contra se refert Pasqual. *n. 1003. citando pro se Lezanam cap. 13. num. 14. Faustum, Texedam, & Donatum quæst. 50. num. 7.* asserentes teneri restituere, quia licet ampliorem habent administrationem, non tamen dominium habent ad consumendum illicite. Argumentum hoc probat, illos tantum peccare circa modum administrandi, non circa substantiam rei.

Quæres 75. An pauperi eiecto conuentus teneatur subministrare alimenta, quando aliunde viuere non potest?

166 ℞. Religio ad nihil tenetur, quia per expulsionem distractus est contractus, qui erat inter ipsam, & professum, qui scilicet debebat inseruire, vt aleretur; sed amplius non seruit, ergo non potest prætendere alimenta, quæ dantur solum professis existentib. membris, & partibus in functionibus communitatis. Ita *Donatus par. 2. tract. 8. quæst. 31. & ex eo Pasqual. n. 991.* Quod si indiget, & pauper est, laboret, vt manducet, occupando se in exercitio honesto, docendo pueros, exercendo officium sacristæ in aliqua Ecclesia.

Quæres 76. An recuperet bona in professione sua renunciata?

167 ℞. Non recuperat, quia renuntiatio facta, & professione corroborata per eiectionem in nullo fuit infirmata, ergo nulla ratione contra ipsam venire potest. Ita *Sanch. lib. 6. cap. 9. num. 14. & 45 cum quo sentit* Donatus *q. 58.*

Quæres 77. An moniales eiici possint tanquam incorrigibiles?

168 ℞. Quamuis etiam in monialibus detur vitium incorrigibilitatis, sunt enim & ipsæ de specie humanæ fragilitatis, tamen nec vsus habet, quod eiiciantur, sed detrudantur in aliud monasterium, vel perpetuis carceribus macerentur. Nec decreta de eiectis illis accommodari possunt, cum manifeste loquantur de solis masculis. Vnde expelli non possunt, sine speciali licentia sedis Apostolicæ, non obstante, quod Innocentius IV. concesserit eiectionem illarum Abbati Cistercij, apud Rodriq. Bulla XXVII. qua nunquam vsus fuit, inquiunt citati à *Pasqual num. 1082. Rodriq. tom. 1. quæst. 49. art. 1. cum suo Compend. resol. 55. num. 3. Tambur. de iure Abbatiss. disp. 11. quæst. 4. num. 3. Barb. in cap. fin. de regul. n. 10. Lezana V. Eiecti num. 11. Bonac. de claus. quæst. 1. p. 9. n. 19. Donatus par. 2 tract. 8. quæst. 10.* Et omnes alij.

Quæres 78. An nouitij eiiciantur ad formam horum decretorum?

℞. Nouitij, qui & ipsi possunt fieri incorrigibiles, 169
dum sunt homines, non dicuntur in rigore eiici, & seruata forma decretorum, quia de professis tantum loquuntur, vnde propter eorum iniquitates, & delicta, etiamsi vnicum sit, dimittuntur ad sæculum, absque incursione pœnarum infamiæ, & suspensionis ab exercitio ordinum, nec tenentur deferre vestem clericalem, nec subsunt ex hoc iurisdictioni Ordinarij, si ante non erant. Donatus quæst. 21.

CAPVT XCIX.

De validitate, & nullitate processus.

A Definitione exordiendo. Processus dicitur à pro- 1
cedendo paulatim ab vno ad alium actum. Vnde est congeries eorum omnium actuum, qui vsque sententiam in scriptis rediguntur a Notario de mandato iudicis interrogantis querelantem, hoc est, denuntiatorem, vel accusatorem, cum testibus, reo, corpore delicti, & aliis, quibus perficitur. Iuxta dicta cap. 82. sect. 5. à num. 48. Procedendum autem est per quæstiones more solito.

Quæres 1. Quotuplex sit processus?

℞. Communiter diuiditur in offensiuum dictum etiam 2
informatiuum, & defensiuum; ille sic dicitur, quia instruitur contra delinquentem, ex quo dicitur offensiuus, siue iuste, siue iniuste; & appellatur etiam informatiuus, quia iudex per eum se informat, an reuera querelatus tale perpetrarit delictum, quod probatur per testes, & indicia, quorum dicta rediguntur in scriptis. Defensiuus vero incipit ab examine rei indiciati, vel conuicti iam per testes, cuius acta producuntur, & finitur vsque ad sententiam, quæ tanquam conclusio colligitur ex vtroque processu offensiuo, & defensiuo tanquam præmissis bene dispositis, vt inde iusta sententia, & conclusio inferatur.

Quæres 2. An processus in scriptis sit de substantia iudicij, ita vt lata sententia sine illo sit nulla?

℞. Affirmatiue, colligitur ex cap. Quoniam 11. de pro- 3
bat. ibi: *Qui fideliter vniuersa iudicij acta conscribant.* vbi Glos. 11 Extraordinario, ait hoc procedere de quouis iudice non solum delegato, sed etiam ordinario, seu per modum denuntiationis, aut inquisitionis. Quod verum est quoque quando iudex procedit postpositis apicibus iuris, vt facit regularis, Clem. sæpe de verb. signif. ibi: *Acta tamen continuo inserenda*, quod sine scriptis non potest, dum acta sunt inserenda hoc est, scribenda in processu, & prope finem dicitur: *Sententiam vero definitiuam in scriptis proferat.* Et quod sententia sine processu lata sit nulla, 4
Rodriq. tom. 2. quæst. 13. art. 2. apud Barb. ad dictum cap. 11. de probat. num. 9. Mascard. concl. 1237. numer. 3. vbi requiritur scripturam, aliter iudici, nec notario credendum est.

Quæres 3. Quod personæ sint necessariæ ad construendum processum?

℞. Ad minus requiruntur quinque personæ, quæ 5
sunt Iudex, Notarius, Querelans, Testes, & Reus, sine his non conficitur processus, nam omnis controuersia est inter Actorem, & Reum, cum Actores sunt Testes probantes dictum Actoris, & præterea vltra Iudicem interrogantem partes, necessarius est Notarius, qui omnia

acta

acta conscribat. Colliguntur hæc ex cap. Forus, de verb. significat.

Quæres 4. An omnes isti quinque debeant subscribere propria acta, vt valeat processus, & ei fides adhibeatur? Vide quæst. 26.

6 ℞. Spectat ad apices iuris, quod querelans, testes, & reus subscribant, quia processui fides adhibetur per subscriptionem Notarij, aut Actuarij, seu per iudicem, qui fuit præsens singulis actibus eiusdem, vt dixi cap. 41. num. 15. & 16. Nihilominus visus est, quod querelans, testes, & reus subscribant suas depositiones, vt testantur *Spathar. de testib. tract. 7. cap. 6. num. 15. de S. Iuliano cap. fin. Aduert. 4. §. Ghisler cap. 19. num. 4. §. Tum admodum, de testib. de Reo num. 7. §. quibus, Petrus Ab Angelis in Addit. fol. 334.* Qui subdunt, nescientem scribere formare Crucem, & quod alter pro ipso subscribat ab eo rogatus, sed meo iudicio sufficit, quod Notarius scribat sic: eum nesciat scribere, fecit hanc Crucem manu sua.

Quæres 5. An religiosus non Notarius, sed solum ex officio secretarius, vel alius electus loco Notarij, vel Secretarij debeat præstare iuramentum fidelitatis, & secretudinis?

7 ℞. Probaui cap. 82. num. 60. non esse exigendum ob rationes ibi adductas. Tamen non erit extra rem, sed valde vtile id exigere, ad tollendam ansam exceptionis reo, ne frustra defensiones multiplicentur inutiles.

Quæres 6. An iudex seipso possit interrogare, & scribere processum?

8 ℞. Non posse, aliter processus est nullus, vt dixi cap. 85. num. 64. quo remitto lectorem.

Quæres 7. An in dubio processus præsumatur recte factus?

9 ℞. Non præsumitur quia quæ requirunt scripturam, non præsumuntur, nisi probentur, *Innoc. in cap. super his, de Accusat. & in cap. Innotuit, de his, qui fur. ordin.* sed processus non fit sine scriptura, ex quæst. 2. ergo eius rectitudo non præsumitur. Confirmatur, quia solemnitas

10 extrinseca non præsumitur, *l. sciendum. ff. de verb. obligat.* processus autem est de solemnitate extrinseca in ordine ad sententiam, & finem iudicij, vt dicunt Alex. & Roman. super dictam legem. Ita *Mascard concl. 1237. num. 3. ex eo Barbosa ad cap. Quoniam contra 11. de probat. num. 12.* Quandocumque vero sententia transiuit in iudicatum, tunc præsumitur fuisse rite fabricata, quia res iudicata pro veritate habetur, & facit ius inter partes, ex allegatis ab eodem Mascard. n. 10. ad 13.

Quæres 8. An processus in dubio censendus sit validus?

11 ℞. Affirmatiuè, quia in dubio actus interpretandus est potius valere, quam perire, *l. quoties 13 ff de reb. dub. l. Quoties 80. ff. de verb. obligat.* Ita Vantius *de Nullit. Rubr. 14. num. 327. de Bictis quæst. 156. num. 59.* vbi num. 60. ait, in processibus regularium, paucas inueniri nullitates, dum tenentur solum inuestigare veritatem seruato iuris ordine essentiali, proposito accidentali.

Quæres 9. An processus sit nullus defectu iurisdictionis in iudice tam ordinario, quam delegato?

12 ℞. Affirmatiue, quia nullus actus valet, nisi fiat per habentem potestatem ordinariam, vel delegatam, valor enim actus pendet tam à voluntate, quam à potestate agentis, *ex cap. Cum super 33. de offic. deleg. l. cum te C. de donat. ante nupt.* vbi Barb. num. 2. *Decius cons. 198. n. 3.*

13 Ita colligitur *ex l. 1. §. Hæc autem ff. quod quisque iuris l. Non putauit §. Non quamus ff. de bonor. possess. cum tab. l. cap. Illud de surrepatr. Pasqual. ad Frambum numer. 176.* Guazin. *Defens. 1. cap. 1. Farinac. cons. 48. num. 4. de Bictis quæst 88. n. 2.*

Quæres 10. An ad valorem processus sit necessarium exhibere, & producere in processu literas iudicis tum ordinarij, tum delegati?

14 ℞. Iudices Ordinarij cum iam de se noti sint, non est necesse, quod literas patentes registrare faciant in processu, in quo sufficit scribere nomen, cognomen, & eius officium, seu dignitas. Delegati vero iudicis literæ patentes citandæ sunt in processu, & producendæ quando opus est, quia nemo præsumitur delegatus, cum sit quid facti, sed officium hoc per literas patentes probandum est.

Quæres 11. An mortuo delegante processus à delegato prosecutus valeat?

15 ℞. Valet, quando res cœpta fuit, *ex cap. licet vndique 30. de officio deleg. Marama de ordin. iudic. par. 4. dist. 5. num. 61. Barbosa ad dictum cap. n. 3. de Bictis quæst. 156. num. 8.* Res autem dicitur cœpta, cum querela redacta est in actis, & acceptata fuit à iudice.

Quæres 12. An processus dicatur nullus ex recusatione iudicis facta per reum?

16 ℞. Dicitur nullus, quia per recusationem eneruatur iudicis potestas, quousque iudicetur de recusatione iudicis. *Farinac. 11. Iudex numer. 933. & quæst. 88. numer. 7. Peyrin. de subd quæst. 1. cap. 19. §. 1. Notab. 13. de Bictis quæst. 156. num. 10.* Intellige, quod processus sit nullus, quo ad acta scripta post recusationem, & si demum recusatio fuit iudicata legitima à iudice ad quem.

Quæres 13. An nullus sit processus à iudice excommunicato fabricatus?

17 ℞. Est nullus factus à iudice excommunicato siue sit ordinarius, siue delegatus, modo non sit toleratus. Ita *Canon. in cap. suscitatus 13. de rescr. Vano. de nullit. proces. Rubr. 14. numer. 40. & 53. de Bictis quæst. 88. numer. 8. & quæst. 156. num. 4. Riccius lib. 4. cap. 18. num. 12.* Tolerati ergo acta valent, vt docent omnes *cum Castropal. disp. 2. censur. p. 14. §. 3. num. 1.* Nequaquam denuntiati, & non tolerati, quamuis aliqui dicant valere, si contra ipsum non excipiatur, sed reuera simpliciter nulla sunt ex veriori opinione, apud eundem num. 2. Excommunicatus valide recipit concessionem, seu delegationem, & commissionem, quia id solum prohibetur excommunicatis recipientibus Rescriptum Papæ, ex cap. 1. de rescript. in 6. Ita *Nauar consil. 23 quæst. 1. de sent. excom. Layman lib. 1. tract. 5 par. 2. cap. 2. n. 11. Bonac. q. 2. p. fin. ex illis Castropal. disp cit. p. 12.*

Quæres 14. An nulla existente inquisitione, nullus quoque sit processus?

18 ℞. Affirmatiue, quia sine principio, & fundamento nihil fit. Ita *Gratus lib. 1. cons. 57. num. 11. Bictis q. 156. num. 13.*

Quæres 15. An corruat processus, quando non constat de corpore delicti?

19 ℞. Affirmatiue, quia Visum Repertum connumeratur inter substantialia iudicij, ipsum enim est fundamentum totius machinæ processus. Ita *Buratus vol. 1. cons. 201. n. 8. de Bictis quæst. 89. num. 11. & quæst. 156. n. 14.* Dixi etiam *cap. 6. num. 4. & 25.*

Quæres 16. An processus valeat inceptus contra particularem personam, nulla præcedente fama?

20 ℞. Dum constat de corpore delicti, & ignoratur quis deliquerit, non est dubium posse iudicem tam delegatum, quam ordinarium inquirere reum, non quidē singulariter interrogando, an Petrus e.g. occiderit Paulum, sed prius interrogatio facienda est in communi: *Quis percussit, & occidit Paulum?* Quod si testis de per se respondeat: *Petrus occidit Paulum*, tunc iuridice procedit contra ipsum, iuxta dicta cap. 3. sect. 3. quæst. 3. num. 6. Non est ergo necessarium ad valorem processus, vt præcedat infamia contra particularem personam, aliter pleraque delicta remanerent impunita, sufficit ergo, quod à generali inquisitione descendatur ad specialem. Ita *Farinac. quæst. 9. num. 21. & quæst. 11. num. 9. Clarus quæst. 6. de Bictis q. 13. num. 13.*

Quæres 17. An processus sine litis contestatione sit nullus?

21 ℞. Nullus est in ordine ad sententiam; quia nullus inauditus non condemnatur, vt probaui cap. 85. num. 14. lis autem contestatur interrogatione facta reo, & eius habita responsione, ex cap. 40. num. 13. & cap. 2. numer. 34. vbi simul cum interrogationis ab actore, & responsione rei, dicitur de spicibus iuris. Processus ergo nullus est,

est, quando reus inauditus condemnatur. Mascard. concl. 33. num. 16.

Quæres 18. An publicatio processus sit necessaria, ita vt sine illa sit nullus?

22 ℟. Affirmatiue, quia ordinatur ad defensionem rei, siue sit conuictus, siue confessus, ea autem consistit in datione copiæ reo petendi, vel non petendi, vt dixi cap. 49. Tunc ergo processus publicatur, cum reo datur copia illius. Ita *Paz tom. 1. par. 1. in octauo tempore, num. 122.* Aliter lata sententia nullius est momenti, quia sine processu reus non potuit se defendere, *Clarus quæst. 49. de Bittis quæst. 54. num. 16.* Qua publicatione non obstante iudex ex officio suo testes repetere potest, immo & alios examinare, ad impinguandum processum, vt aiunt. *Farinac. quæst. 73. num. 404 & 407. de Bittis quæst 54. num. 17. & 19.* Fauore vero rei etiam ad instantiam partis, *Farinac. n. 420 de Bittis num. 20.*

Quæres 19. An processus præsumatur integer, an diminutus?

23 ℟. Præsumitur integer, & qui negat, tenetur probare eius deficientiam, ita omnes cum Ludouis. decis. 59. vbi per Beltraminum id late ostenditur, & pro Notario Actuario præsumitur.

Quæres 20. Quid sit processum incipere à citatione?

24 ℟. Processus incipit à citatione rei primo illi facta. *Instit. de pœnis temere litig. §. omnium autem actionum, Glos. in citationes Clem. 1. de iudic. Barb. & Angel. in l. 1. ff de in ius vocand. Lancell. de Attentatis lit. pend. par. 2. cap. 4. in præfat. num. 32.* Vbi ait, citationem esse fundamentum ordinis iudiciarij, *secundum Speculat. in tit. de citat. in princip.* Et per eam perpetuatur iurisdictio, *cap. gratum, cap. Relatum, de offi. deleg.* Qua citatione posita res non amplius dicitur integra, sed iam cœpta, ex communiori opinione *Sanch. lib. 8. disp. 28. num. 10.* contra alios ab eo citatos num. 8. asserentes, rem non esse amplius integram, sed cœptam, quando iudex cœpit vti sua iurisdictione. Citatio igitur rei dicitur principium processus non in tota sua latitudine accepti, sed prout ab ea initium capit processus pro eo instruendus, qui & appellatur defensiuus, nam progressu totius processus incipit à querela, & progreditur per testes.

Quæres 21. An processus factus extra territorium proprium valeat?

25 ℟. Non valet. *Ita Federicus de senis cons. 16. num. 13. Vers. Item non obstat citatus à Rota decis. 36. numer. 12. apud Rubeum Diuersorum ab anno 1631. ad 34.* Regulares vero, quorum territorium est totus mundus, *vt dixi cap. 11. de profess. Regul. num. 25. & 26 Diana par. 5. resol. 34. de excom. fine* habent enim super suos subditos potestatem loco illimitatam propter obedientiam illis promissam independenter à loco.

Quæres 22. An processus alias nullus, spontanea rei confessione sit sanabilis?

26 ℟. Affirmatiue, *ex Innocentio in cap. qualiter, de accusat. num. 7. Claro quæst. 55. vers. Item posset. Farinac. quæst. 81. num. 5. de Bittis quæst. 83. num. 5.* Sanantur ergo per eam omnes defectus, quibus processus scatere potest, vt notat de Bittis in seq.

Quæres 23. An nullus sit processus per iudicem laicum factus contra clericum?

27 ℟. Sine dubio est nullus, nec illi stare debet iudex Ecclesiasticus, sed nouum formare debet, dum prior est omnino inutilis, super eius dictis nec inquisitionem facere potest *l. fin. C. si à non compet. iud. cap. At si clerici, de iudic.* communis est opinio, & veritas, apud Sperell. decis. 38. num. 9. vbi num. 10. ait, contrarium seruari in curia Archiepiscopali Neapolis, in qua eiusmodi acta interueniunt ad aliqualem instructionem, & informationem ordinarij, intelligendo de actis, antequam iudex laicus sciret, ipsum esse clericum; nullatenus vero torqueri potest, contra Genuensem cap. 6. num. 1. & 3. Ecclesiasticus ergo non debet stare processui facto à iudice laico propter eius incompetentiam, *Ciarlin. cap. 10. num. 48.* est enim eius processus valde suspectus, dum tractatur de interesse iurisdictionis, quam prætendit laicus contra clericum, *ex allegatis ab eodem Ciarlin. cap. 151. num. 14.* Non valet ergo neque quoad negotium principale, nec quoad pœnam contumaciæ. *Guazin. Defens. 5. cap. 5. num. 1. & cap. 31. num. 7. Diana par. 5. de immunit. resol. 9. ex illis Ciarlin. cap. 154. n. 40.*

Quæres 24. An sententia comprehendatur sub nomine processus? Negant plerique apud Guazin. Defens. 25. cap. 2. num. 1. cum post conclusum in causa non sit procedere, sed processisse, & terminasse processum per conclusionem in causa *Scaccia de appell. quæst. 16. limit. 1. num. 62. per l. Actorum verba ff. de re iudic.* ait, quod quando à lege profertur verbum *Processus* includere etiam sententiam.

℟. Processum includere sententiam, cum ibi conclusio deducatur ex actis, vt dixi cap. 82. num. 51. In sententia autem Philosophorum à Meldulensi citatorum disp. 11. logicæ num. 5. conclusio est de essentia syllogismi, ergo & sententia de substantia processus. 28

Quæres 25. Quando deperditur primus processus, & necessario secundus fabricatur, super quo ferenda est sententia?

℟. Ferenda est per illum, qui extat eo tempore, quo ferenda est, & sic per secundum extantem, quod si postea inueniatur primus, sententia perdurat, nec reuocari potest, & si in primo non essent tantæ probationes, quantæ sunt in secundo. Intellige, si fuit deperditum non causa iudicis, aut notarij, sed alterius. Ita *Baiard. ad Clarum quæst. 92. Afflict. ad constit. Regni in tit. de not. ban. in constit. Coram nobis, apud Guazin. Defens. 35. cap. 12. num. 8.* 29

Quæres 26. An processus de sui valore debeat inchoari cum illis verbis: In nomine Christi, Amen. Cum anno, indictione, die, mense, & anno Pontificis & subscribi à Notario in singulis actibus, aut solum in fine, vt dicatur esse in forma probante? Vide q. 4.

℟. Vt processus valeat, & probet in forma sufficit, quod sit subscriptus cum suo signo à Notario, & habeat expressum tempus, & locum; non est autem necesse subscribere singula acta, quæ sufficit subscribere in fine. De subscriptione Notarij *in Auth. Ad hæc C. de fide instrum. l. fin. C. de assessor. Felin. & Decius in cap. 1. de fide instr. Puteus lib. 3. decis. 136. num. 2. Caputaque par. 1. decis. 104. Caualer. decis. 193. num. 2.* In fine tantum, & non pro singulis actibus, *Ludou. decis. 368. fine, Merlin. decis. 572. n. 6.* Loci expressio, *Butrigar. in l Optimã C. de contr. stipulat. Castrensis lib. 2. cons. 420. Alex cons. 59. Natta cons 329. Merlin decis. 171. num. 6.* Subscriptio ergo Notarij, anni, & loci sunt necessaria ad valorem processus, vt probet, alia, vt subscriptio actoris, & rei, indictio, & pontificatus quæ puto esse de apicibus iuris, quia passim omittuntur per regulares iudices, vt videri potest in eorum Formulariis. 30

CAPVT C.

De Formis Processuum.

PRocessus acceptus pro serie, & coordinatione omniũ actuum ab eius exordio vsque ad sententiam inclusiue, qua iudicium terminatur, diuiditur in tres partes, in offensiuum, Defensiuum, & Sententiatiuum, iuxta quam diuisionem partiemur caput in tres sectiones. Sit ergo. 1

PRIMA SECTIO.

De Forma Processus Offensiui.

SEx obseruamus in processu offensiuo, in quo iudex informatur, & instruitur super delicto, & delinquente; quorum *Primum* est exordium ipsius processus, in 2

quo

quo exprimitur nomen Christi, à quo omnis nostra actio regulanda est, tempus pariter, & locus, in quo processus est fabricandus. *Secundum est* expressio nominis iudicis, qui indicat eius esse intentionem inquirendi veritatem eorum, quæ ad eius aures peruenerunt, quod arguit, su processum inchoare ex fama præcedente. *Tertium est*, electio & nominatio Notarij, seu actuarij. *Quartum est*, expositio querelæ facta vel à denuntiatore publico, vti fisco, vel priuato, aut ab accusatore intendente prosequi propriam causam. *Quintum est*, visitatio corporis delicti permanentis, vel probatio rei sublatæ quatenus extabat apud suum patronum, vel custodem antequam fuisset sublata. *Sextum* denique est depositio testium productorum à querelante. Secundum autem ista formatur processus offensiuus.

Forma processus iudicis Ordinarij contra certam personam.

3 *In nomine Christi, Amen. Anno à Natiuitate eiusdem* 1661. *die* 28. *Iulij cœptus fuit iste processus in conuentu* N. N. *Fratrum Ordinis* S. Francisci, *contra* F. N. N. *eiusdem Ordinis professum.*

Quoniam ad aures Reuerend. Patris Magistri Fratris N. N. *Generalis eiusdem Ordinis, & relatu ne personarum fide dignarum peruenit, qualiter Fratr. N. N. in hoc eodem conuentu grauiter vulnerauit* Fratr. N. N. *ambos eiusdem Ordinis, idcirco cum vnicuique iustitia sit ministranda vocauit me* Frat N. N. *& elegit in* Notarium, *& Actuarium ad scribendum, & conficiendum præsentem processum, protestando, prout professurus fuit velle in hac causa procedere, postpositis apicibus iuris, sola veritate inspecta.*

Nota, quod hæc sunt præambula ad querelam,
4 nempe exordium, nomen iudicis exprimentis suam voluntatem de eo, quod agere vult, & electio Notarij, seu Actuarij, cui est credendum in omnibus, quæ in actis redigit; nec est necesse ab eo exigere iuramentum fidelitatis, cum talis sit præsumendus ex ele-
5 ctione officij sui, vt notaui cap. 81. numer. 60. Hoc modo, quo index se explicat, sufficienter probatur ipsum procedere in causa infamia præcedente, ex allegatis à Bictis q. 13. n. 11. licet probauerim cap. 99. n. 20. nullatenus eam præ requiri ad valorem processus. Proferenda autem est querela vel à fisco denuntiatore, vel ab offenso vnde Actuarius prosequitur processum sequentibus verbis.

6 *Comparuit coram Domino eodem supradicto die* F. N. N. *qui requisitus super iuramento calumniæ, tacto pectore* (si est sacerdos, vel non) *tactis sacris Scripturis, iurauit se dicturum veritatem, sine animo calumniandi proximum, motus ad id faciendum, non ex odio, sed ex zelo iustitiæ, super his prius monitus à Domino. Deposuit autem vt infra, videlicet.*

Padre Reuerendiss. &c.

Quibus habitis, & fauorabilibus acceptatis, querelans se subscripsit.

Io Fratr. Antonio N. N. *confermo quanto ho detto di sopra.*

Dominus autem his auditis, & acceptatis decreuit prout præsenti decreto decernit, ante omnia videre, & visitare corpus delicti, & deinde reliqua prosequi, prout de iure.

7 Nota, quod si ipse offensus deferat querelam, in eo casu, ea accepta, poterit Dominus per seipsum visitare corpus delicti, scribente Actuario illud cum omnibus suis circumstantiis, quod expeditius est, quam mandare alium. Actuarius in prosecutione processus ad euitandas replicationes plurium vocum ipsius iudicis, sufficit loco illius cum opus est scribere *Dominus*, quo vocabulo plerique Actuarij laici vtuntur, & desumitur ex Sacra Scriptura Pauli I. Corinth. 4. 5. *Qui autem iudicat me, Dominus est.* Nomine ergo *Domini* venit iudex quicunq; ille sit.

Posui subscriptionem querelantis potius ad bene esse, quam ex necessitate, cum ipse Notarius de omnibus fidem facere possit, cum assumptionem officialem præsumatur se esse fidelem scriptorem, ac si esset formalis Notarius, & sufficit, quod in fine subscribat omnia sub vnica subscriptione, vt dixi c. 99. n. 30. Visitatio autem corporis fit hoc modo. 8

Visum, & repertum fuit per Dominum, qualiter in cella N. *iacebat in lecto* F. N. N. *vulneratus duobus vulneribus, vnum ex illis erat infixum in brachio dextero prope manum, alterum in dorso dextero, ambo apparebant ferro cæsa longitudinis duorum digitorum. Hæc visa fuerunt à Domino, & à me propriis oculis hac die* N. 9

Nota, quod si quandoque iudex sit impeditus, vel nolit visitare corpus delicti, potest mittere Actuarium, qui ad præsentiam duorum testium faciat visitationem, prosequendo sic processum. 10

Dominus mandauit, & præsenti præcepto in his scriptis mandat mihi Actuario visitare corpus delicti. Itaque visum, & repertum fuit per me Actuarium præsentibus his testibus, videlicet N. N. *&* N. N. *eiusdem ordinis professis, qualiter in cella* N. *iacebat &c.* Vt supra. *Hæc visa fuerunt à me Actuario, & à prædictis testibus, qui pro veritate se subscripserunt.* 11

Ego N. N. *testor me vidisse vulnera prout referuntur ab Actuario.*

Nota, quod non est necesse, vt iudex eos testes formaliter examinet, licet de Bictis in prima prati num. 7. referat modum illos examinandi, sed sufficit illum actum acceptare, & mandare, vt registretur in processu, quando in eo non fuit immediate scriptus his verbis. 12

Dominus monitus de visitatione corporis delicti in persona N N. *mandauit sibi legi ad verbum* Visum repertum, *& approbauit iam scriptum in processu.* 13

Nota, quod corpus delicti etiam in furtis inspiciendum est, quatenus furtum ad sui probationem supponit existentiam rei sublatæ apud suum Dominum, vel custodem, antequam auferretur, debet ergo constare Domino, rem ante furationem extitisse apud illius patronum, vel custodem, vt deinde procedi possit contra furem, & latronem, interrogando testes super furtum, de qua re dixi c. 6. n. 18. Sic autem formatur comparitio offensi in re sua. 14

Comparuit hac die N. N. *vti Prior conuentus* N. N. *& narrauit, qualiter per inuentarium consignauerat sacram supellectilem Sacristiæ* F. N. N. *& dum illud incontrauit ad eius præsentiam coram aliis Fratribus, venit cum illis in cognitionem, nonnulla deesse vnde ne sacristia ex hoc patiatur detrimentum, sed eius indemnitati consulatur, dictus Prior nomine sui officij præsentat Domino inuentarium, & eius incontrationem subscripta per idoneos testes, enixe petendo, vt damnum illatum sacristiæ resarciatur, & deprædator puniatur in exemplum aliorum.* 15

Dominus audita depositione sibi facta à P. Priore, vt supra, acceptauit dictum inuentarium, & eius incontrationem, & vtrunque recognouit cum suis subscriptionibus esse tale, & talibus, qualia se præseferunt, atque & acceptauit pro legitimis mandando mihi, vt ea hic insererem prout inserui sub hoc signo. B. 16

Nota autem, quod non est necessarium examinare testes, qui se subscripserunt in incontratione inuentarij, dum sufficit eius recognitio, & acceptatio facta à Domino, qui habet illud pro vero, quale est à parte rei. 17

Nota vlterius, quod arma, instrumenta, & ablatum, recognoscenda sunt, & registranda in actis designando, describendo, & indiuiduando illa similibus verbis. 18

Hic repræsentatus fuit gladius, & visus palmorum N. *Latus* N. *habens manicum ossium albi coloris, & recognitus Dominus mihi mandauit custodiri.*

Similiter si aliqua fractura reperitur ea registranda est in actis cum omnibus suis circunstantiis manifestanda. Ex prima interrogatio; an testis sciat causam suæ vocationis?

tionis? non est de substantia examinis, sed potest Dominus incipere hoc modo: An adsit aliquod scandalum in conuentu, aut extra, si querela referatur ad vtrumque vel ad vnum tantum.

20 Nec est necesse citare testes religiosos, nec seculares sponte accedere volentes, sed simplex vocatio sufficit, ex dictis cap. 15. num. 27. Notarius vero processum sic continuabit.

21 *Vocatus fuit die 4. Iulij 1661. F. N.N. de familia in hoc conuentu, de quo supra, tribus abhinc annis, sacerdos, ætatis annorum N. professionis N. testis requisitus ad iurandum, iurauit tacto pectore se veritatem dicturum super omnibus interrogationibus opportune sibi faciendis à Domino.*

22 Dominus ergo interrogabit reum, præmeditando prius, & componendo interrogationes iuxta exigentiam causæ, & delictorum, vt iuste, & prudenter fungatur officio suo non minus pro vno scilicet actore, quam altero scilicet reo, est enim iudex medius inter vtrumque inuestigaturus solam veritatem. Finitis interrogationibus Actuarius eas releget testi, vt recognet, an aliquid addendum, vel detrahendum, corrigendo se, quod illi licet antequam recedat à conspectu iudicis, cuius vltima interrogatio poterit esse hæc: An velit dicere aliud? Item an sciat, alios scire delinquentem quando desunt testes. Examen autem terminatur his verbis.

23 *Relectum autem fuit eius examen, quod confirmauit sua subscriptione, cum præcepto seruandi secretum in hac re à Domino illi factum*

Io Fra *N. confermo quanto he detto di sopra.*

24 In casu autem, quo testis se correxit, seu declarauit, id in actis constare debet his verbis.

25 *Dictus testis in relectione eius examinis se correxit hoc modo ad responsionem &c. Vel declarauit se his verbis.*

26 Præfatus modus seruandus est in omnibus testibus, quorum domicilium, gradus, ætas, & professio, fine distinctis interrogationibus, paucis exprimuntur vt supra, ad euitandam prolixitatem, contenti solo nomine *Patris Fratris* sine aliis titulis, qui non faciant ad rem.

27 Et hæc sufficiant pro formatione processus contra particularem, & certam personam, siue procedatur per viam denuntiationis, siue per viam accusationis, nisi quod in hoc accusator se subiicere debet pœnæ talionis, si non probauerit delictum, iuxta dicta cap. 3. sect. 4. & cap. 95. Pœna autem talionis non habet locum in denuntiatore, quia is cum agat pro bono communi, & non teneatur probare delictum, non potest supponi pœnæ talionis, quæ infligitur tantum obligatis probare, ex locis præcitatis.

Forma processus offensiui iudicis delegati contra certam personam.

28 In formando processum per iudicem delegatum eodem modo procedendum, quo in superioribus dictum fuit, existente differentia in eo, quod constare debet in actis de literis patentibus iudicis delegati, & secundum earum tenorem procedere debet, aliter nulliter agit, dum fines mandati excedit. Formatur autem sic.

29 *In nomine Christi, Amen. Anno à natiuitate eiusdem 1661. die 8. Augusti captus fuit iste processus in conuentu N.N. Fratrum Ordinis S. Dominici, contra F. N.N. eiusdem ordinis professum.*

30 *Admodum R. Pater Magister N. N. vti Iudex delegatus intendens, & volens exequi mandata Reuer. Patris Generalis in sequenti causa, & causis, de qua, & quibus in eius literis patentibus, & in forma probante hic productis supradicta die tenoris sequentis sub sig. o A. per me Notarium ab ipso electum lectis. & iustitiam ministrare ne delicta remaneant impunita. hunc processum inchoauit prout de iure &c. omni meliori modo &c.*

Dominus cætera præstat, quæ notauimus in præcedentibus, in primis visitando corpus delicti, & recognoscendo instrumenta, fracturas &c. deinde prosequitur examinando testes. Subiicio autem hic literas delegationis. 31

F. *Antonius &c.*

Cum ad aures nostras ex relatione personarum fide dignarum peruenerit, qualiter F. N.N. commiserit nonnulla crimina, quæ non debent remanere impunita, ideo huic malo remedium adhibere cupientes, cui nos pro nunc occurrere non possumus aliis negotiis occupati, tenore præsentium hanc causam, seu causas Tibi supradicto N N. delegamus cum facultate fabricandi processum, testes quoscunque examinandi, & cogendi, etiam si opus fuerit brachio seculari, & cætera quæque præstandi, quæ conducunt ad expeditionem huius, vel harum causarum. constituendi quoque reum, illumque examinandi, & sententiam ferendi secundum allegata, & probata, postpositis apicibus iuris, sola veritate inspecta, reseruantes nobis facultatem pœnas augendi, minuendi, commutandi, moderandi, & relaxandi quatenus opus erit. Datum &c. 32

Nota, quod delegatus non potest ferre sententiam, nisi in literis commissionis id exprimatur, vt in præsenti, quia est quid speciale, quod non subintelligitur, nisi exprimatur; esto quod eam ferre possit, quando id exprimitur in literis, tamen non potest facere eam exequi quia iam functus est officio suo terminatione sententiæ, lata enim sententia iurisdictio expirat, Sceccix apud de Bictis quæst. 157. num. 13. pœnas tamen apponere potest insertas in ipsa sententia incurrendas, nisi sententiam exequatur. 33

Forma processus offensiui contra personam incertam ex certo delicto.

Quandoque constat de commisso delicto, & ignoratur illius auctor, ideo forma huiusmodi processus exponenda est, siue inchoetur per iudicem ordinarium, siue delegatum, Actuarius poterit vti sequenti forma. 34

In nomine Christi. Amen Anno à Natiuitate eiusdem 1661. 3. Iunij cœptus fuit iste processus in conuentu N. N. Fratrum Ordinis S. Francisci super tali delicto N. cuius auctor ignoratur inuestigandus tamen. 35

Quoniam ad aures &c. Si iudex est Ordinarius iuxta dicta sub prima forma sin autem est delegatus, vtatur sequenti forma, quæ incipit: *Admodum Reuer. pater Magister.* Mutatis mutandis, & facta prius visitatione corporis delicti. Deinde quærat auctorem delicti vocando testes interrogando eos de propria scientia visitati delicti, & an sciant, alios esse informatos de auctore. Si nihil sciri possit, iudex omnibus examinatis, vlterius non procedat, sed supersedeat causæ, reseruata sibi facultate procedendi in causa, si indicia sibi erunt deinceps subministranda, faciendo id registrare in actis. 36

Forma processus offensiui contra certam personam notificatam in generali visitatione.

Quando in visitatione, quam solent facere superiores, aliquis denuntiatur de aliquo graui crimine, quod ad punitionem delinquentis exigit processum, cum de iure Ecclesiastico non exigatur iuramentum examinandis, cap. 5. quæst. 5 ideo necesse est aliam formare processum, descendendo ab inquisitione generali, ad specialem, pro qua datur sequens processus forma. Interim lege quæst. 9. dicti capitis. 37

In nomine Christi. Amen. Anno à Natiuitate eiusdem 1661. die 7. Septembris, cœptus fuit iste processus in conuentu N.N Fratrum Tertij Ordinis S. Francisci contra F. N.N. denuntiatum in visitatione generali habita in dicto conuentu die prima Septembris præfati anni, 38

quod

quod pluries commiserit adulterium, prout infra patebit.

39 *Reuerend igitur P. Magister Generalis eiusdem Ordinis intendens procedere in hac causa cum maiori diligentia, prout debitum sui officij exigit, me F. N N eius secretarium ex officio vocauit, & elegit in Actuarium ad conficiendum præsens processum, prout sequitur.*

40 *Vocatus fuit F. N N qui in Visitatione deposuerat. F. N. N. pluries adulterium commisisse cum N N. existens hic de familia pluribus abhinc annis, ætatis annorum 30. professionis 10. qui requisitus super iuramento calumnia iurauit tacto pectore, se veritatem dicturum ad opportunas interrogationes sibi faciendas à Domino*

41 *Interrog. Vt dicat quicquid deposuit in Visitatione generali.*

Resp. Padre io dissi à V. P. Reuerendissimi Come F. N N. haueua commercio con vna donna maritata, che si chiama N. N. se ben non sta in compagnia di suo marito passa vn' anno, che prattica in ea a sua, & questo lo dico per verità, e scarico dell' mia conscienza, perche è troppo gran scandalo, è tutti i vicini mormorano.

Interrog. in quo loco. & domo habita illa mulier.

℟. Nella casa chiamata N in Borgo N.

Interrog. Quinam habent cognitionem huius mala practica.

℟. Tutti i Padri, è Frati di questo conuento, & quelli del Borgo, cioè N N N

42 *Relecta ei fuerunt depositiones à Domino acceptata, quo ad partem fauorabilem & dimissus fuit cum subscriptione, & precepto de seruando silentio.*

Io F. N N. confermo quanto ho detto di sopra.

43 Nota hic, quod delictum hoc non eget visitatione corporis delicti, quia nullum post se reliquit vestigium, non deflorationem, nec ventrem tumidum, & si hæc extarent, non faciunt ad rem præsentem, dum quæritur tantum crimen adulterij, non stupri, probandum tamen est extare matrimonium, vt dicatur adulterium, non simplex fornicatio in ordine ad punitionem.

44 Si pluses fuerunt in Visitatione denuntiatores, assumatur pro speciali inquisitione debilior ex illis, vt ex alijs vti formalibus testibus valentioribus efficacior probatio conuincens resultet, & appareat in processu.

45 In examinandis autem testibus procedatur sicut in præcedentibus; & si potest crimen probari, & conuinci reus adulter cum solis testibus religiosis, Tertiariis, & aliis degentibus intra monasterium, non sunt vocandi extranei, quia sufficienter satisfactum est intentioni iustitiæ, dum reus puniri potest conuictus per testes religiosos. Aliter si scandalum est notorium, at non sufficiant testes de domo, ad extra sumantur, nisi extra scandalum timeatur.

46 Quod si superior in Visitatione vsus fuit iuramento, nihil prohibet, quin denunciatus possit puniri, si plures sint concordes in eodem delicto deponendo. Lege c. 3. Visitationes enim fiunt, vt delinquentes inuenti puniri possint.

Forma processus exceptionis contra certam personam, ne promoueatur ad officium.

47 Certum est, quod querelati super delicto grauatur opinio, ita quod semiplena probatio sufficit, ad excludendum prætensorem ab officio, ad quod non potest promoueri factus inhabilis per querelam semiplene probatam ex c. 91. q. 7. n. 29. Processus autem contra istum, sic formari potest.

48 *In Christi nomine, Amen. Anno à Natiuitate eiusdem 1660. die 8. Maij. in Monasterio S. Antonij ciuitatis N. Monachorum N. N captus fuit processus contra D. N. N. ad eum effectum, ne posset promoueri ad Abbatiam N. N. quam prætendit.*

49 *Comparuit igitur eodem die coram* Reuer. *Patre N. N.* *Abbate Generali D. N N & me Secretario ex officio Notario, & cum iuramento calumnia requisitus iurauit se dicturum veritatem, nempe his verbis: Padre Reuer. è commune voce, & fama, che D. N. N. pretende d'esser eletto Abbate, per tanto fo instanza à V. P. Reuer. come costui è indegno di tal dignità, alla quale è inhabile, perche lui spesse volte s'imbriaca, & anco al più delle volte parla sporcamente, & di questo ne farà testimonianza Fra N che ha cura della cantina, & anco* D. N. N. *& altri se farà bisogno.*

Dominus dictam exceptionem acceptauit, si & in quantum, & omni meliori modo mandando illi, vt se subscriberet. 50

Io D. Eugenio N. N. *confermo quanto hò detto di sopra.*

Dominus debet examinare vnum, vel alterum testem, 51 aut alios pro suo arbitrio, cum vnus integer, & fide dignus non patiens aliquam exceptionem sufficiat ad repellendum à promotione, ex q. 7. c. 91. Habitis testibus index ipsum auditum, & nihil solide probantem declarat inhabilem ad eam promotionem. Vel admonet eum, vt desistat, quod sufficit, cum processus iste non ordinetur ad punitionem, sed ad prohibitionem promotionis, & vocatur hæc causa ciuilis inducta propter bonum subditorum, ne à malis ministris perturbentur, & vexentur ab eorum prauis exemplis.

SECTIO II.

De Forma processus Defensiui.

Fabricato processu offensiuo, quo probatur delictum 52 fuisse commissum à persona querelata, audiendus est querelatus, quia inauditus condemnari non potest c. 85. n. 14. vnde citandus est, & constituendus sub examine, vt reddat rationem eorum, de quibus fuit imputatus.

Processus autem Defensiuus sex pariter partibus, sicut 53 Offensiuus constat, nempe constitutione rei per citationem, interrogatione facta a iudice, Responsione rei, quibus dicitur lis contestari, Tortura, quando negat delictum ad minus semiprobatum. Defensione, quæ est potissima pars ad fauorem rei, à qua denominatur processus. Demum Conclusione in causa, in qua tam Actor, quam Reus renunciant iuribus suis, se remittentes iustitiæ.

Index autem reum ante se constitutum monere debet 54 in genere, & in communi de statu causæ, quæ contra se ventilatur, & quod constant in actis, ea quæ sufficiunt ad interrogandum iuridice illum, ac proinde teneri sub iuramento respondere interrogationibus, & dicere veritatem, iuxta tradita sub c. 67 Præmissa monitione sic formari potest processus defensiuus rei præsentis, de absente dicitur infra.

Citatus fuit, F. N. N. *Reus hac die* N. N. *anni 1660.* 55 *ex carceribus eductus* (si erat carceratus) *& coram Domino constitutus personaliter,* (si adsunt complices in processu offensiuo) *principalis quo ad se, & testis quo ad alios, ætatis suæ annorum 40. religionis decem, & declarato ei statu causæ suæ in genere, nempe quod in actis habentur & quæ requiruntur ad eum iuridice interrogandum, præmissa ei quoque sibi a Domino monitio de dicenda veritate, requisitus sub iuramento de eadem veritate dicenda, iurauerit, se veritatem responsurum tactis sacris scripturis.* (Si non est sacerdos.) *Respondit autem vt infra.*

Interrogationes autem fiunt opportunæ, & inchoëntur 56 à longe, & paulatim deueniatur ad delictum, de quo in actis, & detur ei libertas dicendi quæcunque vult, vt si persistat in negatiua, possit in aliis constitutis redargui, & reduci ad contradictoria, & cogatur confusus fateri veritatem. Notarius autem in scriptis redigat eius formalia verba, & etiam gestus, vultus alterationes, suspiria &c. ex quibus, & aliis signis deprehenditur inconstantia rei. Dominus videns post multas interrogationes eum persistere in negatiua, moneat eum similibus verbis, quæ à Notario scribantur in processu.

57 *Dominus sæpius monuit constitutum, vt recederet à mendacijs, & periurio, dicendo veritatem, quia in actis constat, eum commisisse delictum N.*

58 Finitis interrogationibus, dimittitur reus cum protestatione, & animo prosequendi examen, vt inducatur ad dicendum veritatem. Dimissio autem sic formatur.

59 *Relectum examen confirmauit, & propria manu subscripsit, & dimissus fuit ad carceres, animo continuandi examen, cum præcepto de silentio &c.*

Io F.N N. *conferme quanto sue detto di sopra.*

60 Si reus non erat in carceribus persistens in negatiua, merito dubitari potest de eius fuga, ideo iudex faciat sequens decretum de reo carcerando.

61 *Dominus visis videndis, & diligenter perpensis omnibus, quæ contra* F. N. N. *reum constitutum resultant, cum delictum, de quo agitur, sit de genere eorum, quorum fuga timeri potest mandauit, prout præsenti decreto hoc die* N.N. *facto mandat dictum* F.N N. *capi & carceribus mancipari ad custodiam, ne in libertate existens fugiat.*

Testor autem ego N. *Actuarius, dictum decretum per me fuisse intimatum prædicto* F. N.N. *eumque fuisse carceribus mancipatum eodem die, de quo supra.*

62 Quoniam reus in negatiua persistens pluries potest examinari, vt ab eo aliquo modo eruatur veritas, sequitur forma secundo, & pluries illum constituendi.

63 *Vocatus, & è carceribus eductus ad locum solitum examinis* F.N. N. *coram Domino, iterum constitutus, & requisitus cum iuramento ad dicendum veritatem iurauit &c.*

64 Hæc formula seruit pro omnibus constitutis successiue faciendis, post vnum, & alterum constitutum Dominus considerans, se tempus perdere in examine rei duræ ceruicis, si non est conuictus comminabitur ei torturam sequenti decreto.

65 *Dominus animaduertens per examen satius factum* F. N.N *in dies magis obduriorem, & obstinatiorem remanere nolendo fateri veritatem fecit decretum, prout facit præsenti scripto, vt* F. N. *torqueretur ad eruendam ab eo veritatem, absque præiudicio probatorum vnde mandauit mihi Actuario, & mandat registrari in actis hoc decretum de torquendo præfatum* F. N.N. *vt vi tormentorum cogatur fateri veritatem, quod decretum fecit de consilio* N.N. *qui processu scienter inspecto, dixit posse subijci tortura per funiculam.*

66 Hora opportuna reus è carceribus eductus conducitur ad locum torturæ Dominus eum hortatur ad dicendam veritatem, aliter torquendus est, & non est necesse, quod antea id ei intimatum fuerit, stante eius obstinatione id enim excogitare, & timere poterat, igitur ante monendus non est, ne sumat ea hoc occasionem appellandi à decreto torturæ. Formabitur autem sic factum torturæ

67 *Vocatus fuit è carceribus die* N *anni* N. F. N. N. *& constitutus coram Domino, præmisso solito iuramento, quo iurauit se dicturum veritatem, & monitus serio à Domino de ea dicenda, aliter torquetur immediate, & quia sua responsione voluit obstinate permanere in negatiua, ligatus fuit, & eleuatus per funem ad formam decreti supradicti, sæpius exhortatus ad veritatem dicendam tandem in fine primi quadrantis dixit, deponetemi, che dirola verita. Dominus subiunxit dicas illam nunc, & postea te liberabo à tormentis. Respondit subito Padre io ho amallato N. con vn pugnale dandoli due ferite, vna nel stomacho, l'altra nella gola. Post confessionem depositus fuit è fune, & reductus in carcerem*

68 Confessio facta à reis in tormentis nihil valet, nisi ratificetur libere ab eisdem, quod fieri potest sequenti, aut tertio die, ex dictis cap. 79. Notarius scribit in hanc formam.

69 *Vocatus fuit die* N N. *post illatam torturam* F. N N. *reus constitutus, & à Domino interrogatus an velit ratificare confessionem, quam heri fecit in tormentis, qui respondit. Padre si che la voglio ratificare, & è vero, che io ho amallato &c. subscripsit.*

Ratificata igitur confessione, adhuc illi offerendæ sunt defensiones tradendo copiam processus, quæ dicitur publicari, si eas renuntiet remittendo se benignitati iudicis, nihil aliud remanet, quam concludere in causa, & deuenire ad sententiam. Notarius igitur faciet decretum Domini de oblatis defensionibus, & renuntiatione earum hoc modo. 70

Dominus die N *N. obtulit copiam processus* F. *N. reo constituto coram se, ad effectum se defendendi, qui reus oblatione bene perpensa renuntiauit libere, & voluntarie defensionibus, dicendo se illis non indigere, quia reuera delictum confessum commisit, de quo valde se dolet, remittendo se benignitati Domini. Qui Dominus omnia, & singula acceptauit, si, & in quantum &c. mandauit, vt subscriberet &c.* 71

Forma pro defensionibus Rei.

Notandum est, quod testes vel repetendi sunt, vel pro rite examinatis habendi sunt à reo, antequam illi detur copia processus, loquendo de reis non regularibus, iuxta dicta cap. 40. quæ repetitio nec iure, nec verbo necessaria est in regularibus, cum sit apex iuris, vt dixi ibidem sub num. 12. Forma autem oblationis, seu petitionis defensionum sic scribitur à Notario. 72

Dominus volens vlterius procedere in causa petitas à F. *N reo defensiones, mandauit mihi Actuario, vt illi traderem copiam processus, vt per illum posset se defendere, prout sic illo mandante præsenti decreto obediui dando copiam processus. Qui Dominus sub sequenter alio pariter decreto eidem reo assignauit pro Procuratore, & Aduocato in causa vnum ex his tribus Patribus à se eligendum pro defensione sua causæ, nempe P N.N. & P N N atque P. N.N. quorum primum reus sibi elegit, eidemque assignauit, prout assignat spatium trium dierum ad se defendendum, hac die N.N.* 73

In casu quo reus intra illud spatium temporis non potest producere suas defensiones, dentur alij tres, vel plures dies iuxta exigentiam negotij, Defensor autem id petere potest, Notario sic scribente in actis. 74

Pater Magister F.N.N. vti Defensor F N.N. *comparuit coram Domino, & petiit sibi prorogari terminum datum ad faciendas eius defensiones, quas non potuit perficere, ideo institit, & instat omni meliori modo sibi tempus prorogari. Qui Dominus admissa petitione, si &c. & in quantum &c. terminum præfatum prorogando concessit insuper alios quatuor dies, se declarando nolle amplius dictum tempus prorogare, omni &c. sub die N N.* 75

Expeditis defensionibus Defensor rei illas præsentabit iudici considerandas an reuera se defenderit reus, an non, quod raro accidere solet, præsertim si confessus fuit, immo & conuictus. Præsentatio autem in actis scribitur hoc modo. 76

Comparuit hac die N. *mensis* N. *supradicti anni* N. N. *Defensor N N & eius nomine præsentauit Domino defensiones, quæ incipiunt sic: Defensiones pro* F. *&c. Et finiunt in hæc verba Ego* F N. Defensor, *& Aduocatus instando pro earum admissione, & causæ expeditione fauore rei prætensi. Qui Dominus eas admisit, si &c. & inquantum &c. mandauitque mihi easdem defensiones inserere in actis prout &c. omni &c.* 77

Si defensiones sint efficaces, & directe probent innocentiam rei, quod raro accidit, absoluatur reus ab impeditis; si nihil ad propositum fuerit probatum, nec elisum delictum, super quo fuit conuictus, vel confessus iudex procedat ad sententiam citatis reo, & eius Defensore, iuxta dicenda inferius sect. 3 Defensione reorum dial cap. 81. & 82. 78

Quamuis conclusio in causa non sit de substantia- 79

libus

libus processus, ex allegatis à Maranta part. 6. art. 15. num. 9. & ideo eius omissio non viriat processum, tamen finito tempore pro defensionibus reo assignato iudex debet decernere, se causam habere pro conclusa ne procedatur in infinitum, rei enim id vellent, ne vnquam deueniretur ad pœnam, ideo non est necesse citare partes, sed iudex ex officio suo facere decretum huius tenoris.

80 *Dominus attentis in processu tam offensiuo, quam defensiuo productis hinc inde à patribus & elapso tempore pro definitionibus rei assignato præsentium tenore decreuit, & decernit præsentem causam esse habendam pro conclusa prout ipsemet Dominus habet hac die N. N.*

Forma citandi reum absentem.

81 Solent delinquentes arripere fugam, ne carcerentur, & quantum facere possunt, vt immunes à pœnis euadant, formato igitur processu offensiuo, & informatiuo, si delictum est probatum ad minus semiplene, citandus est reus ad comparendum, & respondendum iudici, quare non debeat condemnari. De quare dixi c. 86. Forma citationis sit hæc.

82 *Nos F. N. N. tenore præsentium mandamus tibi N. N. absenti, & fugitiuo personaliter, si repertus fueris, secus ad conuentum tuæ habitationis ciuitatis N. per affixionem præsentium, quatenus infra spatium quindecim dierum, incipiendorum ab hac die N. affixionis quorum quinque primos pro primo termino, alios vero quinque pro secundo, postremos demum alios 4. cuique pro vltimo, & peremptorio termino monitorio assignamus, post præsentium intimationem tibi quomodolibet factam personaliter, & non per interpositam personam coram nobis comparere debeas ad parendum nostris mandatis, & ad respondendum super his, de quibus fueris à nobis interrogatus in causa processus contra te fabricati, prout in actis, & allegandum, & deducendum quidquid allegare, & deducere poteris, quare condemnari non debeas super delictum, seu delicta, de quibus in actio constat. Quod si infra dictum tempus pro trina, & canonica monitione tibi facta non comparueris, tanquam contumacem, conuictum, & confessum contra te supradictum F. N. procedemus, omni meliori &c. In quorum fidem datum in nostro conuentu &c.*

F. *N. N. iudex.*

F. *N. N. Notarius.*

83 Iudex autem mandare debet, vt citatio supradicta affigatur in loco solito, vt possit innotescere reo fugitiuo, solet autem affigi in Refectorio conuentus à quo fugam arripuit, vnde Notarius subiunget in processu fidem affixionis.

84 *Dominus mandauit affigi supradictam citationem contra N. N. affixa autem fuit die N. ad Refectorium more solito, prout retulit F. N. N. cui talis affixio fuerat commissa.*

85 Quod si comparuerit, mancipetur carceribus, & tempore opportuno examinetur, & in actis constet eius comparitio his verbis.

86 *Comparuit F. N. N. die N. N. qui fuerat citatus, vt patet per edictum supra in actis registratum, & in carceribus se constituit paratus obedire mandatis Domini.*

87 Si non comparuerit infra tempus præfixum, tanquam contumax condemnetur iterum citatus post paucos dies, vt dicitur infra in forma condemnationis contumacis.

SECTIO III.

De forma Processus Sententiatiui.

88 Finito processu informatiuo, & defensiuo cum terminis datis reo ad se defendendum, restat, vt iudex concludat in causa, & subsequenter veniat ad sententiam, per quam terminatur tandem processus. De condemnatione reorum dixi cap. 85. & de condemnatione contumacium cap. 86. de sententiis ferendis cap. 88.

Debet autem iudex citare reum, non ad se defendendum, cum iam se defenderit ante conclusionem in causa, sed ad audiendam sibi legere sententiam cap. 65. quæst. 5. & cap. 88. num. 17. cuius citatio sic formari potest. 89

Dominus mandauit citari F. N. N reum per me Actuarium ad audiendam sibi sententiam per me intimandam, & legendam infra diem N. quam in eius faciem legit, & intimauit die N eamque acceptauit, vt apparet ex eius subscriptione. Estque tenoris sequentis. 90

Christi nomine inuocato. Nos F. Antonius de Opicibus Magister in sacra Theologia. Religionis N. Prouincialis in Prouincia Burgundiæ & iudex Ordinarius, visis, & diligenter examinatis, & discussis causis, indiciis, & probationibus allatis contra F. N. N. eiusdem nostri Ordinis Sacerdotem professum, & eius examine, responsionibus, & defensionibus vti inefficacibus, & non reuelantibus, & adhibitis peritorum consiliis, solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram definitiuam sententiam, quam in his scriptis ferimus. Dicimus, sententiamus, pronuntiamus atque definimus, præfatum F. esse de iure punibilem, & condemnandum ad triremes per triennium, prout illum condemnamus, & sententiamus ad eandem triremium pœnam per triennium, omni meliori modo, &c. Reseruantes moderationem huius pœnæ arbitrio Reuerendissimi Patris Generalis.

Lata, lecta, & publicata fuit die N. *mensis* N. *anni* N. *hac præsens sententia in nostra camera residentiæ, vt supra, præsentibus infrascriptis testibus rogatis intimanda per nostrum* Notarium *eidem reo condemnato.*

F. *Antonius Prouincialis, & iudex.*

F. *Petrus* N. *Testis præsens.*

F. *Thomas* N. *Testis præsens.*

F N. Notarius, *& Actuarius scripsi, & registraui.*

Quod si Iudex ipse, vel per suum Notarium velit sententiam iam scriptam legere, publicare, & intimare simul reo, id facere poterit, prius eum monendo, & citando ad audiendam sibi legere, & ferre sententiam in eius faciem, quam si acceptauerit, subscribat, & promittat eius executionem, quod si velit appellare, decem dies habet ad id faciendum, ex dictis c. 89. q. 5. Et quando reus acceptat sententiam latam, & lectam in eius faciem, non est opus testibus, sed solum quando fertur in absentem, vel contumacem. Vnde ferri potest à iudice Parmæ existente coram testibus, & deinde eam intimare, & legere reo existenti Regis per testium a se deputatum. Facta autem appellatio sic formari potest, & in scriptis redigi. 91

Ego F. N. ab hac vestra sententia admodum R. P. N. iudex contra me iniuste latam ordine iuris non seruato, testibus plures exceptiones patientibus, qua me ad triremes damnastis, appello ad Reuer. Patrem Generalem nostrum, protestando cum omni reuerentia, & humilitate vt eam recipiatis, & nihil deinceps contra me innouetis, quia intendo innocentiam meam ostendere, & hoc omni meliori modo, & forma, quibus de iure appellare possum, vocando in testes præsentes religiosos subscribendos huic meæ appellationi factæ coram vobis hac die N. mensis N. & anni in hoc conuentu. 92

Iudex non iustam appellationem, sed tantum friuolam, & vanam negare potest, quando scilicet nullum grauamen illi fuit illatum; Vide cap. 89. de appell. in communi, de appellat. relig. cap. 90. peccat non admittens legitimam cap. 89. n. 14. confessus, & conuictus non appellat c. 78. & 58. Forma admissionis appellationis est sequens. 93

Dominus auditam appellationem coram se factam à F. N. admisit, si & in quantum &c. 94

Admissa autẽ appellatione, Dominus debet Apostolos, 95

hoc est, licentiam dare appellanti cum copia processus, qua possit accedere iudicem, ad quem appellauit, iuxta dicta cap. 89. num. 117. Forma sit sequens.

96 *Reuer. P. ter. F. N. à me appellauit ad paternitatem suam Reuerendissimam à sententia definitiua, quam tuleram contra ipsum reum probatum legitime de N. perpetrato contra N condemnando illum ad triremium per triennium, vt latius de his apparet in copia processus illi consignata, quare eundem appellantem à meo iudicio ad illud R P T. præsentibus Apostolis, & literis dimissorijs dirigo, & dimitto Datum &c.*

97 Tradatur appellanti copia, vt valeat se defendere, quam suis expensis recipere debet à Notario, iuxta dicta cap 49 num. 21. cap. 89. 120.

98 Quod si Dominus iudicet, appellationem vanam, friuolam, & inutilem, potest eam negare, quia non est admittenda sine grauamine cap 89. a num. 6. ad 12. Sic autem formatur.

99 *Dominus animaduertens appellationem interpositam à F. N. esse friuolam, & inanem eam non admisit, sed negauit appellanti.*

Forma sententiæ condemnatoriæ cum expressione causæ.

100 Iudices altercantur an in sententia exprimenda sit causa, per quam iudex mouetur ad sententiandum, asserentibus nonnullis, meliús esse eam subticere quam exprimere, cum insufficiens exponi possit, & bona, sed melior sub iceri. Vide cap. 88. quæst. 34. num 34. Eius forma est sequens.

101 *Christi nomine inuocato. Nos Frater N. N & iudex Ordinarius, visis, & consideratis omnibus, quæ spectant ad præsentem causam & processum contra F. N fabricatum ex quo constat, illum esse conuictum legitimis testib. & proprio ore confessum homicidium ex proposito perpetratum contra personam N. clericum, ac proinde sacrilegum, ideo authoritate officij nostri Prouincialatus, quo fungimur, nostris inhærendo Regula, & constitutionibus supradictum F. N. reum conuictum, & confessum de dicto homicidio, definimus, sententiamus, & condemnamus ad pœnam triremium in perpetuum. Et ita dicimus, & definimus omni meliori modo, via, & forma, quibus de iure melius fieri potest Lata, lecta. &c.*

102 Quando sententia iam scripta est, potest simul & semel eam ferre, publicare, & intimare in faciem rei, quod est expeditius, subscriptam ab ipso iudice, notario, & reo eam acceptante, prætermissis testibus, qui adhibentur solum cum fertur contra reum absentem, & non præsenti conferetur.

Forma sententiæ ferendæ contra contumacem.

103 Fugitiuus non obediens cum possit, & debeat, si possit, elapso termino expresso in eius citatione euadit contumax, si non comparet, ex dictis cap. 86. & supra hic in sect. 2. sub num. 81. Deinde expectato altero die post elapsum tempus citationis, si non comparet citatur adhuc ad audiendam sententiam contra eum ferendam intra spatium e.g. trium dierum, feratur tertio die in hunc modum, qui sequitur, exponendo citationem in loco solito.

104 *Cum nos te F N N citauerimus, prout in actis apparet, ad respondendum iis, quæ contra te obiciuntur in processu per nos fabricato, & elapso termino citationis, non comparuisti, vti inobedientem, & contumacem, te de nouo citamus auditurum sententiam definitiuam, quam contra te ferre, & legere intendimus die N. monendo te, siue compareas, siue non qualiter vti conuictum, & confessum condemnabimus in pœnas tibi de iure debitas. Datum*

105 Subscribat index cum Notario, & affigatur in loco solito per religiosum deputatum, qui referat in actis hoc modo

106 *F N. deputatus ad affigendam dictam citationem retulit mihi Notario se illam affixisse in loco solito hac die N.*

Adueniente die præfixo, non ante, nec post, iudex ferat sententiam præsentibus testibus duobus, qui possint de ea lata testificari, quando opus fuerit, & omnes subscribant cum Notario. Forma sententiæ sequitur.

Christi nomine inuocato. 107

Nos F N. N. iudex ordinarius cum fabricauerimus processum contra F. N. existentem indiciatum per testes legitimos, quod occiderit N. N. & ipsum citauerimus ad comparendum coram nobis ad se defendendum & allegandas causas quare non debeat condemnari, assignato tempore debito, intra quod, nec vltra illud comparuit, vnde contra illum tanquam contumacem, procedere ad sententiam definitiuam, prout ius, & iustitia suadent, deliberantes, eundem citauimus vltimo ad audiendam sententiam ferendam, & sibi legendam præfata die N. de quibus in actis, prout in his scriptis fecimus vti contra conuictum, & confessum. Dicimus itaque pronuntiamus, & definimus dictum F. N. homicidam condemnamus ad triremes in perpetuum, omni meliori modo, & forma, quibus de iure fieri potest, cuius executionem pro iuribus nostris mandabimus Ministris iustitiæ secularis. vbicunque supra dictus contumax repertus fuerit. Datum &c.

Forma Sententiæ absolutoriæ.

Reus, quando clare, & manifeste probat suam innocentiam, tunc absoluitur, & declaratur innocens. Quod si id non probat, & licet habeat contra se probationes insufficientes ad condemnationem, vel non possit cum tortura euacuare omnia indicia, aut ex alio capite processus sit male fabricatus, ideo non est absoluendus ex capite innocentiæ, sed tantum ab impetitis rebus stantibus, prout stant, & citandus est fiscalis, seu actor, si habeat aliquid opponere, quia iudex vult deuenire ad sententiam absolutoriam. Forma absolutionis ex capite innocentiæ est sequens. 108

Christi nomine inuocato. 109

Nos frater N N. iudex ordinarius, visis, & diligenter discussis omnibus, & singulis actibus in processu contra F. N. N. fabricato & consensu querelatū à F N quod occiderit N. quæ querela cum nobis plane, & manifeste constiterit ex defensione ipsius querelati esse falsa, & calumniosa, ipsumque F. N prætensum reum, esse omnino innocentem, ideo dictum F. N. per hanc nostram definitiuam sententiam declaramus, tale homicidium sibi calumniose imputatum non perpetrasse seu in hoc omnino esse innocentem, & talem declaramus ipsum, & omni meliori modo. Ipsumque sic absolutum declaramus, per dictam querelam non fuisse effectum inhabilem ad quæcunque officia, & dignitates, seu superioritates, ad quæ dicimus ipsum de iure esse restitutum, & restituendum, si de facto ab illis fuit amotus ac si nunquam fuisset querelatus. Lata, lecta &c.

Calumniator vero, qui innocentem accusauit pro vocante, eadem pœna, qua punitus fuisset inculpatus, si vere probatus fuisset reus, plectendus est accusator, & dicitur hæc pœna talionis, de qua egi cap. 95. iuxta ibi dicta iudex procedat, non in eadem pœna, sed mitiori, citando prius calumniatorem sub his verbis. 110

Citetur per F N à nobis deputatum F. N. N. *ad respondendum quare non debeat iudicialiter puniri pœna talionis, eo quod calumniose accusauit* F. N. N. *de cuius innocentia constat ex actibus, qui infra quinque dies comparere teneatur ab affixione huius citationis vel cum personaliter inuenietur infra dictum spatium, quo elapso sine alia citatione, condemnabitur. Datum &c.* Subscribat iudex cum Notario, & tradatur deputato, vt inueniat calumniatorē, & conducat ad iudicem, vel affigat citationem, si se abscondit, & referat. 111

Comparuit F. N. *deputatus, & retulit mediante suo iuramento, non inuenisse* F N. *Calumniatorem, & ideo citationem affixisse in loco solito Refectorij, prout ipse mihi Notario relationem fecit.* 112

Transactis quinque diebus, & non comparente, citetur

auditurus

auditurus sententiam contra se ferendam, his verbis fiat citatio.

113 *Citetur per N. N. deputatum F. N contumax auditurus sententiam condemnatoriam contra se ferendam die N. per affixionem huius citationis in loco solito, si comparuerit, siue non ceadernnabitur prefixo die.*

114 *Compony F. N. deputatus, & suo iuramento firmauit, se citationem præfatam contra N. N. affixisse loco solito.*

115 Adueniente die præfixo in citatione audiendi sententiam iudex eodem die ferat sententiam contra calumniatorem contumacem, sub his verbis.

Christi nomine inuocato.

116 *Nos F. N. N. iudex Ordinarius, cum ex actis iudicialibus, quibus F. N. se defendit à calumnia sib illata F. N N & ex sententia absolutoria, qua illum innocentem declarauimus, constet, dictum F. N esse calumniatorem, tenore eius sententia eandem F. N talem declaramus, & condemnamus ad triremes per quinquennium, & ita dicimus, & definitiue declaramus, & sententiamat prout de iure, & omni meliori modo. Lata, lecta, & publicata &c.*

Si comparet carceretur, & expediatur vt supra, neque enim debet remanere impunitus, vt sit in exemplum aliorum.

117 Quod si querelatus innocentiam concludenter probare non potest, non conuictus, sed tantum indiciatus non valens indicia in totum purgare, limitate absoluitur ab ea instantia, citato actore, seu fisco, si aliquid habet allegare, per quod non sit absoluendus. Sententia autem sic fertur.

Christi nomine inuocato.

Nos Frater N. N. iudex ordinarius, viso processu fabricato contra F. N. N. indiciatum de homicidio, quod probatum non fuit, ideo eundem F. N. N. pro nunc stantibus rebus prout stant, & ex hactenus deductis, dicimus, & declaramus, eum esse absoluendum à præsenti instantia, prout per præsentem sententiam absoluimus, quod que &c. si, & in quantum, &c. absque praiudicio probationum de nouo emergentium, &c. Lata, lecta, & publicata &c.

Forma Sententiæ ferenda contra incorrigibilem.

118 Quis dicatur incorrigibilis ad effectum eiiciendi illum à religione, dixi cap. 98. eum esse, qui conuictus, vel confessus tria delicta de illis fuit punitus. Iudex ergo illum condemnaturus citabit sequenti citatione ad audiendam sibi legendam sententiam incorrigibilitatis, & expulsionis.

Citetur per F. N. N. deputatum F. N. N. ad audiendam sententiam contra se ferendam de eius incorrigibilitate, & expulsione à religione. Vel ei legatur in faciem, quod erit loco citationis, immo & ipsa citatio, sufficienter enim monetur per lectionem ab eo auditam, & subscriptam. Forma autem sententiæ est hæc, quæ sequitur. 119

Christi nomine inuocato.

Nos Frater N N. Generalis Ordinis N. cum consilio, & assensu Patrum ad formam Decretorum de Eiectis & Apostatis editorum à Sacra Congregatione de mandato sanctæ memoriæ Vrbani VIII. visis, & consideratis omnibus, & singulis, quæ continentur in processu formato coram nobis super incorrigibilitate F. N. N. eiusdem nostri Ordinis professi, alias in seculo nuncupati N. expertaque eius vera incorrigibilitate spatio vnius anni carceris in ieiunio, & pœnitentiis, in quibus nihil profecit, sed animo indurato in ea perseuerauit, ne alios inficiat, tenore præsentium dictum F. N. N sententiamus, pronuntiamus, & definitiue declaramus esse verum incorrigibilem, & vti talem à nostra religione, per hanc nostram definitiuam, sententiam eiicimus exutos eum habitu religioso, & eiectum, ac spoliatum esse volumus, declarantes, eum deinceps esse subiectum iurisdictioni Illustr. & Reuer. D Episcopi N. sub cuius obedientia dixit se velle esse, ad quem propterea eum direximus, cum notificatione sententia. Et ita dicimus, & sententiamus omni meliori &c. 120

Lata, lecta, & publicata fuit die N N in camera, nostra residentia conuentus N. præsentibus pro testibus N. N. ad hoc vocatis.

Similem referunt Pirrhus Corradus in sua praxi dispensationum Apostolicarum lib. 5. cap. 14. & Donatus part. 2. tract. 8. quæst. 17. ex Mancello Megalio in sua Praxi crim. cap. 21. num. 9. de S. Iuliano in fine §. 56. Petrus ab Angelis in Addit. fin. §. 5. numer. 4. Nostra autem ab illorum formis quasi vniformibus distat, sicut ab alia posita à Portello 14. Eiicere in Addit. quæ non est ad tenorem horum Decretorum, de quibus ideo in illa nulla fit mentio.



DE PROFESSIONE REGVLARI,

AD LEGES IVRIS COMMVNIS, ET CONSTItutiones summorum Pontificum, tum antiquorum, tum modernorum, cum omnibus fere Decisionibus per extensum, Sacra Rota Romana, in fine operis, quæ hucusque emanarunt in lucem.

CAPVT PRIMVM.

De Religione ex Professione Regulari.

1 *Religio dicitur à baptismate, Clericatu, & Professione.*
2 *Religio, & Christianitas idem in ordine ad baptismum.*
3 *Religio dicitur à Clericatu prima tonsura, & ordinum,*
4 *Religio tertio modo dicitur à Professione Regulari.*
5 *Hæ tres species Religionis in quibus conueniant, & differant.*
6 *Clericatus, & Professio non subordinantur.*
7 *Clerici pascunt oues, Monachi pascuntur.*
8 *Clericatus, & professatus coæuea fuerunt.*
9 *Apostoli omnes veri, & propriè Religiosi 13.*
10 *Negans Religionem à baptismate, & clericatu est formalis hæreticus.*
11 *Negans eis professionem est suspectus vehementer de hæresi.*
12 *Ecclesia à Christo inchoata ex tribus partibus perficitur, ibus eam Clericis, Monachis, & Laicis.*
13 *Apostolos fuisse vere religiosos probatur ex Sacra Scriptura. 9.*
14 *Apostoli secuti sunt Christum associando, imitando, & obediendo illi.*
15 *Exercendo officium prædicationis,*
16 Qui non odit vxorem. *Odio scilicet copulæ carnalis.*
17 *Apostoli fecerunt votum Paupertatis dum omnibus relictis secuti sunt Christum.*
18 *Apostolos fuisse Religiosos probatur auctoritate Patrum.*
19 *Apostolis religiosi successerunt.*
20 *Religio Ecclesiæ coæua semper fuit, & perseuerabit vsque ad finem mundi.*
21 *Canonici Regulares ab Apostolis descendunt*
22 *Institutio, & erectio Religionis cum Ecclesia à Christo Domino.*
23 *Christus immediate Religionem instituit.*
24 *Id de Iure Diuino dicitur, quod ab eo est, sine hominis adiutorio.*
25 *Institutio, & erectio Religionis differunt.*
26 *Religio Apostolorum tantum fuit instituta, & erecta à Christo.*
27 *Reliquæ à Deo institutæ de iure vero Ecclesiastico erectæ*
28 *Omnes Religiones à Fundatore dispositiue eriguntur, approbatione Papæ perficiuntur.*
29 *Canonici Regulares Lateranenses à Christo instituti, sed ab Apostolis erecti.*
30 *Ordinem Sancti Francisci quidam dicunt esse institutum, & erectum à Christo.*
31 *Sed reuera tantum erectus fuit à Sancto Francisco.*
32 *Religio qualibet à Fundatore erigitur à Papa approbatur.*
33 *Omnes Religiones, præter Apostolicam, dicuntur esse de iure positiuo Apostolico.*
34 *Religionis variæ definitiones.*
35 *Propria Auctoris definitio.*
36 *Septem sunt de ratione constitutiua Religionis.*
37 *Ratio differentialis constitutiua Religionis est professio.*
38 *Habitus enunciat de homine, & talis præsumitur, in quali habitu inuenitur.*
39 *Habitus non facit Monachum. Est vera ante Tridentinum.*
40 *Quatuor causæ assignantur in definitione Religionis.*
41 *Religio multipliciter diuiditur.*
42 *Monasteria dupla ex cohabitatione professorum vtriusque sexus.*
43 *Mendicantes alij, alij Canonici, & Monachi.*
44 *Ordinis Mendicantium quatuor principales.*
45 *Tertiarij sunt Mendicantes.*
46 *Tertiarij præferuntur Minimis.*
47 *Alij Mendicantes tradictis adiuncti.*
48 *Canonici, & Monachi gaudent priuilegiis Mendicantium.*
49 *Militares sunt vere Religiosi.*
50 *Militares non inuenti gaudere priuilegiis Mendicantium.*
51 *Canonici Regulares ex instituto sunt Clerici.*
52 *Monachi non ex instituto, sed ex priuilegio tantum sunt Clerici.*
53 *Nulla Religio dicitur succedere Clericis.*
54 *Nulla Religio fuit ante Christum, à quo omnis ordinatur.*
55 *Religio est species Ecclesiæ Militantis.*
56 *Religio magis habet rationem Congregationis, quam qualibet Ecclesia Secularis.*
57 *Religio virtus est iustitia.*
58 *Ecclesiastici vocabulum accipitur multis modis.*
59 *Ecclesiasticus qui gaudet vtroque priuilegio.*
60 *Sacrum quid sit? Et quæ res dicantur Sacræ.*
61 *Spirituale quid sit?*
62 *Religio est status Ecclesiasticus, Sacer, & Spiritualis.*
63 *Est status firmus immobilis & perpetuus.*
64 *Perpetuitas est de ratione Religionis*
65 *Religionis professio est perpetua.*
66 *Nec Papa in eius perpetuitate dispensare potest quoad tempus.*
67 *Religio est species donationis irreuocabilis ex parte professi.*
68 *Donatio de se irreuocabilis.*
69 *Apostoli successores habuerunt Religiosos.*
70 *Libertatis status quid sit?*

71 *Serui*

71 *Seruitutis status quid sit?*
72 *Religiosus in multis comparatur seruo,*
73 *Religio est status libertatis.*
74 *Ecclesia est libera libertate legis Euangelica exempta à Laica potestate.*
75 *Status seruitutis coactus est.*
76 *Religio non est pretio astimabilis.*
77 *Libertas non est pretio astimabilis.*
78 *Seruitus est status vilis,& miser.*
79 *Serui incapaces honorum.*
80 *Æquiparatio inter seruum , & Religiosum non est in omnibus.*
81 *Religiosus,& seruus non sunt sui iuris , & diuersis titulis.*
82 *Seruus seruit domino , Religiosus vero obedit , non seruit.*
83 *Mortui sunt mundo.*
84 *Viuere dicuntur in multis.*
85 *Non est mortuus in successionibus.*
86 *Vsumfructum transfert in Monasterium ad vitam suam.*
87 *Testari non potest.*
88 *Iustitia obligatio non datur in superiorem , & subditum*
89 *Religio est status honorificus,& nobilissimus.*
90 *Tria Vota, Paupertatis,Castitatis,& Obedientia , sunt de intrinseca ratione Religionis.*
91 *Tria Vota pradicta emittens etiam limitata vere est Religiosus.*
92 *Militares de tribus votis proprie sunt Religiosi.*
93 *Qui vero emittant tantum duo sunt analogice Religiosi.*
94 *Illa tria cadere debent sub ratione Voti.*
95 *Donationis de substantia est acceptatio.*
96 *Promissio Deo facta non petit hanc acceptationem.*
97 *Voti ratio annexa est illis tribus de Iure Diuino.*
98 *Solemnitas Voti Professionis in quo consistat?*
99 *Solemnitas producit tres inhabilitates.* 124.
100 Expulsus remanet adhuc *Religiosus obligatus redire per emendationem.*
101 *Votum solemne dirimit matrimonium.*
102 *Acquirit professus suo Monasterio.*
103 *Ciuiliter professus non obligatur , sed tantum naturaliter.*
104 *Simplex votum non inducit illas tres inhabilitates.*
105 *Solemnitas voto non inest ex sua natura.*
106 *Votum obligat ad exequendum promissum.*
107 *Solemnitas non dirimit Matrimonium iure natura*
108 *Solemnitas non est de iure diuino.*
109 *Euangelium continet praceptum solum de fide,& Sacramentis.*
110 *Solemnitas professionis ab ecclesia tantum inducta.*
111 *Matrimonij irritationem Pontius incipit ab anno* 1139.
112 Penitus interdicimus *importat nullitatem.*
113 *Antiquitus non vouebatur Paupertas solemniter.*
114 *Nomen* Proprietatis *importat abdicationem vsus, non proprij,inquit Pontius.*
115 *Refellitur,quia Paupertas est abdicatio proprij , & dominij*
116 *Traditione rei transfertur dominium, & vsus rei vendita.*
117 *Proprium dicit dominium,& non vsum tantum.*
118 *Proprietas,& possessio diuersa.*
119 *Pontij rationibus respondetur.*
120 *Testamentum validum olim Religiosi faciebant,* 131.
121 *Dominium, & Matrimonium cum statu regulari olim valide stabat.*
122 *Solemnitas sequitur professum , sicut continentia subdiaconum.*
123 *Solemnitas non est de intrinseca ratione status Religiosi.*
124 *Solemnitas importat tres inhabilitates.* 99.
125 Professi *olim sine solemnitate relaxabantur à votis.*
126 Relaxare *importat liberam dimissionem.*
127 *Dimittere,& eijcere professum differunt.*
128 *Inhabilis ad acquirendum sibi,soli conuentui acquirit.*
129 *Contractus ab eo initi tenent iure natura donec irritantur.*
130 *Paupertatis votum abdicat prasentia,& ius ad futura acquirenda.*
131 *Testamentum à religiosis olim factum tenebat.*
132 *Inhabilitatis ad hoc postmodum* 120.
133 *Inhabilitantur ad matrimonium* 101.
134 *Religio quo ad institutionem in genere fuit approbata à Christo.*
135 *Approbare religionem est confirmare eius Regulam, seu modum viuendi.*
136 *Approbatio est de ratione religionis.*
137 *Collegium nullum,nec congregatio sine* Principis *approbatione subsistit.*
138 *Dignitas aliqua sine auctoritate* Papa *institui non potest.*
139 *Fundatores ordinum sunt persona priuata in dictando Regulam.*
140 *Episcopi nomine* Papa *olim approbabant.*
141 *Aliqui nolunt approbationem esse de ratione religionis.*
142 *Explicatur c. fin. de Relig. domibus de approbatione ordinum*
143 Prohibetur *per dictum caput approbatio religionum per Episcopos.*
144 *Peyrinus reijcitur.*
145 *Consuetudo quid sit,*
146 *Consuetudo est per actus positiuos.*
147 Potestas *per non vsum non perditur.*
148 Priuilegium *affirmatiuum non praiudiciale per non vsum non perditur.*
149 Pontius *putat religiones approbari etiam ab episcopo tacite,immo negatiue.*
150 *Impugnatur* Pontius.
151 *Canonizare non est facere sanctum , sed declarare illum.*
152 *Canonizare supponit hominem Dei esse sanctum , approbare religionem non est supponere illius existentiam , sed illam dare , quia bonus modus viuendi.*
153 *Religio quoad vota non eget probatione,sed quoad modum viuendi.*
154 *Approbantur religiones,ne confusio generetur ex illarum multitudine.*
155 *Confusio non tollitur per negationem , sed per actum positiuum.*
156 Sanchez *ait , approbationem non esse de essentia religionis,sed tantum conditionem.*
157 *Respondetur eius rationibus.*
158 *Approbatio probatur antiquissima, & coaua ipsis religionibus.*
159 *Octo modis contingit approbatio religionum.*
160 Priuilegium *rei non existenti non conceditur.*
161 *In dubio qualibet religio antiqua prasumitur approbata.*
162 *Male à principio inchoata non possunt habere felicem exitum.*
163 *Malum principium sequitur malus finis.*
164 Confirmatio *alia communis,alia specifica.*
165 *Approbatio religionum est semper in forma specifica.*
166 *Intentio rei confirmata in confirmatoriis indicat formam specificam.*
167 Confirmatio *retrotrahit Regulam confirmatam ad initium,quo fuit condita.*
168 Principium *est potissima pars cuius-libet rei.*
169 *Regula,& constitutio loco Regula idem.*
170 *Regula quid sit.*
171 *Regula inuentor non est Dominus,sed custos,*
172 *Vnde sit* Papa *confirmantis.*
173 *Regulare ergo est* Papa,*constitutiones superiorum.*

174 Et

174 *Et istæ sunt conseruatiuæ Regulæ.*
175 *Regula recipit esse à Papa, constitutiones à religionis superioribus.*
176 *Capitulum Generale, & Prouinciale ius habet condendi constitutiones.*
177 *Easdem mutare, & abrogare potest.*
178 *Regula est de essentia religionis, sine qua subsistere non potest.*
179 *Religio vt sic pro materia habet tria vota, quælibet vero propriam Regulam*
180 *Canonicorum Lateranensium prima Regula S. Euangelium.*
181 *Regula S. Augustini non fuit institutiua, sed tantum reformatiua*
182 *Papa est supprimere Religiones.*
183 *Papa est superior omnium religiosorum.*
184 *Papa omnes religiones supprimere non potest.*
185 *Causa vrgentissima ad supprimendum aliquam religionem.*
186 *Religiosi ordinis suppressi remanent cum suis priuilegiis.*
187 *Nisi sint ratione communitatis concessa*
188 *Potestas triplex, dominatiua, ecclesiastica, & laicalis.*
189 *Religiosorum potestas triplex dominationis, superioritatis, & iurisdictionis.*
190 *Religio non potest consistere sine potestate dominationis, & superioritatis.*
191 *Nouitij, & alij subsunt potestati tantum iurisdictionis.*
192 *Subiectio est de ratione religionis.*
193 *Generalatus non est de essentia religionis.*
194 *Solum superioritas localis*
195 *Religio à pluribus inchoatur.*
196 *Congregatio ex duobus. Collegium ex tribus.*
197 *Componitur nihil ex se ipso, sed ex pluribus.*
198 *Religio in vno tantum conseruari potest.*
199 *Religio est vniuersitas.*
200 *Ecclesia non potest conseruari sine religionibus.*
201 *Christus vere & proprie fuit religiosus.*
202 *Ecclesia sine religiosis est imperfecta.*
203 *Ecclesia quid sit?*
204 *Communitas viuendi durauit vsque ad Vrbanum I.*
205 *Ecclesia componitur ex tribus partibus, clericis, religiosis, & laicis.*
206 *Religiosi successores Apostolorum.*
207 *Ecclesia Militans, & Triumphans comparantur.*
208 *Voluntas Dei est, vt maneat diuersitas religiosorum.*
209 *Ad quid proficit diuersitas religionum?*
210 *Auctoritate Pontificum probatur conseruatio Ecclesiæ per religiones.*
211 *Per quid vna religio ab alia differt?*
212 *Religio est status perfectionis acquirendæ.*
213 *Episcopatus est status perfectionis acquisitæ, ideo perfectior.*
214. *Status religionis perfectior statu clericorum.*
215 *Ad perfectionem religiosus sub mortali tendere debet.*
216 *A quo cognoscatur vna religio perfectior alia?*
217 *Tres fines sunt, quos religio potest proponere suis alumnis.*
218 *Religiones ordinatæ ad salutem proximi perfectiores sunt aliis.*
219 *Perfectio maior, vel minor mensuratur à fine.*
220 *Maior paupertas arguit maiorem perfectionem?*
221 *Asperior est perfectior alia minus austera.*
222 *Choro seruiens ordo perfectior non seruiente.*
223 *Recitatio communis in choro perfectior recitatione priuata.*
224 *Canonici Regulares profitentur sanctitatem pro se, & clericatum pro aliis.*
225 *Recitatio communis in choro descendit ab Apostolis.*
226 *Perfectior religio ex votis solemnibus.*
227 *Communis vita perfectior, quam solitaria.*
228 *Clericalis religio perfectior non clericali.*
229 *Ordines Mendicantium sunt clericales.*
230 *Clerici perfectiores laicis religiosis.*
231 *Carens proprio in communi perfectior habente.*
232 *Tertius ordo perfectior contemplatiuis.*
233 *Militares non sunt perfectiores claustralibus.*
234 *Austeritas religiosa quid sit?*
235 *Austerior, quæ pluribus constat asperitatibus.*
236 *Perfectio religionum attenditur vel ratione finis, vel mediorum.*
237 *Sanctior est strictior*
238 *Monasteria olim erigebantur in solitudine.*
239 *Ordo præter vota habens præcepta est strictior.*
240 *Prima Regula S. Francisci habet 25. præcepta.*
241 *Ordo compositus ex vita contemplatiua, & actiua strictior.*
242 *Arctior incumbens vitæ corporali.*
243 *Arctior præscribens missiones ad infideles.*
244 *Regula, & constitutiones attenduntur in cognitione arctitudinis.*
245 *Exercitium præsens indicat strictiorem ordinem.*
246 *Austeritas non est de ratione Religionis.*
247 *Iejunia nullam habens præscriptam corporis afflictionem*
248 *In cæteris omnibus Regulis præscribuntur.*
249 *Apostolis Christus præscripsit austeritates seruandas.*
250 *Papa dispensare potest religiosum à tribus votis in ordine ad matrimonium.*
251 *Christus Papæ communicauit omnem suam potestatem, quæ non repugnat Papatui*
252 *Votum professionis duo dicit obligationem, & solemnitatem.*
253 *Solemnitatem duplicem ponit Dominus, essentialem, & legitimam.*
254 *Solemnitas essentialis est merum vocabulum nihil addens votis.*
255 *Negans hanc potestatem Papæ dispensandi crederem nunc suspectum de fide.*
256 *Dispensatio cum religioso fit tantum in ordine ad matrimonium.*
257 *Matrimonium ratum, non vero consummatum, soluitur à Papa.*
258 *Quia consummatum notat indissolubilem vnionem Christi cum Ecclesia.*
259 *Et in hoc differt à professione, quæ non distinguitur in ratam, & consummatam.*
260 *Mutatio alia substantialis, alia accidentalis.*
261 *Definitio tam physica, quam metaphysica assignatur in moralibus.*
262 *Identitas religionis cognoscitur à tribus Patre, Regula, & Professione.*
263 *In communi non habere, & postea habere non tollit identitatem ordinis.*
264 *Omnes Franciscani sub prima Regula seruant identitatem primi ordinis.*
263 *Religio laxa restricta remanet eadem.*
266 *Reformata non mutat primum identitatis statum.*
267 *Mutatio Regulæ professione alterius infert identitatem*
268 *Fontulani habent Patrem beatum Carolum Tertij ordinis professum.*
269 *Regulam S. Hieronymi non approbauit Ecclesia*
270 *Professio de non solemni solemnis non mutat identitatem.*
271 *Mendicantis, & non Mendicantis ratio non variat identitatem ordinis.*
262 *Mutatio habitus non mutat identitatem ordinis.*
273 *Manet ordinis identitas si eleuetur in religionem.*
274 *Tertiarij S. Francisci tam seculares, quam regulares seruant eandem identitatem.*

275 Idem

275 *Idem dictio importat identitatem.*
276 *Recta sub eodem vera indicans identitatem.*
277 *Mimiler vocatur Generalis Tertij ordinis.*
278 *Tres sunt status Tertij ordinis.*
279 *Octo sancti numerantur Tertij Ordinis.*
280 *Vestis indicat possessionem.*
281 *Identitas religionis accipitur à forma professionis.*
282 *Auctor seipsum corrigit.*
283 *Benedicti S. Ordo idem remansit eleuatus in clericatum.*
284 *Iesuitarum Ordo idem remansit eleuatus in clericatum.*
285 *Barnabitæ postquam fuerunt confirmati cœperunt solemniter profiteri.*
286 *Ioannis Dei Fratres pariter cœperunt profiteri solemniter.*
287 *Tertiarij Seculares, & Regulares habent eosdem Patrem, Regulam, & Professionem.*
288 *Tertiarij Regulares sunt veri filij S. Francisci sicut seculares.*
289 *Vna religio alteri potest vel professione, vel superioritate vniri.*
290 *Mutatione superiorum non mutatur religio.*
291 *Moniales Regulares sub episcopis, adhuc remanent eadem cum suis primis.*
292 *Et gaudent priuilegiis sui ordinis non obstante hac subiectione.*
293 *In dubio fauendum religioni.*
294 *Summa est ratio, quæ pro religione facit.*
295 *Argumentum ab Ecclesia ad religionem valet.*

Religionis vocabulum tribus modis accipitur à bap-
1 tismo, clericatu, & professione. *Primo* à baptismo,
nam Ecclesia, quam Christus sanguine suo acquisiuit, vo-
catur religio, quo nomine nuncupatur in oratione Apo-
stolorum Petri, & Pauli, ibi, *Da Ecclesiæ tuæ eorum in
omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumpsit exor-
dium.* Supple propagationis, quia exordium acquisitionis,
institutionis, & fundationis fuit a Christo Domino. Qui-
libet autem homo per receptionem baptismatis ascribi-
tur, & fit membrum, & pars Ecclesiæ, & religionis Chri-
stianæ, ideo vocatur religio à baptismate ad distinctio-
nem aliorum duorum modorum. Hoc modo sumitur no-
men religiosi in Actis Apostol. cap. 2. 5. *Erant autem in
Hierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione,
quæ sub cœlo est.* Et isti à baptismate, quod receperunt, vo-
cati fuerunt religiosi; ibidem num. 41. *Qui ergo recepe-
runt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in
die illa animæ circiter tria millia.* In hoc sensu idem est
2 religio, quod Christianitas, & religiosus, quod Christia-
nus à Christo redemptus per suam passionem. Religio,
quia per eam virtute baptismi homo denuo ligatur fidei
Christianæ præceptis, nam homo natus in mundum
primo ligatur naturæ præceptis, ad quæ quilibet siue
Christianus, siue non obligatur ex naturali obligatione
singulis innata in eorum conceptione.
3 Accipitur secundo nomen religionis à clericatu, à quo
specificantur, & denominantur omnes baptizati in ce-
ptione primæ tonsuræ, & ordinum ab ea enim fidelis
constituitur in statu clericali, & per eam dicitur vocatus in
Sortem Domini, cui specialiter deseruire habet manendo
in eo statu, vnde præter ligamen naturæ, & baptismatis
nouum subit vinculum, & obligationem inseruiendi Deo
permansurus in eo statu, ex quo recte vocatur clericalis
status religio à nouo ligamine, vnde clerici vocantur
etiam religiosi capit. Nullos 118. 1. quæst. 1. iuncta glos.
21. eodem ibi: *Quis dubitat, quin religiosis, & Deo seruien-
tibus incutiat opprobrium* vt colligitur ex præcedentibus,
ibi sermo est de clericis, non monachis.
4 Tertio nomen Religionis accipitur à professione regu-
lari trium votorum quæ substantialia vocantur, à qua pro-
fessi nuncupantur religiosi, per hanc enim promissionem
Deo factam religantur nouis obligationibus præter eas,
quas in baptismate contraxerunt. Conueniunt inter se hæ
tres species religionis in eo, quod nouam obligationem
inducunt in religato, seu religioso ex baptismate, clericatu,
& professione. Differunt in eo, quod aliquam subordina- 5
tionem habent ad inuicem, nam primum locum tenet re-
ligio à baptismate, secundum religio à clericatu, ter-
tium religio à professione, adeo quod posteriores duæ
acceptiones de necessitate supponunt priorem, nullus enim
fieri potest clericus, aut professus, nisi sit baptiza-
tus, & in primo statu Religionis, à quo fit tran-
situs ad Clericatum, vel Professionem. Clericatus vero, & 6
Professio ad inuicem subordinantur minime, sed vna ex
his Religionibus potest institui, & esse sine alia, vt constat
in Monachatu qui ab initio fuit institutus sine Clericatu,
sunt enim diuersa inter se capit. *Alia causa est Monacho-
rum, alia Clericorum, Clerici pascunt oues, ego pascor.* 6. 16. 7
quæst. 1. inquit, Hieronymus Sanctus ad Heliodorum;
l. Generaliter 40. *C. de Episcop. & Cleric. Canonizata ca-
pit. Generaliter* 40. 16. *quæst.* 1. *ibi; Et præcipue Mona-
chos, licet non sint Clerici.* An autem prius fuerit a Chri- 8
sto instituta Religio Clericatus, quam Professionis? Dico,
quod Christus Dominus Apostolos suos simul creauit Cle-
ricos, & Professos, nam erant simul Sacerdotes, Episcopi, &
Religiosi ex Professione, & non tantum ex Clericatu; &
de hoc nulla est difficultas, neque de Professione Regu-
lari quisquam dubitare debet, quia in sententia omnium
Apostoli fuerunt veri Religiosi sub tribus votis substantia-
libus *ex Diuo Thoma* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 4. *ad* 3. *Pontio
Augustiniano l.* 7. *de Matrimon. capit.* 2. *Tamburin. tom.* 1.
disp. 25. *q.* 1. *n.* 38. *aliis citantibus.*
Religio igitur non tam à baptismate, & à Clericatu, 9
quam à professione originem traxit secundum suam pro-
priã existentiam à Christo Domino fundata in Apostolis,
qui veri fuerunt religiosi, vt præcitati Doctores probant ex
Sacris Scripturis, ex quibus id manifeste deducitur, adeo
quod negans id de religione, a baptismate, & clericatu 10
hæreticus formalis iudicandus est, de religione vero à pro-
fessione, si non est formaliter hæreticus, tamen de ea est
vehementer suspectus, & temerarius, cum omnes Ca- 11
tholici hanc veritatem deducunt ex Sacris Scripturis, &
Sanctis Patribus apud præcitatos Doctores necesse est
enim, vt omnibus partibus perfectis religio Christiana
fundaretur à Christo, nempe Clericis, Religiosis, &
Laicis.
Quod Christus religionem professionis non solum in- 12
uenerit, sed etiam fundauerit, & erexerit ab exordio
Ecclesiæ in ipsis Apostolis, quorum professionem ex vo-
tis Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ receperit tam-
quam eorum superior probatur auctoritate sacræ scriptu- 13
ræ, nam Matthæi 10. 38 dicitur: *Qui non accipit crucem
suam, & sequitur me, non est me dignus.* Item c. 16. 24.
*Si quis vult venire post me abneget semetipsum, & tollat
crucem suam, & sequatur me.* Sequela huiusmodi indicat 14
votum obedientiæ, secundum P. *August. epist.* 89. *&
lib.* 17. *de Ciuit. Dei cap* 4. ille enim dicitur vouere obe-
dientiam alteri, qui abnegando propriam voluntatem, se
subiicit imperio alterius, quod fecerunt Apostoli, ex eo-
dem Matth. c. 8. 23. *Secuti sunt eum discipuli eius.* Non 15
solum eum associando, sed obediendo in iis, quæ specta-
bant ad eorum vitam religiosam, quam exercuerunt in
prædicatione Euangelij mittendo eos in vniuersum mun-
dum ad conuersionem omnium hominum. De voto Ca-
stitatis patet ex Lucæ 14. 26. *Si quis venit ad me, & non
odit vxorem, non potest meus esse discipulus.* Dixit *Non 16
odit vxorem* odio scilicet copulæ carnalis, à fortiori odio
omnis actus luxuriosi, non potest esse discipulus Christi;
Apostoli autem fuerunt veri discipuli Christi, consequen-
ter ex voto continentiæ, quod Christo fecerant, reliquerunt
vxores, qui habebant, & Virgines, seu Vidui con-
tinuo vixerunt in castitate, quam Deo promiserant in
manibus Christi Domini. De voto Paupertatis res est cla- 17
rissima Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, &
secuti sumus te.* Loquitur Petrus pro omnibus, quorum
erat futurus Prior post Christi mortem. Non dicit: *Ecce
ego reliqui omnia.* Sed *Nos* supple Apostoli *reliquimus om-
nia,*

nia, à nobis abdicantes per votum paupertatis, vt expeditius possimus obedire tibi Christo Domino Nostro quem sequi tenemur. Ex communi vita, quam faciebant Apostoli cum Christo, colligitur vita regularis, nam continuo enim sequebantur, cum illo comedebant, cum illo orabant, cum illo prædicabant, & alia huiusmodi exercebant de illius iussione. Et de illis post mortem Christi vitam religiosam prosequentibus observare testatur Cronista in Act. 2. 44. *Omnes etiam qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia.* In primitiua igitur Ecclesia discipuli ad fidem conuersi cum Apostolis vitam agebant communem, quod indicat eos proprie fuisse religiosos; de qua communi vita testatur ad oculum, & praxi Clemens Papa relatus cap. Dilectissimis 2. 12. quæst. 1. Christus, vt Apostolos, & cæteros religiosos deinceps instrueret in vita religiosa, quam perpetuo vsquè ad mortem seruare deberent, præcepit eis, vt Euangelium, in hoc enim eorum vita religiosa consistebat, prædicarent per vniuersum orbem, cum quibus promisit esse vsquè ad consummationem seculi, hoc est, vsquè ad eorum mortem, & suorum successorum vsquè ad finem seculi Matth. c. fin. hæc doctrina indicat, perpetuitatem esse de ratione religionis, vt religio est, vt patebit amplius infra sub quæst. 9.

18 Deinde religiosam vitam Apostolorum probo auctoritate Sanctorum Patrum, nam San. Epiphanius super illud Matth. *Sunt Eunuchi* 17. hæres. 18. inquit: *Quinam igitur ii fuerunt, quam generosi Apostoli monasticam vitam degentes?* San. August. lib. 17. de Ciuit. *Dixerunt enim Potentes illi: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, hoc votum potentissimi vouerant.* Vide Portium cit. lib. 7. cap. 2. præter has referentem alias auctoritates. Prædictis adde rationem, nam Monachi, & cæteri religiosi successerunt in locum Apostolorum, quorum religiosi
19 locum tenent, cap. Ea auctoritate 24. 16. quæst. 1. *Sacerdotibus monachis Apostolorum figuram tenentibus liceat predicare.* Glos. 11. Apostolorum, quibus successerunt Episcopi, qui eorum tenent loca *cap. videntes* 16. 12. *quæst.* 1. dicit, Episcopos tenere loca Apostolorum quo ad dignitatem, Monachos vero quo ad renunciationem proprij, & communem vitam; sed Monachi ex voto communem exercent vitam sub Obedientia, & Castitate, sine his enim communis vita conseruari nequaquam potest, & propriis renuntiant ex professionis voto, ergo si figuram, & locum tenent Apostolorum in his, sequitur Apostolos sub obligatione voti illa eadem obseruasse, ac proinde vti veros religiosos.

20 Religio post Apostolos propagata continue fuit à fidelibus sine vlla interruptione in solitudinibus à Sancto Antonio Abbate, à Sancto Hieronymo, a Sancto Augustino, qui incipit viuere secundum Regulam sub Sanctis Apostolis constitutam, secundum Benedictum Decimum secundum Bulla: *Ad decorem.* 6. Et Eugenium Quartum
21 apud *Tambur. tom.* 2. *disput.* 14. *quæst.* 4. loquendo de Canonicis Regularibus Lateranensibus his verbis: *Huius profecto Sacri Ordinis, & Sancti Instituti post Sanctos Apostolos primum in Alexandrina Ecclesia Marcus Petri discipulus, institutor, & conditor, ac gloriosus doctor Augustinus diuinis Regulis, & doctrina decorauit, & sanctæ memoriæ Vrbanus insignis martyr, & sanctissimus Pontifex Generalis decreti ordine reformauit, & beatissimus Gregorius Augustino Anglorum Episcopo veluti plantationem sacram in commisso sibi populo precepit institui, & in occidentis finibus ampliauit.* Ecce religio nata cum Apostolis, quæ nobiscum adhuc viuit, & viuet cum multis aliis vsque ad consummationem seculi Similiter religio Sancti Benedicti, quam is sanctus cœpit post annum 500. existentibus ante ipsum aliis Monachis, cuius obedientiæ, & disciplinæ se subiecerant, vsquè modo, & ad finem seculi perdurabit. Religiones similiter Mendicantes Sanctorum Dominici, & Francisci florent cum aliis in perpetuum duraturæ sunt.

Et ex his constat Christum Dominum non solum instituisse prædicationem circa consilia Euangelica, laudandam vitam religiosam, sed etiam in suis Apostolis fundasse, & erexisse, & ab illis communicatam fuisse quamplurimis aliis fidelibus, qui subsequenter eandem propagauerunt diuersis modis, vt modo cernitur, adeo quod detestandi sunt hæretici moderni, qui negant huiusmodi institutionem religiosorum sub tribus votis falso asserentes Christum solummodo hanc vitam prædicasse, & laudasse sed non fundasse, nequè erexisse in suis discipulis. Et quia nullum habent fundamentum, nec auctoritatem, ideo eorum impia asserta relinquuntur tanquam falsa, & mendacia.

Omissis primis duabus acceptionibus huius vocis *Religio*, agendum est de illa in tertia acceptione prout religio dicitur, & specificatur à professione.

Quæritur igitur Primo, an Religio existat, & sit de Iure Diuino.

Respond. Existere, & esse coæuam Ecclesiæ Christi, à quo habet esse secundum institutionem, & erectionem in Apostolis, ac proinde esse de Iure Diuino.

Primum de existentia non solum quo ad institutio- 22
nem, qua illam Christus prædicauit, & fideles exhortatus fuit ad eam amplexandam, verum etiam quo ad illius erectionem per actualem professionem factam in manibus Christi ab Apostolis patet ex adductis superius.

Secundum quod sit de Iure Diuino pariter constat, 23
quia Christus immediate religionem, quam proposuit recipiendam per fideles suos, fundauit, & erexit in suis Apostolis, & aliis fidelibus primitiuę Ecclesię ex allatis auctoritatibus quod est esse de Iure Diuino, quale est omne
id, quod à Deo immediate sine adiutorio hominis contin- 24
git fieri. Distinguitur autem institutio ab erectione
quia institutio consistit in propositione rei faciendæ, ere- 25
ctio vero in executione rei propositæ recipiendo obligationem eius, qui religionem profitetur. Christus vtrumque præstitit respectu religionis Apostolicæ, nam Apostolorum religionem instituit, quando eis proposuit consilia Euangelica, si vellent ea sequi, & adimplere, eandem
vero erexit, cum spontaneam eorum professionem ac- 26
ceptauit, vt patet ex illis verbis Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia*: Hæc est spontanea promissio, qua Apostoli professionem emiserunt, quam Christus acceptauit sequentibus verbis: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis, & Omnis, qui reliquerit domum, &c. Propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Merces ergo, quam Christus acceptando professionem suorum discipulorum, promissa fuit duplex, prima in die iudicij extremi cum Christo iudicandi duodecim tribus Israel, hoc est vniuersum mundum, iste honos est proprius Apostolorum, quia futuri sunt veri iudices mundi in consummatione sæculi, sicut fuerunt in principio veri cooperatores Christo in fundatione Ecclesiæ, cæteris vero religiosis, qui erectionem habent a suis fundatoribus promittitur secunda tantum merces, vitæ scilicet æternæ, vnde recipiens superior nouitij professionem respondet, & receptionem firmat his verbis: *Et ego nomine Dei optimi maximique sibi, si hæc obseruaueris æternam vitam promitto.* Recensentur hæc in calce Regulæ me. Ordinis.

Colligitur ex his, institutionem religionum omnium esse à Christo Domino, qui omnibus volentibus erigere aliquam in specie religionem proposuit modum quo erigenda est, nimirum sub promissione trium consiliorum Euangelicorum, quæ sub voto professionis cadere debent: &
solam religionem Apostolorum quo ad institutionem, & 27
erectionem esse de iure diuino, quia consilia Euangelica, & proposuit, & eorum obligationem professione emissa solus Christus acceptauit, reliquas vero omnes quo ad institutionem, vt dixi, esse de Iure Diuino, quia à Christo sunt, qui dedit regulam vniuersalem eas erigendi; quo ad factum vero erectionis esse de iure positiuo dispositiue ab
Auctore, perfectiue à Pontifice Romano, qui propositam 28

regulam

regulam approbat, & confirmat Auctori, qui suorum alumnorum professiones recepit. Procedunt hæc etiam respectu Canonicorum Regularium Lateranensium, quorum religio erecta fuit non immediate a Christo, sed ab Apostolis post Christi mortem instituti fuerunt. vt notatur in
29 Bullis Pij Quarti incip. *Sedis Apostolicæ* 75. & Pij Quinti incip. *Cum ex ordinum* 316 & in specie à Sancto Marco in Ecclesia Alexandrina, à S. Iacobo in Ecclesia Hierosolymitana, ex Ioanne Baptista G gnit in suo opere de Ordine, ac statu Canonico lib. 1. c. 18.

Fr. Vincentius Berdinus Minoris Obseru. alias Cōmissarius Generalis Terræ Sanct. in suo opere intitul. *Historia dell'antica, & moderna Palastina. Venetiis 1642 Typis*
30 *Sarzani, par. 3. c. 1.* asserit, Religionem S. Francisci esse institutam de iure diuino, quia Christus Francisc. dixit ter, vt reparet domum suam, quod non solum intelligendum est de reparatione trium Ecclesiarum localium, quas reparauit, sed etiam de spirituali erectione trium Ordinū, & refertur in eius officio: *Sub typo trium ordinum, tres nunc Dei Ecclesias erexit*. Quod confirmatur ex cap. Exiit, de verb. signific. in 6. ibi: *Immaculata religio, quæ descendens à Patre luminum*. Leo Decim. in Bulla Vnionis ait: *Religionē esse vineam ab Æterno Patre Plantatā*. S Bonauentura in eius legenda, seu Historia c. 4. affirmat idem his verbis: *Dicebat, se nihil ibi posuisse secundum industriam propriā, sed omnia sic scribi fecisse, sicut sibi fuerant diuinitus reuelata*. Hæc & alia quoque refert Rodriq. tom. 1. quæst. 4. art. 1.

31 Sed responderi potest, Religionem Franciscanam sub tribus Ordinibus constitutam esse de Iure Diuino, quo ad institutionem more aliarum Religionū, iuxta quod superius dictum fuit, nec plus probant adductæ rationes, non vero esse de Iure Diuino quo ad erectionem, quia reuera ipsemet Sanctus à Deo inspiratus suā Religionē instituit in tribus Ordinibus, & à quo professionis promissio, & ab eius successoribus recepta fuit, non à Christo, sicut ab eodem professio Apostolorum immediate recepta fuit, vt su-
32 pra dictū fuit. Remanet ergo, quod omnis religio erectionem habet à suo institutore dispositiue, & à Sede Apo-
33 stolica perfectiue, & auctoritatiue. Vnde omnes religiones dicuntur esse de iure positiuo Ecclesiastico, vt docent omnes Canonistæ in cap. final. de relig. domibus cum S. Anton. par. 3. tit. 16. §. 4.

Mendacia quæ opponunt hæretici moderni, excludentia antiquitatē religionum, aut aliquam earum non esse coæuam Ecclesiæ, aut post aliqua secula inchoasse, referuntur, & abundanter refelluntur à Bellarm. lib. 2. de Monachis.

34 Quæres Secundo. Quid sit Religio? Bellarminus lib. 2. de Monach. cap. 2. sic eam definit: Religio status est hominum ad perfectionem Christianam per Paupertatis, continentiæ, & Obedientiæ vota tendentiū. Non placet, quia deest auctoritas Sedis Apostolicæ, sine qua nulla consistit religio, *vt dicam infra q. 39. Tabiena V. Religio ex S. Thom. 2. 2. q 186 art. 1. definit*: Est status illius, qui per emissionem professionis Regulæ approbatæ subiicit se prælati imperio, totum se dedicans Deo, & Diuino seruitio, quasi holocaustum Deo offerens. Idem docet Silner. in eodem initio. Layman. lib. 4. tract. 5. c. 1. initio. Fidelium ad Christianæ charitatis perfectionem tendentium editis votis perpetuæ Paupertatis, Castitatis, ac Obedientiæ, stabilis in communi viuendi modus ab Ecclesia approbatus. Particula: *in communi viuendi* excludit religiones Militares. Miranda tom. 1. q. 1. art. 1. concl. 2. definit Religionem perfectissimum statum, quo per solemnem trium Votorum essentialium professionem religiosi se offerunt Deo, atque totaliter se Diuino cultui mancipant. Deficit in approbatione Sedis Apostol. & præterea in eo, quod vocat eius statum perfectissimum, quasi alius status eo perfectior non sit, cum tamen constet, statum Episcoporum esse perfectiorem, quam status religiosorum *ex 2. 2. q. 184. art. 7. Pellizar. tract. 1. c. 1. sic definit*, esse modum viuendi in commune Fidelium ad Christianæ Charitatis perfectionē tendētium editis tribus votis Religionis substantialibus,

eumque stabilem, & ab Ecclesia approbatum. Restringit definitionem ad claustrales.

Ru. A me sic definiri. Religio est Congregatio fidelium 35
vtriusque sexus tendentium ad perfectionem professione trium votorum substantialium Paupertatis, castitatis, & Obedientiæ obseruandorum à professis vsque ad mortem secundum Regulam à Superiore approbatam. Hæc definitio bona est adæquate declarans naturam Religionis, constans genere, quod est congregatio, per quam Religio conuenit cum aliis, quæ congregationes nuncupantur, conuenit cum Ecclesia, quæ est congregatio fidelium baptizatorum profitentium fidem sub Pontifice Romano, cum Collegiis, Confraternitatibus, Vniuersitatibus, quæ congregationes appellantur. Constat differentia per sequentia verba, quæ referuntur ad professionem, quæ est eius ratio formalis, sine qua subsistere non potest.

Colligitur hinc septem esse de ratione Religionis. Pro- 36
fessio, Regula, Superior, Subditus, Perpetuitas, Habitus, &
Approbatio. Professio est eius formalis ratio; & primus cō- 37
ceptus obiectiuus differentialis, quo primum constituitur in esse; quia antē Nouitius aliquid determinatum profiteri debet, nimirum tria vota substantialia, quæ cum sint communia omnibus religionibus in genere, ideo hæc limitantur per regulā, secundum quam Nouitius professionē legit, ideo regula est de ratione religionis, à quo professi denominantur Regulares. Et cū per professionē à Nouitio promittantur obedientia debita Superiori à subdito, ideo religio ea sua conditione cōponitur ex superioribus, & subditis. Non solū religiosus in votis differre debet ex professione, sed etiā in habitu, vt talis cognoscatur externus, habitus enim hominis enunciat de eo, Eccl. 19. 27. habitus est
signum externum professionis internæ, *dicit Sanct. Thom.* 38
2. 2. q. 185 art 8. & quisque talis præsumitur, in quali habitu inuenitur *cap. Si iudex 12. § Iustum est, de sent. excommun. in 6. l. item 15 ff. de iniur.* Scio, Abbatem *in cap. Porrectum de Regul. n. 5. Butrium ibidem n. 5. Ruccul. lib* 8.
c. 1. ex illo axiomate ibidem expresso: Habitus non facit mo- 39
nachum, asserere non esse de substantialibus, sed tantum de accidentalibus, & cum illis *Tambur. tom. 3. disp. 8. quæst. 1. n. 12.* Nihilominus attenta dispositione Triden. sess. 25. c. 15. requirentis ad validam professionem gestationem habitus, meritò computamus illum inter substantialia religionis, quæ sine illius præmissa Testatione subsistere non potest. Eadem ratione perpetuitatis est de essentialibus religionis, quia, vt infra patebit, sicut professio ad limitatum tempus fieri non potest valide, ita neque inde colligi potest vera ratio religionis, quæ specificatur professione, & eodem tempore extenditur indifferenter, adeo quod æqualiter tempore mensurantur, vnde in eis valet subsistendi consequentia, est religio, ergo est professio, & è contra. Demum approbatio superioris est de substantia religionis, immo ab ea inchoatur eius existentia. In his apparent quatuor genera causarum
proportionaliter ad causas naturales in genere moris. Nā 40
causa materialis sunt regula, & constitutiones ipsi professi superiores, & subditi; formalis est ipsamet professio trium votorum; efficiens est Pontifex approbans regulam, & religionem, quibus esse absolutum, & perfectum; finis demum est inseruire Deo specialiter ex voto regulari.

Quæres tertiò. Quotuplex est religio.

Respond. Diuiditur sextupliciter. *Primò* ratione se- 41
xus secatur in religionem Virorum, & Monialium, diuisio est clara, & de se patet, attenditur autem non solum ratione sexus, verum etiam ratione loci, quia habitare non possunt in eodem monasterio, propter periculum proximum violandi votum Castitatis ob commoditatem cohabitationis. Antiquitus Monachi, & Monachæ 42
sub eodem tecto cohabitabant, & eorum loca vocabantur Monasteria dupla à duplicitate sexus, extirpata, & interdicta in septima Synodo relata cap. Definimus 21. cap. In nullo 22. 18. q. 1.

Diuiditur secundo ratione victus in non Mendicantes, & 43
Mendicantes, sub illis comprehenduntur Canonici Regu-

lares,

laces, & Monachi, qui viuunt ex communibus bonis
suorum ordinum nihil Mendicantes. Mendicantes vero, qui
originem ducunt à Sanctis Dominico, & Francisco, licet
Dominicani bona in cõmuni ex Regula habeant, Franci-
scani nequaquam, nisi ex priuilegio Conuentuales; Ter-
tiarijs ex Regula non negatur, tamen viuunt etiam ex
eleemosinis hostiatim mendicatis, quem modum viuendi
postmodum secuti fuerunt multi alij Regulares, qui fruun-
44 tur nomine Mendicantium. Quatuor numerantur primarij
ordines Mendicantium *c. vn. de relig. dom b. §. sane*, hoc
ordine. Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Aug. &
Carmelitarum. Bonifacius VIII. Bulla 2. *Ad consequendum*
§. 2. numerat Minorum, Prædicatorum, Carmelitarum, &
S. Claræ religiones fundatas in paupertate. Pius V. Bulla 44.
Romanus, declarat, ordines S. Dominici, S. Francisci, Eremi-
ttarum, Sanc. Aug. Carmelitarum, & Seruitarũ esse vere,
& proprie ordines Mendicantes, licet bona immobilia in
commune possideant. Noto pro mea religione, quod ea cõ-
prehenditur sub hac declaratione, nam habentur hæc ver-
45 ba: *Quatuor Mendicantium ordinum, videlicet S. Dominici,*
S. Francisci. Quæ postrema includunt tres ordines à S. Pa-
tre institutos, nam Tertius ordo dicitur S. Francisci, nostri
igitur sunt Mendicantes, & aliorum Mendicantium priui-
legijs gaudent ex hac Bulla. Eodem ordine, & verbis refe-
runtur in sequ. Bulla 49 *Apostolica Sedis*, quibus Minimi
adiunguntur, hinc sumitur argumentum Tertiarios præce-
46 dere Minimos. Simili modo in sequenti Bulla 50. *Romanus*
enumeratis prædictis, non tamen Minimis expressis adiun-
47 git Iesuatos S. Hieronymi intitulando eos Mendicantes.
Fratres eremitas S. Hieronymi Congregationis B. Petri de
Pisis Mendicantibus aggregat idem Pius V. Bulla 125.
Religionis zelus § 4. Iesuitarum religio declaratur esse vere
ordo Mendicantium, & gaudere omnibus priuilegijs con-
cessis, & concedendis alijs Mendicantibus, per suam Bullã
131. *Dum indefessa.* Si qui alij sunt ordines de Mendican-
48 tibus exhibeant super his Bullas, cum opus erit. Non
Mendicantes Canonici, & Monachi gaudent priuilegijs
concessis Mendicantibus ex eodem Pio V. Bulla 41. *Et su-*
perna. Leo X Bulla 35. *Dudum per nos* omnia priuilegia
concessa, & concedenda omnibus Mendicantibus fecit
communia inter illas, quoad Ecclesias, loca, monasteria, &
Fratres Moniales, conuersos, & oblatos. Nonnulli tenent
Moniales non esse Mendicantes, sed affirmatiuam probaui
sub Dec. 28. in calce huius operis.

Tertio diuiditur Religio ratione loci in Claustrales, &
Militares, sub primo gradu comprehenduntur tam Men-
dicantes, quã non Mendicantes, consequenter Canonici,
Monachi, & Fratres; sub Militarib. includũtur eque Fratres
militarũ, qui Deo armis potius materialibus, quã spiritua-
libus inseruiunt, persequẽtes inimicos Christiani nominis,
vt sunt Melitenses, alij alijs se occupãt pijs operibus, & de-
uotis exercitijs. Militares ordines sunt vere religiones, quia
49 profitentur illa tria ad formam suarũ Regularũ. Et ita do-
cent communiter omnes, & de Melitensibus nulla est diffi-
cultas, ad hoc doctores referuntur *à Diana part. 2. tr. 16. res.*
38. de militibus S. Iacobi de Calatraua, & Alcantara *idem*
Diana par. 1. tr. 6. res. 23. qui part. 2. tr. 5. res. 64. addit quod
quis probabiliter sustinere potest, hos non esse vere reli-
giosos, sed lege *Alex. Sperellum decis.* 2. vbi strenue id pro-
50 bat, præsertim de ordine Spata Sanct. Iacobi, esse veram re-
ligionem, & omnibus obiectis respondet. Non inuenio
communicationem priuilegiorum inter Claustrales, & Mi-
litares, & forsan hoc est, quia in multis longe discrepant
præsertim in vita communi, & paupertate, ac castitate. Vi-
de Vergell. tr. 8 q. 63.

51 Quarto Religio ratione ordinis alia dicitur Clericalis,
alia non, Canonici Regulares ex suo instituto sunt essen-
tialiter Clerici, Monachi vero tales non sunt, sed laici qua-
tenus non sunt de clero, secundum *l. General.* 4 *C. de Episc.*
& cler canonizat c. General. 40. 16. q. 1. Processu temporis
52 Monachi, qui nati erant sine ordine ad clericatum eleuati
fuerunt ex gratia, & priuilegio Apostolico, vt ex penuria
Canonicorum antiquis temporibus, cum nondum extarent
Clerici seculares, inseruirent in Parochijs fidelibus mini-
strando sacramenta. Lege totam q. 1. causæ 16. vbi hæc
omnia fuse reperies De hac diuisione S. Tho. 2. 2. q. 189.
art. 8. ad 2.

Quinto ratione habitus diuiditur in eam, quæ caret
Caputio, cuiusmodi sunt Theatini, Iesuitæ, Barnabitæ, Ma-
iorítæ, & alij, qui se dicunt reformatores vitæ clericorum 53
secularium, quasi isti demanerint à vita regulari, quam ab
initio Ecclesiæ tenebant; quod tamen verum non est, quia
clerici seculares nunquam fuerunt regulares, nam ineunte
Ecclesia Clerici Regulares erant Canonici nuncupati La-
teranenses, qui modo vigẽt, quorum reformatores dici non
possunt supradicti Excapuciati, qui nullis successẽre clericis,
& multo minus dictis Canonicis, qui non sunt de numero
Fratrũ, nec Mendicantium. Et quæ vtuntur Caputio, vt sunt
omnes Monachi, & Mendicantes sunt etiam sine Caputio
Canonici Regulares Lateranenses, & nonnulli alij.

Demum ratione nuditatis, & reformationis aliæ sunt reli-
giones, quarũ alumni incedũt nudis pedibus, vt Capucini,
Carmelitæ, Teresiani, Eremitæ Augustiniani de Capitio
piramidali, Monachi S. Bernardi, qui tamen incedebat cal-
ceatus, vnde excedant, & aliqualiter mutant statum vesti-
tus, & alij, si qui sunt. Canonici vero, Monachi, & multi
alij incedunt calceati. Sed de his satis.

Quæres 4. An aliqua religio, prout superius explicatum
fuit, extiterit ante Christum in carne? Ordo Carmelitarum
contendit suã religionẽ descendere ab Elia, ac proinde fuis-
se ante aduentum Christi, sed religiones illius temporis
erant omnes, si quæ extabant, figura præsentis religionis.

Omnis religio originem trahit à Christo, quo ad in- 54
stitutionem in genere. Probatur tum auctoritate Ecclesiæ,
quæ in oratione communi SS. Apostolorũ hoc docet his
verbis. *Da Ecclesiæ suæ eorum in omnibus sequi præceptum,*
per quos religionis sumpsit exordium. Quæ non tantum de
religione à baptismate, quã à professione intelligenda sunt
genus commune de qualibet sua specie prædicatur, aliter se-
queretur absurdum, religionẽ à baptismo, quæ est Ecclesia
Christi militans, esse posteriorẽ religione a professione, ac
proinde speciem, qualis est hæc, esse priorem suo genere,
quæ est Ecclesia vniuersalis Romana. Tum quia omnes aliæ
religiones à Christo institutæ sunt, & temporibus suis
erectæ ab Auctoribus, sed religiones Canonicorũ. Mona-
chorum, Prædicatorum, Minorum, & S. Aug. post Christũ
erectæ fuerunt, ergo & carmelitana, immo post prædictas,
cum vltimo loco recenseatur, adeo quod incæpit esse ab
Honorio III. qui illi Regulam confirmauit præscriptam
ab Alberto Parmensi Patriarcha Ierosolymitano Bulla in-
cip *Vt viuendi*, Dat. 30. Febr. 1226. apud Tamb. tom. 2.
disp. 24. q. 7. n. 4. Latius hæc patent in sequentibus.

Peruenit ad manus meas quoddã M.S. Anonimũ, in quo
Auctor eius sine dubio Carmelitanus cõqueritur, quod in
meo Theatro de præcedentia nonnulla dixerim plane falsa
contra eius Religionẽ, & initio sui discursus refert ad ver-
bũ, quę dico fol. 205. & 141. huius tenoris: *Carmelitarũ ordo*
incepit anno 1160. carebat Regula, ideo confirmationẽ non
obtinuit, nisi sub Honorio III. quando Regulam ab Alberto
Patriarcha Ierosolymitano datam approbauit.

Contendit Anonimus suam Religionẽ esse antiquissimã,
& descendere ab Elia, cuius dicuntur successores hereditta-
rij, & hanc successionem multis probat Patribus, Docto-
ribus, Pontificijs Bullis, & antiquitate commentorum, qui ex-
tabant prope primitiuam Ecclesiam in Tuscia.

Non possunt aduersarij communissimæ opinioni tot vi-
rorum, quia insipientis est negare, quod fere ab omnibus
conceditur, nihilominus, quia descendentia, & successio
huius ordinis à Sanctis Prophetis multis modis contingere
potest, ideo videndum est, in quo consistat huiusmodi de-
scendentia & successio.

Dicitur autem tribus modis aliquis ab alio descendere,
generatione, denominatione, & imitatione, loquor morali-
ter de generatione, quomodo Paulus Apostolus dixit: *Ego*
vos per Euangelium genui, erit ergo sermo de generatione
per professionem regularium.

Generatio igitur regularis, qua vnus religiosus ab alio
descẽdit, & ei succedit in eo consistit, quod descẽdens ab

alcen

ascendête accipiat statum religiosum, & Regulam, hac ratione S. Ant. de Padua, S Bernard. &c. descenderunt à S. Francisco ordinis Minorum institutore, quia successione participes fuerunt status religiosi, & Regulæ ab eo cõpositæ, quod contraxerunt per emissionem professionis sibi præscriptæ à Sancto institutore Hoc autem modo Carmelitæ non descendunt à Sancto Elia, vt infra probabo.

Descendentia per denominationẽ contingit ratione loci, vnde professores S. Benedicti denominantur, & descendunt à mõte Cassino, Carthusiẽses à mõte Carthusię, Præmonstratenses à loco Præmonstrati. Hanc descendentiam aliqui tribuunt Carmelitis. Rodr tom. t. q. 5 art. 5. inquit: *Ordo Carmelitarum habuit originem in oriente, & nomen à monte Carmelo duxit.* Ioan. 44. Patriarcha Ierusalem de Inst. Monach. c. 17. dicit: *Interea sciscitans dilecte Caprasi, qua ratione Monachi in hac religiosa disciplina conuersantes appellentur Carmelitæ? Cum namque Elias conuersationem hanc non in Carmelo, sed in Carith iussu diuino inchoauerit, &c.*

Descendentia demum per imitationem est imitari bona eorũ, à quibus quis descendit, opera exercendo, hac ratione omnes religiosi descenderunt ab Apostolis in eo, quod illis successerunt in professione præsertim paupertatis, continentiæ, & in prædicatione, glos. t t. Apostol. cap. Videntes 16. t 2. q. 1. & sic carmelitæ descenderunt ab Elia, dũ illũ imitantur in austeritate vitæ, in continentia, & alijs exercitijs spiritualibus. In his duobus modis descendendi nulla est difficultas, sed tantum in prima, pro qua.

Sciendum est, nobis esse philosophandũ à generatione naturali ad moralẽ propagationis religionum, nã descendentes secundum naturã habent cõmunicationem sanguinis, cognominis, & suauitatis ad bona etiã mortalia suorũ ascendentiũ, quibus succedunt iure hæreditatis, nã hæres eiuidẽ est iuris, & potestatis, quorũ fuit defunctus l. 60. ff. de reg. iur. ac proinde per additionẽ hęreditatis omnia iura, quæ erant apud defunctũ tempore mortis, quæ tunc non erant extincta, ipso iure transeunt in hęredẽ l. cum hæredes 23. de acquir. vel amitt. possess. Pari ratione, qui mocahter descendunt à patre spirituali per professionẽ ius acquirunt successionis ad eius bona spiritualia, quæ in re hac sunt status religiosus, & Regula, cum iure alimentorũ ordinis. Hæc est vera, & germana in genere moris descendentia propagatiua Religionis, quæ constituit in suo esse alumnos religiosus, & dicitur vniuoca, qua non solum nomen, sed res nominis per descẽdentes quæritur. Alij duo modi descendendi priorẽ supponunt in propagatione religiosa, nõ enim quis dicitur descendere à monte Cassino, qui non acquisiuit statum religiosum professione Regulæ S Benedicti; nec vt religiosus imitari bona opera aliorum religiosorum, nisi sit prius positus in statu religioso per professionem Regulæ approbatæ.

Ex his suppositis tanquam certis à nemine negandis, probandum modo est Carmelitas non posse descendere à S. Elia per generationem, sed tantum per denominationẽ, & imitationem, sub qua ratione intelligendi sunt Patres Doctores, & Pontifices. qui ab aduersario adducunt, narrantes Carmelitanos esse successores hæreditarios Eliæ, quandocumque probatur illos ab eodem descendere per generationem propagatiuam Religionis. Id autem probatur multis modis.

Primo, quia ante Christum in veteri lege nulla erat vera religio sub tribus votis, in quibus consistit propriè Religio, sed tantum in vmbra, figura, nomine, & cortice. Id probatur tum auctoritate Sancti Pauli 1. Corin. c. 1 t. *Hęc autem omnia in figura contingebant illis.* Et initio huius capitis dixerat: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt.* Quicquid ergo egerunt S. Patres veteris testamenti, erat figura, vmbra, & nubes eorũ, quæ in re futura erant per Christũ, ac proinde etiam Religio Eliæ fuit in figura, & nube, non in re, & veritate. Tum Doctorum, qui omnes docent Religionem nostram fuisse adumbratam in lege veteri, *cum Bellarm. c. 5. de Monachis. Pontius lib. 7. de Matrimon c. t. n. 2 LeZana par. 1. c. t. n. 2. Miranda tom. 1 q. 3. art. 2.* hæc habet: *Quamuis in veteri lege, & ante aduentum Christi Domini, & Sanctorum Apostolorum Religionis, seu religiosi status aliqua præcesserint vestigia, symbola, atque figura, nulla tamen verè, & propriè Religio instar earum, quæ in Ecclesia sunt hodie, fuit ante tempora Christi.*

Probatum igitur est, in veteri lege statum religiosum nõ extitisse nisi in nube, & vmbra, ac proinde ab Elia, qui fuit veteris testamenti, priori modo non descendisse ordinem Carmelitanum in ratione Religionis, & Regulæ, quia nõ potuit Sanct. vir hæc duo cõmunicare Carmelitis, nisi in vmbra, quã ipsi nolunt, sed lucem, quam ab eo nunquam consecuti sunt, quia nemo dat quod non habet, cap. Daibertum 24. 1. q. 7. Elias enim non habebat statum religiosum, sed illius tantum vmbram, quam communicauit illis, & nihil aliud vltra.

Secundo probatur per definitionem Religionis, nam in omnium sententia Religio est status hominũ ad perfectionẽ Christianam tendentium per vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ a Christo Domino institutos. *Ita ex D. Th. 2. 2 q. 186. Bellarm. cap. 2. de Monach Pontius lib. 7. c. 1. n. 1. Palaus par. 3. tract. 16 disp. 1. part. 1. num. 1.* De Christo eius institutore idem *Bellarm. c. 4. Platus de bono statu c. 20. Vasq. 1. 2. disp. 165. c. 5. à n. 44 ad 49. Azor. part 1. lib. 11. c. 23. q 5. ex illis Sanch. lib 5. c. 1. n. 15.* Nullus contradicit. Elias sub hoc statu Christi non erat, cum fuerit ante Christum, ergo Carmelitis non potuit communicare statum religiosum, qui nondum erat in re. Et licet fuerit Elias sine vxore, sine facultatibus, Deo obediens, & vixerit in rigida paupertate, non ideo tamen erat vere religiosus, quia sub voto ea non præstitit; ea enim obseruantiã more religiosorum, nisi constet eam exercere sub vinculo professionis, arguere potest statum religiosum, cum multi seculares serui Dei vitam degant voluntarie in paupertate, & cælibatu, vt quotidie id patet experientia; etiam Nouitij hæc obseruant, & tamen non sunt religiosi, quales sunt tantum illi, qui professione iam sunt constituti in statu Religioso. Non possunt ergo Carmelitæ gloriari de hac descendentia per propagatiuam generationem status religiosi à Sanct. Elia, cum nihil eorum habuerit, quod eis communicare potuerit, nisi simplicem celibatum, & voluntariam paupertatem carentia perfectione status religiosi. Quare descendentia, & successio hæreditaria, de qua Auctores citati ab aduersario, intelligẽda est de æquiuoca per imitationem, & denominationem tantum, & non de descendentia vniuoca per generationem propagationis status regularis, aliter huiusmodi Auctores ignorarent, vel negarent essentiam Religiosi status, quod dicendum non est.

Tertio probatur inefragabili auctoritate Ecclesiæ ex oratione Sanctorum Apostolorũ Petri, & Pauli 29. Iunij ibi: *Da Eccl. tuæ eorum in omnibus sequi præceptũ, per quos Religionis sumpsit exordium* Ecclesia, cui magnum piaculũ est contradicere, vt etiam Aduersarius asserit, declarauit in ea oratione exordiũ ministeriale Religionis sumptũ fuisse ab Apostolis. Nõ ergo erat Religio ante Apostolos, in quibus Christus initiũ dedit status religiosi, tales enim erant Apostoli, quorum Prior, & Abbas erat Christus, *Diuus Tho. 2. 2. q. 88. art. 4 fine. Pontius lib. 7. c. 2. Tambur. tom. 1. disp. 25. q. 1. n. 38.*

Nec quis dicat, nomine Religionis non venire statum regularem in ea oratione, sed Ecclesiam Catholicam, quam Christus sanguine suo fundauit in Apostolis. Nam Religio Christiana ex baptismo Christi diuiditur in plures species, & immediate potissimum in Regularem, & Secularem ab ineunte Ecclesia. Dum ergo Ecclesia declarauit Religionem à baptismate exordium accipere ab Apostolis, non excludit, sed comprehendidit omnes eius species, ac proinde Religionem à professione, cum omnis species contineatur sub suo genere.

Sanct. ergo Elias, cui Carmelitæ asserũt iure hęreditario succedere, non potuit illis cõmunicare statum religiosum, obligationẽ votorũ, & alia, quæ constituunt statum regularẽ, cum omnibus illis caruerit, vt probatum fuerit, restat ergo, vt illi successerint ratione denominationis, & imitationis tantum, dum petant nonnulla opera bona, quæ

ipse faciebat, qua ratione etiam vniuersi aliorum ordinum possunt se gloriari de hac descendentia per imitationem.

Contra prædicta quis poterit obiicere ea, quæ dicit Ioannes XLIV. Patriarcha Ierosolymitanus, qui c. 31. apud Lezanã tom. 3. Annal. fol. 78. ita scribit: *Inuenientes quidã viri Monachos Montem Carmelũ nunc habitantes esse Christianos, putarunt vt asseris, dilecte Caprasi, eos non esse eiusdem Religionis cum illis Monachis, qui olim per Sanct. Prophetã Dei Eliam fuerunt in eodẽ Monte instituti, pro eo quod illi non fuerunt Christiani sed Iudæi. Quam autem erroneo istorum virorum opinio à veritate demat ex sequentibus manifestum tibi fieri. Antiqui namque huius Montis Monachi, etsi non nomine, tamen recta fide fuerunt Christiani veri, sicut sunt Monachi moderni, quoniam illi firmam fidem in Christum habuerunt.*

Non euacuatur difficultas, quia veri Christiani nouæ legis, sunt illi, qui fidem Christi habent iã incarnati, quod de Iudæis dici nequaquam potest, illi enim Sancti Patres veteris legis fidem Christi tenebant actu, sed Christum in spe tantum habebant, quia credebant illum venturum, fidem, & spem actu tenebant, sed obiectum longe ab illis erat, dum spectabant venturũ. Nullatenus ergo in se dici possunt Christiani, quia licet haberent, Christum tamen existenté non tenebant, sed tantũ venturũ spectabant. Hæc enim differentia est inter Iudæos, & Christianos, quod illi credebant in Christum incarnandum, isti vero in Christum iam incarnatum. Non possunt ergo S. Patres veteris legis re vera dici Christiani propter adductam rationem. Præterquã quod ea interpretatio aduersatur Sac. Scripturæ Act. 11. 26. *Docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani.* Si primum discipuli Christi vocati fuerunt Christiani, ergo Iudæi ante Aduentum Domini nullatenus appellandi sunt Christiani, primum enim illud dicitur, quod nullum antecedit l. Qui duos 10. ff. de reb. dub.

Aduersarius obiicit diuersorum Pontificũ Bullas, per quas conatur probare antiquissimã descendentiam, & hæreditariam successionem à S. Prophetis, qui tamen huiusmodi successionem aliter intelligere non potuerunt, nisi secundum denominationem, & imitationem, non autem de generatiua secundum religiosam propagationé, ne videantur negare exordiũ cuiuslibet Religionis veræ, & propriè acceptæ esse à Christo Domino, quod hæresis esset contra Magdeburgenses negantes statum religiosum in primitiua Ecclesia prodeuntem a Christo, & asserentes esse inuentum hominum, quam hæresim Bellarm. cap. 5. de Monach. confutat.

* Hinc Aduersarius recognoscat suum errorem, non meum, qui dum inceptionem sui Ordinis facit ab Elia, nõ à Christo, fatetur esse inuentum hominis, non Christi.

Vidi Bullam Sixti Quinti incip. *Eximium* 96. in Bullario Nono, vbi nulla fit mentio de Elia, neque Elisæo, sed cõceditur Carmelitis Discalceatis, vt celebrent Horas Canonicas iuxta Ritum Breuiarij Romani, etiam de Sanctis, de quibus solemniter celebrabant ex laudabili consuetudine, sub §. 5. *Sed quia vetus iamdiu viguit in vestro Ordine laudabilis consuetudo, dies festos in honorẽ B. Virgin. & quorundam Sanctorum solemniter celebrandi.* Papa prudenter non expressit, illos Sanctos esse huius Ordinis, sed simpliciter dixit, *Quorundam Sanctorum*, Esto Papa expressisset Sanct. Eliam, & Elisæum, de quibus nominatim concessisset celebratioué Officij adhuc ex hoc non infertur, fuisse eius instituti professores, vel simul etiã institutores, licet in supplicatione id fuisset expressum, quia gratia refertur ad cultum illorum, quos Papa scit esse Sanctos, ac proinde dignos illa veneratione, quod sufficit, vt legitima sit concessio, quod deinde Sanctus sit, vel non sit talis instituti, parum refert, quia non institutum, sed canonizatio facit fidem canonizatum esse dignum publico cultu, eam igitur circunstantiam professionis non approbat, nec reprobat. Et quod ex recitatione Officij non inferatur professio eiusdem Ordinis, cuius alumni celebrant de Sancto, probatur exẽplo Franciscanæ Religionis, cuius professores ex Indulgentia Sedis Apostolicę celebrant Officia Sanct. Ioachim, & Annæ parentũ Deiparæ registrata in eorũ Calendario proprio, & tamen luce clarius notorium est non fuisse Franciscanos professione, nec alio modo, cũ & ipsi sunt Patres Veteris Testamenti. Si enim ex recitatione Diuini Officij infertur descendentia Ordinis, ô quam felices, & gloriosi essent Franciscani, qui dicerentur descendere hæreditaria successione à progenitoribus Deiparæ.

Producit Bullã Clementis Octaui incip. In Apostolicæ dignitatis 71. in eodem Bullario, vbi habentur hæc formalia verba: *Quorum hæredes sunt vestigiis insistentes incumbunt*, scilicet Carmelitæ Discalceati. Ibi sermo est de hæreditate non generatiua, sed secundum imitationem, vt diserte colligitur ex antecedentibus verbis, quæ sunt. *Et in vtrumq; instituti sui finem, priorem scilicet, ac potiorem, qui est diuina vnio per orationem, & contemplationem; & posteriorem, qui est salus proximorum, verbo, & opere Sanctorum Prophetarũ Eliæ, & Elisæi, aliorumque Sanctorum Patrũ, quorum hæredes sunt vestigiis insistentes incumbunt.* Pondera bene totũ discursum, qui fundatur super duplici vita, contemplatiua, & actiua, quam exercebant Sancti Patres prædicti, quorum sunt Carmelitæ hæredes, dum insistunt eorum vestigiis verbo, & opere. Patet ergo aperte Romanum Pontificem loqui de successione, & hæreditate in vita contemplatiua, & actiua, ac proinde ab his descendere secundum imitationem, non secundum generationem religiosi status. Adde, quod Clemens ibid. dicit carmelitas hæredes nõ solum Eliæ, sed etiam Elisæi, & aliorum Sanctorũ Patrum, & tamen ipsi solitarie loquuntur descendere ab Elia, & non ab aliis. Insuper descendentia secundũ propagationé regulariter est ab vno tantum capite, Cassinenses ab vno Benedicto, Prædicatores ab vno Dominico, Minores ab vno Francisco, ergo & Carmelitani ab vno tantum, & non à pluribus, signum ergo est, descendentiam à pluribus esse æquiuocam, & per imitationem tantum.

Descendentiam à S. Patre Elia probat ex Lect. Officij S. Petri confessoris carmelitæ, ibi: *Elias namque eius institutor iã olim à filio meo.* Iste Sanctus sæpius orauit ad Beatam Virginem, & eius Filium mediante Sancto Elia, vt dignaretur sibi reuelare perseuerantiã suæ Religionis vsque ad finé sæculi. Maria Deipara respondit ea verba. Ergo, inquit Aduersarius, temerarium est, negare institutionem huius Ordinis ab Elia.

Respond. huiusmodi institutionem referendam esse ad successionem secundũ imitationé, non generationem religiosã. Credo obiectũ reuelationis, quod scilicet, Ordo carmelitanus sit vsq; in finem sæculi duraturus per intercessionem etiam S. Eliæ, non propter propagationem, sed propter imitationem, dignus enim erat seruus Dei, qui cũ cæteris professoribus propter tantum honorem, & cultum, quem continuo exhibent Sanct. Eliæ, vt Sanctus Pater eis non ingratus benefactor impetraret huic Ordini sibi specialiter deuoto perpetuam stabilitatem sibi benefacientibus. Ecclesia ergo approbat factũ, non circunstantias, sine quibus potest stare veritas facti. Suadeo simile. Ecclesia approbauit Officium Sanct. Bonauenturæ cum propriis Lectionibus pro Ordine Minorum, in cuius 4. Octauæ eiusdem die sic legitur. *Anno salutis 1274. & suæ ætatis quinquagesimo tertio, hora Matutina, die Dominica, quæ Mensis Iulij erat decima tertia ex humanis sublatus est.* Non omnia considerauit, sed tantum principale, eius scilicet mortem eo anno, & mense, non curando de circunstantia diei hebdomadalis, quæ ad veritatem facti non facit, sufficit enim scire obiisse anno 1274. die 15. Iulij. Falsum est decessisse die Dominico, cum mortuus sit die Veneris, vt probaui Decis. 55. quod colligitur ex Actis Concilij Lugdunensis.

Obiicit antiquitatem conuentuum præsertim in Torcia inter annum 272. & 1564. Ergo non incæpit sub anno 1160.

Respondeo dicendo ex determinatis, quod eo tempore inhabitabantur à piis viris Sanct. Eliæ deuotis, sub cuius protectione, & denominatione erant, imitantes illum in vita contẽplatiua, & actiua, nondum tamen erant religiosi, quia Sanctus Elias statum religiosum, quo carebat,

bat, eis communicare non poterat per religiosam propagationem.

Circa indulgentias Ecclesiis illorum conuentuum concessas ex Bulla Sixti Quarti incip. *Dum attenta* 11. in B. N. Nihil habetur, sed in ea Papa, electo confessario concedit, vt in vita, & in morte sibi confitentibus possit concedere indulgentiam suorum peccatorum.

Colligitur ex his, in meo libro præcedentiæ iure dixisse Ordinem de Monte Carmelo non incæpisse ante Albert. Patriarcham Hierosol. qui dedit illis primam Regulam, quod est secundum, quod viget Aduersarios asserentes habere suum Ordinem Regulam aliam antiquissimam.

Dixi hunc Ordinem ante Albertum caruisse Regula, ac proinde antea non fuisse Religionem. Aduersarius conatur probare Regulas alias habuisse tam Eliæ, tum cuiusdam Ioannis Patriarchæ Hierosolymitani.

Probat Regulam ex Sancto Elia auctoritate Thomæ de Iesu Maria sui Ordinis Reformato, qui asserit extitisse Regulam ante Christum collectam ex tredecim præceptis Sanct. Eliæ.

Hoc simplex assertum, cui sine probatione credendum non est, Sacra Scriptura, in qua eius vita exacte habetur, huiusmodi præcepta non colliguntur, nec ex aliquo eius scripto, quia S. Elias nihil reliquit scriptum, vt asserit Aretius Episcopus Dertunensis super Apocal. Velitat. 5. Excurs. 18. §. 3. Deinde, ante Christum nulla erat Religio ea probatus, ergo nulla Regula, vnum enim sine altero non datur.

Proponit Aduersarius aliam Regulam (forsan titubans de prædicta) compositam à Ioan. 44. Patriarcha Hierusalem traditam per ipsum cuidam Monacho Caprasio.

Sed contra est, quia illud Ioannis opus inscriptum de Inst. primorum Monachorum in lege veteri exortorū, & in noua perseuerantium, quod *Lezan. extendit tom. 3. Annal. fol. 35. c. 48.* comprehensium, Regula non est, sed Historias S. Eliæ, & aliorum Prophetarum eius Discipulorū. In Regulis enim Patrum Basilij, August. Benedicti, & Francisci, quæ dicuntur quatuor Regulæ principales, non leguntur acta ipsorum institutorum, neque aliorum suorū prædecessorum, sed tantum præscribuntur ea, quæ conducunt religiosos ad obseruationem trium votorum. In eo autem opere Ioannis nil tale legitur, ergo Regula non est. Adde, quod prima Regula est illa, quam dedit Albertus, vt infra probatur, ergo gratis confinguntur prælibatæ Eliana, & Ioannis.

Hunc Ioan. librum Haymericus Patriarcha Antiochenus (ait Amicus) an. 1120. de Græco in latinum traduxit. Concedamus eam translationem. Si Regula erat, quod negamus, ergo Carmelitæ Orientales ante dictum an. 1120. carebant Regula, si illis in latinum oblata postmodū fuit, & tamen in Tuscia habebant conuentus vsque ad annos 272. ergo ab anno hoc vsque ad annum 1120. translationis assertæ Regulæ caruerunt Regula tali, & sic non erant vere religiosi, vt supra etiam probaui.

Obseruo præterea ex Lezana tom. 3. Annal. fol. 551. n. 4. assumptionem Haymerici ad Ecclesiam Antiochenā accidisse an. 1137. secundum vero Baronium ab eo constitutum anno 1143. Ergo si opus Ioannis anno 1120. de Græco transtulit in latinum nondum erat Patriarcha.

Aduersarius, vt continuet Regulā assertam Ioannis cū ea Alberti, quæ vera fuit Regula, vt infra patebit, subdit: cum autem an. 1171. multa dubia orta essent super Regulam, Albertus ad instantiam fratrum nostrorum quandam breuiorem, clariorem, & compendiosiorē Regulam conscripsit compilatā ex lib. Inst. Ioan. 44. Patriarchæ Hierusalem præceptis Sanct. Basilij, vt ipse testatur in principio ipsius Regulæ, & hanc sua propria auctoritate approbauit, & nunc eam omnes seruant. Volui referre eius verba, quæ variis scatent erroribus.

Primo dixit, quod exorta erant dubia, quæ supple diluit Albert. in sua Regula. Id falsum est, quia Regula Alberti nullis difficultatibus respondet, sed tantum per eam intendit, tradere eis formulam vitæ petitam, qua deinceps viuere debeant, id enim in procemio Regulæ habetur: *Verum quia requiritis à nobis, vt iuxta propositum vestrum, tradamus vobis vitæ formulā, quam tenere in posterum debeatis.* Ergo antea nullam viuendi formulam habebant, multo minus Regulam, merito igitur hæc Alberti vocatur prima eorū Regula. Non petunt resolutionem dubiorum exortorum super Regula Ioannis ab Alberto, sed quod det eis certam vitæ formulam.

Secundo dixit Regulam Alberti esse compilatam ex libro Ioannis. Quod omnino falsum est, tum quia ne verbum quidem dicit Albertus de Ioanne; tum quia liber Ioannis, vt dixi, Historia est, non Regula & in nullo conuenit, falsa ergo est compilatio Alberti ex Ioanne.

Tertiò dixit Regulam Alberti non solum ex libro Ioannis, sed etiam ex præceptis Sanct. Basilij esse compilatam. Regula Alberti composita ab eo fuit absolute, sine vllo ordine ad prædicta. Et si bene legatur liber Ioannis fere nihil commune habet cum Regula Sanct. Basilij, de cuius Regula communicata Carmelitis Lezana tom. 3. Annal. fol. 102. à n. 15. ad 18. Si olim seruabant Regulam Basilij, ergo propriam non habebant, & sic Ioannis liber non fuit eis Regula.

Quarto dixit, de hac compilatione Regulæ Alberti ex Ioanne, & Basilio fieri mentionem in principio ipsius Regulæ. Sed reuera nē verbum quidem legitur in exordio Regulæ.

Quinto dixit, Albertum sua auctoritate propria approbasse hanc Regulā a se compositam. Id verū est, sed approbatio hæc non excessit Fratres extra Montem Carmeli, & alios existentes in Patriarchatu Hierosolymitano, vnde ea approbatio quia non erat sufficiens, accessit Pontificia Honorij Tertij die 30. Iunij 1226. in terminis *Azor. part. 1. lib 12. cap. 23. §. Aliis vero.*

Sexto dixit, Albertum Patriarcham Ierusalem compilasse Regulam de anno 1171. Hic apparet duplex error euidenter vnus ex altero deductus, nam Albertus Patriarcha non erat eo anno 1171. Sed nec forsan Episcopus, consequenter nec eo anno potuit existens Patriarcha, qui non erat, scripsisse Regulam in Achone de suo Patriarchatu, si in Italia erat. Refero statum, & conditionem Alberti ex grauissimis auctoribus Vercellensibus, & ex Instrumentis actis dum viueret, quæ continent testes oculatos, fidem facientes de illius gestis coram ipsis factis.

Albertus igitur natione Parmensis de Castro Gualterij, professione aduocatus, religione congregationis Canonicorū Mortariæ in ducatu Mediolanēsi, Episcopus fuit Bobij, deinde an. 1185. translatus ad Episcopatum Vercellensem, & an. 1192. Synodum habuit pro reformatione suæ Ecclesiæ. Anno 1204. ad Patriarchalem Sedem Ierosolymitanā transfertur, & in tota illa Prouincia Legatus Pontificis cōstituitur, quo tēpore Carmelitis Fratribus per montē Carmeli vagari solitis Regulam scripsit, atq; constituit, vt deinceps in vnum congregati commune, & cōsentaneam religioso statui vitā degerent. Hæc refert Franciscus Aug. ab Ecclesia in sua Historia Pedemontanæ regionis. Ad rem nostrā tria sunt probanda. Primo identitas Alberti prius Episcopus Vercellensis, & postea Patriarcha Ierusalem. Secundo ante an. 1204 fuisse Episcopum Vercellensem. Tertio ab ann. 1204. transisse Ierosolymam, ac proinde non ante id tempus scripsisse Regulam.

Primū de identitate probo auctoritate P. Lezanæ religiosissimi viri eiusdē Ordinis, qui est testis irrefragabilis, nā super Mare magnū Bulla rū sui ordinis fol. 594. n. 26. inquit. *Sub compendio tamen dicimus auctorem huius Regulæ fuisse Albertum Hierosolymitanum Antistitem ab Innocent. III. ex Vercellensi Episcopo ad terram sanctam missum, quem officio canonico vt beatum ordo noster veneratur.* Patet igitur identitas personæ.

Secundum tēpore, quo fuit Vercellis Episcopus probatur *primo* per instrumētum imperiale conseruatum in Monasterio S. Ambr. Mediolani, quo Henricus VI Imperator eidē Monasterio priuilegium elargitus fuit anno Domini 1195. in quo exprimitur vt testis *Albertus Vercellensis Episcopus.* Extēdit diploma Ioan. Petrus Puricellus Theologus,

logus, vir doctissimus, Archipresbyter S. Laurentij in suo opere Ambrosianæ Basilicæ Monumenta fol. 1106. Secundo Innocentius III. differentiam inter Monachos, & canonicos S. Ambrosij Mediolanensis componendam mandat Alberto Vercellensi Episcopi, & Petro Abbati Locediensi anno 1201. teste eodem Puricello fol. 1161. qui instrumentum accommodationis ex autographo conseruato in Monasterio eodem exscripsit in suo opere. *Tertio* se subscripsit cuidam priuilegio ab Henrico VI. concesso Monachis de Quartazola prope Trebiam extra Placentiam anno 1196. Placentiæ per manum Alberti imperialis aulæ Prothonotarium. Originale conseruatur apud Comites Scotus de Agazano, ex Petro Maria Campocanonico, Placentino felicis memoriæ in sua Historia Ecclesiastica vulgari parte 2. fol. 374. *Quarto* controuersia inter Episcopum Placentinum, & canonicos de electione Vicedominatus dignitatis, delata ad Pontificem Romanum anno 1186. Vrbanum III. qui tunc erat Veronæ ab eo dirimenda fuit commissa Alberto Episcopo Vercellensi, vt constat ex libro priuileg. Ecclesiæ maioris Placentinæ fol. 24. apud eundem Campū fol. 66. *Quinta* suffragatur idem Lezana, dum loco citato dicit ab Innocentio III. translatū fuisse à Vercellis Ierosolymā, Innocentius enim electus fuit 1198. consequenter eo tempore Albertus erat Antistes Vercellarum. *Sexto* demum testes sint Historici de illis partibus, supradictus Augustinus, & Ferrerius à nostro Ranuccio Pico in Append. par. 2. fol. 49. relati.

Tertium ex dictis patet, nempe Albertum non potuisse ante Innocentium III. electum anno 1198. transisse Ierusalem, vt colligitur etiam ex eodem Lezana, dū dicit translatum per dictum Innocentiū III. & cum fuerit translatus anno 1204. ex Historicis illius regionis, vt colligitur etiam ex probat. s. quia anno 1201. subscripsit controuersiam canonicorum, & & Monachorum S. Ambrosij, non potuit scribere in Acone Regulā nec forsan annis 1205. aut 1206. ratione longi itineris, & quia prius debuit componere & reformare suam Ecclesiam in communi.

Hæc in longum protraxi, vt aduersarius sciat, non vnicum extare huius rei auctorem Ferrerium, & Picum delirasse, nec me, dum nos non cupido auidæ nobilitatis tenet, sed hæc referre veritas ipsa cogit. Retorqueamus ergo in ipsum huiusmodi deliramentum, quo toto cęlo à veritate aberrat, dum asserit Albertum existentem Patriarcham Ierusalem anno 1171, composuisse in Achon Regulam, si de anno tantum 1204. illuc transfretauit.

Prætermitto nonnulla alia, quæ parum faciunt ad hęc duo principalia pūcta de antiquitate huius ordinis, & Regulæ.

Et concludendo co gendo aduersarium, & me ipsum, super his, quæ in meo Theatro rescripsi ex Tamburino.

Dico, ordinem hunc descendisse, non Religionem, sed denominatione, titulo, & imitatione tantū ab Elia propheta, & Regulam vnicam, ac eam primam recepisse ab Alberto post annum 1204. à quo cœpit esse Religio in illis partibus, & postea per totum orbem ab anno 1226. confirmatione facta ab Honorio III. Hæc conclusio omnino certa probatur ex hactenus dictis.

Quæres Quintò. An religio sit species Ecclesiæ militantis?

55 ℞. Affirmatiue, & probatur, quia ei conuenit adæquate definitio Ecclesiæ militantis, quæ est spiritualis congregatio baptizatorum fidem diuinam profitentium sub Pontifice Romano ordinata ad cultum diuinum, & salutem animarum, quam definitionem ample explicaui in meo Sacro Tribunali correcto, & ampliato, c. 1. q. 4. Manuscripto: sed Religio à professione est congregatio spiritualis fidelium sub Pontifice Romano eandem fidem profitentium, ergo est species Ecclesiæ militantis. *Confirmatur*, quia religio tam in genere, quam in specie non est extra Ecclesiam catholicam Christi, sed omnino intra eam seruiens Deo, & ministrando sacramenta fidelib. ex charitate, sicut faciunt clerici Parochi ex officio. cæteri ex charitate, qui sunt partes Ecclesiæ. ergo omnes religiones sunt species Ecclesiæ, in qua sunt, viuunt spiritualiter, & conseruantur. Licebit ergo dicere Sancta Ecclesia Dominica, Franciscana, &c.

Sicut dicitur sine vlla difficultate S. Ecclesia Mediolanēsis, Parmensis. &c. non enim minus est congregatio quælibet
religio, quam quælibet Ecclesia Episcopalis, immo magis 56
congregationis naturam participat religio, quam Ecclesia Episcopalis, quæ suis subditis non dictat vitam communem, sicut religio suis alumnis.

Quæres Sexto. An Religio sit virtus, & sub qua specie.

℞. Est virtus, & quidem sub prima specie, quæ iustitia 57
nuncupatur, ex *D. Thoma* 2. 2. q. 80. & 81. Qua virtus est, inclinat, & disponit hominem ad acquirēdam perfectionem per obseruationem eorum, quæ professo præscribuntur in Regula, & constitutionibus, siue per viam voti, siue præcepti, siue consilij ea obseruanda ab eo sint. Qua iustitia est, dicta reddendū esse Deo debitum votum, exequendo ea, quæ in Regula, & constitutionibus mandantur obseruari. Quare vt virtus professum disponit ad optimam operationem, quæ est tendere ad perfectionem per obseruationem Regulæ. Vt iustitia, dictat, Deo reddendum esse votum promissum, iuxta illud Ps. 75. 12. *Vouete, & reddite Domino* Celeriter soluendum est debitum, cum vnica directio coniunctiua medier inter votum, & eius executionem, adeo quod mora locum habere non potest, nisi culpabilis. *Late Lessius l. 2. capit. 36. dub. 2.*

Quæres Septimo. An religio sit congregatio, seu status ecclesiasticus sacer, & spiritualis? Religio spectari potest tripliciter, primo ratione rei, quatenus in se spectatur; *Secundo* ratione personæ, quæ professione firmatur in hoc statu; *tertio*, ratione loci, in qua res, & persona firmatur, & habitat, vt est Ecclesia, & monasterium. Quælibet locum habet in tribus prædictis.

Notandum primo, ecclesiasticum dici tripliciter in ordine ad personam, *Primo* generaliter pro omni persona baptizata, nam homo per baptismum fit membrum Ecclesiæ, à qua ideo denominari potest ex hoc capite ecclesiasticus, ad differentiam non baptizati: qui cum sit extra Ecclesiam, non potest vocari ecclesiasticus. Sub hoc sensu patet manifeste Religionem esse congregationem ecclesiasticam, cum sit congregatio, & species Ecclesiæ, & sic ratione sui, & personarum est ecclesiastica. *Secundo*, pro omni persona baptizata habente saltem primam tonsuram, qua ratione propriè clericus nuncupatur, & persona ecclesiastica. Hoc modo Religio vt sic non potest vocari ecclesiastica congregatio, quia Monachi ex primæua institutione erant religiosi, & eorum monachatus erat vere, & proprie Religio, & tamen non erat clericalis, quia clericis carebat, & ideo non poterat vocari Religio vt sic ecclesiastica, & clericatus, quia hanc rationem vti genericam debuisset communicare suis speciebus, quarum aliquæ inueniuntur sine clericatu, ergo signum est, eius rationem non esse intrinsecam Religioni vt sic. Religio ergo vt sic non est ecclesiastica à clericatu ratione sui, nec ratione personarum simpliciter, est vero ecclesiastica ratione loci, & Ecclesiæ, vt notum est. *Tertia* ecclesiasticum sumitur pro omni persona professione Deo dicata speciali modo ex voto, ratione cuius Religio ratione sui dicitur ecclesiastica propter illam dedicationem à voto professionis prouenientē, quæ in sola Ecclesia exercetur. Pariter personæ professæ, Ecclesiæ, & monasteria dicuntur ecclesiastica, propter eā deputationē ad munera ecclesiastica. *Confirmantur* prædicta, quia illud
denominatur ecclesiasticū, quod gaudet priuilegiis canonis, 58
& fori; sed omnes religiosi vtriusque sexus gaudent prædictis priuilegiis, etiam nouitij in sententia omnium, ergo sunt ecclesiastici. Vnde *Nauarr. tom. 2. q. 1. de redditibus Manit.* §. Præterea ille status est ecclesiasticus, qui cōponitur ex personis ecclesiasticis, ab illis enim denominatur, vt patet in singulis congregationib⁹, collegiis, & vniuersitatibus, quæ denominantur seculares, vel ecclesiasticæ, regulares, aut seculares à statu personarum, quæ illius sunt partes, & membra; sed religio omnis constat ex professis, qui dicuntur personæ ecclesiasticæ, ex dictis, ergo religio est congregatio ecclesiastica. De loco constat, nam Ecclesia de se præfert hoc vocabulum, quo Monasterium vt accessorium denominatur ab Ecclesia, & à personis ecclesiasticis.

Notandum

60 Notandum secundo, illud dici sacrum, quod Deo dedicatur in ordine ad sanctitatem personæ, quod contingit per consecrationem, benedictionem, & dedicationem, sic gratia, sacramenta, quia sanctificant, vasa sacra, Ecclesiæ, constituti in sacris, loca pia, monasteria & religiosæ domus vocantur sacra ex prædictis actionibus. Pari ratione omnis Religio cum suis alumnis vocanda est sacra congregatio, quia per votum professionis persona omnis benedicitur, & consecratur Deo, ergo professi, & professio vocatur sacra congregatio.

61 Notandum tertio, spirituale dici à spiritu, eo quod ad animam referunt, quæ spiritus vocatur, spirituale autem noncupatur, vel de se, & substantialiter, vt gratia, & dona supernaturalia, vel causaliter, vt sacramenta, quo ad collationem gratiæ; vel per participationem à spiritualibus, cum quibus habet coniunctionem, vt calix benedictus, & consecratus, beneficia, decimæ, oblationes, iuspatronatus, hæc enim accedunt aliis rebus, vel personis spiritualizatis, quarum spiritualitatem participant. Hæc & similia spiritualia dicuntur, & habent hoc speciale cum rebus sacris, quod in contractum deduci non possunt pretio æstimabilem nisi cum labe simoniæ, quæ *à D. Thoma* 2.2.*q.*100.*art.*1. definitur studiosa voluntas emendi, vel vendendi spirituale, vel spirituali annexum. Spirituale autem, & sacrum videntur coincidere ratione rei, quia vna, & eadem res vocatur sacra, & spiritualis, differunt vero in eo, quod sacrum constituitur per dedicationem, consecrationem, aut benedictionem, spirituale vero potest esse sine illis, nam gratia illis caret, beneficium decimæ &c. carent prædictis, incorporalia enim prædictis sensibilibus actionibus non fruuntur. Colligitur ex his Religionem esse spiritualem congregationem, quia dictat opera spiritualia ex voto exercenda, præterquam quod religionem ingrediens mediante pecunia committit simoniam, ergo Religio est quid spirituale interdictum vendi sub labe simoniæ.

62 Respond. ergo directe ad quæstionem religionem ratione sui, personarum, & locorum Ecclesiæ, & monasterij esse congregationem Ecclesiasticam, quia gaudet priuilegiis Ecclesiasticis; esse sacram, quia dedicatur, consecratur, benedicitur, & offertur Deo, esse demum spiritualem, quia ordinatur ad actiones spirituales, & in contractum appretiabilem venire non potest, quod est proprium rerum spiritualium. Patent hæc ex prælibatis notabilibus.

Quæres Octauo. An Religio dicat essentialiter statum primum, immobilem, & inuariabilem?

63 Respond. Affirmatiue. Probatur *Tum quia*, religio est essentialiter status, ergo dicit firmitatem, nam status dicitur à stando, & perseuerando, ideo variari non potest. *Tum quia* votum professionis inducit perseuerantiam in professo, ergo immobilitatem in religionis ratione formali. *Tum quia*, matrimonium carnale importat statum fixum, & immutabilem, à quo non licet recedere, ergo idem dicendum est de matrimonio spirituali, quod est Religio. Et hoc docuit Sanct. Benedictus, qui primus omnium in forma professionis à Monachis faciendæ expressit firmitatem status religiosi his verbis: *Promitto stabilitatem meam, & conuersionem morum meorum.* Confirmatur argumento à coniugatis, omnes religiosi professi sunt ita stabiles, & firmi in sua professione, vt sine apostasia non possint resilire à promissione Deo facta, ergo religio est status firmus, & stabilis ex suis intrinsecis, hoc ipso, quod nullus religiosus cuiuscunque sit ordinis, etiam Iesuita votorum simplicium, potest recedere à promissis in sua professione. Ita omnes *cum D. Thoma* 2.2. *quæst.*189.*art.*4. *Pellizar tract.*1.*c.*2.*q.*3. *Pontius lib.*7. *de Matrim. cap.*4. rem fuse exponit. Magis res confirmatur in responsione sequentis quæstionis.

Quæres Nono. An perpetuitas vsque ad mortem sit de ratione Religionis adeo quod aliqua institui non possit, nec erigi vsque ad certum tempus duratura e. g. ad quinquaginta annos, vel ad centum?

64 Respond. Perpetuitas est de ratione intrinseca Religionis, ita quod nulla institui potest ad tempus limitatum, & certum, nec à summo Pontifice approbari potest.

Primum probatur ex conditione status, qui dicit immobilitatem secundum illud primæ ad Corinth. cap. 15. extremis verbis: *Stabiles estote, & immobiles* importat ergo permanentiam, & perseuerantiam personæ in statu aliquo constitutæ; sed religio est status ex præcedentibus, ergo arguit illam intrinsece immobilem, & permanentem, ac proinde habere rationem perpetuitatis in se, & suis alumnis. 65 Confirmatur, quia religio quo ad perpetuitatem, & tempus regulatur à professione, quæ illius est ratio formalis, sed professio includit tempus indeterminatum, & perpetuam vsque ad mortem, nam in omnibus fere religionibus in forma professionis exprimuntur similia verba: *Donec vixero, vsque ad finem vitæ meæ, vsque ad mortem.* Adeo, quod professio ad certum tempus emissa ad decem v.g. ad viginti annos, ipso iure nulla est, vt probabo suo loco; ergo huiusmodi perpetuitas à professione refunditur in religionem, quæ nequit existere sine professione; sequeretur autem absurdum, si perpetuitas non esset de ratione religionis, nempe dari religionem sine professione, quod implicat, sicut impossibile est dari hominem rationalitate, nam professio est differentia constitutiua religionis. Allatæ rationes in præcedenti responsione hoc idem probant.

66 Secundum, quod nec per Papam talis possit institui religio ad certum tempus, quod non potest excedere vitam professorum, probatur. *Tum quia*, perpetuitas est de intrinseca ratione religionis, ergo à Papa tolli non potest limitatione certi temporis. *Tum quia*, sicut non potest instituere matrimonium ad certum tempus respectu coniugum, ita ut peracto tempore, non sit amplius matrimonium solo tempore distractum, & extinctum, ita neque potest religionem temporaneam instituere, ab illo enim ad hanc valet argumentum. 67 *Tum quia*, donatio de sua ratione importat perpetuitatem ex sua irreuocabilitate, donum enim est largitio, quæ reddi non debet, secundum *Arist.* 4. Topic. *cap.* 2. *ex* Fabro *in* 4. *disput.* 45. *de restitut. num.* 4. 68 Sed religio importat donationem in professo, qui se totum ratione corporis ex voto castitatis, ratione bonorum fortunæ ex voto paupertatis, Deo dicat, tradit, & donat, vt est in confesso apud omnes fere doctores, quos prosequitur *Pontius lib.* 7. *de Matrimon. cap* 5. *contra Vasquez.* Ergo Papa instituendo Religionem aliquam non potest limitare tempus certum, quo extinguatur, quia hoc modo huiusmodi spiritualem donationem à se institutam redderet reuocabilem contra naturam donationis, quæ fit irreuocabiliter.

Sequitur ex posita perpetuitate Religionis ex se, quaslibet Religiones eam in se imbibere, & continere, adeo quod quantum est ex parte earum sunt permansuræ vsque ad consummationē sæculi, sunt enim species, & partes potissimæ Ecclesiæ Militantis, ideo perdurare debent vsque ad finem Ecclesiæ Militantis. Dixi, quantum ex se, & in eis est; certum enim est extingui posse ab extrinseco morte omnium professorum huius, vel illius ordinis ante finem mundi, aut per Pontificiam suppressionem, & extinctionem, de qua dicam infra quæst. 24. certum tamen puto esse, aliquas Religiones perduraturas esse vsquè ad finem mundi, eo quod Religio est ex principalioribus partibus, & membris Ecclesiæ Militantis, quæ permansura est vsquè ad consummationē sæculi in suis membris principalioribus, vnde deficere non potest in Pontifice Romano, in Episcopis, & Religiosis, quæ illius sunt principaliora membra, 69 vigere enim debent canonici, quia successerunt Apostolis in prædicatione Euangelij, Monachi, quia rememorant virtutem continentiæ, quam Christus prædicauit Apostolis, Mendicantes, vt in eis præluceat mendicitas, & paupertas Iesu Christi Domini Nostri.

Quæres Decimo. An Religio sit status libertatis, an seruitutis? In tit. de statu homin. l. 3. duplicem statum ponit Legislator, vnum libertatis, alterum seruitutis. Est

70 autem libertas naturalis facultas eius, quod cuique face-
re libet, nisi si quid vi, aut iure prohibeatur. Seruitus est
constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra
71 naturam subiicitur. Serui ex eo appellati sunt, quod Im-
peratores captiuos vendere, ac per hoc seruare, ne occi-
dantur solent. Mancipia vero dicta sunt, quod ab hosti-
bus manucapiunt. Hæc sunt verba l. 4. eiusdem tituli de
statu hominum.

72 Videtur Religio esse status seruitutis, non libertatis.
Probatur, quia religiosus comparatur seruo in multis.
Primo namque religiosus non est sui iuris, cum profes-
sione se totum superioris voluntati subiecerit, vnde non
habet velle, neque nolle, *cap. si religiosus 27. de elect. cap.
final. de testament. in 6.* sicut non est seruus sui iuris, cum
sit sub dominio alieno. *Secundo* seruus nihil proprij ha-
bet, sed quicquid acquirit, domino suo acquirit, *Institut.
Per quas causas cuique acquir. l. Id vestimentum ff. de peculio;*
talis est religiosus, qui nihil proprij habet, cum illud à se
abdicauerit professione paupertatis, *cap. Non dicatis qua
12. quæst. 1. cap. Cui portio 6. cap. Nolo 10. eadem,* & quod
lucratur acquirit Monasterio, *cap. Quia 7. cap. Perlatum
est 8. cap. Si qua quæst. 19. quæst. 3. Nauarr. tom. 2. de Red-
dit. quæst. 3. Monit. 7. Portellus par. 1. 2. cap. 67. numer. 1.
gloss. 11. Ecclesiarum Clemen. 2. de hæresi. Tertio*, seruus
mortuus est mundo, *gloss. final. cap. Inter cætera 22.
quæst. 4.* idem dicitur de religioso, *cap. Placuit 8. 16. q. 1.
l. Deo nobis 42. C. de Episcop. Quarto*, sicut seruus testari
non potest, *cap. Illud 5. 13. quæst. 2.* ita neque religiosus,
*cap. Quia 7. 19. quæst. 3. cap. Quia ingredientibus 2. de te-
stament. Authent. Ingressi, C. de Sacrosf. Eccles. Quinto*,
sicut seruus non potest stare in iudicio, *l. Seruus 6. C. de
iudic.* nisi in certis casibus, *gloss final cap. cum deputati 16.
de iudic.* ita neque religiosus nomine proprio, aut alieno,
immo neque agere actione iniuriarum sibi illatarum, quia
requiritur licentia superioris, *Nauar. tom. 2. Comment. 2.
de regular. num. 29. 42. 64. & 65. Sexto*, inter dominum,
& seruum nulla oritur obligatio, *l. Interpositus 13. C. de
transact.* vnde dicitur *in ff. de regul. iur.* in personam serui-
lem nulla cadit obligatio, intellige ciuilem, *Sanchez. libr.
7. disput. 24. num 11. & 12.* nam naturaliter obligatur,
l. Naturaliter ff. de condit. indebit. ita neque inter superio-
rem, & religiosum, qui nullatio habet potestatem illum
obligandi, cum ei propriam habeat subiectam voluntα-
tem. Ex his inferri potest, Religionem esse statum serui-
tutum, cum eius professi in omnibus seruis æquiparen-
tur; confirmatur ratione logicali à coniugatis, quia reli-
giosi sunt serui, ergo Religio est seruitus. Quibus non
obstantibus.

73 Respond. Religionem esse statum libertatis, &
non seruitutis. Probatur, Tum quia Ecclesia est
74 libera non serua, ad Galat. 4. 31. *Fratres non sumus ancil-
læ filij, sed liberæ, qua libertate nos Christus liberauit.* Item
c. 5. 13. *Vos enim vocati estis in libertatem fratres*, Iacobi
1. 25. *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis,
hic in facto suo beatus erit.* Ecclesia est libera duplici liber-
tate, nimirum libertate Legis Euangelicæ, per quam
Christus Sanguine suo liberauit à seruitute peccati, qua
detinebatur captiuus à Dæmone, & libertate à subiectio-
ne potestatis humanæ Laicali, neque enim Ecclesiastica
persona vllo vnquam tempore fuit subiecta Laicali pote-
stati, sed semper omnino libera; sed Religio est species,
pars, & membrum Ecclesiæ vniuersæ catholicæ à Christo
institutæ, vt probatur quæst. 5. ergo est status libertatis, &
non necessitatis.

Tum quia ad statum religionis nemo cogitur, nullus
compellitur, sed sponte comparens recipitur, & ad profi-
tendum eius libertas postulatur, sponte subiicit se reli-
giosæ obligationi, acquisitio igitur huius status est spon-
75 tanea, voluntaria, & libera. Ad statum vero seruitutis nul-
lus sponte se offert, sed quisque contra suam voluntatem
cogitur nolens subire subiectionem, ergo Religio est
status libertatis, non tractionis, & seruitutis. *Tum quia*,
emptione seruus fit quis domino emptori, quia pecunia
soluta illius dominium acquirit; huiusmodi autem contra-
ctus pecuniarius non potest interuenire in Nouitiis, qui
sola professione sine vllo pretio transeunt sub dominio, &
potestate superioris, non est ergo Religio status seruitu-
tis, sed libertatis. *Tum quia*, Religio vt res Sacra, &
Spiritualis, ex probatis quæst. 7. non est pretio æstima- 76
bilis, ea enim in contractum venire non potest, sine vitio
Simoniæ; sed libertas est pretio inæstimabilis, l. libertas
107. de reg. iur. ergo ratio libertatis inest Religioni. *Tum
quia*, Religio est status honorificus, & nobilis, vt proba- 77
tur sequenti quæstione, ergo est status liber non seruitu-
tis, qui est vilis, miserabilis, plenus ærumnis, vnde ex eo- 78
rum infelici statu indigni sunt, & incapaces honorum,
& dignitatum *l. Barbarius ff. de off. prætor. cap. 2. de seruis
non ordinand.* ergo Religio est status libertatis honorifi- 79
cus, fœlix, & plenus lætitia, & gaudio, capax honorum, &
dignitatum.

Nec obstant adducta in oppositum, neque enim ex eo, 80
quod religiosus, & seruus in multis æquiparentur, sequi-
tur, vtrumque esse sub eodem statu seruitutis, cum præter
illam æquiparationem in religiosis inueniantur quam
plurimæ qualitates, quæ arguunt illius statum esse liber-
tatis, non seruitutis, vt id magis patebit explicatione eo-
rum, in quibus religiosi, & serui comparantur.

Primo namque comparantur in eo, quod neuter est sui 81
iuris, ex ratione, quia neuter eorum habet dominium, &
proprietatem, ex ea differentia, quod religiosus ex pro-
fessione illud à se sponte abdicauit, voluntarie se subii-
ciendo superioris imperio, seruus autem si quod habebat
ante coactus fuit cedere eius domino fauore emptoris,
cui seruit, vt seruus, religiosus autem suo superiori non 82
seruit, sed vt subditus obedit, ex diuerso ergo motiuo di-
uersificantur hi status, vt religiosus dicatur esse sub statu
libertatis, seruus vero sub statu seruitutis. Eadem ratione
æquiparantur in acquisitione, nam ambo acquirunt domi-
no suo, seruus ex emptione factus sub dominio emptoris,
religiosus ex professione acquirit Religioni tanquam ma-
tri suæ.

Secundo ambo mortui sunt mundo, sed diuersimode, 83
seruus ex necessitate contractus, & legis ciuilis, religio-
sus vero ex voluntate propria, quia ita voluit mori abdi-
catione bonorũ; seruus sibi moritur, vt domino suo viuat,
dum illi inseruit, & acquirit; religiosus vero non homi-
nibus, sed Deo seruit, cui ideo viuit, Deo enim viuere non
posset, si mundo non fuisset mortuus. Religiosus autem 84
in omnibus non dicitur mundo mortuus, nam viuit *primo*,
quo ad actus naturales. potest enim se tueri contra aggres-
sorem, *Graff. part. 1. lib. 2. cap. 65. num. 9.* & si grauetur
appellare, *Nauar. tom. 2. comment. 3. de Regul. numer. 51.
Ege Resolut. 52.* id enim pertinet ad Ius Naturæ. *Secundo*,
viuit, & non est mortuus quo ad iura spiritualia præla-
tionum, & officiorum, & quo ad vocem, præcedentiam,
& huius generis, *Rodriquez tom. 3. quæst. 29. art. 4. San-
chez lib. 7. cap. 19. num. 118. Tertio*, non est mortuus res- 85
pectu successionis, & acquisitionis bonorum respectu
sui Monasterij capacis bonorum, *Rodriquez tom. 1. quæst.
78. art. 12. Bartol. cum aliis in Authent. Ingressi C. de Sa-
crosanct. Eccles. Felin. cum aliis Canonistis in cap. In præ-
sentia, de probat.* religiosus enim per professionem bona
propria, & iura sua quæcumque transmittit in Religio- 86
nem, vnde nec vsusfructus extinguitur, sed professione
transit cum religioso in Monasterium, *Fortunius in lib.
Gallus, §. Et quid si tantum ff. de liber. & posthum. num. 66.
late Sanchez lib. 7. cap. 13. num. 48. Vide Vecchium de Ne-
nitiis disput. 13. dub. 9.* vbi explicat, in quibus religiosus
dicatur mortuus mundo. Hæc autem mors non est natu-
ralis, sed tantum ciuilis à iure inducta, *Mantica de con-
iect. vlt. volunt. lib. 8. tit. 12. num. 27. M. Anton. lib. 1. reso-
lut. 83. num. 2.* Demum religiosus dicitur mortuus mun-
do in iis, quæ aduersantur votis, quæ Deo promisit, ideo
contrahere non potest iure proprio contra votum. Pau-
pertatis, neque contrahere Matrimonium contra votum
Castitatis; neque agere actione iniuriarum, aut con-
uentu exire, & similia agere contra votum, Obedien-
tiæ.

87 Tertio, neuter testari potest, ex eo, quod carent bonis propriis ex ea ratione diuersa, quod seruus emptus fuit, & est sub dominio emptoris, in cuius præiudicium testari non potest; religiosus vero cum omnibus renuntiauerit ex spontanea voluntate, nihil habet, de quo disponere possit, & si quid lucratur, acquirit Religioni, cui non potest præiudicare via testamenti.

88 Demum inter seruum, & Dominum, inter religiosum, & superiorem non datur obligatio iustitiæ, quæ cadit tantum inter illos, qui habent bona propria, ambo autem carent, seruus ex titulo emptionis factæ à domino, religiosus ex capite voti Paupertatis promissæ Deo in manibus sui prælati. Et ex his patet, ex æquiparantia serui, & religiosi non posse inferri religiosum esse in statu seruitutis, quia comparatio in extremis supponit diuersitatem etiam in qualitate; quæ oritur ex diuersis motiuis. Demum, illud argumentum à Coniugatis nequidquam valet, quia prædicatum antecedentis formaliter non connectit subiecto, nam religiosus non est formaliter seruus, licet seruo in multis æquiparetur. Sed melius probatur simili argumento à Coniugatis, quod Religio sit status libertatis, hoc modo. Religiosus est liber ergo Religio est libertas.

Quæres Vndecimo. An Religio sit status honorificus, & nobilis? Hanc quæstionem iure tractaui Resolut. 56. quæst. 9.

89 Respondi ergo Religionem esse statum honorificum, & nobilem, immo nobilissimum, & illustrissimum. Probatur *Primo*, ex virtute, quæ præscribit specialem cultum ex voto erga Deum. *Secundo*, ex origine quam habuit à Christo. *Tertio*, ex erectione Auctorum Sancti Benedicti, Dominici, Francisci, &c. qui erant Nobiles natura, & virtutibus. *Quarto*, ex personis eminentibus ingressis, Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, Ducibus, Principibus, & aliis: nec obstant ignobiles, licet plures, quia denominatio fit a potioribus, & nobiles nobilitant ex suo consortio ignobiles, præterquam quod sunt nobiles ex professione, & virtutibus, sunt enim omnes religiosi ministri Dei, & in dignitate constituti, vt dicit D. Ambros. Hortat. ad Virg. ibi: *Nulla maior dignitas, quam seruire Christo. Quinto*, ex Beatis, & Sanctis singulorum Ordinum, iuxta illud *In splendoribus Sanctorum*. Item *Sexto*, ex membris institutoribus aliorum Ordinum, quod extollit vnam Religionem supra aliam, nam multæ militant sub Sancto Benedicto, Sancto Augustino, Sancto Francisco, &c. *Septimo*, & dignitate Clericali, & Sacerdotali, qua quælibet fere Religio fulget, & resplendet. *Octauo*, ex Prælaturis Ecclesiasticis. *Nono*, ex reuerentia, & honore, quibus religiosi magnificantur ab aliis. *Decimo*, ab electione vitæ, quæ inter alias perfectissima propagatur, tendit namque religiosus ad perfectionem. *Vndecimo*, ex comparatione aliorum statuum, quos omnes status Religionis superat, excepto statu Episcopali. *Duodecimo*, ex significatione huius vocis *Religiosus*, quæ importat Ecclesiasticum bonæ famæ. *gloss. 11. eod. cap. 5. de purgat. Canon.* Vide alia loco citato.

Quæres Duodecimo. An tria vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ sint de substantia Religionis?

90 Respond. Affirmatiue, & ideo in eius definitione expressa fuerunt. Probatur. Tum quia Religio consistit in promissione Deo facta de meliori bono; nihil autem melius homo Nouitius in sua professione promittere potest Deo, quam se ipsum secundum se totum, & sibi accessoria, tam intrinseca, quam extrinseca, nam per obedientiam Deo promittit propriam voluntatem in manibus superioris abdicando à se libertatem, velle, ac nolle; per castitatem Deo offert proprium corpus promittendo illud seruare immaculatum, & mundum ab omni labe impudicitiæ, quæ sunt duo bona homini intrinseca; demum per paupertatem renuntiat bonis externis, & à se abdicat proprietatem, ergo in his consistit ratio Religionis, quæ professione perficitur.

Tum quia professus tenetur tendere ad perfectionem, quam status Religionis dictat amplectendam; hoc autem homo consequi non potest nisi per abdicationem propriæ voluntatis, sensualitatis, & bonorum externorum, quæ valde impedire possunt huiusmodi spiritualem tendentiam in perfectionem debitam religioso, ergo hæc tria imbibuntur in ratione Religionis, quæ sine illis subsistere non potest. Tum quia Nouitius non potest euadere religiosus per quantumcumque tempus maneat in Conuentu, nisi professione emissa de tribus prædictis, statim enim ac illa profitetur, illico est religiosus, vt docent omnes, ergo hæc tria sunt de substantia, & intrinseca ratione Religionis. Et ita docet Innocen. Tert. relatus cap. Cum ad Monasterium 6. de statu Monach. ibi: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia Castitatis adeo est annexa Regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Diuus Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 3. 4 & 5. Sanchez lib 5. cap. 1. numer. 16. Rodriquez tom. 3 quæst. 8. art. 1. cum suo Compend. resolut. 123. num. 2. Miranda tom 1. quæst. 1. art. 4 Cruz lib. 1 cap. 2. dub. 3. Portellus 11. Religiosus num. 1. Tambur. tom. 3. disput. 6. quæst. 6 num 7. Lessius libr. 2. cap. 41. numer 4. Layman. lib. 4. tract. 5 cap. 1 num. 2. & alij communiter, vnde Decius in cap. Cum adeo, de rescrn. num. 12. dicit*, quem non dici religiosum ante professionem, quia nondum vouit.

Dices, sunt nonnullæ Religiones dictæ Militares, quæ præter Hierosolymitanam emittentem professionem illorum trium more aliorum religiosorum, non profitentur illa tria, nam de Monte Carmelo Milites emittunt tantum Obedientiam, & Castitatem limitatam ad Coniugalem, & non votum Paupertatis, remanentes bonorum capaces, vt colligitur ex Bulla 41. Pauli Quinti incip. *Militantium* §. 5. Alij vero nuncupantes vota Obedientiæ, & Paupertatis, Castitatem limitant ad Coniugalem. Quare aut Milites non sunt vere religiosi, aut de ratione Religionis non est professio illorum trium.

91 Respond. Emittentes illa tria sunt vere religiosi non obstante illa limitatione, quia votum Castitatis habet latitudinem, nam excludit ab omni actu venereo siue licito, siue illicito, & sicut isti actus inter se diuersi sunt, ita votum Castitatis promitti potest cum exclusione vnius, & non alterius, Regulares non milites per suum votum excludunt omnem actum venereum tam licitum, quam illicitum, Militares vero exceptis Hierosolymitanis excludunt solum actum venereum illicitum non renuntiantes iuri vxorem ducendi iuxta præscriptum suorum stabilimentorum, & eorum votum dicitur castitatis coniugalis, ratione cuius fidem coniugi seruant non violandi thorum coniugalem. Qui ergo ita profitentur promittentes aliquid de singulis tribus votis, sunt vere, & proprie religiosi, ac proinde eorum status dicitur vera Religio, cum participet de substantia illorum trium, quæ habet latitudinem diuersorum actuum, qui possunt vnus ab alio separari sine destructione essentiæ cuiuslibet voti, vt id etiam apparet in voto Paupertatis, quæ est abdicatio proprietatis, vel rationedominij, vel possessionis, vel vsus, seu vsusfructus aut iuris, aut facti, isti enim actus separabiles sunt à proprietate, & dominio, quod votum hoc constituit, reliqui actus tanquam accidentales non sunt de ratione huius voti, vt sic, sed abiiciuntur iuxta Regulam, quam Nouitij profitentur. Habent ergo hæc duo vota latitudinem secundum plus & minus, adeo quod non mutant secundum hanc varietatem substantiam, & essentiam Religionis, quæ vt sic ab illis præscindit, qui imbibuntur in vna, & non in alia specie Religionis.

92 Hos autem esse vere religiosos, & eorum statum esse proprie Religionem docent fere omnes cum Riccio part. 4. resol. 571. & 576. vbi de Melitensibus de quibus nullatenus est dubitandum. De militibus Sanct. Iacobi, & Calatrauæ *resol.* 174. 177. 182 *Nauarr. de Reddit quæst. 1. Monit. 55 num. 3. & quæst. 3. Monit. 27. num 1. & de Regular. comment. 1 num. 18. Lucerna Regular. 11. Milites 18. M Anton. libr. 5. resol. 512 num 63 Suar. tom. 4. de relig. tract. 9. lib. 1. cap. 4. num. 8 & 26. & ex eo Pellizar. tract. 1. cap. 3. numer. 28 Fuse Sporellus decis. 5.* Inclinant *Rodriquez tom. 1. quæst. 1 art. 7. & tom. 3. quæst. 1. art. 6.*

eum

cum sue Compend. resol. 18. *num.* 10. *Mirand. tom.* 1. *quæst.* 4. *art.* 15. *Samb. lib.* 7. *cap.* 8. *à num.* 28. Alios citaui supra num. 49. constat ergo eos milites, qui tria vota emittunt secundum aliquid, esse vere religiosos, quia participant de tribus votis, quibus tenentur secundum illos actus, quos Deo promiserunt; & sicut in philosophicis magis, & minus non variant speciem, cum res secundum illum excessum, & defectum in sua essentia remaneat inuariabilis, ita promittens Deo seruare, maiore, vel minore paupertate, seu castitate non variat in essentia vtrumque votum; ergo sic profitens vere, & proprie religiosus efficitur. Numquid canonicus regularis, qui non vouet non tangere pecuniam, vt profitetur Capucinus, non erit vere religiosus? Vtique, quia ambo profitentur votum paupertatis ille non exprimendo contractationem peculij, iste exprimendo, qui modi cum non sint de substantia huius voti, neutrum constituunt in statu religionis, sed votum ipsum emissum præscindendo ab illis modis.

93 Qui vero milites excludunt votum. Paupertatis in omnibus non dico proprie, & vniuoce religiosos, sed tantum Analogice, cum non participent totam rationem religiosi status, quibus deest votum paupertatis, & in hoc non video difficultatem. Nec quisquam mihi obiiciat. Essentiæ rerum consistunt in indiuisibili, adeo quod si minima pars illis deest, res ipsa, cui deest, non sit, nec existat. Quare cum votum paupertatis desit Militibus de Monte Carmelo nullo modo sunt religiosi. Respond. In moralibus dari pluralitatem essentiæ, in quantum plures perfectiones concurrunt ad vnum constituendum, itaut si vnum desit, nihil fit. Vel dic, vnicam esse rationem formalem, & indiuisibilem, ei vero esse necessario connexas plures perfectiones tanquam proprietates de se inseparabiles, potestate vero separabiles, vt contingit hæc pluralitas in homine, cuius rationi formali connexæ sunt inseparabiliter risibilitas, admiratiuitas, discursus, &c. Sed hæc satis, in moralibus enim non multum est speculandum, sed sufficit veritatem inuestigare.

Quæres 13. An illa tria paupertas, castitas, & obedientia à nouitio promittenda sint sub obligatione voti?

94 Respond. Affirmatiuè, quia ad statum perfectionis requiritur obligatio, ne qui promisit, resilire possit, dum status religionis dicit perseuerantiam vsque ad mortem; ista autem obligatio perpetuo manendi oritur ex voto, ergo ea tria sub voto promitti debent. Confirmatur, quia simplex promissio nondum acceptata non obligat, sed promissor ab ea resilire potest, quia acceptatio est de substantia donationis, vt probat *Molina libr.* 4. *de primog.*
95 *cap.* 2. *numer.* 61. *& Sanch. lib.* 1. *disput.* 6. *num.* 10. §. *caterum.* Ideo huic promissioni religiosæ adiungitur votum, ne ab ea professus recedere valeat; ex quo patet differentia inter promissionem Deo factam, quæ est votum, & homini sponsam, quod Deo facta non postulat
96 ad sui complementum aliam acceptationem, vt promittens obligetur Deo, sed statim ac quis promittit, illico à Deo acceptatur, qui nouit omnia, & voluntatem hominis, promissio vero homini facta petit acceptationem eius, qui cum non sit semper præsens, nec absentia noscat, ideo eius expectatur acceptatio, vt obligatio perficiatur ex parte promittentis. Ita omnes cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 6. *Sanch. lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 18. *Miranda tom.* 1. *q.* 1. *art.* 6. *Lessio lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 4. *Crut. lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 3. *concl.* 4. *Pallizar. tract.* 1. *c.* 1. *q.* 3.

Quæres 14. Quo iure ratio voti coniuncta sit illis tribus, nimirum paupertati, castitati, & obedientiæ, naturali, diuino, an Ecclesiastico?

97 Respond. Iure diuino. Quod probaui initio sub num. 23. vbi retuli institutionem horum trium factam esse à Domino, & Apostolos subiecisse voto paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Nam ibi allatæ auctoritates, quod Apostoli, & alij Christum volentes sequi, debent relinquere omnia, si volunt esse veri illius discipuli, indicant huiusmodi relictionem, quæ est abdicatio propriæ voluntatis per obedientiam, vsus proprij corporis per castitatem, & bonorum externorum per paupertatem fuisse voto obligationis firmatam de mandato Christi Domini, ne possent sic professi retrocedere, vt colligitur Lucæ 9. 62. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Loquebatur enim ibi de religiosa perfectione, ad quam inuitabat fideles suos amplectendam non ad tempus, sed vsque ad mortem, nam Christus obedientiam Patri promisit vsque ad mortem, ad Philipp. 2. 8. *Factus obediens vsque ad mortem*, sic ad eius imitationem religiosi vouent illa tria vsque ad mortem. Confirmatur, quia vt superius dictum fuit initio Apostoli fuerunt veri religiosi profitentes illa tria cum obligatione voti in manibus Christi ex allegatis à *Pontio lib.* 7. *de Matrim. cap.* 2. ergo sunt de iure diuino. Ita omnes cum Rodr. *tom.* 1. *quæst.* 25. *art.* 1. *vbi citat Sotum lib.* 7. *de iust. quæst.* 4. *art.* 2. *cum aliis*, *Miranda tom.* 1. *quæst.* 1. *art.* 5. *Compend. resol.* 140. *n.* 1. Isti doctores id deducunt ex eo, quod Innocentius in cap. cum ad monasterium, de statu monach. dixit Romanum Pontificem in iis dispensare non posse, quasi supponat ea esse de iure diuino. Sed de hoc infra.

Quæres 15. In quo consistat solemnitas coniuncta voto professionis?

Respond. Solemnitas votorum professionis consistit 98
in traditione, & mutua acceptatione perpetuitatis votorum, quæ nouitius Deo promittit perpetuo obseruare in religione, in qua se Deo dedicauit. Ex qua traditione, & acceptione, ab Ecclesia inducta oritur triplex inhabilitas, *vna* ex parte superioris, qui non potest iam professum dimittere liberum à votis, quæ in eo sint extincta, redeunte ad seculum; hoc enim modo dimitti non potest valide professus obstante ordinatione Ecclesiæ, & acceptatione facta à superiore regulari. *Secunda* inhabilitas se tenens ex parte professi in eo consistit, quod valide matrimonium contrahere non potest. *Tertia* etiam ex parte eiusdem professi, est, quod ille remanet deinceps incapax bonorum temporalium dominij, & iuris acquirendi, adeo quod inualide contrahit quemcumque contractum attentet. Quod hæc solemnitas consistat in illa traditione, & mutua acceptatione, ad quam sequitur illa triplex inhabilitas, probatur quia hæc vota vt sic in ratione voti important meram obligationem abstinendi ab actibus luxuriosis, & proprietatis, attentationem vero matrimonij, & proprietatis non irritant, cum viuentium consensus ad valorem prædictorum non irritetur per votum in ratione voti, sed semper maneat, & sequatur tantum actus illicitus qui alias fuisset licitus, necesse ergo est vt aliunde inhabilitas oriatur, nil autem aliud assignabile est præter hanc solemnitatem, quæ inducit prædictas inhabilitates. Confirmatur primo ex facto Societatis Iesu, quæ suos Nouitios biennij non admittit ad professionem solemnem, sed tantum ad nuncupationem trium votorum religioni substantialium simpliciter, & non solemniter, ex indulto Apostolico Gregorij XIII. Bulla 89. *Attendente Domino.* Quos Societas licet perpetuo ex parte sua illis tribus votis obligatos Deo, & Religioni, legitima subsistente causa dimittere potest ad seculum liberos, & absolutos à votis nuncupatis, quæ per eam dimissionem in eisdem omnino, & penitùs extincta manent, & hoc facere potest ex priuilegio Apostolico ea tantum ratione, quod non acceptauit illa vota vti solemnia, idest, perpetuo obligantia ex parte Societatis, ergo solemnitas votorum consistit in prædicta acceptatione, ideo enim vota Iesuitarum nouitiorum biennij non dicuntur solemnia, quia non acceptantur, sicut professio eorumdem acceptata reddit vota de simplicibus solemnia, quæ emiserunt primi Societatis Fratres cum Sancto Ignatio fundatore, vt præscribit eorum Regula inserta in Bulla 25. *Regimini Pauli III. & in Bulla* 9. *Iulij III. Exposcit.* Confirmatur 2. quia illa tria cuiuslibet religiosi vota ex parte nouitij emittuntur perpetuo obligatoria, talem enim nouitius intentionem habere debet, quia ex natura, & conditione status regularis debent esse talia, ex probatis quæst. 8. & 9. quod procedit siue illa emittat simpliciter, siue solemniter, & tamen in

religione

religione Societatis ista perpetuitas non attenditur in professis biennij, sed tantum in professis secundo, vt ita loquar, nam ad emissionem votorum biennij sequitur sontempore professio solemnis quasi secunda, dico quasi secunda, quia in Bulla *Ascendente*, emissio simplicium votorum nunquam vocatur professio, quia nomine professionis venit solemnis ex vi religionum. Signum ergo est, acceptationem perpetuitatis voti, & non eius acceptationem specificare, & distinguere vota religionis in simplicia, & solemnia, vt illa dicantur simplicia, quæ carent acceptatione, solemnia vero, quæ illam habent coniunctam in ipsa lectione votorum.

99 Ex solemnitate posita tanquam Ecclesiæ constitutione sequuntur illæ tres inhabilitates. *Prima*, quod superior regularis non possit dimittere liberum a votis professum ad seculum, prohibente hoc illi Ecclesia, ea quo illum admisit ad professionem cum ea conditione non dimittendi illum liberum; ea quo sequitur hanc inhabilitatem non impedire superiorem, quin possit expellere incorrigibilem remanentem adhuc obligatum suis votis ex parte
100 vtrinsque vnde sic electus tenetur emendare vitam, & redire ad claustrum, & religio tenetur illum recipere, id dictante voti solemnitate. *Secunda* inhabilitas est ad matrimonium, de qua cap. vn. de voto in 6. ibi: *Illud solum votum debere dici solemne quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per*
101 *susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de religionibus per sedem Apostolicam approbatis.* De qua diremptione Clem. de consang. & affin. excommunicat contrahentes, & Tridentinum sess. 24. can. 9. asserentes professos solemniter, & in sacris constitutos posse contrahere, & matrimonium ab eis contractum valere, excommunicat. Ante prædictos Innocentius II. in Concilio Romano habito anno 1139. eam inhabilitatem posuit, registratam sub cap. vt lex 40. 27. q. 1. *Statuimus vt monachi, atque conuersi professi, qui sanctum transgredientes propositum vxores sibi copulare præsumpserint, separentur, huiusmodi enim copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonia non esse censemus.* An autem hoc sit primum decretum, quo matrimonium, à professis attentatum declaratur nullum, dicam mox. *Tertia* inhabilitas professi est ad contrahendum, & acquirendum sibi bona
102 têporalia, hoc docent omnes cum *Tambur. tom. 2. disp. 22. q. 1. & 2.* Adeo quod si aliquid acquirunt, vel ex contractu, vel testamento, donatione aut legato, non sibi illud ius aut dominium lucrantur, sed monasterio suo acquirunt ex allegatis à Sanch. lib. 7. cap. 31. num. 32. & loquendo de contractibus tenet valere, & obligari religiosum iure naturali, irritari vero posse a superiore ea eodem
103 *Sanch. num. 37.* Immo contractus nullus est iure Ecclesiastico pendente ab hac solemnitate inhabilitante illum ad contractus, & ad testamenta, ea eodem Sanch. num. 21, ex quo habetur illud axioma: Quicquid acquirit Monachus acquirit suo monasterio, *cap. qui à 7. cap. Relatum 8. 9. 19. q. 3. gl. Ecclesiarum clem. 2. de hæret.* Vide infra c. 24. n. 79.

104 Deducitur ea his votum simplex prout distinguitur à solemni, quantum est ex se non inducere illas tres inhabilitates, cum illæ oriantur non ex ratione voti, sed tantum ea solemnitate voto adiuncta, ideo vota, quæ Nouitij Societatis emittunt post biennium probationis, alias non inducerent illas inhabilitates Matrimonij, & proprietatis, nisi exprimerentur in Bulla Gregoriana *Ascendente*, vt exprimitur incapacitas §. 11. quæ dependet à iudicio Generalis §. 16. Matrimonij vero sub §. 22. ideo non ex constitutione Ecclesiæ, de qua Bonifacius Octauus in cap. vn. de Voto in 6. sed ea hac speciali huius Bullæ, Vota biennij emissa in Societate inhabilitant Coadiutores ad matrimonium, & acquisitionem bonorum, & retentionem eorum, quæ in sæculo habebant iuxta præscriptum Generalis statutum.

Supradictam responsionem, quod solemnitas voti consistat in traditione, & mutua vtrinque perpetua obligatione, docent *Vasquez 1. 2. disp. 165. à num. 83. ad 92. Ribadeneira de instit. Societat. cap. 17. in solut. ad 5. & cap. 19. fine, ex vltis Sanch. lib 5. c. 1. n. 11.* a quibus vere non dissentit *Pontius lib. 7. cap. 9.* ab eis aliquo modo recedit *Pellizar tract. 4. cap. 1. q. 8. Vide eundem Sanch. lib 7. disp. 25.* vbi rem hanc fusius tractat.

Quæres Decimo sexto. An hæc solemnitas competat voto ex natura ipsius voti, seu inducta sit de Iure Diuino à Christo, an Iure Humano Ecclesiastico?

℟. Solemnitas hæc non inest voto ex sua natura; ne- 105
que de Iure Diuino à Christo inducta fuit, sed Iure Ecclesiastico adiuncta fuit votis professionis.

Prima pars, quod solemnitas voto non insit probatur, 106
quia votum, vt sic inducit obligationem in vouentem reddendi Deo, quod promisit, iuxta illud Eccles. 5. 3. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere.* Deuter. 23. 23. *Cum votum, voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere.* Psal. 75. 12. *Vouete, & reddite Domino.* Meram obligationem soluendi debitum promissum, vel abstinendi ab actu illicito, illud pertinet ad votum Obedientiæ, hoc abstinentiæ ab actibus venereis, & proprietatis ex votis Castitatis, & Paupertatis, si vero qui vouit illis aduersetur faciendo actum contrarium, præter peccatum sacrilegij, nihil aliud infert promissio Deo facta, ergo solemnitas voti, quæ aliud dicit ab obligatione non prouenit à natura voti, sed aliunde originatur. *Confirmatur*, quia solemnitas inhabilitat ad dimissionem professi ad seculum à votis liberum, & ad contractus matrimonij, & bonorum; sed votum hoc non præstat, cum illius natura sit solum obligare, & actum sibi contrarium reddere illicitum, ergo solemnitas hæc non est ex natura voti. Con-
tra 25. Doctores asserentes tunc solemnitatem dirimere 107
matrimonium Iure Naturæ, & Diuino positiuo, quos refert, sed non sequitur Sanchez lib. 7. disp. 26. & Auersa q. 15. de Matrimon. tract. 1.

Secunda pars, quod solemnitas huiusmodi non sit de 108
Iure Diuino à Christo inducta, probatur *Tum quia*, nullibi in Testamento reperitur scripta Nouo, neque ex traditione habetur. *Tum quia*, Christus nullum inhabilitauit ad matrimonium contrahendum ex Apostolis, quamuis illis proposuerit votum Castitatis, quod amplexi fuerunt. *Tum quia*, in Testamento Nouo nullum reliquit
præceptum positiuum præter illud de Fide, & Sacramen- 109
tis, atque moralibus Decalogi, *Becan. de lege Euangelic. q. 1.* ergo præsens de solemnitate adhibenda in professione non est à Iure Diuino.

Tertia pars, quod hæc solemnitas inducta sit Iure Ec- 110
clesiastico, determinatur à Bonifacio Octauo relato cap. vn. de voto in 6. *Quod votum debeat dici solemne, ac ad dirimendum matrimonium efficax nos consulere voluisti. Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola Constitutione Ecclesiæ est inuenta.* Bonifacius Octauus electus fuit anno 1294. defunctus 1303. ergo hoc intermedio tempore illud asserit. Et ita docet Scotus in 4. dist. 38. prope finem, illis verbis: *Ecclesia illegitimauit sic vouentem, & hoc fuit rationabile, quia iste se posuit in potestate Ecclesiæ, quantum ad oppositum eius, ad quod est contractus matrimonij, vouentem autem priuate non illegitimauit quia non sic se posuit in eius potestate.* Ibi citat Bonifacium Octauum. Illegitimare autem idem est, quod inhabilitare, & reddere incapacem matrimonij. Sequitur Sanchez *lib. 7. disp. 26. num. 2. ex fine disputationis*, & pro hac sententia versissima citat 48. Doctores, quibus adde Auersam q. 15. de Matrimon. sect. 1. Et hoc fuit necessarium ad euitanda scandala, & ad remouendum periculum, immo statum peccati mortalis in coniugio, quia antiquitus passim mulieres professæ Castitatem Religionis nubebant, & sic permanebant in peccatis, cum non possent petere, copulam matrimonialem, immo nec reddere propter votum Castitatis. Ita tenet *Sanch. lib. 7. cap. 8. n. 4. Rota part. 4. recen. decis. 246. a 12. num cu Sperellus decis. 2. n. 37.*

Quæres Decimoseptimo. A quo tempore ab Ecclesia

facta

fuerit inducta solemnitas professionis irritantia matrimo-
nia à professis attentata, seu illos inhabilitans ad matri-
monium, & ad dominium, & proprietatem rerum.

111 Basilius Pontius lib.7. de Matrimon. cap.14. numer.3.
Putat, legem hanc solemnitatis irritandi matrimonium
inchoasse à Consilio Generali Romano de anno 1139.
celebrato sub Innocentio Secundo relato cap. *Vt lex* 40.
27. *quæst.*1. cuius verba retuli sub quæst.15. numer.100.
Fortan etiam à Calixto Secundo qui sedebat anno. 1119.
qui relatus cap. Præsbyteris 8. distinct. 27. his verbis:
*Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis Con-
cubinas habere, seu Matrimonia contrahere pœnitus in-
terdicimus, contracta quoque Matrimonia ab huiusmodi
personis disiungi, & personas ad pœnitentiam redigi de-
bere, iuxta sacrorum Canonum definitiones iudicamus.*
Videtur efficaciter prohibere Matrimonia constitutis
in sacris, & professione Regulari, per ea verba *Pœ-*
112 *nitus interdicimus*, nam ea dictio in sententia quam-
plurium imponat nullitatem actus, ex allegatis à Bar-
bosa dict. hac 249. num.6. maxime coniuncta cum eo
verbo, debet enim addere aliquid supra ipsam prohibi-
tionem, ergo irritationem, & gloss. ibidem supponit ma-
trimonium eo tempore contractum à Monachis, & con-
stitutis in sacris fuisse nulla. Itaquè ab his Pontificibus
cœpit solemnitas induci, & producere suum effectum
irritationis matrimonij. Vnde allegata Concilia à San-
chez *lib.*7. *disput.*26. *initio*, ex quibus ipse colligit, irri-
tationem matrimonij ex voto solemni professionis multo
tempore ante inchoasse, non placent, quia si attente le-
gantur Toletanum Primum celebratum anno 405. cap.
16. Secundum cap.51. anno 508. Octauum cap.6. & 7.
anno 652. quæ sunt Prouincialia, Calcedonense Gene-
rale anno 457. cap.15. & Turonense Prouinciale cap.11.
anno 551. matrimonia à religiosis attentata non irritan-
tur, sed simpliciter prohibentur, & puniuntur sic contra-
hentes, de irritatione verò ne verbum quidem, neque
expresse, neque tacite, & singulorum Conciliorum verba
accurate Pontius expendit loco citato, & textus eorum
referuntur distinct. 28. & plures 27. quæst.1. Vides, &
illos considera, quia ita reperies esse, vt dixi.

113 Loquendo vero de solemnitate professionis respectu
voti Paupertatis dicit idem Pontius lib 7. cap.13. antiquo
tempore Nouitios professe sine ea solemnitate, adeo
quod tunc professio illos non reddebat incapaces dominij,
& proprietatis; & ad illa verba: *Nec æstimet Abbas,
quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho
dispensare, quia abdicatio proprietatis, & custodia Ca-
stitatis adeo est annexa Regula monachali, vt contra eam
nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Nomen
114 *Proprietatis*, ait importare non dominium, sed vsum rei
ex propria auctoritate, & scientia Prælati, vnde abdica-
tio proprietatis secundum hunc Doctorem in hoc nimis
speculatorem, est abdicatio non dominij, sed vsus ex pro-
pria auctoritate, & libito absque Prælati scientia, & dis-
positione. Confirmat *Tum quia*, nescit quomodo profes-
sus possit dici habere proprium, si illi iam renuntiauit,
ergo intelligitur de vsu propria auctoritate, quod pro-
prium dicitur. *Tum quia* antiquitus valide testabantur,
ergo sibi retinebant dominium, abdicando à se solum
vsum bonorum. *Tum quia*, sicut Matrimonium stare po-
test cum statu Religionis, ita & dominium bonorum, à
Papa enim comparantur ad inuicem; itaque votum Pau-
pertatis dicit abdicationem proprietatis non dominij, sed
administrationis, & vsus rei, quæ sunt propria materia, &
sola huius voti.

115 Displicet hæc doctrina, quia in omnium Doctorum
sententia nomine abdicationis proprij, seu proprietatis
venit dominium rei, quod personam facit magis domi-
num, quam vsus, qui stare potest cum voto Paupertatis,
non vero dominium, & id probatur per Sanctos Patres
ordinum institutores, nam Sanctus Basilius lib. de Mo-
nast. Instit. cap. 5. inquit: *Nemo ex his quicquam suorum
proprium dicebat, si quis ergo proprium sibi esse dicat,
sine dubio alienum se facit ab electis.* Sanct. Augustinus
epist.109. *Non dicatis, vos aliquid habere proprium, sed
sint vobis omnia communia.* Refertur cap. Non dicatis
quæst.12. q.1. vbi subiungit hæc verba: *Certum est eos
nihil habere, possidere, dare, vel accipere.* Quæ excludunt
omne eius sine dominij, siue administrationis, vsus; siue
possessionis. Sanctus Benedictus cap.33. Regulæ ait: *Ne
quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Ab-
batis, neque aliquid habere proprium.* Quæ referuntur
magis ad dominium quam ad aliud ius, nam dare illud
supponit, & ideo Sanctus Pater, ne monachi dent prohi-
bet illis proprium causadationis. Et hoc apertissime doce-
tur Matth.19.21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ ha-
bes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo, &
veni, & sequere me.* Christus docet viam perfectionis, ad
quam professi tenentur, qui enim à sæculo conuertitur
admonetur de venditione suorum bonorum, quod de-
monstrat votum Paupertatis, quod in professione emitti-
tur; certum autem est venditorem rei venditæ à se abdi-
care non solum vsum, sed etiam dominium, quia per ven-
ditionem vtrumque transfertur in emptorem, l. Traditio-
nibus 20. ff. de pactis, l. quoties 15. C. de rei vendicat. *Et* 116
da pauperibus, scilicet pretium rei venditæ, adeo quod
Nouitius professione à se abdicat non solum rem quo ad
dominium, & vsum, sed etiam eius pretium, nempe pecu-
niam, cuius vsus non separatur à dominio, nomine ergo
proprij venit ius dominij, magis, quam vsus, nam is non
aduersatur Paupertatis, sicut dominium. Et quod nomen 117
proprij, quo semper Religionum institutores vsi fuerunt,
idem quod proprietas per se, & proprissime significet
dominium rerum, & non vsum, seu possessionem earum
docent vtriusque Iuris Leges Canonicæ, præsertim in tit.
de causa possess. & propriet. & Ciuiles in tit. de vsu, &
vsufruct. fere in omnibus legibus, & de Verb. significat.
l. quæstio 115. vbi vsus, & possessio dicitur aliud à proprie- 118
tate, & *l. Habere* 188. *ead.* Habere importat ius dominij,
quo verbo vsus fuit Diuus Augustin ergo de eius mente
importat exclusionem dominij, & ita docent omnes
communiter cum Canonistis super dictum *cap. Cum ad
monasterium, de statu Regul. cum Diuo Thoma* 1. 2.
quæst. 186. *art.*5. *Rodriquez tom.*2. *quæst* 29. *art.*4. *Na-
uarr. tom.* 2. *comment.* 1. *de Regul. numer.* 15. 24. *com-
ment.* 2. *initio. Less. lib.*2. *cap.*4. *dub.*5. *Sanchez lib.*7 *c* 18.
*num.*15.

Ad Pontij rationes, quæ ad tres reduxi, respondeo, ad 119
primam, qua nescit quomodo professus possit dici habe-
re proprium, si illi iam renuntiauit, dicitur habere pro-
prium non iure, sed vsurpatiue, quod sibi arrogat con-
tra votum Paupertatis; vnde communiter vocatur pro-
prietarius non iure, sed iniuste, & tunc pro fure habetur,
quia alienum retinet inuito domino iuste inuito. Ad se-
cundam, antiquitus religiosi valide testabantur, id negat
*Tambur. tom.*1. *disput.*22. *quæst.*2. *num.*4. Nam illas le-
ges ait intelligendas esse de Nouitiis. Placet aliorum 120
assertum, antiquitus valide testamenta confecisse, quam-
uis non licite ob violationem voti Paupertatis, nam
Iure Ecclesiastico religiosi facti fuerunt inhabiles ad te-
standum, vt docet *Sanch. lib.*7. *cap.*8. *numer.* 4. posita
solemnitate professionis, tunc enim temporis eorum vo-
tum restringebatur ad abdicationem proprij sine incapa-
citate ad acquirendum de quo poterant disponere. Ad
tertiam, demus matrimonium, & dominium stare posse 121
cum statu Regulari, quo ad actum validum, non tamen
quo ad licitum propter promissa Castitatem, & Pauper-
tatem, quæ actum sibi contrarium reddunt illicitum, non
inualidum, cum antiquis temporibus Ecclesia nondum
declarasset professos incapaces matrimonij, & dominij, vt
postea fecit professioni addendo solemnitatem producti-
uam incapacitatis ad prædicta.

Quæres Decimo Octauo. An quis possit esse proprie,
& vere religiosus si profiteatur tria vota substantialia,
sine solemnitate? Suppono vnum, in nulla Religione pro-
fessionem emitti posse sine illa solemnitate, eo quod hæc 122
sequitur ad professionem, cum qua connexionem habet
ex præcepto Ecclesiæ, sicut quis non potest initiari Sub-

diaconatu

diaconatu sine voto Continentiæ, quod ex præcepto Ec-
clesiæ connexum est Ordini Sacro. Quare Nouitius ex-
cludere non potest hanc solemnitatem à sua professione.
123 Respond. Solemnitas non est de intrinseca ratione sta-
tus religiosi, sed quis potest esse vere, & proprie religio-
sus sine solemnitate, & tales fuerunt, qui ante inductam
solemnitatem profitebantur in Religionibus, & qui mo-
do ex indulto Apostolico sic profitentur, vt faciunt
Nouitij Societatis Iesu.
124 Suppono iuxta quod superius dictum fuit, solemnita-
tem importare tres inhabilitates. *Prima est*, quod Supe-
rior non potest ad sæculum valide Professum dimittere
liberum penitus à votis, quia cum per professionem so-
lemnem inter Conuentum, & Nouitium intercedat con-
tractus, ex quo oritur vtrinque obligatio manendi qui-
dem in Religione ex parte professi, & retinendi illum sic
professum ex parte Monasterij, Superiores Ordinis ab
hoc contractu recedere non possunt, sicut nec Nouitius
professus, contractus enim claudicare non debet, sed esse
æqualiter ex vtraque parte validus, & obligatorius, hæc
autem perpetua perseuerantia in Religione procedit ex
ipso professionis voto præsertim ex parte vouentis, qui
aliter profiteri non potest, licet Religio illum aliter reci-
pere potest, si interueniat auctoritas Sedis Apostolicæ;
vt patet in Nouitiis Iesuitarum, qui ex indulto eiusdem
profitentur quidem perpetuo se obligantes seruire Socie-
tati, quantum est ex parte illorum, Societas vero non ità
eos recipit in suum consortium, sed data legitima causa,
eos dimittere potest liberos ab omni voto, ac si nunquam
illa tria vota emisissent. Seclusa autem hac solemnitate
potest Superior ex causa Professum dimittere ad sæculum
liberum, quia non dicitur receptus cum ea obligatione
retinendi illum perpetuo in Monasterio, defectu solem-
nitatis; & quod antiquitus dimitterentur probatur plane,
125 ex Regulis Sanctorum Patrum, nam *Pontius lib.7. cap.
12. id colligitur ex Sancto Basilio in Asceticis fol. 336. &
339.* in quibus locis facit mentionem de huiusmodi di-
missione, & in Reg. *Inter.* 28. 29. & 47. Videntur tamen
intelligi de eiectione potius, quam dimissione. Diuus
Gregorius lib. 2. Dialogi cap. 25. videtur id clarius insi-
nuare illis verbis: *Cumque eum vir Dei assidue corriperet,
& frequenter admoneret, ipse vero nullo modo consentiret
in Congregatione persistere, atque importunis precibus, vt
126 relaxaretur, innueret.* Refertur ab eodem Pontio, & re-
uera satis probat intentum illud verbum *Relaxaretur*,
quod liberam importat dimissionem à votis. Sanctus Au-
gustinus relatus cap. Nolo 10. 12. quæst. 1. Ita dicit:
*Qui habere voluerint proprium, & de proprio viuere, &
contra ista præcepta facere, parum est, vt dicam non mecum
manebit, sed nec Clericus erit. Qui non vult mecum mane-
re, & in communi viuere, habeat libertatem, sed videat,
vtrum habere possit felicitatis hæreditatem.* Sanctus Pater
nolentes viuere religiose dimittit, & licentiat à Religio-
ne liberando illos à votis, vt indicat illud *habeat liberta-
tem*, subiungit vero, *sed videat, vtrum habere possit felici-
tatis hæreditatem.* Non quia adhuc maneat votis ligatus,
sed quia ipse dimissus dedit occasionem, & in culpa fuit
suæ libertatis, quæ illi multum nocere potest. Antiquitus
ergo Professi dimittebantur quia nondum ab Ecclesia sta-
tutum erat decretum solemnitatis interdicentis dimissio-
127 nem. Est autem differentia inter dimissionem, & eiectio-
nem, nam illa à votis omnino liberabat dimissum, sicut
etiam nunc facit respectu Iesuitarum biennij, qui dimissi
liberantur omnino à votis. Expulsio vero eiectum non
liberat, sed extra communitatem positus adhuc remanet
votis obligatus, ad quæ tenetur, quantum potest, &
exigit status Sæcularis, vnde procurare debet emenda-
tionem vitæ, & redire ad vitam Religiosam, quam Pro-
fessus est.
Solemnitas autem respectu huius inhabilitatis effe-
ctus non posse dimittere professum ad sæculum à votis
liberum refert ad votum Obedientiæ, nam ex parte vo-
uentis solemniter professus perpetuo manere debet sub
obedientia, ex parte vero Religionis Superior exercere
debet suam iurisdictionem in subditum vt illi perpetuo
obediat vsque ad mortem.
Secunda inhabilitas est ad acquirendum & de acquisi- 128
tis contrahendum, adeo quod ad hæc religiosus est inha-
bilis, vnde non sibi, sed Ordini suo, seu Monasterio ca-
paci acquirit, *Nauar. tom. 2. comment. 2. num. 3. de Regu-
lar. Rodriquez 2. quæst. 29 art. 5. Lessius lib. 2. cap. 41. dub.
11. cap. Cum olim 14. de priuileg.* & attentati contractus
irritandi sunt, vt docent omnes cum *Sanchez lib. 7. cap.
31. num. 37.* & id esse verum de Iure Ciuili, & Ecclesia-
stico tenent omnes, Iure vero Naturali valere, nisi à Su- 129
periore irritentur, immo nonnulli ab eo citati tenent,
omnino esse irritos etiam Iure Naturali, *de qua re plura
dixi Resolut. 43.* de contractibus religiosorum. Duo au- 130
tem spectantur in voto Paupertatis, *vnum est*, quod illud
essentialiter, & ex natura sua dicit abdicationem proprie-
tatis, & dominij, & iuris acquirendi, & contrahendi
sub simplici prohibitione non faciendi actum contra-
rium, qui attentatus dicitur illicite, & cum peccato fieri.
Alterum est, quod ad illud sequitur inhabilitas ad acqui-
rendum sibi, & contrahendum, non ex natura voti,
sed ex institutione Ecclesiæ, quæ ad hoc præscripsit so-
lemnitatem adiunctam huic voto. Sublata solemnitate
per Ecclesiam, à qua tantum auferri potest, profitens
sine illa abdicat idem à se proprietatem, & ius acquiren-
di, & contrahendi sibi licite; non tamen inualide, quià
solum per solemnitatem inualidantur, vel aliud illi æqui-
ualens, dico *æquiualens*, quia Nouitij Societatis esto emit-
tant vota simpliciter, idest, sine solemnitate, tamen Gre-
gorius Decimustertius in Bulla: *Ascendente*, illis affixit
inhabilitatem ad acquirendum, & ad contrahendum
matrimonium, aliter enim hæc valide, si non licite efficere
potuissent. Non sic antiquitus religiosi erant ligati ante-
quam Ecclesia eorum professioni adiungeret solemnita-
tem, poterant enim sibi valide acquirere, & de suis bonis
testari, & contractus inire hæc faciendo valide, licet cum
peccato propter transgressionem voti, ratione cuius ad
prædicta prohibebantur, quamuis tunc non inhabilita-
rentur, quia nondum extabat solemnitas postmodum ab
Ecclesia introducta.
Quod autem tunc testarentur, & de acquisitis dispo- 131
nerent, probatur, nam Sanct. Augustin. refert, quod
Ianuarius professus sub eius obedientia fecit suum testa-
mentum, & tenuit, ibi: *Testamentum fecit, hæredem in-
stituit.* Paulus Primus Eremita Colobium suum Athana-
sio Alexandrino Episcopo, & tunicam Beato Antonio
reliquit testamento, qui erat religiosus, ex iis, quæ ha-
bet *Tamburr tom. 2. disput. 24. quæst. 1.* Idem aperte dici-
tur *in Authent. si qua mulier relata, sub eisdem verbis 9.
19. quæst. 3. Sed si persona liberos habens antequam de re-
bus suis inter eos disponat, monasterium intret, liceat ei
postea inter filios diuidere, legitima non diminuta, &
quod eis non dedit, monasterio competet.* Inhabilitati po-
stea fuerunt ad testandum à Gregorio relato cap. Quia 132
7. 19. quæst. 1. *Quia ingredientibus monasterium conuer-
tendi gratia vlterius nulla sit testandi licentia.* Ergo an-
tea testabantur, non obstante professione, quæ non-
dum erat solemnis. Habes claram constitutionem Sancti
Leonis Imper. relatam par. 2. Codicis, vbi expresse dicit,
quod Monachi possunt testari. Monachi, & Clerici, qui
assumebantur antiquitus ad curam animarum, æquipa-
rabantur in beneficiis, ad quæ promouebantur non secus,
ac si fuissent Clerici sine vllo professionis voto. Lege
cap. 12. 23. & 24. 16. quæst. 1. vbi hæc clare referuntur.
Modo autem aliter res se habet propter solemnitatem
adiunctam, quæ ad hæc religiosos inhabilitat non Cano-
nicos, qui assumpti ad beneficia fructus suos faciunt. Plu-
ra Pontius *lib. 7. cap. 13.* vbi vt suam de hac re sustineat
opinionem docet votum Paupertatis dicere abdicationem
proprij, idest vsus rei ex propria auctoritate, non autem
dominij, quem supra sub n. 119. reieci.
Tertia inhabilitas producta à solemnitate professionis 133
est ad matrimonium, quod attentatum est ipso iure nul-
lum, de quo supra dixi sub n. 101.

Colligitur ex his, professos ab ineunte Religione sine solemnitate postea ab Ecclesia inducta, fuisse vere, & proprie religiosos, aliter sequeretur absurdum, in primitiua Ecclesia, in qua nondum extabat hæc constitutio, nullos fuisse religiosos, quod falsum est, quia extabant in primis Apostoli, qui fuerunt veri religiosi, illis coæui fuerunt Canonici Regulares Lateranenses, hos secuti fuerunt Monachi Sanctorum Basilij, & Benedicti, qui sine vlla controuersia erant vere, & proprie religiosi, & tamen nondum inducta erat constitutio solemnitatis, ergo hæc non facit, nec tollit religiosum.

Quæres 19. An de ratione religionis, sit vt approbetur, & confirmetur à sede Apostolica, itaut sine huius approbatione nulla subsistere possit religio? Religio spe-
134 ctari potest duobus modis, *Primo* quo ad essentiam, vt ita dicam, genericam, præscindendo ab hac, vel illa ratione, & modo viuendi sub illis tribus modis; sub hac ratione non quæro de religionibus, an egeant probatione, quia religio in hoc sensu vti à Christo immediate inuenta alia non eget approbatione, quam illi Deus dedit in illius institutione, cum Apostolos creauit religiosos. *Secundo* religio spectatur in ordine ad modum viuendi expressum in Regula cuiuslibet ordinis, nam Regula modificat, & diuersificat tria vota limitata ad talem modum viuendi. *Quæstio* igitur procedit de qualibet religione in particulari specificata per talem Regulam, adeo quod
135 idem est approbare aliquam in particulari religionem, ac confirmare eius Regulam, hæc enim est differentia, per quam religiones, inter se differunt.

136 Resp. De ratione religionis est approbatio, & confirmatio sedis Apostolicæ immediate per se, vel per Episcopos in partem solicitudinis vocatos. Probatur *Tum quia*,
137 quodlibet collegium seu congregatio approbatur à superiore habente potestatẽ publicam, *l. collegia 3 ff. de colleg.* nullum enim collegium institui potest inconsulto Princi-
138 pe, neque noua dignitas sine auctoritate Papæ *cap. 1. dist. 22. cap. cum olim 6. de consuet.* ergo & quælibet religio approbanda est, cum sit congregatio, & collegium plurium personarum vnius moris in eadem domo. *Tum quia*, institutores ordinum sunt personæ priuatæ, ac proinde carentes potestate congregandi personas in vnum, vt igi-
139 tur congregatio subsistere valeat, necesse est, quod à Papa approbetur. Id autem munus potissimum spectat ad summum Pontificem, quia in toto orbe terrarum institui possunt religiones, & quilibet fidelis, si non prohibeatur potest fieri religiosus, ergo id munus confirmandi religiones ad eum spectare debet, qui per vniuersum orbem habet potestatem super omnes fideles; is autem est tantum Pontifex Romanus, ergo ad eum tantum spectat confir-
140 matio religionum. Et de Regula S. Augustini, quod à Papa fuerit confirmata testatur Benedictus XI. Bulla incip. *Cum ad sacratissimam* in Bullar. Canon. Regul. Later. vbi is ordo dicitur approbatus, & reformatus à S. Vrbano Papa, & martyre, qui decessit anno 233. Approbatio igitur religionum est communis religioni cuilibet.

Dixi per se, vel Episcopos de eius nomine, quia ad eos non spectat ex officio, sed vt vices gerentes Papæ, omnis enim potestas iurisdictionis, qua religiones confirmãtur, à Pontifice Romano deriuatur, & diffunditur in Episcopos, & alios Prælatos, vt alibi fuse probaui. Quod autem Episcopi tali nomine antiquitus religiones confirmauerint, constat ex antiquis canonibus cap. Quidam 10. ad 19. 18. q. 2. Vbi concilia, & Pontifices id munus præscribunt in suis diœcesibus Episcopis.

141 Super hac re discrepant Doctores, nam Bellarminus lib. 2. de Monach. cap. 4. putat, hanc approbationem non esse de ratione religionis, quia Sancti Antonius, Benedictus, Basilius, & Augustinus nullam suarum religionum approbationem petierunt. Cæteri vero cum *Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 24. quæst. 5. Sanch. lib. 5. cap. 1. numer. 15. Suar. tom. 3. lib. 2. cap. 17. Miranda tom. 1. quæst. 3. art. 6. cum his Peyrin. ad constit. Pirrhi numer. 2. Ponsius lib. 7. de matr. cap. 11.* Sustinent olim Episcopos iure proprio in suis diœcesibus approbasse religiones, & postmodum eis hanc facultatem sublatam fuisse ab Innocentio III. relato cap.
fin. de relig. domibus, illis verbis: *Ne nimia religionum* 142
diuersitas grauem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam religionem inueniat, sed quicumque ad religionem conuerti voluerit vnam de approbatis assumat, Similiter qui voluerit religiosam domum de nouo fundare, regulam, & institutionem accipiat de approbatis. Ita Azor. cit. & Sanchez. *Vasq. vero 1. 2. disput. 165. cap. 4. numer. 38. quem citat, & sequitur Peyrinus ad constit. Pyrrhi, num. 4.* ait, hanc facultatem Episcopis fuisse sublatam processu temporis contraria consuetudine, quæ nondum erat introducta tempore dicti Archiepiscopi Cosentini, qui religionem Minimorum confirmauit anno 1473. die vltimo Nouembris; hoc autem dicit, vt probet subsistentiam sui ordinis ab eo tempore, nam approbatio huius ordinis non subsisteret, si per Innocentium III. in Concilio Generali Lateranensi ea facultas approbandi religiones sublata fuisset, quam non fuisse sublatam probat, cum prohibitio, de qua ibi afficiat tantum inuenientes nouam religionem.
Sed ego crederem sub his verbis comprehendi etiam 143
Episcopos, quia dum volunt approbare aliquam religionem, sine dubio illius inuentores dicuntur, inuenire enim cum effectu aliquem ordinem est illi dare esse firmum, quod non facit dictator Regulæ, qui tantum dispositiue dicitur inuenire religionem, Episcopus autem dum approbat ordinem, seu regulam, illi dat firmum esse subsistens, ergo dicitur magis inuentor, quam ille, qui primo adinuenit modum viuendi, quem tantum disposuit, Episcopus vero absoluit, & perfecit. Noua religio à tempore Innocentij III. & deinceps subsistere non potest nisi ex approbatione Sedis Apostolicæ, vt clare dicitur in dicto interdicto; subsisteret autem si eo tempore Episcopus aliquam nouam approbasset, si ei non est sublata facultas per illud interdictum Innocentij, quod tamen ab eo expresse negatur, ergo tunc temporis Episcopis sublata fuit potestas confirmandi religiones, si enim sola sedes prima deinceps approbatura erat religiones, ergo sine hac nulla subsistere poterat. *Vide Pontium lib. 7. c. 11 impugnantem Vasquez* putantem non colligi ex illo Innocentij interdicto olim Episcopis licuisse approbare religiones, ex eo, quod in illo contineatur præcise, ne quis nouum institutũ religionis fundaret, sine Papæ approbatione. Sed supra patet non solum Auctorem, sed etiam immo à fortiori confirmatorem dici fundare religionem, cum ipse solus det illi firmitatem, & subsistentiam.

Ex his patet ad rationem Peyrini, non consuetudine, 144
sed hoc interdicto sublatam fuisse potestatem Episcopis approbandi religiones, & causam ab illis auocatam fuisse deinceps ad sedem Apostolicam. Repellitur autem Peyrinus aliis rationibus, nam sequeretur, professos sui ordinis ante confirmationem Apostolicam à Sixto IV. factam, potuisse valide, si non licite, contrahere matrimonium, quia votum solemne tunc dicitur tale, & irritare matrimonium, cum illud emittitur, *per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de religionibus per sedem Apostolicam approbatis.* Sunt formalia verba Bonifacij VIII. electi de anno 1294. relata cap. vn. de voto in 6. concordantis cum constitutione Innocentij III. electi 1198. Ante autem Sixtum IV. huius ordinis religio non dicebatur approbata à sede Apostolica, ergo tunc matrimonium tenere poterat, quod vti absurdum reiiciendum est, sequitur ergo religionem proprie acceptam indigere approbatione sedis Apostolicæ, & sic non sufficere confirmationem sedis Episcopalis. Deinde dicit, hanc potestatem Episcopis sublatam per contrariam consuetudinem non amplius approbandi religionem aliquam. Consuetu-
do est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege 145
suscipitur, cum deficit lex cap. Consuetudo 5. dist. 1. Habet autem triplicem vim abrogandi legem, eam instituendi, & eandem interpretandi. *Bezan. de consuetud. q. 1.*
Et hæc tria præstat per actus positiuos, vt constat ex 146
eorum effectibus abrogandi, instituendi, & interpretandi: inducitur

inducitur quoque per actus contrarios legi, quam
abrogat, & per actus morales instituitur, contingit er-
go ex his actibus positiuis. Hinc sequitur, consuetudinem
non posse habere locum in episcopis in casu non amplius
approbandi religiones, quasi ex non approbatione, eo quod
nullæ extiterint approbandæ, inducta fuerit in illis
consuetudo negatiua approbationis, quia Episcopi, & alij
habentes potestatem ad diuersa, ex eo, quod illa non vtun-
tur, quia casus non occurrit, vel quia occasione oblata
recusant illam exercere, non ideo dicuntur illam perdere
contraria consuetudine, cum adhuc in illis vigeat, quia
147 potestas per non vsum nullo modo perditur. Facit ad hoc
doctrina de priuilegiis, quæ non perduntur per non
148 vsum, quandocumque sunt affirmatiua, & non cedunt in
præiudicium, & grauamen proximi, iuxta doctrinam alla-
tam à *Bonac. de priuileg. p. 8. §* 5. talis est facultas in episco-
pis ad approbandum religiones illis facta à sede Apostoli-
ca, ergo per non vsum non amittitur. Quod si modo ca-
rent hoc priuilegio, id prouenit ab illa constitutione In-
nocentij III. quæ nullam admittit religionem non appro-
batam à sede Apostolica.

149 Pontius l. 7. cit. c. 11. n. 5. probat approbationẽ etiam epi-
scopi expressam non esse de essentia status religiosi, sed
sufficere tacitam, immo negatiuam non resistendi, & pro
se citat *D. Th. 2. 2. q. 188. art. 1. ad 4. cum Caietano, cum Mi-
chaele Medina l. 4. de contin. contr. 7. cap. 38. §. Sed eam
Pontifices. Sanch. lib. 7. disput. 25. numer. 10. Azor. tom. 1.
lib. 12. cap. 23. quæst. 1. Bellarm. lib. 2. de Monach.
cap.* 4. Probat, *primo* quia fœmina imponens sibi vela-
men sacrum gerens se pro religiosa, vidente episcopo, &
aliis non resistentibus cum episcopo connumerabatur
inter religiosas, vt compelleretur professionem emittere, ex
conciliis *Tribur. c. 25 Vernensi c. 11. Toletano 10. c. 5.* Suf-
ficit ergo negatiua approbatio non resistendi ad hoc vt
aliqua persona ponatur in statu religioso. *Secundo* probat,
quia approbatio facta ab Ecclesia de aliquo sancto non
facit illum sanctum, cum reuera antea esset talis. Ita appro-
batio Ecclesiæ, quod aliquis sit in statu religioso ad
eum finem deseruit; vt constet, nullum esse periculum in
eius instituti regulis ad perfectionem acquirendam, non
vero vt religiosum statum efficiat. Probat *tertio*, quia sta-
tus religiosus à Christo institutus fuit, ergo quis se in hoc
statu ponere potest, donando se Deo professione, ergo tan-
diu manet in eo statu, quamdiu Ecclesia non irritat factam
donationem, ergo sola resistentia ad constituendum vouen-
tes in statu religionis. Hæc asserit esse vera ante emanatum
interdictum Innocentij Papæ relatum *c. fin. de Relig. domib.*
quod supra retuli n. 142.

150 Contra Pontium est, quia approbatio, & confirmatio
alterius rei, cui dant esse firmum, quo antea carebat, con-
tingere non potest nisi per actus positiuos, qui esse influunt
in rem approbatam, & inintelligibile est, quomodo non
ens det existentiam enti, cum non entis nullæ sint passio-
nes. *Ad primum*, tunc eam fœminam fuisse vere religiosam,
quia voluntarie professa fuit in aliqua religione approba-
ta, aliter si propria auctoritate priuata imposuerat sibi ve-
lum, & professa fuit religiosa non erat, vt colligitur ex c.
fin. Ne cler. vel Mon. Ad ea autem concilia respondetur,
ad Tribur. nihil ibi disponi, nisi quod episcopus non debet
dare velum cum benedictione viduis iuxta decretum Ge-
lasij Papæ, qui id prohibuit dari viduis, & refertur cap. Vi-
duis 27. q. 1. Vernense loquitur de illis, qui propter Deum
se tonsurauerunt, qui fugientes disciplinam, & subiectionẽ
episcopi, vel claustri, reducendi sunt ad obedientiam, non
quod propria auctoritate tonsurare se fecerint. Quod idem
dicendum est de Toletano. Adde quod ex his conciliis ni-
hil colligitur, nisi quod ad profitendum non est necessaria
Episcopi licentia, cum sufficiat professio facta in manu
Abbatis. Præterea aliud est, quem recipi, vel non recipi
ad professionem alicuius approbatæ religionis, de quo
nunc non disputamus; aliud vero religionem non existere,
nisi approbetur ab episcopo, vel Papa, vt enim quis sit
151 vere religiosus profiteri debet in approbata religione,
vnum igitur supponit alterum. *Ad secundum*, verum
quidem, est canonizationem non facere aliquem sanctum,
sed illum supponere esse talem apud Deum, quia Dei
mandata seruauit, & in extremis in eius gratia defunctus
est, sed solum declarare illum esse talem apud Deum, vt
fideles certi de eius sanctitate non errent cultum adhi-
bendo. Approbatio vero religionis non solum declarat, ta-
lem modum viuendi religiose esse bonum, licitum, & ho-
nestum, sed præterea constituit illam religiosam congrega-
tionem, in quam ingredientes dicuntur esse in statu reli-
gioso, quem Ecclesia declarauit talem. Differunt ergo
approbatio sancti, & religionis, quod illa supponit virum 152
Dei iam esse sanctum, hæc vero dat esse, & statum, quem
non supponit, vt canonizatio supponit hominem Dei san-
ctum. Confirmatio igitur religionis non solum ostendit
nullum esse periculum ingrediendi illam, sicut & colere
sanctum talem declaratum, verum etiam primo dat esse illi
statui in esse congregationis, quæ ante non erat. *Ad ter-
tium* patet in religione duo spectari, vota essentialia, & 153
hæc non egent probatione, quia iam à Christo instituta
fuerunt; atque modũ viuendi peculiarem sub illis votis, qui
in Regulis singulorum ordinum exprimitur, & hoc modo
religio qualibet spectata non dicitur à Christo instituta,
nec approbata, sed à sede Apostolica confirmatur, quia eius
inuentor est homo, qui errare potest in dictando illum
viuendi modum, ideo necessaria est approbatio positiua
adeo quod non sufficit tacita, neque negatiua non resi-
stendi, neque enim per taciturnitatem, & non resistentiam
approbator potest deuenire in cognitionem, an viuendi
modus in Regula expressus, sit licitus, & honestus, & pro-
portionatus vitæ regularis ineundæ.

Neque adductæ auctoritates cum Sancto Thoma viden- 154
tur probare intentum Pontij, nam D. Tho. ad 4. argum.
dicit, ad tollendam confusionem religionum, *Salubriter
institutum est, ne noua religio nisi auctoritate summi Pontifi-
cis instituatur.* Confusio autem non tollitur per negatio-
nem, sed prouisionem actus positiui. Et Caietanus ibi, dũ 155
quærit, an sine licentia Sedis Apostolicæ instituentes, vt
aliquæ personæ collegialiter viuentes in communi iuxta
Regulas personarum Tertij habitus profiteantur tria vota,
sint institutores nouæ Religionis? Respondet, *Instituentes
arbitrantur se magnum obsequium præstare Deo, & Viri re-
ligiosi non ignorantes, omnique veneratione digni apparent.*
Non asserit esse illos in statu veræ Religionis, sed dicit *ap-
parent viri religiosi*, ergo non sunt, & quia eorum status
caret approbatione Apostolica.

Sanchez vero l. 7. disp. 25. num. 10. ait, approbationem 156
Apostolicam non esse institutionem religionis, nec de eius
essentia, sed exigi, vt conditio sine qua non, quatenus
Pontifex impedire potest, ne hæc, vel illa tanquam ve-
ra Religio habeatur. Probat, quia essentia Religionum
in Euangelio fundamentum habet, atque ex hac parte
non eget approbatione. Quare Sanctus Antonius, Be-
nedictus, & Basilius suarum Religionum nullam obti-
nuerunt approbationem à Sede Apostolica, & ta-
men erant tunc vere Religiones, quia nondum erat con-
stitutio Ecclesiastica de approbandis Religionibus.

Respond. Christum approbasse Religionem vt sic in 157
genere, non autem singulas in specie, quia nondum
erant, & cum hæ in particulari inueniantur ab hoc,
vel illo homine, qui in earum compositione errare po-
test, ideo semper, & continuo approbatæ fuerunt,
vel à Sede Apostolica, vel ab Episcopis, ideo appro-
batio est de intrinseca ratione Religionis cuiusli-
bet, & talis semper fuit, licet id non possit ita clare
probari exhibitione Bullæ, vel Oraculi, propter an-
tiquitatem temporis supradictorum Sanctorum, sufficit,
quod id dictet ratio, qua illis inesse debet approbatio, ni-
mirum, quia inuentores errare possunt; ab initio ergo San-
cta Dei Mater Ecclesia edocta fuit à Christo, vt eius
Vicarij Religiones suborituras approbarent, sicut
ipse primam Religionem approbauit in Apostolis cum illis
Sanctum Euangelium dictauit tanquam Regulam ab ipsis
obseruandam.

Sancti Basilij Regula ab initio fuit approbata, cui 158

aliam approbationem adiunxit Sanctissimus Leo electus anno 440. pro Militibus Fratribus Constantinianis, cuius Bullam incip. *Non possum*, refert Tambur.tom.2. disput.24. q.3. num.7. dum Leo Magnus illi adiungit suam approbationem pro illis Militibus, verisimile est, eandem ab aliquo Papa antecessore fuisse confirmatam pro Fratribus Claustralibus. Pariter Regula, & Ordo S. Benedicti confirmatus fuit a Gregorio Sanctissimo Pontifice electo anno 590. Bullam refert Tambur. tom.2. disp.24. q.5. Non est ergo dubitandum super approbatione omnium religionum pendente à Sede Apostolica ab ineunte Ecclesia,& exordio Religionis cuiuslibet,nulla enim subsistere potest, nisi Confirmatione Apostolica corroborata. Magis confirmatur sequenti quæstione.

Quæres Vigesimo. Quot modis contingat approbatio, & confirmatio religionum?

159 Respond. Pluribus modis. *Primo*, per assumptionem patrocinij, & protectionis similibus verbis: *Sub Beati Petri, & Nostra protectione suscipimus, & præsentis præscripti Priuilegij communimus. Communi rogatione Fratrum in tutelam Apostolicæ auctoritatis, & Nostram, Successorumque Nostrorum suscipimus defensionem.* Collige hæc ex Alexand. Secund. Bulla prima approbante Ordinem Camaldulensium,anno 1062.Vrbano Secundo Bulla prima approbante Ordinem Vallis-Vmbrosæ, anno 1090. lege Bullarum, & plura inuenies exempla huius materiæ. *Secundo*,Religio confirmatur per concessionem possessionis bonorum,hoc modo apud prædictos Pontifices inueniuntur similes Confirmationes. *Tertio*, si concedantur aliqua Priuilegia Ordini inoeuto,vt fecit Gregorius Nonus Nostris Tertianis, quibus demum Regulam à Sancto Patre Francisco institutam confirmauit Nicolaus Quartus. Ita docet Ludouicus de Angelis apud Penottum lib. 3. Histor. Canonic. Lateranen.cap.36.numer.7. fine. *Quarto*, indulgendo, vt permaneant in tali Ecclesia celebrando Diuina Officia, vt fecit Gregorius Nonus Fratribus Sancti Ambrosij ad Nemus Mediolani, Bullam refert Tambur.tom.2 disput.24.quæst.4 num.70. *Quinto*,quando conceditur facultas profitendi sub tali Regula,vt fecit Clemen. Octau. Discalceatis Sancti Augustini, quorum professiones antea emissas approbauit per suam Bullam 63. *Decet Romanum*. *Sexto*, quando Papa tradit, vel approbat certam formam profitendi, vt fecit Tertiariis Ioannes Vigesimustertius in Flandria, Bulla incip. *Personas vacantes*. In Nostro Bullario. *Septimo*, scribendo illius professoribus, *Innocent.in cap.cum Ecclesiarum, de Offic. Ordin.Bartol.in l.1.ff.Quod cuiusque vniuer.col 2. Dec. in cap.Ex literis, de constitut.* vbi, quod Papa scribendo alicui Vniuersitati, dicitur illam approbare. *Octauo*, confirmatione Regulæ, quod præstitit Summus Pontifex Honorius Tertius confirmando Primum Ordinem Sancti Francisci, his verbis: *Ordinis Vestri Regulam à Bonæ Memoriæ Innocentio Papa prædecessore Nostro approbatam, annotatam præsentibus auctoritate Vobis Apostolica confirmamus.* Et inferius Regula ad verbum in eius Bulla Quinta, incip. *Solet annuere*, anno 1223.die 29 Nouembris. Antea fuerat approbata ab Innocentio Tertio electo 1198. ann.1210. viuæ vocis Oraculo, quod vt Mundo constaret, edidit in scriptis eius Successor. Hic est formalis modus approbandi Religionem, qui attendendus est, maxime in materia præcedentiæ, & non supradicti, nisi in casu, quo non constat de formali confirmatione, tunc enim ad alias recurrendum est, quia non est verisimile Summum Pontificem suscipere patrocinium alicuius Ordinis, vel ei concedere Priuilegia, & similia, nisi sup-

36 ponatur existere in rerum natura per aliquam approbationem & confirmationem in re, licet scripto illa non compareat; rei enim nondum existenti priuilegium non conceditur gloss. 11. Non possumus cap.5. de Eccles. ædific. Papa enim concedendo gratiam alicui Ordini, dicitur esse bene affectus erga illum, vnde tunc aut illum approbat, aut præsumi debet à prædecessore aliquo approbatus.

161 In dubio autem an aliquis Ordo vere sit approbatus, stante antiquissimo tempore, præsumendus est approbatus, & confirmatus à Sede Apostolica, quia cum Ordo exiet, vt à posteriori constat, & feliciter incrementum acquirat ut sua permanentia præsumitur habuisse legitimum principium per Apostolicam approbationem, diffi- 162
cile enim est, vt quæ malo inchoata fuerunt principio, exitu bono peragantur, cap. Principatus 25. 1. quæst.1. quia principium malum sequitur malus finis, & bonus finis facit præsumere bonam præordinationem, *Felin. in c.1.de præsumpt.n.14.Mar. Anton l.3.resol.19.n.11.* Est 163
communis opinio, vt ea Baldo firmat Scipio Lancellottus pro Canonicis Regul.Lateranen.in causa præceden. contra Monachos Casinen. apud *Tambur. tom.1. disput.25. q.1.n.147.Mædan.decis.52.Decius consil. 36.*

Quæres Vigesimoprimo. An approbatio Religionis dicatur confirmatio in forma specifica, an in forma communi? Duplex est confirmatio, de qua plura dixi contro- 164
uer.49.num.144. Confirmatio in forma communi est approbatio alicuius rei sine cognitione causæ, & si res illa subsistit ante, corroboratur, alias talis remanet, qualis erat ante, nullas per confirmationem recipiens vires. Confirmatio vero in forma specifica est approbatio rei præmissa cognitione causæ, & si nulla fuit ante, per confirmationem huius generis recipit vires, & de non esse transit ad esse. Ex his.

Respondetur, quod approbatio Religionis est confir- 165
matio in forma specifica, quia Regula cuiuslibet Ordinis proposita Sedi Apostolicæ examinatur, an sit legitimus modus viuendi conformiter ad tria vota substantialia obseruanda; & præterea Ordo, cuius Regula approbatur, de non esse recipit esse, & incipit subsistere, Regula enim nondum confirmata, non dicitur esse in rerum natura, quo ad effectus iuris, sed tantum de facto, *Gemin.in cap.Quorundam, de elect. in 6. in cap. Nimis il 2. de excessib. Prælator, Petrus de Monte in sua Monarchia quæst.5.Tambur.tom.1.disput 25.quæst.4.n.258.* Ergo huiusmodi approbatio est confirmatio specialis. Confir- 166
matur, quia Summi Pontifices Regulas examinant, & inserunt in suis Bullis, quod est signum confirmationis in forma specifica, *Abbas in cap. Inter dilectos, de fide instrumen. colum.7. item consil. 62. colum. 3. Roman. consil. 327. & 336. Decius in cap. Venerabilis, de confirmat. nummer.1.*

Quæres Vigesimo secundo. An approbatio retrotrahatur ad diem instituti Ordinis à Fundatore? Videtur negatiue respondendum, quia tunc non existebat Regula, nec Ordo, sed præparabatur ab auctore, ergo confirmatio retrotrahi non potest ad illud tempus, quasi virtute confirmationis dicatur tunc existere ab initio, non enim ratificari potest,& retrotrahi,quod ab initio non subsistit, ex cap. Ad dissoluendum, de despons. impub. iuncta gloss. 15. accusari.

Respondetur. Confirmatio retrotrahit approbationem 167
Ordinis ad illud tempus, quo ab Auctore inuenta fuit religio, ob beneficium religiosorum, quando nulli præiudicatur. Ita docent *Bald. in l.1.C de testament. manu. Paris. consil.19.num.37 lib.1.Cardin.Cicada in causa præcedent. Canonic.Regular. Lateranen. §.Præterea, in lib Priuileg. eorundem fol.518.* Nam ratihabitio retrotrahitur Reg.10. in 6. Confirmatio autem est ratihabitio, nam Papa approbando aliquam Regulam ratam illam habet, ergo retrotrahitur. Confirmatur, quia approbatio declarat Regulam ab initio fuisse honestam, conuenientem, & conformem 168
statui religioso, ergo eius initium vt bonum, & legitimum inspiciendum est, cuiuslibet enim rei potissima pars est eius principium, l. 1. ff. de orig. iur. Obiectio ergo intelligitur, quando retractio alteri præiudicat, tunc enim non retrotrahitur.

Quæres Vigesimotertio. An dari possit aliqua Religio sine propria Regula? Seu an Regula sit de intrinseca ratione Religionis? Non facio differentiam inter Regulam, & Constitutiones coæuas exordio alicuius Ordinis, pro eo- 169
dem enim accipiuntur, quandocumq; Constitutiones sunt primæ dantes esse specificum Ordini, sicut facit Regula, & ita pro eodem sum; licet ex alia causa, docent *Rodriquez*

tom.

tom 5 quest. 62. art. 14. Sanchez lib 7. cap. 12. num. 5. ex
eis Lezana part 2. capit. 1. num. 2. in causa possidendi sta-
bilia in communi, siue ex Regula, siue ex Constitutio-
nibus, prohibeantur regulares, indulget eorum posses-
sionem Tridentinum, exceptis Minoribus de Obseruan-
tia, & Capucinis.

170 Regula autem est quidam viuendi modus, quem pro-
fessus obseruare debet in sua religione, de qua dicam fu-
sius cap. sequen. ab ea autem religiosi dicuntur Regulares,
& vitam degere Regularem. Regulæ inuentor non est
171 Dominus Regulæ, quasi possit illam alterare, mutare, aut
destruere, sed est illi subiectus, dum enim illam in sua
professione promittit obseruare, ipso iure astringitur illius
obseruatione, & non dicitur esse supra illam, sed sub illa,
Sanctus Bernardus in tract. de præcepto, & dispens.
Neque enim Abbas supra Regulam est, cui semel, & ipse
spontanea se professione submisit. Lessius lib. 2. cap. 41.
dub. 9. numer. 74 §. Quinto; Superior ergo est custos
Regulæ, non Dominus, licet enim Fundator Ordinis
illius fuerit inuentor, nullum tamen ius habet super il-
lam, nisi cogendi subditos ad illius obseruationem, ex
172 quo enim à Pontifice Romano confirmata fuit, Domi-
nium mutauit, & facta est sub dominio Papæ, ac si illius
esset inuentor, & auctor, quod enim Papa sua confirma-
tione alias inualidum corroborat, & de non esse deducit
ad esse firmum facit suum *l. 1. C. de veter. iur. enucl. cap. Si*
Apostolicæ 22. de præbend. in 6. Confirmatio enim Papæ
facit statutum esse Papæ, quod ante non erat, *Roman.*
consil. 37. Paris. volu. 3 consil. 33. numer. 49. Marc. Anton.
lib. 1. resolut. 1. num. 4.

173 Hinc oritur differentia inter Regulam & Constitutio-
nes Regulam supponentes, quod neque Capitulum Ge-
nerale Regulam destruere potest, eo quod facta sit Lex
Pontificia, dum per Confirmationem de non esse traduxit
illam ad esse confectam à Fundatore, qui in hoc se habe-
bat tanquam persona priuata, quæ ius publicum condere
non poterat; & cum Capitulum Generale adhuc Regu-
læ subiiciatur, certum est, illam non posse alterare, mu-
tare, & destruere, licet interpretari, & propter dictam
subiectionem, & quia est Lex Pontificia, contra quam
174 nullus Papa inferior potest agere. Constitutiones vero
Regulam consequentes, & cuius sunt conseruatiuæ, esto
sint approbatæ à Sede Apostolica etiam in forma speci-
fica, adhuc remanent Regulares, & sub potestate eorum,
qui illas condiderunt, & non fiunt Leges Papales per
confirmationem etiam specialem ex ea differentia, quod
Regula ab auctore nullas recipit vires, cum sit persona
175 priuata illam condens, ac proinde sicut recipit primum
esse subsistens, & firmum per Apostolicam approbatio-
nem, ita & denominationem Legis Pontificiæ ab eadem
Sede obtinet: E contra verò Constitutiones suum esse
perfectum recipiunt à Capitulo Regulari earum condi-
tore, Capitulum enim ius habet condendi sibi leges,
constitutiones, & statuta, quæ ante Apostolicam appro-
176 bationem, & omnino sine illa obligare possunt Regula-
res, *Rodriquez tom. 1. quest 10. art. 1. Miranda tom. 2.*
quæst. 29. art. 1. conclu. 2. Salas de legib. disp 8. sect. 11.
Peyrinus de subdit. quæst. 5. cap. 8. §. 3. Ego controuer. 49.
num. 140. ac proinde licet superaddatur eisdem Aposto-
lica approbatio, adhuc remanent Regulares, cum a Re-
ligione vires habuerunt, & non à confirmatione Ponti-
ficia, per quam solum corroborantur. Hinc est, quod con-
stitutiones vti regulares, & adhuc sub potestate Superio-
177 rum Regularium, possunt alterari, mutari, immo destrui,
non obstante confirmatione Apostolica, quia quilibet
Legislator suam legem mutare, alterare, & destruere po-
test, res enim per quas causas nascitur, per easdem dissol-
uitur. Et ita ego *docui loco citato controuer. 49. num. 157.*
& seq cap. quæst. 13. Nec his obstat *Nauar. consil. 8. de*
constit. Rodriquez 1. quæst. 10. art. 4. Mirand. 2. quæst 29.
art. 8. Nam intelliguntur de statutis factis auctoritate
Papæ, quæ regulares facere non poterant, non de illis, quæ
suæ proprio capitulum edere poterat, ex eodem *Rodri-*
quez tom. 1. q. 65. art. 5. cum eo Portell. 11. Statutum, n. 18.

Respond. Nulla datur Religio sine Regula, adeo 178
quod sine illa nullus Ordo consistere potest. Probatur,
quia nulla res consistere potest sine sua materia, & for-
ma, etiam in moralibus; sed quælibet Regula continet
materiam, & formam cuiuslibet religionis, ergo nulla
consistere potest sine Regula. Confirmatur, quia religio
vt sic, & in communi habet materiam vniuersalem in 179
tribus votis consistentem, quæ cuilibet religioni in specie
communicatur, & diuersificatur per Regulam, seu primas
constitutiones, quasi per differentias, quia autem quæ-
libet Regula vlterius per propriam professionis formam
specificatur, non enim existit religiosus sine professione,
ideo talis professio talis religionis est differentia constitu-
tiua, & distinctiua eiusdem Ordinis ab alijs, respectu
cuius Regula ipsa habet rationem materiæ secundæ si-
mul cum tribus votis substantialibus, respectu quorum
dicitur differentia, respectu vero talis professionis habere
rationem materiæ.

Dices, plures religiones licet diuersæ eandem tamen
participant Regulam, vt patet in quatuor celeberrimis
Regulis Sanctorum Basilij, Augustini, Benedicti, & Fran-
cisci, sub quibus quamplures militant Religiones inter se
diuersæ, ergo singulæ Religiones non specificantur à Re-
gula, sed aliunde. Præterea, Apostoli ex supradictis n. 9.
& 13. fuerunt vere religiosi, & eorum Religio caruit Re-
gula, ergo hæc non est de ratione religionis. Adde, quod
Canonici Regulares fuerunt eorum Apostolis, quibus sub-
sequenter data fuit Regula à Sancto Augustino multis
annis post mortem Apostolorum, ergo stare potest religio
sine regula, ac proinde hæc non est de ratione illius.

Resp. Plures relig. militare sub eadem regula, ac prò-
inde inter se distingui non possunt per regulam, in qua
potius conueniunt, & ideo dixi regulã habere rationem
materiæ respectu diuersarum religionum, & vltimam
differentiam accipi à forma professionis, diuersificat ergo
in his tantum, quo ad tria vota. *Ad secundum*, Apostolo-
rum Regula fuit sanctum Euangelium, restrictum ad tria 180
vota substantialia, *quid dicat Pellicar. tract. 1. cap. 2.*
numer. 8. Ad tertium, patet ex dictis, ex quo Canonici
Regulares Lateranenses originem traxerunt ab Aposto-
lis, tunc aliam Regulam non habuisse, quam Aposto-
lorum, quorum erant alumni; immo Benedictus XII.
Bulla 6. incip. *Ad decorem*, eis ab Apostolis fuisse præ-
scriptas sacras institutiones hoc est, constitutiones, & Re-
gulam illis verbis: *Ideoque inter religiones alias in agro*
eiusdem plantatas Ecclesiæ ad religionem Canonicorum Re-
gularium ordinis S. Augustini ab Christi gloriosis discipulis
in primitiua Ecclesia sacris institutionibus stabilita go-
rentes.

Nec obstat Regula D. Augustini eis tradita, quia ea 181
fuit non per institutionem, sed tantum per reformatio-
nem ad obseruationem S. Euangelij, quo ad curam ani-
marum, in quo exercitio fundatus fuit is ordo per Regu-
lam sacri Euangelij, cui addita fuit Regula S. Augustini
vti reformatiua prioris per redactionem canonicorum ad
vitam Euangelicam trium votorum, & curam animarum,
ad hoc enim præcise hæc religio fuit instituta, adeo
quod hic ordo sine cura animarum subsistere non potest,
vt multis probaui in opusculo pro eisdem Parmæ impres-
sis 1655. & ideo in sua professione promittunt non acce-
ptare beneficium cum cura, vel sine cura, nisi de licen-
tia sui superioris. De qua re alibi fuse egi probando ab
eis non posse remoueri officium curæ animarum secula-
rium in suis Ecclesiis parochialium extra claustra, nec
intra.

Lessius l. 2. c. 41. n. 9. & ex eo rescribit Bassæus capucinus
11. Religio 1. n. 5. Ad essentiam status religiosi non requiri
Regulam, præter eam, quæ diuinis mandatis, & ipsis vo-
tis continetur, quia hæc absolute sufficiunt, vt ducant ho-
minem ad perfectionem. Confirmat. quia ad reliqua non
est obligatio in singulis præsertim essentialis, potest enim
quis eximi à choro, ab esu carnium, &c. Sed quia Papa
non consueuit huiusmodi statum approbare sine Regula,
ideo ea est necessaria non per se, sed per accidens.

Contra est, quia Christus ipse dum primo in Apostolis erexit statum religiosum, illis præscripsit Regulam Euangelij speciali modo, nimirum ad obseruationem consiliorum sub vinculo voti, sub qua obligatione cæteros fideles non subdidit. Duo igitur fecit Christus ereax Apostolos in statum religiosum, & illos subiecit tribus consiliis sub obligatione voti, in quibus consistit eorum Regula, & essentia status religiosi, vnde ea Regula postmodum communicata fuit omnibus religiosis, quæ in primitiua Ecclesia erat peculiaris Apostolis, & Canonicis Religiosis nunc Lateranensibus; & subsequentes Religiones omnes propriam, vel communem aliam habent regulam, seu constitutiones coæuas sibi per quas conducuntur ad obseruationem trium votorum, ideo præter Regulam Euangelicam necessaria est alia regula quæ tanquam forma generica, aut specifica det esse Religioni, cuius est regula. Hucvsque quælibet religio regulam, vel statuta sibi ab initio habet, quod signum est, eam esse necessariam, & spectare ad essentiam status religiosi, sine quibus consistere nequit status huiusmodi.

Ad eius rationem respondetur, negando absolute ea sufficere vota sine adminiculo Regulæ ad ducendum monachum ad perfectionem, sicut enim Apostoli tendebant ad perfectionem non solum per obseruationem trium votorum, verum etiam per prædicationem, & administrationem sacramentorum, ita omnes alij religiosi ad eandem tendunt obseruatione suarum regularum, & constitutionum. Deinde media specificantur à fine, ad cuius consecutionem ducunt, secundum, D. Thomam 1.2. quæst. 1. art. 3. & alibi, finis quoque, & mediorum eadem est ratio, *L. oratio ff. de spons al.* media enim sequuntur naturam sui finis, & ab eo regulantur, vt inde colligit *Barbosa Vax. 51. Finis n. 47.* & finis dat necessitatem mediis, in quibus si quis non potest, nec in media, *Beia par. 1. casu 21. §. Probatur.* Nulli autem dubium est, regulas, & constitutiones conducere ad obseruationem votorum substantialium, & sic ducere ad perfectionem, quare & ipsæ necessariæ sunt ad statum religiosum. Adde, quod approbatio huius, vel illius Religionis est de substantia status religiosi ex eodem Lessio num. 10. Quid ergo approbabit Ecclesia, si religio erigenda ab ea carebit Regula, num. quid collaudabit tria vota, quæ iam Christus præscripsit, & approbauit pro quolibet statu religioso futuro? Nequaquam. Ne fiat iniuria Christo, igitur nouus institutor nouam regulam, vel aliam institutam præsentare debet sedi Apostolicæ approbandam. Vnde S. Dominicus post institutionem sui ordinis Romam venit cum Episcopo Tolosano ad Concilium Lateranense, vt eius confirmationem obtineret ab Innocentio III. cui Papa, quia Regula carebat, respondit, vt ad suos reuersus, sibi regulam deligeret, S. Augustini Regula electa, Romam rediens sui ordinis approbationem obtinuit ab Honorio III. Ita legitur in eius sacro officio lect. 5. ad 4. Augusti.

Ad confirmationem dico, esto obligatio ad ea, quæ præscribuntur in regulis, non sit essentialis, immo in pluribus nec accidentalis, quia bene omnes Regulæ, præter primam S. Francisci, non obligant ad culpam, sed tantum ad pœnam, ex hoc tamen non sequitur regulam accidere suæ religioni; quia sicut obligatio votorum consequitur ad ipsum statum religiosum, ita obligatio præscriptorum in regula, quæcunque sit ea obligatio siue ad culpam, siue ad pœnam tantum, sequitur ad ipsam regulam iam in suo esse constitutam; & sicut ea ex obligatione votorum quandoque subiectorum exemptioni, nam Papa super illis professum dispensare potest, non infertur vota accidere Religioso statui; ita exemptio à nonnullis statutis in regula non arguit, Regulam accidere statui Religioso. Demum per Regulas diuersæ sunt Religiones inter se differentia essentiali e.g. Dominicana, & Franciscana. Societatis Iesu, & Eremitana, ergo Regulæ sunt essentiales suo ordini. Et sicut Regula Euangelica sub illis tribus votis facit differre laicos à religiosis, ita hæc regula facit differre essentialiter hunc ordinem ab alio, qui tali regula non vtitur, de ratione ergo Regulæ vt sic est, vt faciat differre essentialiter in genere moris, ergo est essentialis status religioso. De hac re iterum infra c. 2. num. 21.

Quæres 24. Ad quem spectet extinguere, & supprimere Religiones?

182 Respond. Ad Papam spectat supprimere religiones, & ad nullum alium per actum auctoritatis positiuum. Probatur, ex illa communi ratione, quod res per quas causas nascitur per easdem dissoluitur; Religiones autem ex probatis nascuntur approbatione sedis Apostolicæ, dum confirmantur à Romanis Pontificibus, ergo per eosdem dissoluuntur, & supprimuntur. Confirmatur, quia Papa est 183 superior supremus omnium religionum, & à nullo dependens, nisi à solo Deo, ergo eas supprimere potest, cum non habeat superiores in terris impedientes eius voluntatem, & potestatem, adeo quod illi accommodari potest illa sententia apud Ierem. 1. 10 *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & edifices, & plantes.* Per gentes intellige laicos, per regna Ecclesiasticas, seruire enim eorum Deo est regnare.

184 Omnes autem Religiones nec collectiue, nec distributiue Papa supprimere non potest, quia in republica Christiana præter ordinem Episcoporum est potissima pars Ecclesiæ militantis; hoc enim facere esset approbare errores modernorum hæreticorum, quibus non placet status religionis. Ex causa igitur vrgentissima, & quidem communis potest Papa destruere eam Religionem, cuius 185 alumni perpetrarunt delicta grauissima, vti apostasiæ, idolatriæ, hæresis, abnegatio Christi, & similia grauiora delicta non ab vno aut altero perpetrata, sed à pluribus professis, de quibus legitur in Bulla incip. *Regnans.* Clementis V. in extinctione Templariorum; & in Bulla 119. incip. *Quemadmodum* Pij V. in qua præter homicidium Caroli Borromæi nunc Sancti, tunc Cardinalis, & Archiepiscopi Mediolani, atque Protectoris ordinis Humiliatorum extincti, narrantur alia crimina etiam hæresis. Attenduntur ergo in suppressione delicta plura, & illa grauissima, non quatuor, aut quinque religiosorum, sed quamplurium, agitur enim de re maximi momenti, & de damno inde secuturo omnibus professis tam bonis, quam malis, ideo respectus ad hæc omnia habendus est, ne simul cum zizania eradicetur triticum incredibile enim est, quod in singulis religionibus numerosis, non sint plures boni, quam mali, & omnino improbabile puto, immo falsum existimo asserere, aliquam religionem deuenire in tantam calamitatem, vt euadat cloaca omnium vitiorum.

Dixi, ad nullum alium per actum auctoritatis positiuum spectare religionem aliquam destruere, nisi ad Pontificem Romanum, quia per non receptionem nouitiorum religiones ad nihilum redigi possunt; quod & Papa præstare potest prohibendo ne in posterum recipiantur nouitij ad habitum, & professionem; quod contingit duobus modis, vel in ordine ad extinctionem, vel ad Reformationem, vt nouissime Innocentius X. omnibus Regularibus interdixit cum decreto irritante receptionem nouitiorum ad habitum, & professionem, quod probatur ex diuturnitate temporis obesse irremediabiliter omnibus regularibus, interdictum continuatum potius ob interesse, quam propter aliud. Interdictum autem vniuersale contra omnes religiones in ordine ad extinctionem fieri non potest, quia contineret errorem intolerabilem fauentem hæreticis qui statum regularem reprobant, & damnant, & ex eo, quod præcipua pars Ecclesiæ consistens in religiosis propaganda est, non abolenda.

Quæres 25. An religione aliqua suppressa, & extincta eius professi remaneant adhuc religiosi cum suis priuilegiis?

186 Respond. Affirmatiuè. Quia suppressio alicuius religionis in eo consistit, vt extinguantur ea, quæ respiciunt illud cómmune corpus politicũ, & morale, nempe institutionem, officia, & dignitates, adeo quod religiosi manent omnes personæ priuatæ sine vllo capite regulari, ac proinde sine potestate conseruandi religionem in ratione communitatis,

nitatis, cum illi nullum præsit caput, & propagationis defectu iurisdictionis, & superioritatis recipiendi in posterum nouitios. Non vero destruit singulorum professionem, sed adhuc obligati remanent tribus votis, cum suppressio referatur ad corpus, non ad membra, quæ vti mo-
187 ralia viuere possunt sine suo corpore, & capite suppressis; verum quidem est, quod non videntur gaudere illis priuilegiis, quæ illis competunt ratione corporis politici cum illo extincta, à quo dependebant. Et si dimittantur ad habitum clericorum secularium nullum retinent ius priuilegij, neque obligantur obseruantiis regularibus, cum non amplius in communitate viuant, adhuc tamen sunt religiosi ex tribus votis saltem in habitu quo ad votum obedientiæ, nam tunc subduntur iure clericorum episcopo; per hoc non recuperant ius testandi, sed suis bonis vti, & frui possunt, non dominarij, cum non sint capaces proprij, nisi Papa dispenset; de castitate seruanda nullus dubitat.

Quæres 26. An potestas superioritatis, seu iurisdictionis sit necessaria in religionibus, adeo quod nulla dari possit sine superioritate.

188 Notandum est, quod potestas est facultas regendi subditos, subdiuisa in Dominatiuam, Ecclesiasticam, & Laicalem, de quibus multa dixi *Resol.* 78. *n.* 104 *controu.* 10. *q.* 21. *& in Tribunali sacro auct. cap.* 2. *quæst.* 1. 2. *&* 3. Quod facit ad præsentem quæstionem potestas in religione est facultas regendi subditos in monasteriis, & hæc vocatur Ecclesiastica, & spiritualis, ratione subiecti, quia residet in personis religiosis, quæ sunt Ecclesiasticæ, eo quod Deo specialiter dicatæ iuxta superius dicta q. 7. sub Notab. 1. & ratione subditorum, qui pariter sunt
189 Ecclesiastici sicuti superiores eorum. Hæc autem potestas religiosa, & Ecclesiastica apud religiones diuiditur in tres species, quæ sunt potestas Dominationis, Superioritatis, & Iurisdictionis, quæ omnes in hoc conueniunt, quod supponunt personam professam, & existentem in officio, cui dicuntur accedere huiusmodi potestates, potestas enim omnis proprie accepta, & ordinaria inesse non potest personæ priuatæ, quam ideo conferre non potest aliis, l. 3. C. de iurisdict. om. iud. cum id sit munus personæ publicæ, qualis solum est constituta in dignitate, aut officio. Potestas ergo apud regulares duo supponit, professionem, & officium in quibus radicatur. Differunt vero in eo, quod Dominatiua refertur ad irritationem eorum omnium, quæ possunt obesse Dominio, quod superior habet super suum subditum professum, voluntas enim professorum adeo dependet à voluntate dominante superioris, vt quicquid illi agunt, vel faciunt, habet hanc tacitam conditionem: *Si placuerit superiori.* Vnde si factum postea non placet, à superiore rescindi, & irritari potest, quia per votum obedientiæ religiosi proprias voluntates subiecerunt dominio sui prælati; effectus ergo potestatis dominatiuæ est irritare quicquid fecit subditus, si obesse potest superiori. Potestas dominationis reperitur in illis omnibus qui habent dominium super alios, vt in patre respectu filiorum, in marito respectu vxoris, & in domino respectu seruorum, qui sub eius dominio dicuntur esse & in superiore respectu professorum. Supradicti ergo tantum dicuntur habere potestatem dominationis super suos, quorum vota, & contractus rescindere, & irritare possunt.

Potestas superioritatis supponit ea duo, professionem, & officium, posita enim canonica electione resultat hæc in electo confirmato, ratione cuius domum gubernare dicitur œconomicè, recipiendo nouitios ad habitum, ad professionem, dando eis licentiam exeundi, transmigrandi, & similia faciendo, dispensando quoque super abstinentiis, austeritatibus, ieiuniis, & similibus respicientibus bonam gubernationem domus. Et hæc potestas sicut, & præcedens nullum supponit, nec requirit ordinem clericalem in superiore professo officiali, nam initio Religionis S. Benedicti Abbas nullo ordine, neque tonsura initiabatur clericali, & tamen erat superior cum hac potestate domum suam gubernandi, cap. Nullam 9. 18. q. 2. *Nulla autoritas remanebit Abbati, si monachorum potestati caperis subiacere*; Et prædicta omnia Abbatissæ, & superiorissæ facere possunt in suis monasteriis hac spirituali potestate superioritatis, vt probaui dub. 13. & 14. Monial. Vide Rodr. tom. 1. q. 17. art. 11.

Potestas demum iurisdictionis spiritualis, præter ea duo professionis, & officij supponit ad minus primam tonsuram in persona professa, & officiali, immo nostris temporibus supponit etiam sacerdotium, quia nullus eligitur in prælatum, & superiorem, nisi sit actu sacerdos; & hæc immediatè fundatur in clauibus prædictis suppositis, & consistit tam pro foro interno, quam externo inferendo censuras, absoluendo, benedicendo Ecclesias, consecrando, &c. His notatis facile reconciliantur Vasquez & Pont. nec à legentibus lib. 7. c. 1. sub n. 11.

Respond. Religionem consistere non posse sine pote- 190
state dominatiua, & superioritatis, vtique sine iurisdictione. Probatur illud, quia nulla religio existere potest sine voto obedientiæ, quod est præcipuum fundamentum conseruandi religiones, quod fit obtemperando superioribus, qui pro tempore præsunt religionibus, ergo necesse est, quod in religionibus adsit potestas eodem tempore, quo ad fuit votum ipsum obedientiæ à quo potestas vim suam accipit; sed votum obedientiæ commune est singulis religionibus, sicut inest ipsa professio, in qua votum obedientiæ exprimitur, ergo & eisdem inest potestas in superioribus, & consequenter nulla religio existere potest sine potestate dominatiua, & superioritatis, quæ ambæ originem trahunt à voto obedientiæ. Posterius probatur, quia nonnullæ religiones carent clericali statu, vt patet de benedictina ab ineunte ætate, quæ à non clericis gubernabatur. Congregatio Sancti Hieronymi Iesuatorum olim ab exordio non erat clericalis, vt videre est ex Bulla 16. *Religiosos viros* Pauli Quinti confratres Congregationis Ioannis Dei olim non erant clerici, ex Bulla 55. *Inter alias*, eiusdem Pauli Quinti. Demum id clarum est apud Moniales, quæ incapaces omnino Ordinis Clericalis, carent potestate iurisdictionis, non vero reliquis duabus, quibus suas moniales regunt, & gubernant.

Vnum obseruo, superiores regulares nouitios, tertia- 191
rios, & alios commensales regere potestate iurisdictionis, non superioritatis, & dominationis, quæ referuntur ad subditos titulo professionis. Itaque non solum ratio potestatis, sed etiam subiectionis constituit religionem, quæ cum sit essentialiter congregatio professorum, necesse est, quod inter hoc aliqui subiiciantur, & alij eis dominen-
tur, & imperent; quod etiam indicat ratio ordinis, quod 192
est dispositio superiorum & inferiorum tendentium ad vnum, & eundem finem, ratio autem ordinis includitur in religione, cum omnis religio sit ordo, hoc ipso quod non est confusio, ergo quælibet religio includit superioritatem, & subiectionem.

Quæres Vigesimoseptimo. An Generalatus sit de essentia religionis.

Respond. Minime, quia certum est, religiones ante or- 193
dines Mendicantium caruisse officio Generalatus, contentas solo superiore locali, qui vocatur Abbas. Vnde duplex genus superioris datur, vnus qui dicitur Prælatus immediatus religionis præscindendo à loco, & is dicitur Generalis caput totius Ordinis, cui subordinatur Prouincialis superior plurium conuentuum sub eadē Prouincia. Alter vocatur superior localis, & vnius tantum domus, cui immediate præest, hoc officium tantum est de essentia Religionis, & loci, non item prædictorum, qui vt di-
xi, non extabant ante ordines Mendicantium. Quod 194
quælibet religio suum habeat caput comprobatur naturali ratione, quia sicut omne corpus naturale non existit sine suo capite, ita neque corpus morale, & politicum existere potest sine suo capite, aliter corpus esset acephalum, & monstruosum; quod multis aliis probaui *resol.* 85. *num.* 40. Generalis ergo, & Prouincialis non sunt de essentia religionis, sufficit ergo localis superior, quod etiam docui *resol.* 80. *n.* 11. *cum Nauarr. consil.* 15. *n.* 7.

Quæres Vigesimo octauo. An religio componatur ex pluribus personis? Item an in vnica conseruari possit.

195 ℞. Religio ab vno, seu à fundatore non inchoatur, sed a pluribus ad minus duobus, & per duos incipit esse. Potest nihilominus in vno tantum conseruari, & subsistere, aliis defunctis.

Primum probatur. Tùm quia religio est congregatio, ergo inchoatur à pluribus, nam congregatio ex duobus, vel tribus resultat, cap. 1 de elect. in 6. gl. 1. Duo,
196 Collegium autem fit ex trib. *l. Neratius* 85. *ff de verb. signific.* Melius ergo est religionem vocare congregationem, quam collegium, quia citiùs originatur vnio duorum, quam trium. Tum quia religio nequit esse sine superiore, ex dictis, cui obedientia est præstanda ab aliis, cui inest subiectio de ratione particularis religionis, ergo de necessitate est, quod religio componatur ex duobus ad minus. Tum quia ipse terminus compositionis hoc idem demonstrat, idem enim cum seipso componere non po-
197 test, sed semper est cum alio. Tum quia religio est essentialiter Ordo, ergo ex pluribus constans, nam Ordo est dispositio superiorum, & inferiorum, ac proinde plurium.

198 Secundum, quod in vno tantum inducta religio conseruetur, probatur *ex l. Sicut* 7. §. *In decurionibus ff quod cuiusque vniuer. nomine, vel contra eum agitur.* Ibi: *Sed si vniuersitas ad vnum recidit, magis admittitur posse eum conuenire, & conueniri, cum ius omnium in vnum re-*
199 *ciderit, & stet nomen vniuersitatis.* Nulli autem dubium est religionem esse vniuersitatem, quia in ea existentes vertunt se in vnum viuendi modum, ergo vnicus professus superstes in seipso ipse conseruat eam vniuersitatē cuius iura tueri debet, cum per aliorum mortem non fuerint alienata, neque extincta. Sed cur religio ab vno incipere non potest, vtique vero in vnum resoluitur? Respond. Sicut a duobus inchoatur, ita & ab omnibus resoluitur, adhuc viget, sicut ergo per vnum non potest incipere esse, ita neque desinere per vnius tantum superexistentiam. Dices, ergo tunc non erit congregatio, si in vnico conseruari potest; Respondeo, quod cum in destructione conueniant ea, quæ interfuerunt in constructione, secundum *Nauarr. consil.* 63 *de simon. num.* 3. sequitur in destructione nullum esse reperiendum eorum, quæ composuerunt, ergo vno remanente ex duobus constituentibus, non dicitur destructa religio, quæ in illo conseruari potest. Adhuc quis obiiciet, de ratione religionis est superioritas, & subiectio, nihil horum est in hoc superstite. Respond. Est superioritas & subiectio in habitu, & virtualiter, quod sufficit, neque enim ex ratione imperij, & obedientiæ sunt de ratione religionis, quando enim dormiunt religiosi neutrum exercetur, nec continuo est actualis influxus obedientiæ actiuæ, tum passiuæ. Facit commune axioma: Res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, religio nascitur e. g. per duos professos, ergo dissoluitur per eosdem in extremis, si tantum remanent duo, vt extinguatur religio ambo solui debent.

Quæres Vigesimonono. An Ecclesia Dei conseruari possit sine aliqua religione, omnibus extinctis.

200 Respond. Ecclesia conseruari non potest sine religiosis, secundum eorum multiplicitatem, & diuersitatem. Probatur *primo*, quia Christus, qui est Caput Ecclesiæ,
201 & Apostoli, super quos ipse fundauit Ecclesiam, erant religiosi ex tribus votis substantialibus. De Christo patet, quia Patri suo promisit obedientiam, Matth. 26. 42. *Fiat voluntas tua* Ioan. 4, 34. *Vt faciam voluntatem eius qui misit me* Ad Philip. 2 8 *Factus obediens vsque ad mortem* Obedientia enim in religione promittitur vsque ad mortem profitentis, & non vlterius, quia morte soluitur. De Castitate, quam sæpe prædicauit omnibus, non est dubitandum, vnde Ierem 3 4 Patrem vocat ducem suæ Virginitatis: *Pater meus dux Virginitatis meæ tu es.* Pater dux erat virginitatis Christi, quia eam illi promiserat, & conseruauit. De Paupertate idem Ierem. 12. 7. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.* Psalm. 39. 18. Psalm 68. 30. Psal. 79. 60. psalm. 85. 1. Psalm. 108. 21. vocat se egenum, & pauperem à iuuentute sua. Constat ergo ex his Caput Ecclesiæ, qui est Christus Dominus, fuisse verum religiosum, quod sine vitio hæresis negari vix potest ex allatis scripturis. Ratio est, quia Christo nulla perfectio est neganda, esse autem religiosum perfectio est, ergo hæc fuit in Christo. Loquendo de Apostolis, communis est Patrum, & Theologorum Apostolos fuisse vere religiosos, prout supra probauimus n. 9. & 13. Sequitur ex his Christum Ecclesiam instituisse, & fundasse in religiosis, partibus intrinsecis, & subiectiuis, sine quibus illa consistere, nec conseruari potest; & sicut hæc perfectio status religionis Christo, nec Apo- 202
stolis denegari potest sine aliqua eorum imperfectione, ita neque id negandum est Ecclesiæ, quia non esset vsquequaque perfecta, vt necessarium est, ne ergo sit manca, dicendum est, eam conseruari non posse sine multiplicitate religiosorum.

Probatur secundo, nam Ecclesia est spiritualis congre- 203
gatio fidelium baptizatorum fidem profitentium eandem sub Romano Pontifice ordinata ad diuinum cultum; huiusmodi autem Spiritualitas fundatur in Sacramentis, & cultu Diuino, quæ primum à veris religiosis, Christo, & Apostolis exercita fuerunt ergo sine his Ecclesia conseruari non potest, nec dici perfecta, si desint religiosi, à quibus vt ab intrinsecis composita fuit, vt in sua existeret perfectione, à perfectiori enim statu conseruanda est, vt semper perfecto modo propagari possit.

Tertio, necessitas huius conseruationis colligitur à continua permanentia ab origine Ecclesiæ religiosorum vsque in præsens tempus, quo patitur violentiam, sed non trahet, quia Deum pro se habet; & quia Ecclesia quo erat ab initio iunior, & debilior, & maiori numero religiosorum indiguit, qui tunc omnes fere religiosi erant in communi viuentes, vt testantur Acta 2. 42. *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.* Et hæc viuendi communitas durauit vsque ad 204
Vrbanum Primum creatum de anno 227. vt ipse testatur relatus *cap. Scimus* 9. 12. q 1. Quam necessitatem religiosorum pro Ecclesia Dei conseruanda docuit, quando Sancto Francisco promisit, eius religionem duraturam esse vsque ad finem sæculi.

Quarto ex tribus partibus, quibus, à Christo fundata, 205
& composita fuit Ecclesia, clericis, religiosis, & laicis, volens per hæc Dominus noster nobis insinuare ex illo triplici statu sicut perfecit Ecclesiam, ita voluisse per illum conseruari in esse, religiosi enim cum debeant tendere ad perfectionem, si in totum extinguerentur, cessaret ab Ecclesia Dei huiusmodi bonum perfectionis, & sic Ecclesia remaneret defectuosa, & imperfecta.

Quinto non minus necessarij ad conseruationem Ec- 206
clesiæ successores, quam prædecessores, cum Ecclesia in his cōseruetur; sed religiosi sunt successores Apostolorum in abdicatione temporalium in obedientia, in continentia, & in prædicatione, gloss. in c. Apostolorum capit. Videntes 10. 12. q. 1. ergo tanquam eorum successores necessarij sunt ad informandā Ecclesiam in prędicationibus, & aliis, vt perpetuo seruetur hæc memoria status religiosi in Ecclesia Dei. Religiosi enim instar Apostolorum à Sede Apostolica mittuntur pro conuersione infidelium, ad fidem propagandam, atque redarguendum hæreticos diuini nominis hostes; non mittuntur autem clerici, vt experientia docet, ergo his indiget Ecclesia, vt conseruetur per ipsos indemnis ab hostibus Christiani nominis Vides quam necessarij sint Romanæ Ecclesiæ, & tamen videntur infensi quibusdam interessatis, qui eorum paupertatem inhiant.

Sextò, Ecclesia militans comparatur Ecclesiæ Trium- 207
phanti, in vtraque enim sunt diuersitates religionum, & aliorum Deum colentium, & laudantium, ex diuersitate enim modi Deo seruiendi augetur cultus diuinus, sed diuersitas Sanctorum perpetuo conseruatur in Ecclesia triumphante, ergo & in Ecclesia militante conseruandi sunt, omnes illi status quibus ab initio composita fuit,

fuit, ne in futurum desint Ecclesiæ triumphanti.

208 Septimo, gloss. 11. Solido, de relig. dominib. in 6. refert Gregorium Decimum in Concilio Lugdunensi in dicto anno 1272. habuisse intentionem vniendi diuersas religiones in paucas, omnes Mendicantes in Prædicatores, & Minores; Monachos in Cistercienses, Nigros, & Templarios, & Hospitalarios in tertiam. Sed Deo non placuit hæc restrictio, quod certum est argumentum, diuersitatem religionum placere Deo, & esse vtilem, & necessariam Catholicæ Ecclesiæ, vt multis modis, & per diuersas vias homines possint peruenire ad Ecclesiam triumphantem, vnus enim aptus est seruire Deo in sæculo, alius vero in clericatu, alius in vna religione, &
209 non in alia, qui e. g. Deo seruit in ordine relaxato non est aptus seruienti diuinæ inter capucinos. Debent ergo vigere in Ecclesia Dei quamplures religiones inter se diuersæ in modo viuendi, vt quisque viam sibi vtiliorem & commodiorem eligere valeat ad seruiendum Deo, & consequendam vitam æternam.

210 Octauo, hanc necessitatem agnouerunt Sanctissimi Pontifices bene affecti erga statum religiosum, pro cuius veritate nonnullorum referemus auctoritates in Bullario Cherubini excerptas, & primo loco se offert Alexander Sextus Bulla septima, *Plantatus in agro Domini o Sacer Ordo Cisterciensis quoti sei Ecclesia Militanti producens vberes fructus ad vniuersalis Ecclesia firmamentum, & Christi fidelium animarum salutem, non solum Nos inducit.* Is Ordo vocatur fundamentum vniuersalis Ecclesiæ, si destrueretur, rueret id, cuius est fundamentum. Leo Decimus Bulla 12. *Dum intra*, comparat Episcopos cum Fratribus diuersorum Ordinum, in laboribus *pro diuini nominis gloria, exaltatione Catholica Fidei, Ecclesia vnitate seruanda, & institutione, ac salute fidelium animarum per Coepiscopos, nec non per Fratres diuersorum Ordinum.* Sed Episcopi necessarij sunt ad conseruationem Ecclesiæ, ergo & religiosi diuersorum Ordinum. Idem Pontifex in alia 25. incip. *Ite & vos*, ait Fratres Minores vti agricolas missi ad excolendam vineam Ecclesiæ primo mane, hora tertia sexta, & nona, immo vltima, hoc est vsque ad finem mundi, sicut ergo Ecclesia militans duratura est vsque ad consummationem sæculi, ita & cum eius cultura perseuerare debet multiplicitas religionum. Gregorius Decimustertius Bulla 34. *Ex incumbenti*, affirmat, quod carmelitæ *assiduos labores pro fide Catholica constanter tuenda, & defendenda sustinent.* Ergo Ecclesia sine religiosis conseruari non potest. Idem Bulla *Si pastoralis*, inquit, de religiosis Societatis Iesu, quod illis concessa fuerunt priuilegia, propter *proximorum spiritualem profectum, ac orthodoxa fidei defensionem, & propagationem.* Defenditur ergo Ecclesia per religiosos. Idem de eadem Bulla 89. *Ascendente Domino*, hæc habet: *Necnon vsque ad finem perseuerantia promptam se ostendit, cumque probem Catholica religioni valde proficuam & ad omnia pericula pro vniuersali Ecclesia subeunda paratam procreauerit.* Quis ergo iure negare poterit, Ecclesiam indigere religiosis? Sixtus Quintus in Bulla 81. incip. *Sacra* de Clericis Regularibus Minoribus hæc habet: *Sacra Religionis propagationem Nostris potissimum temporibus vbique vigere, eiusque fructus Domino gratissimos, & vniuersa Christiana Reipublica vtilissimos, atque singulis fidelium nimium salutares*, &c. Sermo ibi est de omnibus religionibus, quæ vigent, & laborant semper pro defensione Ecclesiæ, & tamen quandoque tribulantur, quia mercedem hic non expectant, sed in futuro. Clemens Octauus Bulla 28. *Religiosa Congregationes ab insigni sanctitate Viris Spiritus Sancti afflata institutæ tantas Ecclesia Dei vtilitates omni tempore attulerunt, vt ad eas conseruandas, & instaurandas Romani Pontifices predecessores Nostri, magnam iare optimo diligentiam semper adhibuerint.* Conseruatur ergo Ecclesia per religiones, ideo instaurandæ sunt, & non destruendæ. Idem in alia incip. *Ratio Pastoralis* 51. Confirmando priuilegia tribus Ordinibus S. Francisci, hæc habet: *Ratio Pastoralis Officij Nostri exigit, vt quorum religionem, ac virtutem Sedi Apostolica totique Ecclesia non modo illustrem, & preclaram, sed vtilem etiam, ac necessariam esse animaduertimus.* Religiones ergo non solum vtiles, sed etiam necessariæ sunt Ecclesiæ Dei, ideo hæc sine religionibus conseruari non potest. Per religiones totum Ecclesiæ militantis corpus dirigitur ad cultum pietatis Christianæ, vt in confirmatione priuilegiorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum insinuat Paulus Quintus Bulla 25. incip. *Inter omnes.* Et in alia 31. incip. *Postulat Ordo Regularis flos quidam, & pretiosus lapis inter Ecclesia ornamenta Sanctorum Patrum preconio celebratur.* Si lapis est, eo ablato, necesse est, quod fabrica paulatim ruat. Demum Vrbanus Octauus Bulla 41. incip. *Sacrosancti*, pro Cœlestinis, ait: *Eam peculiari solicitudine amplectamur qua priuilegia piis Christi fidelium Congregationibus in Militari Ecclesia ad diuini nominis laudem, & gloriam, sanctaque fidei Catholica exaltationem institutis à Sede Apostolica concessu non solum conseruentur, verùm etiã Congregationes ipsa nouis ab eadem Sede gratiis atque indultis decorentur.* Religiones resultant in gloriam Dei, in exaltationem fidei, debent ergo conseruari, & priuilegiis decorari, cum sint necessariæ ad conseruationem Ecclesiæ Catholicæ. Asserentem religionem non esse necessariam ad conseruationem Ecclesiæ, censeo ergo valde suspectum de hæresi, vt qui videtur parui facere institutum regularem, immo per hoc illum reprobare.

Quæres Trigesimo. Per quid vna religio distinguatur ab alia.

Respondetur. Certum est, non distingui præcise per 211
Regulam, quia plures Ordines inter se essentialiter diuersi militant sub eadem Regula e. g. Lateranenses, Eremitani, & Dominicani eandem habent Regulam S. Augustini, & tamen inter se essentialiter, & intrinsece differunt, adeo quod in vnum conuenire non possunt, etiam potestate Pontificia. Aliunde ergo accipienda est diuersitas, nimirum à professione Regulæ per constitutiones limitatæ sub talibus superioribus, hæc enim ratio constituit quemlibet professum sub proprio ordine, vt non dicatur alterius, qui enim profitetur Regulam D. Augustini ad normam constitutionum sub Priore Generali Eremitarum, huic ordini tantum nomen dat, & non aliis militantibus sub Regula eadem. Quando vero Regula non est communis pluribus, sed propria, tunc Regula ordinem, cuius est, specificat, & distinguit, attenta professione, quæ nouitium facit religiosum illius ordinis, cuius Regulam profecit. Regula ergo professata propria specificat, & dat esse ordini, cuius dicitur Regula; si vero est communis pluribus ordinibus religio specificatur modificatione constitutionum, & ab earum professione denominatur religiosus talis ordinis, & non alterius.

Quæres 31. An religio sit status perfectionis acquisitæ, an acquirendæ.

Respond. Est status perfectionis non acquisitæ, sed 212
acquirendæ per obseruationem mandatorum Dei, trium votorum, & eorum, quæ quilibet religiosus promisit in sua professione. Est autem status, quo tenditur ad perfectionem esse, quod tunc homo perficitur in virtutibus, cum Deo appropinquat, & ei in charitate copulatur obseruatione mandatorum, & votorum, ac aliorum, quæ
Deo promisit. Vide *D. Thom* 2.2. *q.* 184. *art.* 1. 2. & 3. 213
vbi art. 6. & 7. ait solos Episcopos esse in statu perfectionis acquisitæ, religiosos vero esse in statu perfectionis
acquirendæ. Religiosi vero sunt maioris perfectionis, 214
quam Presbyteri, Archidiaconi, & curati, ibid. art. 8, ea ratione, quia religiosi possunt facere, quæ illi faciunt, & clerici relicto seculo possunt religionem ingredi, quod est signum statum regularium esse perfectiorem statu clericorum, attenditur enim perfectio in ascensu, & progressu. Vide Pellizar. tr. 1. c. 3. sect. 2.

Quæres 32. An religiosus teneatur sub mortali tendere, & acquirere sibi hanc perfectionem.

Respond. Affirmatiuè, hoc autem præstat quando- 215
cumque obseruat tria substantialia vota, & alia sibi sub

culpa

culpa præscripta in Regula, & constitutionibus, ad aliud enim non tenetur, nisi ad id, quod illi præscribitur in statu regulari, ad quem accessit obligatione professionis, ergo si hæc præstat dicitur tendere ad perfectionem. Ita omnes cum *Sanchez lib 6. cap 5. per totum*, vbi hanc obligationem tendendi ad perfectionem non distinguit ab obseruationis vitæ regularis vinculo, quod exequitur obseruatione eorum, quæ professus Deo promisit. Ita omnes cum *D. Thoma 2. 2. q. 186 art. 2. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8 cap. 4. apud Pellizar. tract 3. cap. 6. n. 44. & 45 Lezana par. 1. c. 1. n. 5. 6. 7. 8. 9. & seq.*

Quæres 13. A quo colligatur vnam religionem esse alia perfectionem.

216 Resp. Ex diuersitate finium, quos vnaquæque religio sibi proponit, ab illis inter se comparatis discernitur vna religio perfectior alia, vt colligitur ex *D. Thoma 2. 2. quæst. 188. art. 6.* Quoniam autem omnes religiones conueniunt in communi fine tendendi ad perfectionē Christianam, quæ consistit in charitate non inhærente, sed operante in dilectione Dei, & proximi, & ideo in hoc inter se differre non possunt; quare maiorem, vel minorem perfectionem religionum dixi esse quærendam ex diuersitate finium, qui sunt proprij singularum religionum. Fines autem speciales reduci possunt ad tria capi-

217 ta. *Sub primo* est oratio mentalis, & vocalis pertinens ad meram vitam contemplatiuam vtilem tantum oranti, de qua dicitur, quod est virtus religionis, per quem ex pio voluntatis affectu mens eleuatur ad laudandum Deum corde, mente, & ore. *Sub secundo* sunt opera spiritualia misericordiæ, quæ sunt septem, docere ignorantes; consulere dubitantibus; corrigere peccatores; consolari tristes; remittere offensas; supportare onerosos; & pro omnibus orare. Hæc opera referuntur ad animam, & spiritum, & ideo vocantur spirituales, quæ ordinantur ad salutem proximi, de quibus D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 2. *Sub tertio* sunt opera corporalia eiusdem virtutis misericordiæ, & ordinantur ad subsidium corporis proximi, quæ sunt pariter septem, visitare infirmos; potum tribuere sitientibus; cibum famem patientibus; redimere captiuos; vestire nudos; colligere hospitem, & sepelire mortuos, ex eodem *S. Thoma loco citato, qui q. 188. art 6. in corpore* distinguit tres gradus perfectionum in religionibus *Primus est* earum, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, atque ministranda sacramenta fidelibus, & hunc nos reposuimus sub secundo capite, spectat enim ad opera spiritualia proximi. Religio, quæ habet hunc finem dicitur perfectior illa, quæ in hunc non tendit, est autem religio, quæ se occupat circa opera spiritualia proximi, mixta ex vita contemplatiua, & actiua, in quantum debent eius alumni sibi prius prouidere orationibus, ieiuniis, & abstinentiis, vt in his præparati, & dispositi proximum instruere possint in iis, quæ spectant ad salutem animarum, prædicatione, & administratione sacramentorum. Quod religiones huius professionis præ exteris sint perfectiores docet Sanctus Thomas. *Tum quia*, perfectius est illuminare, quam lucere. Tum quia sunt proximi Episcopis, qui propter munus docendi, prædicandi, & administrandi sacramenta sunt perfectioris status excedentis statum religiosorum. *Tum quia*, religio Apostolorum cum Christo capite, & Priore supereminens est aliis ex titulo prædicationis, & conuersionis infidelium ad fidem. *Tum quia*, nihil magis Deo placet, quam lucrum animarum, propter quas Christus descendit de cœlo, & pro illarum redemptione mortem pati voluit. *Tum quia*, qui seruit spiritualiter proximo, seruit etiam Deo, imo & sibi, dum expectat præmium sui laboris proximum impensi. In his ergo operibus sanctis consistit vita religiosorum composita ex contemplatiua, & actiua.

Secundus gradus priori proximus est earum religionū, quarum professores ordinantur ad merā contemplationē, magis sibi, quam aliis proficientes in orationibus, ieiuniis, abstinentiis, macerationibus, silentiis, humilitate, &c. Quæ opera nos reposuimus sub primo capite. Religiones præscribentes hæc suis professoribus sunt minoris perfectionis, quam quæ ordinantur præterea ad opera spiritualia proximi, nam ampliores hæ habent fines doctrinæ, & prædicationis, & Sacramentorum pro fidelibus, quibus carent meri contemplatiui se occupantes in actibus virtutis sibi tantum proprius, quibus non carent alij agentes etiam pro proximo.

Tertius gradus, cuius opera diximus ordinari ad corpus, est inferior prædictis duobus, nam illi referuntur ad salutem animæ propriæ, & proximi, is vero ad salutem corporis. sed corpus est quid inferius ad animam, vt certum est, ergo & ille gradus religionis, quæ præscribit opera corporalia erga proximum, est inferior prædictis duobus, quæ diriguntur ad animam tam propriam quam proximi.

Colligitur ex his, religiones Mendicantium esse perfectiores aliis etiam Mendicantium, quarum institutum non ordinatur ad opera spiritualia animarum, sed tantum ad corporalia, vt sunt religiones institutæ ad redimendos captiuos, ad curandum infirmos, &c. Sunt etiam perfectiores Monachalibus, quæ ex primæuo instituto ordinatæ fuerunt tantum ad propriam perfectionem, licet postea ex Apostolica dispensatione se extenderint etiam ad proximorum salutem. Vide præter *Sanctum Thomam, Lessium lib. 2. c. 41. dub. 2. Layman lib. 4. tract. 5. c. 3. Pelliz. tract. 1. c. 3. sect. 2. Mirand. tom. 1. q. 9.* 218

Quæres 34. An illa religio sit alia perfectior, quæ maiorem vouet paupertatem? Quæ magis austera est? Quæ Choro addicta est, quam quæ non? Quæ solemniter vouet, quam quæ non? Quæ communiter conuersatur, quam quæ solitarie viuit? Quæ habet statum clericalem ea, quæ habet tantum laicalem sine clericis? Quæ habet in communi ab ea, quæ nihil omnino habet? S. Thomas 2. 2. quæst. 188. art. 6. ad 3. Duo dicit, vnum est, quod altitudo obseruantiarum non est illud, quod præcipue in religione commendatur. Alterum est, quod non est potior religio est hoc, quod habet arctiores obseruantias, sed ex hoc quod maiore discretione sunt eius obseruantiæ ordinatæ ad finem religionis, exemplificat in continentia, ad quam efficacius ordinatur maceratio carnis per abstinentiam, quam nuditas subtractione vestium, quæ pertinent ad frigus.

Respond. primo ad omnes dubitationes in genere, non arguere maiorem, vel minorem perfectionem, quando religiones vnius gradus comparantur cum alio gradu, sed solum quando comparantur ad inuicem religiones sub primo capite, seu quem vocauimus secundum gradum cum D. Thoma in præcedenti quæstione. Ratio est, quia in prædictis dubitationibus agitur de illis obseruantiis, quæ ordinantur ad propriam salutem magis, quam ad proximum, ac proinde comparatio fieri non potest absolute in aliis gradibus, qui ampliores habent fines mixtos ex charitate propria, & proximi. Ad singulas respondetur. 219

Primæ, illa religio est perfectior in genere contemplatiuo; quæ maiorem vouet paupertatem aliis comparatis in eodem genere, quæ minorem vouent paupertatem. Ratio est, quia votum paupertatis de se dicit perfectionē, ergo maiorem, vbi strictius præscribitur, hæc autem strictissima paupertas proponitur vouenda in prima Regula S. Francisci, ergo eius religio præ cæteris perfectior est ex hoc capite, & ita intelligendus est Polìtius prælud. 1. n. 11. super eandem Regulam, cuius paupertatem summi Pontifices vocant præstantissimam, altissimā, & excellentissimam Confirmatur, quia eam profitentem in omnibus remouet ab affectibus rerum mundanarum, & Deo facit magis appropinquare religiosum, ergo eum facit tendere in maiorem perfectionem, quam qui talem paupertatem non vouent. 220

Secundæ, religio austerior est perfectior in hoc genere alia, quæ mitior in obseruantiis regularibus, eo quod religiosum magis conducit ad Dei cultum, & salutem animæ, quam ea, quæ est mollior, & minus stricta in abstinentiis, ieiuniis, macerationibus, & aliis spiritualibus 221

exercitiis.

exercitiis. Hinc est, quod religio minimorum est perfectior aliis, quæ à carnibus non abstinent. De qua re *Peyrin. de subd.c.24 q.1. §.1.* Vbi probatur austerior ordine Cartusiano, qui non abstinet à lacticiniis, licet non comedat carnes. Hæc autem perfectior,& austerior in hoc, & silentio, aliis, quorum alumni comedunt carnes & lacticinia, & loquuntur communicantes cum aliis.

122 Tertiæ, choro seruiens perfectior ea, quæ choro non interest, nam negari a nullo potest perfectio, quam horæ canonicæ in se continent, ergo vbicumque recitentur siue in choro, siue extra dicunt perfectionem in recitante, & cum melius sit eas recitare simul, & in Ecclesia iuxta sanctum vsum Apostolorum, qui ad Horam orationis Nonam ascendebant in templum Act. 3. 1. adeo quod ab Apostolis,qui fuerunt vere religiosi, erat in vsu Psalmodia in Ecclesia Dei,de qua re *Bellarm. tom.4. controu. lib.1. de Bonis operib. cap. 13. Suarez tom.2. de relig. lib.4. cap. 1. quos cum aliis refert Bonacin. de Horis q.1. p.2.* sequitur perfectiorem esse vsum celebrandi simul in choro, quam extra, & singulariter quem vsum postea omnes religiones obseruauerunt, præter Iesuitas, quorum religio aliis exercitiis cum hoc fere impossibilibus non fuit hoc onus completa, ergo cæteræ religiones in hac perfectione huic præferendæ sunt.

Lessius lib.2. cap.41. num. 23. dicit ad perfectionem religionis non esse necessarium chorum, *& probat primo*, quia officium diuinum non minus attente, & deuote dici potest sine cantu, quam cum cantu. Hoc argumentum non excludit perfectionem recitationis horarum in choro, parum enim refert ad hoc cantus, seu simplex recitatio, modus enim persoluendi diuinum officium ea hoc capite non spectatur, sed communis recitatio, quæ perfectionem dicit ratione illius vnitatis in laudando Deum, actus enim communitatis magis æstimantur, quam singularitatis, vti publicum quid, quod priuato præfertur.
123 *Probat secundo*, quia fieri potest, vt chorus impediat functiones principales, ad quas potissimum talis religio instituta est, vt prædicationem, administrationem sacramentorum, instructionem rudium, gentilium conuersationem, vnde videmus etiam in ordine Dominicano, & aliis primarias personas, quæ illis ministeriis vacare possunt passim à choro exemptas. Non probat intentum, quia religiones Mendicantium S. Francisci, & S. Dominici potissimum à prædictis sanctis inuentæ fuerunt ad salutem fidelium, & conuersionem infidelium, vt colligitur ex illorum Regulis, nam Regula S. Augustini tota refertur ad salutem proximi, incipit enim his verbis: *Ante omnia*
124 *Fratres carissimi diligatur Deus, deinde proximus.* Et alibi dicit, quod sui alumni Deo in sua professione promittant, sanctitatem pro se, & clericatum pro salute animarum, hoc idem faciunt non solum Canonici Regulares, ad quos loquebatur, verum etiam ordines plures Mendicantium; præcipue supranominati, vnde Dominicani vocantur Prædicatores ab hoc officio prædicationis, qui est præcipuus finis eorum instituti, S. pariter Franciscus nihil aliud potissimum intendit in sua Regula, quam vt eius alumni imitentur Iesum Christum, & eius Apostolos, quos misit ad conuersionem infidelium per prædicationem, & administrationem Sacramentorum conuersis ad fidem. Hæc sunt clara in eorum Regulis, & institutis. Quod autem vsus chori secundum Lessium impediat hunc finem, & eius functiones principales, id arguit imperfectionem in omnibus religionibus dedicatis ad chorum, quod eorum institutores, & summi Pontifices eorum Regulas approbantes hactenus ad id non aduerterint vti impedimentum tanti boni, & non reiecerint, quod vti absurdissimum nullatenus admittendum est, essent enim huiusmodi religiones corrigendæ,& ab eis auferendum onus accedendi ad chorum, si esset impedimentum principalium functionum, ad quas se ea institutis propriis obligarunt, quod asserere valde est irrationabile, immo impium, ex quo tolleretur tam præstantissimum, & antiquissimum vsum recitandi diuinum officium in choro à Sanctis Apostolis introductum, in sententia Patrum le-
gitimorum cum Layman lib.4. tract.9. cap. 2. §. Canoni-
cæ Hactenus apud Mendicantes seruatum est, & vsque 125
ad finem mundi conseruabitur exercitium vtrumque recitandi scilicet Horas Canonicas in choro, & administrandi Sacramenta cum prædicatione sine vllo incommodo vnius aduersus alterum, ergo chorus non impedit alias functiones; & esto esset aliquod impedimentum in eo, in quo dum quis choro interest aliud non potest pro tunc fungi officio, hoc nihil est, tum quia religiosus non tota die, non semper manet in choro, vnde quando extra est,exercere potest alias functiones. Tum quia fit distributio officiorum, quando opus est, alij enim ad chorum accedunt, alij ad prædicationem, alij ad confessiones, & hac ratione tollitur impedimentum, quod tantum materialiter dicitur impedire. Tum quia impedimentum quandoque est voluntarium, non necessitatis, confessarius enim postquam in choro Diuinum recitauit officium, audire potest confessiones fidelium, vnicuique enim horæ præscriptum opus exercendum aptari debet, ne vnum aliud intercipiat. Tum quia vna pars religiosorum potest choro inseruire, alia docere, non enim omnes debent docere pueros, habent enim Fratres suos Lectores, studentes, & hi etiam commode accedunt ad chorum, vt experientia docet, alia pars seruit in prædicationibus, alij mittuntur ad conuersionem infidelium; neque enim ordinis vestigium habet illa religio, quorum alumni omnes omnia præstant, singuli enim intenti esse debent suis officiis neque vnus descendere in campum alterius: ad pugnandum. Constat ergo ex his impedimentum a Lessio inductum in genere entis, non in genere moris subsistere posse, ac proinde non tollere perfectionem, quam onus celebrandi diuinum officium in choro indicat inesse religionibus ideo perfectioribus aliis, quæ illud non recitant.

Tertio probat, etiamsi religio non haberet cantum, posset tamen esse perfecta. Ego per hoc, quod assero religionem ex obligatione recitandi in choro Horas Canonicas, esse perfectiorem ea, quæ caret hoc onere, non infero imperfectionem eius, quæ Horas non recitat, sed tantum loquor comparatiue, quod est quidem perfecta, sed minus, quam alia.

Quarto probat, quia perfectio consistit in officiis charitatis erga Deum, & proximum, quæ omnia possunt sine cantu præstari. Pari modo vota essentialia, & cætera pietatis exercitia non requirunt cantum. Non dico perfectionem recitandi in Choro Horas Canonicas accipi à cantu, sed ab ipsamet oratione communiter facta in Choro, id enim est maior perfectio, quam priuata recitatio.

Quinto probat ex Diuo Thoma 2. 2. q. 91. art. 2. ad tertium: Diaconi, & Prælati, quibus competit per prædicationem, & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus insistere, ne per hoc à maioribus retrahantur. Item *capit.2. distinct. 92.* dicitur esse valde reprehensibilis, vt cantui vacent, qui ad prædicationis Officium sunt destinati; ergo Ordo, qui huic Officio incumbit, non debet habere chorum. Vnde *Caetan. quæst. 188. art.7. ait*, ad talem religionem non debere omnes recipi ad professionem, sed solum idoneos ad officium prædicandi, & confessiones audiendi, & ministros eorum necessarios.

Diuus Thomas loco citato nihil aliud intendit nisi hoc, quod vt ipse inquit, *Nobilior modus est prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam, & prædicationem, quam per cantum.* Ideo contra nos nihil facit adductum argumentum immo pro nobis est, qui asserimus perfectiorem esse eam religionem, quæ vtitur choro, quam ea, quæ illius vsum non habet, habita comparatione ad chorum, & non chorum; & non inter cantum, & prædicationem. Sanctus autem Gregorius loco præallegato reprehendit Diaconos, qui deputati ad cantandum Euangelium, sic enim à Gloss. ibi in casu explicat verbum Prædicationis, in aliis officiis cantando, quæ ad eos non spectant, volunt se ingerere. Nec verba Caietani obstan

in

in aliquo, certum enim est, idoneos ad hæc munera non tantum prædicationis, & doctrinæ, verum etiam ad chorum esse admittendos.

226 Quartæ, ea religio, quæ solemniter vouit dicitur ex hoc capite perfectior aliæ, quæ ita non vouit, quia illud votum est perfectius, quod vtrinque dicit perpetuam obligationem, quam quod in aliquo claudicare potest ex defectu perseuerantiæ, & quocumque tandem proueniat ex non permanentia, quæ si non dicit imperfectionem ex parte religionis importat tamen minorem perfectionem. Et licet solemnitas sit intrinseca magis pendens ex constitutione, quam ex propria voluntate, vt notat Pellizar. tract. 1. cap. 3. sect. 2. num. 74. probans per hoc oppositum eius, quod diximus. Tamen id non obstat, quia solemnitas spectata, vt dicit illa tres inhabilitates, de quibus supra sub n. 99. pendet quidem à constitutione Ecclesiæ, nihilominus ex parte perpetuitatis, & perseuerantiæ in ratione voti est voluntaria profitentibus, & religioni perfectio, cuius firmitatem status indicat.

227 Quintæ, perfectior est ea religio, quæ communiter viuit, quam quæ solitarie. *Tum quia*, arguit communitas officium mutuæ charitatis, quod deficit vitæ solitariæ. *Tum quia*, vitæ communis commendatur in sacris literis Eccles. 4. 10. *Melius est ergo duos esse simul, quam vnum habent enim emolumenta societatis suæ, si enim vnus ceciderit ab altero fulcietur va soli, quia cum ceciderit non habet subleuantem se.* Quod expressit ante filium suum Dauid Psalm. 132. *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Et ideirco omnes fere religiones simultaneam habent habitationem, & conuersionem. Tum à definitione ipsius religionis, quæ est congregatio professorum in eadem domo, de quo intelligitur illud Psalm. 67. 7. *Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.* Locus, & conuentus, in quo simul habitant communiter viuentes religiosi dicitur sanctus, & huiusmodi communitas habitationis arguit, habitationem speciali modo procedere à Deo, cuius essentia communicatur personis Diuinis, quarum vna sine alia non existit, sed omnes sibi coexistunt, & cohabitant, vt ita dicam, in vnitate essentiæ, & trinitate personarum. *Tum quia*, Diuus Basilius serm. 1. de institut. Monach. ait, quod salubrius est degere in cænobio, quam in solitudine. *Tum quia*, à vita eremitica, & solitaria fit transitus ad vitam monasticam, *Gloss. cap. Si clericatus* 27. 16. *quæst.* 1. *Tum quia*, viuentes in communitate fere semper præsentem habent superiorem, qui eos admonere docere, & corrigere potest, solitarius his bonis caret, ergo minus perfectus est status solitariè, quam communiter viuentibus. *Diu. Thom.* 2. 2. *q.* 188. *art.* 8.

228 Sextæ, status clericalis multum perficit religionem, ideo religio, quæ ex sua institutione habet clericatum aliis in hoc præferenda est ex perfectione ordinis clericalis. Huius generis sunt omnes Canonici Regulares, Ordines Mendicantium, Clericales non gestantes Caputium. Olim Monachatus carebat clericali ordine, ideo
229 est ex sua institutione minus perfectus, non dico imperfectus, cæteris religionibus ortis cum clericatu. Et quo-
230 niam in his religionibus sunt duo genera professorum, alij enim sunt deputati ad chorum, & ad spirituale seruitium Ecclesiæ; alij vero ad ministeria corporalia, & vilia, quibus clericis inseruiunt, ideo status clericorum sine dubio præfertur statui conuersorum, tum propter diuersitatem exercitiorum spiritualium, & corporalium; tum quia conuersi sunt ad seruiendum corporaliter clericis.

231 Septimæ respondetur perfectiorem esse eam religionem, quæ caret bonis in communi, & in particulari ea, quæ possidet in communi. Ratio est, tum quia paupertas est de perfectione religiosa, ad quã religiosus ex obligatione suæ professionis tendere debet, de qua Christus dixit. Matth. 19. 21. *Si vis perfectus esse vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Paupertas ergo arguit perfectionem, ergo quo maior est paupertas, eo maior est perfectio, sed maior est respectu earum religionum, quæ nec in communi admittunt bona, ergo sunt perfectiores admittentibus bona in communi. id docet *Politius de Religione Franciscana prælud.* 1. *n.* 11.

Nec his obstat Diuus Thom. 2. 2. q. 188. art. 7. dum ait, habere aliquod in communi non minuere perfectionem religionis ea ductus ratione, quia perfectio non cõsistit essentialiter in paupertate, sed in sequendo Christum habere præsertim moderate in communi non impedit, sed adiuuat, & illa tractare est charitas, quia non distrahuntur religiosi à contemplatione. Sanctus Pater Franciscus non curauit de hac charitate, sed vti nudus egressus fuit de vtero matris suæ, ita & nudus illuc reuerti voluit, vt in Paradiso vestiri posset. Respondet namque Caietan. ibidem in respond. ad 1. his verbis. *Nam ostendit, quod non quanto pauperior, tanto perfectior religio, quia paupertas instrumentum est ad perfectionem religionis. Secundo vel propter varias opiniones, vel quia aliqualiter verificari potest, quod paupertas maior auget perfectionem religionis, subiungit de religionis perfectione, scilicet, simpliciter, vel secundum, quid. & dicit, quod etiam si concederetur, quod quanto pauperior religio tanto perfectior, ly perfectior denotaret perfectionem secundum quid esset perfectior in hoc scilicet in latitudine boni paupertatis, & non denotaret perfectionem simpliciter, &c.* Comparantur ergo religiones in genere boni paupertatis, consequenter in hoc genere illa religio est perfectior, quæ nihil habet neque in communi, neque in particulari alia quæ possidet in communi.

Et ex his patet ad rationem dubitandi initio huius quæstionis adductam ex Diuo Thoma, ipsum loqui in ordine ad finem vltimum, quem sibi vnaquæque religio proponit, in quem tendit per obseruantias regulares, qui vocatur finis absolute, non autem negat alios fines non vltimos, & secundum quid in vno genere perfectionis consistentis in ipsis mediis, per quæ perueniri potest ad illam principalem, ad quem obseruantiæ regulares ordinantur. Illud exemplum de medio macerationis carnis ad conseruandam continentiam facit ad rem, quia est medium de se ordinatum ad suum finem. Nihilominus nuditas, quæ est medium de se ordinatum ad paupertatem rigorose conseruandam, non incongrue extendi potest etiã ad continentiam tuendam, quia frigiditas ex nuditate proueniens minuit ardorem libidinis, vna enim virtus ab alia coordinatur ad bonum consequendum, & malum abhorrendum.

Quæres Trigesimoquinto. An Religio Tertij Ordinis S. Francisci sit connumeranda inter perfectiores.

Respondetur. Perfectior est pure contemplatiuis, æque 232
perfecta cum cæteris mixtis ex contemplatione, & actione spiritualium exercitiorum pro salute animarum proximi; perfectior vero iis religionibus, quæ incumbunt operibus corporalibus proximorum. Probatur, quia se exercet non tantum in cultu diuino, & pro salute suorum professorum, sed etiam ordinatur ad salutem animarum proximi, nam se exercet in prædicationibus, & administratione Sacramentorum, vt videri potest in eius regula, & constitutionibus, ergo perfectior est pure contemplatiuis, æqualis mixtis, & perfectior corporalibus occupata operibus.

Quæres Trigesimosexto. An Religiones militares sint perfectiores, vel saltem æque perfectæ, ac sunt non militares, ac claustrales.

Respondetur. Sunt minus perfectæ, quia perfectius est 233
opus, quod ordinatur immediate ad salutem animæ propriæ, & proximi, vt prædicatio, & administratio Sacramentorum, in quibus claustrales se occupant, quam illud, quod mediate ordinatur, nempe per arma corporalia, per quæ milites religiosi defendunt diuinum cultum, publicam salutem, & pauperes ab oppressionibus liberant; huius generis sunt religiosi militares, illius vero cæteri claustrales, ergo isti in perfectione præferuntur illis. Confirmatur per illud prouerbium: *Cedant arma togæ.* Vide Diuum Thom. 2. 2. q. 188. art. 3. vbi de Militaribus. Præterea apud ipsos trium votorum obseruatio est laxior, quo ad paupertatem, quia habent vsum iuris sibi necessa-

rium, & multos actus præstant, qui claustralibus essent proprietarij, non exercent actus obedientiæ, ratio horum duorum est, quia non manent in claustro, & longe sunt à suis superioribus, ideo eorum obseruantiæ sunt laxiores, & nonnulli eorum votum castitatis adæquate non promittunt, sed tantum secundum quid, aliam scilicet non cognoscendi fœminam, præter propriam vxorem.

Quæres Trigesimoseptimo. Quid sit austeritas, qua vna religio dicitur strictior, austerior, asperior, rigidior, & durior alia, quæ respectiue vocatur laxior, mollior, lenior, humanior, & tenerior, vt ita loquar?

234 Respondetur. Austeritas est afflictio corporis voluntarie assumpta ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum. Dicitur corporis, quia mens non est capax afflictionis, quæ præscribitur in religionibus. Dicitur voluntarie assumpta ad differentiam eius afflictionis, quæ in pœnam delicti imponitur reis, ea enim cum sit pœna ex culpa potius habet de inuoluntario, cum sententiatus cogatur eam subire contra suam voluntatem. Dixi tertio ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum, sufficit enim religioso se affligere iuxta normam earum, quia sic faciendo discrete aget, asperitas enim immoderata correctionem non inducit, nec salutem, *cap. Cum Beatus* 8. *distin.* 45. *cap Paratus* 2. 13. *quæst.* 1. & austeritas indiscreta in vigiliis, & orationibus reprehenditur à Sancto Hieronymo relato, *cap. Non mediocriter* 24. *distin.* 5. *de consecrat.* Austeritates autem sunt abstinentia à carnibus, à lacticiniis, ieiunia, maceratio carnis, gestatio cilicij, verberatio sui corporis, nuditas pedum, non vsus camisiæ mollis, sed rudis, vestimenta aspera, dormitio in tabula, cum habitu, sine pileo, cum caputio semper in capite, peregrinatio, & itineratio pedibus, & similes afflictiones, quibus accedunt oratio, vsus chori, administratio Sacramentorum, prædicatio, silentium, clausura, & huius generis, quæ à fundatoribus inducta fuerunt, vt professi per huiusmodi exercitia proprias animas, & proximorum Deo lucrifacerent. Certum autem est, per ea, quæ omnibus religionibus communia sunt, illas non differre inter se, & vnam non esse alia asperiorem nisi exercitium sit perfectius, vnde quamuis omnes regulares choro addicti in hoc non videantur differre in austeritate recitandi diuinum officium in choro, nihilominus cum vna religio alia perfectiori modo recitet, sequitur, eam, quæ clare, & distincte recitat, esse strictiorem alia, quæ minus clare, & distincte recitat Exemp. grat. Capucini in hoc nonnullas religiones excedunt. Aliarum ieiunium sine lacticiniis est austerius, quam alterius, quæ in ieiuniis vtitur lacticiniis. Aliæ aliis plura habent ieiunia: Alij comedunt carnes, alij solum lacticinia, alij ab his se abstinent, & vitam Quadragesimalem semper agunt: Illa ergo est strictior, quæ in multis excedit longe alias, quæ careat prædictis. Res magis declaratur sequenti quæstione.

Quæres Trigesimooctauo. An vna religio sit strictior alia. *Primo*, quia maiores, & plures præscribit afflictiones corporis? *Secundo*, quia est perfectior? *Tertio*, quia est sanctior? *Quarto*, quia præter vota continet etiam præcepta? *Quinto*, quia præscribit opera misericordiæ spiritualia? *Sexto*, quia præscribit corporalia? *Septimo*, quia præscribit missiones ad infideles? *Octauo*, an attendendæ sint etiam constitutiones præter Regulam? *Nono*, an considerandus sit rigor Regulæ, an vero vt religiosi ab eo recesserunt?

235 Primo respondetur, illam esse strictiorem, quæ plures habet præscriptas austeritates, quia austeritas est radix strictitudinis, ergo quo plures sunt austeritates, eo religio est strictior alia, quæ minores habet, maius enim in eo, in quo est maius excedit aliud, quod in eodem genere est minus. Vnde illa religio in genere abstinentiæ est strictior, quæ ieiunat quartis, & sextis feriis, quam quæ ieiunat tantum sextis feriis.

236 Secundo, potest aliqua religio esse perfectior alia, sed non strictior, ver.gr. Dominicana est perfectior, Cartusiana, quia illa est mixta ex contemplatiua, & actiua, hæc vero tantum contemplatiua, & tamen Dominicana non est strictior, sed minus Cartusiana; quæ est strictissima, ad quam regulariter nulli interdicitur ingressus. Igitur à maiori perfectione non arguitur maior asperitas, neque è contra. Nec obstat, quod supradictum fuit sub n. 231. quod religio austerior est perfectior, quia ibi sermo est de mediis inter se comparatis, quorum perfectio maior est in vno ordine, quam in alio, non autem de finibus, ad quos ea media ordinantur. Itaque media inter se comparata vnum alio perfectius est, & sub hac ratione, quod perfectius est arctiorem indicat religionem. Itaque duplex fieri potest comparatio, vna mediorum inter se, quæ nihil aliud sunt, quam supra numeratæ afflictiones corporis dictæ obseruantiæ regulares, quæ ad inuicem comparatæ dicunt maiorem, vel minorem perfectionem, ex qua arguitur maior, vel minor strictitudo, seu asperitas vnius ordinis respectu alterius, & in hoc sensu perfectio, & asperitas non differunt, nam obseruantiæ præter asperitatem exercitij dicunt perfectionem in religioso se exercente, per eas enim tendit ad perfectionem, quæ tibi dicitur absoluta, non comparatiua, quia in quantum perficit personam ad aliud non refertur, præter ipsam personam, quam perficit, habet vero rationem comparatiui tantum, quando ipsæ religiones comparantur ad inuicem in ratione maioris, vel minoris austeritatis, & hoc genus perfectionis diuersum est a perfectione finis, [illegible] perfectio mediorum respicit vtilitatem ipsius religiosi [illegible] tis opera afflictionis, seipsum enim perficit pe[illegible] sibi lucratur, perfectio vero finis respicit [illegible] animi, & hæc est posterior [illegible] qua vna religio excedit aliam in vtilitatem prox[illegible]

Tertio, illa religio est strictior, quæ ex [illegible] sanctior [illegible] pro- 237
batur ex fine, quo fit transitus a religione la[xiori] ad str[ictio]rem, nempe vt transiens perficiat animæ suæ, [illegible] ergo est, quod ea maiori sanctitate arguitur maior religionis strictitudo. Et id aperte colligitur ex cap. 1. 20. quæst. 4. *Virgines sacræ si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud monasterium pergere disposuerint*, &c. Vbi ergo est vitæ districtio, ibi est salus animæ, & maior sanctitas. Clarius ex cap. Licet 18. de regulat. ibi: *Libere potest sanctioris vitæ propositum adimplere.* Sanctior igitur vna arguit strictiorem obseruantiam. Vide F. Hieronymus à Politio Siculo Capucinorum ad c. 2. Regulæ probat num 85. vocantem Regulam Minorum non posse transire ad aliam quamcunque etiam Cartusiensium, quod prosequitur à num. 87. Sed hanc rem modo discutere nolo, confundit enim perfectionem finis, cum perfectione mediorum. Scio tamen hoc verum, quod valde vtile est religioso si se separat à consortio non solum secularium, sed etiam aliorum religiosorum, euitat enim multa peccata, & pericula, in quæ facile incidit conuersans cum aliis; vnde Gregor. Papa inclarus cap. Luminoso 6. 18. quæst. 2. præscripsit, monasteria esse constituenda in solitudine, ne populari accessu deuotio religionis impediretur, contra nonnullos eius successores, qui iubent construi in ciuitatibus. 238

Quarto, nulli dubium est, eam Regulam esse strictiorem, quæ continet præcepta præter vota tria, quia ad plura immediate arctatur religiosus. Hine est, quod ex hoc capite Regula Minorum ad literam seruata est strictior, immo strictissima, cum præter vota contineat viginti quinque præcepta sub mortali obseruanda, quæ collegit *Tamb. tom.* 1. *disputat.* 24. *quæst.* 6. Initio ad calcem Regulæ ibidem extensæ. Multo tamen strictior mihi videtur Regula Minimorum, quæ adstringitur voto vitæ quadragesimalis solemni. 239 240

Quinto, arctior est religio incumbens vitæ mixtæ ex contemplatione, & operibus spiritualibus proximi, superaddit enim hæc contemplationi, quæ laborem indicant, & asperitatem quandam in religiosis fatigantibus pro proximo. 241

Sexto, arctior est religio agens opera misericordiæ corporalia, hos enim labores addit contemplationi, & laborat valde vacans redemptioni captiuorũ, & inseruiens infirmis in eorũ necessitatibus corporalibus. Comparatis vero 242

vero his duobus inter se, arctior est, quæ ordinatur ad opus spirituale, quam quæ, ordinatur ad opus corporale, tum quia & ipsa habet admixtum laborem corporis. Tum quia sacramenta digne conficere, & administrare debet, quæ dicunt maiorem arctitudinem, & obseruantiam in operante spiritualiter, quam in operante corporaliter, in quo nullam supponunt sanctitatem.

243 Septimo, valde arctiorem censeo eam religionem, quæ præscribit missiones ad conuersionem infidelium, habent enim laborem peregrinationis, prædicationis, & administrationis sacramentorum, & præterea parati esse debent ad subeundum persecutiones, ludibria, & vsque ad mortem patiendū martyrium pro Christo, hæc arguunt maximam obseruantiam, austeritatē, & arctitudinem vitæ. Missiones præscripserunt sancti Patres Franciscus c. 12. suæ primæ Regulæ, & Ignatius suis alumnis.

244 Octauo, in cognoscenda arctiori vita disciplinæ regularis vnius ordinis supra alium præter Regulam attendendæ etiam sunt constitutiones, quæ præscribunt obseruantiam Regulæ sub certis modis, nam quo plures sunt obseruantiæ, eo arctior dicitur religio, & quandiu durant, vita obseruatur strictior, & asperior ad præscriptum illarum. Ita *Sanchez lib.6.cap.7. numer 23. de communi cum Rodriq tom. 3.q 52. art. 5. Angel. 11. religiosus n. 34. Pellizar. tr. 1. c. 3 n 61.*

245 Nono demum inspicienda est præsens obseruantia, vt colligitur ex cap. sane 10. de Regular. ibi: *Si locus vbi nunc permanet maioris religionis, quam Ecclesia Aromatensis existat.* Obseruantia enim est regula cognoscendi asperitates, quæ spectantur in ratione exercitij, non in actu signato prout proponuntur adimplendæ; vnde facit illud, quod habet *Rota. par. 2. Recent. decis. 170. numer. 4. decis. 216. Canal decis. 487. numer. 2.* Obseruantiam interpretatiuam debere de proximo accipi, & non ex actibus remotis. Ita *Rodriquez tom. 3. quæst. 52. art. 5. Nauarr. comment. 4. de Regular. num. 3. Corduba in Reg. D. Franc. cap. 2. quæst. 19. part. 2. cum aliis Sanch. lib. 6. cap. 7. numer. 24. Pelliz. tract. 1. cap. 3. numer. 61.* Parum enim refert,
246 quod Regula sit plena regularibus obseruantiis, & illæ abierint in dissuetudinem, nam in eo casu regula dicitur arcta, immo arctissima, quia munita est quampluribus documentis disciplinæ monasticæ, tamen diuersus est modus ab illis viuendi, dum professi non arcte, sed laxe, immo relaxate viuunt, & non iuxta normam Regulæ, quam continue transgrediuntur, arctitudo ergo attenditur secundum præsentem obseruantiam, quia asperitas consideratur secundum exercitium, non secundum eius præscriptionem.

Quæres 39. An qualibet religio fundetur in austeritatibus, adeo quod sine illis subsistere non possit?

247 Respond. Quamuis austeritas corporalis afflictionis in ieiuniis, abstinentia à carnibus, maceratione carnis, & similibus consistens non sit de ratione religionis vt sic, cum sine austeritatibus præscriptis consistere possit, vt constat in Societate Iesu, in cuius constitut. cap. 1. Exam. §. 6. ibi: *Nec vllas ordinarias pœnitentias, vel corporis afflictiones ex obligatione subeundas habet.* Pellixar. tract. 1.
248 cap. 3. numer. 62. Nihilominus, nulla ab hac extat religio, quæ in sua Regula non præscribat aliquas asperitates circa gestionem habitus, ieiunia, abstinentias à carnibus, & similes. Lege Regulas Sanctorum Patrum Basilij, Augustini, Benedicti, & Francisci, quas inuenies plenas austeritatibus, quorum documenta reliqui fundatores amplexati sunt. Ratio est, quia religiosus debet esse melior in vita ducenda secularibus, & in abstinentiis, macerationibus carnis, ieiuniis, & vigiliis illos excedere aliter in modo viuendi parum different ab illis, cum multi sint laici, qui in abstinentiis probantur.

249 Non placet, quod aliqui aiunt, Christum Apostolis nullam præscripsisse corporis afflictionem, cum quibus est *Pellizar. tract. 1. cap. 3. num.* 58. inquiens: *Certe religio qua fuit à Christo instituta, nempe Apostolorum, non fuit fundata in certa, aut vniformi austeritatis Regula.* Nam Vincentius de Via Cosentinus splendor ordinis Minimorum in suo eruditissimo opere inscr. *Crux omnium Religionum.* Bononiæ impresso anno 1645. tract. 6. per totum tractat de Abstinentia à carnibus Apostolorum eis à Christo præscripta, vbi de eorum ieiuniis, & aliis afflictionibus corporis plura refert. Quare autem hæc negant? supra patet responsum.

Quæres 40. An Papa possit relaxare vota solemnia de religioso faciendo non religiosum?

Respond. Nulli dubium esse debet, posse Papam legi- 250
tima subsistente causa posse dispensare in ordine ad matrimonium religiosum omnino liberando à votis solemnibus, faciendo illum de religioso non religiosum, destruendo eius statum, & tollendo ab eodem contractam obligationem perseuerandi in religione Quod alia ratione non probo, nisi ex iactis fundamentis in præcedentibus de votis, & eorum solemnitate, nam certum est, Papam in votis omnibus vt simplicia sunt ex causa dispensare, relaxando vouentibus obligationem, quam contraxerant Deo promittendo, nam licet votum obliget iure naturali, & diuino, tamen hic, & nunc persona vouens huic legi non est subiecta, posita causa legitima, per quam superior dispensando declarat, legem in tali casu non obligare, aut nullus extantem obligationem difficilem, aut cum maximo incommodo, aut præiudicio publico exequi posse, ex quo Deus, qui non deficit in necessariis, &
causis vrgentibus, censetur hanc potestatem capiti Ec- 251
clesiæ communicasse, quod reuera omnino asserendum est; quia Christus totam suam potestatem, cuius communicabilitas non repugnat suo Vicario in terris, delegare sicut potuit, ita & fecit, ne Ecclesiæ suæ in aliquo deficeret, & huius potestatis testis est ipsemet Christus Matth. 16. 19. *Quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in cælis.* Per dispensationem soluitur obligatio, quam professus contraxerat vouendo. Sub illis verbis continetur etiam dispensatio circa vota, nam illud
verbum, *Quodcumque* propter suam generalitatem com- 252
prehendit omnes casus proprios, & improprios *Crauetta consil. 294. vol. 2. col. 5. Ruin. vol. 2. consil. 98. num. 11. cum aliis Barb. dict. 317. num. 2. & 3.* & comprehendit casus, quos alias non comprehenderet lex, ex eodem numer. 5. Papa ergo dispensando, tollit obligationem, quam vouens sibi imposuerat, radicatam in iure naturali, & diuino, vtroque enim iure consurgit obligatio ex promissione Deo facta. De dispensatione in votis omnes conueniunt cum *Sanch. lib. 4. cap. 37. quæst. 1. Bonac. quæst. 2. de Voto, p. 7. §. 4.* Votum autem professionis duo importat obliga- 253
tionem, quam habet communem cum cæteris votis, & solemnitatem, si ergo Papa de communi sententia potest relaxare obligationem votorum omnium, quæ non habent adiunctam solemnitatem professionis, poterit etiam dispensare super solemnitate, quæ non est de iure naturali, neque diuino, sed tantum de iure positiuo Ecclesiastico, in quo Papam posse dispensare, nemo sanæ mentis hactenus negauit. Differunt, nam si tollatur obligatio per dispensationem de religioso professus euadit secularis, sublata vero solemnitate adhuc remanet religiosus. Ita docet Sanchez lib. 8. disput. 8. num. 7. vbi refert plusquam centum doctores ita sentientes, quibus adde Pontium lib. 7. de matrim. cap. 10. qui distinguit duplicem solemnitatem, vnam vocat essentialem, formam scilicet, quæ actum aliquem constituit, & ab aliis distinguit, vt dixerat cap. 7. & sunt vota, quæ vulgo dicuntur simplicia; alteram appellat legitimam, inductam scilicet à lege, de qua nos diximus sub quæst. 15. Essentialem ait tolli non posse, nisi simul etiam tollatur status regularis; legitimam vero à Papa auferri posse remanente statu regulari, &
hoc apparet in Iesuitis, qui sunt in statu regulari cum 254
sola solemnitate essentiali. Hanc solemnitatem essentialem puto nil superaddere ipsis votis simplicibus, ac proinde esse merum vocabulum illis affixum, nam assignabile non est, quid præter ipsa vota dicat, seu eorum obligationem, nisi solum nomen, superadditur vero solemnitas legitima, quæ importat mutuam perpetuitatem perfectionis cum illa triplici inhabilitate, de qua plura

dixi,

dixi num. 99. & 124. Vide Dianam part. 8. resolut. 100. de dispensat. vbi idem affirmat, & postea transit ad religiosum assumptum ad episcopatum, quem multi volunt habere dominium contra quamplures *Sanch. lib. 6. cap. 6. num. 8. Rodr. tom. 1. quæst. 25. cum suo Compend. ref. 52.*
255 *num. 29. Portellus* 11. *Voti solemnitas numer.* 23. Credere illum tunc de hæresi suspectum, qui negaret Papæ hanc potestatem, cum ex historiis constet, summos Pontifices cum nonnullis dispensasse, ex hoc enim facto, quod debet censeri legitimum, arguitur potestas in dispensante, vt refert Baronius ad annum 1041. cum Suat. apud Pelliz. tract. 3. cap. 5. quæst. 4. num. 8. De hac dispensatione in ordine ad matrimonium ineundum, dixi *Resol. 85. q. 4. num. 22. & Detis. 62.* Vbi asserui spem reducendi Luteranos ad fidem, à qua defecerant, esse sufficientem causam dispensandi cum religioso, vt ducat vxorem. *Contr. 15. n. 66.*

256 Dispensatio autem huiusmodi facienda est in ordine ad futurum matrimonium, & quidem ex causa publica, & vrgentissima, vt docet *Sanch. lib. 8. cap. 8. num. 8.* cum cæteris doctoribus. Itaque sine hoc fine contrahendi matrimonium religiosus est indispensabilis. Argumenta in oppositum retuli, & dilui in resol. 85. n. 23. & 24.

257 Dices, matrimonium consummatum non potest per Summum Pontificem dispensatione dissolui, licet dissolui possit ex causa ratum, ex iis, quæ probat *Sanch. lib. 2. disp. 14. Bonac. q. 2. p. 11.* Ergo neque matrimonium spirituale professionis consummatum per mutuam traditionem obligationem professi, obligantis se remanere in eo statu, & religionis obligantis se professum retinere.

258 Resp. Esse disparem rationem, nam ideo matrimonium consummatũ est omnino indissolubile ex suis intrinsecis, quia Christus illud instituit vt significaret vnionem Christi indissolubilem cum Ecclesia per assumptam ad se carnem; hæc autem ratio competit tantum matrimonio consummato, & non rato, quod hanc vnionẽ non importat, quia per ratum nondum caro vnita est, ideo hoc est
259 dispensabile, non illud: In matrimoniũ vero spirituali hæ significationes non reperiuntur, ideo nec ratio rati, & consummati in eodem spectari non possunt, quare concesso antecedente negatur consequentia.

Quæres 41. An religio dicatur vna, & conseruet eandem identitatem quamuis in obseruantiis regularibus mutetur? Exempli gratia, si ab initio non habuit in communi, & postea incipit habere? *Secundo*, regula sit laxa, & per constitutiones restringatur? *Tertio*, è contra si relaxata restituantur ad pristinam obseruantiam ab initio præscriptam? *Quarto*, Si mutet regulam priorem in aliam? *Quinto*, si de votis simplicibus transit ad solemnia? *Sexto*, si de non Mendicante fiat Mendicans? *Septimo*, si mutet habitum quo ad formam, & colorem? *Octauo*, si de ordine fiat religio? *Nono*, si vniatur alteri? *Decimo*, si subiiciatur extraneo superiori.

260 Notandum est pro resolutione, Mutationem aliam esse substantialem, aliam accidentalem, illa contingit per destructionem formæ substantialis, ratione cuius non conseruatur identitas rei, sed omnino mutatur, dum materia ab vna transit ad aliam formam; hæc vero fit per corruptionem formæ accidentalis, quæ rem non mutat à sua substantia, ex quo accidens definitur, quod recedit, & aduenit præter subiecti corruptionem, siue subiectum accipiatur pro materia, siue composito, nam paries manet, siue recedat ab eo nigredo, & adueniat albedo, siue è contra. Mutatio ergo accidentalis non immutat identitatem rei non solum physicæ, vt concedunt Philosophi, sed neque rei moralis, vt patet in Sacramentis, dum agitur de eorum forma accidentali, quæ ipsa Sacramenta non irritat, nec mutat, sed eadem remanent. Quod si mutatio sit substantialis mutantur, & desinunt esse, seu veritius non recipiunt esse.

261 Applicando prædicta ad rem nostram. Sicut in Physicis res constat ex materia, & forma, in Metaphysicis ex genere, & differentia, ita in moralibus assignatur materia, seu genus, & forma, seu differentia, qui sunt primarij conceptus rei ex illis compositæ, quorum destructione immutatur identitas eiusdem rei moralis; in casu autem præsentis quæstionis materia, seu genus religionis vt sic sunt tria vota omnibus religionibus communia, materia vero eadem modificata per hanc vel illam regulã dicitur quasi secunda, per quam religiones differunt aliquo modo; professio vero se habet vt forma, & differentia religionis vt sic talis vero professio relata ad hanc, vel illam regulam, seu statuta habet rationem differentiæ, religio enim quælibet sine professis existere non potest, ideo professio constituit, & distinguit religiones inter se sub diuersis Regulis institutis à Patribus singulorum ordinum, à quibus professi tanquam filij spiritualiter dicuntur per rectam lineam descendere.

Quare permanentibus Patre, Regula, & professione 262
religio eadem semper dicitur perseuerare, & durare sub eadem identitate, non obstante quauis alia mutatione, quæ vti accidentalis censenda est. Et ex his respondetur ad ad singulas difficultates.

Primæ, religio de non habente in communi facta ha- 263
bens perdurat in eadem identitate, nam Regula non alteratur, nec professio, cum superueniens ius possidendi in communi addat, & non destruat. Neque è contra, si de proprietaria fiat non proprietaria, quia detractio alicuius
ipsius Regulæ destructio non est. Vnde religio S. Francis- 264
ci primæ Regulæ, quæ proprietatem in communi abdicat, & non tantum in particulari nunc respectu conuentualium, qui ex priuilegio in communi possident, eadem est, quæ erat antequam eo priuilegio poterentur, nam horum Fratres vocantur Minores Sancti Francisci, sicut cæteri, qui carent proprietate in communi. Pariter Iesuitæ professi solemniter, quibus interdicitur proprietas in communi eiusdem entitatis sunt cum aliis professis sine solemnitate, omnes enim sunt alumni Sancti Ignatij. In terminis huius difficultatis docet *Pellizar. tract. 1. cap. 1. q. 25. num 36. Melius Tamburrin. tom. 1. disp. 25. quæst. 1. n. 1. 19.*

Secundæ, Regula laxa per constitutiones restricta non 265
mutatur essentialiter, sed tantum accidentaliter, cum remaneat in sua substantia, & entitate, & per constitutiones reformetur, & modis exquisitis redigatur ad obseruationem rigorosam. Ea autem restrictio intelligenda est secundum præscriptum ipsius Regulæ, ne scilicet illi addatur aliquid, quod supra illam sit, quia non esset reformatiua constitutio, sed potius aliquod superadditum excedens eius formam, & virtutem, quod est extra formam, & sphæram potestatis superiorum.

Tertiæ, Regula relaxata, sed in pristinum reducta non 266
mutatur substantialiter, immo nec accidentaliter, cum omnino in pristinum restituatur, ex quo dicitur conseruare suam identitatem non solum quo ad materiam, quam nũquam mutat, sed etiam secundum obseruantiam, ratione cuius fuerat relaxata. Ordo igitur reformatus dicitur idem non diuersus, cap. Relatum 7. Ne cler. vel Mon. ibi *Et illi tandem rubore perfusi ad sui Ordinis obseruantiam reuertantur. Felin.* in cap. Ad nostram, de appellat. Abbas in cap. Inter quatuor, de relig. domib. allegatis per Tamburr. tom. 1. disp. 25. quæst. 1. number. 119. & Lezana ad Mare magnum Carmelit. probat sub numer. 30. per Decisionem Rotæ reformationem non mutare statum religiosum, sed eundem remanere. Et facit quod habet gloss. sc. Reformandum cap. Statutum 11. de reseruat. in 6. vbi dicit, reformare legem esse in parte eam tollere, ergo non tollit in totum, & sic manet substantia legis; à fortiori in casu nostro in quo reformatio nihil de regula, sed solum inductum per contrarium vsum tollit, & eam restituit, & integrat in pristinum. Reformare ergo esse pro parte corrigere, idest, tollere inducta contra Regulam, vt ad vnguem seruetur deinceps.

Quartæ, mutatio Regulæ in Regulam inducit diuersitatem inter professores vtriusque Regulæ, ex iacto fundamento, quia mutatio est essentialis, ergo tollit identitatem. Dices, ex hoc sequi, Ordinẽ Fesulanum à Beato Carolo de

Monte Grauello Comite, & Sacerdote Tertij Ordinis
268 Sancti Francisci institutum sub Regula Sancti Hieronymi, ex Bulla Gregorij Decimisecundi postea sub Regula Sancti Augustini approbatum ab Eugenio Quarto apud *Tamburr. tomo 2. disput. 24. quæst. 4. numer. 72.* non esse eundem, quem modo profitentur Fratres Fesulani. Respondeo, posteriores succedere in eadem Ordinis identitate cum prioribus, & omnes esse filios per rectam lineam descendentes à Beato Carolo, quia ea non fuit mutatio Regulæ, nam Ecclesia non nouit Regulam Sancti Hieronymi, quam nunquam approbauit, ideo illis dedit esse regulare sub Regula Sancti Augustini, nam Eugenius in Bulla extensa apud Tambur. citat. non vocat Regulam Sancti Hieronymi, sed quasdam eius Constitutiones, quas obseruabant sub Gregorio Decimosecundo. Vide *Presidio Romano* lib. 1. par. 1. narratione vlt.

270 Quintæ, manet identitas Ordinis, quando fit transitus a professione simplici ad solemnem eiusdem Regulę, quia nulla est substantialis mutatio, cum eadem sit Regula, & solum diuersus modus profitendi, vnde Iesuitæ professi, & studentes eiusdem Ordinis, & patris sunt filij, à quo suam identitatem ex Regula, & Professione tractam conseruant, infra sub n. 185.

271 Sextæ, si Religio de non Mendicante fiat Mendicans, seu è contra, non mutatur per hoc, sed eadem omnino remanet, quia nec Regula, nec Professio in aliquo mutatur, illi enim modi sequuntur Religionis iam firmatæ institutum? & adduntur vt perfectiones, quæ non destruunt,
272 sed perficiunt id cui accedunt.

Septimæ, mutatio habitus non tollit identitatem Religionis, cum hæc habitus mutatio sit accidentalis Regulæ, nec Professionis destructiuæ, & præterea sicut habitus non facit Monachum ex c. Porrectum, de Regular. ita neque eius mutatio religiosum deiicit ab identitate sui Ordinis,

273 Octauæ, manet eadem identitas Ordinis cum is eleuatur in Religionem, nam tunc perficitur noua forma, quæ præcedentem non destruit, maxime cum manet eadem Regula, & Successores militent sub eodem institutore. Hoc dubium proposui fauore mei Ordinis, qui à Sancto Patre Francisco institutus sine statu Regulari, postmodum ab iisdem eius alumnis filiis eleuatus fuit in Religionem circa annum 1500. vt pluribus probaui in meo Libello de Antiquitate Religionis Tertij Ordinis Sancti Francisci, & resol. 87. Et magis in terminis probatur identitas eiusdem Ordinis, & Religionis vsque ad hęc tempora, & in futurum vsque ad consummationem sæculi speratur duratura per subiecta argumenta.

274 Fratres Regulares, & Sæculares sunt eiusdem Ordinis Tertij Sancti Francisci cuius sunt veri filij ab eo descendentes per rectam lineam.

Primum de identitate probatur, quia vtriusque generis Fratres vocantur de Tertio Ordine, & de Regula Beati Fráncisci, vt videre est in Bullis Pontificiis, quas de hoc Ordine agentes extensas habes in eorum Bullario. Et quoniam non est difficultas de identitate Fratrum Sæcularium, quos primum & immediate Sanctus Pater instituit, & genuit in villa Canariæ prope Assisium, anno Domini 1221. sed de Regularibus postea exortis filiis professoribus eiusdem Regulæ cum prædictis probatur.

Primo ex Bulla Ioannis Vigesimi secundi incip. *Personas vacantes*, sub anno 1413. 26. Augusti, ibi; *Viuere in obedientia, paupertate, sine proprio, & Castitate, & obseruare Regulam Tertij Ordinis Beati Francisci, secundum declarationem, & ordinationem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ factam, & traditam per prædictum Dominum Nicolaum Papam.* Quare cum Regulares habeant eundem Patrem, Regulam, & Professionem cum adiunctione trium votorum, cum primis Fratribus Tertiariis sequitur inter se conseruare identitatem Ordinis eiusdem.

Secundo, Eugenius Quartus Bulla incip. *Iniunctum Nobis*, sub datum 6. Februarij 1442. in Regnis Legionis, & Castellæ concessit Tertiariis Regularibus, vti in Visitatorem Generalem possent sibi eligere vnum ex Sacerdotibus suæ professionis, vocando eos de Tertio Ordine, & quia Regula Nicolai Quarti habet hoc statutum: *Visitatorem habeant Sacerdotem, qui alicuius approbatæ Religionis existat.* Huic Statuto Papa præfatus derogauit, indulgendo, quod possent sibi eligere in Generalem Sacerdotem non alienæ, sed propriæ Religionis, indicando per hoc, eandem identitatem Regulares conseruare cum Fratribus sæcularibus, quibus successerint, alias frustratoria esset ea derogatio, si eos non afficeret vti identificatos cum illis, qui erant subiecti supradicto Statuto. Hoc idem docuit Nicolaus Quintus Bulla incip. *Apostolicæ Sedis*, datum 20. Iulij 1447. dum Italis concessit electionem Generalis ex propriis Sacerdotibus derogando prælibato Statuto assumendi in Visitatorem Generalem Sacerdotem extraneæ Religionis.

Tertio, Leo Decimo Bulla incip. *Inter cætera*, Regulam Nicolai Quarti, quæ primo instituta fuerat à Sancto Patre pro Sæcularibus vtriusque sexus etiam Coniugatis, sine tribus Votis, quæ tamen non exclusit, neque prohibuit vsum illorum, nonnullis demptis, quæ pugnant cum statu religioso, accommodauit Tertiariis Regularibus, quæ Regula Nicolai Quarti dicta Leonis Decimi per dictam accommodationem, & adiunctionem trium Votorum in substantia mutata non fuit, sed omnino eadem mansit, perfecta additione trium Votorum, vt patet ex illis verbis: *Eandem Tertiam Regulam in modum, qui sequitur*
distinctam, de nouo confirmamus. Illud autem pronomen 275
eandem secundum Baldum in l. Si vnius, §. Pactus, ff. de pactis n. 6. in 2. lect. importat identitatem, ac proinde vnam, & eandem esse Regulam vtriusque Pontificis, in terminis docet *Rota corā Reuerendiss. Dominus Pater Reyas in Causa Vlixibon iuris conferendi habitum 11. Decembris* 1637. *§. Quia quod.*

Quartò probatur ex Bulla Clement. Septim. incip. *Ad vberes*, initio his verbis: *Quod is Ordo*, scilicet Tertius Sancti Francisci, *ne dum Coniugatis vtriusque sexus verū etiam Fratribus, & Monialibus in communi viuentibus, ac tria Vota substantialia solemniter emittentibus florere iamdiu cœpit, & in dies magis efflorescit.* Fratres ergo tam Sęculares, quam Regulares militant sub eodem Ordine, in quo proinde seruant vnitatem, & identitatem sub eadem Regula in substantia. Hanc rationem refert idem Royas, & confirmat, quia quæ reguntur sub eodem verbo, vt præfati Fratres vtriusque professionis sub verbo *Florere*, dicunt
identitatem, & connexionem ad inuicem, *L. 1. C. Si vnus ex* 276
pluribus, Bald. in l. Ampliorem C. de appell. n. 4. Berous l. 1. consil. 76. n. 67. Surdus consil. 535. n. 19. Aldroand. l. 1. consil. 77. num. 37.

Quinto, argumentum huius identitatis efficax accipitur à Bulla Pauli Tertij, incip. *Cum à nobis*, in quo fauore Fratrum tollit, & suspendit inter dictum, & cessationem à Diuinis in Festis Sanctorum, & Sanctarum Tertij Ordinis, vbi duo sunt notanda. Vnum est, Pontificem Romanum salutare tres status Tertij Ordinis Sancti Francisci, his verbis: *Dilectis filiis Ministro Genera-*
li, ac Fratribus, & Monialibus trium Statuum Tertij 277
Ordinis Sancti Francisci de Pœnitentia nuncupati.
Tres status habet isto Ordo. Primus est Fratrum 278
& Sororum Secularium; secundus Fratrum Regularium: tertius est Monialium; his tribus statibus Pontifex concedit, vt tempore interdicti, & cessationis à diuinis possint celebrare, & interesse diuinis officiis in propriis Ecclesiis. In salutatione proponit huius Ordinis Generalem Sacerdotem eiusdem Ordinis professum Fatribus, & Monialibus insinuando subiectionem Fratrum, Religiosorum, & Monialium eidem Ministro Generali, ex quibus patet identitas Ordinis, & Religionis in his tribus statibus. Secundum notandum est, Sanctos, & Sanctas Tertij Ordinis vocari tales tam respectu Regularium, quam Fratrum. cum tamen certum sit, illos Sanctos ibidem expressos, qui sunt Lucius,
Ludouicus, Elisabeth, Rochus, Elzearius, Rosa, Angela, 279
&

& Iuo esse de Ordine, non de Religione, cum nonnulli
eorum defuncti sint, antequam Ordo erigeretur in Reli-
gionem, & tamen dicuntur Sancti Tertij Ordinis etiam
elenati in statum Regularem, ibi: *Ac pro Sanctis Ve-
stri Ordinis de Pœnitentia.* Loquitur Papa in commu-
ni, & pluraliter ad omnes illos, quos initio salutanit.
280 Pronomen enim *Vestri*, indicat possessionem in identitate
Ordinis.

281 Sexto sumitur huius identitatis argomentum à forma
professionis, quam omnes Tertiarij, tam Seculares, quam
Regulares legunt, dum profiteri volunt, nam in ea,
quam quadruplicem extendi Resolut. 95. numer. 18.
exprimitur Regula Nicolai Quarti accommodata vitæ
Regulari, quam profitentur, ergo Ordo licet eleuatus
in Religionem retinet in Religiosis suam identitatem,
quam perficit adiunctione status Regularis, neque enim
Abbas factus Episcopus desinit esse quod erat ante,
sed illum gradum perficit per formam perfectiorem,
& non destruit, manet ergo identitas inter ipsos, cum
maneat Regula in suis substantialibus.

282 In libello de Antiquitate huius Tertij Ordinis, qua-
tenus Religio est, probaui Regulares Tertiarios esse es-
sentialiter diuersos à Fratribus Secularibus, qui solemne
votum non emittant, vt faciunt Regulares, mutatur
enim status personæ per professionem, vt dixit Bald.
in cap. Cum magistrum de elect. consequenter mutatur
etiam Ordo, qui subsequenter componitur ex professis
Religiosis, qui ante non erant. Nec obstat, quod nomen
Tertiarij retineant, quia dixi ibidem, Regulares profiteri
Regulam Nicolai Quarti, non vt talis, sed prout se-
peritur in statutis, aut in Regula Leonis Decimi, ac
proinde mutata Regula, censetur ita mutatus Ordo, vt
non sit amplius idem.

Reuera ita loco citato docui, sed re melius perpensa,
recanto, quod ibi dixi, neque enim vereecundiæ adscribi-
tur mutatio sententiæ in melius, prudentius enim est aper-
te loqui, quam verbis nugari, & se alius ostendere am-
bitiosum ac pertinacem in sententia forsan aberrante mul-
tum à veritate. Itaque adiuncta solemnis professio de
tribus votis non tollit identitatem huic Ordini eleuato
in Religionem, vt hactenus probatum fuit; & magis
confirmatur. *Tum quia*, professio solemnis perficit Or-
dinem, non destruit, nam vt supra dixi sub n. 270. Ordo
Iesuitarum ex Voto solemni superueniente Votis simpli-
cibus non mutatur, non destruitur, sed omnino manet
283 idem. *Tum quia*, Ordo Monachorum Sancti Benedicti ab
initio non erat Clericalis ex suo instituto postea eleua-
tus in Clericalem ex Priuilegiis Pontificiis, ac proinde
priori statui additus fuit alius status perfectus, qui cum
non destruxerit priorem, sequitur eundem Ordinem
remanere sicut erat ante, ergo idem dicendum est in
Nostro Ordine, qui remansit idem eleuatione in Re-
284 ligionem sine sua destructione. Idem dic de Religione
Iesuatorum, qui ab initio erant Laici sine Clericatu, ad
quem postea assumpti fuerunt per Paulum Quintum,
285 Bulla incip. *Religiosos Viros*, 16. Item Barnabitæ appro-
bati à Clemente Septimo Bulla 37. incip. *Vota per q.*
1533. professionem solemnem cœperunt emittere sub
Paulo Tertio, Bulla quinta incip. *Dudum*, & tamen
286 sunt eiusdem Ordinis, sub quo ante erant. Pariter Fratres
Ioannis Dei, cuius Ordo approbatus fuit à Pio Quinto
Bulla 149. postmodum per Paulum Quintum Bulla 69.
incip. *Romanus Pontifex*, admissi fuerunt ad professionem
solemnem, quam antea non emittebant, & nihilominus
sen per iidem fuerunt, & eiusdem Ordinis, quia quod
perficit, non diuersificat, nec deterius reddit aliud.

287 Et ex his patet ad ea, quæ superius in oppositum ad-
duxi, Ordinem Tertium non fuisse mutatum, sed eundem
remansisse in successoribus, qui cœperunt emittere pro-
fessionem solemnem sub eodem Ordine eleuato in Re-
ligionem sine sui destructione neque quo ad Patrem,
quia Religiosi vti immediate descendentes à Fratribus
nondum sic professis, non possunt non descendere ab
eodem Patre, à quo prædecessores originem trahunt,
præterquam quod & ipsi Fratres existentes professi fue-
runt ab initio solemniter eundem omnino Ordinem,
& Regulam, vnde conseruant identitatem in Patre, &
in Regula, immo & in Professione, in qua exprimunt
obseruationem præceptorum Dei, promittentes se satis-
facere pro erratis, sicut promittebant antequam essent
Religiosi ad præscriptum Regulæ cui si postea addiderunt
professionem trium Votorum substantialium, non ideo
mutarunt, nec destruxerunt priorem professionem, cuius
materiam totam profitentur adhuc cum tribus Votis, con-
sequenter eam perficiunt in sua identitate.

Secundum, quod Tertiarij etiam Regulares sint veri 288
filij Sancti Francisci ab eo descendentes per rectam li-
neam, sicut procedebant eorum antecessores antequam
eleuarentur in Religiosos. Probatur. *Tum quia*, illi dicun-
tur filij Sancti Francisci Tertij Ordinis, qui eiusdem Pa-
tris Tertiam Regulam profitentur, professione enim No-
uitius constituitur filius spiritualis eius Patris, cuius Re-
gulam profitetur vel in se, vel in statutis, quod dico
propter eas religiones, quæ communem habent regu-
lam, sed diuersos Patres, vt constat de Regula San-
cti Augustini, quam profitentur Prædicatores, qui Pa-
trem habent proprium Sanctum Dominicum, ideo Re-
gulam profitentur ad normam suarum primarum con-
stitutionum in manibus suorum superiorum vicem ge-
rentium S. Dominici; sed Tertiarij eleuati in Religio-
sos profitentur tertiam Regulam à S. Francisco institu-
tam, ergo sunt eius veri filij. *Tum quia*, primi fratres pro-
fessi Tertiam Regulam sine tribus votis deinde iidem
denuo promouerunt tria vota solemnia, sine mutatione
substantiali Regulæ, cui tantum addiderunt tria vota
sine destructione prioris professionis, ergo retinuerunt
filiationem, quam per simplicem professionem acqui-
sierant, & sic remanserunt iidem filij Sancti Patris cum
suis successoribus. *Tum quia*, hoc idem deducitur ex plu-
ribus Bullis Pontificiis loquentibus de illis, quos Pontifi-
ces Romani vocant professores, & alumnos Sanct. Fran-
cisci, sicut erant Tertiarij antequam eleuarentur in re-
ligiosos, vnicum refero dictum Sixti IV. Bulla incip.
Ad Christi Vicar. Primo Decembris 1480. dum declarat
eorum vota solemnia, illis verbis: *Sane iam dudum accepi-
mus, quod quidam Fratres, & Sorores Tertij ordinis Beati
Francisci ex speciali concessione nostra, & prædecessorum
nostrorum collegialiter viuentes, post annum probationis in
manibus sui Ministri, vel Ministra ab eorum collegio ca-
nonice electi, vel electa vouent, & promittunt obedien-
tiam paupertatem, & castitatem perpetuam solemniter.*
Nota ea verba: *Quidam Fratres, & Sorores Tertij ordinis
beati Francisci* Iudicantia Fratres antecedentes, & sub-
sequentes cum professione solemni esse eiusdem ordinis
Tertij Sanct. Francisci, ac proinde esse, & remanere vero
filios eiusdem Patris. Hoc idem declarauit Clemens VII.
in Bulla incip. *Ad vberes*, his verbis: *Et inter Fratres,
Moniales, Sorores, & Eremitas ordinis de Pœnitentia ve-
ros religiosos ordinis Sanct. Francisci de Pœnitentia huius-
modi fore, & esse.* Nulli dubium ergo esse debet, quin
religiosi isti sint eiusdem ordinis, & Patris filij, sicut an-
te erant Fratres sine votis solemnibus. Et hæc satis pro
præsenti materia.

Nonæ dubitationi respondetur, vnum ordinem non 289
posse vniri alteri potestate Pontificia, quando eandem
non profitentur Regulam, quia vel vniuntur per nouam
professionem illorum, quibus vniuntur, & tunc professi
cogi non possunt ad huiusmodi professionem, quæ vt va-
leat debet esse voluntaria, & libera, vt suo loco probabo;
quod si voluntarie transeunt, per nouam professionẽ fiunt
alterius ordinis, destructione prioris professionis; vel
vniuntur tantum per subiectionem extraneorum superio-
rum, & tunc remanent iidem cum suis prædecessoribus
non vnitis hoc modo, nam remanent filij prioris Patris
veri, cum eadem Regula, & professione, ergo seruant
eandem identitatem religionis cum præteritis non vnitis.
Et ex his respondetur.

Decimæ, mutatione superiorum remanere identitatem 290

ordinis.quia adhuc habent Patrem,Regulam , & Profes-
sioné easdem Confirmatur,quia Tertiarij sua iurisdictione
Maiorum de obseruantia in Gallia, & Hispaniaeiusdem
sunt ordinis cum talibus habentibus proprium Genera-
291 lem , & alios superiores quæ modo reguntur sub Episco-
pis adhuc seruant identitatem sui ordinis cum suis ante-
cessoribus , dum erant sub suis prælatis regularibus ordi-
natis , & naturalibus ex institutione ordinis, nam adhuc
sunt filiæ Patris S.Benedicti,Dominici,Francisci, &c. &
eisdem vtuntur Regulis,& Professionibus,ergo in illis re-
manet identitas,quæ fuit ab origine institutionis. Vnde
Resol. 52.quæst. 24. sub. numer. 69 Probant Moniales
292 Regulares subiectas episcopis adhuc gaudere priui-
legiis sui ordinis , & virorum,sub quorum iurisdictione
erant.

Quæres 42. An in dubio fauendum sit reli-
gioni?

293 Respon. Affirmatiue , deducitur ex variis iuribus,
*cap. 31. quis 8. cap. Monachus 9 dist. 77. cap. cum illorum
32. §* Si *qui claustrales , de sent. excom.* in quibus locis
multa conceduntur religiosi etiam in dubio. Facit lib.Sunt
personæ 43. ff. de relig. & sumpt. pues. ibi : *Propter pu-
blicam vtilitatem , ne insepulta cadauera iacerent, strictam
insuper rationem habemus , quæ nunquam in ambiguis reli-
gionum quæstionibus omitti solet ; nam summam esse rationem
294 quæ pro religione facit.* Loquitur textus de religione in
genere , ac proinde comprehendit Religionem in specie
ex ratione professionis. In dubio igitur iudicandum est
pro religione,*Nauar. consil. 13. de Regul num. 10. ex eo
Sanch. lib. 7. disp 37. num. 12.* Concludentes in dubio va-
loris professionis pro religione esse indicandum , & etiam
illi acquiri,*Megal. 1. 2.l 2.c. 17.n.22. fine.*

Quæres 43. An valeat mutuum argumentum ab Eccle-
sia ad religionem,& à religione ad Ecclesiam?

295 Respond. Valet argumentum ab Ecclesia ad religio-
nem,non e contra nisi in prædicatis communibus,nam id
deducitur ex illo principio primæ figuræ dici omni , &
dici de nullo, adeo quod prædicatum generis compe-
tit omnibus eius speciebus,vt patet in sequentibus exem-
plis. Ecclesia est congregatio , vna , sancta Catholica
Apostolica , immaculata , militans , non serua,sed libera,
composita ex bonis,& malis,ergo & religio est congrega-
tio,vna,sancta &c. continetur enim tamquam species sub
suo genere.

CAPVT II.

De Regulis , & Constitutionibus Religiosorum.

1 *Regula nobis indicat,quid agere debeamus.*
2 *Regula triplex, Materialis, Legalis, & Religiosa.*
3 *Regula omnis patitur exceptionem.*
4 *Regula Canonum non restringuuntur per ius ciuile.*
5 *Regulam habens pro se habet suam intentionem pro-
batam.*
6 *Regula in dubio inhærendum donec probetur exceptio.*
7 *Regula generales multos fallunt.*
8 *A Regulis iuris receditur ,cum periculum est in mora.*
9 *Regulam habens pro se non potest vti exceptione.*
10 *Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.*
11 *Exceptio debet esse de regula.*
12 *Exceptione non probata statur regula.*
13 *Regula religiosa quid sit ?*
14 *Ordinationes regulæ sunt triplicis generis, sicut triplex
potest esse finis.*
15 *Regulæ principales sunt SS. Basilij , Augustini , Bene-
dicti,& Francisci.*
16 *Regula edita sed nondum confirmata non dicitur esse
in rerum natura.*
17 *Cap. fin. de relig. domibus quid importet.*
18 *Vt ordo eleuetur in religionem habens iam regulam,
approbanda est professio.*
19 *Quos fines potest inuentor religionis sibi proponere.*
20 *Caritas incipit à seipso.*
21 *Regula est de essentia religionis.*
22 *Regula Apostolorum S. Euangelium.*
23 *Religio cum solis tribus votis non consistit.*
24 *Regulæ principales quatuor.*
25 *Regula S. Augustini non est prima pro Canonicis,cum
sit Euangelium.*
26 *Sancti Hieronymi Regula non est approbata.*
27 *Constitutio quid sit,& quibus differat à regula.*
28 *Nomen* constitutionis *quomodo sumatur c. 3. sess. 25.*
29 *Regula propriè vocatur,licet in ea non exprimantur
tria vota.*
30 *Tria vota regulam specificare non possunt.*
31 *Regula Tertij ordinis S.Francisci est propriè regula.*
32 *Potestas est in religionibus condendi constitutiones.*
33 *Per maiorem partem capituli.*
34 *Factum à maiori parte censetur ab omnibus gestum.*
35 *Constitutiones facta sine consensu maioris partis nulla
sunt.*
36 *Fiunt à quatuor cum superiore.*
37 *Factum sine requisito consilio simul cum concessione fa-
cultatis est nullum.*
58 *Constitutiones ligant omnes.*
39 *Etiam Generalem quo ad vim coactiuam.*
40 *Superiores locales non possunt facere constitutiones.*
41 *Constitutio,& præceptum differunt.*
42 *Constitutio perpetuo durat.*
43 *Constitutio non potest fieri contra regulam.*
44 *Cum illius debeat esse conseruatiua,non destructiua.*
45 *In regula aliquid continetur explicitè,vel implicitè.*
46 *Materia constitutionum debet esse de rebus secundum
non supra regulam.*
47 *Constitutio obligans religiosos ad arctiorem vitam non
potest fieri.*
48 *Condere possunt statuta prohibitoria cum decreto inha-
bilitante,& irritante actum.*
49 *An appellari possit à constitutionibus.*
50 *Acceptatio est de ratione constitutionum.*
51 *Consuetudo regulam abrogare non potest totam.*
52 *Vota tollere non potest.*
53 *Reliquas ordinationes extra vota abrogare potest.*
54 *Lex humana consuetudine legitime proscripta tol-
litur*
55 *Alia est obligatio votorum , alia cæterarum obseruan-
tiarum.*
56 *Quid importet venire regulam?*
57 *Obedientia præscribi non potest.*
58 *Lectio regulæ , & constitutionum non impedit consue-
tudinem.*
59 *Consuetudo in totum regulam abrogare non potest.*
60 *Constitutiones in totum abrogari possunt consuetudine*
61 *Consuetudo dandi singulis annis vestiarium est licita.*
62 *Explicatur cap. 1. sess. 25. de reformatione.*
63 *Non inducit ius nouum.*
64 *Constitutiones vim recipiunt à promulgatione ca-
pituli.*
65 *Regula à superioribus destrui non potest*
66 *Consuetudo rationabilis quæ dicatur?*
67 *Capitulum ex causa potest reuocare constitutiones.*
68 *Etiam confirmatas specifice à Papa.*
69 *Confirmatio specificata dat esse statuto inualido.*
70 *Habet rationem priuilegij confirmatio.*
71 *Confirmatio alia præceptiua,alia rogatiua.*
72 *Obligatio seruandi regulam,& constitutiones oritur ex
obedientia.*
73 *Obedientia duplex,legalis,& religiosa.*
74 *Præcepta sunt non vota expressa in regula prima
S.Francisci.*
75 *Obedientia nouitio promissa præscindit à legali,& re-
ligiosa.*
76 *Obedientia regulatur à norma regulæ.*
77 *Præceptum , & statutum differunt, hoc non cadit sub
voto.*

voto, sed illud tantum.

78 *Praceptum obedientia est transitorium.*

79 *Culpa duplex Theologica, & legalis.*

80 *Regula quo ad vota obligat sub culpa sacrilegia, in aliis sub simplici culpa.*

81 *Voti transgressio ex genere suo mortalis.*

82 *Regula D. Benedicti in aliquibus obligat ad mortale.*

83 *Regula item S. Francisci in multis.*

84 *Regula tertij ordinis nec ad veniale.*

85 *Regula Carmelitarum obligat in aliquibus ad mortale.*

86 *Regula S. Dominici non obligat ad culpam.*

87 *Pœna apposita in constitutionibus obligat sub culpa exacta.*

88 *Constitutiones obligant ad tenorem regula.*

89 *Non plus obligant, quam regula.*

90 *Qua obligent ad culpam, vel non obligent.*

91 *Non obligant ad culpam, nisi habeant admixtam censuram.*

92 *Nouitij, & alij tenentur regula, & constitutionibus.*

93 *Aduena morans in loco maiori parte anni tenetur legibus loci.*

94 *Nouitius in ordine delinquens puniri potest.*

95 *Tertiarij subsunt potestati superiorum regularium.*

96 *Statutum directe contra ius commune fieri non potest.*

97 *Inferior non potest tollere legem sui superioris.*

98 *Statuere est actus iurisdictionis.*

99 *Statutum positiue contra ius commune est nullum.*

100 *Factum sine potestate, & voluntate requisitis est nullum.*

101 *Legatus à Latere, & protector confirmare non possunt statutum contra ius commune.*

102 *Statutum, quod natus ex infideli detur habitus non est contra ius commune.*

103 *Ius duplex negatiuum, & positiuum, contra illud statui potest, non contra hoc.*

104 *Statutum directè contrarium quod formaliter destruit alterum.*

105 *Aduena religiosus tenetur statutis conuentus, per quem transit.*

106 *Regula, & constitutiones collapsa ante prascriptionem sunt restituenda*

107 *Pralatus tutoribus, & curatoribus comparatur,*

108 *Tutor datur persona, curator magis rebus.*

109 *Pralatus tenetur de dolo, culpa lata, & leui.*

110 *Taciturnitas in Pralato arguit peccatum mortale.*

111 *Consuetudo excusat etiam à statutis respicientibus proximè veterum obseruantiam.*

112 *Status religionis permanet si votum paupertatis simpliciter seruetur.*

113 *Votum paupertatis pracisè consistit in abdicatione proprij, non moderum secundum Patres.*

114 *Votum paupertatis restrictum fuit vltra intentionem fundatorum.*

115 *Regula non publicatur, sed tantum legitur, vt sciatur.*

116 *Ignorans spectantia ad suum officium peccat.*

117 *Constitutiones sunt promulganda.*

118 *Promulgatio de essentia legis, qua ideo dicitur à legendo.*

119 *Interpretatio triplex, doctrinalis, iudicialis, & legalis.*

120 *Interpretatio prohibita est solum legalis.*

121 *Legislator suam legem obscuram interpretatur.*

122 *Eius enim est interpretari, cuius est condere.*

123 *Generalis interpretatur.*

124 *Generalis Dominicanus interpretatur etiam priuilegia.*

125 *Generalis meus cum suis interpretatur regulam, & constitutiones.*

126 *Proprietas verborum duplex, naturalis, & ciuilis.*

127 *Interpretari possunt priuilegia ad fauorem ordinis.*

128 *Interpretatio facta vt obliget publicanda est.*

129 *Viuentes sub regula relaxata consuetudine prascripta non sunt in statu peccati.*

130 *Spatium decennij sufficit ad hanc prascriptionem.*

131 *Talis debet esse obligatio constitutionum, qualis est regula.*

132 *Maior non debet esse obligatio constitutionum, quam regula.*

133 *Confirmatio specifica qua reualidat infirmum, non facit culpabile.*

134 *Statuto inhabilitans personas alias habiles ad religionem nullum est.*

IN præcedenti capite dictū fuit, quod Regula est de essentia religionis, nam aliquid obseruandum à nouitio in professione emitti debet, id autem est regula, vel constitutio, quando religio caret regula; de qua ibidem aliquid diximus quæst. 23. numer. 170. Modo de prædictis agendum est.

Quæres igitur primo quid sit Regula? Pro responsione præmittendum est, Regulæ officium esse nobis indicare, 1
quid facere, quid agere debeamus; illa enim rectè ducit homines, ne deuient à recto tramite, & norma est rectè viuendi, cuius modum præbet, cap. Regula 2. dist. 3. Accipitur autem nomen Regulæ tribus modis: *Primo*, pro Regu- 2
la materiali applicatæ alicui corporali, vt cognoscatur, an illud sit rectum, vel obliquum, & distortum, de qua intelligitur illud: *Rectum est index sui, & obliqui. Secundo* pro Regulis iuris siue canonici, siue ciuilis, quæ continet breuem rei enarrationem, Paulus lib. 16. ad Plautium; ius autem non sumitur ex Regula, sed ex Iure, quod est, colligitur Regula, vnde Regulæ iuris sūt velut quidā tituli è fontibus iuris deriuati, inquit, Philippus Matthæus in Regul. Iur. Ciuil. initio num. 13. Regula ergo factum non continet, sed generalem complectitur doctrinam è iure extractam, idem Matthæus lib. 1. numer. 25. De ratione autem Regulæ est sub eadem ratione plures casus similes continngere, & per eandem Regulam determinare. Placet hic subnectere aliqua axiomata, quæ de Regula iuris dicuntur.

Primum, *Omnis Regula patitur exceptionem*; Gloss. 3
in Rubr. de regu. iur. in 6. Nauarr. consil. 3. §. Non, de verb. signific. licet constet verbis vniuersalibus affirmatiuis, vel negatiuis Thomaset. regul. 212. Non procedit omnino generaliter, quia dantur aliquæ veræ simpliciter: vt, Inciuile est iudicare, nisi tota lege perspecta. De liquido ad non liquidum non datur compensatio. Impium est dimidiam veniam sperare.

Secundum. *Regula Canonum non restringuuntur per Ius* 4
Ciuile. Panormitanus in c. 1. de restitut. in integr. ex eo Peregr. de Immun. c. 7. n. 18.

Tertium. *Regulam qui habet pro se, habet intentionem* 5
suam probatam, ac proinde transfert onus probandi in eum, qui se fundat in exceptione, cap. Ad decimas, de restitut. spoliat. Salicetus in lib. Fundum C. Qui potiores in pignore. Vbi ait, quod non est recedendum à Regula, nisi de contrario doceatur; *Iason in lib. Cætera ff. de legat. 1.* vbi, quod pronuntiandum est pro Regula, quando casus exceptus non probatur, quos & alios plures citat Barbosa Axiom. hoc 198.

Quartum. *Regula in dubio inhærendum donec probe-* 6
tur exceptio. lib. Ab ea parte ff. de probat. lib. Apud antiquos C. de furtis, cap. 2. de Coniug. Leprof. *Couarr. lib. 2. cap. 12. Var. numer. 4. Barbosa Axiom.* 198. *Simon Vaz de locis vtriusque iur. lit. R. numer.* 10. Regulæ standum, donec probetur contrarium, *Aloysius Riccius part. 2. decis. 107. numer. 2.* In dubio Regulæ standum est. *Bartol. in lib. 2. ff. si quis ius dicenti non obtemp. Decius in l. 1. de regul. iur. Peregrin. c. 7. de Immunit. num. 16.*

Quintum. *Regula generales multoties fallunt*. Nauarr. con- 7
sil 2. de frigid. per c. A nobis 28. de sentent. excommun. & c. Fraternitatis, de frigid.

Sextum. *A Regulis Iuris receditur, cum est peri-* 8
culum in mora. lib De Pupillo §. Si quis riuos ff. de noui oper. nunt. Portellus in Addit. ad Addit. 11. Appellare n. 5.

Septimum. *Regulam habens pro se non potest vti ex-* 9
ceptione.

exceptione. Socin. lib. 3. consil. 3. n. 29. Rota volum. 2. diuersor. decis. 42. numer. 32. explicat, nisi actum fuerit nullum.

10 Octauum. *Exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis.* Gloss. de regul. tit. in 6. cap. Dominus 6. 31. quæst. 7. cap. 2. de Coniug. Leprос. *Diana par. 6. tractat. 1. resolut. 25. Pasqual. quæst. 145. numer. 5.* Item *exceptio firmat regulam in contrarium,* lib. Quæsitum 12. §. Denique ff. de fundo Instium. Dec. in cap. cum delicta, de confirmat. numer. 6. & 7. *Simon Vaz. lit. C. num. 5.* Casus igitur exceptus firmat Regulam in contrarium.

11 Nonum. *Exceptio debet esse de regula.* Idest, exceptio ab ipsa Regula desumi debet *l. Nam quod liquido §. fina. ff de pœna legat. Simon Vaz. lit. E. num. 17. Barbosa axiom. 85. num. 6. Gloss. in cap. 4. extr. comm. de verb. signific. in margine. Sanchez lib. 10. disput. 5. n 8.*

12 Decimum. *Exceptione non probata statur regulæ l.* In præuaricationis §. fin. ff. de præuaricat. l. Dissentientem ff. de diuort. *Paris. lib. 3. de resignat. quæst. 7. n. 45. Nauar. consil. 5. de hæretic. numer. 3. Megal. part. 2. lib. 1. cap. 5. numer. 32.*

Accipitur 3. nomen Regulæ pro religiosa præscribente professis quid facere, quid agere, & quid obseruare debeant viuentes intra Religionem. In hac tertia acceptione, omissis aliis intelligitur quæstio, & in hoc sensu tantum deinceps agendum est de Regulis Ordinum.

13 Respond. Regula est collectio ordinationum facta ab Institutore Religionis, vt à professis in ea obseruentur, à Papa approbatæ, tendentes ad eum finem, quem sibi Auctor proposuit.

Dixi primo, quod est *Collectio Ordinationum*, si collectio, ergo plurium, quia vnum seipsum colligere non potest, cum plura in vnum colligari debeant. Regula cum debeat hominem professum ducere in viam salutis, ne deuiet à recto tramite, à quo pluribus modis recedere potest, ideo pluralitas ordinationum necessaria est, vt pluribus mediis munitus incedere possit per viam rectam occurrendo periculis, & obstaculis rectum iter impedientibus.

Dixi secundo *Ordinationum*, non præceptorum, vt præscinderem ab obligatione sub culpa, aliæ enim Regulæ adnexam habent culpam, aliæ non, sed se habent tanquam consilia, quæ transgressores non implicant ad culpam, vt infra patebit quæst. 14.

14 Ordinationes autem istæ sunt triplicis generis, sicut triplex est finis, ad quem possunt ordinari, nempe Cultus Diuinus, salus propria, & salus proximi. Ad primum finem Cultus Diuini referuntur Ordinationes, quæ præscribunt orationes recitandas à religiosis siue priuatim, siue publicè, vt Horæ Canonicæ in Choro, orationes aliæ vocales, seu mentales. Ad secundum finem salutis ipsius professi referuntur præterea afflictiones corporales, vt abstinentiæ, ieiunia, macerationes carnis, nuditas, &c. De quibus *dixi præced. cap. quæst. 37. num. 234.* Ad tertium finem salutis proximi referuntur ordinationes circa prædicationem, administrationem Sacramentorum, missiones ad Infideles, loquendo de salute spirituali animæ, aliæ Ordinationes de Operibus Misericordiæ Corporalibus respiciunt salutem corporis. Ordinationes primi, & secundi generis sunt in vtilitatem ipsius profitentis, per eas enim sibi tantum parat viam ad vitam æternam; per reliquas vero tertij generis prodest proximo.

15 Dixi tertio, huiusmodi Ordinationes esse factas, & compositas *ab Institutore Religionis*, nam quilibet Institutor sibi, & alumnis suis dictat, & componit propriam Regulam, & modum viuendi. Id patet ex quatuor celeberrimis Regulis Sanctorum Basilij, Augustini, Benedicti, & Francisci, quorum modi viuendi sicut originem ab ipsis trahunt, ita ab eisdem denominantur Regulæ Sancti Basilij, &c. Sicut enim Pater naturalis præter esse, quo nascitur in mundum filius, dat etiam bene esse educationis, ita Pater spiritualis non solum debet dare esse suis filiis spiritualibus per professionem, verum etiam bene esse eisdem proponere per rectum viuendi modum præscriptum in Regula, quam ideo promittunt obseruare.

Dixi quarto, *Vt à Professis in ea obseruentur*, Ordinationes, quas Pater condidit, obseruandæ sunt à professis, nam ad eas per promissionem Deo factam in manibus Superioris Vicem Dei Gerentis se obligant durante eorum vita in Religione, vt infra melius patebit. Obligatio igitur hæc ligat solum professos, non autem Nouitios, aut alios manentes cum religiosis, de quibus infra quæst. 13.

Dixi quinto, *à Papa approbata* Regula quatenus composita, & in scriptis ab Auctore redacta, nullum aliud esse habet, quam facti, nihil vero iuris dicitur in se continere; vnde *Gemin. in cap. Quorundam de elect. in 6. Abbas in cap. Nimis il 2. de excessibus Prælatorum, Petrus de Monte in sua Monarchia quæst. 5. apud Tamburr. tom. 1.
disput. 15. quæst. 1. numer. 258.* dicunt, Regulam nondum 16
confirmatam non dici esse in rerum natura, quo ad effectus iuris, sed tantum de facto, prout ab Auctore recepit proprium esse, quod nullum potest producere iuris effectum, nisi prius à Sede Apostolica approbetur, prout etiam multis *probaui cap. 1. quæst. 19. & resolut. 86. per totam*, in quibus locis ostendi, huiusmodi confirmationem fuisse coæuam ipsis Regulis, & reuera ita est, vt etiam colligitur ex Decreto firmato in Concilio Lateranensi de anno 1215. sub Innocentio Tertio relato cap. fin. de
relig. domib. his verbis: *Ne nimia religionum diuersitas* 17
grauem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam religionem inueniat, sed quicumque ad religionem conuerti voluerit vnam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit Religiosam domum de nouo fundare, regulam, & institutionem accipiat de approbatis. Ex qua dispositione constat approbationem religionum non induci tanquam quid nouum, sed iam inductam fuisse ostendi, & præscribi, vt deinceps nouam Religionem nullus inueniat, sed assumat vnam de approbatis, qui vult fieri religiosus profitendo Regulam aliquam ex approbatis. Hic ergo prohibetur inuentio nouæ Religionis, & nouæ Regulæ, & supponitur quamlibet Religionem, & Regulam non esse talem, nisi fulciatur approbatione Sedis Apostolicæ.

Sed an aliquis Ordo, qui nondum est religio, vt eleuetur in religionem, sufficiat, vt eius regula à Sede Apostolica sit approbata, adeo quod approbatione posita, statim acquirat ius & nomen religionis?

Non est ita, sed necessarium est, quod in eo ordine, 18
vt stat religio, quod de licentia Sedis Apostolicæ emittatur professio trium votorum substantialium. Probatur, quia Fratres Ioannis Dei approbati fuerunt a Pio Quinto Bulla 143. incip. *Licet*, anno 1572. vocati Confratres sub Regula Sancti Augustini ab eodem suppositi, inceperunt esse religiosi professione solemni trium votorum, addito quarto seruiendi infirmis, sub Paulo Quinto Bulla 69. incipit: *Romanus Pontifex*, Vbi §. 7. sic decernitur: *Huiusmodi autem personas, quæ elapso probationis anno, quatuor prædicta vota solemniter emiserint, vere ac proprie religiosos esse, ac pro talibus ab vniuersis Christi fidelibus habendos, & recipiendos, illamque veram, & propriam sub Regula Sancti Augustini Religionem esse, ac inter reliquas Ecclesiæ Catholicæ religiones esse connumeratas.* Hoc facit pro meo ordine à Sancto Francisco instituto cum Regula anno 1221. sine stato regulari, ad quem postea eleuatus fuit confirmata Regula à Nicolao Quarto anno 1289. circa annum 1300. vt latius alibi probaui, nam Ioannes Vigesimus secundus tria vota, quæ solebant huius Ordinis emittere approbauit, & sic ex eo tempore cœpit esse religio.

Dixi sexto demum, Ordinationes tendere ad eum fi- 19
nem, quem sibi auctor regulæ proponit; quilibet enim homo dum aliquid operatur, agit propter finem, secundum Philosophum. Finis autem, quem sibi auctor proponere potest, dum Religionem suam erigere vult, est triplicis generis, vt superius dictum fuit, principalis, &

præcipuus

præcipuus est Dei cultus, quem intendit auctor, salus præterea suorum alumnorum & propriam, demum proximorum tum spiritualis, tum corporalis. Primum, & secundum hoem semper intendunt religionum fundatores, charitas enim ordinata, quæ est vinculum perfectionis, incipit primum à Deo, cui honor, & cultus in pri-
20 mis exhibendus est, deinde à seipso, *l. Præses 6. C. de servit. gloss. eligimus cap. 5. de auctor. & usu pal. cap. si non licet quæst. 23. quæst. 5. unde Tusch. lit. C. conclu. 220. num. 5. & 6.* ait, quod ordinata charitas est, ut quis plus se amet in vngue pedis, quam aduersarium in vertice capitis, quia quis sibi magis, quam alteri prouidere debet demum charitas à Deo, & à se procedit ad proximum adiuuandum circa animam, & corpus, non potest autem religiosus tendere digne, & cum fructu in Deum, & proximum, nisi prius se præparauerit in obseruatione mandatorum Dei, & ordinationum sibi in regula præscriptarum, ideo in se ipso charitatem ordinare debet, vt cum fructu auxiliari possit proximo ad salutem animæ, & corporis, iuxta præfinitum finem sibi à suo institutore.

Quæres Secundo. An Regula sit de essentia religionis, itant dari non possit status regularis sine Regula?

21 Respond. Affirmatiue, quia, vt *dixi cap. 1. num. 178.* nulla res consistere potest sine partibus, ex quibus constituitur, quælibet autem religio debet constare ex sua materia, & ordinationibus, quas professi possint, & debeant obseruare, id autem nihil aliud est, quam Regula, cum sit collectio ordinationum huiusmodi, ergo hæc est de illius essentia, hoc probatum fuit ibidem. *Ita Lezana part. 1. cap. 8. numer. 1. Pellizar. tract. 1. capit. 1. quæst. 16. cum Lessio ab eo citato* dicit, regulam esse de essentia status religiosi non simpliciter, cum obseruantia mandatorum Dei, & votorum substantialium religionis impletio sufficienter ducant hominem ad perfectionem, sed per accidens, quatenus scilicet Ecclesia ob iustas causas non solet huiusmodi statum approbare pro Religione absque aliqua particulari Regula. Sed contra, quia Regula ex probatis est materia constitutiua Religionis, ergo non se habet per accidens, sed per se illi inest. Tum quia illud est per accidens, & non per se, quod aliquando abest ab eo cuius est, sicut illud dicitur alteri inesse per se, quod semper illi inest, & nunquam reperitur sine illo, certum autem est nullam religionem hactenus inuentam fuisse sine regula, ergo regula per se est de ratione status regularis. Tum quia Pontifices non ex solito, aut ex mero facto approbant religiones cum regula, sed de iure, & natura ipsius religionis, quæ sine regula subsistere non potest. Hoc autem non eget probatione, cum luce clarius manifestum sit, religiones primarias Apostolorum, & Sanctorum Basilij, Augustini, Benedicti, & Francisci fuisse institutas cum suis peculiaribus Regulis. Nam Apo-
22 stolorum Religionis Regula fuit Sanctum Euangelium, quo ad eam partem, quæ continet tria consilia Euangelica, quibus se obligarunt ex voto, vt dixi cap. 1. numer. 180. de alijs constat. Non potest ergo institui religio
23 cum solis tribus votis sine Regula, daretur enim tunc genus generalissimum, quod de sua specie non prædicaretur, quod implicat. Et id ibidem sub num. 181. fuse probaui.

Quæres Tertio. Quot sunt regulæ principales, & celebriores, sub quibus maior pars religionum militat?

24 Respond. Sunt quatuor, Sanctorum Basilij, Augustini, Benedicti, & Francisci, hoc Ordine distributæ secundum antiquitatem Auctorum, & Institutorum earum. Ita enumerantur fere ab omnibus cum *Lez. p. 1. c. 7. n. 3. Laym. lib. 4. tr. 5. cap. 2. vbi num. 3.* ait, quod sub his omnes religiosi viuunt, præter Cartusianos, & Soc. Iesu, cum Miran. tom. 1. quæst. 3 art. 5. sed hoc eorum dictum non placet, nisi velimus nugari verbis, & vocibus; nam Carmelitæ suam habent regulam. Lez. loc. cit. Minimi propriam habent, nostri pariter propriam habent, quæ vocatur Tertia ad distinctionem Primæ sub qua militant Capucini, Obseruantes, & Conuentuales; sub Secunda Moniales Clarissæ; contra Ioannem de Deo, qui in tract. de dispensat. Papæ sic ait: *Vt Patres testantur tres fuerunt regulæ principales, prima Basilij, secunda Benedicti tertia Augustini.* Referente Tamburin. tom. 2. disp. 25. q. 1. num. 257. vbi pro Monachis Casinensibus probatur Regulam S. Benedicti fuisse approbatam ante Regulam S. Augustini, de qua re nolo disputare, quia non spectat ad præsens institutum, scio tamen quod Ordo Canonicorum Lateranensium ducit originem ab Apostolis, testimonio plurium Pontificum, vt dixi c. 1. num. 21. & 29. quorum
Regula est S. Euangelium prout est Regula ipsorum 25
Apostolorum, sub num. 180. Nam Regula S. Augustini respectu huius Ordinis non dicitur prima Regula eorum institutiua, sed tantum reformatiua sub num. 181 Regu-
la S. Hieronymi non reperitur, nec ab Ecclesia pro tali 26
hactenus cognoscitur, vt dixi cap. 1. num. 269. & traditur loco citat. apud Tamb. n. 258.

Quæres Quarto. Quid sit Constitutio, & in quo differat à Regulis?

Résp. Constitutio est collectio plurium ordinationum, 27
sicut & regula, in hoc conuenientes ambæ, facta in capitulo de consensu maioris partis vocalium, quæ referuntur ad conseruationem, & obseruationem vitæ, & disciplinæ regularis præscriptæ in regula. Differunt ergo constitutiones à regula *primo* in eo, quod Regula præcedit constitutiones, & si religio non habet regulam expressione huius elegantis vocabuli, in hoc casu primæ constitutiones vicem gerunt regulæ, & pro regula accipiuntur, vt dixi cap. præced. n. 169 regula ergo, & insequentes eam constitutiones differunt, in quo sensu loquitur Tridentin. sess. 25. cap. 12. ibi: *Necnon constitutionibus, & Regulis.* Item *Sub arctiori regula, vel statutis.* Melius præced. cap. 2. *Iuxta sua regulæ, & ordinis constitutiones puniatur*, & præcedenti cap. 1. loquendo de Reformatione inquit: *Ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant, & componant*, hic sermo est de regula, & primis constitutionibus eorum ordinum, qui carent regula, nam ad huius obseruationem reducendi sunt, ad hanc enim referuntur constitutiones consequenter. In cap. 3. eiusdem sess. sub nomine constitutionis comprehenduntur regulæ, secundum *Sanch. lib. 7. cap. 12. n. 2. contra quendam citatum à Rodriq. tom. 3. quæst. 29. art. 14.* sustinentem *Constitutionis* nomen ibi aliud esse à regula; & ita
ego puto, nam Concilium ibi concedit bona in communi 28
monasterijs virorum, & monasteriorum, quibus id prohibebatur ex regula, vel constitutionibus, vel ex priuilegio Apostolico non erat concessum possidere immobilia in communi, exceptis Capucinis, & Minoribus de obseruantia, nam priora verba, per quæ concedit bona immobilia domibus eorum implicite continent regulam, contra cuius tenorem concedit bona in communi, excipiendo Capucinos, & Obseruantes, & quia prohibitio poterat procedere non solum ea regula, sed etiam ex constitutionibus, & priuilegio, ideo de his etiam mentionem facit, vt omnes regulares intelligant, se deinceps posse possidere bona in communi, ex quacunque causa alias eisdem interdiceretur possessio communis bonorum. Quare Moniales S. Claræ, siue primi instituti, siue secundi comprehenduntur sub hoc decreto gratioso, Tum quia Concilium loquitur sub quacunque prohibitione. Tum quia non comprehenduntur sub illa exceptione Capucinorum, aut Obseruantum, vt notum est, cum sit odiosa. *Barbosa alijs allegatis ad hoc cap. 3. sess. 25. n. 6. Sanchez loco citato lib. 7. cap. 12. num. 2.*

Differunt secundo regula, & constitutiones; quod illa recipit esse, & vires suas à Sede Apostolica approbante, istæ vero suum esse firmum habent in vocalibus legislatoribus, adeo quod non egent confirmatione Apostolica, sed à superioribus promulgatæ incipiunt ligare subditos, dummodo non sint contra ius commune, prout infra dicam sub quæst. 6. & 7. *Tertio* demum, regula ordinatur ad conseruationem, & obseruationem trium votorum substantialium, præscribit enim certa media proportionata ad illorum executionem; constitutiones vero referuntur ad reformationem, & obseruantiam vtriusque.

Quæres

Quæres 5. An regula, in qua tria vota non exprimuntur, dicenda sit propriè regula? Occasionem dubitandi præbet gl. 11. nbedi. iuxta clem. 1. de relig. domib. vbi dicit, Sorores Minorum Tertij ordinis non comprehendi sub hac constitutione contra Beguinas, cum illæ promittant obedientiam, & habeant regulam, non propriè quo ad tria vota substantialia, sed quemdam modum viuendi per sedem Apostolicam approbatum; & idem reperitur à Glos. 11. *Tertio Clem. 3. cum ex eo, de sent. excomm.* vbi in easu dicitur, quod non est propriè ordo, quia non vouent tria vota substantialia. His non obstantibus.

29 Respond. Regula talis propriè vocatur, licet careat tribus votis in ea non expressis, sufficit enim, quod in ea tacitè insint, quia eadem est virtus taciti, & expressi, ex vulgatis iuribus, nam nullus ex quatuor Auctoribus sanctarum quatuor regularum, præter S. Franciscum expressit in suis huiusmodi tria vota sub ratione voti, ideo de ratione regulæ sufficit, quod ea virtualiter contineat in quantum eadem non excludat nec tacitè, nec expressè.

30 Tria autem vota cum sint communia omnibus regularibus non possunt specificare aliquam regulam, ideo parum refert, an ea exprimantur, an non ad eius perfectionem. Quare regula Tertij ordinis ab initio perfecta

31 fuit in suo esse, quin non recusabat eleuationem sui ordinis ad statum religiosum. Et omnes, qui tractant de hoc meo ordine regulam eius vocant simpliciter talem, Nauar. consil. 35. & 54. de Regular. & Pontifices sine alio addito eam ita vocant, Ioannes XXII. Bulla 56. apud Vadingam tom. 4. in alia Bulla 110. incip. *Si ea, quæ* Clemens V. Bulla incip. *Pia vota* Bonifacius IX. Bulla 4. tom. 5. incip. *His quæ diuini.* Benedictus XIII. Bulla incip. *iis, pro vtilitate.* Ioannes XXII. Bulla 14. incip. *Sacra Religionis.* Cæteri quoque hoc nomine insigni decorarunt Tertium ordinem. Est ergo eorum regula propriè, & verè talis, quia licet ab initio non expsimeret tria vota, illa tamen non excludebat; licet tunc eius professores non admitterentur ad eorum professionem.

Quæres 6. An, & quo iure in religionibus sit potestas condendi leges, & constitutiones?

32 Respond. Est, & quidem iure ecclesiastico Pontificio. Primum probatur, Tum quia quælibet vniuersitas, Ecclesia, & collegium hoc ius habet, vt supponitur *cap. cum omnes 6. cap. cum accessissent 8. cum M. 9. de constitut. cap. cum aliquibus 4. de rescr. in 6. ibi gl. 11. Statutis* in terminis *cap. In singulis 7. de statu monach.* Tum quia communitas sine legibus, statutis rectè gubernari non potest, ergo in ea debet esse potestas illa condendi. Est communis sententia *Bonac. de legib. quæst. 1. p. 3. num. 15. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 8. Rodr. tom. 1. qu. 68. art. 1. Portellus 11. Statutum numer. 1. Miranda tom. 2. qu. 29. art. 1. concl. 2. Peyrinus de Prælato qu. cap. 8. numer. 3. Tambur. tom. 5. disp. 3. Lezana part. 1. cap. 8. numer. 3. Donatus Dominicanus par. 3. tract. 10. qu. 8. Vecchius dissp. 4. dub. 1. numer. 4.* Secundum colligitur ex eisdem, nam Papa confirmando regulas, & approbando religiones simul, & semel eorum superioribus concedit facultatem condendi leges, statuta, & constitutiones, quæ tendunt in conseruationem religionis; & de hoc nullatenus dubitandum, sicut enim quælibet religio recipit esse per sedem Apostolicam, ita ab eadem cuiuslibet superior accipit potestatem faciendi statuta in bonum sui ordinis. Ita omnes cum supradictis.

Quæres 7. Per quos superiores debeant fieri, & stabiliri constitutiones.

33 Respond. Duobus modis apud regulares solent stabiliri constitutiones. Primo per omnes vocales existentes in capitulo; secundo per Patres selectos cum superiore, qui solent esse quatuor vocati Assistentes, Deputati, seu Collegæ, aut Definitores. Si constitutiones referendæ sint ad totam religionem, fiunt in capitulo Generali; si ad Prouinciam condendæ sunt in capitulo Prouinciali pro tota Prouincia. Generalis ergo in capitulo Generali cum suis, & Prouincialis cum suis in Capitulo Prouinciali constitutiones ordinant, absoluunt, & promulgant. Superior verò localis solum præcepta imponere potest durantia eius officio durante.

Primum, quod faciendæ sint à toto capitulo, colligitur ex citatis iurib. præsertim cap. cum accessissent 8 de constitut. ibi: *De communi assensu Canonicorum Tullensium fuerit constitutum*, & ex tit. de his, quæ fiunt à maiori parte capituli, vbi glos. 11. constitutum cap. 1. factum autem à maiori parte censetur factum ab omnibus de capitulo, *lib. Quod maior 19. ff. ad municipal. glos. 11. ciuitatis cap. Nullus 11. dist. 61. ad finem, & 11. constitutum cap. cum omnes 6. de constitut.* Vbi habet, quod nihil fit, 34
nisi omnes consentiant, quando omnes spectantur vt singulorum enim desideratur consensus, si verò spectantur ratione communitatis, vt contingit in capitulis religiosorum, in quibus inspicitur commune bonum sufficit maior pars totius capituli. Et facit regula 19. in 6. cap. Ad hæc 7. de off. Archid. Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet; reformatio autem religionis, & illius regularis obseruantia manutenetur per constitutiones ergo hæ ab omnibus faciendæ sunt. Neque appellationem admittunt, quando ordinantur ad bonum commune ordinis, vel Prouinciæ, minor enim pars tunc contradicere non potest, nisi rationabiliter, c. 1. de iis, quæ fiunt à maior. in terminis *c. In singulis 7. de statu monach. vt infra refertur. Scaccia de appellat. q. 17. limitat. 25. apud Barbosam de Canon. cap. 38 n. 3. Ita supracitati Bonac. quæst. 1. de legibus p. 3. numer. 15. Lezana part. 1 cap. 8. numer. 3. Rodr. tom. 1. quæst. 68. art. 1. Miranda tom. 2. q. 29. art. 1. concl. 3. Tambur tom. 3. disput. 3. quæst. 1. §. Notandum,* vbi ait, nullius momenti esse constitutiones 35
factæ sine consensu maioris partis, & ratio est, quia maior pars in his habet votum non solum consultiuum, sed etiam decisiuum.

Secundum, quod quatuor tantum sufficiant ad statuta 36
condenda simul cum superiore in capitulo congregati, colligitur in terminis de regularibus cap. In singulis 7. de statu monach. ibi: *Et quod statutum fuerit illis quatuor approbantibus inuiolabiliter obseruetur, omni excusatione, contradictione, & appellatione remotis.* Similem modum statuta condendi concessit nostro Generali Nicolaus V. Bulla incip. *Pastoralis officij.* anno 1347. die 20. Iulij illis verbis: *Nec non quatuor alios ex iis magis expertos, ac Deum timentes, quorum consilio, & assensu idem visitator occurrentia negotia, & opportuna statuendi, & ordinandi, &c.* Ex quibus patet, Generalem nihil validum per se statuere posse non consentientibus suis quatuor Definitoribus, nam vbi requiritur consilium alicuius 37
tanquam collegæ, non valet actum consilio omisso, secundum Barbosam ab omnibus receptum inquit: *Nauar. consil. 9. de constitut. numer. 13. ex lib. Titium 48. ff. de admin. cap. Venerabili 37. de off. deleg.* & hoc à fortiori verum est, quando simul instituitur superior cum tali forma agendi, vt in casu nostro, in quo datur facultas eligendi Generalem, qui ante non eligebatur, & simul eidem confertur potestas cum tali forma condendi constitutiones, ea enim omissa gestum attentatum nullius est momenti, *Angel. 11. consilium num. 3. Silu. quæst. 4. Tabien. quæst. 6.* quos pro se citat *Bonac. p. 7. de legib. §. 5. numer. 17. §. obserua*, asserentes consilium prætermissum vitiare actum, quando simul cum consilio datur facultas agendi, vt etiam notaui *Controu. 38. numer. 13.* vbi dixi defectu consensus requisiti actum esse nullum, *ex cap. cum consuetudinis, de consuetud. cap. 1. cap. Ea noscitur, cap. Tua nuper, de iis, quæ fiunt à prælat. Rota apud Tambur. tom. 5. decis. 112. numer. 12. & 13.* Et ita omnino tenendum, quia nullus contradicit. Vterque modus condendi leges apud regulares est bonus, melior tamen, quando omnes de capitulo vocantur ad consilium, & consensum ferendum, quia actum per plures videtur firmius, & stabilius.

Prædicta intelliguntur de quolibet capitulo siue generali, siue Prouinciali, procedendum enim est eodem

modo

modo, & forma in vtroque, in quo est potestas spiritualis regendi religiosos non solum pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo, vt docent præcitati Doctores; habẽt enim singula capitula caput, & prælatum maiorem, qui cum capitulantibus tamquam collegis efficere possunt, & debent quæcumque necessaria sunt ad gubernationem ordinis, & Prouinciæ.

38 Quæ autem decernuntur in capitulo generali afficiunt, & ligant omnes non solum subditos, sed etiam superiores, & ipsum Generalem, quo ad vim directiuam, in quo omnes conueniunt, & quo ad vim coactiuam, in quantum incurrunt pœnas ipso iure latas à capitulo ge-
39 nerali contra transgressores, nimirum censuras, quæ executionem paratam habent, non vero eas, quæ ad sui executionem factum iudicis petunt, cum sit religiosus illi superior, ratio est, quia ipse generalis subditur Capitulo Generali, ac proinde vti subditus afficitur ex vtraque vi directiua, & punitiua legali. *Ita docui controuers. 49. quæst. 17. numer. 160. Tamb. tom. 3. disp. 3. num. 7. § Ex his. Rodr. tom. 1. quæst. 68. ar. 4. cum suo compend. resol. 90. numer. 33. Mirand. tom. 2. quæst. 39. art. 4.* & alij communiter, quia absolute non dicitur Princeps, maxime respectu capituli, cuius est subditus, respectu vero subditorum suorum Princeps est, & supremus Prælatus. Nota tamen, quod allegati doctores dicunt, quod puniri potest pœna arbitraria generalis transgressor constitutionum, quandoquidem in religione non habet iudicem, qui illum cogat ad subeundam pœnam præscriptam in constitutionibus. Quo ad censuras, si quas continent statuta, nulli dubiũ est, eas statim incurri sine facto iudicis, de quo speciali casu censuratum præcitati non loquuntur, forsan quia huiusmodi pœnæ non adiiciuntur constitutionibus, de qua re infra q. 12.

Quo ad constitutiones Capitulorum Prouincialium spectat, hæ ligant solum subditos suæ Prouinciæ, quia nullum agens agit, nec operatur extra sphæram suæ actiuitatis; nec par agit in parem, neque in maiorem, ideo extendi non possunt ad subditos aliarum Prouinciarum. Et in hoc omnes conueniunt.

Tertium, quod superior localis non possit facere con-
40 stitutiones, probatur quia non habet potestatem fori externi plenam, & proprie acceptam, qualis est ea, quæ est in superiore maiori habente sub se alios superiores subordinatos, quos non habet Prælatus localis. Ita *Lezana par. 1. cap. 8. numer. 3.* dicens id spectare solum ad Generalem, & Prouincialem cum suis in capitulis. *Tambur. to. 3. disp. 3. numer. 1.* Ea ratione, quia religio se habet tamquam vnum corpus politicum, quod seruare debet vnitatem quoad fieri possit, & ideo regulariter expedit, vt non solum substantialia Regulæ verum etiam statuta perpetua eadem sint in tota religione, ideo hæc potestas reperitur tantum in iis, qui publicam potestatem habent in tota religione. Hanc doctrinam accepit à *Suar. tom. 3. de relig. tract. 8. lib. 2. numer. 4.* Quæ licet alioquin speculatiue concepta veritatem contineat, in praxi tamen locum habere non potest, quia à capitulis Prouincialibus remouet hanc facultatẽ irrationabiliter, cum in omnibus religionibus huiusmodi capitula habentibus inueniantur constitutiones vniuersales accommodatæ toti orbi ordinis, aliç prouinciales accõmodatæ singulis Prouinciis, quæ omnibus communes esse non possunt attentis conditionibus, & differentiis locorum, vnde non expedit capitulo generali proponere vnam constitutionem pro toto ordine, quia forsan obseruatu est impossibilis, pro aliqua vero Prouincia valde vtilis, & accommodata subditis illius prouinciæ.

Quæres 8. An constitutiones perpetuo durent, an certo tempore euanescant? Notandum est, quod differentia est inter statuta seu constitutiones, aut leges, & præ-
41 cepta seu ordinationes, nam præceptum est quod vel oretenus fit, se transeunter habens, vel quod per aliquod tempus fit, vt contingit fieri à superiore extra capitulum, & hoc modo factum durat tantum pro ea causa pro qua factum fuit, vel ad summum durante superiore in officio, quo finito expirat præceptum, ordinatio, sed statutum, aut constitutum, aut constitutio se impropie dicta, ratio est, quia dicitur factum hominis respiciens eius auctoritatem, quæ cessat in eo finito officio. Lex vero, statutum, & constitutio durant etiam amotis statuentibus siue per mortem naturalem, siue exilem, adeo quod perpetua dicuntur quantum est ex se, donec positiue reuocentur, ratio est, quia capitulum, à quo factum fuit, perpetuo durat, nam sedes quodammodo vocatur, quæ nunquam moritur, *cap. si gratiose 5. de rescript. in 6.* Hanc differentiam ponunt *Abbas in cap. Irrefragabili, §. Cæterum, de off. ordin. Archid. in cap Donatum 2. quæst. 7. Nauarr. tom. 2. de Redditibus Monit. 8. quæst. 3. §. Non obstat. Sanch. lib. 7. disp. 1. numer. 13. lib. 6. cap. 2. n. 17. & lib. 8. disp. 18. n. 49. Silu. 11. Mandatum q. 3. Decius in c. Relatum, de off. deleg. n. 46. & alij omnes ita dicunt.*

Respond. Constitutiones perpetuo durant sicut aliæ
leges. Probatur ex adducta ratione, quia sedes capitularis semper durat, & nunquam moritur. & facit axioma. *Lex semper loquitur.* 2. perpetuo durat, & omnes afficit in qualibet temporis differentia, vt dixi controu. 49. num. 40. ex lib. Anani 5. de hæret. vbi tamen non exprimitur, sed colligitur ex illis verbis. *Semper in viridi obseruantia valituris. Ita cap. fin. de offic. legati gl. 11. statutum cap. 2. de constit. in 6. Abbas in cap. A nobis, de sent. excom. numer. 12. & ex eo Graff. l. 2. Praxis c. 5. n. 30. Miranda t. 1. qu. 29. art. 1. concl. 3. Compend res. 90. n. 31.* & alij supracitati. 42

Quæres 9. Qualis debeat esse materia in constitutionibus condendis præscribenda? An scilicet possit esse contra, vel supra, seu præter, an iuxta, & secundum Regulam? Certum est, condi non posse constitutiones, quæ
sint contra Regulam. Tum quia constituentes in nullo possunt præiudicare regulæ, quæ cum sit approbata à Sede Apostolica, cum autem nihil iuris contineret, quia erat purum factum Auctoris, confirmatione facta fuit lex Pontificia, contra quam nullus inferior potest. Tum 43
quia finis constitutionum refert in conseruationem regulæ, ergo non potest operari contrarium effectum, vt tendat in illius destructionem. Et in hoc nulla est difficultas, quæ restringitur ad alia tria Præter, Supra, & Iuxta. Pro resolutione noto cum Angelo 11. Religiosus num. 44
29. aliquid in regulis contineri posse duobus modis; primo expresse, explicite, & in terminis, vt quæ in ea claris verbis præscribuntur; secundo tacite, & implicite, qua ratione dicuntur comprehendi ea omnia, quæ necessaria sunt ad conseruandam Regularem disciplinam in eadem præscriptam, vt sunt obsequia communitatis, & negotia ordinis promouenda, præcepta Ecclesiastica abstinentiarum, ieiuniorum, festorum, pœnæ, quæ infliguntur contra transgressores, & huius generis, sine quibus non potest conseruari regularis vita, vnde præscribi potest transitus ab vno conuentu ad alium ratione seruitij conuentus tum temporalis, tum spiritualis confessionis, prædicationis, lectionis, &c. Hæc & similia dicuntur esse secundum, & iuxta regulam, quia in ea continentur si non expresse, saltem implicitè. Quæ vero non ita referuntur ad eam, nec sunt contra illam, dicuntur esse vel præter illam, vel supra illam. Præter illam dicuntur esse, quæ non conducunt ad obseruantiam, neque magis perficiunt religiosum, vt statutum, quod religiosi sint testes in omnibus testamentis, & causis ciuilibus, ad quæ vocantur: quod confortent in patibulo suspendendos, & huius generis, de quibus regula nec expresse, nec tacite disponit. Supra illam sunt, quæ quidem religiosum magis perficiunt, sed sine illis disciplina regularis, ad quam se obligarunt, conseruari potest; vt, constitutio de aliis ieiuniis, abstinentiis, missione ad conuersionem infidelium, hęc enim & similia sunt supererogationis, quę in regula, vt suppono, non sunt præscripta, nec implicite sub ea comprehenduntur. 45

Respond. Materia constitutionum debet esse de rebus, 46
quæ

quæ sunt iniatæ, & secundum regulam, & non præter, aut supra eam, aliter nullius sunt momenti. Probatur, quia constitutiones regulæ adduntur ad eius conseruationem necessariam, & non ad bene esse, sine quo Regularis disciplina conseruari potest. Confirmatur, *Tum quia*, eodem modo quis est subiectus constitutionibus, & regulæ sed regulæ subiicitur tantum secundum ea, quæ in illa expresse, vel implicite continentur; & non ad alia; ergo constitutionibus non tenetur nisi secundum ea, quæ referuntur ad ipsam regulam, ergo ea quæ superant regulam, non pertinent ad constitutiones, ergo frustra & nulliter illis adiiciuntur. *Tum quia*, votum obedientiæ regulare non solum potestatem superioris actu hîc, & nunc præcipientis sed etiam potestatem Legislatoris in faciendis constitutionibus, obligatio enim in vtroque casu oritur à voto obedientiæ, vt infra constabit quæst. 13. sed votum obedientiæ subiicit professum superiori tantum quo ad ea quæ exprimuntur in regula, vel quæ ad eam conseruandam referri possunt tanquam in ea implicite, & virtualiter contenta exprimenda in constitutionibus, ergo quæ possunt præcipi oretenus, præscribi etiam possunt in constitutionibus; sed præcipi possunt tantum ea, quæ sunt secundum regulam, & non supra, vel præter illam, vt docet *Sanchez lib. 6. cap. 5. numer.* 15. citans 35. Doctores in hanc sententiam, ergo & eandem constitui. Tum quia præscribere religiosis ea, quæ sunt præter, aut supra regulam; est illis imponere nouam obligationem, ad quam non se subiecerunt in sua professione, in qua promiserunt obedientiam secundum regulam, & non supra, nec præter regulam; quod superiores siue in capitulo, siue extra facere non possunt, cum careant potestate, quam habent limitatam ex tenore voti obedientiæ, ergo nulliter hæc constituunt, vnde dicit D. Bernardus in tract. de præcep. & dispensat. superiorem non esse supra regulam his verbis: *Prælati iussio, vel prohibitio, non præterea terminos professionis, nec vltra extendi potest, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi. Vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.* Tum quia
47 id esset reducere religiosos ad strictiorem vitam, quam non sunt professi, quod nequeunt facere superiores, Gloss. in cap. integritas 13. 32. quæst. 1. *Et ita tenent Silu. 11. religio 6. quæst. 6. Cordub. in cap. 10. Regulæ quæst. 2. dist. 6. Vasquez 1. 2. quæst. 95. dispu. 154. cap. 4. numer. 58. cum aliis Sanchez lib. 6. cap. 2. numer.* 18. dum dicunt non posse fieri statuta inducentia strictiorem vitam, quam non sunt professi, nec eorum Regula dictauit ab initio; *Lezan. par. 1. cap. 8. numer. 4. & 5.*

Quamuis restringi non possit vita regularis iis, qui iam professi sunt, futuris tamen præscribi potest, si volunt profiteri, quia nihil illis imponitur contra eorum voluntatem, inquit *Lezan. par. 1. cap. 8. numer. 6. & Sanch. lib. 6. cap. 5. numer.* 20. Id tamen non placet quia tunc essent membra disparia in eodem corpore, quod confusionem generare, ergo non videtur posse fieri.

In quadam religione ad Generalatum, & Prouincialatum olim assumebantur etiam non Magistri, an fieri possit statutum, vt deinceps solum magistri assumantur ad eum finem, vt omnes animentur ad virtutes, & vt rectius, ac prudentius regantur subditi? Respond. Affirmatiue, quia simile statutum implicite continetur in regula, vbi agitur de electione superiorum, ad quæ officia præsertim maiora doctiores, & prudentiores assumi debent, id suadente Propheta dicente: *Erudimini, qui iudicatis terram.* Nec verum est, quod aliqui obiiciunt, omnes professos ius habere ad vocem vtramque id enim absolute verum non est, cum non sit ius proximum, sed remotum, & quandoque remotissimum, quod vt fiat proximum multis debet muniri conditionibus, & circunstantiis.

Quæres X. An possint superiores condere constitutiones prohibitorias, addendo eis decretum irritans, & inhabilitans personas ad agendum, & infirmans actum attentatum?

Respond. Affirmatiue. *Tum quia*, voluntas religiosorum est sub dominio, & voluntate maiorum ex vi voti 48
obedientiæ, ergo eorum habilitas ad consentiendum in aliquem actum, vel ad agendum aliquid fieri potest inhabilis per statutum superioris. *Tum quia*, sicut viua voce superior potest irritare votum subditi, ita & voce mortua legis, & statuti præueniendo futura vota irritare potest, non enim minus potens est Legislator, quam superior. *Tum quia*, Legislator potest condere statutum prohibitorium, ergo illi addere decretum inhabilitans, & actum attentatum irritans. Probatur consequentia. *Tum quia*, si potest prohibere, quod est principale, ergo ei addere decretum inhabilitans tanquam accessorium. *Tum quia*, quilibet Legislator sua statuta talibus mediis, & circunstantiis, per quas efficaciter, & inuiolabiliter obseruentur, munire, & vallare potest; sed inter alia media decretum irritans est efficacissimum, ergo hoc vti potest. *Tum quia*, Legislator condere potest legem pœnalem, hoc enim in confesso est apud omnes, & deducitur ex eius effectu, qui est punire transgressores, à quo denominatur lex pœnalis; sed decretum irritans habet rationem pœnæ, ex allegatis *à Thesauro Iesuita de pœnis Eccles. par. 1. cap. 35. respons. 2. Tamburr. tom. 3. dispu. 3. qu. 4. numer. 6. Donatus tract. 1. quæst.* 7. Ergo illud adiicere potest suis interdictis, nam lex vallata pœnis inuiolabilibus speratur seruari, extr. comm. 6. de præbend. §. verum quia, & lex, quæ pœnam non imponit reputatur à Macrobio imperfecta, apud *Ioann. Andr. ex gloss. 11. Pœna in extr. comm. 1. de censibus. Vide cap. 5. quæst. 2. vbi hæc confirmantur.*

Quæres XI. An nouis constitutionibus contradici possit? Vel ab iis appellare? Vel easdem non acceptare?

Respond. Constitutiones, quæ sunt secundum regu- 49
lam, ad cuius conseruationem tendunt, non possunt impugnari contradictione, appellatione, neque non acceptatione, quia impugnatio supponit grauamen præsens, vel futurum, quod non reperitur in constitutionibus editis secundum regulam, cum non sint præter, neque supra illam ratione cuius legitime impugnari possent, & impediri ne fierent, aut factæ ne acceptarentur. Loquen- 50
do autem de non acceptatione, certum est, ea posita licet culpabiliter, & cum peccato, subditos non teneri constitutionibus non acceptatis, quia vt leges obligent, necesse est, vt acceptentur, quia acceptatio est quasi de essentia legis, sicut & promulgatio, adeo quod si non acceptantur, non ligant subditos, quia censentur à Legislatoribus factæ sub ea conditione si à subditis recipiantur, & in vsum deducantur, *Nauar. cap. 23. numer. 41. Becan. de leg. hum. quæst. 8. numer. 5. compend Rodriq. resolu. 90. numer. 25. Mirand. tom. 2. quæst. 25. art. 51. Portell. 11. statutum numer. 6. Diana resolu. 1. de legib. pro hac re*, excipiendo constitutiones Papales, refert 15. Doctores, *Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 3. à numer.* 5. Duo autem requirunt, vnum est, quod à maiori parte communitatis non sint receptæ, quod apparet, quando maior pars prosequitur facere, quod ante faciebat, & in hoc omnes conueniunt; secundum est, quod requiritur spatium decem annorum, *Nauar. consil. 1. de constitut. quæst. 5. Azor. par. 1. lib. 5. cap. 4. quæst. 4. Layman. alios citans lib. 1. tr. 4. cap. 3. numer. 4. Diana resolu. 7. de legib. cum Henric. Felin. & Suar.* non requirunt certum tempus, sed sufficere certos actus contrarios arbitrio prudentum numerandos, quia nulla lege illud decennium præscribitur. Immo Legislatore sciente, & non puniente subditos si potest, duo, seu tres actus contra legem sufficiunt, ex multis Doctoribus ab eodem Diana citatis. Quare hinc deducitur, constitutiones, quæ ab initio à religiosis non obseruantur, scientibus superioribus, & forsan ipsi non seruantibus, non obligare.

Quæres XII. An Regula, & Constitutiones contraria

consuetu-

consuetudine abrogari possint? Vide infra *cap. 18. quæst. 21. num. 103.*

51 Respondetur, Regula quo ad se totam consuetudinem abrogari non potest neque quo ad vota non solum tria substantialia, sed neque quo ad alia vota specialia aliquorum Ordinum, vt Votum vitæ Quadragesimalis, non ambiendi dignitates, &c. quo ad reliqua vero in Regula expressa, siue sint præcepta, siue statuta pœnalia ad culpam non obligantia tolli possunt contraria consuetudine, non tamen collectiue, sed tantum distributiue. Constitutiones vero extra Regulam etiam in totum consuetudine tolli & abrogari possunt.

Primum, quod Regula secundum se totum abrogari consuetudine non possit. Probatur. *Tum quia*, id esset tollere Religionem, & statum Regularem remanentibus professis, quod implicat; sicut ergo religiosi seipsos in obseruatione Regulæ non possunt se eximere à statu religioso, ita neque tollere Regulam, à qua constituuntur in statu Regulari per professionem. *Tum quia*, non possunt contraria consuetudine se eximere à votis, quæ Deo promiserunt, vt probabo mox, ergo totam Regulam tollere non possunt, quæ potissimum ex votis constat. Demum vt consuetudo abroget legem, seu constitutiones debet esse rationabilis; non est autem rationabile, quod tota Regula destruatur, ergo consuetudo contra eam hoc modo nihil potest, esset enim hoc error intolerabilis.

52 Secundum, quod tollere non possint vota, quæcumque ea sint. Probatur. *Tum quia*, vota obligant de iure naturali diuino; contra autem ius naturale, & diuinum, cum sit immutabile, nulla potest consuetudo, vt docent omnes Theologi, & Canonistæ, inquit Rodriq. to. 1. qu. 69. art. 1. §. Prima, ergo per eam abrogari, non possunt. *Tum quia*, religiosi nulla ratione seipsos propriis actibus possunt se eximere à statu religioso, quod illis accideret, si possent tollere vota per contrariam consuetudinem. Et in hoc conueniunt omnes, *cum eodem Rodriquez quæst. 69. art. 1, & 2. cum suo compend. resolut. 54. num. 2. Azorius tom. 1. l. 13. c. 11. q. 15. apud Portellum 11. Regula. Sanchez l. 6. c. 2. n. 26. Miranda tom. 1. q. 28. art. 5. concl. 3. Lezana part. 1. cap. 8. numer. 34. Peyrinus de Subd. quæst. 1. §. Quartus, cap. 8.*

53 Tertium, quod reliqua in Regula tenta extra vota, siue sint præcepta, obligantia ad culpam, siue non, aut ad pœnam tantum, abrogari possint, probatur, quia lex positiua humana, tam Ciuilis quam Ecclesiastica consuetudine legitime præscripta tollitur, & abrogatur,
54 *leg. Sed ea 35. ff. de legib. Becanus quæst. 1. de consuetud. & omnes cum Diana resolut. 6. de consuetud.* Sed ordinationes in Regula præscriptæ sunt Lex Ecclesiastica Pontificia, ea probatis cap. 1. numer. 75. & hic initio, ergo consuetudine abrogari possunt, non enim maiorem vim habent aliis statutis, & constitutionibus Ecclesiasticis. Confirmatur, *Tum quia* cætera præter vota sunt Leges, Statuta, & Ordinationes adiunctæ pro obseruatione votorum, adeo quod alia est obligatio
55 votorum, alia obligatio ordinationum illis adiunctarum, nam prior præter generalem virtutem obedientiæ, quæ omnibus legibus inest, adiunctam habet aliam virtutem nimirum Religionis ex Voto, ex quorum vtroque resultat species obedientiæ religiosæ, Paupertatis, & Castitatis, quorum transgressio inducit sacrilegium in professo violatore illorum. Posterior vero obligatio oritur ex lege, & virtute respondente cuilibet ordinationi extra virtutem Religionis, quorum transgressio ponitur sub illa specie vitij, cui opponitur virtus inclinans subditum ad obseruationem ordinationis præscriptæ verb. grat. virtus temperantiæ inclinat religiosum ad ieiunium singulis feriis sextis iuxta ordinationem sibi in Regula præscriptam, si violat ieiunium sibi præscriptum incurrit vitium intemperantiæ oppositum virtuti temperantiæ, & aliam virtutem non violat, sicut facit, qui transgreditur exempl. grat. votum Castitatis, nam reus est virtutis huius, & Religionis ex voto caste viuendi. Sequitur ergo ex his, ordinationes relatas ad conseruationem trium Votorum in se nullam includere rationem Voti, ac proinde dici meras leges humanas Ecclesiasticas, ergo abrogari possunt contraria consuetudine. *Tum quia*, Superiores Regulares ex legitima causa super illis suos subditos dispensare possunt, quod signum est, nihil continere de ratione Voti saltem solemnis, super quod Prælatus Regularis nullam habet potestatem; nec aliquid dicunt de ratione Voti simplicis, quia Regulæ nihil præscribunt de votis simplicibus præter illa tria, ergo sunt meræ leges humanæ sine admiatione legis diuinæ, cui tantum obsequuntur. *Ita Nauarr. cap. 12. num. 50. Ludou cus Lopez part. 2. instrument. c. 4. Azorius tom 2. c. 11. q. 15. Sanchez l. 6 c. 2. n. 26. Peyrinus de Subdit. q. 1. c. 8. § 4. Pellizar. tract. 5. c. 2. quæst 37.*

Dices primo, Fratres Minores promittunt, & vouent directe seruare Regulam, ergo omnia, quæ in illa exprimuntur, vt enim diximus hic initio, Regula est collectio multarum ordinationum, quare consuetudo nihil potest contra illas ordinationes, quæ continentur in Regula Prima Sancti Francisci, cum omnia sint Vota. Quod idem dicendum est de omnibus Regulis, quæ directe vouentur. *Secundo*, Obedientia super qua fundatur obseruatio omnium ordinationum Regulæ præscribi non potest; cum Votum habeat adiunctum, *cap. Cum non liceat 12. de præsumpt cap. Sicut nobis 17. de Regul. Rodriquez tom. 2. quæst. 74. ar. 3. Sanchez lib. 6. cap. 2. numer. 30.* *Tertio*, singulo mense in omnibus Religionibus bene ordinatis legitur Regula cum constitutionibus, & aliis legendis, ergo ex hac lectura consuetudo interrupta præscribi non potest, nam consuetudo, vt valeat huiusmodi ordinationes abrogare, debet esse legitime præscripta spatio decem annorum, vel quadraginta, sine interruptione, prout sententia de hac re refert Diana resolut. secunda de consuetudin.

Ad primum respondeo cum D. Th. 2. 2. q. 186. art. 9. 56
ad primum, his verbis: *Ille, qui profitetur Regulam, non vouet seruare omnia, quæ sunt in Regula, sed vouet regularem vitam, quæ essentialiter consistit in tribus prædictis. Vnde & in quibusdam Religionibus cautius aliqui profitentur non quidem Regulam, sed secundum Regulam, idest, tendere ad hoc, vt aliquis mores suos informat secundum Regulam, sicut secundum quoddam exemplar.* Quam sententiam ex eodem refert Rodriquez tom. 1. quæst. 56. art. 4. vbi fuse probat, præcepta in prima regula S. Francisci expressa non esse vota, quia æqualiter non obligant sicut illa tria, cuius sunt modificatiua; vt definitur in Concilio Viennensi, & multis aliis probat ipse Rodriq. ergo cum à se excludant rationem voti consuetudine abrogari possunt. Et ex his.

Ad secundum patet, obedientiam quidem præscribi 57
non posse, quia habet adiunctam rationem voti, quæ non includitur in præceptis Regulæ, ideo consuetudine abrogari possunt. Præterea duplex est obedientia; legalis, & specialis, ea abrogatur, non hæc, de qua præcitati textus.

Ad tertium ex lectione non interrumpitur præscriptio 58
consuetudinis, quæ in suis actibus continuatur, nam lectio exercetur, ad euitandas pœnas, non ad manutenendum obligationem legis, est enim lectio extranea à vigore legis, ideo eam adiuuare non potest, nec minuere à suo esse, in tantum enim legitur, vt memoria retineantur in ordine ad obseruationem, quam tamen non præscribit.

Ad quartum, quod consuetudo non omnia collectiue 59
abrogare possit, probatur, quia hoc esset destruere in totum Regulam, quo ad sua specialia, adeo quod sequeretur absurdum, quod eius professores essent in statu religioso, & non essent in eo, essent quidem ex præmissa professione, quæ consuetudine abrogari non potest, ea enim consistit in emissione trium votorum secundum regulam; non essent vero, posita huiusmodi con-

suetudine in totum regulam abrogante, tollitur status regularis, & religionis, quæ sine regula subsistere non potest.

60 Quintum, quod constitutiones extra regulam in totum abrogari possint consuetudine, probatur *Tum quia* consuetudo parem vim habet cum lege scripta, cum ipsa sit lex non scripta, ac proinde ratio legis vtrique competit, *c. consuetudo 5. dist. 1.* Sed lex posterior priorem abrogare, & reuocare potest *l. Sed. 28. ff. de legib. l. 1. ff. ad legem Aquil. cap. 1. de constitut.* Ergo & consuetudo derogare, & tollere legem priorem, & constitutionem. *Tum quia*, sicut abrogare potest ordinationes contentas in regula, iuxta superius dicta, distributiue scilicet acceptas, ita & constitutiones accessorias illius conseruatiuas, & hoc à fortiori, quia mere regulares, sunt non habentes efficaciam à sede Apostolica, sicut ordinationes, quæ in regula, aut pro regula habentur, ideo consuetudo in his videtur habere posse efficaciorem virtutem, quam in illis. Et ita docent omnes superius vocati.

61 Deducitur ex his, licitam esse eam consuetudinem, vt singulis religiosis dentur quot annis certi redditus pro suis vsibus licitis, & honestis, *ex Panormitano, Butrio, Decio. Nauarr. in comment. 3. de regul. Graffio, Rodriquez, cum quibus est Sanchez lib. 7. cap. 22. num. 15. cum eisdem Tambur. tom. 2. disput. 22. quæst. 16.* Vbi respondet cum Nauar. & Sanchez non obstare Tridentinum sess. 25. c. 1. 2. & 3. hanc consuetudinem non esse repro-
62 bam, donec per superiores reformantur Fratres prouisionu officialium, qui præparent res necessarias pro communitate, & omnibus subministrent, quod à plerisque factum non fuit, sed adhuc viuunt iuxta modum, quo viuebant ante Concilium. De qua re vide etiam doctores citatos *à Barbosa super cap. 2. Tridentini sess. 25.* Vbi ait,
63 Tridentinum non inducere aliquod ius nouum, sed vetus super voto Paupertatis confirmare, vbi citat septemdecim doctores contra septem. Adde tu quod Tridentinum eo capite præcisè prohibet peculium alicui concessum irreuocabiliter, non autem reuocabiliter ad nutum superioris, nam nil aliud intendit; quam extirpare vitium proprietatis, quo non est infectus ille religiosus, qui possidet peculium de licentia etiam tacita superioris, tum præparatione animi illud resignandi ad nutum superioris; & melius, & prudentius est ita sentire, & facere quam animas pauperum religiosorum illaqueare, attentis religionibus, quæ parum habent in communi non valentes instituere vitam reformatam, quam video consistere in certis actibus exterioribus pro populi ædificatione, vt corpus languidum reficiatur oppipare. Et hæc satis.

Quæres 13. An capitulum sicut potest constitutiones facere, ita easdem dissoluere, & reuocare valeat. Similiter & regulam? Quæstio procedit siue sint confirmatæ à sede Apostolica, siue non, statim enim ac à reli-
64 gione sunt editæ, & promulgatæ incipiunt habere suam vim obligandi, quam habent à potestate capituli legis ferentis, absque alia confirmatione extra ordinem, & per hoc regula dicitur differre à constitutionibus, illa enim ante approbationem papalem nullam vim habet, quia in esse legali à solo Papa dependet, ideo & lex papalis dicitur; constitutio vere totum suum esse habet à capitulo à quo conditur, vnde capituli regularis constitutio dicitur. Si vero superuenit confirmatio Apostolica, magis roboratur, & si aliquod sit statutum contra ius commune, à confirmatione apostolica, si sit in forma specifica, vires suas recipit, & non à capitulo, quod talem non habet potestatem super ius commune. Vide dicta cap. 1. n. 164. & 175.

65 Respond. Regulam nullo modo tolli posse; Constitutiones vero regulares in capitulo dissolui, & reuocari posse à maiori parte, licet sint confirmatæ à sede Apostolica etiam in forma specifica, & quamuis in illis inserta sint aliqua statuta, quæ receperint vim suam à confirmatione in forma specifica, eo quod erant contra ius commune.

Primum, quod capitulum generale non possit reuocare regulam in nulla sui parte, probatur, quia solum legislator reuocare potest legem à se latam, & subditorum, seu antecessorum suorum, ex illo communi axiomate: Per quas causas res nascitur per easdem dissoluitur; sed capitulum non est legislator regulæ; sed solus Pontifex, ex dictis cap. 1. num. 175. ergo capitulum regulam nec in parte, nec in totum reuocare potest. Nec dicas, eius ordinationes consuetudine tolli possunt, ex probatis hic sub num. 53. Ergo & reuocari, cum non habeat consuetudo maiorem vim ipso capitulo. Quia respondetur, consuetudinem à iure vim habere abrogandi quamcumque legem, seu constitutionem, aut statutum, c. fin. de consuetud. ibi: *Non tamen est vsque adeo valitura, vt vel iuri positiuo debeat praiudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitime sit præscripta.* Vbi duo sunt necessaria, 66
vnum est, quod inducta sit rationabiliter, rationabilis autem est consuetudo illa, quæ non aduersatur iuri naturæ aut diuino, nec perniciosa est reipublicæ, nec fouet peccatum, *Menoch. de arbitr. libr. 2. casu 81. cum aliis Layman libr. 2. tract. 4. cap. 24. §. Quod ad primum. Becanus q. 6. de consuetud.* Et alij communiter, inter quos nonnulli vocant irrationabilem, si à lege reprobetur, quod verum est, si fuit reprobata tamquam iniqua, & perniciosa reipublicæ, & fouens peccatum, non autem, quando simpliciter reprobata fuit, vt bene aduertit *Becanus q. 7. de qua re doctores refert Diana resol. 21. de consuetud.* Ne recedas à præscriptis. Alterum est, quod sit legitime præscripta, de qua dixi supra sub n. 55. *Agit Layman loco citato, Diana, Becanus, & alij cum Pontio libr. 6. de Matrim cap. 5.* Consuetudo igitur ius habet ex lege abrogandi ordinationes Regulæ extra vota, capitulum vero talem non habet potestatem supra legem sui superioris, & ideo consuetudo magis potest, quam capitulum, quod solum habet ius condendi statuta, & ea reuocandi, vt mox dicam. In terminis nostris *Porcellus part. 2. casu 18.*

Secundum, quod capitulum legislator suas constitu- 67
tiones ex causa reuocare possit, constat de communi, quia res per quas causas nascitur per easdem dissoluitur, & eius est destruere, cuius est construere. *Ita Miranda tom. 2. quæst. 29. art. 8. concl. 1. Rodriq. tom. 1. quæst. 10. art. 4. & q. 68. artic. 5. Porcellus 11. Statutum n. 11. Donatus par. 3. Rerum Regular. tract. 10. quæst. 17. Peyrinus ad constit. 8. §. lij 11. n. 3. Pellizar. tract. 5. cap. 2. num. 5.* Limitando posse, si habeat priuilegium, sed in hoc errat, nec Porcellus loco ab eo citato hoc dicit in meo codice, Nauar. consil. 8. de constitut. num. 3. conueniunt omnes, licet sint confirmatæ tantum in forma communi.

Tertium, quod sint reuocabilia, licet sint confirmata 68
à sede Apostolica etiam in forma specifica, non tamen si fuerunt condita præcise auctoritate Apostolica, probatur. *Tum quia*, confirmatio non tollit naturam constitutionum, quæ sine illa subsistere possunt, nimirum esse reuocabile, aduenit enim illi tamquam, accidens perficiens, & corroborans constitutionem suam vim iam habentem obligandi, ergo illæ remanent reuocabiles, sicut erant ante reuocationem. *Tum quia*, Papa non dicitur facere statutum suum confirmatione, nec de nouo concedere, aut dare, quando de se statutum est existens in vim obligandi, sed solum quando statutum alias factum est nullum, ex eo, quod potestas statuentis ad illud non se extendit, *Roman. consil. 37. Paris. vol. 3. consil. 33. num. 49. M. Anton. lib. 1. resol. 1. num. 4.* Et hoc patet ex natura ipsius confirmationis, quæ est iuris prius habiti corroboratio, *l. Et quia 6. ff. de iurisd. omn. iud. Laym. tit. 4. de elect. cap. 25. num. 4.* Si est corroboratio iuris prius habiti, ergo iam subsistebat virtute potestatis capituli legem ferentis, ergo aduenient confirmatio Papæ præcisè corroborat, & non facit suum, quod alterius est. Quando vero lex, seu statutũ nullam habet subsistentiã, in eo casu Papa, vel Princeps confirmans, non solum corroborat, immo prius dat esse, & postmodum corroborat hoc est dat

robur

robur robori, & hoc modo roborans, & corroborans facit
suum roboratum iuxta illud *l. 1. C. de iure*: omnia enim
merito nostra facimus, quia ex nobis omnia eis imperti-
tur auctoritas. *Tum quia*, in cap. cum accessissent 8. de
constit. quoddam statutum à capitulo canonicorum fa-
ctum, approbatum fuit à Papa, & postmodum à Cano-
nicis abrogatum, & illius confirmatio fuit in forma spe-
cifica, quatenus factum à capitulo non subsistebat, vt ait
gl. 11. Confirmatum ibidem, ab hoc enim effectu confir-
mandi infirmum arguitur confirmationem illius causam
69 fuisse in forma specifica, hæc enim sola roborat, &
corroborat, quando opus est, cum confirmatio in for-
ma communi non habeat vim dandi esse non subsisten-
di, nec roborandi, sed tantum corroborandi, vt colli-
gitur ex allegatis textibus *à Silu. 11. Confirmatio humana
num. 1. Decius consil. 341. num. 7. Rota apud Tambur.
in calce tom. 3. decis. 78. num. 8. Ego decis. 203. controu. 49.
num. 142. & num. 157.* De hoc puncto reuocandi con-
stitutiones a sede Apostolica approbatas dixi sub numer.
157. *Tum quia*, confirmatio etiam specifica habet magis
70 rationem priuilegij, quam odiosi respectu regularium,
qui petunt sponte, non necessario confirmationem, vt
magis corroborentur constitutiones, & si aliquod sit sta-
tutum contra ius commune roboretur, & de non valido
fiat validum, & vt magis timeatur, confirmatio igitur
cum sit fauorabilis non debet tollere libertatem abrogan-
di, quàm ante habebant legislatores. Rem hanc in ter-
minis nostris docet: *Melfius de Pœnis cap. 28. §. Ad se-
cundum fol. 365.* Vbi distinguit duplex genus confirma-
71 tionis, præceptiuæ nimirum, quando Princeps à nemine
rogatus vult se ingerere in confirmatione, ratione cuius
constitutio regularis licet facta à capitulo, tamen dicitur
Papalis, & hæc irreuocabilis est à capitulo; & priuilegia-
tiuæ, seu rogatæ, quæ scilicet petitur à capitulo; vt ro-
borentur, corroborentur, & magis timeatur, & obseruetur
à subditis, quæ ci non aufert reuocabilitatem, quia actum
accessorium eius naturam non alterat. Rem hanc fuse
tractaui in Dubiis Regularibus M.S. Dub. 531. Vbi variis
obiectionibus respondi.

Præter Melfium, & Portellum 11. statutum numer. 11.
videtur idem sentire Rodriquez ex eodem Portello tom.
1. quæst. 68. art. 5. dico, *videtur*, quia §. Nec his, hoc non
concedit in confirmatis in forma specifica, sed tantum in
communi, quo posito, non potest saluare, qua ratione
illi canonici reuocauerunt illud statutum, de quo in cap.
cum accessissent. 8. de constitut. cum esset confirmatum
in forma specifica, eo quod ante erat nullum, *ex gl.
11. confirmatum.* Interpretari quoque potest *Miranda
tom. 2. quæst. 29. art. 8.* in nostram sententiam, dum se-
quitur *Nauarr consil. 8 de constit.* Vbi ait, constitutiones
factas auctoritate Papæ non posse tolli ab eodem capitu-
lo, a quo factæ fuerunt, nullam tamen mentionem facit
de confirmatione, num. 3. ait factas à capitulo sine au-
ctoritate Papæ, abrogari posse. nulla facta mentione
Papæ, ideo non videtur facere ad rem nostram, qui vim
facimus in puncto confirmationis. Nobiscum sentit De-
cius in cap. cum accessissent num. 8. 11. & 14. dicens, sta-
tutum à Papa confirmatum reuocari posse per statuentes,
quando non erat necessaria confirmatio. Crescentius de-
cis. 1. alias 186. de pactis. Contrarium sentit Donatus par.
5. tract. 13. q. 6. Sed hæc satis.

Quartum, quod sint reuocabilia statuta contra ius com-
mune facta, & roborata per confirmationem specificam
à Papa, probatur. *Tum quia*, sequitur naturam aliarum
ordinationum; *Tum quia*, quælibet res facile reducitur ad
suum pristinum principium. *Tum quia*, induit naturam
aliarum constitutionum, ac proinde dicuntur Regulares,
& non papales.

Quæres 14. A quo oriatur obligatio seruandi Regu-
lam, & constitutiones.

72 Respond. Oritur ex professione respectu obedientiæ
promissæ viuendi secundum regulam, & constitutiones
ipsius Regulæ conseruatiuas, in quantum legislator obli-
gare vult iuxta tenorem ipsius Regulæ, à qua mensuratur

qualitas obligationis. Ratio est, quia Nouitius alia ratio-
ne efficaciter non subditur superioribus regularibus, nisi
mediante professione, ergo ex hac oritur obligatio ser-
uandi regulam, & constitutiones, antea enim non tene-
batur, sed solum post, ergo signum est, huiusmodi obliga-
tionem oriri à professione ex parte obedientiæ. Et ita do-
cent omnes *cum Suar. cit. à Lezana par. 1. cap. 7. num. 2.
Pellizar. tract. 3. cap. 4. num. 70.* Dixi *iuxta tenorem ipsius
Regulæ*, nam ab hac obligatio specificatur, est autem, vt
supra dixi duplex genus obedientiæ, alia legalis, qua vnus- 73
quisque tenetur obedire suo superiori sibi præcipienti
vel oretenus, vel lege, aut statuto, orta ex potestate su-
perioris volentis obligare suos subditos ad obediendum,
& natura virtutis, ex qua superior mouetur ad præci-
piendum rem aliquam, vnde obligatio causaliter, & effe-
ctiue est à potestate præcipientis, à præcepto vero tan-
quam à regula præscribente bonum esse amplectendum,
& malum fugiendum. Alia dicitur religiosa, & est ipsa-
met legalis adiunctam habens rationem voti, ex cuius
transgressione sequitur peccatum sacrilegij. Omnia au-
tem quæ præscribuntur in regula, & constitutionibus
non obligant hoc posteriori modo, sed tantum ea, quæ
cadunt sub voto nimirum obedientia, paupertas, & casti-
tas, & ea, quæ expressè veniunt sub nomine voti, v. g.
votum non ambiendi; votum inseruiendi infirmis; vo-
tum vitæ quadragesimalis, &c. Huiusmodi religiosi
professi tenentur hoc secundo genere obedientiæ specifi-
catæ voto sibi adiuncto. Reliqua vero regulares obli-
gantur obseruare virtute simplicis obedientiæ generalis;
qua quisque tenetur obedire suis maioribus, & superio-
ribus ex natura relationis inter superiorem, & subdi-
tum. Et id omnino certum est, quia ordinationes extra
vota in aliquibus religionibus non obligant immediatè
sub culpa, quandoque nec veniali, quod signum est, eas
non cadere sub voto, cum votum quatenus votum im-
mediate obliget sub culpa Theologica ad sui obserua-
tionem sequitur ergo, quod huiusmodi ordinationes
non obligant ex obedientia religiosa, sed tantum le-
gali, Ad quod facit, quod habet *Rodriq. tom. 1 quæst. 16.
art. 4.* Vbi probat, præcepta primæ regulæ S. Francisci
non esse vota, quæ tamen professores huius ordinis obli- 74
gant sub culpa, à fortiori non erunt vota illæ ordinatio-
nes, quæ sub nulla culpa Theologica obligant religiosos,
de quibus infra.

Dices omnis obligatio seruandi regulam ex dictis ori-
tur ex obedientia præstita in professione, quæ formali-
ter votum est, cum sit voluntaria promissio Deo facta de
meliori bono, immo optimo, supra quod aliud melius
bonum dari non potest, hoc ipso, quod nouitius se totum
in holocaustum Deo tradit, ergo quæcomque in Regula
præscribuntur obseruanda sunt titulo obedientiæ religio-
sæ, consequenter non solum vota, sed reliqua quoque
obligant virtute obedientiæ religiosæ.

Respond. Obedientiam, quam promittit nouitius dum 75
profitetur præscindere à legali, & religiosa, eo quod pro-
mittitur secundum Regulam, consequenter respectu vo-
torum dicitur religiosa, respectu aliorum, quæ non ha-
bent rationem voti, dicitur tantum legalis, iuxta exi-
gentiam materiæ, super quam cadit. Et hoc collige ex 76
Sanct. Bernardo in tract. de precept. & dispens. his ver-
bis: *Is, qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non
tamen omnimodam, sed determinate secundum Regulam,
nec aliam, quam S. Benedicti, vt oporteat eum, qui præ-
est, non frena sua laxare voluntati super subditos, sed præfi-
xam ex Regula sibi scire mensuram.* Obedientia ergo
mensuranda est secundum tenorem Regulæ, non solum
in eo, quod superior non debet præcipere, nec infra,
nec supra, nec contra, autem præter Regulam, exten-
dendo suam potestatem, sed nec alterando qualitatem
obedientiæ, vt si est simplex sine vinculo voti, ne fiat
cum vinculo voti, quod in Regula nō præscribitur sub ra-
tione voti, cum hæc obediētia non sit determinate secun-
dum Regulam, Confirmatur id, quia contenta in Regula
S. Benedicti multa sunt, quæ non obligant ad mortale,

vt probat *Tambur. tom.* 3 *disp.* 4. *q.* 4. ergo illorum obligatio non oritur ab obedientia religiosa, quæ constringit sub mortali, restat ergo quod obligatio oriatur quidem ab obedientia vt sic, sed quæ habent rationem voti referantur ad obedientiam religiosam, quæ vero non, ad solam simplicem obedientiam.

Quare falsum est, quod cum quibusdam, ait: *Henriq. quodlib.* 6. *q.* 57. *apud Suarez citat. à Pellizar. tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 9. omnia contenta in Regola esse materiam voti, & sub voto obedientiæ obligare; nam nulla religio, præter primum ordinem S. Francisci præscribit professionem Regulæ in recto, sed tantum in obliquo, hoc est, vitam regularem, seu viuere secundum Regulam, ad quem sensum D. Thomas supra relatus sub n. 56. *explicat: vouentes Regulam*, id est, *vitam regularem*, ideo professio Regulæ non potest arguere, omnia contenta in Regula esse materiam voti, quia professio limitatur, & mensuratur iuxta tenorem Regulæ, vt ad vota professus se obliget per obedientiam votiuam, ad alia vero iuxta eorum exigentiam per obedientiam legalem, & simplicem. Quod violantes contenta in Regula extra tria vota, non incurrant sacrilegium docet *Pellizar. tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 25. *& alij omnes*.

77 Nota demum differentiam inter præceptum ore tenus factum, seu transitorium, & legalem, seu statuto firmatum in Regula, seu constitutionibus, & ordinationibus ad vitam ordinantis durantibus in officio, nam istis addi non potest ratio voti, vt scilicet præscripta seruare teneantur in virtute Sanctæ Obedientiæ, hoc est, sub voto obedientiæ, quia ratio voti petit voluntatem eius, qui voto subiicitur, dum autem leges, & statuta in ordinibus fiunt, non petitur voluntas subditorum; an velint se obligare ad ea sub voto, ideo hanc potestatem non habent subditos obligandi ad obseruationem constitutionum sub voto.

78 Confirmatur id, quia votum obedientiæ, quam quisque nouitius promittit restringitur ad præceptum transitorium, dum obedientia à superiore petitur exequenda pro tali, vel tali re; & obedientia in hoc sensu, quæ actualis dicitur est causa executiua omnium contentorum in Regula contra negligentes, transgressores, & contumaces, consequenter ea inobediendia duplex sacrilegium reperiri potest in eodem actu. inobedientiæ contumacis nolentis consignare proprium, ex quo sequitur vitium proprietatis.

Quæres 15. An Regulæ, & Constitutiones obligent
79 suos professores sub culpa, an vero tantum sub pœna? Notandum est, quod duplex est culpa, alia Theologica, quæ scilicet consistit in peccato, quod est transgressio voluntaria legis obligantis immediate ad sui obseruationē, quod si est mortale priuat gratia Dei, si veniale minuit charitatem eius, qui amicus est Dei per gratiam inhabitantem; sed vtrumque peccatum sequitur reatus ad pœnam vel perpetuam, si est mortale, vel temporalem si est veniale. Alia legalis, quæ consistit in pura transgressione legis non obligantis ad culpam, ad quam sequitur reatus, seu obligatio ad soluendam pœnam temporalem præcise in hoc mundo, aut corporalem, aut pecuniariam, aut realem, ad quam transgressor tenetur, quandocunque exigitur à superiore. Pœna prioris culpæ, quæ etiam vocatur carentia rectitudinis debitæ actui, vel ipsius actus omissio, dicitur damni, quæ est carentia diuinæ essentiæ, qui enim est in peccato mortali priuatur iure videndi Deum, post hanc vitam, atque sensus, hoc est, patiendi in igne æterno cruciatus Inferni. Pœna vero posterioris culpæ, & materialis transgressionis sine peccato, est pœna mere temporalis soluenda in hoc mundo ab ipso transgressore in via, sicut prior soluitur in alia vita sine fine in Inferno à decedentibus in peccato mortali. His notatis prout facit ad rem nostram.

80 Respond. Regulæ omnes quo ad tria vota substantialia, & alia expressa sub nomine voti obligant immediate sub culpa mortali. Cæteræ ordinationes vel obligant ad culpam mortalem, vel venialem iuxta exigentiam ipsius materiæ, & Regulæ; vel obligant solum ad subeundam pœnam pro transgressione, & culpa legali, sine culpa Theologica. Hoc alia ratione probari non potest, nisi exemplificando super singulis Regulis, & earum constitutionibus, constitutiones autem singularum Religionum, quo ad obligationem regulandæ sunt ad formam regularum. Prædicta intellige, nisi admixtam habeat aliquam censuram, vel sit lex Diuina, aut Ecclesiastica inserta in ipsis constitutionibus, seu Regulis.

Primum, quod Regola quo ad vota omnia in illa præscripta, obliget ad sui obseruationem sub mortali, probatur, quia quæuis transgressio voti in materia graui est peccatum mortale, nam eius violatio non solum magnam Deo irreuerentiam, infert, sed etiam damnabilem iniuriā facit; sed vota, quæ in religionibus emittuntur sunt circa rem grauem, immo magni momenti, vt patet, ergo Regola, in qua præscribuntur, suos professores obligat sub culpa
mortali ad eorum obseruationem. Quod violatio voti in 81
re graui sit mortale ex genere suo, est communis doctrina Theologorum, tum *Bonac. part.* 5. *de Voto* §. 4. *num.* 3. *Sanchez lib.* 4. *cap.* 12. *initio* & deducitur ex *cap. Licet* 6. *de Voto*. Peccant ergo mortaliter religiosi, quando transgrediuntur vota eis præscripta in regulis, & constitutionibus. In terminis *D. Th.* 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ibi Caiet. Sanch. lib.* 6. *c.* 4. *n.* 8. *Lezana c.* 7. *n.* 7.

Secundum de cæteris ordinationibus obligantibus,
vel non obligantibus, probatur ex ipsismet regulis, nam
regula Sanct. Benedicti, vt supra retuli in rebus gra- 82
uibus obligat sub mortali, in aliis sub veniali. Regula
Prima Sanct. Francisci, quæ cæteris præeminet in rigo- 83
re, continet viginti quinque præcepta, vt dixi cap. 1.
numer. 140. Mei Ordinis regola, quæ dicitur Tertia 84
Sanct. Francisci nec ad mortale, nec ad veniale obligat, vt videre est in postremis cap. Nicolai IV. & Leonis X. & in Proœmio Statutorum continentium Regulam ipsius Nicolai accommodatam statui religioso.
Regula Sanct. Dominici, seu eius statuta non obli- 85
gant ad culpam nec venialem, sed tantum ad subeundam pœnam pro transgressionibus. D. Thomas 2. 2.
q. 186. art. 9. ad primum. Carmelitana partim morta- 86
liter, partim venialiter iuxta qualitatem materiæ præceptæ *Lezana, part.* 1. *c.* 7. *n.* 6. *Vide Sanchez lib.* 6. *c.* 4. *per totum*.

Tertium, quod professi teneantur immediate sub cul- 87
pa facere pœnitentiam sibi iniunctam à superiore pro transgressione siue Theologica, siue legali, probatur, quia dum Legislatores se declarant obligare ad pœnam, & non ad culpam, nulli relinquitur dubium, quin satisfacere nolentes esse obnoxios culpæ, quando ea exigitur à superiore speciali præcepto, tunc enim insurgit actualis obligatio soluendi pœnam, & si non soluitur exacta, incurritur peccatum mortale eo quod violatur formale præceptum obedientiæ quod est sacrilega transgressio. Pœna autem expressa tam in regula, quam in Constitutionibus spectatur duobus modis; vno, prout lege firmata, altero prout exacta à superiore ea præcedente transgressione, hoc secundo modo obligat sub culpa ad sui executionem, primo vero est obligatiua tantum originaliter, & non actu, cum nondum fit transgressio, neque exactio facta per superiorem. Ita *Sanchez lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 13. *Armilla*, 12. *Religion.* 13. *Angel. & Religiosus num.* 28. *Compend resol.* 90. *num.* 40. *Politus super cap.* 10. *Regula S. Francisci num.* 74. *& seq. Pellizar. tract.* 5. *cap.* 2. *quæst.* 15.

Quartum, quod constitutiones quò ad obligationem 88
regulentur tenore Regularum, probatur, quia tanquam quid accessorium sequuntur earum naturam, ac proinde modum obligandi iuxta exigentiam ipsarum regularum; & videtur consentaneum, quod constitutiones maiorem non habeant efficaciam ipsis regulis, cum non sint
supra, sed iuxta illas. Ita Lezana par. 1. cap. 8. numer. 8. 89
Compendiator Rodriq. resol. 90. numer. 40. ait, statuta religionum obligare tantum ad pœnam, non ad culpam, *Miranda tom.* 1. *q.* 39. *art.* 10. ait cōstitutiones Mino-
rum obligare solum ad pœnam, non ad culpam; & hoc 90

in

in meo Ordine elarum est ex Bulla Nicolai V. incip. *Apostolica Sedis*, vt de hac relatius dixi, *resolu.* 78. *q.* 17. *n.* 118. vbi probaui non posse illis aducere censuram aliquam, & additam nullius esse momenti, quia contra faciunt menti Pontificis, qui dedit facultatem Legislatoribus eum ea limitatione, vnde si volunt, vt valeant debent petere illarum confirmationem a Sede Apostolica, prout etiam tetigi *Controuers.* 49. *num.* 172. & in forma specifica, vt ibidem notaui.

91 Quintum, dixi non obligare ad culpam, nisi admixtam habeant censuram, vel alias sit Lex Diuina, & Humana, probatur de censura, loquor de illis Constitutionibus, quæ illam possunt admittere, quia censura, præsertim excommunicatio arguit transgressionem mortalem in eo, qui violat constitutionem censura vallatam, de communi omnium; cap. Episcopi 8. cap. Nemo 42. 11. quæst. 3. est enim grauis pœna inter homines esse, & eorum carere suffragio, inquit Gloss. 11. salutarionis præcitati c. 41. grauissima pœna vocatur apud omnes eum *Sacro l.* 1. *c.* 9. *numer.* 2. & peccati mortalis materiam constituit numer. 4. & 5. De Legibus Diuinis, & Pontificiis insertis in Constitutionibus non est dubitandum, quia ex hoc vim suam non perdunt, sed retinent cum non fiant deterioris conditionis, neque Legislatores valeant earum obligationem minuere, propter defectum potestatis.

Quæres XVI. An Nouitij, Tertiarij, & alij commensales teneantur seruare Regulam, & Constitutiones?

92 Respond. Tenentur præsertim Nouitij, non tamen cum tanto rigore, sicut professi. Probatur de Nouitiis, & cæteris ea communi ratione, quia sunt membra, & partes illius communitatis, & corporis politici, licet tantum dispositiue, & reuocabiliter, ergo sequi debent mores eorum, iuxta illud Prophetæ Ps. 67. 7. *Deus, qui inhabitare facit vnius moris in domo.* Sicut viuunt communiter, ita eandem communem vitæ disciplinam ducere debent, & hæc obligatio originem habet ab obedientia legali, non autem religiosa, quia nondum professionem emiserunt. Ita sentiunt nonnulli apud *Azor. lib.* 12. *cap.* 2. *qu.* 10. *Sarmiento lib* 2. *select. cap.* 5. *num.* 9. *quos contra se citat Sanchez lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 6. *qui num.* 7. asserit non teneri, eo quod nondum sunt de numero religiosorum, nec partes communitatis, sed solum in via, vt postmodum admittantur in eorum numero per professionem; sufficit, vt eorum Regulis, & statutis afficiantur obedientia legali, quod sint partes imperfectæ in ordine ad professionem, quamuis alia ratione dici possint partes, & membra conuentus ex contractione domicilij, vt patet de aduenis, & studentibus, qui in loco extraneo morantes maiori
93 parte anni tenentur legibus, & statutis loci, *ex allegatis à Bonac. part.* 6. *de legib. num.* 48. *Sanchez lib.* 3. *disput.* 18. *num.* 9. *Diana resolut.* 15. *de legib. qui tract.* 2. *praced. resol.* 37. *de Immunit. Eccles.* eos vocat cum mul-
94 tis partes communitatis religionis. Confirmatur, quia Nouitius volens manere in Religione puniri potest iudicialiter de delicto siue contra regulam, aut constitutiones, siue contra alias leges ex eodem *Sanchez l.* 6. *cap.* 10. *numer.* 11. *&* 12. quod arguit transgressionem, quam euitare tenebatur, ergo obligatur. Non tamen cum tanto rigore, hoc est, non sub mortali, sed tantum sub veniali, cum sit pars imperfecta communitatis religiosæ subiectusque solum obedientiæ legali. Idem proportionaliter dicendum est de Tertiariis, nam & hi domicilium con-
95 traxerunt, & partes sunt communitatis religiosæ, ergo subiiciuntur Regulæ, & Constitutionibus prout eorum fert conditio.

Quæres XVII. An fieri possit statutum contra ius Pontificium? Ex. gr. cap. 6. sess. 25. decernitur, quod electiones superiorum fiant per vota secreta. Cap. 12. quod Regulares publicent omnes censuras, & seruent festa diœcesis. Cap. 15. quod annus probationis sit integer, antequam sit finitum Nouitius non possit profiteri? & quod professio emittatur expleto decimo sexto ætatis anno, &c. An superiores Regulares in suis Capitulis saltem Generalibus possint facere statuta directe contraria prædictis, ver. gr. quod electiones fiant per vota publica; quod non publicent censuras, nec seruent festa diœcesis; quod infra annum probationis possit fieri professio; quod non sit integer; quod possit emitti professio ante decimum sextum annum expletum; &c. Illud autem statutum dicitur directe alteri contrarium, quod illud destruit omnino, vt patet in exemplis allatis, vnum enim formaliter, & immediate debet alterius esse destructiuum.

Respond. Nullus potest statuere contra ius commune, & Bullas Pontificias contrarietate directa in totum destruente, quod iure communi subsistit; aliter attentatum est ipso iure nullum, & inualidum, adeo quod à solo Papa confirmari potest, quod ab eo faciendum est, in forma specifica, aliter nullum remanet; neque Sacr. Congregat. aut Protector, vel Legatus à Latere reualidare illud potest. 96

Primùm, quod nullus statuere possit directe contra legem sui superioris, probatur c. Inferior 4. distinct. 21. capit. Quod super 9. c. Cum inferior 16. de maior. vbi dicitur quod inferior non habet potestatem supra suum superiorem. Clare Clemen. Secund. de elect. ibi: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest.* Confirmatur, quia statuere est actus iurisdictionis, *Bartol. in leg. Omnes populi ff. de iust. & iure n.* 3. *Iason n.* 52. *Roman. consil.* 218. *num* 1. *Decius capit. Quæ in Ecclesiarum. de constitution. numer.* 38. Vnde statuendi potestas regulatur a iurisdictione, ex eodem Decio, cap. Ecclesia, de constitution. numer. 89. Sed religiosi carent potestate, & iurisdictione agendi contra ius Pontificium, cum illo omnino subiiciantur, ergo statuere non possunt contra illud. Ita omnes, *Nauarr. consil* 9. *de constitution. numer.* 14. *consil.* 26. *de Regul. numer.* 8. *consil.* 3. *de elect. Castellinus capit.* 1. *de elect. Rodriquez tom.* 1. *quæst.* 10. *articul.* 3. *tom.* 3. *quæst.* 11. *articul.* 1. *Vecchius de Nouitiis disputat.* 4. *dub* 1. *Tamburrin. tom.* 3. *disputat.* 3. *quæst.* 2. *Portellus* 11. *statutum, numer.* 9. *Compend resolut.* 90. *num.* 16. (97, 98)

Secundum, quod attentata sint nullius momenti, probatur. Tum quia facta contra ius pro infectis haberi debent, regul. 64. in 6. leg. Non dubium 5. C. de legibus. Tum quia facta sine requisita potestate, & iurisdictione non valent, *Decius in capit. Cum in cunctis, de elect. numer.* 23. *& in capit: Cum super de offic. deleg. numer.* 24. *Bald. in leg. Omne verbum, C. Communia de legat.* Ergo nullum est statutum factum ab his, quia carent potestate. Eget ergo speciali confirmatione Papæ, vt subsistat. Ita omnes præcitati. (99, 100)

Tertium, quod S. C. Legatus, nec Protector hæc confirmare possint, probatur eisdem rationibus, quibus ostensum fuit non posse superiores regulares statuere contra ius commune, quia vti inferiores non possunt tollere legem sui superioris. Clem. Ne Romani, de elect. De legato à latere: *Gratian. cap.* 9. *num.* 10. *Marchesanus par.* 3. *tit. de commiss. nullit. san.* §. 5. *num.* 84. *cum aliis Tamb. tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 2. *numer.* 4. *Quod*, idem dic de S.C. & Protectore, quibus non fuit concessa talis potestas contra ius commune, quorum partes sunt illud protegere, & conseruare non destruere. 101

Statutum, quod nulli olim hæretico, vel infideli detur habitus religionis; an sit contra ius commune? 102 Resolui non, controu. 49. numer. 49. Quia nullibi in iure præscribitur, quod tales admittantur, vel non admittantur; de hac re ergo in iure nihil disponitur nec pro; nec contra, & hoc doctores vocant ius negatiuum; & contra hoc statuere non est constituere contra ius commune, quod proprie consistit in de- 103 terminatione aliqua positiua affirmatiua, vel negatiua alicuius rei dispositæ. Itaque possunt condere sta- 104 tutum, de quo nihil positiue depositum reperitur in iure; quod ad illud se habet negatiue. De hac re fusè egi c. 3. q. 2.

Quæres 18. An Fratres peregrinantes teneantur seruare statuta Prouinciarum, conuentuum, per quos transeunt? De regula non est dubitandum neque de constitutionibus Generalibus pro tota religione, quia omnes illis afficiuntur, siue permanentes, siue peregrinantes.

105 Respond. Affirmatiuè, quia hoc ipso, quod hospitatur in conuentu fit subditus illis superiori, cui ideo exhibet literas testimoniales suæ peregrinationis. *Ita Rodriq. tom. 1. quæst. 68. art 4. cum suo Compend. resol. 90. n. 34. Portellus 11. Statutum 5. Miranda to 2. quæst. 29. art. 6. Tamb. tom 3. disp. 3. quæst. 6. Bossius de Jubileo sect. 4. casu 18 numer. 60. Peyrin de Prælato quæst. 1. cap. 5. numer. 22. quos citaui contro. 49. num. 116.* vbi contrarius respondi.

Quæres 19. An regula collapsa sit restituenda per superiores, & constitutiones cum ea seruandas à religiosis?

106 Respond. Regula, & constitutiones collapsę ex negligentia superiorum restituendæ omnino sunt, & obseruandæ, nisi lapsus consuetudine legitima sit præscriptus. Probatur *Tum quia*, superior regulæ, & constitutionum est custos, ergo ex officio eas custodire tenetur, ne cadant ab obseruantia. Tum quia præfatus comparatur tutoribus, & curatoribus: *Auth. de Eccles. §. vlt. collat. 9.*
107 *ex glos. 11. Ecclesia cap. Auditis 13. de restit. in integr.* Tutor autem, & curator tenentur habere curam de bonis eorum, quorum curam susceperunt, & etiam perso-
108 næ, maxime tutor, qui magis datur personæ, quam rebus illius § Certæ Instit. Qui testamento tutores dari poss. ergo & superior regularis à fortiori curare debet, ne regula, & constitutiones violentur, agitur enim
109 de salute animæ, quæ cæteris præferenda est. *Tum quia*, Prælatus tenetur de dolo, & de culpa lata, & leui, ad instar tutoris *Glo. 11. Negligentia 1. ea qua 3. de off. Archid. per iura ibi citata*, & tenetur de negligentia
110 ibidem; quæ in eo est peccatum mortale, *gl. 11. Reatu cap. præcitato*; immo taciturnitas arguit peccatum mortale *glos. 11. Taciturnitas cap. Si Papa 6. dist. 40.* Intellige si negligentia, & taciturnitas sint de rebus grauibus, ergo à fortiori tenetur procurare, & inuigilare, ne regula, & constitutiones postponantur, & negligantur à subditis. Ita omnes cum *Rodriquez tom. 2. q. 4 per totam Compend. 114. n. 21. Corduba in Reg. 6. Franc. c. 2. q. 19. par. 3. LeZana c. 7. n. 17* Ratio vero ex parte subditorum est, quia ad eam se obligauerunt eo modo, quo erat in vsu ex vi suæ obligationis; obligabat autem ex se, quia nondum contraria, & legitima consuetudine primæua obligatio sublata erat.

Dixi, nisi lapsus obseruantiæ sit legitima consuetudine præscriptus, posita enim consuetudine, cessat obligatio, vt probaui quæst. 11. ac proinde professi post introductam consuetudinem regulam, & constitutiones seruare possunt iuxta formam consuetudinis, quia professionem emittunt secundum conditionem, vim consuetudinis inductæ. Ita præcitati *Cum Lezana par. 1. cap. 7. numer. 17. Sanch. lib. 6. cap. 2. num. 26. & 28.* vbi ait, professum illo tempore, si intendit expresse non amplius se obligare, quam ad regulam, vt de facto obseruetur, & vi voti præcise non teneri ad quid amplius, ex Corduba. Professi igitur non peccant obseruando regulam relaxatam, quia eam sic vouerunt, sicut viderunt obseruari ab
111 aliis.

Prædicta procedunt etiam respectu eorum statutorum, quæ proxime respiciunt obseruantiam trium votorum, vt quod peculium non retineant in cellis etiam de licentia superioris, vt quod non emant, non permutent, inter se, & similia quæ proxime faciunt ad conserua-
112 tionem voti Paupertatis, Quia hæc non pertinent ad substantiam voti paupertatis, cum stare possit status regularis sine vllis modis, & circunstantiis. *Sanchez libr. 6. c. 2. n. 29.* ait, apud Minores præcepta non equitandi, non portandi calceamenta pertinere ad solam perfectionem voti paupertatis, quibus sublatis, adhuc remanet substantia voti paupertatis. Et verò ita est etiam respectu exemplorum à me adductorum, quia substantia voti paupertatis consistit in abdicatione proprietatis, ille autem non dicitur proprietarius, qui possidet de licentia supe- 113
rioris res necessarias ad suum statum, & conditionem, ad nutum illius amouibiles à religioso. Ita senserunt Institutores Regularum, audi S. Aug. relatum cap. Non dicatis 9. 12. quæst. 1. *Certum est, eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine superioris licentia* D. Benedictus in sua regula cap. 33. *Ne quis præsumat aliquid dare, aut recipere sine iussione Abbatis, neque aliquid habere proprium -- Nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit.* Ecce primi institutores in quo posuerint vitium proprietatis, nimirum in possidere, vel contrectare peculium sine licentia sui superioris, qui ergo contrectat peculium de licentia superioris in rebus sibi necessariis, licitis, & honestis non est proprietarius Votum paupertatis si accipiatur secundum verum, & germanum sensum, quem intendebant 114
primi institutores Religionum, non est arduum, sed facile obseruatu, cum eius vsus dependeat à voluntate per rectam rationem regulata à superiore. Nostris temporibus ita à nonnullis restringitur, nescio, an ex ignorantia, an ex zelo quodam prætextu ambitionis, vt potius sit occasio laquei animalibus, quam remedium salutis, mediocritas in omnibus seruanda est, quia secundum sacras literas, qui nimis emungit elicit sanguinem.

Quæres 20. An regula, & constitutiones singulis sint promulganda, & publicanda;

Respond. Regula ex quo iam extat approbata à sede 115
Apostolica non eget promulgatione ad posteros professores, sed tantum nouitiis, & professis sæpius legenda est, vt vnusquisque sciat, quid obseruare debeat, nam peccatum graue est ignorare ea, quæ spectant ad suum 116
officium, *D. Thomas 1. 2. qu. 76. art. 2. Panormit. in cap. cum in cunctis, de elect. Graff. par. 1. l. 4. c. 15. n. 8.* Officium autem religiosi est obseruare ea, quæ sibi præscribuntur in regula, & constitutionibus, ergo ea legere debet, quod est etiam munus superioris, qui illarum lectionem sæpius procurare debet.

Constitutiones ad sui obligationem postulant promul- 117
gationem, sicut aliæ leges, promulgatio .n. est de essentia legis, quia hominibus est regula bene viuendi, & recte agendi, quod facere non contingit, si illam ignorant, ideo eisdem promulgatur, & legitur, quod indicat eius etimologia, dicitur enim à legendo, eo quod legitur communitati, vt ab ea obseruetur, l. Leges 9. C. de constit. c. In istis 3. 118
§ *Leges instituuntur, cum promulgantur.* D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 4. Scotus in 4. dist. 3. quæst. 6. Apud opusculum *Scotus Morales*, Auctore Bonauentura Theulo Veliterno Socio, & Assistente Generali Ordinis Minorum Conuent. Quare cum promulgatio sit de essentia legis vt sic, hæc necessaria quoque erit in constitutionibus regularium, vt incipiant subditos obligare. Fit autem promulgatio, quando in capitulo vocantur vocales ad audiendam etiam lectionem coram omnibus faciendam. Non est autem necessarium secundum: *Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. numer. 15. & 16. & ex eo LeZana par. 1. cap. 8. numer. 27.* Eas promulgare in singulis conuentibus, sed in solo Capitulo Generali, vel Prouinciali, sicut Lex Pontificia solum Romæ promulgatur, & tunc incipit obligare, vt pro hac sententia viginti quinque doctores, contra se citat Diana resolut. 8. de legibus putans requiri promulgationem legis Papalis in singulis Prouinciis, & Diœcesibus allegando pro se duodecim doctores, vtraque opinio continet sanam doctrinam. Meo iudicio, lex quæcunque à promulgatione incipit habere vim obligandi, tamen subditi eam ignorantes Bononiæ, vbi de ea nihil dicitur, quia ad aures fere nullius peruenit, nondum dicitur habere effectum suæ obligationis, quia tenera ignoratur, & talis ignorantia in vtroque foro habenda est pro inculpabili infra vnum, vel alterum mensem, habito respectu ad distantiam locorum. Et ita colligo ex cap. Sicut olim 25. de accusat. ibi: *Quæ statuerint faciant*

faciant obseruari publicaturi ea in episcopalibus synodis annuatim per singulas diaceses celebrandis. Sermo est de metrapolitanis constitutionibus. Dominicani suas constitutiones in singulis conuentibus promulgant, *Castellinus de elect. in preludio* §.10. *De hac re controu.*49.q.22. vbi dixi, quod escusantur illi religiosi, in quorum conuentibus nondum lectæ fuerunt primis mensibus, quia præsumuntur illa ignorare inculpabiliter, vt noua statura nunquam audita ab illis.

Quæres 21. Ad quos intra ordinem spectat interpretari regulam, & constitutiones in casibus dubiis? Nota,
119 quod triplex est declaratio, seu interpretatio, Doctrinalis, Iudicialis, & Legalis. Doctrinalem quilibet doctor facere potest, & persona petita, licet eareat gradu doctoratus, & hæc interpretatio vocatur opinio, quæ neminem obligat, cum proueniat à persona priuata. Iudicialis interpretatio est illa, quæ fit à iudice super causis agitatis in iudicio, & hæc ex necessitate afficit eum, contra quem fertur. Legalis demum ea est, quæ fit à legislatore super suam legem dubiam, solum enim in casu dubio lex indiget interpretatione, clara enim non egent interpretatione, nec declaratione, sed tantum dubia: Hoc triplex genus interpretationis patet *Glos.* 11. *Sicut enim capit. Sicut enim* 30. 11. *quæst.* 1. De hac tertia potissimum hic sermo est. Aduerte autem, quod quando in iure, seu
120 constitutionibus Ecclesiasticis interdicitur interpretatio alicuius legis, seu statuti, prohibitio referenda est ad legalem, seu iudicialem, & necessariam, hoc enim Doctores facere non possunt, & præterea prohibetur ea, quæ est aperte contra legem, aut repugnat rationi, seu iori, non autem doctrinali, quæ omnibus permittitur. *Ita Rodriquez tom.1. quæst.* 11. *art* 5. *Reginald. lib.* 20. *num.* 53. *cum aliis Peyrinus de subdito quæst.*4. *cap.*8. *Initio* §. *Priusquam Thesaurus* 11. *Interpretatio* §. *Limita, adducens alios doctores.*

121 Respond. Quilibet legislator suam legem dubiam interpretari potest. Quare statuta facta in Capitulo Generali ab eodem essent interpretanda, sicut Prouincialia in Prouinciali; nihilominus superiores quandoque facultatem habent interpretandi iudicialiter, immo & legaliter seruata forma in facultate præscripta. Pariter eadem facultate declarare possunt dubia super regulam occurrentia. Similiter priuilegia pontificia ad fauorem religionis; Doctrinalis vero nulli negatur. Legalis autem interpretatio non secus ac ipsa lex est publicanda, vt incipiat obligare.

122 Primum, quod eius est interpretari, cuius est condere, habetur expresse, *l. cum de nouo* 10. *C. de legib. cap. Sicut enim* 30. § *Ex omnibus*, 11. *q.* 1. *c. inter alias* 31. *de sent. excom.* ibi: *Vnde vis prodiit, interpretatio quoque procedat.* Et in hos omnes conueniunt, quia nemo melius scit intellectum legis, quam qui eam condidit, cum ab eius potestate, & voluntate virtus, & obligatio illius pendeat. Nulli ergo dubium est, leges, & constitutiones interpretari spectare ad ipsum capitulum, quod eas condidit.

123 Secundum, quod id munus sit Generalis pro constitutionibus conditis in eius capitulo, & Prouincialia in suo; probatur, quia non continuo capitula congregantur, sed statutis temporibus, & extra id tempus casus occurrere potest dubitandi super constitutionibus, ideo Generalis, Prouincialis in casibus occurrentibus non solum doctrinaliter, quod nulli docto negatur, sed etiam iudicialiter vt plurimum, immo & legaliter facultatem habent delegatam, vel à Sede Apostolica, vel à capitulo dubia occurrentia interpretari secundum formam sibi præscriptam.
124 Nam Generalis Dominicanus facultatem habet interpretandi non solum constitutiones sui ordinis, sed etiam Apostolica priuilegia concessa, & in posterum concedenda, à Iulio II. Bulla incip. *Considerantes* apud Confect. fol. 112. Innocentius Decimus, confirmando non-
125 nulla Decreta condita in capitulo Bononiensi anno 1648. §. Tertio, inquit. *Liceat Generali cum suis Definitoribus interpretari Regulam, & constitutiones ordinis in omnibus dubiis ad verum sensum tamen, & mentem earundem, & non alias, nulla facta immutatione.* Id autem ab eisdem agendum est capitulariter omnino congregatis, & non aliter, alias declaratio non subsisteret in vim legis, sed tantum doctrinaliter, aut iudicialiter. Interpretatio autem tunc dicitur fieri ad verum sensum, & mentem legis eiusdem, quæ explicatur secundum naturalem, aut ciuilem proprietatem verborum, naturalis 126
autem significatio propria verborum est illa, quam ex ipsorum institutione prima, vel ex communi vsu loquendi totius populi accipitur; vt, *mors*, quæ significat separationem animæ à corpore. Significatio vero ciuilis verborum, est illa, quam lex, & ius & quadam similitudine transfertur ad aliud significandum exemp. gr. Professio in religione vocatur mors scilicet ciuilis, ex eo, quod producit aliquos effectus, quod producit ipsa mors naturalis, nā exēp. gr. sicut homo mortuus non amplius dicitur capax proprietatis bonorum, quæ ad ipsum spectabant, ita neque mortuus ciuiliter per professionem amplius est capax proprietatis suorum bonorum, quæ à se abdicauit per votum solemne Paupertatis. Hanc doctrinam referunt. *Bonac. quæst.* 1. *de legibus p.* 8 *initio, & Suar. lib.* 6. *de legibus initio.* Nota autem, quod lex odiosa interpretanda est secundum proprietatem naturalem, non vero ciuilem, quia odiosa restringuntur, non extenduntur, fauorabilia vero vtroque modo explicari potest, quia fauores sunt ampliandi, est doctrina communis apud *Bonac. quæst.* 1. *par.* 8 *per totum*

Tertium, quod possint explicare priuilegia concessa, 127
& concedenda in fauorem ordinis, concessit supradictus Iulius II. Ordinis Prædicatorum Generali, de qua re *Tamb. tom.* 1. *di p.* 18. *quæst.* 9. & late sunt interpretanda secundum *Abbatem, & Felinum apud Peyrinum ad const.* 10. *Clem. VIII. n.* 1.

Quartum, quod declaratio legalis sit publicanda, pro- 128
batur, quia est ipsamet lex, aut saltem vt accessorium sequitur naturam legis, quæ à promulgatione vim obligandi obtinet. *Ita Sa.* 11. *Lex num.* 23. *Salas disputat.* 21. *de legibus sect.* 13. *num.* 31. *Suar. lib* 6. *de legib. n.* 3. *Bonac. p.* 4 *de legib. num.* 11. *quas citat Thesaurus de pænis* 11. *Clausuram capit.* 2. §. *Limitat.*

Quæres 22. An viuentes sub regula relaxata sint in statu peccati mortalis?

Respond. Negatiuè, quando eius rigor moderatus, & 129
mitigatus fuit per contrariam consuetudinem legitime præscriptam saltem spatio decem annorum, quia tunc 130
regula cum tanto rigore cessat obligare, cum non amplius eius virtus subsistat sublata per consuetudinem, iuxta dicta quæst. 11. Et ita tenent Doctores ibi citati cum *Nauarr. capit.* 12. *num* 50. *Rodriquez tom.* 1. *quæst.* 69 *art.* 2. *cum suo Compend. vol.* 34. *num.* 2. *Sanchez. libr.* 6. *cap* 2. *num.* 26. *Faustus in Thesauro Relig. libr.* 6. *quæst.* 80. *ex eo Tambur. tom.* 2. *disputat.* 21. *quæst.* 6. *num.* 5. *melius tom.* 3. *disputat.* 4. *q.* 5. *Castropal. disp* 4. *de Voto obed p.* 4. *n.* 5. *&* 6. Notant omnes, consuetudinem derogantem Regulæ, vt non amplius obliget ad sui obseruationem, referri solum ad obseruantias regulares præscriptas in Regula extra vota essentialia, nam contra hæc vti præcepta iure diuino nulla potest consuetudo. Requirunt aliqui consuetudinem immemorabilem, alij quadragenariam, sed ego puto sufficere consuetudinem solum decennij præscriptam, quia immemorabilis, & quadragenaria requiritur, vbi agitur de præiudicio tertij, vt colligitur ex iuribus, in quibus præscribitur certum tempus legitimandi consuetudinem.

Quæres 23. An fieri possint Constitutiones immediate obligantes ad culpam, & addi illis pœnas censurarum? Tetigi supra n. 87. & 90.

Respond. Possunt fieri in ea Religione, cuius Regu- 131
la obligat immediate sub culpa, non autem si non obligat nisi ad pœnam temporalem, ac proinde addi potest illis, non vero istis pœna spiritualis censurarum, quibus si de facto Capitulum vel superiores adiungant huiusmodi censuras, non subsistunt, nisi confirmentur in forma specifica à Sede Apostolica.

Primum de constitutionibus obligantibus, vel non obli-

gantibus ad culpam iuxta tenorem Regulæ, probatur, quia constitutiones non debent habere maiorem vim, &
532 efficaciam ipsa Regula, sufficit enim si parem eum ea habeant, ergo illis addi, potest idem genus obligationis, quod habet regula ipsa, nam Constitutiones sunt in gratiam Regulæ, cum ordinentur ad eius conseruationem, vnde sequi debent vti accessoriæ eius obligationem, ergo qualis est obligatio Regulæ, talis potest esse vis ipsarum Constitutionum, & non efficacior. Confirmatur, quia Regula S. Francisci obligat sub culpa, & tamen Constitutiones Minorum non obligant ad aliquam culpam, vt diximus supra sub n. 90. ergo minus obligare potest, ergo excedere non debet obligationem Regulæ. Faciunt dicta sub num. 88.

Secundum, quod addi possit censura illis constitutionibus, quæ sunt conseruatiuæ Regulæ obligantis sub culpa, non vero ei, quæ obligat tantum ad pœnam probatur, quia censura supponit culpam ergo addi potest tantum illis, vel fieri possunt cum immediata obligatione ad culpam, nisi prohibeantur, vt contingit prohibitio respectu constitutionum S. Francisci Minorum.

Tertium, quod adhuc censuræ subsistunt, adiectæ constitutionibus non obligantibus ad culpam, si confirmentur specifice, probatur, quia confirmatio specifica dat esse non habenti, & de inualido facit validum, & de inculpabili facit culpabile. Aliqui tamen valde probabiliter sustinent, confirmationem constitutionum materiam, quæ non admittit obligationem sub culpa, sed tantum sub pœna temporali, non transferre obligationem de non culpa ad culpam, nisi de hac speciali translatione fiat
533 mentio in indiuiduo; nam quod communiter dicitur, quod confirmatio in forma specifica reualidat infirmum, gloss. 11. confirmatum cap. cum accessissent 8. de constitut. aliis iuribus ibi citatis, intelligendum est, esse verum sine alterius reualidatione, quia confirmatio non extendit, sed solum firmum corroborat, & alias infirmat, & vltra se non extendit, nam confirmatio non extendit, confirmatum, *Baldus leg. Nominationis, vers. concludo ergo, C. de appellation. Decius in Rubric. de confirmat. num. 1.* Quare si constitutio, cui non potest addi censura; est nulla, ac proinde ipsamet censura addita nullius momenti, sequitur confirmationem extendere se ab vno effectu ad alium, nam hic duo infirma, confirmarentur; & aliud est reualidare, aliud addere culpam statuto, quod condi debet sine tali obligatione quod confirmatio præstare non potest, & huic opinioni multum inclino.

Quæres 14. An facere possint statutum inhabilitans personas alicuius conditionis ad ingressum religionis.

534 Respond. Negatiue, quia id esset contra ius commune, quod neminem respuit volentem ingredi nisi aliunde sit inhabilis. Tale autem statutum dicitur ambitiosum, & præiudiciale tertio, qui alias habilis est. Ita *Bartolus in leg. final. de Colleg. n. 20. & ex eo Rota decis. 458. apud Rubeum tom. 1.* referens exemplum Statuti Ordinis Hierosolymitani, quod ad Religionem non reciperentur descendentes à Notariis, quod dictum fuit nullum à Rota præfata, & sæpius in aliis Decisionibus ibi allegatis.

CAPVT III.

De habilibus, & inhabilibus ad Religionem.

1 *Homo baptizatus, non hæreticus ratione vtens in legitima ætate constitutus capax Religionis.*
2 *Quatuor requiruntur, vt quis sit capax religionis.*
3 *Triplici iure homo arcetur à religione.*
4 *Inhabilitas quo ad ætatem tripliciter spectatur.*
5 *Impubes quis dicatur?*
6 *Fœmina educationis causa non manet in Conuentu vltra 25. annum.*
7 *Edictum de ingredientibus religionem est prohibitorium?*
8 *Religio facit statutum irritans professionem quorundam.*
9 *Statutum Capucinorum excludens laborantes morbo Gallico.*
10 *Conditio existens falsa vitiat actum.*
11 *Dolo deceptus non dicitur consentire.*
12 *Nouitius carens requisitis statuto inhabilitari potest.*
13 *Nouitius domicilium regulare contrahit.*
14 *Volens ingredi afficitur hoc statuto.*
15 *Forensis ligatur statutis loci, vbi contrahit.*
16 *Subditus quis dicitur etiam ratione rei, negotij &c.*
17 *Prohibitio simplex nunquam irritat matrimonium.*
18 *Argumentum à matrimonio ad professionem.*
19 *Prohibitionis simplicis, & irritantis differentia.*
20 *Prouinciale Capitulum tale statutum facere potest.*
21 *Prouincialis nisi prohibeatur potest in sua prouincia quicquid Generalis in toto Ordine.*
22 *Episcopus potest in sua diœcesi quicquid Papa in toto Orbe, &c.*
23 *Statutum inhabilitans ad Religionem non est contra ius commune.*
24 *Legis actus sunt præcipere, vetare, permittere, & punire.*
25 *Permissionis obiectum est illicitum.*
26 *Non est distinctio Iudæi, & Græci exponitur.*
27 *Cur aliqui prohibeantur à religione.*
28 *Qui ingrediuntur religionem dicuntur conuerti.*
29 *Quibusdam rationabiliter negatur ingressus religionis.*
30 *Deus vult omnes homines saluos fieri voluntate antecedenti.*
31 *Voluntas antecedens, & consequens quid sit.*
32 *Mutatio hominis in bonum difficilis est.*
33 *Ætas sufficiens ad ingressum.*
34 *Infidelis Iudæus, & Paganus incapax Religionis.*
35 *Catechumenus, & Neophitus quis dicatur.*
36 *Neophiti non arcentur à religione.*
37 *Hæretici non sunt capaces religionis.*
38 *Quadruplex Apostasia.*
39 *Apostata, & Schismaticus incapaces sunt religionis.*
40 *Vsus rationis necessarius ad ingressum, probationem, & professionem.*
41 *Amens, & furiosus differunt. 54.*
42 *Semifatuus inualide profitetur.*
43 *Plena aduertentia est necessaria ad valorem professionis.*
44 *Per solum actum vitiosum, & voluntarium interrumpitur nouitiatus.*
45 *Dormiens non interrumpit nouitiatum.*
46 *Furioso currit annus probationis.*
47 *Nouitium continuo experiri, nec omnes austeritates est necessarium.*
48 *Tempus quando dicatur currere, vel non currere.*
49 *Fuga non interrumpit nouitiatum inculpabilis.*
50 *Fuga furiosi non imputatur ad culpam.*
51 *Furor bimestris non vitiat nouitiatum.*
52 *Quantum temporis debet abesse furor ab eo qui vult profiteri.*
53 *Dementia, & furor quomodo probentur.*
54 *Dementia, & furor quomodo differant. 41.*
55 *Ebrius an profiteri possit.*
56 *Disparitas sexus non permittit ingressum.*
57 *Hermaphroditus quis dicatur?*
58 *Hermaphroditus incapax Religionis.*
59 *Illiteratus quis dicatur?*
60 *Illiteratus potest ingredi.*
61 *Corpore vitiati non prohibentur.*
62 *Non valet argumentum à prohibitione ordinum ad religionem.*
63 *Surdus, Mutus, & Cæcus an ingrediantur?*
64 *Infirmitas quænam impediat ingressum?*
65 *Continua febris impedit.*
66 *Infamia quid, & quotuplex.*
67 *Infamis prohibetur ab ingressu.*

68 *Histrio*

68 *Histriones, Buffones & similes arcentur à religione.*
69 *Irregularis non prohibetur.*
70 *Bigamia quid, & quotuplex?*
71 *Bigamus potest intrare.*
72 *Omnis capax Ordinis est etiam habilis ad religionem.*
73 *Sacramento Confirmationis carens potest ingredi.*
74 *Energumenus non repellitur à religione.*
75 *Conjuratus prohibetur à religione, tenet tamen professio.*
76 *Excommunicatus denunciatus inualide facit actus iurisdictionales tantum.*
77 *Professio non est actus iurisdictionalis, à sola superioritate pendet.*
78 *Illegitimus quid, & quotuplex?*
79 *Iure communi non repellitur à religione.*
80 *Nasci de adulterio non est culpa eius, qui nascitur.*
81 *Illegitimus non est infamis.*
82 *Illegitimi facti fuerant incapaces religionis à Sixto V.*
83 *Eorum nouitiatus non inhabilitatur expresse.*
84 *Legitimati per subsequens matrimonium non comprehenduntur.*
85 *Omnes illegitimi ab eodem Sixto fuerunt restituti habiles ad ingressum.*
86 *Filij sacrilegi parte existente professio valet.*
87 *Illegitimi dispensari possunt ad officia.*
88 *Quid nomine gradus, honoris, & dignitatis.*
89 *Illegitimus dispensari potest ad Generalatum.*
90 *Illegitimi sacrilegi hic dicuntur ex voto solemni tantum.*
91 *Illegitimi militaribus conflictis nati comprehenduntur.*
92 *Genitus ex coniugatis professis non comprehenditur.*
93 *Criminosi iure communi non arcentur à religione.*
94 *Sed tantum per Bullam Sixti V. inhabilitantur.*
95 *Ratiocinijs obligari prohibentur iure communi, & per dictam Bullam.*
96 *Debitores iure communi non prohibentur, sed tantum per Bullam Sixti Quinti.*
97 *Debitor professus ad nihil amplius tenetur ex industria.*
98 *Sponsus impeditur ab ingressu religionis, si dolose ingrediatur.*
99 *Stuprans Virginem non potest ingredi.*
100 *Coniux matrimonio nondum consummato potest religionem ingredi.*
101 *Cur Coniux possit ingredi ante consummatum matrimonium, & non sponsus.*
102 *An, & quomodo Coniugatis liceat ingressus religionis.*
103 *Nouitiatus coniugum debet esse vnius anni.*
104 *Diuortium quomodo sit causa liciti ingressus alterius coniugis?*
105 *Quæ causæ reddant validam professionem coniugatorum.*
106 *Defectus solius licentiæ alterius coniugis vitiat professionem.*
107 *Metu graui, vel dolo extorta licentia coniugis vitiat professionem.*
108 *Dissimulatio coniugis non vitiat professionem alterius coniugis.*
109 *Professio facta inuito coniuge solo tempore non potest conualescere.*
110 *Consensus communis est omnino indiuisibilis.*
111 *Ius coniugij vnius supra corpus alterius est perpetuum impedimentum professionis.*
112 *Coniux inualide professus potest propria voluntate exire.*
113 *Coniux professus etiam valide repeti potest officio iudicis.*
114 *Mihi non videtur esse reuocandus coniux valide professus.*
115 *Credens maritum mortuũ inualide profitetur, si viuit.*
116 *Inualide professus non remanet ligatus voto Castitatis, si eam specialiter non vouet*
117 *Quid sit Seruus, & quæ ad eum spectent axiomata.*
118 *Seruus contradicente domino est inhabilis ad religionẽ.*
119 *Duo in solidum non possunt esse domini eiusdem rei.*
120 *Seruus magis domino, quam coniux alteri coniugi.*
121 *Seruus vouet sub conditione, si domino placebit.*
122 *Post trienniũ seruus non requisitus valide profitetur.*
123 *Triennium serui nouitij incipit currere à die ingressus.*
124 *Libertas non potest dari ad tempus.*
125 *Quinquennium reclamationis inualidæ professionis incipit à die eiusdem.*
126 *Triennium serui est in fauorem omnium.*
127 *Coloni, & alij obligati sunt inhabiles.*
128 *Obligatus ad agendum aliquid ad tempus limitatum non potest interim ingredi.*
129 *Conditio triplex ex natura rei, à lege, & ab homine.*
130 *Conditio tendit in acquisitionem, & non destructionem rei, cui apponitur.*
131 *Iuramentum non infringit, qui illud in melius cõmutat.*
132 *Milites conducti sine licentia non recipiuntur.*
133 *Impuberes quomodo offeruntur, & recipiuntur in religione.*
134 *Filius habens parentes in necessitate graui non ingrediuntur.*
135 *Iuramentum tunc non valet.*
136 *Neque votum ingrediendi.*
137 *Professio tamen eorum valet.*
138 *Filius manens in sæculo cum periculo animæ ingreditur non obstante parentum necessitate.*
139 *Parentes nõ possunt ingredi relictis filiis indigentibus.*
140 *Filius tenetur exire stante extrema necessitate.*
141 *Non vero stante graui, nisi de licentia superioris.*
142 *Professus magis subiectus superiori, quam vxor marito.*
143 *Exeundi pro parentibus subueniendo dant licentiam maiores superiores.*
144 *Pater professus stante necessitate filiorum cum licentia egreditur.*
145 *Fratris indigentia non impedit ingressum.*
146 *Plures consanguinei possunt ingredi.*
147 *Imperator, Rex, & non ingreditur, nisi rebus cõpositis.*
148 *Bonum publicum præfertur priuato.*
149 *Episcopo non licet deserere oues ingrediendo religionẽ.*
150 *Attentata professio sine licentia Papæ est nulla.*
151 *Cardinalibus non Episcopis licet in ingressus.*
152 *Abbates & alij Prælati curam habentes possunt ingredi.*
153 *Parochi possunt ingredi.*
154 *Interim prouideant de Vicario.*
155 *Parochus nouitius retinet potestatem absoluendi.*
156 *Clerici beneficiarij, & alij possunt ingredi.*
157 *Romano Pontifici licet ingressus.*
158 *Nobilibus, & ignobilibus licet ingressus.*
159 *Diuites, & pauperes sunt capaces religionis.*
160 *De requisitis volentibus ingredi religionem Tertij ordinis.*
161 *Collegiales Anglici an prohibeantur ab ingressu.*

CVm Religio ex præmissis in præcedentibus sit congregatio fidelium sub professione Regulæ, necessarium est modo videre, quinam sint habiles ad ingressum huius religiosæ congregationis. Quare more solito.

Quæres 1. Quis sit habilis, vel inhabilis, seu prohibitus ab ingresso religionis?

℞. Omnis homo baptizatus, & fidelis ratione vtens, in legitima ætate constitutus iure pontificio non prohibitus est habilis ad religionem. E contra ille homo est inhabilis, qui nondum est baptizatus, vel caret vsu rationis, vel qui nondum habet legitimam ætatem, vel qui prohibetur ab ingressu. Quatuor ergo requiruntur, vt quis sit capax religionis. *Primo* vt sit baptizatus, & fidelis vt probatur infra sub q. 5. *Secundo*, vt habeat vsum rationis, infra sub q. 9. *Tertio*, vt sit in legitima ætate constitutus, quæ est inchoatio quindecim annorum respectu nouitiatus, septédecim vero respectu professionis, de qua ætate latius dicã loco suo. *Quarto* vt non sit prohibitus; pono exemplum in illegitimis, qui olim erant inhabiliter prohibiti à Sixto V. ab ingressu religionis, de quibus dicam hic sub q. 26.

Homo

Homo autem ab ingressu prohiberi potest triplici Iure. *Primo* iure naturali, quo infantes, amentes, vsu rationis carentes, & furiosi, eo modo, quo infra dicam in specialibus quæstionibus, quia prædicti sunt incapaces probationis, & professionis, ergo & receptionis habitus, quæ ordinatur ad ea duo. *Secundo* iure diuino, quo ab ingressu religionis prohibentur infideles non solum negatiui, sed positiui, nempe hæretici, qui quandoque fuerunt fideles, de quibus infra sub quæst. 7. *Tertio* iure positiuo Ecclesiastico Pontificio, vt patet in exemplo allato de illegitimis immo, & iure speciali singularum religionum, vt dicam sub q. 2.

Illa ergo quatuor copulatiue sunt necessaria, vt quis dicatur habilis ad ingressum, quia bonum ex integra causa, defectus vero cuiuslibet illorum quatuor sigillatim sufficit ad impediendum ingressum, quia malum ex singulis defectibus consurgit.

4 Nota autem quod spectat ad tertiam conditionem habilitantem hominem ad ingressum, eam ab ætate petentis ingressum regulari iuxta triplicem finem, propter quem quis potest petere ingressum; nam *primo* ingressus peti potest in ordine ad educationem siue ordine ad probationem, aut professionem, sic olim parentes filios suos impuberes à septennio ad decimum quartum annum tradebant religioni educationis causa, de qua re caus. 20. q. 1. 5 per totam. Impubes autem dicitur masculus antequam excedat decimumquartum annum suæ ætatis fœmina duodecimum, *Instit. quibus modis tutel. & cap. 3. de despons. impuber.* Educatio autem huiusmodi conceditur masculis, & fœminis post septennium, vt tradunt allegati à *Barbosa sess. 25. cap. 5. num. 93. & n. 94.* 6 ait, fœminam vltra annum vigesimum quintum in clausura educationis causa remanere non posse, sed episcopum ei constituere tempus ad deliberandum, an velit fieri monialis, vel recedere à monasterio, & redire ad seculum. De masculo vero crederem esse idem dicendum, tamen contrarium practicatur, dum enim incipiunt annum decimumquintum aptū ad probationem, petitur ab eis, an velint fieri religiosi, nec ne, non dimittuntur ad seculum, quia in eis non militat ratio, quæ in fœminis propter periculum sexus. Vide infra quæst. 46 *Secundo* ingressus peti potest in ordine ad probationem, quia quis vult fieri religiosus, in quo senius constitutus in ætate quatuordecim annorum expletorum est habilis ad probationem, & non ante. *Tertio* demum ingressus petitur regulariter in ordine ad professionem, & ad hanc emittendam homo incipit esse habilis ab initio decimi septimi anni suæ ætatis ex *Tridentino sess. 25. c. 15.* Manet ergo ex his explicata tertia conditio.

Quarta demum conditio, vt homo baptizatus non hæreticus rationis vsum habens, & constitutus in legitima ætate, sit habilis ad ingressum, est, ne sit prohibitus aliqua lege siue naturali, siue diuina, siue Pontificia, iuxta 7 quod superius dixi. Hinc est, quod edictum de ingredientibus religionem vocatur prohibitorium hoc est, omnis homo, qui non prohibetur ingredi religionem, est habilis, & aptus ad eam; inhabilis vero, qui prohibetur, seu ad minus interdictus est ab ingressu, arg. cap. cum apud 23. de sponsal. vbi edictum de matrimonio carnali dicitur prohibitorium, vt quicunque non prohibetur, possit contrahere.

Quæres 2. An religio possit condere statutum, ne recipiatur ad religionem certum genus personarum, vti descendentes ex infidelibus, laborantes morbo gallico, &c. Quæstio hæc potest intelligi multis modis. *Primo*, quod statutum immediate afficiat personas petentes ingressum. *Secundo*, quod afficiat ipsos religiosos, quibus prohibeatur receptio talium personarum tam ad nouitiatum, quam ad professionem. Demum fieri an possit cum decreto irritante, & inhabilitante tam nouitium iam receptum ad professionem, quam religiosos in ordine ad præstandum consensum in receptionem habitus, & professionis.

8 ℞. Religio potest facere huiusmodi statutum contra ipsos religiosos prohibēdo illos à receptione habitus, & professionis taliū personarum infectarum, apponendo decretum inhabilitans eorum consensum à receptione ad habitum, & professionē; immo potest inhabilitare etiam directè ipsum nouitium receptum in ordine ad professionem extendendo illud etiam ad seculares. Si vero non adsit decretum irritans expresse, vel tacite, sed simplex prohibitio etiam pœnalis sine aliquo decreto inhabilitante, attentata receptio ad habitum, & professionem valebit. Demum Religio non solum in capitulo generali sed etiam Prouinciali potest respectiue idem statutum condere.

Prima pars, quod à religione fieri possit statutum, ne tales personæ recipiantur ad habitum, nec professionē afficiens ipsos Fratres, probatur, quia superiores regulares habent vim statuendi pro bono communi suæ religionis, & conseruatione regularis obseruantiæ, vt docui cap. 2. q. 6. n. 32. dummodo non sit contra ius commune, ex eod. q. 16. n. 96. Sed hoc statutum concernit bonum commune ordinis, & obseruantiam regularem, nam religioni expedit habere milites strenuos, & sanos non solum mente, sed etiam corpore, vt valeant adimplere ea, quæ in sua professione Deo, & superioribus promittunt; vt plurimum autem laborantes prædictis morbis non possunt exequi, quæ religiosis obseruāda præscribuntur, ergo religio ius habet statuendi, ne huiusmodi personæ recipiantur, debet enim seruare se indemnem, neque enim religio indiget personis inutilibus, & quæ potius sunt incommodi, quam commodi. Neque est contra ius commune, in quo nihil de his personis decernitur, nec pro, nec contra. Vide dicta eod. c. 2. q. 16. n. 103. Confirmatur, quia huiusmodi statutum apud nonnullas religiones factum durat, & suum sortitur effectum, vt mox referam, ergo habet suam subsistentiam.

Secunda pars, quod huic statuto apponi possit decretum irritans præstitum consensum, probatur generaliter cap. 2. quæst. 10. n. 48. Confirmatur. *Tum quia*, hoc statutum excludens certum genus personarum non excedit potestatem superiorū, à quibus dependet receptio nouitiorum, vt patet ex Regulis, Bullis, & constitutionibus, ergo tale statutum facere possunt, nihil enim aliud importat, quam impedire, ne tali morbo laborantes recipiantur. *Tum quia*, talem statutum tanquam rationabile, iustum, & validum cum decreto irritante practicatur in multis religionibus, de quo testatur *Portellus tom. 2. casu 90.* de non recipiendis descendentibus à Iudæis, & tuetur *Suar. tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 2. à num. 10.* ab eo citatus. Simile habent Capucini de non recipiendis laborantibus morbo caduco, aut alio contagioso, relatum à Vecchio disput. 53. dub. 15. his verbis: *Qui elephantia, morbo caduco, aut alia infirmitate contagiosa afficitur non recipiatur. Et si quis talis receptus* 9 *fuerit, eo quod interrogatus talem infirmitatem manifestare noluerit, declaratur religionem ad eum retinendum minime velle esse obligatam.* In hoc statuto tria spectantur, irritatio, interrogatio, & consensus conditionatus. Circa primum, hoc statutum implicite continet decretum irritans, vt colligitur ex postremis verbis: *Declaratur, religionem ad eum retinendum minimè velle esse obligatam.* Si non est obligata, ergo signum est, quod professio non tenuit, hæc enim rationem habet contractus, qui est citro, vltroq; obligatio, nā in professione vera, & valida reperitur mutuus consensus recipientis, & recepti, quo superior se obligat retinere professum, & receptus se obligat seruire Deo in religione, si ergo in religione Capucinorū tales non retinentur ex præfata obligatione, sequitur professionē illorum inualidā fuisse, quia professio valida ex necessitate habet adiunctā illam obligationē retinendi valide professum. Circa interrogationem illi præmittendam crederem esse omnino necessariā, adeo quod si non interrogatur, & professionem emittat, videtur valida, quia in eo casu consensus non est conditionatus, sed absolutus, sola enim illa interrogatio cum falsa responsione specificat consensum conditionatum, hoc est, *Te recipio si careas hoc morbo, de quo fuisti interrogatus.* Conditio

autem existens falsa vitiat actum l. Eas causas 79. ff. de
condit. & dem. conditiona enim deficienta contractus
ipso iure ast resolutus *l. Necessario ff. de peric. & com. mod.*
11 *Menoch. consil. 134. num. 30. & 31.* & dolo deceptus non
dicitur consentire, *l. Et eleganter 7. ff. de dolo Paris. lib. 13.*
de Resignat. benef. quæst. 3. num. 5. Portell tom. 1 par. 2. casu
10. Quare cum deficiat consensus monasterij; constat
nullam essa professionem eius nouitij, qui inter Capuci-
nos interrogatus occultat morbum, respondendo essa
axemptum ab eo, consequenter statutum continet im-
plicita decretum.

12 Tertia pars de nouitio inhabilitato ad professionem
probatur. *Tum quia*, nouitius per receptionem habitus est
verè subditus religioni, cum domicilium contraxerit in-
13 tra religionem, *Sanch. lib. 4 cap. 39. num. 10. fine, Nald.*
ordo n. 10. Tamb. tom. 2. disp. 6. quæst. 6. num. 12. Ego resol.
54. quæst. 39. Ergo directè ligari potest statutis eiusdem
maxime, quæ concernunt professionem. *Tum quia*, immo
secularis ipse aliquo modo saltem indirectè, & ex obliquo
14 ligatur, in quantum cum professis attantat contrahere
spiritualiter, cum quibus agere valide non potest, nisi
munitus conditionibus requisitis, nam forensis, & ad-
uena licet non sit subditus Principi, in cuius ditione con-
trahit cum eius subdito, est tamen subditus ratione con-
15 tractus, secundum enim leges; & statuta loci contra-
here debet, *cap. 3. & fin. de foro compet.* sed professio est
quædam species contractus, cum mutuam dicat obliga-
tionem inter religionem, & profitentem, *Nauar. consil.*
5. & 16. de Regul. vt dicam suo loco. Ergo qui vult in-
gredi religionem, & in aa profiteri, debet esse munitus
conditionibus requisitis ad ingressum, & cum superiori-
bus tractare iuxta statuta ordinis, vt legitime recipi pos-
sit, aliter inualide recipitur ad habitum, & professionem,
illi resistente decreto irritante, quod illum afficit tanquam
subditum rationa rei, & contractus spiritualis, quem in-
tendit facera cum religione, ergo à fortiori iam ingres-
sus. *Tum quia*, sicut potest statuens prohibere, ne foren-
ses acquirant bona in suo territorio, vt omnes docent
cum Cephalo consil. 53. numer. 7. Fabr. Turret. consil. 17. Ita
religio potest facere statutum, ne nouitius etiam an-
tequam recipiatur possit admitti ad habitum, & pro-
fessionem. *Tum quia*, inhabilitare aliquem ad Religio-
nem nihil aliud est, quam nolla efficaciter illum recipere
habitum, quare cum renuere possit petentem ingressum,
poterit etiam decretara contra illum, na recipiatur, & de
facto receptus, nulla sit eius receptio tanquam inhabilis
admissio.

Et ax his patet responsio ad id, quod obiici posset;
nam nondum raceptus ast merus secularis nulla ratione
subditus Religioni, idao affici non potast tali statuto, sta-
tuera enim est actus iurisdictionis, qui solos subditos cõ-
16 prehendit, & ligat. Nam respondetur, statuta afficere
non solum subditos ratione domicilij, sed etiam tales ra-
tione rei, nagotij, & contractus cap. fin. de foro compe-
tent. statuta ergo ligant subditos ex domicilio, forensea
vero ax re, seu contractu. Quare volentes ingredi Reli-
gionem sunt subiecti statutis Ordinis, adeo, quod debent
habere requisita ad ingressum aliter excluduntur.

17 Quarta pars, quod prohibitio simpliciter facta sina de-
creto irritante non impediat efficaciter ingressum, & pro-
fessionem, quæ tenent, probatur ex illo communi axio-
mate cap. ad Apostolicam 16. de Regul. in terminis: *Mul-*
18 *ta fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.* In versu sic:
Leges multa vetant, quæ tamen acta tenent. Confirmatur,
quia simplex interdictum, seu prohibitio sine decreto irri-
tanta implicito, aut expresso non irritat sponsalia, nec ma-
trimonium contractum, vt de veriori sententia tradit
Sanchez lib. 7. disputat. 2. à numer. 9. ergo idem dicendum
est de statuto simpliciter prohibente receptionem habi-
tus & professionis, valet enim argumentum à matrimonio
carnali ad matrimonium spirituale professionis: *Vecch.*
disp. 12. de Nouitiis dub 1. n. 6. ex cap. Licet, de translat.
Episcop. Nauarr. consil. 4. de offic. ordin. Ita docent *Sanchez*
l. 5. c. 4. n. 72. fine, & 79. Portellus part. 1. casu 9. n. 8. Ego
resol. 57. n. 32. cum aliis. Diana part. 10. tractat. 12. resol 6.

Colligitur hinc differentia inter simplicem prohibitio- 19
nem, & efficacem, quæ scilicet habet adiunctum decre-
tum irritans, in eo, quod illa facit actum illicitum, non vero
inualidum, & nullum, quantum est ex suo influxu, hæc
vero vtrumqua efficit, nam actum & facit licitum, & in-
ualidum nullius roboris existentem.

Quinta demum pars, quod non solùm Capitulum Ge- 20
nerale, sed etiam Prouinciale possit facere statutum inha-
bilitans, probatur ex illo communi axiomata: quod, Pro-
uincialis in suo Capitulo Prouinciali pro suâ Prouincia 21
potest facere, quidquid valet agere Generalis in Capitu-
lo Generali pro toto Ordine, nisi ille ab hoc prohibeatur;
& similiter Episcopus potest, quicquid Papa, nisi inter- 22
dicatur, vt notat ex *Victoria, & Soto Rodriq. tom. 1. quæst.*
17. art. 6. & quæst. 23. art. 1. alios citat Sanchez lib. 2. disp.
6 t. num. 3. Bonac. punct. 1. de dispens. num. 17. intellige,
exceptis, quæ spectant ad statum vniuersæ Ecclesiæ, Epis-
copus enim non potest definire res fidei, &c. Ergo Prouin-
ciales statuere possunt inhabilitando suos subditos, si non
prohibeantur, quia hoc ius habet Generalis in suo Capi-
tulo etiam Definitorio.

Nauarr. consil. 26. cui primo obiectum fuit statutum
in Ordine Minimorum excludens efficaciter cum inha-
bilitatione à Religione, descendentes ex infidelibus, putat
illud essa nullum. quem sequuntur *Rodriquez tom. 1.*
quæst 10. artic. 3. cum suo Nepote resolut. 101. num 16 Mi-
randa tom. 1. quæst. 19. art 7. Sanchez lib. 7. disput. 37.
num. 30. & lib. 5. cap. 4. num. 73. Probant *primo*, quia nul-
lus inferior Papa potest statuera contra ius commune;
contra quod est huiusmodi statutum excludens descen-
dentes ex Iudæis, aut laborantes epilepsia à Religione,
quia iura cõmuni omnes Christiani apti sunt Religioni,
generatio enim ex Infidelibus non est canonicum impe-
dimentum ad intrandum Religionem, nam Alexand. III.
in cap. Eam te, de rescript. mandat recipi in canonicum
Iudæum da recenti conuersum ad fidem. *Secundo*, quia
in seruiendo Deo nulla debet asse distinctio, iuxta illud
Pauli: *Non enim est distinctio Iudei, & Græci, nam*
idem Dominus omnium. Non ast ergo facienda inter vnum
& alterum secundum rationem, quando petunt ingres-
sum in Religionem, quia conuarsi dicuntur ad Deum,
qui nullius personæ est acceptator, sed vult omnium con-
uersionem, & salutem. *Tertio*, quia Concilium Prouin-
ciale, nec Synodale statuera possunt contra aliquod ge-
nus personarum, ne contrahant matrimonium, inhabili-
tando personas; quæ habiles sunt de Iure Canonico, ergò
nec Religio tala statutum condere potest inhabilitans ad
ingressum Religionis; valeat enim argumentum à matri-
monio carnali ad spirituale. *Quarto*, cum huiusmodi sta-
tutum dicatur factum in odium generis Iudaici, est illici-
tum, iniquum, & nullius momenti, argumento contrà
illum Episcopum, de quo in præcitato cap. Eam te, de re-
script. qui nolebat recipere in canonicum quendam Iu-
dæum genere ex odio illius nationis, vt dicitur in fine
eiusdem capitis. *Quinto*, quia dispositio eorum, quæ
pertinent ad essentiam trium votorum, pertinet ad Pa-
pam tantum; a Cum ad Monasterium, de statu Monach.
ergo statutum disponens, quod huius, vel illius professio
valeat, necne spectat solum ad Papam. Vide alia argumen-
ta apud Ricciul. de Neophitis cap. 7.

Quibus non obstantibus persistendum est in determi-
natis superius, nimirum tale statutum excludens certum
genus personarum à Religione esse validum, vt abundè
supra probatum fuit validis argumentis, ex quibus dedu-
citur responsio ad obiecta.

Ad primum concedo, quod nullus præter Papam po-
test statuere contra ius commune, cum inferior non possit
tollere legem superioris, *Cap. Inferior 4. distin. 21. cap.*
Cum inferior 16. de maior. expressius Clemen. II. de elect.
Hoc autem statutum arcens certas personas à Religio- 23
na cum decreto irritante non ast contra ius commune,
cum id nihil disponat nec pro, nec contra, sed tantum
se negatiue habet, iuxta quod dixi c. 1. quæst. 17. n. 101.

&

& controuers. 49. num. 49. de duplici iure communi, positiuo scilicet, & negatiuo, contra quod statui potest, cum id sit determinare id, de quo ipsum ius nihil positiue decreuit. Et quod nihil decreuit positiue patet ex eo, quod religio non tenetur recipere petentem ingressum, licet alias omnino sit habilis munitus omnibus bonis qualitatibus, quia in eius est libertate recipere, & non recipere hunc, vel illum, à fortiori patientem aliquẽ defectum, quo potest nocumentum vel incommodũ afferre religioni, ad quod impediendum efficaciter irritat actum attentatum, quod fieri non posset, si ius commune præciperet omnes personas indifferenter debere recipi in religionem, quod hactenus nemo dixit, ergo statuens tales personas non esse recipiendas, bene statuit, & nihil facit contra ius commune; cum solum prohibeat efficaciter, ne recipiantur, auferendo consensum à suis subditis in hoc habilitatis,
24 sicut etiam inhabilitantur nouitij. Adde, quod legis virtus est præcipere, vetare, permittere, & punire, *leg. legis 7. ff. de legibus*, ius autem commune nullibi præcipit, vt religio recipiat tales, vel tales petentes ingressum; prohibet vero aliquos recipi, vt infra videbimus, fauore horum religio statuum facere non potest, quia esset contra legem huiusmodi prohibentem; vtique vero statuere potest contra aliquos, quia fauore nullorum lex præ-
25 cipit, vt dixi; virtus permissiua legis cum se habeat ad illicita, quatenus ea non punit, non se extendit ad religionem, quæ de se bona est in suo ingressu, & professione, ideo non potest lex permissiua habere pro obiecto rem bonam, demum punit ius commune male agentes in receptione nouitiorum, vt ver. gra. non recipiantur ad professionem infra annum probationis cap. 1. & 2. de Regulat. in 6. contra hoc ius positiuum religio statuere non potest, vt recipiantur ad professionem infra annum probationis. Patet ergo ex his, quid sit statuere contra ius commune.

Et si omnes fideles iure naturæ, & diuino sint habiles ad religionem, & in ea Deo seruire, id tamen non imponit necessitatem superioribus, in quorum potestate, & arbitrio est recipere hos, & non illos, quia huiusmodi habilitas non habet adiunctum imperium, nec præceptum, sed in tantum dicuntur habiles, in quantum lege, nec statuto prohibentur, edictum enim de ingressu religionis est prohibitorium, vt omnes scilicet fideles vsum rationis habentes sint habiles Religioni quousque prohibeantur; eorum vero habilitas non cogit, nec obligat superiores ad receptionem; cum ius, nec præceptum obligatorium dicat, sed tantum importet capacitatem personæ, cui non repugnat status religiosus. Habent ergo omnes Religiones de iure naturæ, & diuino potestatem sibi consulendi efficaciter mediis constitutionibus, præceptis, & statutis, ne omnes passim, & indifferenter de omni genere, & conditione recipiantur in graue præiudicium ordinis, & disciplinæ regularis.

Ad illud Alexand. III. mandantis recipi clericum ex
26 genere Iudæorum respondetur, nihil contra nos, nam Papa mandat illum recipere, quem Episcopus de facto excluserat, designando illum, quia erat ex genere Iudæorum, & ibi nulla fit mentio, quod tale statutum valeat nec ne, oretenus nolebat illum recipere inter canonicos, ideo ille textus non videtur facere ad rem, cum factum arguatur, non statutum.

Ad secundum respondetur, eam auctoritatem, *Non est distinctio Iudæi, & Græci*, esse intelligendam quo ad Euangelij, & Baptismatis receptionem, quod est mediũ necessarium indifferenter Iudæis, & Græcis, cum Deus sit omnium Dominus; ideo ea auctoritas nihil contra nos probat: & de ea intelligentia loquitur in terminis nostris *Rodriquez tom. 1. q. 14. art. 1.*

Ad tertium respondetur, Episcopos in suis Synodis posse statuere impedimenta dirimentia matrimonium, si non prohibentur à Sede Apostolica, vt aliis citatis docet *Sanchez lib. 7. disp. 1. n. 9.* ius vero commune nihil disponit respectu Religionum, quo ad impedimenta professionis, ergo Religiones circa illa statuere possunt.

Ad quartum respondetur, statuta huiusmodi non fieri 27
in odium personarum, sed in bonum publicum religionis, & conseruationem Regularis obseruantiæ, habet enim ius seruandi se indemnem ab incommodis, scandalis, & periculis, quæ posset incurrere per receptionem talium personarum, quæ facile solent redire ad vomitum, *cap. Plerique 93. distinct. 4. de consecrat. & tit. de Iudæis, præsertim cap. Ad hæc 8. cap. Et si Iudæos 13. cap. In nonnullis 15. cap. Cum sit 16. cap. Ex speciali* 18. Ex quibus locis colligitur, leges ibi expressas fuisse conditas in odium huius nationis, propter eorum incredulitatem, & iniquitates eorum contra Christianos, quod timeri potest in descendentibus ab illis, filij enim solent imitari parentes.

Ad quintum respondetur, dispositionem trium votorum, quo ad essentiam suam spectare ad Romanum Pontificem quo ad institutionem, cum omnis Religio, quæ in tribus votis consistit, per approbationem Romani Pontificis recipiat suum esse, quo vero ad receptionem personarum spectat etiam ad superiores regulares, prouidendo, ne recipiantur personæ, quæ obesse possunt religioni. Nec allatus textus facit ad rem, cum in eo dicatur, quod abdicatio proprietatis, & continentia castitatis ita sunt annexæ religiosis, vt super illis nec Papa dispensare possit, intelligi debet nisi cum maxima difficultate, & causa vrgentissima, iuxta quod dixi c. 1. n. 250.

Demum supradicti Auctores concedunt posse fieri huiusmodi statutum simpliciter sine decreto irritante, & inhabilitatione, alias non.

Sed contra est, quia tam est contra ius commune simplex prohibitio sine decreto inhabilitante, quam cum decreto, nam prohibitio vtraque aduersatur, si tamen contrarietur iuri communi, ergo nullo modo potest fieri in eorum sententia huiusmodi statutum, si supponatur esse contra ius commune, non enim primo decretum dicitur aduersari iuri, sed ipsamet prohibitio, vt dicendum videtur in eorum sententia.

Quæres 3. Cur prohibeatur certis personis ingressus in religionem? Ratio dubitandi est *primo*, quia sicut Deus neminem respuit peccatorem ad se venientem, sed recipit, & vult, omnes homines saluos fieri, 1. ad Timoth. c. 2. 4. Et eum, qui venit ad me non eiiciam foras Ioan. 6. 37. ita Ecclesia nulla lege aut statuto quemquam debet repellere ab ingressu religionis, in qua petens sperat, se in ea, gratia Dei auxiliante, salutem consequi posse. *Secundo*, quia criminosi, malefactores, & facinorosi homines potissimum sunt recipiendi, maxime quando instanter petunt, nam Ecclesia proprie hos amplectitur ad pœnitentiam, *cap. De lapsis 5. 16. quæst. 6. cap. Si ille 58. distinction. 50. cap. Tua 6. de pœnis*, non solum sponte venientes, immo coguntur ingredi ex dictis Canonibus, vt pœnitentiam agant suorum delictorum.
Tertio, quia ingressus in religionem dicitur conuersio, 28
cap. Vn. distinct. 53. cap. Monasteriis 6. cap. Quia 7. cap. Perlatum 8. 19. quæst. 3. & alibi, ergo criminosi non sunt prohibendi ab ingressu religionis, cum quærant conuersionem, & mutationem vitæ ante male actæ, quæ illis deneganda non est. *Quarto*, quia nullus prohibendus est à bono, quod agere intendit, bonum enim est obiectum legis præcipientis, vnde finis legis à *D. Thom. 1. 2. quæst. 92. art. 1. apud Becan. q. 7. de lege in communi*, adiunctus aliis quattuor imperandi, prohibendi, permittendi, & puniendi, quintus est hominem facere bonum; prohibitionis vero obiectum est malum, ergo prohibitio locum habere non potest respectu religionis, quæ bona est, sancta, & immaculata, Iacobi 1. 27. conuertens animas, & deducens hominem ad perfectionem, potius est igitur præcipiendus, quam interdicendus ingressus religionis. *Quinto*, Christus in suam religionem Collegij Apostolici, à qua ceteræ omnes originem trahunt, quo ad institutionem, & formam, vocauit bonos, & malos, inter quos fuit Iudas proditor, non enim venit vocare iustos, sed peccatores, Matth. 9. 13. *Sexto* quia in Authent. de Monachis collat. 1. tit. 5. ita scribitur per Iustinianum Cæsarem: *Hic etiam nobis de singulis*

Monachis

Monachis vagitandum est, quo conueniat fieri modo, & vtrum liberos solum, an etiam forte seruos, eo quod omnes similiter diuina susceperis gratia, prædicans palam, quia quantum ad Dei cultum, non est masculus, neque fœmina, neque liber, neque seruus; omnes enim in Christo vnam mercedem percipere. Quilibet ergo homo declaratur aptus ad Religionem, ideo nullus ab eius ingressu est arcendus Quibus tamen non obstantibus.

29 ℞. Ingressus in Religionem quibusdam personis rationabiliter interdicitur, & prohibetur, prohibitione fundamentum habente in aliquo eorum crimine, vel defectu, quibus ingressus prohibetur ex rationabili causa, ne Religio inficiatur, obscuretur, aut patiatur detrimentum aliquod, ne disciplina regularis eneruetur, relaxetur, & deterioretur, quibus Sixtus V. permotus prohibuit efficaciter receptionem illegitimorum, criminosorum, & obnoxiorum ære alieno, iuxta quod dicam infra. Persuadetur legitima prohibitio. *Tum quia*, si in artibus, & officiis, ex bonis meliores quæruntur, vt opus perfecte, & ad amussim absoluatur, nonne maior diligentia est adhibenda, vt ad Religionem, in qua non opus materiale, sed spirituale ad seruiendum Deo, agitur, fiat petentium ingressum delectus, & selectio eorum, qui ad tam grande ministerium pro aliis sint habiles, & magis idonei. *Tum quia*, religiosi nomen significat personam bonæ famæ gloss. 11. eod. cap. 5. de purgat. canon. & debent esse viri perfecti, cap. Etsi Christus 26. de iureiur. vnde perfectionem, ad quam tendere debent, sibi acquirunt obseruatione eorum, quæ Deo per professionem promiserunt. *Tunc demum*, interdicitur nonnullis habitu religioso indignis ingressus, ne malo exemplo eorum, & vita reprehensibili, quam in sæculo ducunt, corrumpant bonos religiosos, quorum multum interest, pro conseruatione disciplinæ regularis, acquirere sibi probatæ vitæ socios, & commensales Quare non omnes passim, & sine discrimine sunt recipiendi, sed illi tantum, qui habent requisita à Iure Ecclesiastico, & statutis ordinum, quorum ingressus sperant profuturos, non obfuturos religiosis iam ambulantibus in via perfectionis.

30 Ad primum. Deus vult quidem omnes saluos fieri. non tamen omnes elegit, sed paucos Matth. 20. 16. Vocantur omnes à Deo, quos vult saluos fieri voluntate antecedente, inquiunt Theologi, quæ & dicitur voluntas signi, & secundum quid; non voluntate consequen-

31 ti, absoluta, & beneplaciti. Est autem voluntas antecedens illa, per quam Deus absolute fertur in bonum in seipso spectatum, præscindendo ab omnibus circunstantiis, cum quibus coniungi potest; Voluntas vero consequens est illa, per quam Deus fertur in obiectum bonum eum omnibus suis circunstantiis. Ad propositum salus est quoddam bonum intentum à Deo omnibus hominibus, secundum voluntatem antecedentem, quia antecedit circunstantias, ac proinde etiam reprobos vult saluos fieri, quantum est ex se, quia salus est obiectum bonum, sed non vult illos saluos fieri, attentis circunstantiis, voluntate consequenti, sed tantum prædestinatos. Sed de hac re alias. Sicut ergo non omnes electi sunt ad gloriam, ita neque omnes digni sunt Religione, sed tantum illi, ex quorum circunstantiis, & conditionibus sperantur propagatio, ædificatio, & conseruatio Religionis, non illius destructio, seu deterioratio.

Ad secundum, & tertium Verum est, alias receptos, fuisse homines criminosos, & facinorosos, & si aliqui vitam in Religione laudabilem, & sanctam duxerunt, compertum tamen est experientia, plures illorum se male egisse, & ante actam malam vitam non mutasse in bonam, sed prosequutos fuisse viam erroris veterem, ad quam quandoque alios trahebant religiosos, vnde mundum non fugerant, sed pœnam, quam pro suis delictis timebant, eludebant, inquit enim Iustinianus in Authent. vltimo allegata: *Non enim facilis est vita hominum mutatio,*

32 *sed cum anima fit dolore.* Ideo Ecclesia Dei his, & aliis iustis de causis mota fuit ad prohibendũ ingressum Religionis criminosi, & aliis patientibus diuersos defectus, quibus indignos se reddunt Religione,

Ad quartum dico, non prohiberi bonum, sed malum, quod inde sequeretur Religionibus, si quilibet indifferenter recipi posset intra claustra. Non prohibetur bonus ingressus sed malus, qualis est hominum, qui patiuntur vitia, & defectus obfutura Religioni. Ingressus ergo religionis de se est bonus, sed ratione circunstantiæ est malus, ideo ratione mali, quod inest petenti ingressum, persona arcetur ab ingressu religionis.

Ad quintum, Christus recepit in suam Religionem bonos, & malos indifferenter, quia suo exemplo poterat illos facere bonos, & cum esset Legislator, nulli erat subiectus legi, & vnus tantum remansit malus, cæteri euaserunt boni. Adde quod sine Christiana Fide Religionis nullus saluari potest, sine vero religione ex tribus votis præcise constante, quilibet saluari potest cum sola fide Christiana, & operibus per eam præscriptis.

Ad sextum, Iustinianus Imperator dixit omnem fidelem siue masculum, siue fœminam, liberum siue seruum egere gratia Dei, & posse fieri monachum, non tamen subdit, neminem prohiberi posse, immo vt colligitur ex subsequentibus verbis de seruis, qui non nisi ex certis conditionibus recipi possunt, alias carentes prohibentur ab ingressu religionis.

Quæres 4. Quænam ætas impediat ingressum religionis?

℞. A septennio infantes posse à parentibus offerri religioni propter educationem, vt colligitur ex c. Addidistis 2. c. 33 Quicunque 4. vbi Anna Samuelem puerum via ablactatum obtulit Deo, *c. Infans* 7. 20 q 1. c. 1. c. 2. *c. Oportet* 4. 20. q. 2. In ordine vero ad probationẽ impeditur impubes masculus, qui citra decimum quartum annum completum non potest incipere annum probationis, fœmina vero impeditur per totum annum decimumtertium, *c. Illud* 10 *eadem c. Puella* 2. 20. q. 2 *c.* 1. *de Regular. in* 6. De qua re etiam infra cum agetur de anno nouitiatus. De qua re infra q. 46.

Quæres 5. An infidelis sit capax religionis, cuiusmodi est Iudæus, & Paganus?

Respond. Negatiuè, probatur ex fundamento iacto ab initio huius capitis, quia ille solum est capax, & habi- 34 lis ad religionem, qui est baptizatus, sicut enim baptismus est ianua reliquorum sacramentorum, ita & sacramentalium, inter quæ computatur religio ex professione, sed infidelis caret baptismo, ergo inhabilis est ad religionem. *Confirmatur*, quia ille solum est habilis ad religionem, qui est membrum Ecclesiæ militantis, cuius species est religio, quæ extra Ecclesiam non est, cum originem habuerit à Christo, qui totius Ecclesiæ caput est; sed infidelis non est membrum Ecclesiæ, cum professionem fidei in baptismate nunquam promiserit sub Pontifice Romano, ergo nec potest fieri religiosus. Adde, quod solum ille est capax religionis qui in spiritualibus est subiectus summo Pontifici, qui omnes approbat religiones, & est pater, & supremus superior omnium religiosorum; sed nondum baptizatus non subditur in spiritualibus Pontifici maxime, ergo non potest fieri religiosus.

Quæres 6. An Catechumenus, Neophitus, & in fide nouus sit capax, & habilis ad religionem? Catechume- 35 nus est persona adulta habens vsum rationis petens baptismum in ordine ad quod instruitur in fide, & symbolo Apostolorum. Talis autem vocatur vsque ad susceptionem baptismi fluminis, vt aiunt, ad distinctionem baptismi flaminis, quod acquiritur per actũ contritionis ante illud aquæ, & sanguinis, quod martyrio quæritur. Recepto autem baptismate, de catechumeno incipit esse Neophitus, idest; nouus in professione fidei c. sicut 2. dist 48. vbi distinguuntur duo genera Neophitorum, vnum ex professione fidei, & hi dicuntur Neophiti sine alio addito, de quibus hic; alterum est de Neophitis in veste religiosa verba textus sunt hæc, *Sicut Neophitus tunc dicebatur, qui initio sanctæ fidei erat eruditione plantatus; sic modo Neophitus est habendus, qui repente in religionis habitu plantatus ad ambiendos honores sa-*

eros irrepserit. De Neophitis ex professo tractat Riccius ll. in fine sui operis de iure eorum, qui sunt extra grem. Eccles. vbi capit. 10. Ait vocari Neophitum solum infra primum annum à baptismate.

36 Respond. Iura communi nihil statui nec pro, nec contra huiusmodi Neophitos, vnde cum ex hoc capite non prohibeantur, sed sint baptizati, & nihil aliud obstet, recipi possunt ad ingressum, nisi adsit aliquod statutum ordinis, eos excindens à religione, id enim seruandum est. Et licet arceantur ab ordinibus, & honoribus iure communi, apud dictum Riccium. non tamen sequitur, quod prohibeantur ab ingressu religionis, quia non valet argumentum ab ordine ad religionem, vt dicam infra. Non sufficit baptismus flaminis, sed necessarius est baptismus fluminis, quia ille, sicut is, non probat quem esse intra Ecclesiam Romanam, licet quo ad Deum dici possit esse in Ecclesia, sed pro tali Ecclesia eum nondum habet, quia per solum baptismũ aquæ quis efficitur, & cognoscitur filius Eccles.

Dubitari hic potest, an religiosus ex fidelibus natus, qui dubitat de suo baptismate, si se faciat baptizari cum conditione, teneatur reficere professionem? Respond. Affirmatiue, quia vt dictum fuit, nondum baptizatus est incapax religionis, ergo vti talis non potest valide profiteri. Rem hanc *Portellus t. 1 par. 1. casu* 28. fuse prosequitur *à num.* 18. probando eius nullitatem, vbi ex Marzilla refert Responsionem S.C. cuius verba implicant responsionem, ideo tanquam subreptitia reiicitur, & apocripha.

Quæres 7. An hæreticus sit capax religionis?

37 Respond. Hæreticus est incapax religionis. Probatur. *Tum quia*, existens extra Ecclesiam inhabilis est ad religionem, ab Ecclesia enim est initium omnis religionis; hæreticus autem est extra Ecclesiam, vt dicitur Ioan. 10. 26. *Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis*. Loquitur textus de hæreticis, quales dicuntur, qui non credunt qui cum non sint ex ouibus Christi, sine dubio sunt extra Ecclesiam. Idem affirmat in Epist. 1. capit. 2. 19. & Paulus in Epist. 2. ad Corinth. cap. 6. 15. *Quæ pars fidelis cum infideli*. Nihil ergo commune habent hæretici cum fidelibus, ergo in nullo conueniunt, per quod coniungi possint cum religiosis; Ergo sunt incapaces religionis. *Tum quia*, ille est capax religionis, qui non arcetur à consortio fidelium, sed imitatur fideles in credendo, & operando, quod fides docet; sed hæretici arcentur à consortio fidelium, & nolunt credere, neque operari, quod credit, & operatur Ecclesia Romana, ergo inhabiles sunt ad religionem. *Tum quia*, qui nolunt obedire, neque recognoscere Romanum Pontificem, sunt indigni, & incapaces religionis, cum Papa sit omnium religionum approbator, sine quo nullus existere potest & cunctorum proinde religiosorum supremus, & absolutus superior; tales sunt hæretici, vt de se patet, ergo sunt inhabiles. *Tum quia*, sine expressa licentia Papæ hæretici pœnitentes nequaquam possunt ingredi religionem, ex allatis *à Calder. de hæreticis redeuntibus*; *& in Concilio Tolosano, & Narbonensi* idem dicitur, quod ingressi sunt reuocandi, vt videri potest apud dictum *Calderinum, & Farinac. quæst.* 195. *num.* 69. quos citat etiam *Vecchius disp. 3. dub.* 16. Nullus ergo hæreticus formalis siue manifestus, siue occultus, siue pœnitens est capax religionis, propter rationes adductas, & fundamentum initio huius capitis iactum. Siue ergo pœnitens ante sententiam, siue post, semper inhabilis est donec dispensetur, quia rationes militant in vtroque casu, quicquid dicat Vecchius citatus de habili ante sententiam, inhabili vero post sententiam, citans *Farinac quæst.* 195. §. 3. *num* 70. vbi seipsum citat, & nihil de hac re, sed in præcedenti simpliciter dixit, hæreticos non posse fieri religiosos sine licentia Papæ.

Portellus 11. Professio nulla n. 24. §. Quod si professus, sustinet, valere professionem hæretici, probat, quia valet matrimonium catolici cum hæretico, secundum Nauarrum, & Sanchez ab eo citatos, ergo & professio hæretici. Vide *Sanch. lib. 7. disp* 72. *n.* 2.

Respondetur, in matrimonio carnali duo spectari, rationem contractus, & rationem sacramenti, licet matrimonium teneat respectu contractus, quod est quid temporale, nihil tamen habet spiritualitatis respectu hæretici, in professiona contractus est mere spiritualis cum sit votum, ideo hæreticus non est capax religionis, vt in ea possit profiteri, cum sit incapax bonorum spiritualium, inter quæ connumeratur ingressus, & professio.

Quæres 8. An Apostata, & schismaticus sint incapaces religionis, sicut hæreticus? Quadruplex est Apostasia, à fide, ab ordine, ab obedientia, & à religione, de his *D. Thomas* 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. hic agitur de Apostatis à fide, quam in baptismate professi sunt, & ab obedientia Romani Pontificis vt Pontifex est. Apostata igitur à fide dicitur homo baptizatus, qui in totum recedit à fide; per quod differt ab hæretico, qui non totam fidem, sed secundum aliquos articulos à se reiicit; recedit ergo Apostata non solum à fide, sed etiam à Deo, & Christo auctore totius fidei, & retinet solum caracterem baptismi, quem à se proiicere non potest. Qui vero non vult recognoscere Pontificem Romanum vt Christi Vicarium dicitur schismaticus, vnde non reperitur schisma sine hæresi, est enim de fide recognitio huius Pontificis pro tempore existentis, negans ergo illum ipso iure hæreticus est. 38

Respond. Apostatam, & Schismaticum esse incapaces religionis non solum propter rationes adductas de hæreticis, cũ & isti sint hæresi infecti, sed à fortiori, quia Apostata negando fidem cum auctore fidei totam Dei Ecclesiam destruit, quantum est ex se; & schismaticus negando caput illius facit Ecclesiam acephalam, & nullius virtutis; merito igitur isti sunt inhabiles ad religionem, cuius principia negant, nam religio initium habet, & existentiam ab Ecclesia in Pontifice Romano Vicario Christi totius Ecclesiæ, & omnium religionum supremum caput. Confirmatur, quia isti quo ad fauores sunt omnino extra Ecclesiam, ergo vt tales nullatenus possunt esse membra Ecclesiæ, cuius potissima pars sunt omnes religiosi. 39

Quæres 9. An amens, & furiosus sint capaces religionis? Super qua quæst. dubitari potest, an semper amens, seu furiosus sit capax ingressus, probationis, & professionis? *Secundo* an semistultus sit capax prædictorum? *Tertio*, an habens lucida interualla habilis sit ad religionem? *Quarto*, an superueniens dementia, seu furor interrumpat nouitiatum iam legitime ceptum cum mente sana? *Quinto*, an eo tempore, quo laborat dementia, aut furore currat nouitiatus, an vero suspendatur, dormiat, & cum recuperauerit sanitatem mentis debeat supplere illud tempus, quo nouitius fuit in furore? *Sexto*, an fuga ab amente facta interrumpat nouitiatum? *Septimo*, quantum temporis dementiæ, seu furoris sufficiat, vt nouitius dicatur inhabilis ad probationem, & professionem? *Octauo*, quomodo probetur dementia, & furor?

Primo respondetur, amentem, seu furiosum semper, & continuo esse omnino incapacem religionis, ratio est, quia ad hos tres actus scilicet ad ingressum, nouitiatum, seu probationem, & professionem, necessarius est vsus ra- 40
tionis, cum sint actus humani moraliter præstandi ab eo, qui petit ingressum in religionem; sed amens, & furiosus perpetuo, & semper tales carent vsu rationis, vt notum est, ergo sunt incapaces religionis. Confirmatur, quia ad hos actus ingressus, & professionis necessarius est consensus ingredientis, quo caret amens, & furiosus l. 42. ff. de regul. iur. vbi dicitur, quod furiosi nulla est voluntas, & in terminis nostris idem habetur cap. sicut tenor 15. de Regular. *Si tamen eo tempore, quo P. Sacerdos lator præsentium positus extrà mentem asseritur, indutus fuit habitu monachali, cum alienatus non sentiat, ac per hoc non valeat consentire, eum denũtiens ab obseruatione monastici ordinis absolutum*. Qui ergo caret vsu rationis eũ profitetur, non obligatur, quia non potuit præstare consensum in obligationem professionis, quæ proinde nulla fuit.
In hoc autem nulla est differentia inter amentem qui di- 41
citur quiete viuere, & furiosum, qui agitatur, & agitat furendo inquiete, sed æquiparantur in iure, *l. Consilio 7. §. cum dementis ff. de curatoribus fur. cap. Hi qui* 25. 32. *quæst.*

quæst.7. Ita Miranda tom.1. quæst.17. art.5. concl.3. Sanchez libr.5. cap.4. n.53. Vecchius disput. 2. dub.7. Tambur. tom.3. disputat.6. q.3. num.2. Ego resolut.54. num.24. Pelliz. tract.3 cap.2. n.24. Donatus par.4. tract.3. q.3. Peyr. de Prelato quæst.3. capit.1. n.37. Et illi prohibentur, & sunt inhabiles iure naturali, cum eis desit vsus rationis, & consensus de substantia obligationis, adeo quod si per centum annos manerent in religione nunquam fierent religiosi inquit Peyrinus numer. 38. Licet attentarent lectionem professionis.

42 Secundo, licet nouitiatus semifatui aliquid valeret, inutilis tamen esset, quia est incapax professionis, nam ad profitendum non sufficit semiplena deliberatio, sed
43 perfecta est necessaria, quia agitur de obligatione rei grauissimæ, & perpetua, quæ de sui natura est irreuocabilis; ita de communi *Sanchez libr.4. capit.1. num.*8. Loquens de omni voto, ac proinde etiam de professione, vbi num.6. dixerat, ad valorem professionis non valere virtualem deliberationem, ac proinde neque imperfectam; sed semistultus perfecte, & plene deliberare non potest defectu pleni vsus, ergo inualide profitetur. Confirmatur, quia sicut ad contrahendum peccatum mortale, quo homo fit seruus diaboli, requiritur plena aduertentia malitiæ saltem in genere. *Vasquez 1.2. disputat.*107. *capit.3. fine, Sanchez lib.1. cap.1. numer.7.9. &* 10. *Bonac. quæst.2. de Peccatis par.3. numer.3.* Ita ad contrahendam obligationem professionis, per quam homo fit seruus Dei, necessaria est perfecta cogitatio, & aduertentia, sed hæc in semifatuo non reperitur, ergo est incapax religionis.

Tertio, habens lucida interualla capax est religionis, ingressus, nouitiatus, & professionis, quia tunc dicitur habere vsum rationis, per quem moraliter, & humano modo potest illa tria præstare, ergo capax est religionis in illis tribus. Colligitur ex c. sicut tenor 15. de Regular. ib. *Nisi postquam mentis suæ factus est compos spontanea voluntate professionem fecerit monachalem.* Ex hoc ergo, quod factus est compos mentis potest profiteri, ergo etiam antecedenter ingredi, & probari, ex eadem ratione, quia mentis compos est factus. Ita præcitati omnes sub primo dubio.

Quarto, superueniens furor, seu amentia non interrumpit nouitiatum legitime cæptum cum sanitate mentis, nisi dementia nimium duret, de cuius diuturnitate dicam infra in resolutione septimi dubij. Probatur. *Tum quia*, dementia non obstante est sub obedientia superioris, ergo
44 continue probat, & probatur. *Tum quia*, nouitiatus per solum actum vitiosum, & culpabilem interrumpitur, aut per voluntarium recessum nolendi amplius manere in religione; sed dementia, & furor in nouitio non est vitiosus, nec culpabilis, vt patet, nec recedit voluntarie, cum amens voluntate careat ex 1 42. de Reg. iur. ergo. *Tum quia*, dor-
45 miens non interrumpit, ergo nec furiosus, qui dormienti comparatur in eo, quod neuter ratione tunc vtitur. *Ita docet Sanchez lib.5. c.4. n.55.* Quem sequitur *Peyrinus de Prelato quæst.3. cap.1. num.39.* Infra de anno nouitiatus quæst. a ta.

46 Quinto, nouitio, non obstante furore superueniente, currit annus probationis, ac si esset mentis compos, probatur. *Tum quia*, virtualiter adhuc manet in probatione iam cæpta ab initio cum vsu rationis, nam patitur austeritates religionis, cum sit sub obedientia superioris, & habitum gestet, qui connumeratur inter austeritates. *Tum quia*, non est necesse continue experiri, neque omnes
47 austeritates probare, *vt docent Rodriqu. tom.3. quæst.15. artic.10. Nauarr. consil.32. Sanchez lib.5. cap.4. num.52.* Tum quia ægrotus fere per annum non tenetur reficere, nec supplere nouitiatum, vt docent præcitati. *Tum quia*, non est addenda afflictio afflicto, est enim graue onus repetitio, vel suppletio partis nouitiatus. Est contra *Sanchez lib.5. cap.4. num. 55. quem sequitur Peyrinus de Prelato q.3. cap.1. num.39. vbi citat Suarez. & Vecchium*, asserentes esse denuo repetendum nouitiatum, quod in præcedenti impugnaui. Probat Sanchez à simili, quia sicut tempus præscriptionis cœptæ non currit contra Ecclesiam vacantem, sed suspenditur, & dormit, & pariter præscriptio cæpta contra defunctum, cui pupillus succedit, dormit, & non currit ei tempus cum in vtroque casu adsit legitimum impedimentum vacationis, & ætatis pupillaris, secundum doctores ab eo citatos, ita tempus probationis huic amenti non currit, sed suspenditur, & dormit
pro tempore furoris, vnde illud est supplendum à nouitio 48
restituto ad sanitatem mentis. Respondetur, esse disparem rationem, nam fauor est Ecclesiæ, & pupilli, vt illis tempus non currat, odiosum vero nouitio, si illi tempus amentiæ pro nouitiatu non currit, prolongatur enim annus, & onerosa fit probatio, quæ annum de iure non excedit. Præterea tempus iuste impedito currit, cum est in fauorem vtriusque; fauor enim non debet augere effectum sibi contrarium; nouitiatus autem à iure inductus fuit in fauorem vtriusque partis, religionis scilicet, & religiosi, vt is experiatur obseruantias regulares, an eas tolerare possit, & illa probet eius mores obseruando, an religioni sint profuturi.

Sexto, fuga facta per amentem non vitiat nouitiatum, 49
probatur. *Tum quia*, per actum voluntarium, & liberum tantum nouitiatus interrumpitur; sed fuga dementis non est voluntaris, sed tantum animalis, ergo non interrumpit nouitiatum. *Tum quia*, fuga ad culpam imputari non po-
test, c. Aliquos 5. 15. q. 1. quomodo enim reus constitui- 50
tur, quia nescit, quod facit? qui enim nescit, non peccat, *cap. quemadmodum* 10. 32. q.7. ergo illi fuga non est imputanda in præiudicium cæptæ probationis.

Septimo, puto dementiam, seu furorem bimestrem non 51
vitiare nouitiatum, nec quo ad interruptionem, nec quo ad suppletionem, quia bimestre respectu totius anni non est tempus notabile, adeo quod per subsequentes menses nouitius experiri æque bene potest, & probari ac si per annum continuum sanæ mentis esset. *Sanchez lib.5. cap.4. num.55.* restringit ad spatium quindecim dierum, & si persistat per mensem in furore, asserit, illum mensem furoris supplendum esse à nouitio, non autem illud spatium quindecim dierum, *Suarez vero tom.3. de Relig. lib.5. cap.4. num.3. apud Peyrinum de Prelato quæst. 3. cap.1. num.39.* dicit, nouitiatum interrumpi per furorem vnius mensis. Si nouitius vltra bimestre delirat eiiciendus est tanquam inhabilis, & nullatenus sustinendus cum detrimento aliorum.

Quantum autem temporis spatium debeat antecede- 52
re, vel subsequi actum receptionis habitus, aut professionis, ne dicatur facta in amentia, & furore? Crederem, furorem probatum infra hebdomadam antecedentem, seu subsequentem inficere receptionem habitus, & professionis, vltra id tempus concluderem vtrumque valere, quia illud spatium videtur sufficere ad obseruationem vitæ nouitij, an sit mentis compos, vt præsumitur talis, nisi ex actibus furiosis, vel dementitiis constet contrarium.

Octauo, dementia, & furor probatur etiam per ipsos- 53
met religiosos, vel alios, cum quibus fuit conuersatus, *vt docent Rota volum.2. decis.*107. *num.*8. quam extendo sub decis. 58. nam facta nostra præsumuntur nota vicinis nostris, cum quibus conuersamur, cap. Quosdam 7. cap. Quanto 8. de præsumpt. Probandum autem est, furorem adfuisse illo tempore, & spatio, quo induit habitum, vel quo recipit professionem proxime, si non in ipso actu *ex eadem Rota num.* 24. nam positione furoris, seu dementiæ excluditur scientia, & consensus in illos actus receptionis habitus, & lectionis professionis, ex quo eius nullitas constat. Non est autem necesse probare nouitium fuisse actu furiosum, seu dementem illo præcise die, quo fuit receptus ad habitum, seu professionem, quod esset efficacissimum argumentum nullitatis, sed sufficit probare furorem antecedentem, vel subsequentem illum diem, quia probatis extremis præsumitur de mediis, vt in terminis de furore argumentatur, *Anchar. consil.5. n.5. Ruinus inter Consilia Curtij iun. lib.3. consil.*292. *num.*36. apud Rotam citatam.

Et qui apparet demens post, præsumitur fuisse ante quia ex præsenti præsumitur de præterito, *Gloss. fin. cap. Scribam 9. de præsumpt. Alex. lib. 5. consil. 92. num. 13. & 14.* demens autem probatur, quia proprium nomen ignorat, *leg. fin. ff. de hæredib. institui. apud citatam Rotam num. 9.* Furor præsumitur durare, quando probatur durasse per annum, seu etiam per mensem, *Couar. Menoch. cum aliis apud Sanchez lib. 1. disput. 8. numer. 17. §. quando;* ac proinde furiosi actus præsumuntur facti tempore furoris, licet amens habeat lucida internalla. Quare qui se vult eximere à iugo professionis, sufficit illi probare se fuisse furiosum proxime ad tempus professionis; qui vero habet interesse, vt professio valeat, debet probare antecedenter, & subsequenter, iuxta superioris dicta, nouitium nullum exercuisse actum furoris, seu dementiæ. Demum notanda est differentia inter furorem, & amentiam, nam ia dicitur furiosus, qui rabie, vel impetu furoris concitatur. Demens vero vocatur ille, cui mens, & animi iudicium deest, externus nullum furorem demonstrans, *Bald. in leg. qui furiosi C. de nupt. numer. 2. Alex. lib. 2. consil. 14. n. 2. Iason in leg. Furiosum C. qui testament. fac. n. 2. Rota volum 2. decis. 107. initio.* Ex quo habes facilius esse probare furorem, quam dementiam, quæ caret illo impetu, & externo rumore, quo vexant, & vexantur furiosi.

Quæres 10. An ebrius arceatur à Religione? De ebrietate Diuus Thomas 2. 2. quæst. 150. Nonnulla scitu digna notat Peyrin. de Prælato quæst. 2. cap. 3. à num. 124.

55 Respond. Receptio habitus in ordine ad nouitiatum, & professionem per nouitium existentem ebrium formaliter est ipso iure nulla, & inualida, quia ad hæc, vt sæpius dictum fuit, requiritur vsus rationis, sed ebrius pro eo tempore, quo vere est ebrius caret vsu rationis, secundum omnes, *cum Diuo Thoma 2. 2 quæst. 150. articul. 2. Peyrinus de Prælato quæst. 2. cap. 3. num. 126.* vbi ebrietas est immoderata v in potatio causa voluptatis priuans bibentem vsu rationis, ergo receptio habitus, & professionis per formalem ebrium attentata, vt actus animalis nullius est momenti. Confirmatur id auctoritate Sancti Ambrosij relati, *cap. Sane 7. 15. quæst. 1.* his verbis: *Nec scimus, qui loquantur, qui nimio vino indulgent, iacent sepulti.* Habentur ergo tamquam mortui, & insensati quo ad vsum rationis. Vt autem præfati actus receptionis habitus, & professionis iudicentur extra ebrietatem fauore professionis, sufficit, quod ipso die professionis, & antecedenti, & subsequenti nouitius non fuerit ebrius, nam ebrietas parum durat, aiunt, non excedere tertium diem, cito enim ascendit fumus, & vapor vini, & redit vsus rationis, & ideo aliter locutus sum de ebrio, ac de furioso, amentia, enim & furor multo tempore durant.

Quæres 11. An sexus disparitas inhabilitet personam ab ingressu Religionis? Hoc est, an masculus possit profiteri cum Monialibus? Et è contra, An fœmina inter religiosos?

56 Respond. Disparitas sexus reddit personam inhabilem ad ingressum, probationem, & professionẽ inter personas alterius sexus. Probatur. *Tum quia*, sexus disparitas est directe contraria voto continentiæ, quam profitentes conseruare debent, & non destruere; illud autem non fieret, sed hoc, propter euidentissimum periculum cohabitationis, ergo talis persona omnino incapax est professionis. *Tum quia*, personæ vnius sexus ex parte Monasterij nunquam intendunt consentire in receptionem alterius personæ disparis in sexu. *Tum quia*, id expresse prohibetur, *cap. Definimus 21. cap. In nullo 22. c. Monasteria 23. 18. qu. 2.* ne viri cum mulieribus maneant in Monasteriis, consequenter non tenet eorum professio ita promiscue facta. Ita docent omnes, *cum lib. 5. cap. 4. numer. 40. Tamburr. de Abbatiss. disput. 6. quæst. fin. numer. 1.*

Quæres 12. An Hermaphroditus prohibeatur ab
57 ingressu Religionis? Hermaphroditus est homo habens vtrumque sexum, & denominatur masculus ex prævalentia sexus masculini, fœmina vero ex prævalentia sexus fœminini Hermaphroditus ergo censetur esse eius sexus, qui in eo prævalet leg. Quæritur 10. ff. de statu homin. In Libello de professione Regulari. c. 2. q. 35. docui valide profiteri inter personas sui sexus prævalentis secutus communem aliorum. Mutaui opinionem, *res. 57. q. 32.* quam etiam nunc sequor.

Respond. Hermaphroditum esse inhabilem ad Reli- 58
gionem, ac proinde nullum esse ingressum, probationem, & professionem. Probatur tum ex ratione allata in præcedenti responsione, nam promiscuitas sexus destructiuus est continentiæ, & castitatis, cum tales personæ paratæ sint ad vtrumque; præ aliis enim facile prouocant, & prouocantur ad libidinem. *Tum quia*, mixtum non perdit naturam suorum simplicium, quando non mutatur natura, & substantia simplicium, *Bartol. in leg. 5. ff. de verb. signific.* continetur enim mixtum sub simplicibus, ex quibus componitur, *leg. Si ita scriptum 13 ff. de liber. & posthum.* Sed masculus tantum non profitetur inter fœminas, neque fœmina tantum proficit inter masculos, ex præcedenti quæstione, ergo neque hermaphroditus ex illis mixtus professionem emittere poterit inter hos, vel illas. Ita docui, *resolut. 57. numer. 77. Peyrin. de Prælato quæst. 3. cap. 1. numer. 59. Tambur. tom. 3. disput. 6. q. 3. numer. 51. Portellus 11. Nouitius numer. 23.* asserens dictare ius naturale. Contra Sanchez *lib. 5. cap. 4. numer. 41. Verrhium disp. 5. dub. 1. numer. 3. Bonac. de clausf. quæst. 2. part. 10. §. V. Donatum part. 4. tract. 3. quæst. 23. num. 5. Pellizar. tract. 3. cap. 2. num. 27.* qui minus recte subdit Peyrinum & alios, cum quibus nos sentimus, explicandum esse de inhabilitate quoad licite profitendum, quia tales personæ profitendo peccant mortaliter, tenet tamen professio facta inter personas sui sexus prævalentis. Fallit, inquam, Pellizar. quia *Peyrin. Tamburr. & Portell.* loquuntur de inhabilitate proprie accepta, quæ nullam inducit professionem, & aiunt talem receptum esse reijciendum, & expellendum à Religione, & Portellus dicit, hoc dictare ius naturale; horum igitur sic pro non solum est illicita, sed etiam inualida. Contrariæ opinionis ratio est, quia Hermaphroditus dicitur esse illius sexus, qui in eo prævalet, ergo si aliud non obstat, profiteri potest cum personis sui sexus prævalentis. Respondetur, quod cum prævalentia vnius sexus alterum non excludat, non posse dici simpliciter masculus aut fœmina, sed mixtus, & promiscuus, cum formaliter remaneat vterque sexus, ideo ex natura sua secum affert inhabilitatem status religiosi, qui non patitur secum mixtionem sexuum in destructionem continentiæ, sine qua Religio subsistere non potest.

Quæres XIII. An illiteratus prohibeatur ab ingres- 59
su Religionis? Illiteratus autem dicitur, qui literas ignorat, *c. Præcipimus 10. distinct. 34.* qui licet nihil scit, non autem qui mediocrem scientiam habet, *Gloss. ibidem, c. Illiteratos 1. distinct. 36. cap. Non confidat 59. distinct. 50. cap. 3. distinct. 55.* Illiterati dicuntur, qui nesciunt construere nec cantare in Choro, *Gloss. 11. reputamus Clem. Va. de concer. prebend.* Item qui scit tantum legere, vel scribere in vulgari, *Barbat. & Rebuff. de pacif. possess num. 262. cum eis Rota volum 2. decis. 16. numer. 3. & 4.* Illiteratus videtur incapax Religionis, qui vult ingredi Religionem debet suum consensum præstare in ea, ignorans autem non dicitur consentire *leg. si per errorem 15. de iurisd. om. iud. leg. Nihil 117 ff. de reg. iur.* ergo est incapax iurisdictionis.

Respond. Nullo iure prohibetur illiteratis, & igno- 60
rantibus ingressus in Religionem in numero Conuersorum, quia isti cum non sint deputandi Choro, sed seruitiis temporalibus, & corporalibus applicandi, literarum scientia non egent, sed tantum viribus, & sanitate corporis debent esse muniti, vt officio suo fungi valeant; Iis vero qui deputandi sunt ad chorum, & ad diuina officia, Constitutiones *Clemen. VIII. de Educat. Nouit.* præscribunt eam literarum scientiam, aut illius addiscendæ spem indubiam præseferant, vt suis

temporibus

temporibus ordines recipere valeant iuxta Sacri Concilij Tridentini Decreta. Illiteratus excedens 25. annorū referatur in numerum Conuersorum. Si tamen illiteratus recipiatur in numero clericorum, adhuc tenet eius professio, quia iure communi non irritatur, neque per hanc constitutionem, quæ continet simplicem prohibitionem. *Vecch. disp. 5. dub. 5. num. 3.* videtur facere inhabiles ad ingressum Religionis, qui nesciunt legere, & intelligere prima grammaticalia rudimenta arg. à simili eius, qui nesciens aliquantulum linguam latinam, dicitur inhabilis ad beneficia. Sed quicquid sit de hoc, professio illiterati etiam in numero clericorum valet, esto postea maneat irregularis quoad ordines, nullibi enim legi hanc inhabilitatem; & est lata differentia inter vtrumque nam ideo illiteratus est incapax beneficij, quia tenetur recitare officium diuinum, non vero qui profitetur, si ignorat, & ideo non promouetur ad ordines.

Ad rationem dubitandi respondetur, ignorantiam non consentire, non intelligi de illiterato, sed de eo, qui non aduertit, nec scit quod facit, illiteratus autem scit, & notitiam habet eius, quod agit, licet careat scientia, & doctrina.

Quæres 14. An corpore vitiati sint habiles ad Religionem? Isti sunt muti, surdi, cæci, claudi, balbutientes, monoculi, gibosi, mutilati, & similes in suo corpore habentes maculam aliquam, de quibus in materia de irregularitate, & habetur distinct. 55. vbi prohibentur à sacris officiis.

61 Respond. Iure communi non prohibentur ab ingressu Religionis, ergo valide probantur, & profitentur. Verum quidem est, quod non essent recipiendi, quia magis detrimenti sunt, quam vtilitatis. Ratio in contrarium ad-
62 ducta de eisdem prohibitis ab ordinibus non probat, quia à prohibitione clericatus ad monachatum non valet argumentum, cum diuersa sint, nam monachatus stare potest sine clericatu vt constat, quia antiquitus Monachi erant laici, hoc est, religiosi sine clericatu, *cap. A subdiac. 5. dist. 93.* vbi Abbas, qui tunc non erat clericus, & sufficiebatur Ostiario infra q. 22. Præterea licet assumantur in numerum clericorum, vt fiant clerici, non tamen professione euadunt proprie clerici, sed tantum analogice, & causaliter, quia choro inseruiunt sine ordinibus more religiosorum, vt ergo digne promoueantur, faciliùs dispensantur super vitio corporis, non ergo vitiati corpore impediuntur de iure ab ingressu religionis de iure communi. Valet ergo eorum professio. *Ita Donat. p. 4. tr. 3. q. 26. n. 5. Peyr. de Prel. q. 3. c. 1. n. 82. Vecch. disp. 5. dub. 6.*

Quæres 15. An surdus, mutus, & cæcus sint capaces Religionis?

63 Respond. Persona patiens simul illos tres defectus vel surdus & mutus à natura incapax religionis, tam ad habitum probationis est quam ad professionem, quia non potest edoceri de hoc statu, neque percipere illum defectu auditus, vt visus, consequenter formalem consensum in illos actus præstare non potest aduertendo quid agat. Ita *Pelliz. tr. 5. c. 2. n. 33. Ego de professione c. 2. q. 30. Sanch. l. 5. c. 3. n. 2.* licet duos tantum patiatur defectus à natura, non ab arte, quia potuit ante edoceri de statu ordinis. *Peyr. de Prel. quæst. 3. c. 1. n. 83.* putat, patientem hos tres defectus simul posse profiteri, tum quia potest experiri austeritates; & talis potest contrahere matrimonium carnale, ergo & spirituale. Respondeo ad hæc talem personam potius animaliter, quam moraliter experitur asperitates religionis; & licet possit contrahere matrimonium secundum aliquos, non tamen professionem, eo quod matrimonium est secundum naturam consistens in procreatione filiorum religio vero est secundum mores, quos qui ignorat, percipere non potest. Vide *Vecch. disp. 13. dub. 2. Dian. resol. 34 de surdis, mutis, & cæcis.* Cum quibus est Michalorius in suo opere de cæco, surdo, & muto cap. 50. asserens, mutum, & surdum à natura valide profiteri, si suam voluntatem, & consensum signis patefacere potest. Loquitur ergo conditionate, sed puto eam conditionem deficere in isto, qui nunquam potuit audire de Religione, homo enim fit doctus, & sapiens per sensum auditus, secundum enim Philosophum, nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, sensus enim intellectum reddunt docibilem, verisimile ergo est, surdum, & mutum à natura nihil scire, sed agere secundum sensum, non secundum intellectum, & voluntatem, ac proinde sequi nec posse matrimonium carnale contrahere secundum probabilem opinionem Doctorum quos allegat Michalorius præcitatus capit. 49.

Mutus tantum, vbi professio verbis facienda est per formam expressam, exclusa tacita, inhabilis est, quia ea forma vti non potest tanquam de substantia ad validum profitendum, implicite enim continet decretum irritans. Vbi vero locum habere potest tacita, tunc solis nutibus vti potest, & profiteri, hæc enim verba non postulat. Ita colligo ex præcitatis Doctoribus.

Surdus tantum habilis est ad vtramque professionem eo, quod non solum facto, sed etiam verbis potest profiteri, vt enim inquit l. 167. de Reg. iur. surdus respondere potest, & se obligare, sicut & mutus, vbi vox eius non est necessaria.

Cæcus tantum denique habilis est ad vtramque professionem cum habeat intellectum, quo potest se obligare facto, nutibus, & verbis. Cōfirmatur, quia cæcus admittitur ad actus publicos, potest enim fungi officio iudicis l. Cæcus 6. ff. de iudic. ergo & profiteri, qui est actus publicus.

Quæres 16. An infirmitas impediat ab ingressu religionis? Vt febris, morbus gallicus, lepra, epilepsia, &c.

Respond. Infirmi iure communi non prohibentur à 64
religione, quia hoc interdictum nulli reperitur in iure, immo contrarium iura probasse infirmorum ingressum, & professionem, *cap. Sicut tenor 15. de Regul. innil. gl. c. 1. Extra mentem*, vbi grauissima infirmitas non impedit, modo ægrotus non sit mente alienatus. Ita omnes cum *Nauarro consil. 48. de Regular. num. 2.* de morbo gallico laborante valide professo iure communi; *Rodr. tom. 3. quæst. 17 art. 9. cum suo Compend. resol. 101. num. 61 Donatus p. 4. tract. 3. quæst. 25. num. 5. Peyrinus Ledesmam sequens de Prælato quæst. 5. cap. 1. num. 67.* Sustinet laborantem morbo gallico, seu alio continuo impediente obseruantias regulares, esse de iure naturæ inhabilem ad professionem, ex impotentia vitæ regularis. Vide Decil. 5. in calce, vbi de morbo caduco.

Quæres 17. An continua febris cogens infirmum manducare lacticinia, & carnes impediat ingressum in religionem Cartusianorum, & Minimorum, quibus perpetuo carnes sunt vetitæ?

Resp. quod tales personæ sunt inhabiles ad ingressum, 65
& professionem durante, eo nouitiatus anno, infirmitate eum manducatione carnis. Ratio est, quia inter præcipuas austeritates horum ordinum est abstinentia à carnibus, quam huiusmodi personæ non sunt expertæ, esto enim nouitius non teneatur omnes experiri, nemo tamen mihi negabit, non teneri nouitium ad abstinentiam carnis, aliter certe non est satisfactum anno probationis. Confirmatur, quia nouitius in tantum est habilis, in quantum potest seruare vota essentialia, & præcipuas obseruantias, quibus videtur constitui aliquo modo talis religio in suo esse specifico, sed ex infirmitate constat non posse obseruare, ergo factus impotens non potest se obligare, impossibilium enim nulla est obligatio. Ita *docui c. 4. de nouitiatu q. 40. Vide Ciarlin. c. 103. n. 3. vbi plures citat* contra Sanchez l. 5. *cap. 4. num. 28.* & alios quos pro se citat Peyrinus *de Prælato quæst. 5. cap. 1. numer. 66.* & probat. *Tum quia*, quantum est ex se stetit in probatione, & expleuit annum nouitiatus. Sed id verum non est, quia perfecta non fuit probatio, nec potest dici expleuisse nouitiatum, sed annum tantum. *Tum quia*, non est necesse experiri omnes asperitates in specie, sed satis est probare eas in genere sub obedientia Prælati. Iam respondi hanc esse probandam, quia inter alias est principalis, adeo potissimum hæc obseruanda est, quia aliter destruitur religio, quæ præsertim fundatur, & perficitur per abstinentiam à

carnibus. *Demum* ad hominem contra ipsum Peyrinum, *qui praeced. num.*64. dixerat, impotentem præ morbo ad seruanda non solum religionis essentialia, sed etiam accidentalia præcepta, esse inhabilem ad ingressum, & professionem, ac proinde inualidam in eo, qui tacuisset defectum, non vero in eo, qui cum tali impotentia vt persona eminens fuisset recepta. Non video, impotentiam, à qua tanquam à causa pendet alterutrum, posse producere contrarios effectus, nimirum in paupere, & vili dicere inualidam professionem, in eminenti persona producere validam professionem, cum non à vilitate, neque ab eminentia ea diuersitas sit accipienda, quia incidenter hæc se habent ad valorem professionis.

66 Quæres 18. An infamis prohibeatur à religionis ingressu? Infamia autem est praua opinio de vita, & moribus proximi: sicut fama est bona opinio de vita, & moribus proximi. Duplex est infamia Iuris, & Facti. Infamia iuris est illa, quam quis incurrit perpetrando aliquod crimen, quod à iure habet adnexam infamiam, posita sententia declaratoria, & condemnatoria talis criminis eam inducentis. Infamia verò facti est illa, quæ incurritur ab eo, qui notorie, & manifeste delictum eam inducens commisit. Ita docui *Resolut.* 56. *quæst.* 11. *num.* 41. Crimina autem inducentia infamiā sunt hæc, crimen læsæ vtriusque maiestatis, blasphemia, periurium, falsitas in iudicio, adulterium, parricidium, homicidium, furtum, sodomia, stuprum, incestus, raptus, duellum, maleficium, veneficium, iniusta ablatio rerum Ecclesiasticarum, excommunicatio &c. de quibus *cap. Constituimus* 9. 3. *quæst.* 5. *cap. Infames* 17.6 *q.* 1. *capit. omnes* 2.6 *quæst.* 1. & omnes illi, quos leges ciuiles notant infamia, dicuntur infames etiam iure canonico, in præcitato capite, de quibus ego plura *dixi Resol.* 11. *quæst.* 11. *Vide Thesaurum de pœnis Eccles. par.* 1. *cap.* 33.

67 Respond. Infamis infamia tum iuris, tum facti prohibetur ab ingresso religionis, attentatus tamen ingressus, nouitiatus, & professio tenent. *Primum* suadetur. *Tum quia*, status regularis est honorificus, vt multis probaui resol. 56. num 31. infamibus autem non patet aditus ad honores, & dignitates. Reg. 87. in 6. cap. Inter dilectos, de excessibus prælatorum. *Tum quia*, nomen religiosi significat Ecclesiasticum bonæ famæ *gl.* 11. *religiosus cap.* 5. *de purgat. can.* infamis autem non est vir bonæ, sed malæ famæ. Et ita fere in omnibus religionibus infames prohibentur ab ingressu, & in meo ordine cap. 8. Regulæ Infames prohibentur recipi, de qua re infra sub quæst. 63. *Secundum* quod attentatus ingressus, nouitiatus, & professio teneat, patet ex eo, quia est simplex prohibitio, quæ attentatum non irritat. Ita docent omnes *cum Peyrino de Prælato, quæst.* 3. *cap.* 1. *num.* 84. *Tambur. tom.* 3. *disp.* 6 *quæst.* 3. *num.* 35. *Donatus par.* 4. *tract.* 3. *q.* 1. *Vecchius disp.* 4. *dub.* 3. *Pellizar. tract.* 3. *c.* 2. *n.* 21.

Quæres 19. An Histriones, Buffones, Lenones, Circulatores, Lictores, Burruarij, & similes personæ, quæ dicuntur infames, prohibeantur à religione?

68 Respond. Affirmatiuè, quia tales personæ sunt infames, de quibus *capit. cum decorem* 12. *capit. Clerico* 15. Vbi de Mimis, Iaculatoribus, & Histrionibus fugiendis à clericis *l.* 2. *§. Ait prætor ff. de his, qui not. infam.* Vbi ascendens scenam vocatur infamis. Eorum tamen professio tenet, quia prohibitio est simplex. Ita *Donatus part.* 4. *tract.* 3. *q.* 3. *Vide Sayr lib.* 7 *c.* 11. *n.* 9. Vbi supradicti dicuntur infames potius ex officio, quam ex delicto, inter quos connumerat Macellarios, Tabernarios, Aurigarios, qui tamen tales vulgo non habentur.

Quæres 20. An irregularis arceatur ab ingressu religionis? Ratio dubitandi accipitur ab etymologia nominis, nam irregularis dicitur, qui in suis actionibus caret regula; qui autem cupiunt ingredi religionem debent esse regulati, vt per id sint apti, & digni religionis ingressu.

69 Respond. Non prohibentur *Tum quia*, id in iure non est expressum. *Tum* ab effectu, quia irregularitas ex defectu naturalium tollitur professione c. 1. distinct. 56. & c. 1. de filiis præstiter. *Tum quia*, irregularitas est canonicum impedimentum suscipiendi ordines, vel ministrandi in susceptis, beneficia, & officia iurisdictionalia recipiendi; sed ingressus, nouitiatus, & professio religionis ordo non est, nec illius exercitium, aut beneficium, seu officium, vt suo loco probabo, ergo irregularitas non impedit ingressum religionis. Ad rationem dubitandi dico irregularitatem dicere carentiam regulæ in prædictis actibus ordinum, & beneficiorum, & non in aliis, irregularis enim alia exercere potest regulariter.

70 Quæres 21. An bigamus prohibeatur ab ingressu religionis? Bigamia consurgit ex multiplici matrimonio successiuo. Triplex bigamus. Verus, qui successiue cum duabus valide contraxit, & consummauit. Interpretatiuus qui consummat, vel duo matrimonia, quorum alterū est nullum; vel cum corrupta ab alio quouis modo; vel clericus in sacris, vel professus contrahit matrimonium, & illud consummat. *Vide Resolut.* 11. *q.* 6. *n.* 35.

71 Respond. Bigamus est habilis ad religionem, quia nullo iure prohibetur, & licet bigamia interdicat receptionem ordinum, non tamen ab ingressu religionis etiam ad statum clericalem, quia antequam ordinetur potest procurare dispensationem, quæ facilius professo conceditur. Ita docui *Resol.* 11. *numer.* 36. *& resol.* 57. *quæst.* 33. *numer.* 78. *Peyrin. de Prælato quæst.* 2. *cap.* 5. *num.* 500. *Vecchius disp.* 5. *dub.* 3. *Donatus par.* 3. *tractat.* 5. *quæst.* 36. *numer.* 5. Qui cum aliis ait, bigamos ante dispensationem non esse recipiendos ad ordinem clericalem, sed tamen sine vllo peccato recipi possunt, quia per receptionem in numerum clericorum, ipso iure non fiunt clerici, sed recipiuntur, vt fiant clerici posita dispensatione. Præterquam quod, dici possunt clerici choristæ quatenus cum aliis choro assistunt, & exercent illos actus, qui communes sunt etiam non clericis, qui etiam à meris laicis exercentur. Vnde docui resol. 54. n. 51. dari in religionibus duo genera clericorum, alij enim sunt tales ex signo tonsuræ tantum carentes ordine; alij vero cum tonsura adiunctum habent aliquem ordinem.

Quæres 22. An omnis capax ordinis sit etiam capax religionis?

72 Respond. Affirmatiuè. Ratio est, quia ad ordines admittuntur personæ dignæ, perfectæ nullum patientes defectum nec animæ, nec corporis; sed huiusmodi conditiones reddunt etiam capaces ad religionem, ergo qui possunt initiari possunt etiam tonsurari. E contra, non omnis repulsus à receptione ordinum repellitur ab ingressu, ex ea ratione, quod in religione admittuntur personæ in ordine ad statum conuersorum, & clericorum quoque, sed per ingressum ipso iure, nec facto initiantur ordinibus, licet per ingressum disponantur, vt tempore debito cum cæteris requisitis fiant clerici cum receptione ordinum, idcirco non solum ad validam, sed etiam licitam perfectionem non est necessarium petere dispensationem circa illud impedimentum, quo ordo licite suscipi non potest, eo quod actus professionis non sit ordo, vnde & professio sine ordine emitti potest, quod nemo negat. Ex quibus deducitur, vt sæpius dixi in præcedentibus, non valere argumentum à prohibitione clericatus ad prohibitionem religionis, quia non eadem sunt impedimenta respectu vtriusque. Vide dicta sub n. 62.

Quæres 23. An nondum confirmatus possit fieri religiosus?

73 Respond. Potest, quia iure non prohibetur. Est tamen valde decens, & honestum ante ingressum recipere hoc sacramentum, quia eius virtus est hominem confortare, & robustiorem reddere in confessione fidei, cum resistentia contra inimicos catholicæ fidei, contra quos religiosi potissimum agunt prædicatione Euangelij, & librorum compositione, (eorum tamen labores nec verbo recognoscuntur, sed deprimuntur.) Crederem non peccare, quia non video præceptum, nec vrgentem necessitatem neque statum regularem id supponere. Confirmatur, quia suscipiens ordines sine hoc

sacramento

sacramento non peccat mortaliter ex communiori sententia septemdecim doctorum apud *Barbosam ad capit.* 4. *sess.* 23. vbi hoc præcipitur Episcopo, non ordinando, numer. 3. contra paucos existimantes initiandum nondum confirmatum peccare mortaliter, ergo multo minus peccat nondum confirmatus ingrediens religionem. Pellizar. cap. 1. de Monial. numer. 4. asserit, debere conferri hoc sacramentum puellis monachandis ex primo Concilio Mediolanensi, quod extra non obligat.

Quæres 24. An Energumenus sit capax religionis?

74 Respond. Est capax, quia nullo iure prohibetur. Est enim edictum de religione simile edicto de testibus, quod est prohibitorium, vt quilibet admitti possit, qui iure aliquo non repellitur *lib. 1. ff. de testib. glos.* 1. *c. idonei. c. 1. de testibus.* Intellige, quando à dæmone non vexatur, dum enim vexatur non potest recipi habitum, & professionem, quia non vtitur tunc ratione, sed à spiritu maligno ducitur. Vnde puto, ea, quæ dicta sunt de amentibus, & furiosis sub q. 9. locum habere in præsenti casu de Energumenis, cum & is dum actu vexatur æquiparetur amentibus, & furiosis. Verum quidem est, quod isti non sunt recipiendi, quia cæteros valde conturbant, & magni incommodi sunt religionibus, & connumerantur corpore vitiatis, ideo in meo ordine ex c. 8 Reg. non sunt recipiendi.

Quæres 26. An censuratus .i. excommunicatus, suspensus, & interdictus prohibeatur ab ingressu religionis?

75 Respond. Censuratus prohibetur ab ingressu religionis, eo quod sit infamis, vt patet ex cap. Infames 17. 6. q. 1. ibi: *omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos*, quibus veniunt suspensi, & interdicti, qui arcentur ab officiis, & aliis rebus ecclesiasticis. Constat autem ex quæst. 18. supra infames prohiberi à religione. Si tamen censuratus etiam denuntiatus religionem ingrediatur, receptio, nouitiatus, & professio valent, quia prohibitio hæc est simplex sine decreto irritante. Nec obstat, quod denuntiatus nullum actum valide gerere possit, quia secundum omnes doctores in cap.

76 Ad probandum. de sent. & re iudic. apud Becanum de Inst. cap. 60. quæst. 9. id intelligitur de illis actibus, qui dependent à iurisdictione, *Sair. lib. 2. de cons. c. 2. num.* 20. *Bonac. disput. 2. quæst. 2. p. 2.* §. 4. de administratione sacramenti pœnitentiæ, *idem Sayr. seq. cap. 6. Bonac. seq. p.* 5. vbi de iurisdictione attentata ab excommunicato vitando, cuius acta nullius sunt momenti, *Ego resol.* 8. *à numer.* 85. Censuratus ergo vitandus inualide gerit omnes actus iudiciales, qui scilicet dependent à iurisdictione ex dictis doctoribus; actus vero extraiudiciales, qui scilicet non dependent à iurisdictione proprie dicta, sed tantum à superioritate, vel aliunde, vt contractus valide fiunt à vitandis, *Sair. lib.* 2. *c.* 9. *numer.* 11. *Bonac. quæst. 2. p. 6. numer.* 5. §. *Hinc sequitur.*

77 Sed professio est actus extraiudicialis tam ex parte profitentis, quam eam recipientis, cum non à iurisdictione, sed à superioritate procedat ex dictis *Resolut.* 78. *num.* 103. *& seq.* & in terminis de professione dixi *cap.* 1. *q.* 26. *n.* 188. Ergo valida est professio cum cæteris antecedentibus. De excommunicato profitente, *Nauar. comment. 4. de Regular. n.* 25. §. *quarto Rodr. tom. 3. q.* 17. *art.* 14. *cum suo Compen. resol.* 101. *n.* 66. *Ergo res.* 57. *q.* 51. *Peyrin. de subd. q. 1. capit.* 26. §. 2. *ad finem, Sanch. l.* 5. *c.* 4. *num.* 36. *Pelliz. tr. 3. cap. 2. n.* 15. Alij omnes, nullus contradicit.

Quæres 26. An illegitimus prohibeatur ab ingressu religionis?

78 Nota, quod illegitimus dicitur ille qui concipitur, vel ex coitu permisso, vel ex coitu damnato. Illegitimus ex coitu permisso dicitur esse, qui descendit ex personis solutis. Illegitimus vero ex coitu damnato contingit tripliciter, Primo ex adulterio. Secundo ex incestu Tertio, ex sacrilegio violati solemnis voti ex ordine, vel professione, aut voti simplicis.

Dubitatur autem *primo*, an iure communi arceantur à religione? *Secundo* An, & quinam inhabilitentur per constitutionem 71. Sixti V. incip. *Cum de omnibus.* In Bullario Nouo? *Tertio*, an inhabilitati per Sixtum V. restituti fuerint ad ius commune, & habilitati ad ingressum? *Quarto*, an filius sit adhuc inhabilis ad ingressum, nouitiatum, & professionem eius religionis, in qua pater eius viuit professus? *Quinto*, an illegitimi per eandem Bullam adhuc sint incapaces ad officia & dignitates religionis? Et an superiores possint illos dispensare? *Sexto*, An copula habentis votum constitutis simplex faciat illegitimum filium ex sacrilegio? *Septimo*, an nati ex militantibus sint sacrilegi? *Octauo*, an nati ex coniugatis professis sint sacrilegi?

Primo respondetur, illegitimos ex quouis coitu esse habiles ad ingressum, nouitiatum, & professionem de iure 79
communi, quia in eodem iure nulla prohibitio contra illos reperitur, immo oppositum, quia ius commune illos amplectitur, cap. 1. dist. 56. & cap. 1. de filiis præsbiterum in quibus locis dicitur, quod filiis præsbiterorum, & cæteri ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoueantur, nisi viuant in religione aliqua, idest sint professi, illi ergo ius commune indulgendo priuilegium recipiendi ordines sine speciali dispensatione ex sola professione regulari, indicat, illos non prohiberi ab ingressu in religionem, sed admitti posse? Ratio est, quia prohibitio arguit aliquem defectum, seu culpam in persona, cui interdictum fit; nasci autem de adulterio non est eius culpa, qui nascitur, sed illius, qui generat, *cap. Nasci* 5. *eadem dist.* 56. Et iniquitates parentum non debent obesse filiis, saltem in spiritualibus, *cap.* 80
Sponsus 6. *dist. ead. Ita Rodr. tom. 3. quæst* 10. *art.* 5. *cum suo compend. resol.* 76. *num.* 10 Portell 11. *Nouitius* 5 *Vltimo Donatus par. 4. tr. 3. q. 4. n. 1. Lezana p. 1. cap.* 24. *num.* 21.

Dices, infames iure communi prohibentur ab ingressu religionis, ex probatis supra quæst. 18. sed illegitimus est infamis, *leg. Fratres C. de inoffic. testam.* vbi superius definitur persona turpis, ita *Donatus part. 4. tract. 3. quæst. 4. num.* 7. qui num. 8. respondet in hoc non esse attendendum ius ciuile, sed canonicum, quod illegitimos hortatur ad ingressum.

℞. Primò, in textu allato leg. Fra. 27. nihil penitus de illegitimis, sed ibi decerni, quod querela inofficiosi testamenti competit contra testamentum fratris instituentis 81
infamem, turpem, aut vilem personam, loquitur de institutione extraneorum. Et quod illegitimus non sit infamis, probatur. *Tum quia* id non exprimitur aliquo iure. *Tum quia*, recipiuntur in curia Principis, leg. communium 9. C. de natural. lib. *Tum quia*, infamia contrahitur ex delicto iure inducente infamiam, cum sit mala opinio de vita, & moribus alicuius concepta à viris probis, & grauibus ex eius operibus prauis, vt probaui *resolut.* 56 *n.* 39. nam infamia sequitur ex delicto, *cap. Accedens* 24. *de purgat. can.* constat autem illegitimum ex hoc non commisisse aliquod delictum, enim nasci de adulterio non sit culpa eius, qui nascitur, sed illius, qui generat, ex eodem cap. Nasci 5. distinct. 56. Tum quia nemo nascitur infamis, sed quis talis euadit per suas actiones prauas, omnes enim homines pares nascuntur, & liberi, nudati ab omni virtute, & vitio, excepto originali peccato, vnde in cap. Nunquam 4. distinct. 56. dicitur: *Non est omnino, nec de virtute, nec de vitio parentum; aut laudandus aliquis, aut culpandus, nemo inde vere, aut obscurus, aut clarus est.* Si illegitimus non est culpandus, sicut nec legitimus laudandus, si ille non est obscurus, nec eum isto clarus, ergo caret infamia; quæ dicit obscuritatem, & culpabilitatem. *Demum*, in materia de Irregularitate tituli de defectu natalium & infamiæ tamquam diuersi distinguuntur, nam ille pertinet ad irregularitatem ex defectu, iste vero ad irregularitatem ex delicto, quod signum est, defectum natalium non includere notam infamiæ.

Respond. secundo, reiiciendo responsum Donati, nam

Sacri Canones recipiunt ea, quæ statuta sunt à legibus ex can. fin. cap. Omnes 6. quæst. 1. vbi dicitur, quod omnes infames secundum leges, sunt etiam infames secundum Canones; si ergo secundum Donatum iure ciuili illegitimi sunt infames, tales sunt etiam secundum Canones; sed vt probauimus, illegitimi non sunt infames secundum Leges, ergo nec secundum Canones.

82 Secundo dubio respondetur per constitut. 71. Sixti V. §. 2. Interdicitur, ne illegitimi procreati ex incestu, & ex sacrilegio, quorum scilicet parentes consanguinitate, vel affinitate intra tertium gradum inuicem coniuncti fuerint, vel quorum alteruter parens castitatem Deo vouerit, etiam si quouis modo legitimati ad habitum, nec professionem regularem recipi, vel admitti possint eos inhabilitando cum decreto irritante receptionem habitus, & professionis. Iidem tamen admitti possunt ad viliora seruitia, sine professione. Superiores recipientes excommunicationis reseruatæ sunt rei. §. 3. statuitur, vt alij illegitimi recipi possint præmissis informationibus approbandis per Generalem, seu Prouincialem cum vnanimi consensu Definitorum in suis Capitulis, aliter professio irritatur, & receptores excommunicantur eadem excommunicatione reseruata non præmis-

83 sa informatione. Nota, quod nulla fit mentio de nonitiatu, sed solum de receptione habitus, & professionis. Et supradicti illegitimi, qui recipi possunt, inhabilitan-

84 tur ad gradus, honores, & dignitates. Legitimi per subsequens matrimonium constans non comprehenduntur sub ea constitutione sed, sunt habiles ad religionem, & honores, vt ipsemet declarauit in sequenti Bulla §. 3. si tempore, quo geniti sunt, poterat inter eos solutos constare matrimonium.

85 Tertio dubio respondetur, omnes illigitimos ex quouis capite à Sixto V. inhabilitatos, fuisse restitutos, & habilitatos ad habitum, & professionem, quemadmodum admitti poterant, si supradictæ Constitutiones Sixti editæ non fuissent, ex Bulla tertia Gregorij XIV. incipit. *Circumspecta* §. 2. Vide *Rodriquez tom. 3. quæst. 10. per totam, cum suo Compend. 76. num. 10. Portellus 15. Nullitj qualitates num. 10. Miranda tom. 1. quæst. 19. artic. 3. & q 51. articul. 5. Vecchium dispur. 5. dub. 4. Peyrinus de Pralato quæst. 3. cap. 1. à num. 4. Donatum part. 4. tract. 3. q. 4. Lezana part. 1. cap. 24. numer. 21. Pellizarius tracta. 2. cap. 5. numer. 54. Ego resolut. 14. num 36.*

86 Quarto dubio respondetur, valere professionem filij ex sacrilegio coitu sui patris professi viuentis in eadem religione; quod probatur ex citata Bulla Gregorij XIV. §. 3. ibi: *Dummodo tamen filius illegitimus in religione, in qua pater, siue ante, siue post natiuitatem filij fuerit professus, ipso patre viuente, non admittatur.* Et si enim hic prohibeatur denuo admissio filij sacrilegi, non tamen additur decretum irritans, ideo est simplex prohibitio, illa: *Quod expresse prohibemus.* Confirmatur, quia Papa Gregorius Bulla de Illegitimis Sixti V. reduxit ad terminos iuris, quod nullius illegitimi professionem irritat. Deinde cap. sequent. probabo omissionem informationum circa illegitimos non irritare receptionem nouitiorum, quia nulla fit mentio in hac Bulla Gregoriana de Decreto irritante, aut inhabilitatione, hoc ipso, quod omnes illegitimi habilitantur ad religionem. Alij cum Miranda tom. 1. quæst. 2. art. 5. conclus. 2. tenent idem ex alio motiuo, quia Clemens VIII. in sua Bulla 85. incip. *In suprema*, professiones factas contra Bullam Sixti V. & Gregor. XIV. supradictas voluit deinceps esse validas. Et ita tenent etiam ex vi Gregorianæ, *Rodriquez tom 2. quæst. 10. articul. 5. cum suo compend. resolut 32. num. 42. Donatus part. 4. tract. 3. quæst. 5. num. 3. Portellus 11. Noui ius num. 11. Pellizarius tract. 5. cap. 4. num. 54.*

87 Quinto dubio respondetur, per eandem Bullam primam Sixti V. illegitimos non tantum procreatos ex incestu, seu sacrilegio, quos inhabilitauit ad ingressum, & professionem, sed etiam alios illegitimos, quos reliquit habiles ad religionem, *voluit perpetuo remanere inhabiles, & incapaces ad gradus, honores, & dignitates sui Ordinis obtinendas.* Nomine autem gradus, honoris, & dignitatis in secunda Bulla ipsemet Sixtus §. 6. declarauit: *Debere intelligi Præpositatus, Abbatiatus, Prioratus Guardianatus, Custodiatus, Prouincialatus, ac Generalatus superiorum officia, & alia his similia, cum honore, & superioritate coniuncta. Ab officiis autem oneris, veluti, Lectoris, Confessarij, Studiorum, & Sacræ Theologiæ Magistri, Regentis, Prædicatoris, & cæteris huiusmodi. Neque arceantur à voce actiua, neque ab ordinibus ipsi illegitimi, dummodo ex sacrilegio, vel incestu geniti non sint.* 88 Has duas Constitutiones Gregorius in sua præcitata sub §. 2. reduxit ad terminos iuris communis, & priuilegia vsu recepta, & sub aliquibus reuocationibus non comprehensa alias superioribus, vel religionibus concessa in ordine ad dispensandos illegitimos quoscumque ad prædictos gradus restituit, quia erant sublata per ipsum Sixtum, indulgendo, quod Generalis, aut Prouincialis cum Generali, Prouinciali, seu intermedio Capitulo, & non alias suffraganibus mentis dignos dispensare ad honores, gradus, & dignitates. Nomine Capituli veniunt tantum Definitores cum suo capite, vt probaui *resol. 12. quæst. 9. à num. 38. ad 48.* De hac dispensatione vide *Rodriquez cum suo Compend. resolut. 52. num. 40. Sygismundum dub. 76. de elect. Mirandam tom. 5. q. 2. art. 3. Portellum 11. Dispensare num. 2. & 3. & 11. Illegitimus num. 9. & 10. Megal. consil. 91. Lauor. titul. 4. de elect. capit. 16. num. 59. Dianam resolut. 102. de Dubiis Regular.* Ego in dub. MS. Regul. 70. probaui illegitimum dispensari posse etiam ad officium Generalatus, intellige in capitulo Generali tantum, seu intermedio, quia agitur de re spectante ad totum ordinem. Adde præterea hanc rationem; nam hæc facultas dispensandi illegitimos tributa, seu confirmata per Bullam Gregorianam est ad gradus, honores, & dignitates, quas 89 declarauit idem Sixtus V. in quibus includitur officium etiam Generalatus, ergo sicut declaratio Sixti odiosa comprehendit etiam officium Generalatus à quo illegitimus arcetur, ita & gratiosa facultas ex priuilegiis restitutis per Gregorianam se extendit ad quæcumque officia, & proinde etiam ad Generalatum, non enim æquum est, vt odium magis extendatur, quam fauor, adeo quod eundem sensum habent illa verba: *Gradus, honores, & dignitates* sub Bulla Gregoriana in ordine ad dispensationem, quem prius habebant in Bullis Sixtinis respectu inhabilitatis ad honores eosdem. Super dispensatione illegitimi ad Generalem consuluit P. Diana Impressione Romana anno 1652.

Sexto dubio respondetur, nomine illegitimorum ex sacrilegio veniunt tantum illi filij, qui procreantur à parentibus, quorum alter saltem est ligatus Regulari professione voti castitatis; aut ordine sacro, sic enim habet textus, *Quorum alteruter parens Castitatem Deo vouerit*, votum autem castitatis attenditur in receptione professionis, seu Ordinis Sacri, excluditur ergo votum simplex factum extra religionem, & quod per violationem huius 90 voti filios procreatos non dicitur sacrilegus comprehensus sub Bulla Sixti V. Probatur. *Tum quia*, hæc constitutio est odiosa ergo restringenda. *Tum quia*, solum impedimenta dirimentia matrimonium inducunt defectum natalium. *Tum quia*, Bulla emanauit in odium Regularium, qui proprij voti continentiæ quasi obliti inuolabantur procreatione filiorum cum spe olendi eos suo tempore in religione cum graui detrimento, & scandalo Religionis. Ita docui, *cap 2. de Profitente q. 55. & resol. 1 a. num. 17. & resol. 54. n. 38.*

Septimo dubio respondetur, natos ex Militaribus comprehendi sub hac Bulla, quia dicuntur progeniti à parenti- 91 tibus qui castitatem vouerunt, nam qui vouit castitatem coniugalem, scilicet, non cognoscendi aliam, quam propriam vxorem in suo voto includunt castitatem in genere in sua specie castitatis coniugalis, omne enim genus includitur in suis speciebus. Quare audiendus non est, *Compend.*

cum

cum aliis resol.76.n.15. excludentis à Bulla genitos ex Militaribus non Maltensibus, ea ratione, quia Militares absolute non promittunt castitatem, sed in specie coniugalem. Iam enim respondi sub specie comprehendi genus, nam continentia coniugalis est castitas, genus enim prædicatur de suis speciebus. Ita docui *resol.54.n.37.*

Octauò dubio respondetur, filium genitum ex coniugatis professis non comprehendi sub hac Bulla. *Tum quia*, est legitimus, eum per professionem matrimonium constans non distrahatur, Bonac. quæst. 3. de Matrimon. part 4. n.7. *Tum quia*, filius non dicitur pati defectum natalium, sed tota ratio sacrilegij refunditur in professos ratione violatæ Castitatis.

92 Quæres 23. An criminosi iure communi prohibeantur à Religione? *Secundò*, An criminosi inhabilitentur ad habitum, & professionem per Bullam Sixti V. *Tertiò*, quinam sint criminosi, & quomodo ad effectum huius inhabilitatis? *Quartò*, an modo possint recipi ad habitum, & professionem? *Quintò*, an recipientes illos contra formam huius Bullæ incurrant aliquas pœnas? *Sextò*, an criminosi recepti puniri possint à Iudicibus Laico, seu Ecclesiastico?

93 Primo dubio respondetur, criminosos iure communi non prohiberi ab ingressu religionis, immo potius hortari, & quandoque detrudi intra monasterium ad agendũ pœnitentiam. *cap De lapsis* 5. 16. *q* 6. *c. Si ille* 58. *dist.* 50. *capit. Tua* 6. *ae pœnis, capit. Admonere* 8. 33. *q* 2. Religionis enim claustrum est locus aptus ad pœnitentiam, vnde & carcer dicitur, cap. vt famæ 35. de sentent. excommun. Sed quia experientia compertum est, huiusmodi facinorosos homines corrumpere religiosos, detrimenta, & scandala in ordinib. inferre cum dedecore status regularis, ideo efficaciter Sixtus V. eos deterruit à religione.

Secundo dubio respondetur, Sixtum V. in eodem, Bulla 71. criminosos inhabilitasse perpetuo ad habitum, & professionem, adeo quod mandauit receptos contra formã eius Bullæ esse spoliandos habitu, & expellendos à religione. De qua re vide *Rodr. tom.3.q.10. art.7. Mirand. tom.1.q.19.ar.8. Vecch. disp.2. dub.12. Pellizar. tr.3. c.2, num.20.*

94 Tertio dubio respondetur, criminosos esse illos, qui commiserunt furta, latrocinia, rapinas, homicidia, & alia similia, & grauiora. Pro cuius intelligentia nonnulla sunt obseruanda.

Primum, hos criminosos inhabiles ad religionem declarauit idem Sixtus in sua secunda Bulla prioris declaratiua sub §. 17. esse illos, contra quos ante susceptionem habitus facta fuit accusatio, vel specialis inquisitio coram Iudice Laico, vt inde clare colligitur. Et ita docent, *Rodriquez tom.3. quæst. 10. art.7. §. Aduertendum cum suo Compend. resol. 101. n.8. Miranda n.1.q.19. art.8: Sanchez lib.4. c.16.n.39. Vecch disp.2. dub.12 vbi n. 3.* deducit ex dictis, accusationem factam coram Iudice Ecclesiastico tantum non impedire ingressum, quia Papa dixit *coram Iudice Laico.*

Secundum eum, qui fuit accusatus, sed absolutus, adeo quod nulla timetur molestia, esse capacem religionis; sicut & condemnatus, qui in totum iam satisfecit, potest ex hoc capite ingredi, vt patet ex verbis Bullæ, ibi: *Quia tuto in sæculo viuere non possunt.* Item: *Reos, vel suspectos existere, & propterea damnati sint, aut damnentur formidant.* Nam à contrario sensu in prædictis duobus casibus absolutus, vel damnatus & in sæculo tutus viuere potest, & amplius non formidat, ergo habilis est religioni. Ita supradicti Rodriq. & Miranda, atque Vecchius, cum Sanchez, *Ego c.2. de Profitente q.58.*

Tertium, qui vnicum ex illis dictis commisit non videtur factus inhabilis, quia textus loquitur in numero plurali.

Quartum, similia crimina, vel grauiora inhabilitantia refert *Donatus part. 4. tract.3. quæst.8. n.7.* esse illa, quæ lex ciuilis punit pœna mortis, vel triremi, aut perpetui exilii, fustigationis, aut mutilationis, vt homicidium, furtum famosum, adulterium, hæresis, simonia, falsificatio litterarum Apostolicarum, monetarum tonsio, aut falsificatio, stuprum; *Ego resolut.54.n.234.* exclusi stuprum, & adulterium, quia sunt minora crimina illis, quæ recensentur in Bulla.

Quarto dubio respondetur, adhuc remanere prohibitionem, quo ad receptionem habitus respectu tam criminosorum, quam superiorum, qui non possunt licitè eos recipere, tamen professio illorum valet omnino, vt colligitur ex Bulla 83. Clemen. VIII. incipit: *In suprema*, in qua Bulla Sixti, & Gregorij reductæ fuerunt ad terminos iuris communis, quo ad professionem, quæ horum criminosorum, & aliorum non inualidatur iure communi. Ita omnes supracitati. *De qua re cap. seq. quæst. 13. & 14.*

Quinto dubio respondetur, superiores, & alios religiosos concurrentes ad recipiendum huiusmodi criminosos, & obnoxios ratiociniis, & debitis, esse priuatos vocibus, officiis, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuscumque per eos obtentis ipso facto in perpetuum etiam inhabiles. Quas pœnas Clemens VIII. voluit remanere contra eosdem, qui in admittendis ad habitum, & professionem earundem constitutionum formam non seruauerint, aut aliter quouis modo contrafecerint.

Sexto dubio respondetur, quod cum criminosi, & obnoxij ratiociniis, & debitis adhuc prohibeantur ab ingressu religionis, consequenter Iudices sæculares procedere possent contra illos, si ante susceptionem habitus sint accusati, vel inquisiti specialiter, & non aliter, vt tradunt Doctores allegati sub numer. præcedent. Tolerati vero in religione eorum nouitiatus pro bono habetur, & eorumdem professio est valida ex præcitata Bulla Clementis VIII. etiam si non fuerint præmissæ informationes præscriptas in Bullis Sixti V. Vide Donatum part.4. tract. 3. q. 9.

Quæres 28. An reddendis ratiociniis obligati iure communi arceantur à religione? *Secundo*, an à Sixto V. inhabilitentur ad habitum, & professionem? *Tertiò*, an adhuc prohibeantur? *Quartò*, an prohibeantur obligati priuatis ratiociniis? *Quintò*, an si non timetur lis sint habiles? *Sextò*, an superiores recipientes illos puniantur. 95

Primo dubio respondetur prohiberi cap. vn. dist. 53. his verbis. *Quod si etiam tales quoque monasterium petunt; suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius à ratiociniis publicis absoluti fuerint.* Isti ergo non sunt recipiendi, nisi prius satisfecerint iis quibus tenentur. Et per quandam analogiam, & similitudinem neque obligati aliis, vt sunt tutores, procuratores, &c. sunt recipiendi, Donatus par.4. tract. 3. q.11.

Secundo dubio respondetur, istos inhabilitari per primam Bullam Sixti V. Adeo quod eorum receptio habitus, & professionis est omnino inualida, & a religione sunt expellendi. Ita *Rodriq. tom.3. q.10. art.11. Miranda tom.1. q.17 art.6. Suar. tom.3. de relig. lib.5. c.7. num.20. Sanch. lib.4. c.39. n.19. & 29 Vecchius disp.2. dub.15. Donatus par.4. tract.3. q.12. Ego c.2 de Profitente q.60.*

Tertio dubio respondetur, adhuc prohiberi ab ingressu, & professione, nihilominus ex Bulla Clementis, valere eorum professionem, iuxta dicta de criminosis dub.4.

Quarto dubio respondetur, Sixti Bullam loqui simpliciter de ratiociniis reddendis, ergo non solum de publicis, sed etiam priuatis respectu tutorum, procuratorum, &c. Ita præcitati omnes.

Quinto dubio respondetur, illos non comprehendi, ex quorum ratiociniis reddendis non timetur lis, aut molestia inferenda, vt expresse dicitur in textu, si vero lis fuerit illata expectanda est expeditio causæ, & data parti satisfactio; si fiat remissio, potest recipi. Ita præcitati.

Sexto dubio respondetur, superiores recipientes hos inhabiles puniuntur iuxta quod dictum fuit de criminosis sub dub.5.

Quæres 29. An debitores, & decoctores prohibeantur 96

tur iure communi à religione? *Secundo*, an per Bullam Sixti inhabilitentur? *Tertio*, quis dicatur ingenti ære alieno grauatus? *Quarto*, quid veniat sub nomine æris alieni? *Quinto*, an habens possibilitatem soluendi possit ingredi religionem? *Sexto*, an omnino impotens adhuc excludatur? *Septimo*, an qui cessit bonis possit ingredi? *Octauo*, an facta remissione à creditore possit ingredi? *Nono*, an adhuc sit inhabilis? *Decimo*, an superiores recipientes puniantur? *Vndecimo*, an ingressus debeat suis manibus laborare, vt satisfaciat creditoribus. Vide hæc in libello *de Profess. regul. cap. 2. quæst. 59.* Quæ huc rescribo pro illis, qui eo libello carent, & quia ista pertinent ad perfectionem huius capitis. Vide *Vericellum tit. 3. q. 50.*

Primo dubio respondetur iure communi debitores non prohiberi à religione, quia id in eo non exprimitur, vnde *gloss. 11. functionibus cap. Præterea 3. dist. 51.* ait, quod debitores possunt ingredi religionem, & quo ad hoc non tenentur ad amplius, quam quo ad illos peruenit, nisi postea perueniat ad pinguiorem fortunam per successionem aliquam; cum non teneatur de persona sua seruire creditori, *l. ob æs C. de act. & obligat. ex cap. de pignor.* non impeditur ab ingressu religionis. Ita *Sanch. lib. 4. cap. 19. n. 1.*

Secundo dubio respondetur, debitores sunt inhabiles ad religionem ex Bulla Sixti V. Ita quod attentata receptio habitus, & professio sit nullius momenti, & sic indutus spoliari debet, & expelli à religione, cum sit perpetuo inhabilis: horum tamen professio modo tenet; vt dicam infra. Ita *Rodriquez tom. 3. q. 10. art. 9. Miranda tom. 1. quæst. 17. art. 7. Sanchez lib. 4. c. 19. num. 21. Vecchius disp. 2. dub. 13. Donatus par. 4. tract. 3. q. 13. Pellizar. tract. 2. cap. 4. q. 21. à n. 46.*

Tertio dubio respondetur, ingenti ære alieno grauatus dicitur ille, qui supra vires facultatum suarum ita oneratus est, vt ex huiusmodi causalia, vel molestia iam sit illata, vel inferenda timeatur. Debitum ergo ingens est illud, quod superat vires facultatum debitoris, quod tamen per se non sufficit ad impediendum ingressum religionis, sed requiritur, aut quod lis, seu molestia sit iam illata aut inferenda timeatur. Et hæc clare exprimuntur in Bulla, & tradunt præcitati doctores.

Quarto dubio respondetur, nomine æris alieni venire pecuniam, & quoduis pecunia æstimabile contractum ratione mutui, aut alterius negotij ibi: *Multi decoctores post dilapidatam rem familiarem, & contractam ingentem vim æris alieni.* Hinc fit, quod debitum contractum ex alio capite, nempe ex pœna pecuniam, non comprehendi sub hoc capite, sed alio de criminosis. *Ita Sanch, lib. 4. cap. 19. numer. 26. contra Rodriquez, tom. 3. quæst. 10. art. 9. notab. 1. & 4. Mirandam tom. 1. quæst. 17. art. 6. ad finem, Vecchium dispu. 2. artic. 13, numer. 7.* Ductos ea ratione, quia pœna, qua punitur delictum aliquod est debitum. Cui respondetur, in hac Bulla inhabilitari debitores, & decoctores ex iustitia commutatiua, quale non est debitum pœnale, quod pertinet ad iustitiam legalem vindicatiuam delictorum. *Rodriquez sequitur Portellus 11. Nouitius n. 19. Pellizar. tr. 2. c. 4. n. 46.*

Quinto dubio respondetur, habens facultatem soluendi non impeditur ab ingressu, quia Bulla afficit tantum grauatos vltra vires suas. Ita omnes supracitati.

Sexto dubio respondetur, omnino impotens adhuc arcetur à religione, nam aptantur ei verba Bullæ, quia talis grauatur supra vires facultatum suarum. Nec dicas, constra istum non timeri litem, aut molestiam. Quia reuera timenda est, quia debitores solent fallere creditores, dum se fingunt decoctos, & nihil habere in bonis, cum tamen quandoque experientia compertum sit eos habere, deirco non sine causa molestia eis inferri potest, vt cogantur soluere. Si vere constaret debitorem omnino carere bonis, tunc non timeretur molestia, ac proinde non prohiberetur ab ingressu, sed quia res vt plurimum incerta est, ideo simpliciter sunt inhabiles.

Septimo dubio respondetur, qui cessit bonis potest ingredi, quia non timetur molestia, neque per hanc prohibitionem est spes solutionis æris alieni, ideo frustratoria videtur prohibitio. Ita præcitati.

Octauo dubio respondetur, facta remissione à creditore, debitor potest recipi in religionem, ratio est, tum quia Bulla emanauit contra debitores fauore creditorum, qui possunt huic fauori renuntiare. Tum quia ille, cui facta fuit remissio non est amplius debitor, Bald. in l. Si duo ff. de verb. obligat. Ita præcitati.

Nono dubio respondetur, hos debitores adhuc prohiberi, & receptos esse spoliandos habitu, & expellendos, si tamen remanent, eorum professio tenet, ex Bulla Clem. VIII. iuxta dicta; Criminosi enim, & grauati ratiociniis, & ære alieno pari passu quo ad hoc currunt.

Decimo dubio respondetur, puniri superiores illos recipientes, quia ex Bulla Clem. Confirmatæ fuerunt pœnæ contra eos latæ, & solum reualidatæ professiones.

Vndecimo non tenetur suis manibus laborare, vt satisfaciat creditoribus, quia per professionem factus est 97 impotens ad soluendum, cum quicquid acquirit Monachus acquirat suo Monasterio, & non sibi, ex vulgaris iuribus, cui tenetur inseruire, & Monasterium alere illum. Ita *super doctoribus citatis tenet Sanch. lib. 4. c. 19. num. 14.* Creditor autem sibi imputet, si non impediuit eius professionem poterat enim reclamare, ne reciperetur, & obtinere ea vi huius Bullæ. Verum quidem est, quod si quæ bona tetulit in monasterium, ea manent obligata creditoribus, cum professio nulli debeat esse damnosa. Alij apud prædictos tenent, religiosum ex aliquo artificio teneri satisfacere creditoribus, sed cum renuntiauerit seculo, & teneatur seruire religioni, non potest secularibus inseruire. *Vide infra cap. 20. quæst. 36.*

Quæres 30. An qui contraxit sponsalia impediatur ab ingressu religionis.

Respond. Sponsalia non impediunt ingressum lici- 98 tum in religionem, nisi ingressus fiat in fraudem, vt sponsus se eximat ab obligatione; & ipso ingressu ante professionem dirimuntur, etiam postmodum professione non secuta, dummodo dolose non finxerit ingressum, vt sponsam deciperet.

Prima pars de licito ingressu ex bono fine probatur *ex l. Deo nobis 42. C. de Episcopis*, vbi sponsus, & sponsa sine arrharum amissione possunt ingredi religionem, quas antea amittebant. Ratio est, quia sponsalia non debent esse impeditiua melioris boni ei, qui zelo deuotionis Deo seruire vult. Si vero dolose impeditur, male agit, quia ingressus nulli damnosus esse debet, nec quis ex eo ansam accipere debet decipiendi proximum, ideo habens prauum finem impeditur ab ingressu. Ita docent sequentes.

Secunda pars, quod ipso ingressu sponsalia dirimantur ex bono fine facto, probatur. *Tum quia*, promissio euanescit mutato notabiliter statu rei, *Nauar. cap. 18. num. 7. §. Dixi Sanchez lib. 4. cap. 2. num. 20.* Ingressus autem religionis est notabilis mutatio, ergo sufficiens ad irritanda sponsalia. *Tum quia*, sicut matrimonium ratum irritatur non ingressu, sed tantum professione, ita & sponsalia vt quid minus irritantur primo ingressu, sicut enim sponsalia sunt dispositio ad matrimonium, ita nouitiatus ad professionem. Ita *Sanchez lib. 1. disp. 42. numer. 2. Bonac. quæst. 1. de matrim part. 5. numer. 1.* contra *Pontium lib. 12. cap. 10.* Quia nullum reperitur ius irritans, nec ingressus id habet ex sua natura. Dic tu, sufficere illam mutationem notabilem ad hoc vt promissio euanescat. Procedit etiam si sint iurata, vt probaui, *Comrou. 16. q. 3. n. 16.*

Et

Et ex his ſequitur, remanere extinctam ſponſalium obligationem, licet reuertatur ad ſeculum ſine dolo, Sanchez n. 5.

Quæres 31. An ſtuprans virginem poſſit ingredi religionem.

99 Respond. Qui virginem deflorauit non poteſt ingredi religionem, quia ex cap. 1. & 2. de adulter. obligatur non ſolum dotare eam, ſed etiam ducere, ergo male facit ingrediendo, quia obicem ponit legi, quam exequi tenetur. Quod à fortiori locum habet ſi promiſit ſponſalia, habet enim tunc duplicem obligationem abſtinendi ab ingreſſu, & ratione ſtupri, & ratione ſponſaliorum, ex dictis præcedenti quæſtione. In caſu vero, quo deflorauit eam ſine promiſſione matrimonij, & vir ſit magnæ diſparitatis adeo, quod non teneatur eam ducere, tunc ſatisfacta parte de dote, & iniuria poteſt licite ingredi religionem, cum nihil obſtet. Vide *Sanch. lib. 1. diſp.* 10. *Vecchium diſp. 5. quæſt.* 4. Quod ſi religionem ingrediatur, licet ſit illicitus ingreſſus, valet tamen nouitiatus, & inde ſecuta profeſſio, quia nullo iure irritatur,

Quæres 32. An coniux ante conſummationem matrimonij poſſit intrare religionem?

100 Reſpond. Affirmatiuè, quia habet priuilegium ingrediendi, altero etiam contradicente, vt expreſsè dicitur *capit. Verum 2. capit. Ex parte* 14. *& praeced. cap. Ex publico* 7. Vbi datur bimeſtre coniugibus ad deliberandum, an velint conſummare matrimonium, ita quod ſecuta profeſſione valida, & ſolemni ipſo iure diſſolutum eſt matrimonium, ita quod alter coniux in ſeculo remanens, poteſt cum quauis alia perſona contrahere matrimonium. Ita *Sanchez lib. 2. diſp.* 18. *Bonac. quæſt. 3. de matrimon. part. 4. n. 4.* & alij omnes; *cum Peyrino de Prælato q. 3. cap. 1. n. 51. Pontio lib. 9. cap. 4.* & talem diſſolutionem matrimonij tantum rati procedere à profeſſione ſolemni de fide definitum eſt ſeſſ. 24. can. 6. Quo iure autem matrimonium ratum profeſſione ſolemni ſoluatur altercantur doctores, alij iure antiquiſſimo Eccleſiæ, alij iure diuino ex Chriſti priuilegio, quod verius eſt, vide doctores allegatos à Barboſa ſuper dictum canonem. Vota biennij Societatis hoc priuilegio non gaudent, quia Tridentinum loquitur de profeſſione tantum ſolemni. Alij excludunt ab hoc fauore profeſſionem Fratrum Militiarum exceptis Malteníibus, ſed de hac re non video ſufficientem differentiam, quia iſtorum profeſſio vere, proprie, & formaliter eſt ſolemnis. Procedunt prædicta, ſiue alter, ſiue vterque profiteatur, ſtatim enim matrimonium ſoluitur, & nunquam reuiuiſcit, etiamſi ambo expellerentur ab ordine, *Sanchez lib. 2. diſputat.* 20. *num.* 3. Ratio eſt, quia illud priuilegium eſt conceſſum profeſſioni vt ſic, ergo reſpectu cuiuſcumque ſuum producit effectum.

Dices, ſponſo non licet ingredi religionem, & ſi de facto ingrediatur non ſoluuntur ſponſalia adeo quod ingreſſus reuocari poteſt, ex probatis quæſt. 30. ergo à fortiori impeditur, qui iam contraxit matrimonium, quod eſt vinculum maius, & indiſſolubile, ſponſalia autem ſunt vinculum facilis ſolutionis.

101 Reſpondetur aliam eſſe rationem ſponſalium, aliam matrimonij rati, nam qui contraxit ſponſalia habet obligationem conuertendi ea in matrimonium, quod impeditur per tranſitum ad religionem cum iniuria alterius coniugis, cui deeſſet in fide data, ideo ſponſus impeditur ingreſſu religionis, cum debeat ſatisfacere ſuæ promiſſioni. Qui vero contraxit matrimonium nullam ſuperaddit obligationem eidem manendi cum vxore, & reddere ei debitum vel petere, ſed ſimpliciter manet liber, ſi velit eligere ſtatum religioſum, ideo maritus non impeditur ab ingreſſu religionis, ſicut ſponſus, qui debet ſtare promiſſis.

Quæres 33. An coniugatus poſt conſummatum matrimonium poſſit licite intrare religionem, & in ea profiteri? Vide quæ dixi cap. 5. de profitente q. 74.

02 Reſpond. Coniux propria auctoritate non poteſt ingredi, ſed vt ei liceat ingreſſus, quatuor ſunt neceſſaria. *Primo* debet petere licentiam ab Epiſcopo. *Secundo* debet requirere conſenſum, ſeu licentiam alterius coniugis. *Tertio*, debet profiteri in religione. *Quarto* demum alter coniux ſi eſt iuuenis debet ingredi religionem, ſi ſenex, & non eſt periculum incontinentiæ manere poteſt in ſeculo cum voto ſimplici caſtitatis. Quod propria voluntate non poſſit ingredi docent omnes, quia coniux corpus, quod tradidit alteri cum effectu, cum quo facta eſt vna caro per mixtionem ſanguinis, non poteſt alteri tradere, cum non amplius ſit dominus illius, ſed alter coniux, ergo propria voluntate non poteſt alter coniux ab altero non conſentiente, immo contradicente ſe ſeparare ingrediendo religionem. Pro intelligentia huius reſponſionis examinanda ſunt ſingula requiſita. Vide *Peyr. n. de Prælato q. 3 cap. 1 à n. 49. vbi alios citat.*

Circa primum, obſeruandum eſt *primo* licentiam Epiſcopi præſcribi in cap. Si vir, & vxor 23. 27. q. 2. ibi: *Nullatenus ſine Epiſcopi conſcientia fiat.* Reddit rationem ibi gloſ. 11. conſcientia, quia ſeparatio coniugum ſemper fit auctoritate Eccleſiæ, per iura ibi allegata. *Secundo*, ea licentia dicitur à multis eſſe de honeſtate non præcepto, cum quibus eſt *Sanchez lib. 7. diſp. 32. num.* 3. tamen illa dictio *Nullatenus* multum viget, adeo quod nullo modo videtur coniux intrare inſciente Epiſcopo. *Tertio* in illis locis in quibus non ſunt Epiſcopi, vt in locis Nullius, Abbates, & alij Prælati habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem eam licentiam dare poſſunt.

Circa ſecundum de licentia alterius coniugis obſeruandum eſt *Primo*, licentia debet eſſe libera non coacta dolo, aut metu cadente in conſtantem virum extorta, vt colligitur ex cap. 3. ibi: *inuita vxore* cap. 8. ibi: *ſine licentia vxoris nullatenus recipiatur.* Capit. 9. illis verbis: *Conſentiente vxore* cap. 17. ibi: *Quæ propter multa verbera, & alia grauamina* de conuerſ. coniugat. Ex quibus apparet, volentem ingredi non debere extorquere conſenſum dolo aut metu à coniuge reſiſtente. *Secundo* ad licitum ingreſſum ſufficit licentiam obtinere etiam per preces, & alia media exhortatoria, cap. 16. ibi. *Precibus, fletibuſque deuicta.* Præterea *Tertio* taciturnitas, aut ſimulatio coniugis ſcientis voluntatem alterius, & non contradicentis ſufficit, vt colligitur ex cap. 1. & 10. eod. vbi in ſummario dicitur, quod profeſſus religionem vxore ſciente, & diſſimulante, ea mortua ad ſeculum redire non poteſt, quod eſt certum argumentum licitum, & validum fuiſſe ingreſſum, & profeſſionem, de cuius valore dicam infra q. 35.

Circa tertium de profeſſione omittenda obſeruandum eſt *primo*, illi qui ſe ſeparat ab vxore ad ingrediendum religionem, non ſufficere merum ingreſſum ſine profeſſione, id enim eſſet potius ſubterfugere onera matrimonij, quam ſuum ſtatutum mutare in melius, ideo in tit. de conuerſ. coniugat. præſcribitur profeſſio, vel ſub nomine proprio, vel ſub nomine ingreſſus, cum enim nomine ingreſſus intelligant profeſſionem, vt multis oſtendam, cum de profeſſione agam. *Secundo*, coniugem ingredientem debere præmittere nouitiatum integrum vnius anni, & poſtea profiteri. Ita *Suarez tom. 5. de relig. lib. 1. c. 25.* 103
num. 2. Rodriquez part. 1. ſum. cap. 239. tom. 3. q. 13. art. 4. Leſſius lib. 2. cap. 41. num. 59. & alij cum Vecchio diſp. 3. dub. 2. qui licet loquantur de tranſeunte ex matrimonio rato, idem tamen intelligendum eſt etiam ex matrimonio conſummato, cum profeſſio in vtroque caſu ſemper ſupponat annum integrum nouitiatus ex præſcripto Trident. ſeſſ. 25. cap. 15. omnino ſeruandum etiam in his caſibus. Vide cap. 6. numer. 36. & cap 7. numer. 41.

Circa quartum ſequentia ſunt obſeruanda. *Primo*, alter licite ingrediatur religionem præter licentiam conceſſam, neceſſe quoque eſt ex parte alterius, ſi iuuenis eſt, quod religionem ingrediatur, ambo igitur debent ingredi, vt dicitur expreſſe cap. cum ſis 4. de conuerſ. coniug. ibi: *Prohibentes ne virum, vel uxorem,*

rem, nisi vterque ad religionem migrauerit, transire permittas. Loquitur textus de iuuene, nam in sequentibus disponit de sene, vt dicam infra. Præscribitur autem ingressus vbique, vt fides matrimonialis de continentia coniugali ab vtroque ex æquo seruetur; vnde non sufficit ingressus, sed præmisso nouitiatu debet profiteri sicut alter profitetur, ita aliis citatis, *Sanchez lib. 7. disput. 32. numer. 4. Secundo*, si senex est, non sit periculum incontinentiæ potest manere in sæculo, ex eodem cap. cum sit 4. illis verbis: *Verum si ita vxor senex est, & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, vt ea in sæculo remanente, & castitatem promittente ad religionem transeat vir eiusdem.* Tria ergo sunt necessaria, vt manere possit in sæculo; primo, quod sit senex; secundo, quod absit periculum incontinentiæ; tertio, quod voueat castitatem. *Tertio*, hoc votum debet esse perpetuum, vt dicitur in cap. Ad Apostolicam 13. de conuers. coniugat. *Non est alter coniugum recipiendus ad obseruantiam regularem nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat.* Quod etiam exprimitur in cap. 1. eodem, ibi: *Perpetuo castitatem seruare promiseris*; Ita Sanch. à lib. 7. disputat. 32. numer. 5. *Quarto*, hoc votum factum ab existente in sæculo non est solemne, quia nulli religioni ex approbatis, fit, vt bene notat *Sanchez citat. num. 8 qui n. 6.* adducit aliorum opinionem tenentium esse solemne, quia coniuges sibi inuicem communicent actiones, sed id verum non est quo ad solemnitatem, quæ illorum factum non includit, cum ea proueniat ex constitutione Ecclesiæ non à voluntate profitentis, quam ideo respuere non potest. Quare superstes, licet non possit licite matrimonium contrahere post mortem alterius coniugis, valide tamen contrahit, quia votum castitatis simplicis impedit tantum, sed non dirimit contractum matrimonium. *Quinto*, quando mulier est suspecta de incontinentia, Episcopus non debet licentiare alterum ad religionem, *cap. Cum sis 4. cap. Vxoratus 8. cap. Ad Apostolicam 13 cap. Significauit* 18. Quod si vir iam sit professus, & vxor incipiat viuere incontinenter cogenda est ad ingressum ex citato cap. significauit, vbi dicitur, quod non suspecta compellenda non est ad ingressum, ergo à contrario sensu suspecta compellenda est; non tenetur tamen profiteri, si ignorauit hæc vita, & admonita non fuit, sed potius in pœnam suæ incontinentiæ detrudenda est in monasterium Sanchez lib. 7. disput. 32. numer. 12. *Sexto*: alter coniugum ratam habens professionem alterius, qui sine licentia fuit ingressus, licet sit iuuenis non tenetur ingredi, sed sufficit emittere votum castitatis, si nolit emittere, ratificatio non valet, vnde socium repetere poterit, Sanchez lib. 7. disput. 32. numer. 14. *Septimo*, ætas senectutis ad præsentem casum dicitur quinquagenaria in fœmina, sexagenaria in viro, vt possint in sæculo remanere cum solo voto castitatis ex allatis à *Sanchez lib. 7. disputat. 32. numer. 16. ad finem*; sed nimis longa senectus, quia in his ætatibus non videtur habere locum suspicio incontinentiæ, vnde auderem dicere, fœminam senem dici eam, quæ ingreditur annum quadragenarium, virum quinquagenarium, vt possit esse locus suspicioni.

Quæres 34. An diuortium solum sine illis quatuor requisitis possit esse causa liciti transitus alterius coniugis ad religionem.

104 Respond. Primo quo ad nocentem, adulterum, vel adulteram siue ante, siue post latam diuortij sententiam non posse transire ad religionem, nec in ea profiteri sine licentia saltem tacita innocentis, scientis scilicet nocentem velle transire, & non contradicentis. Ratio est, quia non obstante diuortio, innocēs adhuc ius habet reconciliandi sibi nocentem, quo priuandus non est per alterius ingressum, & professionem, ideo sine licentia illicitus est transitus. *Confirmatur*, quia nocens ex suo delicto commodum, & immunitatem reportare non debet nemo enim de sua iniquitate consequitur actionem, *leg. Itaque 12 ff. de furtis.* Neque quis ex suo delicto suam conditionem debet facere meliorem, leg. 177. ff. de regul. iur. Nec delictum alicui debet afferre lucrum, *leg. Sunt hæreditaria 25 ff. de negot. gest.* Ita *Sanch. lib. 10. disp. 10. n. 7. 12. & 13. Vecch. disp. 3. dub. 3. n. 8. Pellizarius tract. 2. c. 4. n. 22.* Innocens autem nullam habet obligationem vouendi castitatem, aut ingrediendi monasterium, sed viuendi semper sine alio coniuge, quia præfata obligatio à iure inducitur solum contra eos, qui extra [illegible] separantur per ingressum religionis, vt patet leg. [illegible] de conuers. coniugat. vbi non agitur de matrimonio læso per alterius delictum. Ita *Sanch. lib. 10. disp. 19. n. 15.* Demum si innocens neget reconciliationem nocenti, liberum ipso iure est nocenti religionem ingredi, quia alio sine nō erat impeditus, nisi propter ius reconciliationis, cui renuntiauit innocens, dum noluit eam, vt colligitur *ex cap. Gaudemus de conuers. coniugat. Sanch. lib. 10. disp. 10. n. 16. Vecch. disp. 3. dub. 3. n. 11.* quia recusans reconciliationem alteri censetur dare licentiam ingrediendi.

℞. Secondo, licere innocenti post sententiam diuortij, inuito etiam nocente, ingredi religionem, & profiteri, vt colligitur *ex cap. Agathosa 21. 27. q. 2. cap. Constituens 15. cap. Veniens 16. de conuers. coniugat.* vbi fit mentio de adulterio coniugis. Ratio est, quia per delictum adulterij coniux perdit omne ius, quod habebat aduersus innocentem, ergo is libere transire potest ad religionem. Ita omnes cum *Sanchez lib. 10. disp. 11. initio Gratianus disceptat. c. 102. n. 24. Vecch. disp. 3. dub. 3. n. 7. Peyrinus de Prælato q. 3. c. 5. n. 53.*

Quæres 35. Quid requiratur, vt professio coniugis sit valida ina adicta in præcedentibus quæstionibus de licito ingressu coniugatorum post matrimonium consummatum?

Resp. primo, certum esse, professionem coniugis esse validam, si concurrunt illa tria, nempe licentia Episcopi, consensus alterius coniugis, & eiusdem ingressus, seu votum castitatis remanentis in sæculo, iuxta dicta sub q. 33. quæ sicut faciunt licitum ingressum intrantis in religionem, ita & validam reddunt professionem, ad cuius perfectionem, ex hoc capite nihil aliud desideratur. Ita omnes infra citandi. 105

Respond. secundo, defectum licentiæ Episcopi non impedire professionem alterius coniugis, quia in cap. si vir, 23. 27. quæst. 2. & alibi, vbi de licentia Episcopi, aliter omissa professio non irritatur, ergo valet. Ita *Sanch. lib. 7. disp. 32. n. 3. Vecch. disp. 3. dub. 3. n. 4. Bonacina q. 3. de matrimon. par. 2. n. 12. §. Tertia*; & in hoc omnes conueniunt.

Respond. tertio, valet professio, licet coniux, quæ dedit licentiam non ingrediatur religionem, nec voueat castitatem, quia in illis textibus, in quibus præscribitur ingressus iuuenis, vel votum senis non apponitur decretum irritans professionem, si non exequatur præscriptum. Ita quamplures cum *Sanchez lib. 7. disp. 33. n. 2. & 4. Pellizar. tract. 2. c. 4. n. 18.*

Resp. quarto, ex prædictis constare solum defectum licentiæ impedire valorem professionis, quod probatur, 106 quia volens ingredi religionem debet esse sui iuris, quo ad dominium sui corporis, quia illud per votum castitatis debet Deo consecrare; sed coniux non est sui iuris, quo ad dominium corporis, cum illud per contractum matrimonium, & consummatum perfecte tradiderit, sub potestate alterius coniugis, ergo sine illius licentia non potest supponere religioni in professione, ergo posita licentia huiusmodi nihil ei deest ad valide profitendum, cætera enim requisita, vt licentia Episcopi, ingressus religionis seu votum simplex castitatis nihil faciunt ad subtractionē illius dominij, quod à sola voluntate alterius coniugis pendet acquisitum antecedenter ad hæc in ipsa celebratione matrimonij perfectum, & integratum in consummatione eiusdē. Quod defectu licentiæ alterius coniugis professio sit nulla probatur per cap. Quidā 3. de conuers. coniugat. vbi dicitur, quod qui inuita vxore professionem fecit, & ei postea restituitur, non compellitur mortua vxore ad monasterium redire; si non tenetur redire;

ergo nulla fuit eius professio defectu licentiæ ; c. Dudum 20. eodem dicitur, quod si coniuges se ad inuicem absoluant, ambo vel alter eorum ingrediendo religionem, alter alterum repetere non potest, quia omnino tenuit professio, ergo si deficiat licentia, non tenebit professio, & sic alter alterum repetere poterit. Ita docent omnes cum *Sanchez lib. 7. disputat. 34. n. 10. Bonacina quæst. 3. de matrim. par. 4. n. 9. Vecchius disput. 3. dub. 3. n. 1. Pellizarius tr. 3 c. 2. n. 56 Portellus tit. professio num. 27. Lezana part. 1. c. 2. num. 31. Peyrinus de Prælato quæst. 3. capit. 1. num. 51.*

307 Respond. Quinto, licentia metu, vel dolo extorta vitiat professionem, quia licentia coacta, licentia non est gloss. 11. licentia cap. Notificasti 2. 33. quæst. 4. in subiecta materia. *Tum quia*, renunciatio contra suam voluntatem facta ex metu graui nulla est, *cap. Super hoc 5. de renunt.* Ergo mulier consentire marito ingredienti religionem non dicitur renuntiasse iuri suo, ergo maritus sic transiens valide non potuit profiteri, remanente adhuc iure sui corporis penes vxorem. *Tum quia*, dolus nemini debet patrocinari. Ita *Sanchez lib. 7. dispu. 35. num. 3. de metu graui, num 9. de dolo, Bonacina quæst. 3. de matrimon. par 4. num. 9. Lezana par. 1. cap. 2. num. 31. Peyrin. de Prælato quæst. 3. cap. 1. numer. 50. Portellus tit. Professio numer. 35. & alij omnes.* Quo ad nullitatem professionis nulla est differentia inter metum cadentem in constantem virum, hoc enim solum irritat professionem, vt colligitur *ex cap. 17. de conuers. coniugat.* & dolum quod ad hoc enim pariter vitiant, & annullant professionem, vt bene docet *Sanchez lib. 7. dispu. 35. num. 7.*

308 Respond. sexto, dissimulationem alterius coniugis, quando scilicet scit ingressum sui coniugis, & non consentit, nec dissentit, sed tacet, cum possit contradicere non vitiare professionem, vt colligo ex cap. Consuluit 10. de conuers. coniugat. his verbis : *Consuluit nos G. sacerdos, vtrum vir ad religionem transiens, & in ea per annum, & amplius moram faciens, vxore sua postquam ad domum transierat regularem, de præsenti vita sublata secularem habitum resumere valeat, & aliam ducere in vxorem, vel si ductam ei liceat retinere? Consultatione huiusmodi taliter respondemus, quod prædictus vir, nec habitum potest abiicere quem assumpsit, nec aliquam sibi matrimonio copulare. Quod si contraxerit, matrimonium ipsum decernimus dirimendum.* Ex quo textu licet ignoretur, an manens in sæculo dederit licentiam necne, in summario tamen dicitur, quod professus fuerat religionem vxore sciente, & dissimulante, ergo ex eo textu euidenter constat ad valorē professionis sufficere consensum tacitum, & præsumptum ex dissimulatione alterius coniugis non contradicentis, quando potest contradicere. Rem hanc tradit fusè *Sanchez lib. 7. disput. 35. & n. 13. qui num. 14.* sentit, professionem esse nullam, ac proinde desiderari licentiam expressam, vt valeat professio, & ita docet *Peyrinus de Prælato quæst. 3. cap. 1. numer. 49.* requirens expressam licentiam, qui *num. 50. refert Suarez to. 3. de relig l. 6 c. 7. n. 10.* asserentem sufficere tacitum consensum, quia scienti, & consentienti non fit iniuria.

Quæres 36. An professio facta contra voluntatem alterius coniugis diuturnitate temporis conualescat, si non procuret eius restitutionem, aut saltem post eius mortem incipiat valere?

309 Respond. Nunquam conualescere, quia tractu temporis non firmatur, quod ab initio non subsistit, *Reg. 18. in 6. Reg. 30 ff. de reg. iur.* quia tempus non est modus inducendi, nec tollendi obligationem, *ex leg. Obligationum 43. §. Placet gloss. 11. eod ff. de act. & obligat.* Remoto autem impedimento, hoc est, altero coniuge consentiente cum nouo consensu eiusdem professi tunc conualescit, & dicitur confirmata professio. *Confirmatur*, quia consensus ingressi cum dissensu alterius nullius est

310 momenti, cum consensus in contractibus sit communis, & omnino indiuisibilis, adeo quod siest diuisus per dissensum, nihil omnino valet, consequenter consensus præstitus ab ingresso in professionem contra alterius voluntatem non subsistit, ac proinde nulla est professio, & si accedat consensus coniugis remanentis in sæculo, adhuc nouus eiusdem professi est necessarius, vt professio nulla dicatur reualidata, & ratificata per nouum consensum. Multo minus conualescit per mortem alterius coniugis, quia per actum negatiuum mortis non præstatur consensus, nec de non volente moriendo fit volens cum is sit actus positiuus, qui prouenire non potest ab actu negatiuo, in quo mors consistit. Ita *Sanchez l. 7. disput. 34 n. 18. & dispu. 37. n. 70.*

Quæres 37. An ius corporis vnius super alium sit perpetuum impedimentum, ita quod in sæculo remanens inuitus impediat continuo valorem professionis ingressi?

Respond. Est perpetuum impedimentum, quia perpetuo vsque ad mortem coniugis manentis in sæculo non solum impedit ne vnquam professio conualescere possit, sed etiam obstat, ne professus nulliter possit eam ratificare, nisi post eius mortem ; quia præsumitur semper durare contrariam voluntatem, qua primo coniux nolens conuerti contradixit, vnde & illum sic male professum reuocare potest à religione, vt secum cohabitet, vt faciunt alij coniugati, de qua reuocatione sequenti quæstione. Colligitur ex Sanchez lib. 7. disputat. 37. numer. 69. dum dicit, coniugem, cuius professio est nulla defectu licentiæ alterius coniugis, non comprehendi sub decreto de reclamatione ad formam cap. 19. sess. 25. quia is coniugatus est inhabilis ad professionem. Tridentinum autem loquitur de habilibus. 311

Quæres 38. An coniux inualide professus possit propria auctoritate redire ad vxorem siue eum petat, siue non?

Respond. Certum est, hunc coniugem infra annum probationis exire posse, immo debere, posse quidem, quia omnibus licet infra id tempus exire ; debere vero, quia non potest separare ab vxore sua resistente. Deinde licet sit professus nulliter tamen adhuc propria auctoritate, siue petatur, siue non, exire potest, quandocumquē notorie constat, professum fuisse vxore contradicente, vel licentia ab ea extorta metu, aut dolo, quia ius coniugij est impedimentum perpetuum, quod de se continuo reclamat contra taliter professum, qui dicitur inhabilis ad religionem. Ita aliis citatis *Sanchez l. 7. d. 34. n. 15. de illicentia, & disp. 35. n. 5.* de licentia sed extorta metu, aut dolo, debitum enim, quod habet cohabitandi alteri coniugi contra eum semper reclamat. 312

Quæres 39. An coniugatus professus siue valide, siue inualide reuocari possit officio iudicis à relig. ad cohabitandum cum sua vxore. Non est difficultas de professo inualide, nam sicut ipse tenetur exire, & redirē ad vxorem, vt illi seruet fidem datam de mutua cohabitatione, & seruitute coniugali ex probatis in præcedenti quæstione, ita & à fortiori officio iudicis cogi potest ad redeundum cum vxore, nam illicentia, metus, & dolus dant causam iudici reuocationis cap. Accedens 17. eod. Remanet difficultas quando professio est valida ex licentia data ab vxore, an ea non obstante repeti possit coniugatus professus?

Respond. In vnico casu repeti, & reuocari posse valide professum, nempe, quando alter in seculo remansit sine voto castitatis, & timetur periculum incontinentiæ, si tamen vxor erat conscia iuris præscribentis maritum non posse profiteri, nisi vxor licentiam concedens voueat castitatem, si sit senex, si vero iuuenis ingrediatur religionem. Ita *Sanchez lib. 7. disputat. 33. numer. 14. colligitur ex cap. 1. cap. Dudum 40.* Si vero adulteretur, non habet ius reuocandi virum suum, quia perdidit illud, cum non possit petere debitum. Ita colligo ex cap. Constitutus 15. cap. Veniens 16. eod. In casu vero, quo in seculo manens vouit castitatem, & nihilominus timetur periculum incontinentiæ, non reuocatur, quia neuter eorum potest petere, nec reddere debitum, cum 313

114 terque teneatur eodem voto. Demum non multum mihi
placat reuocatio valide professi, quia cum professus non
possit petere debitum, sed tantum reddere, si reuocetur
ponit se in euidens periculum violandi votum suum, de
qua re non est dubitandum, ideo crederem non esse sub-
ueniendum vxori cum periculo mariti, qui habita legiti-
ma licentia ab illa, se exemit ab eo onere facto sibi val-
de periculoso, vxor sibi imputet, & cogatur ad votum,
vel ad ingressum, sibi à iure præscripta.

Quæres 40. An vxor credens suum maritum esse mor-
tuum, vel è contra, ingrediendo religionem valide pro-
fiteatur.

115 Respond. Negatiuè, quia deest licentia, sine qua
subsistere professio non potest, & colligitur ex cap. Pla-
cet 12. de conuers. coniugat. vbi determinatur, quod
si alter coniugum altero ignorante religionem pro-
fitetur, & propter hoc de monasterio educitur, illo
mortuo ad monasterium redire non cogitur; quod est cer-
tum argumentum professionem non tenuisse. Quod
procedit, licet non exiflet monasterio, sed in eo per-
seuerasset, quia permanentia intra clausuram non fa-
cit conualescere professionem inualidam, sed necesse
est, quod mutuo consensu de nouo firmetur, iuxta su-
perius dicta sub quæst. 35. Nec in hoc casu habere
potest locum dissimulatio, quia supponit dissimulan-
tem notitiam habere de existentia alterius coniu-
gis.

Quæres 41. An non obstante inualiditate professio-
nis taliter professus remaneat ligatus voto castitatis?
Ratio dubitandi colligitur ex cap. quidam 3. de conuers.
coniugat. vbi determinatur, quod qui inuita vxore pro-
fecit in religione, & ei postea restituitur, non compelli
redire post eius mortem ad religionem, matrimonium
tamen contrahere non potest, ratio redditur in textu,
quia promisit se non exigere debitum, quod in eius po-
testate erat.

116 Respond. Si ingressus hoc specialiter Deo promisit,
præter professionem, tenetur se abstinere à coniugio, &
non potest petere debitum, quia speciali voto se obliga-
uit; & licet nulla sit professio, non inde tamen sequitur,
nullitas huius specialis promissionis, quia non dicitur ac-
cessoria, neq; dependere ab ea professione. Vide *Sanch.
lib. 7. disp. 34. numer. 9. & 10.* Rem alio modo tractan-
tem.

117 Quæres 42. De seruis an sint habiles, vel inhabiles
ad religionem? Seruus dicitur à seruando, quia captiui
venduntur, vt seruentur, non vero vt occidantur *l. Li-
bertas 4. ff. de statu hom l. Pupillus 239 ff. de verb. sig-
nif.* Est autem seruitus constitutio iuris gentium, qua
quis dominio alieno contra naturam subiicitur, l. Liber-
tas 4. ff de statu homin. Non dicitur ergo seruus à ser-
uitute, quia etiam famuli dicti seruitores seruiunt hero
suo, & tamen eius serui captiui non sunt, quia non em-
pti, non donati, sed tantum conducti ad opera. Non erit
abs re referre nonnullas propositiones de seruis *Prima*,
serui in dominium nostrum rediguntur *l. Et seruorum 5.
de statu hom. Secunda*, seruus acquirit Domino suo l. 1.
ff. de iis, qui sui, vel alieni iur. *Tertia*, Dominus est na-
turaliter obligatus seruo, l. Si id 64. ff. de condi. in
deb. *Quarta*, seruus acquirit inuito domino l. seruus 62.
ff. de verb. obligat. *Quinta*, cum seruis nulla est actio l.
108. ff. de regul. iur. *Sexta*, melior conditio nostra per
seruos fieri potest, non deterior, l. 176. ff. de reg. iur.
Septima, seruitutem mortalitati comparamus l. 210. ff.
de reg. iur. *Octaua*, seruus reipublicæ causa abesse, non
potest l. 212. vltima de reg. iur. *Nona*, factus Chri-
stianus liber efficitur, nec Dominus aduersus eum re-
stituitur, l. Deo nobis 41. § His ita C. de Episcop.
Decima, seruus potest domino prodesse, non obesse, l.
seruus 3. C de pactis. *Vndecima*, iudicio interesse non
potest l. seruus 6. C. de iudic. *Duodecima*, ex delicto ser-
ui debet conueniri similiter Dominus, l. si sibi 5. C. de
noxal. act. *Decimatertia*, seruus in seruitute mutuum ac-
cipiens, liber factus non tenetur, l. creditoribus 2. C.
An seruus pro suo facto *Decimaquarta* Seruus non potest
produci in testem contra dominū suum, de facto tamen
interrogari potest, l. Seruos 7. C. de test. *Decimaquinta*,
seruus non potest dari à iudice tutor, vel curator, l. In ser-
uili 7. c. Qui dare tutores, vel cur. *Decimasexta*, seruus ac-
quirit Domino etiam ignoranti. Ab eo autem sine iussu
domini hæreditas adiri non potest. Et tam proprietas,
quam possessio per eum domino acquiritur. Instit. Per
quas causas nobis acquir. *Decimaseptima*, seruus potest
institui hæres. Inst. de hæred. Inst. §. 1.

Respond. Seruus contradicente domino est inhabi- 118
lis ad religionem, ita quod si ingressum attentat inua-
lide profitetur. Ignorante vero domino eius non potest
receptus profiteri valide, nisi post triennium, quod datur
fauore domini vt valeat eum recuperare, hoc autem
triennium incipit currere à die ingressus non à die scien-
tiæ ipsius Domini, intra quod si petatur restituendus est,
post hoc tempus valide profitetur, nec deinceps à do-
mino repeti potest. Non tenetur triennio illo semper
manere in probatione, vnde sufficit, quod per annum
probetur. Vide iterum *de hac re c. 6. q. 1. §. Tridentinum
& quæst. 23.*

Prima pars, quod domino resistente sit inhabilis, pro-
batur, quia cum non sit sui iuris, sed sub dominio alie-
no, non potest se tradere alteri contra voluntatem Domi-
ni, ac proinde professionem attentans nihil facit, cum
per eam non possit se subiicere domino alterius immo
ipse, & religio furtum faciunt sibi vsurpando rem alie-
nam. *Confirmatur*, quia eiusdem rei duo in solidum do- 119
mini esse non possunt, *cap. si vt certo 5. Commod. §. Si
duobus*, id autem sequeretur, si contradicente Domino
seruus valide ingrederetur, esset enim adhuc illi subie-
ctus, & religio eius professione dominium acquireret,
ne igitur illud sequatur, dicendum esse, professionem
non tenere, sed seruum remanere sub vnico domino,
qui talis erat etiam ante illius ingressum. *Ita l. seruis
35. C. de Episcopis, & Cler. Auth. Verum sub eod. C.*
Vbi dicitur, quod seruus legitime monachus liberatur
à iugo seruitutis, *legitime* i. cum licentia Domini, vt
dicitur in præfata lege, vt exemptus, & absolutus per
eam licentiam à domino prioris patroni transire possit
sub dominio religionis, vt hac ratione idem non sit si-
mul sub dominio duorum in solidum. Iure canonico,
*cap. Generalis 11. cap si seruus 20. cap. Abbati 22.
dispat. 54. cap. Qui vero 12. 16. quæst. 1. cap. Si quis
3. 17. quæst. 2. Ita Sanchez lib. 5. cap. 4. numer. 49.
Ego capit. 2. de profitente quæst. 50. Azor par. 1. lib. 12.
cap. 2. quæst. 3. Palud. in 4. dist. 38. quæst. 4. art. 1.
num. 30.* quos contra se refert *Vecch. disput. 2. dub. 2.
num. 6.*

Idem Vecchius, Pellizar. tract. 3. cap. 2. quæst. 18.
multis aliis citatis probant, professionem serui etiam
inuito domino valere *Primo*, quia nullo iure irritatur.
Secundo, quia ex natura rei est valida, nam acta seruorum
valida sunt quandiu non irritantur. *Tertiò* reuocatione
non obstante facta à Domino tenetur seruare castita-
tem, & paupertatem, immò licentiatus à Domine tene-
tur redire ad claustrum, ait Suar. cum aliis, & hæc repu-
tatur communior sententia.

Respond. est, professionem serui inuito Domino infra
triennium esse omnino inualidam tum ex rationalibus al-
latis. *Tum quia*, pro dato haberi non potest, quod tradi non
potest, nec donari cap. Quod 5. de iure patron. Sed
seruus dat sui dominium cum effectu, & absolute Domi-
no suo ex allatis inuito huius quæstionis, ergo illud idem
tradere non potest religioni, ergo nec valide profiteri, cū
ad professionem sequatur traditio sui ipsius. *Tum quia*,
coniugatus non potest valide profiteri sine licentia alterius
coniugis, vt probatū est q. 35. resp. 4. ergo nec seruus in-
uito Domino. Consequentia probatur, quia ambo domi- 120
nium sui subiectum habent alteri, immo magis subiectus
est seruus, quam vxor nam hæc est socia, ille captiuus.
Tum quia, in cap. Generalis 12. dist 50. qui huiusmodi
seruos sine licentia Domini recipiunt dicuntur aliena
peruadere,

persuadere, qui vti alieni restituendi sunt Domino, ergo textus supponit ex natura negotij seruos non esse valide professos, aliter alieni non dicerentur, sed proprij religionis.

Ad argumenta in contrarium *ad primum* dico, & si iure aliquo non exprimatur decretum irritans, in præcitato tamen iure c. 12. dist. 54. includitur tacite ex natura ipsius facti, quod implicat, vt aliquis se ipsum cum effectu tradat alteri, si efficaciter se tradere non potest, vt contingit seruo, qui ita est sub dominio sui patroni, vt eo inuito non possit se alteri cum effectu, & vtiliter se tradere. Vnde *ad secundum* respondetur hanc nullitatem procedere ex natura ipsius facti, cum seruus talis sit conditionis, vt alterius fieri non possit, nisi voluntate Domini, à quo pendent omnes eius actiones eatenæ quo ad suum valorem, ita quod illis, in quibus præiudicatur Domino, nullus valor præsumatur ab eodem Domino tri-
121 butus. Vota autem seruorum habent tacitam conditionem si Domino placebit, ideo totus valor ab eius placito pendet, sic & professio. Adde, quod in voto simplici nulla fit traditio personæ, sicut in solemni. *Ad tertium* respondeo, seruum professum inuito Domino ad nihil teneri, si deinde Dominus illum licentiet, quia licentia est quidem concausa, vt professio teneat, non tamen sufficit, sed necessarius est nouus consensus serui, vt teneat professio, sine cuius consensu nullo modo subsistere potest.

Ad validam professionem serui necessaria est licentia Domini ex probatis, & sufficit etiam præsumpta, qui scilicet sciens seruum suum religionem esse ingressum non reuocat, cum possit contra eum reclamare, sed simulando eius recessum tacet, hoc enim modo censetur renuntiare iuri suo, quod habet super seruum, ea quo valide profiteri potest sine eius præiudicio, eui tacendo præsumitur renuntiare, vt diximus præced. q. 35. Resp. 6. de coniuge dissimulante ingressum alterius coniugis, ea quo sequitur valida professio, in hoc æquiparantur serui, & coniugati, vt dixi paulo ante.

Licentia vero extorta metu seu dolo vitiat professionem, quia metus, & dolus nemini debent patrocinari, iuxta dicta de metu, & dolo coniugis sub quæst. 35. Resp. 5. vitiante professionem coniugis.

122 Secunda pars, quod post triennium valeat professio serui, probatur quia sequentes legem, & canones illum manomittunt, & faciunt liberum, inde & Dominus censetur renuntiasse iuri suo non quærendo seruum, & colligitur ea cap. *Si seruus* 20. *Debent enim per triennium, antequam monachi efficiantur in monasterio permanere, postea vero si monachi effecti fuerint, liberi efficiantur.* Quæ sunt verba Authen. *Verum* sub l. 35. C. de Episcop. & Cler. Quod idem decreuit Bonifacius relatus cap. 3. 17. quæst. 2. *Si quis incognitus monasterium ingredi voluerit ante triennium monachi habitus ei non præstetur. Et si intra tres annos, aut seruus, aut liber, vel colonus quæratur à Domino suo, reddatur ei cum omnibus, quæ attulit, fide tamen accepta de impunitate. Si autem intra triennium non fuerit requisitus, postea quæri non potest, nisi sit tam longo, quod inueniri non possit. Sed tantum ea, quæ in monasterium adduxit Dominus serui accipiat.* Post triennium ergo efficitur liber, & sui iuris, ex quo valide deinceps profiteri potest.

123 Tertia pars, quod triennium incipiat currere à die ingressus, non à die scientiæ Domini, probatur. *Tum quia*, ter fit mentio de triennio hoc ante quod expletum non potest seruus profiteri, secundam partem, & tertium triennium regulandum est à primo, cum enim eiusdem sint conceptus, & obiecti nulla potest esse differentia, & cum à capite ratio sit edenda, l. Argentarios 10. §. Edi ff. edendo sequitur posteriora duo sequi intellectum prioris, sed primum incipit à die ingressus, ergo reliqua duo, & non à die scientiæ, qua Dominus cognouit ingressum sui serui in religionem. *Tum quia*, Auth. *Verum* registrata in eo cap. 20. dist. 54. post dictum triennium ab ingressu seruum facit liberum, vt valide profiteri possit, ergo triennium videtur esse numerandum à die ingressus, aliter non ita, sed Dominus concederet illi libertatem, si tempus à scientia Domini regulandum esset. *Tum quia*, sequeretur, quod post longum tempus vltra illud triennium Dominus posset reuocare seruum, si triennium attenderetur à die scientiæ, accidere enim potest, quod Dominus non possit habere notitiam ingressus serui in religioné nisi post plures annos, & tunc posset reuocare seruum, & iterum redigere in seruitutem contra legem, quæ illi tribuit libertatem, & contra l. Libertas 31. vbi dicitur, quod li- 124
bertas non datur ad tempus, & ideo tempus illi præscriptum v. g. ad decem annos superfluum est, l. Ideoque 34. ff. de manum. testam. hæc autem libertas esset ad tempus, si post triennium à die ingressus reuocari posset professus à Domino, vt reuocari posset, si triennium numeraretur à die scientiæ patroni, ergo ne sequatur hoc absurdum numerandum est à die ingressus. *Tum quia*, sicut quinquennium à Tridentino sess. 25. cap. 19. præscriptum professis nulliter ad reclamandum numeratur à die professionis inualidæ non à die scientiæ nullitatis eiusdem ea communi doctorum apud Barbosam super dictum cap. num. 7. Sanchez lib. 7. disput. 37. num. 2. 125
& 19. Ita hoc triennium regulandum est à die ingressus, non à die scientiæ, per quam Dominus venit in cognitionem ingressus serui. Currit paritas, quia tempus in vtroque casu limitatum fuit fauore religionis, ne scilicet vlterius molestaretur à professione sui professi. Et ita docent *Azorius, & Lessius cum aliis citati à Vecchio disp. 2. dub. 2. num. 3. à Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 46.* qui duo Vecchius, & Sanct. tenent hoc triennium esse numerandum à die scientiæ, quo Dominus nouit ingressum serui in religionem, quos ego alias secutus sum potius vt discipulus, quam vt magister. *c. s. Profitente q. 50 Pellizar. tr. 3. c. 4. n.* 44.

Præfati igitur doctores incipientes hoc triennium à die, quo cognouit Dominus serui sui ingressum religionis probant *primo*, quia id tempus præscribitur fauore Domini, vt possit deliberare, an velit illi dare libertatem, vel reuocare ad seruitium, ergo ab eius scientia numerandum est, alias nihil illi faueret, sed potius aduersaretur, quia per totum triennium à die ingressus potest accidere, quod patronus ignoret eius conuersionem. *Secundo*, quia præscriptio huius triennij est in negligentia Domini non reuocantis seruum intra illud spatium; sed ignoranti negligentia imputari non potest, ergo expectanda est scientia Domini, vt illud triennium incipiat currere.

Respond. Ad vtrumque illud triennium apponi in 126
fauorem Domini vt possit quærere seruum suum, & in fauorem religionis, & ipsius conuersi, ne vltra triennium religio possit molestari reuocatione serui; sed tempus appositum in fauorem alterius immo vtriusque non dormit, sed incipit statim currere, ne vni fiat iniuria ab alia, gl. 51. numerandum cap. Statutum, de præbend. cum aliis allegatis à *Sanch. lib. 7. disp. 37. numer.* 19. in simili causa de quinquennio incipiente currere à die inualidæ professionis eius, qui vult reclamare, & non à die scientiæ nullitatis.

Tertia pars quod sufficiat probatio vnius anni, probatur. *Tum quia*, textus illi præcise dicunt, quod debent per triennium permanere in monasterio antequam profiteantur, & quod non profiteantur ante triennium, non specificando quid agere debeant infra illud triennium, quare cum referatur ad professionem nihil disponit de probatione. *Tum quia*, Tridentinum quorumcumque nouitiatum præscribit vnius tantum anni, sess. 25. c. 15. ergo etiam seruorum. *Tum quia*, vt superius dictum fuit, illud triennium refertur ad dominum, vt tempus habeat, an velit reuocare, vel relinquere seruum libertati, refertur quoque ad religionem, ne vltra triennium molestari possit reuocatione serui, quare cum non referatur ad probationem, sufficit nouitiatus vnius anni.

Quæres 43. An famuli, coloni, ruſtici, & alij, qui ſe perpetuo obligauerunt dominis ſuis ſint habiles ad ingreſſum religionis?

127 Respond. Sunt inhabiles, niſi à ſuis patronis licentientur, in hoc enim comparantur ſeruis, & quo ad hæc eorum conditionem ſequuntur, vt colligitur ex citatis iuribus *præcedent. quæſt. cap.* 12. 20. 22. *diſtinct.* 54. *cap.* 3. 17. *quæſt.* 2.

Quæres 44. An obligatus alius ad certum tempus poſſit licite ingredi religionem antequam adimpleat promiſſum?

128 Respond. Non poteſt. Probatur. *Tum quia*, non ſunt facienda bona, ex quibus euenire poſſunt mala, nam ſi bene factum incipit eſſe occaſio mali deſtruendum eſt, *gloſſ.* 11. *Præiudicium cap.* 1. *Vt lite pendente, per iura ibi citata*, à fortiori illi bono occurrendum eſt, ne ſequatur occaſio mali; nulli autem dubium eſt ingreſſum in religionem per hos faciendum eſſe occaſionem mali, quia ſic ingrediens non exequitur promiſſum, & dat illis, quibus ſuam fidem dedit, occaſionem maledicendi, & vexandi religionis ſuperiores ad reſtitutionem debitorum, vt promiſſum exequatur. *Tum quia*, debitor inuito creditore non poteſt ſoluere illi vnum etiam melius pro alio, *leg.* 2 *ff. de reb. crediter. leg. Manifeſti* 17. *C. de ſolut.* multo minus in caſu noſtro, in quo nihil ſoluit creditori, & in terminis *Abbas*, & *Alex. de Naue in cap.* 5. *de iureiur. apud Sanchez lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 30. *Tum quia*, faciunt dicta ſub quæſt. 30. de ſponſo illicite ingrediente inuita ſponſa. Secuta tamen profeſſio tenet, quia non irritatur, nec iſti ſunt inhabiles, cum non ſint perpetuo obligati, nec quo ad perſonam, & opera, vt ſerui, & aſcriptitij, *de quibus præcedent. quæſt.* 41. & 42.

Sanchez citato lib. 4 cap. 19. num. 31. cum decem octo Doctores aſſerit, ita obligatum poſſe licite ingredi, niſi alia obligatio iuſtitiæ acceſſerit, qua obligetur reſtituere. Probat hoc vnica ratione, quia his obligationibus ineſt tacite conditio, niſi tranſitus ad religionem placeat. Confirmat, quia maior obligatio eſt homini debita promiſſio ineundi matrimonium, & tamen ei promiſſioni etiam iuramento firmatæ ineſt eadem conditio, adeo quod poteſt ingredi religionem non obſtantibus ſponſalibus etiam iuratis, ergo & his obligationibus irretitus, lib. 1. diſp. 43. num. 5. Hunc ſequitur *Vecch. diſp.* 2. *dub.* 14. *Pellizar. tract.* 2. *cap.* 4. *quæſt.* 22. & *tractat.* 5. *capit.* 2. *q.* 11. *Peyrin. de Prælat. quæſt.* 3. *cap.* 1. *n.* 37. Prædicta ampliant etiam ſi promiſſioni adiunctum ſit iuramentum, quia ſequitur naturam actus, ſuper quem cadit.

Respond. ſupra quæſt. 30. ſponſum non poſſe licite religionem ingredi, nec proinde iſtos tranſire poſſe inuitis patronis. Vnde abſolute nego, ſponſalia, & huiuſmodi obligationes habere tacite coniunctam eam conditionem, ſi non elegero ſtatum religionis: quod probo per ipſummet *Sanchez*, *qui lib.* 1. *diſp.* 46. *num.* 9. §. *Tertio*, aſſerit, quod nullo iure probatur ineſſe ſponſalibus tacitam conditionem niſi ſtatum continentium eligere; ſi ergo non dirimuntur ſponſalia per ſuperueniens votum continentiæ, quod magis vrget, quam voluntarius religionis ingreſſus, multo minus dirimuntur per eundem ingreſſum, ergo ſicut illa conditio non ineſt ſponſalibus reſpectu voti continentiæ ſuperuenientis, ita neque per ſuperuenientem ingreſſum religionis; non poſſunt ergo hi duo effectus conditionis infringere ſponſalia, cum illis

129 reuera conditio non inſit. *Confirmatur*, quia omnis conditio eſt in re, vel à natura ipſius rei, vel à lege, vel ab homine, à natura, vt in matrimonio intelligitur conditio, ne quid contra eius ſubſtantiam adiiciatur; à lege in eodem affigitur conditio, ſi caret voto ſolemni; ab homine dono tibi domum, ſi mihi miſſam celebrabis. Conditiones ex natura rei, & à lege dicuntur intrinſecæ, quæ & ſi non exprimantur, dicuntur ſubintelligi, affixæ vero ab homine rei ex ſuo arbitrio dicuntur extrinſecæ, quæ ſi verbaliter non exprimantur, non ſubintelliguntur. Vide *Pontium lib.* 3. *cap.* 1. & 2. rem late declarantem; ſed ea conditio, *ſi religionem non ingrediar*, non eſt ex natura ſponſalium, neque obligationis cum alio contractæ ſeruiendi illi, ſed potius contra illius naturam, quam deſtruere intendit qui ita ſe obligauit ſub ea conditione; neque eſt per Legem, aut Canonem inducta, cum non reperiatur in aliquo iure expreſſa; neque demum eſt ab homine, quia alter contrahentium audita ea conditione non contraxiſſet, neque promiſiſſet, quia inde nulla oritur obligatio. *Demum*, conditio ex ſua natura diſpoſitioni apponitur non in deſtructionem, ſed in 130
illius conſeruationem ſub tali limitatione, ſi enim eſt intrinſeca reſpicit eſſentiam, & ſubſtantialia contractus, & obligationis, non vero tendit ad illius deſtructionem, apponitur enim, vt exequatur ſub tali limitatione, non vero vt pereat; præſens autem conditio non ordinatur ad executionem promiſſi, ſed tendit in illius deſtructionem, quare vti præiudicialis naturæ rei non poteſt dici iure aliquo inducta.

Dices, ille iuramentum non infringit, qui illud in melius commutat, cap. Peruenit 3. de iureiur. ergo qui alicui iurauit ſponſalia, non obſtante iuramento poteſt ingredi religionem, à fortiori ſi ſimpliciter illa promiſit. 131

Reſpondetur, illud axioma locum habere *primo*, vbi per tranſitum ad religionem non violatur iuſtitia, cum ſcilicet promiſſio, vel ſit Deo, vel eſt nuda nondum ab aliquo acceptata, in eo caſu cum ſoli Deo teneatur, & nulli homini, melius facit ingrediendo religionem, quam ducendo vxorem, quam ducere ſoli Deo vel ſibi ſoli promiſerat. *Secundo*, non tenetur ſtare promiſſioni etiam homini factæ cum iuramento ab alio, cui facta fuit, etiam acceptatæ, quando acceptans receſſit ex parte ſua à promiſſione, tunc enim ex parte iurantis ceſſat obligatio promiſſionis, & iuramenti, in quo caſu quis licite religionem ingreditur, quia nullius iuſtitia violatur, euanuit enim promiſſio, obligatio, & iuramentum ex culpa alterius, & ita colligitur expreſſe ex eodem cap. 3. iuncta explicatione caſus. *Tertio*, ſubſiſtente promiſſione, quia alter non fuit in culpa, ſed paratus eſt ſtare promiſſis, iuramentum non dicitur commutari in melius per ingreſſum religionis, ſed violatur fides data proximo, quare cum iuramentum non poſſit eſſe vinculum iniquitatis, cap. Inter cæteras 22. 27. quæſt. 4. cap. Quanto 18. de iureiur. ſed vinculum æquitatis, non poteſt commutari in religionis ingreſſum, argueret enim iniquitatem contra ſponſam paratam ſtare promiſſis cum graui illius præiudicio.

Quæres 45. An Milites ſint habiles ad Religionem?

Respond. Miles non eſt inhabilis, quia nullo iure in- 132
habilitatur, tamen qui actu inſeruit conductus non poteſt ſine licentia ingredi religionem, ex ea communi ratione, quia obligatus eſt alij, à quo ſe eximere non poteſt ſine eius ſpeciali licentia. Quod confirmatur per Epiſtolam Gregorij Papæ ſcribentis ad Fortunatum Epiſcopum Neapolitanum relati cap. Monaſteriis 6. 19. quæſt. 3. illis verbis: *Miles vero, ſi conuerti voluerit prius, quam nobis renuntietur, nullus eum ſine noſtro conſenſu, qualitercumque præſumat ratione ſuſcipere.* Gloſa ait prohibuiſſe ſolis militibus Apuliæ, quia eſt Patrimonium Eccleſiæ. Sed hæc reſtrictio parum refert ad inſtitutum noſtrum cum Papa ea ratione prohibuerit id, quia irrationabile eſt, eum, qui aliis eſt obligatus, velle ſe eximere ſine licentia, & cum præiudicio eius, cui eſt ſubiectus. Nihilominus ingrediens ſine licentia valide profitetur, quia talium ingreſſus non irritatur aliquo Canone. Lex quam tulit Mauritius Imperator, ne milites ante completum tempus militiæ reciperentur in monaſteriis euanuit reprehenſi ab eodem Gregorio, vt notatur in eodem capite, iuxta correctionem Gregorianam.

Quæres 46. An filiis ſine licentia parentum liceat ingreſſus in religionem?

Respond.

133 Respond. Impuberes sine licentia parentum ingredi non possunt, nec à superioribus recipi; puberes vero ingredi, & recipi possunt etiam inuitis parentibus, aut aliis, sub cuius cura sunt. Impuberes dicuntur fœminæ intra decimum secundum annum expletum, masculi intra decimum quartum completum, *capit.* 1. *&* 2. 20. *quæst.* 2. Puberes vero, qui sunt vltra illud tempus ingredi possunt etiam inuitis parentibus, vt expresse dicitur in illis duobus præcitatis capitibus, *& cap.* 1. 2. 10. 20. *quæst.* 1. *cap. fin.* 19. *quæst.* 3. Ratio pro impuberibus est. *Tum quia*, nondum habet velle, vel nolle sufficiens ad cognoscendum hunc statum. *Tum quia*, quo ad hoc adhuc sunt sub patria potestate. Ratio pro puberibus est. *Tum quia*, quo ad hoc absoluti sunt à patria potestate sui iuris facti, glos. fin. cap. 1. 20. quæst. 1. *Tum quia*, plenum habent iudicium sufficiens ad ingressum religionis.

Parentes erga suos filios à septennio, vsque duodecimum inclusiue fœminas, & decimum quartum inclusiue masculos offerre possunt religioni, à superioribus tamen recipi non possunt contra eorum voluntatem ex citatis iuribus. Infra id tempus à parentibus reuocari possunt, non vero vltra, quando filius vult remanere in religione factus sui iuris, & in hoc non subditus patri. Ita *D. Thom.* 1. 2. *q.* 189. *art.* 5. *Vecch. disp.* 1. *dub.* 6.

Quæres 47. An filij licite religionem ingrediantur parentibus indigentibus.

134 Resp. Filij parentibus existentibus non solum in extrema necessitate, verum etiam in graui non possunt religionem ingredi licite, quando in sæculo remanentes possunt subuenire eorum necessitati; & alius non est, qui illorum necessitati occurrat; eorum tamen professio valet.

Primum de illicito ingresso probatur. *Tum quia*, præceptum anteponitur consilio, illud enim habet necessariam executionem, hoc vero voluntariam tantum, cap. fin. 14. quæst. 1. *Tum quia*, viget præceptum naturale filiis, & è contra parentibus subueniendi alteri, etiam in casu voti, vel iuramenti, nam si extante necessitate iuret in-
135 gressum, nullum est iuramentum, quia illud iuramentum est inualidum, quod nequit sine peccato adimpleri, non enim est vinculum iniquitatis, nec obligare potest ad malum faciendum, hoc est, ad peccandum contra pietatem debitam parentibus; Ita omnes cum *Bonacina de Iurament. quæst.* 1. *part.* 4. *proposit.* 1. Si vero iurauit ingressum ante necessitatem, tenet quidem, sed eius executio differtur quousque necessitati fuerit subuentum.
136 Idem dic de voto quod non tenet in præiudicium patris, cui naturaliter est obligatus in tali casu, immo tale votum filij pater irritare potest, licet enim pater vota personalia, inter quæ est illud religionis, filiorum puberum irritare non possit ex communi Doctorum, tamen quando vergunt in præiudicium ipsius patris, in eo casu possunt ab eo irritari, seu suspendi, ne durante indigentia possit ingredi Religionem, vt colligo ex iis, quæ refert *Bonac. quæst.* 2. *de Voto, punct.* 7. §. 11. *Verum obligat. voti tollatur irritat. n.* 21. Ita omnes cum *Sanch. lib.* 4. *c.* 20. *initio sub n.* 3. vbi citat plusquam viginti Doctores, & in fine subdit, esse peccatum mortale ingredi, cum Nauar. Toleto, & Rodriq. durante ergo necessitate non potest ingredi licet habeat votum ingrediendi, suspenditur enim eius executio, vt docent præfati cum eodem Sanchez num. 8. Necessaria ergo sunt duo, vnum est, quod ipse filius manens in sæculo possit adiuuare patrem; alterum, quod nullus alius sit, qui possit subuenire eius necessitati. Vide *Vecchium disputat.* 2. *dub.* 8. *Pellizarium tractat.* 2. *capit.* 4. *quæst.* 18. *Donatum part.* 4. *tractatu tertio, quæst.* 20. *Meipsum resol.* 54 *q.* 45. *Peyrinum de Subdit. q.* 1. *c.* 9.

137 Secundum de valida professione, probatur, quia nullo iure irritatur facta professio. Ita omnes cum eodem Sanchez lib. 4. cap. 20. num. 10. Qui sibi obiicit, quia votum ingrediendi religionem parente in graui necessitate existente, cui filius potest subuenire; non valet, ergo neque professio, cum vtriusque videatur eadem materia, ac proinde illicita. Respondet, ratione mutationis status materiam factam fuisse licitam respectu professionis, quæ proinde valet, tenetur enim professos sub præcepto perseuerare in Religione. Dico ego, non valere argumentum à nullitate voti simplicis ad nullitatem voti solemnis, quia voluntarius ingressus impediens subuentionem paternam, ac proinde peccaminosus non irritat professionem, cuius valor non pendet ab eo ingressu sic qualificato, sed à libera sponsione facta à nouitio, ergo nec adiunctum votum eidem ingressui, licet de se nullum, vnde facit illa Regula: Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur suum effectum, nullitas ergo voti simplicis non potest influere in votum solemne, neque enim minus agit in maius.

Quæres 48. An quando filius non potest manere in seculo absque euidenti periculo peccandi mortaliter, possit licite ingredi non obstante necessitate parentum? Et an si prouocaretur ad peccatum à parente, posset tunc similiter ingredi religionem?

Respondetur. Ad vtrumque affirmatiue, probatur. 138
Tum quia, concurrentibus duobus periculis, obuiandum est maiori, si ambobus occurri non potest, sed maius periculum est illud animæ, quam corporis, anima enim pretiosior est corpore, capit. Cum infirmitas 13. de Pœnitent. & animus præponitur corpori, *capit. Sedulo* 12. *distinct.* 28. Ergo huic periculo animæ occurrendum est per ingressum in religionem, relicto patre. *Tum quia*, ordinata charitas incipit à seipso non solum, quo ad spiritum, sed etiam quo ad corpus, leg. Præses 6. C. de seruit. & aquat. Et in secundo casu res est clara non enim tenemur cum peccato subuenire patri, qui sibi imputet subtractionem seruitutis. Ita aliis citatis *Sanchez lib.* 4. *capit.* 20. *n.* 11. *&* 12.

Quæres 49. An parentes licite ingrediantur religionem relictis filiis in sæculo egentibus? Eadem quæstio est de aliis ascendentibus auis, proauis, &c.

Respondetur. Non possunt parentes derelinque fi- 139
lios, licite ingrediendo religionem, nisi prius prouiderint illis de modo, quo sunt educandi, probatur quia fortior est obligatio parentum educandi filios, quam filiorum subueniendi parentibus in necessitatibus constitutis, ætas enim pupillaris maxime eget cura parentum, vt bene educentur tam quo ad animam, quam quo ad corpus. Ex quo patet in parentibus inesse duplicem necessitatem educandi, & alendi filios indigentes, vnde licet non egerent, indigerent tamen educatione in ea ætate; è contra vero parentes vnica egent sublenatione in suis indigentiis. Procedunt, siue voluntarie, siue ex voto velint ingredi, non enim tenet votum, iuxta superius dicta. Ita omnes cum *Sanchez lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 34. *Miranda tom.* 1. *quæst.* 17. *art. fin. Suarez tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 6. *Politius in c.* 2. *Reg. numer.* 45. *Vecchius disputat.* 2. *dub.* 9. *Layman. lib.* 4. *tractat.* 5. *cap.* 4. *conclus.* 3. *Pellizarius tract.* 2. *c.* 4. *num.* 43.

Professio nihilominus ab illis emissa valebit, quia nullo iure irritantur, immo eorum ingressum, & professionem concedunt leges cum facultate testandi, & disponendi fauore suorum filiorum, vt scripsi c. 1. n. 131. Et ita docent præcitati.

Quæres 50. An filius professus teneatur ingredi religionem, vt occurrat necessitati parentum? Vide *Pasqualig. in addit. ad Francum q.* 105.

℞. Filius valens prodesse parenti tenetur exire etiam 140
inuito superiore si casus est extremæ necessitatis, in graui vero solum cum licentia obtenta, vnde inuito superiore in hoc secundo casu exire non potest, & ideo non tenetur, nisi obtenta licentia; quam tamen dare non cogitur superior, quod procedit siue parens erat in necessitate ante, vel post peractam professionem. Hanc autem licentiam dare potest generalis, aut Prouincialis professo manendi apud parentes cum habitu illis inseruiendo.

Prima pars de casu extremæ necessitatis probatur, quia in tali casu extremæ necessitatis viget maxime ius naturæ ad subueniendum parenti, cui per professionem non renunciauit, ergo licite exire potest, non obstante negata licentia, quæ cum sit irrationabilis, petita habetur pro obtenta arg. cap. Licet 18. de regular. Ita omnes *cum Sanch lib. 4. c. 20. n. 14. Bonac. p. 5. de honor. par. n. 7. Donatus p. 4. tr. 3. q. 21.*

141 Secunda pars de graui necessitate, ratione cuius non tenetur, nisi obtenta licentia, probatur, quia vxoratus non tenetur cohabitare parenti, sed debet vxori suæ adhærere cap. 2. 24. & ab inuicem separari non possunt sine licentia, ergo neque religiosus discedere potest à monasterio inuito superiore, vt coadiuuet parentes. Probatur consequentia. *Tum quia*, valet argumentum à matrimonio carnali ad spirituale maximè in hoc casu de cohabi-
142 tatione mutua. *Tum quia*, maior est obligatio professi, quam coniugis, nam subiectio illius fundatur in voto, non autem huius, quæ tantum contractu firmatur. Ita *Sanchez lib. 4. cap. 20. numer. 15.* vbi pro se citat septemdecim doctores. *Bonac. par. 5. de honor. parent. n. 7. §. Dixi Megal. t. 2. libr. 2. c. 1. q. 3. n. 14. Donatus part. 4. tract. 3. q. 22.*

Distinguunt nonnulli cum *Angelo, Siluestro, Nauarro, Cucho, Toleto, Lopez* asserentes, quod si necessitas præcessit professionem, religiosum teneri exire, secus si subsequatur, quia cum filius ante ingressum teneretur, profitendo secum traxit illud onus sub potestate superioris, obligatio enim professionis superueniens non potuit præiudicare illi oneri, quo tenebatur patri. Confirmant, quia obligationes iniuriarum, & actionum prouenientium ex delicto suum sequuntur caput. *l. Tutelas §. Iniuriarum ff. de capitis diminut.*

Respondet *Sanchez lib. 4. cap. 20. n. 17.* filium cum eo onere transire in religionem, modo tamen conformo suo statui, hoc est, teneri professum subuenire parenti, si superior illi egressum concesserit.

143 Tertia pars, quod licentiam dare possint Generalis, vel Prouincialis, asseritur *à Nauar. consil. 71. de Regul. Sanchez lib. 4. cap. 20. num 21. Peyrin. de subd q. 1. c. 9. §. Aduertendum, Donatus part. 4. tract. 3. quæst. 22. n. 7.* Egressus autem debet deferre habitum, & obseruantias regulares agere, ac si esset in conuentu, vt iidem docent. Solus autem Papa ei indulgere potest licentiam manendi sine habitu, quod negatur superioribus regularibus ex Tridentino sess. 25. cap. 19. ibi: *Nec detur licentia cuiquam regulari occulte ferendi habitum suæ religionis.* Multo minus deponendi illum; super quo textu *Graff lib. 3. part. 1. decis. aureor. c. 5. n. 72. Rodriquez tom. 2. q. 76. art. 3. Reginald. lib. 18. n. 406. Barbosa super dictum cap. n. 35.*

Quæres 51. An pater professus stante filiorum necessitate teneatur egredi, cum alio modo non potest occurri eorum necessitati.

144 ℞. Quod dictum est de filiis erga parentes, dicendum est de patre erga filios, qui inuito superiore egredi non potest ad subueniendum filiis; ratio est, quia correlatiua non debent iudicari ad imparia; Ita *Sanchez lib. 4. cap. 20. num. 39.* Dixi de Patre, quia Mater professa non tenetur, nec potest exire, sicut nec filia, cum in his strictior sit obligatio clausuræ propter periculum sexus fœminei.

Quæres 52. An non obstante necessitate fratrum, & sororum liceat ingressus in religionem.

145 Respond. Posse ingredi, nisi habeat tutelam suorum fratrum, & sororum, quia tunc suo officio deesse non debet, nisi illis prouideat; similiter si ex eius ingressu timetur periculum incontinentiæ in sorore non debet ingredi, nisi prius occurrat eius periculo. Et si habet votum ingrediendi, habet iustam causam differendi illud per quatuor, aut sex menses, seu donec prouiderit. Vide *Sanchez lib. 4. capit. 20. numer. 29. Vecchium dispur. 2. dub. 10. Pellizar. tract. 2. capit. 4. n. 44.* Extra hos casus ad nihil tenetur, quia non habet debitum alendi fratres, cum id sit onus parentum. Vide c 24. q. 56.

Quæres 53. An consanguinitas impediat ingressum religionis? E. g. An filius profiteri vbi est pater? an frater vbi est alter frater, vel nepos?

Respond. Non impedit iure communi. Tum quia nul- 146
libi id prohibetur. *Tum quia*, pater & filius in eodem conuentu recipiuntur, cap. Præsens 4. 20. quæst. 3. cap. Cum simus 14. de Regular. *Tum quia*, pater & filius beneficiantur in eadem Ecclesia, cap. Ad hæc 12. de filiis præstiter. *Tum quia*, in Collegio Apostolico erant Petrus, & Andreas, Ioannes, & Iacobus fratres secundum carnem. *Tum quia*, nunc in Collegium Cardinalium sunt duo fratres Barberini cum nepote. *Tum quia*, Gloss. 1 t. in secularibus cap. Ad abolendam 16. de filiis præsbiter. pater, & filius illegitimus admittuntur à fortiori, vbi non est defectus natalium. De filio autem illegitimo excluso dixi supra sub num. 86. Dixi *iure communi*, quia specialibus statutis aliquarum religionum prohibentur, vnusquisque consulat illa. In meo ordine circa hoc nihil statuunt.

Tambur. de iure Abbatiss. disp. 5. q. 4. refert rescriptum. S. Congreg. ad Cardinalem Vendraminum, in quo narratur, quod eadem S. C. sæpius decreuit, vt non possent recipi in eodem monasterio nisi duæ sorores secundum carnem; & si quando gratiam facit, vt tertia soror recipiatur, id conceditur sub conditione, vt maneat priuata voce vtraque vsque ad mortem vnius ex sororibus.

Quæres 54. An Imperator Rex, Dux, & quilibet alius Princeps possit relicta administratione ingredi religionem.

Respond. Non potest absolutè loquendo, sed prius 147
prouidere debet de persona legitima administrationis, & si timet perturbationem in republica, debet supersedere, & non ingredi quousque res sint compositæ, etiam si iurauerit, vel vouerit ingredi. Ratio est, quia bonum commune reipublicæ anteponendum est priuato, pu-
blica enim vtilitas priuatæ præferenda est, *cap. 3. de* 148
postulat. Prælator. vbi gl. 11. communem cap. Licet 18. de Regular. Neque etiam iuramentum, aut votum adimplendum est cum probabili periculo, vt respublica perturbetur mutatione Principis, quia eorum adimpletio non esset Dei sacrificium, sed diaboli maleficium, vnde Christus Matth. 9. 13. ait: *Misericordiam volo, non sacrificium*, quod debet esse causa solius boni, & non alicuius mali ex ipso occasionati.

Quæres 55. An Episcopus possit religionem ingredi.

Respond. Episcopo non est congruum ingredi religio- 149
nem relictis suis ouibus; si tamen vult ingredi debet obtinere licentiam Papæ, aliter attentata professio non valet, si est confirmatus, & à fortiori si est consecratus; si vero iam renuntiauit gregi suo de licentia Papæ potest libere ingredi. Prædicta procedunt, siue sit secularis, siue regularis Episcopus.

Prima pars de incongruitate colligitur ex eius statu, nam perfectior est status Episcopalis, quam Regularis secundum D. Thom. 2. 2. quæst. 184. art. 7. ab omnibus receptum, sed non licet descendere à statu magis perfecto ad minus perfectum, ergo incongruum est Episcopo descendere ad statum regularem minus perfectum Episcopali. Et in hoc conueniunt omnes. Immo si ingrederetur, peccaret mortaliter, non obtenta licentia à Papa, quæ illi necessaria est ad euitandum peccatum, quia per desertionem suarum ouium violat promissionem, votum, & iuramentum præstitum de curandis suis ouibus, de qua licentia *cap. Nisi cum pridem 10. de renunt. cap. licet 18. de Regular.* Intellige si est confirmatus, & consecratus, quia per confirmationem fit vere sponsus Ecclesiæ suæ, à qua se separare non potest sine speciali licentia Papæ, & in consecratione promittit, & se obligat ad perpetuam curam animarum sibi commissarum, ex D. Thoma eius discipulus *Do-*

natus

natus part.4. tract. 3. quaest. 18. *numer.* 3. Electus vero tantum cum nondum perfecerit spirituale matrimonium, nec se obligarit curae animarum, propria voluntate ingredi potest, sine licentia, vt colligitur ex cap. 2. de transl. Praelator. ex eadem *Donato numer.* 9. *Vide Mirand. tom.* 1. *quaest.* 17. *art.* 3. *Lezanam par.* 2. *capit.* 24. *numer.* 51. *Suar. tom.* 3. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 19. *numer.* 13. *Nauar. consil.* 1. *&* 4. *de renunt. Pellizar. tract.* 2. *capit.* 4. *num.* 30.

150 Secunda pars, quod professio sit nulla, non obtenta Papae licentia, probatur. *Tum quia*, id colligitur ex cap. Nisi cum pridem 10. de renunt. extremis huisce verbis: *Quoniam & si pennas habeas, quibus satages in solitudinem aduolare, ita tamen adstrictae sunt nexibus praeceptorum, vt liberum non habeas absque nostra permissione volatum.* Episcopus licet habeat pennas voluntatis in habitu, non tamen libertatis, quia eas habet ligatas diuersis nexibus praeceptorum voti, promissionis, & iuramenti, quibus adstringitur curae ouium sibi commissarum, adeo quod liber non est ad volandum in religionem, ergo valide profiteri non potest, ad valorem enim professionis requiritur libertas, qua caret Episcopus in hoc. *Tum quia*, sicut professio coniugis sine alterius licentia est nulla ex probatis quaest. 55. ita professio Episcopi sine licentia Papae repraesentantis sponsam Ecclesiam. *Tum quia*, incompossibiles sunt obligationes Episcopi, & Religiosi, ergo per primam impeditur secunda, ne suum sortiatur effectum. Ita Donatus par. 4. tr. 3. q. 18. n. 10.

Tertia pars, quod per solam renuntiationem Episcopatus possit ingredi religionem sine alia licentia, probatur, quia sublato impedimento libere fieri potest, quod non poterat fieri obstante impedimento, *gl.* 11. *transire cap. Antiqui* 19. 33. *quaest.* 2. Sed per licentiam, & dispensationem Episcopi ab obligatione curae animarum factam per Romanum Pontificem sublatum est impedimentum ingrediendi religionem, ergo sine alia licentia intrare potest.

Quarta pars, quod dicta procedant in Episcopo tam regulari, quam saeculari patet, quia quo ad hoc, inter eos nulla est differentia, ambo enim eadem obligatione sunt adstricti, ergo eadem indigent licentia. Professi vero non possunt redire ad suas oues, vt patet *cap. Hoc nequaquam* 45. 7. *q.* 1. *cap. Post translationem*, 11. *de renunt.*

Praedicta procedunt, licet haberet votum religionis, nam factum post episcopatum non valet, cum sit impeditiuum curae animarum ante vero emissum tenet, vnde debet ingredi, & non quaerere episcopatum impediendo eius executionem, quod si fiat episcopus, deferere illum debet, vt satisfaciat voto ex allegatis *à Vecchio dispur.* 2. *dub.* 3. *num.* 3. Vide *Sanchez. lib.* 4. *c.* 25. *n.* 36. Vbi de hac re fuse agit.

Quaeres 56. An Cardinalis possit ingredi religionem?

151 Respond. De Cardinali Episcopo idem dicendum est, quod de Episcopo in praecedenti quaestione responsum fuit. De Cardinali non Episcopo nihil obstat, quin propria voluntate possit ingredi non petita licentia à Papa, in quantum haec non facit ad valorem professionis, eo quod nullam habeat obligationem inseruiendi curae animarum proximi.

Quaeres 57. An Abbates saeculares habentes curam animarum, vt sunt illi, qui nullius sunt, habentes quasi iurisdictionem Episcopalem?

152 Respond. Hos posse ingredi, sine licentia Papae, quia licet eandem habeant obligationem, quam habent Episcopi, pascendi gregem suum, non tamen eandem habent eminentiam dignitatis. Castropalaus disputat. 2. part. 2. §. 5. fine.

Quaeres 58. An Parochi sine licentia Episcopi possint religionem ingredi?

153 Respond. Parochus sine licentia Episcopi non necessaria ad valorem professionis potest ingredi religionem, etiam Episcopo contradicente, vt clare dicitur cap. 2. 19. q. 2. quia transit à statu minus perfecto ad statum magis perfectum *ex D. Thoma* 2. 2. *q.* 189. *art.* 7. reddit rationem, quia non obligatur voto solemni ad curam animarum. Confirmatur, *quia in cap. Beneficium* 4. *de Regul. in* 6. decernitur, quod beneficium ingredientis infra annum 154 probationis nulli conferatur, nisi accedat consensus ingressi, & interim eidem beneficio per alium deseruire debebit, assignata illi congrua portione, ibi autem nulla sit mentio de licentia Episcopi ad ingrediendum, ergo non est onerandus volens ingredi ad eam petendam de iure communi. Potest tamen Episcopus in suo synodo praescribere aliquid circa ingredientes, ne scilicet deserant suas oues inconsulto Episcopo, quod tamen ingressum non inficit in ordine ad professionem, nec potest habere efficax effectum, vt non ingrediatur contra praescriptam legem. Vide *Pellizar. tract.* 2. *cap.* 4. *n.* 31. *Donatum par.* 4. *tr.* 3. *q.* 19.

Nota, quod Parochus effectus nouitius retinendo suum 155 beneficium infra annum probationis iuxta praefatum caput potest prosequi exercitium confessarij in suas oues tantum, si aliam potestatem non habet, quia ea potestas fundatur in beneficio parochiali, quo non caret, si non renuntiauit. Post professionem vero sicut incipit carere beneficio, ita & potestate ordinaria audiendi confessiones suarum ouium, Parochus ergo amotus à Parochia, non est amplius confessor ordinarius. Vide *Florentum c.* 4. *de casib. reseruat.* §. 12. *n.* 7. *Bonac. de Poenit. p.* 4. §. 1. *n.* 24. *cum aliis Bossius sect.* 5. *de Iubileo n.* 56. Intellige esse ordinarium non solum si agat nouitiatum in loco sui Episcopi, sed etiā alibi, quia per hoc nō desinit esse Parochus.

Quaeres 59. An beneficiarij simplices, caeterique clerici libere possint ingredi religionem?

Resp. Caeteri clerici cuiuscumque conditionis, & gra- 156 dus sint etiam Canonici, & dignitates, quibus non est adnexa cura animarum propria voluntate, sine alicuius licentia etiam Episcopi possunt ingredi religionem, cap. 5. 19. quaest. 1. Vbi dicitur, quod ab Episcopo non debet negari ingressus clerico habenti propositum seruiendi Deo inter monachos, vbi supponitur esse decens petere licentiam ab eo, quam negare non potest. *Confirmatur*, quia ex cap. 2. 19. quaest. 1. relato praeced quaest. Parochus ab Episcopo impediri non potest ab ingressu religionis: ergo à fortiori reliqui clerici, qui nullam habent aliorum obligationem. Caelestinus II. in Bulla sua incip. *Quoniam*, mandat Canonicis Regularibus Lateranensibus, ne clericos recipiant, nisi prius petant licentiam ab Episcopo, vt legitur in eorum libro Priuileg. fol. 48. Postmodum Lucius II. eisdem concessit liberam facultatem eosdem clericos recipiendi absque vlla contradictione, ibid. fol. 50. Item Anastasius IV. ibid. fol. 75.

Quaeres 60. An Romanus Pontifex possit fieri religiosus?

Respond. Affirmatiuè, quia Papa nulli sub est, nisi 157 soli Deo, qui illi non negat transitum; sed quoniam illi commissa est à Deo cura omnium ouium, necessario debet congregare collegium Cardinalium, & eis manifestare suam voluntatem de prouisione facienda de nouo Pastore, renuntiando Papatum Deo, à quo illum recepit, testibus huius facti iisdem Cardinalibus. Et ita renuntiauit Caelestinus Papa relatus capit. 1. de renunt.

Quaeres 61. An nobiles, & ignobiles, vt sunt homines plebis, rustici, & similes personae humili loco natae, non infamea, non viles, de quibus dictum fuit supra sub q. 18. sint capaces religionis?

Respond. Affirmatiuè. Probatur. *Tum quia*, nullibi 158 prohibentur in iure. *Tum quia*, apud Deum non est exceptio personarum, Roman. 2. 11. *Tum quia*, nobiles multum prodesse possunt religionibus, cum sint bene nati, & melius educati, facile ad virtutes peruenire possunt, quibus illustrāmt religiones. Plato in Alcibiade. Quandoque isti sunt peiores ignobilibus, superbi, arrogantes, & scandalosi. Tum quia Collegiū Apostolicum congregatū fuit de ignobilibus, ergo & isti sunt capaces religionis. De Nobilitate plura dixi resol. 56. q. 9. An sint recipiēdi resol. 54. n. 61.

Quæres 62. An diuites, & pauperes sint capaces religionis?

159 Respond. Sunt, *Tum quia*, nullo iure arcentur à religione. *Tum quia*, à Christo ad religionem vocati fuerunt diuites, & pauperes, nam alij erant piscatores, ac proinde pauperes, alij diuites, nam Mathæus ad thelonium sedebat. *Tum quia*, iuueni, de quo Matth. 19. interroganti, quid agere deberet ad vitam æternam ingrediendum, Christus respondit: *Serua mandata: si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni & sequere me.* Et per hæc verba inuitauit ad religionem, qui enim ingredi vult debet omnia sua bona relinquere abdicando propria per votum Paupertatis, per quæ verba Christus ostendit habilitatem diuitum ad ingressum religionis.

Quæres 63. Quinam prohibeantur ab ingressu in religionem Tertij Ordinis S. Francisci?

160 Respond. Ea capit. 8. eius Regulæ, his verbis: *Idcirco militum delectum habituri, vt acerrime repugnare possimus hoc ipso decreto prohibemus, ne quis intra quartum decimum ætatis suæ annum, non ortodoxus, infectus hæresi, amens, infamis, coniugali vinculo irretitus, alieno ære oppressus, seruus, epilepticus, & quodpiam aliud corporis vitium, vel defectum patiens, & religiosa vitæ inhabilis, religionis nostræ habitu induatur. At si quis contra nostrum institutum inductus fuerit, ante a exuatur, quam tempus prætereat probationis suæ. Qui autem huiusmodi quempiam induerit, Generali Visitatori, vel Prouincialibus Vicariis attentati pœnam dabit.* De singulis defectibus in eo expressis aliquid dicendum est.

Non ortodoxus, infectus hæresi. Differunt, nam sub primo vocabulo venit infidelis, qui nondum baptismum recepit, euiusmodi sunt Pagani, Iudæi, & Cathecumeni, de quorum inhabilitate diai sub quæst. 5. & 6. *Ortodoxus* enim componitur ex *orta* & *doxus*, idest recta gloria, glos. cap. 3. distinct. 16. qui caret baptismo recte gloriari non potest, nec se iactare esse capacem vera, & recta gloria, quam baptizati tantum consequi possunt. De vocabulo *infectus hæresi*, constat eius clarum esse significationem. In Regulis Nicolai IV. & Leonis X. fit mentio solum de hæreticis, & de hæresi suspectis, isti autem sunt inhabiles, de quibus dixi sub quæstio. 7. num. 37.

Amens defectu vsus rationis est inhabilis ad religionis ingressum iuxta superius dicta sub quæst. 9. De infamibus dictum fuit sub quæst. 18. De coniugatis sub q. 35. De ære alieno oppressis sub q. 29. De seruis q. 42. De epilepticis, seu morbo caduco laborantibus sub q. 16. De patientibus aliquod corporis vitium sub q. 14. & 15. In quibus locis exacte fuit tractatum de illis defectibus, ad quorum notitiam, & tenorem reducenda est significatio, & intellectus prædictorum sub præsenti quæstione.

Occurrunt sequentia dubia. *Primò*, an hoc caput contineat decretum irritans? *Secundo*, an si nouitij recepti contra decretum huius capitis non expellantur, ritè dicantur fecisse nouitiatum? *Tertio*, an valeat inde secuta professio? *Quarto*, an pueri educationis causa ante illud tempus recipi possint, non obstante hoc capite?

Primo respondetur, non continere decretum irritans, sed tantum simplicem prohibitionem, nam quando lex imponit pœnam transgressoribus, non censetur factum irritare, vt communiter tradunt *in leg. Non dubium C. de legib. quos adducit Sanchez lib. 5. cap. 5. num. 6.* Nec obstat, quod præcipiatur, vt indutus contra statutum exuatur probationis habitu quasi ea hoc colligatur irritatio; quia hoc præceptum expoliationis non magis efficax est in ratione præcipiendi, quam prohibitio in ratione prohibendi; sed prohibitio non irritat, ergo neque præceptum eandem arguit; præterquam quod vtrumque regulatur à pœna imposita demonstrante simplicem prohibitionem.

Secundo respondetur ea primo, nam ex quo in eo capite non continetur decretum irritans, sequitur nouitium contra illud receptum rectè peragere nouitiatum, si non expellitur, probatio enim experientia constat.

Tertio ex eisdem responsionibus colligitur, valere professionem inde secutam, si aliud non obstat, quia præsens caput illam non irritat. Dixi: *Si aliud non obstat*. Quia præfati fere omnes defectus personam reddunt inhabilem de iure, aut naturali, aut Diuino, aut Ecclesiastico iuxta dicta sub quæstionibus præcitatis.

Quarto per hoc caput non prohibetur receptio puerorum minoris ætatis educationis causa, cum textus loquatur de nouitiis in ordine ad probationem, & professionem, vt satis clare loquitur, nam nouitij probationis ante annum suæ ætatis decimumquartum expletum probari non possunt, vt dicam suo loco, quia nouitiatus inchoandus est ab anno decimoquarto, & non ante.

Quæres 64. An Collegiales Anglici Romæ Studentes ad Ecclesiam Apollinaris, vt aiunt, prohibeantur ab ingressu Religionis? Ratio dubitandi proponitur à *Nauar. consil. 4. de Regul. ex eo Layman lib. 4. tract. 5. cap. 6. n. 6. Pellizar. tract. 2. cap. 4. numer. 32. ex* Bulla 53. incip. *Quoniam*, Gregor. XIII. §. 16. *Iuramentum præstetur, se vitam Ecclesiasticam perducturos, seque omni tempore ad iussum superior, in patriam reuertendum, & ad animas quantum in Domino possunt adiuuandas paratos fore.*

Respond. Per illud iuramentum non prohiberi ingressum in religionem, cum à religioso facto bene obseruari possit, nam refertur ad adiuuandum animas illius regionis, quæ à fide aberrarunt, & recesserunt ab obedientia Romani Pontificis; sed id proprium est religiosorum, qui quotidie mittuntur ad conuersionem infidelium, & hæreticorum, non ergo ex hoc capite prohibentur. Subdit Pellizat. num. 34. quod ita iurant: *Iuro, quod dum in hoc collegio permanebo, & postquam ab eo quocumque modo, siue completis, siue non completis studiis, exiero, ante elapsum triennium nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem sine speciali Sedis Apostolicæ licentia, vel eiusdem Sedis Nuntij ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.* Non potest ergo intrare religionem dum est in collegio, neque extra illud per triennium subsequens, ergo post lapsum illius triennij poterit ingredi, cum iuramentum limitetur per illud tempus; quod certum est argumentum iuramentum expressum in præfata Bulla non prohibere ingressum in religionem, sed solum obligare iurantem ad ducendam vitam Ecclesiasticam, quam non solum clericus, sed etiam regularis ducere dicitur, & præterea adiuuare animas suæ regionis, quibus prodesse non minus potest collegialis factus religiosus, quam promotus in clericum. Quod si infra illud tempus fiat religiosus peccabit quidem contra iuramentum, valebit tamen professio, quia non irritatur, nec iuramentum ipsum hanc vim habet impediendi valorem professionis. 161

Quæres 65. Quid, & quotuplex sit impedimentum obstans ingressui religionis, & professionis?

Respond. Dicam infra in proprio capite de istis, cap. 17. per totum.

CAPVT IV.

De modo recipiendi petentes ingressum Religionis.

1 *Superiores non tenentur recipere carentes requisitis.*
2 *Nec etiam illa habentes, si nolint.*
3 *Obligatio quomodo inducatur.*
4 *Non tenentur recipere etiam habentes votum religionis.*
5 *Tenentur tamen recipere aliquos pro conseruatione religionis.*
6 *Religio dicitur quasi caracter indelebilis.*
7 *Ad Christum homo tribus modis venire.*
8 *In quo consistat modus recipiendi nouitios.*
9 *Vsus inquirendi super petentes ingressum semper fuit in Ecclesia.*

10 *Etiam*

10 *Etiam iure communi, &*
11 *Nouo Sixti V.*
12 *Capituli nomine venit quodcumque ordinarium non locale.*
13 *Consensus maioris partis capituli est necessarius.*
14 *A maiori parte factum dicitur gestum ab omnibus.*
15 *Consensus vnanimis dicitur licet vnus dissentiat.*
16 *Contradicente superiore, vel capitulo pars assentiens nihil facit.*
17 *Consensus plurium debet esse indiuisibilis.*
18 *Forma informationum recipiendorum ex Sixto V.*
19 *Minores sexdecim annorum non subiiciuntur Bulla Sixti V.*
20 *Vnde quouis tempore extra capitulum recipi possunt.*
21 *Recipiuntur etiam de ingredientibus, vt conuersis.*
22 *Quouis tempore Laici recipi possunt.*
23 *De Ecclesiasticis recipienda sunt informationes.*
24 *Clerici alij Seculares, alij Regulares.*
25 *De militaribus ingredientibus ad claustrales non sunt petenda.*
26 *De transeuntibus ab vna ad aliam non sunt petenda.*
27 *Non sunt recipienda de noterie carentibus illis defectibus.*
28 *Super quibus rebus interrogandi sunt.*
29 *A quibus personis recipienda sunt informationes nouitiorum.*
30 *Priuilegium Clementis VIII. recipiendi nouitios extra Capitulum.*
31 *Communicabile aliis Mendicantibus.*
32 *Iuramento interrogatur ingrediendus an careat illis defectibus.*
33 *Quouis tempore recipi possunt nouitij ex dicto priuilegio.*
34 *Per quos superiores inquisitio sit facienda de nouitiis.*
35 *Quouis tempore nouitij recipi possunt.*
36 *Omissio informationum an vitiet receptionem habitus, & professionis.*
37 *Dictio* eorum *refert ad proxima.*
38 *Decretum irritans non extenditur.*
39 *Omissa forma cum qua datur potestas vitiat actum,*
40 *Illicita est receptio nouitiorum criminosorum, &c. licet valida 44.*
41 *Receptio illegitimorum modo licita, & valida.*
42 *Criminosi olim inhabiles.*
43 *Subiiciebantur iudicibus laicis, non autem modo.*
44 *Criminosorum, ratiocinistarum, & debitorum receptio est illicita, valida tamen. 40.*
45 *Inhabilitans, & decretum irritans sunt pœna.*
46 *Antecedēs dicitur velle, qui necessario vult consequens.*
47 *Inhabilis ad consequens est etiam inhabilis ad antecedens.*
48 *Media sequuntur naturam finis.*
49 *Bulla Sixti V. comprehendit omnes Mendicantes, & non Mendicantes.*
50 *Non autem Religiosos Militares.*
51 *Pœna inflicta à Sixto contra superiores recipientes inhabilitatos à i e.*
52 *Lex adaptatur ad ea, quæ frequenter eueniunt, non ad ea, quæ raro accidunt.*
53 *Dispensare in dictis pœnis potest superior, qui non peccauit.*
54 *Excommunicatio executionem habet paratam.*
55 *Pœna alia non incurruntur nisi post declarationem.*
56 *Pœnæ Bullæ Sixti V. in duobus casibus tantum incurruntur.*
57 *Superioris, & Conuentus consensus requiritur in receptione Nouitiorum.*
58 *Etiam inter Moniales 66.*
59 Ordinare *idem quod eligere.*
60 *In Meo Ordine Nouitios recipere spectat ad Superiorem localem cum suo Conuentu.*
61 Filiatio *est in meo Ordine, vt respondit S. Congregatio.*
62 *Nulla est receptio superioris sine consilio, aut consensu conuentus.*
63 *Omissio formæ substantialis vitiat actum.*
64 *Omissio consilij vitiat actum.*
65 *Omissio consensus obtinendi vitiat actum.*
66 *Monialium receptio spectat ad Abbatissam, & Conuentum. 58.*
67 *Non est necessarius consensus Episcopi de iure.*
68 *Receptio nouitiorum est actus spiritualis.*
69 *Simonia est recipere aliquid pro ingressu religionis.*
70 *Potestas recipiendi nouitios est delegabilis.*
71 *Simonia non est dare aliquid mediate.*
72 *Delegatus Principis potest subdelegare.*
73 *Delegare potest ordinarius.*
74 *Delegatus ad vniuersitatem causarum subdelegat.*
75 Concedator *indicat acquisitam licentiam.*
76 *Præsens imperatiui importat executionem, & latam sententiam.*
76 Anathema sit *est lata sententia.*
77 *S. Franciscus omnibus Prouincialibus dedit licentiam recipiendi nouitios.*
78 *Conuentus, seu Definitores non possunt delegare suum officium consulendi.*
79 *Delegare est habere iurisdictionem in sua persona.*
80 *Consulentes, vel consensum præstantes merum habent exercitium.*
81 *Actus intellectus, & voluntatis propriæ non delegantur.*
82 *Laico quomodo delegatur receptio nouitiorum.*
83 *Informationes non possunt compromitti.*
84 *Compromissum quid sit?*
85 *Ius collegij reduci potest ad vnum superstitem, in quo conseruatur.*
86 *Vnde solus superstes superior recipit nouitios.*
87 *Mortuo Prælato quomodo conuentus recipiat nouitios.*
88 *An resistente conuentu superior recipiat nouitios.*
89 *Defectu formæ substantialis corruit actus.*
90 *Licentia, & consensus, in quo differant.*
91 *Consensus præstatur, vel singulariter, vel capitulariter.*
92 Cum non stat per eum, *&c. exponitur.*
93 *Potestas recipiendi nouitios residet immediate in superioribus.*
94 *Interrogati super defectibus, tenentur dicere veritatē.*

IN præcedenti capite actum est de habilibus, & inhabilibus ad Religionem, quorum notitia inseruit superioribus, vt sciant discernere in receptione habiles ab inhabilibus.

Quæres igitur Primo, an superiores religionum teneantur recipere omnes illos, qui petunt instanter ingressum religionis? Ratio dubitandi est, quia Christus neminem ad se venientem reiicit, iuxta illud Ioan. 6. 37. *Et eum qui venit ad me non eiiciam foras.* Debemus ergo in hoc imitari Christum, & cooperari bonæ voluntati petentium ingressum religionis, in qua homo bene sperare potest de sua salute. De qua te resol. 54. q. 44. n. 138.

Respond. Superiores non tenentur recipere petentem ingressum etiamsi habeat omnia requisita, & quamuis esset petens adstrictus voto religionis ingrediendæ, manet tamen obligatio in genere recipiendi idoneos indifferenter, pro conseruatione religionis. 1

Prima pars, quod non habens requisita bene & ritè repellatur, probatur quia illicitè petenti, licitè denegatur ingressus, immo superiores peccarent recipientes indignos; ad peccandum autem nulla est obligatio, ergo neque ad recipiendum illos, qui debitis requisitis carent. 2

Secunda pars, quod non sit obligatio recipiendi hunc vel illum, probatur. *Tum quia*, omnis obligatio vel oritur ex lege publica, vel ex lege priuata, ex adductis à *Sanch. lib. disput. 9. numer. 5. §. Secundo*, sed nulla lex publica præcipit, vt recipiantur intra religionem petentes ingressum, neque priuata cum nullus superior irrequisitus se obliget ad recipiendum quemquam in religionem, ergo nulla adest obligatio. *Tum quia*, obligatio inducitur ex consensu plurium *lib. 1. ff. de pactis lib. consensu ff. de act. & obligat.* Sed superior nolens recipere non consentit, 3

cupiunt, statuimus, & ordinamus, eos ad religionem admitti non posse, aut debere, nisi prius illorum vita, & moribus diligenter cognitis, & circumstantiis vniuersis, quæ circa idoneitatem personæ attendenda erunt, consideratis; ac de religionis zelo, pietate, integritate, & doctrina, fide dignis testimoniis adeo commendati fuerint, adeo bonam indolem, & specimen virtutis præseferant, ac tot merita eis suffragentur, vt defectum natalium suppleant, eorumque receptio vniuersæ religioni commodo, et vtilitati profutura videatur. Et super hoc ipso in Generali, vel Prouinciali Capitulo, matura deliberatione habita, Generalis, vel Prouincialis superioris, ac definitorum vnanimi consensu approbati, & ad habitum regularem admissi, extiterint. Si qui autem eorum alias, quam præfertur, recipiatur, professio similiter nulla sit, atque ipsi habitu priuari, & à religione eiici debeant, eorumque receptores excommunicatione, vt supra, immediatè ipso facto existant.

Sub hac forma nonnullæ dubitationes sunt proponendæ pro eius intelligentia. *Prima*, an iste modus inquirendi sit etiam cum aliis illegitimis, qui modo recipi possunt, vt probaui cap. 5. num. 85. seruandus? *Secunda*, Quid intelligatur nomine capituli? *Tertia*, an maior pars consentire debeat, vt nouitius dicatur receptus? *Quarta*, quod si dissentiat superior fauentibus definitoribus, vel è contra his dissentientibus, & superiore suffragante?

Primæ respondetur, eam formam seruandam esse respectu quorumcumque illegitimorum à Gregorio XIV. Habilitatorum, quod expresse dicitur in eiusdem Gregorij Bulla 5. incip. *Circumspecta* illis verbis: *Ita tamen, vt cum de recipiendis quomodocumque illegitimè natis ad habitum, & professionem ordinum quorumcumque agetur, ij, ad quos huiusmodi receptio spectat præter alia, de quibus ex prædictarum constitutionum præcepto, circa quoscumque etiam legitimos disquirere debent, diligenter eorum vitam, & mores inquirant, & ita demum recipiant, si tamen bonam indolem, & virtutis specimen præseferant, ac tot eis merita suffragentur, vt natalium suppleant defectum, eorumque receptio religioni commodo, & vtilitati profutura videatur. Et super hoc, ij, ad quos spectat, vt dictum est, huiusmodi receptio matura deliberatione habita, ita censuerint, & iudicauerint.* Clarum igitur est, eandem formam supradictam, & hic repetitam seruandam esse, & eum illegitimum puerum, qui Grammaticæ ignarus est, puto esse indignum habitus religiosi, quia meritum non habet, quo talem defectum supplere possit.

12 Secundæ nomine capituli venit quælibet congregatio, cui præsit Generalis, seu Prouincialis agendo cum definitorib. iure statuta, vt colligitur ex his verbis: *Et quod de Capitulo Prouinciali, aut Generali dictum est, id iuris statuimus, si qua religiones non capitulorum, sed congregationem, aut Diætarum, vel alio quouis nomine vti reperiantur.* Ex Bulla 71. eiusdem Sixti V. incip. *Ad Romanum Pontificem.* Ad effectum recipiendi aliquem Nouitium crederem non posse congregari capitulum, quia Papa loquitur de capitulis ordinariis iure statutis quotannis.

13 Tertiæ, maioris partis consensus requiritur, vt sit receptus, vt dicitur illis verbis. *Vnanimi consensu approbati*, vnanimis enim consensus perficitur ex approbatione maioris partis capituli, licet non omnes concurrant, nam factum à maiori parte capituli dicitur ab omnibus factum, dicto enim maioris partis statur, *l. Diem* 32. *§. Si* 14 *plures ff. de recept. arbitr.* & quod maior pars curiæ facit, pro eo habetur, ac si omnes egerint, *l. quod* 19 *ff ad municip. & de incolis.* Nam refertur ad vniuersos, quod publicè fit per maiorem partem *l.* 120 *ff de regul. iur. gl.* 12. *ciuitatis cap. Nullus* 12. *dist.* 61. *fine gl.* 11. *constitutum cap. Cum omnes* 6. *de constit. gl.* 11. *Maior cap. Duobus* 14. *de rescr. in* 6. Ergo saluatur vnanimis consensus in maiori parte vocalium, cum in illis sit vnus consensus. Nec obstat particula *Vnanimi consensu*, quam *Panorm. in cap.* 3. *de vi, & metu, ait*, illum non dici vnanimem consensum, si vnus dissentiat *per tex. in cap.* 4. *de postul prælator.* Quia adhuc dicitur consensus vnanimis, licet vnus dis- 15 sentiat, vt bene Butrius infert, supradictum cap. 3. ibi: *Renuntiauit electioni, quæ de ipso fuerat à clericis, vno excepto vnanimiter celebrata.* Non diuiditur ergo consensus, sed vnanimis remanet, non obstante vnius dissensu, modo maior pars consensum præstet. Per elanus habetur in eadem 2. Bulla his verbis: *Neque vero si in generalibus, vel Prouincialibus Capitulis aliqui vocales desint, nec si aliquis à definitorum consensu discrepauerint, idcirco receptio religiosorum retardari, impediri, aut impugnari debebit, sed satis esse volumus, si vocalium, & suffragiorum numerus legitimus à iure, vel per cuiuscumque ordinis statuta præfinitus interuenerit.* Est ergo regula generalis, quod in omnibus actibus legitimis sufficiat maiorem partem consentire. Ita *Vecchius disputat.* 7. *dub.* 2. *numer.* 9. *Suar. apud Peyrin. de Prælato quæst.* 3. *cap.* 1. *num.* 19. *Pellizar. tract.* 2. *cap.* 2. *q.* 6. *numer.* 11.

Quartæ, si vnus ab altero dissentiat, superiore contra- 16 dicentibus definitoribus, vel hi contradicente superiore, nulla sequitur receptio. Probatur *tum* de iure communi, quia consensus vnius non est maioris efficaciæ, quam aliorum dissensus, nec dissensus vnius aliorum consensu, sed vim, & efficaciam habent indiuisibiliter, & quia mutuus consensus est de valore actus, quod sit, & 17 quia vtriusque partis consensus, vt producat suum effectum, debet esse indiuisibilis. *Tum* de iure prædictarum Bullarum Sixti V. in quibus approbatio requisitorum in recipiendis ad ordinem committitur æque, & indifferenter superioribus, & definitoribus, quare cum in hac causa debeant procedere indiuisibiliter, posito schismate nihil fit. Intellige, etiam si superior pro se haberet aliquem ex Definitoribus, necesse enim est, vt maior pars consentiat, inter quam, & ipse connumeratur. Ita loquendo de superiore dissentiente, fauentibus omnibus Definitoribus docet *Rodr. tom.* 3. *quæst.* 10. *artic.* 2. *§. Tertio, apud Peyrin. de Prælato quæst.* 3. *cap.* 1. *num.* 20. *Rodriquez*, tamen ait, Definitores per se solos non posse recipere nouitios, non loquitur de formali discordia. *Donatus part.* 4. *tractat.* 1. *quæst.* 5. dicit, Capitulum contradicente Prælato non posse recipere nouitios, cum illis Pellizar. tract. 2. cap. 2. num. 11. Prædicta locum habent, quando viua voce contradicunt sibi inuicem capitulum, & superior, nam per vota secreta si procedatur, sufficit consensus maioris partis, licet superior dederit suffragium negatiuum, quia cum tunc ignorentur suffragatores, & refragatores, assignari non potest formalis contradictio. Iterum infra q. 26.

Actum est de forma inquirendi super vita, & moribus eorum, qui defectum natalium patientes desiderant ingredi religionem, modo agendum est de forma inquirendi super vita, & moribus quorumcumque aliorum, vt criminosorum, & obnoxiorum ratiociniis, & ære alieno secerni possint ab aliis, qui ex Bulla Sixti V. non arcentur ab ingressu religionis.

Forma igitur inquirendi super vita omnium peten- 18 tium ingressum religionis exprimitur ab eodem Sixto Quinto in prima Bulla his verbis:

Auctoritate Apostolica, & tenore præsentium etiam perpetuo statuimus, & ordinamus, iuuenes, & viros adultos maiores sexdecimannis non aliter in aliquam Religionem recipi posse, nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria, atque anteacta vita, & moribus diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum, & exploratum sit, eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, & alia similia, aut grauiora, reos vel suspectos existere, vt propterea damnati sint, aut ne damnentur formident. Neque ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauatos; vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, vt ex huiusmodi causalis, vel molestia eis iam illata, vel timendum sit, ne inferatur. Nisi denique constet, ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum deuotionis, & pietatis feruore

vitam

vitam religiosam sponte, & ex animo elegisse. Deque his omnibus in Generali, vel Prouinciali Capitulo plena, & indubitata fid facta, tam Superioris Generalis, seu Prouincialis, quam Definitorum consensu approbati, & ad habitum regularem admissi fuerint. Et paulò infra. *Nec non religiosi sic recepti nomen, & cognomen, quibus in sæculo vicebatur, & patria in actis ipsius Capituli describantur, & notentur.*

Hæ duæ formæ, quarum 1. est pro illegitimis, secunda pro omnibus petentibus ingressum, in eo conueniunt, quod approbatio, admissio, & receptio quorumcumque volentium à sæculo transire ad religionem facienda est in Capitulis Generali, & Prouinciali. Et dubitationes propositæ super prima, & resolutæ faciunt etiam pro præsenti. Et quia aliæ suboriuntur difficultates, ideo singularim proponendæ sunt, & resoluendæ mox infra. *Sub quæst. 4. 5 6. 7. 8. & 9.*

Tertia pars, quod vnaquæque habeat proprium modum inquirendi super vita & moribus petentium religionis ingressum, constat inspectione statutorum cuiusuis Ordinis. De Meo Ordine dixi *præceden. cap. q. 63.* Illuc remitto Lectorem.

Quæres 4. An inquisitio, & informatio supradicta recipienda sit de minoribus sexdecim annis?

19 Respond. Negatiue, quia in prædicta forma secunda statuitur, vt recipiatur solum à maioribus sexdecim annis; ibi *Iuuenes, & viros maiores sexdecim annis.* Quæ verba paulò inferius in eadem Bulla repetuntur. Ratio est, quia talia crimina, & debita non præsumuntur in illa tenera ætate, vt manifestum est de ratiocinijs, & ære alieno. *Ita Rodriquez tom. 3. quæst. 10. art. 13. & quæst. 54. art. 6. §. Ex quibus, cum suo Compend. resolut. 101. num. 15. Miranda tom. 1. quæst. 21. art. 2. conclus. 6 Beia part. 4. casu 19. Sanchez lib. 7. disput. 37. numer. 30. Vecchius disput. 6. dub. 1. num. 3. Et Clarus dub. 4. num. 4. Pellizarius tractat. 2. cap. 3. num. 2. Ego cap. 2. de Profitente quæst. 62. & 63 resolut. 54. num. 80. & 99. Donatus part. 4. tractat 4 quæst. 9. num. 1.*

Peyrinus de Prælato quæst 3. capit. 1. num. 10. affirmat etiam de minoribus esse sumendas informationes præscriptas à Sixto V. motus verbis Clemen. VIII. qui in Constitutionibus pro Nouitijs §. Primum. *Vltra diligentem inquisitionem, quæ habenda erit de vniuscuiusque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteacta, ac præcipue eorum, qui sextum decimum annum ætatis suæ excedunt.* Vbi ait, eam dictionem *præcipue* exprimere casum magis dubium.

Respond. Dispositionem Clementis VIII. nihil aliud innuere, quam diligentem inquisitionem, quam facere debent superiores super vita, moribus, & alijs requisitis, nam si eis offerantur patientes defectum natalium, sine dubio debent facere de illis inquisitionem ad præscriptum primæ formæ, si de alijs excedentibus sexdecim annos debent seruare secundam formam, si vero eam ætatem non excedant, adhuc inquirendum est super vita, moribus, & eorum scientia, sed non ea vi huius constitutionis, sub qua non comprehenduntur, sed tunc seruare debent præscripta in suis Regulis, & Constitutionibus. Illa ergo dictio *præcipue* amplias in eo, quod diligentia adhibenda est super inquisitione petentium Religionis ingressum, præcipue eorum, qui excedunt sexdecim annos, sed non eodem iure, nam inquisitio habenda de minoribus facienda est iuxta ordinis statuta, de maioribus vero ad præscriptum Bullæ Sixti Papæ V.

20 Colligitur hinc, minores sexdecim annorum, si non patiantur defectum natalium, examinari posse iuxta statuta ordinis, & eorum informationes approbari quouis tempore extra Capitulum, & recipi posse ad habitum, hoc ipso, quod non subduntur dispositioni huius Bullæ, sub qua comprehenduntur tantum maiores sexdecim annis, & patientes defectum natalium cuiuscumque sint ætatis, horum enim informationes approbandæ sunt in capitulis iuxta superius dicta.

Quæres 5. An informationes recipiendæ sint non solum de volentibus esse clericis, sed etiam de petentibus ingressum in numero conuersorum.

Respond. Non solum de clericis, sed etiam de conuersis recipiendæ sunt, sed non ita exacte, vt expresse dicitur in secunda Bulla eiusdem Sixti, his verbis: *In oblatis vero, & conuersis professionem emittentibus, satis erit, si quo ad mores, & statum personarum ipsa inquisitio fiat.* 21 Ideo vlterius speculandum non est, cum de re constet. Et ita docui, *Resolut. 54. num. 82. Peyrinus de Prælato quæst. 3. capit. 1. numer. 11.* Vnde colligo recipiendorum in 22 numero conuersorum inquisitionem non indigere approbationem in Capitulo, hoc ipso, quod non ita exacte cum illis agendum est, sed quouis tempore posse indui habitu.

Quæres 6. An recipiendæ sint de Clericis, & Sacerdotibus sæcularibus petentibus ingressum?

Respond. Affirmatiue, vt clare colligitur ex illis verbis: 23 *E sæculo ad Religionem transeuntis.* Omnes enim, qui non sunt religiosi dicuntur à sæculo transire ad religionem, ergo etiam clerici, qui sæculares dicuntur ad distinctionem religiosorum, Panormitan. in capit. Licet 3 de 24 offic. ordin. & facit gloss. ts. Sæculares eiusdem capitis, dicens, clericos vocari sæculares, quia ad modum Laicorum viuunt proprium habentes. Ratio est, quia etiam clerici possunt esse criminosi, & obnoxij ratiociniis, & ære altero oppressi, ideo necesse est inquisitionem facere de eis, an prædictis sint notati defectibus. Ita *Vecchius disputat. 6. dub. 6. numer. secundo, Miranda tomo primo quæst. 0. 21. articul. 2. concl. 6. Ego resol. 54. quæst. duodecima.*

Quæres 7. An informationes recipiendæ sint de religiosis militaribus petentibus ingressum inter claustrales.

Respond. Non comprehenduntur, eo quod non di- 25 cuntur venire à sæculo, sed transire à religione ad religionem, quem transitum sub dicta inquisitione Sixtus V. non subiecit, vt mox patebit. Oppositum docet *Vecchius disputat. 6. dub. 6. numer. secundo.* Quod est multum probabile, cum enim viuant in proprijs domibus, præsumptio esse potest. Quod sint rei criminum, ratiociniorum, & æris alieni, ideo prudenter se agunt superiores petendo ab eorum superioribus publicum documentum de eorum vita, & moribus, quod non sint notati illis defectibus.

Quæres 8. An informationes recipiendæ sint de religiosis claustralibus ab vna ad aliam claustralem transeuntes?

Respond. Negatiue, quia vt supradictum est Bulla 26 comprehendit tantum venientes à sæculo, à quo non dicuntur venire religiosi claustrales transeuntes ab vna ad aliam religionem. Ratio quoque est, quia in illis præsumi non potest, quod sint criminosi, & obnoxij ratiociniis, & ære alieno. Ita *Rodriquez tomo 3. quæstio. 10. articul. 13. §. Præterea, Portellus 11. Nouitij numer. 8. Miranda tomo 1. quæstio. 21. articul. 2. conclu. 6. Vecchius disput. 6. dubitat. 6. numer. 2. Donatus par. 4. tractat. 4. quæstio. 9. numer. 4. Pellizarius tractat. 2. capit 3, num 2.*

Quæres 9. An informationes de necessitate faciendæ sint etiam super illis, de quibus manifeste constat esse legitimos, & immunes à criminibus, rationibus, & debitis?

Respondet. De necessitate fori Conscientiæ non sunt 27 recipiendæ, quia sufficienter ex priuata notitia habilis discernitur ab inhabili, sufficit ergo quod superior localis faciat fidem in Capitulo petentem ingressum carere prædictis defectibus, vt possit approbari, & admitti ad habitum. Et ita docui *Resolut. 54. num. 87. vbi citaui Vecchium disput. 6. dub. 1. num. 6.* asserentem, omittentem omnes, vel vnam, aut alteram ex illis conditionibus non peccare, *Diana resolut. 83. de dubiis regular.* ait, non incurrere pœnas, & citat pro se *Rodriquez tom. 3. quæst. 54. art. 4. Portellum 11. Nouitius num. 6. Tamburinum tom. 3. disputat. 6. dub. 5.* si omissio sit ex parte, *Pellizar. tractat,*

n. 2. c. 3. n. 17. vbi aduertit cum *Peyrino de Prelato q. 3. c. 1. n. 26.* Hæc non habere locum in foro externo; nihilominus etiam in hoc foro dignus est venia, quando reuera constat notorie petentem ingressum carere illis defectibus.

Quæres 10. Super quibus rebus facienda est inquisitio eorum, qui petunt ingressum religionis.

28 ℞. Respondetur. Secundum Bullam Syxti Quinti cuius verba ad rem hanc retuli sub q. 3. super quinque potissimum fit inquisitio. *Primo*, super eorum vita, an scilicet sint legitime nati, an illegitimi? *Secundo*, super eorum moribus, an sint criminosi? *Tertio*, super eorum exercitiis, an sint ratiociniis obnoxij? *Quarto*, super eorum facultatibus, an sint ære alieno oppressi. *Quinto* demum, quo fine petant ingressum religionis, an deuotionis causa, an alio motiuo. De his omnibus fuse egi præcedent. c. de illegitimis q. 26. de criminosi q. 27. de obnoxiis ratiociniis q. 28. de debitoribus q. 29.

Quæres 11. De modo faciendi huiusmodi inquisitiones, quinam scilicet examinandi sint pro eruenda veritate, vt cognoscatur, an petens ingressum sit dignus carens illis defectibus?

29 ℞. In Bulla Sixti Quinti de hac re nihil dicitur. Puto informationes recipi posse ex actis vtriusque fori Secularis, quam Ecclesiastici, nam excepta fide publica, quod petens ingressum nullam habet querelam in iudicio, manifeste, & iuridice constat, cupientem fieri religiosum, carere criminibus ingressum religionis impedientibus. Defectus natalium iustificatur per fidem baptismalem. Quod careat debitis, & ratiociniis inuestigatur ab aliis personis fide dignis cognoscentibus desiderantem fieri religiosum. Peyrin. q. 3. c. 1. de Prælato n. 29.

30. Clemens Octauus in sua, incipit. *In his, quæ ad Religionem*, Ordinis Fratrum Prædicatorum, hæc statuit. *Eisdem Priori, & Conuentui nunc, & pro tempore existentibus, vt quoscumque iuuenes etiam sexdecim ætatis suæ annum excedentes ad habitum in eodem Conuentu admittere petentes, recepto ab eis iuramento, quod criminosi, rationibus obligati, furto, latrocinio, aut homicidio notati, aut aliis impedimentis in dicta Bulla Sixti V. contentis detenti non sint recipere, & postea per aliquem eiusdem conuentus religiosum ad hoc deputatum ad inuestigationem anteactæ vitæ de morum, & reliquorum præmissorum, absque strepitu iudiciario, sed per scrutinium secretum procedi facere, qui ad hoc deputatus processum, & informationem captam, dictis Priori, seu Præsidenti, ac Subpriori, & Magistro Nouitiorum, & Studentium, à quibus approbari, & reprobari possit, referre fideliter debeat, libere, & licite possint, & debeant.* Extensam habes apud Miran-
31 dam to. 1. q. 21. art. 1. quam dicit communicabilem omnibus aliis Mendicantibus. Et cum eo Donatus part. 4. tr. 4. q. 4. & 5. Hic modus examinandi est facilis, & expeditus, ex quo duo colliguntur, primo iuramentum dandum esse ipsi ingressuro, qui tenetur ex suppositione fateri an prædictis sit impeditus delictis, & defectibus, vnde si est cri-
32 minosus, ne incurrat periculum periurij, non tentet ingressum, nec procuret examinari. Secundò, cum examen hoc faciendum sit, & terminandum à præfatis deputatis, &
33 non sit necesse, vt illud approbetur in Capitulo Generali, aut Prouinciali ad præscriptum formæ Sixti V. ideo quouis tempore nouitij poterunt recipi iuxta huiusmodi inquisitionem. Demum iste modus inquirendi est conformis iuri communi, & statutis multorum religionum, quarum superiores locales cum conuentu suo recipiunt nouitios, inter quas est Dominicana, & Nostra de Tertio Ordine, ideo mei superiores poterunt hoc vti priuilegio. De his vide eund. *Mirand. to. 1. quæst. 21. ar. 1. & 2. Vecch. disput. 6. quæst. 6 & 7. Donatum par. 4. tract. 4. quæst. 6. & 7. Peyrinum de Prælato quæst. 3. cap. 1. numer. 31. & seq. Pellizar. tract. 2. cap. 3. num. 10.*

Quæres 12. Per quos superiores inquisitio nouitiorum sit formanda, & approbanda, & quali tempore?

34 Respond. Ex Bulla Sixti V. non habetur ad quosnam superiores spectet formare inquisitionem, & examinare testes super vita, & moribus petentis ingressum, solum dicitur; quod de illis omnibus fiat approbatio, & admissio in Capitulo Generali, aut Prouinciali a Superiore cum vnanimi consensu suorum Definitorum. Quare ad eosdem superiores spectabit recipere huiusmodi inquisitionem, ad quos de iure communi, vel iure Regulæ, aut Constitutionum attinet recipere primo nouitios ad Religionem ex illa vulgata Regula, quod casus omissus relinquitur dispositioni iuris communis, leg. Si extraneus 6. ff. de condict. causa data. Ex Indulto vero Clementis VIII. de quo præcedent. quæst. spectat ad superiorem cum deputatis, quod est conforme iuri communi, vt dictum fuit ibidem. Approbatio vero inquisitionis factæ spectat ad superiores maiores in Capitulis cum suis Definitoribus, ex vi Bullæ Sixtinæ, ad superiorem vero localem cum suis deputatis ex indulto eiusd. Clemen. VIII. Vide Mirand. tom. 1. q. 11. art. 3. conclus. 1. videtur omnis refundere ad Capitulum Generale, vel Prouinciale, *Rodriq. t. 3 q. 10. art. 2. Vecch. disp. 6. dub. 3. Donat par. 4. tr. 4. per totum, Pellizarius tractat. 2. capit. 3. numer. 10.*

Quæres 13. An quouis tempore possint examinari nouitij, & eorum inquisitio, & examen approbari possit extra Capitulum Generale, aut Prouinciale, & inquisiti recipi ad habitum?

Respond. Non solum minores, qui nondum sexdecim 35
annos excesserunt, sed etiam maiores ea ætate præmissis quouis tempore informationib. expeditis, & approbatis in capitulo conuentuali ad hoc ordinato iuxta Bull. Clemen. VIII. cuius verba retuli sub quæst. 11. extra quoduis capitulum ordinarium, siue Generale, siue Prouinciale, nouitij recipi possunt, & indui habitu probationis, vt clare patet ex eadem Bulla Clemen. VIII. non obstante constitutione Sixti V. cui in hoc censetur derogatum. Ita *Peyrin. de Pral. q. 3. c. 1. n. 8. Rodriquez tom. 3. qu. 10. art. 2. §. Tertio*, ibi: *Vel etiam Capitulum. Lezana part. 1. capit. 24. num. 14.* referens simile indultum Seruitis concessum, *Pellizar. tractat. 2. cap. 2. quæst. 4. num. 8. cap. 3. quæst. 2. vbi numer. 12.* ait non esse necesse amplius informationes mittere ad capitulum, dummodo cætera seruentur, *Donatus part. 4. tr. 4. q. 4. Ego resol. 54. n. 125. compend. Rodriq resol. 101. num. 3. & 4.* Demum de iuuene minore sexdecim annorum patet ex dictis sub q. 4. eos non comprehendi sub Bulla Sixti V. ideo eorum informationes ex duplici capite non sunt referendæ ad Capitulum Generale, aut Prouinciale, tum ex dicta exceptione, tum ex indulto Clement. VIII.

Sed quid dicendum ad rescripta S. Congregat. in quibus conceditur licentia recipiendi nouitios seruatis iis, quæ præscribuntur in Bulla Sixti V. nunquid in eo casu informationes approbandæ sunt in capitulis Generali, aut Prouinciali, vt videtur insinuare ea clausula?

Respond. Negatiue, tum quia S. C. non habet auctoritatem derogandi indultis Apostolicis. Tum quia ea clausula intelligenda est, vt cætera præscripta in Bulla Sixti V. seruentur, quæ non aduersantur alii indulto recipiendi nouitios quouis tempore, & extra capitula ordinaria, quorum loco succedit speciale capitulum Conuentuale ad hunc effectum congregatum.

Quæres 14. An omissio informationum, quas præscripsit Sixtus V. in sua Bulla vitiet receptionem ad habitum, & professionem siue receptus sit immunis illis defectibus, siue illorum reus?

Respond. Loquendo de laborantibus illis defectibus 36
natalium, criminum, rationum, & æris alieni parum refert hoc scire, cum sint omnino inhabiles ad habitum, & professionem, vt expresse dicitur in Bulla, quamuis modo eorum professiones ex Bulla Clem. VIII. § 3. incip. *In suprema*, apud Vecchium disp. 2. dub. 12. extensa, validæ fiunt, ac antecedens receptio ad habitum, vt dicam sub n. 40. Si vero sermo sit de aliis, qui prædictis defectibus non laborant, omissio informationum non vitiat receptionem ad habitum, & professionem istorum. Pro-

batur, obseruando, quod duæ formæ inquirendi proponuntur à Pontifice Romano, prima sub §. 4. de criminosis, ratiocinijs, & debitoribus, cum decreto irritante ibi: *Et si qui eorum contra præsentem nostram constitutionem temere admittentur, tam susceptionem habitus, quam professionem, & inde secuta ex nunc prout ex tunc pari modo irritamus, & annullamus.* Quis autem dicitur temere admitti, cum recipitur informationibus omissis; & verbis præcedentibus, supradictos defectus patientes inhabilitantur, ibi: *Perpetuo inhabiles declaramus*, hæc ergo inhabilitatio refertur immediatè ad personas prædictis defectibus irretitas, ratione sui, decretum vero irritans ad easdem respectu informationum omissarum. Altera forma, quæ refertur ad eos, qui immunes sunt illis defectibus ibidem habetur illis verbis: *Quare volumus, vt cuiuscunque nouitij, aut viri maioris sexdecim annis à seculo ad religionem transeuntis approbatio, admissio, & receptio in Generali, vel Prouinciali Capitulo, vt supra ordinatum est, pro tempore fiat, nec non religiosis recepti nomen, & cognomen quibus in seculo vtebatur, & patria in actis ipsius capituli describantur, & notentur* Quod autem hæc forma sit pro exemptis ab illis defectibus clarum est, quia sicut nullo modo tunc poterant recipi vitiati illis defectibus, ita neque notari in actis capituli tanquam recepti, ergo id intelligendum est de carentibus illis vitiis, qui proprie recipi possunt. Sed in hac forma nulla fit mentio de aliquo decreto irritante, ergo omissio respectu habilium non vitiat receptionem habitus, & professionis. Et ita docet *Rodriquez tom. 3. q. 54. art. 5.* vbi non fuse agitat, eius *Compend. resol.* 501. *n.* 92. Beia *part. 4. casu* 18. *Ego capit. 2. de Professione q.* 64 *& Resol.* 57. *num.* 85. *Portell.* 11. *Nouitij in format. numer.* 5.

Dices cum Pelliz. tract. 2. cap. 3. quæst. 8. omissas informationes etiam respectu innocentium vitiare receptionem ad habitum, & professionem, vt colligitur ex illis verbis. *Et si qui eorum contra præsentem nostram constitutionem temere admittentur, tam susceptionem habitus, quam professionem, & inde secuta ex nunc prout ex tunc pari modo irritamus, & annullamus.* Subiungens ly *eorum* non referri ad solos criminosos, & inhabiles, sed etiam ad omnes alios, qui admittantur ad religionem post sexdecim annos, si enim ibi sermo esset solum de inhabilibus, non erat cur eorum receptio diceretur nulla, cum de se constet, receptionem cuiuscunque inhabilis ipso iure esse nullã. Confirmari potest ex illo cõmuni axiomate, quod forma in aliquo actu seruanda, si in illo deficiat actus est nullus, ex iuribus, & doctoribus allegatis à Barbosa Axiom. 100. num. 3. quare omissis huiusmodi informationibus, actus receptionis ad habitum, & professionem nullius erit roboris. Et ita tenet, & multis probat Barbosa voto 15. à num. 17.

Sed contra est, quia ex dictis supra patet eam clausulam continentem decretum irritans referri, & restringi ad inhabiles, de quibus ibidem actum est, non autem ad habiles. Nam illud relatiuum *eorum* refertur præcise ad eos, qui proximè inhabilitati fuerunt nempè ad obnoxios criminibus, rationibus, & debitis. Deinde relatiuum *eorum*
37 in odiosis non est extendendum, sed referendum tantum ad proximè expressos, vnde dicitur repetitiuum præcedentium secundum eorum qualitates, Seraphin. decis.
38 689. Initio. Præterea decretum irritans nunquam extenditur, sed restringitur ad id de quo principaliter actum est, & non ad accessoria, & incidentia, *Bartol. in l. fin. §. Titio ff de liber. leg.* Felin. *in cap. causam, de rescr.* ex illis in terminis nostris. *Rodriquez tom. 3. quæst. 54. artic. 5. §. Et confirmatur*, in ea autem Bulla ex professo agitur de illegitimis, criminosis, & obligatis rationibus, & debitis, non vero de alijs; nisi incidenter, in quantum informationes præmittendæ sunt de quibuscumque vt habiles discernantur ab inhabilibus, ad eum effectum, vt illi possint recipi, & isti reijci.

Et ex his patet ad rationem Pelliz. verbum illud *eorum* restringit ad inhabiles, & quamuis ex ipsa inhabilitate sequatur nullitas admissionis inhabilium qui expresse fuerunt inhabilitati, tamen Papa eisdem voluit adiungere decretum irritans, vt ostenderet suam voluntatem esse enixam, & efficacem, vt omnino similes personæ intelligantur exclusæ à religione.

Ad confirmationem respondeo, illud axioma locum 39
habere vbi simul cum forma datur potestas agendi, ea enim tunc substantialis est, & acta eius omissa sunt ipso iure nulla, quia potestas agendi dependet à præscripta forma *Felin. in cap. Ex parte, de constit. Suarez de legibus lib. 5. cap. 31. num. 9. Sanchez lib. 5. c. 4. n. 26. Ego controu.* 58. *num.* 12. Alijs allegatis. Constat autem superiores regulares innatam sibi habere facultatem recipiendi nouitios, quod essentiale est religioni ad conseruandam eius perpetuam propagationem.

Quæres 13. An illicita sit receptio nouitiorum tam ex parte receptorum, quos recipi prohibet Sixtus V. quam ex parte superiorum, & aliorum recipientium illos? Non loquor de illegitimis, ex quouis coitu, quia Gregorius XIV. Omnes habilitauit, præmissis pro eisdem informationibus, iuxta dicta *cap. præced. quæst.* 26. Sed difficultas remanet respectu aliorum nempè criminosorum, rationistis, & debitoribus. An scilicet dicantur modo habiles, cum eorum professio valeat, ex Bulla Clem. VIII. de qua dictum fuit in præced. quæstione.

Resp. Receptio tam passiua, quam actiua est illicita. 40
Probatur ex præcitata Bulla Clem. VIII. Illis verbis: *Constitutiones prædictas Sixti prædecessoris nostri quoad eam partem, per quam eorum, qui formam in eisdem constitutionibus præscriptam de cætero non seruauerint, & quo ad alios etiam casus ibi expressos, in quibus receptorum quorumcumque etiam Mendicantium Ordinibus professio nulla declaratur, ad terminos iuris, & sacrorum Canonum, perinde ac si prædictæ constitutiones in illa parte editæ non fuissent auctoritate Apostolica, & tenore præsentium reducimus Cæterum pœnas contra superiores. qui in admittendis ad habitum, & professionem earumdem constitutionum formam non seruauerint, aut aliter quouis modo contrafecerint, in illis constitutionibus inflictas saluas esse volumus.* Papa reducit ad terminos iuris constitutiones Sixti V. Respectu eorum, quæ spectant ad professionem, ius autem commune arcet quidem prædictos à religione, sed non annullat eorum receptionem ad habitum, & professionem, vt probaui præced. cap. quæst. 27. & 28. Ergo tenet vtrumque quamuis tales personæ obnoxiæ criminibus, rationibus, & debitis prohibeantur ab ingressu, ergo eorum receptio illicita est respectu vtriusque partis. *Confirmatur*, quia pœnæ inflictæ in eisdem Bullis contra superiores, qui in admittendis ad habitum, & professionem, eam formam non seruauerint, aut aliter quouis modo contrafecerint, adhuc in suo robore remanent; quod signum est, receptionem illorum esse illicitam, pœna enim refertur ad actum illicitum, qui talis respectu superiorum non potest esse licitus respectu ipsius recepti defectuosi. Quare dicendum est, per hanc Bullam Clem. sublatam esse inhabilitatem; & decretum irritans Bullarum Sixti V. & remansisse solum simplicem prohibitionem, aliter non dicerentur reductæ ad terminos iuris, quod prædictos non inhabilitat, sed simpliciter prohibet ab ingressu. Ita Sanchez lib. 4. cap. 19. numer. 21. tenens receptionem ex parte vtriusque esse illicitam, Vecchius disputat. 2. dub. 12. ait Bullas manere in suo robore quo ad non recipiendos criminosos, & quoad pœnas, cum quibus de illorum valida professione ex Clementina, *Miranda tom. 1. quæst. 19. art. 3. concl. 4. Lezana part. 1. cap. 24. n. 15. Peyrin. de Prælato quæst. 3. c. 1. num. 6. & 9. cum alijs.*

Pellizar. tract. 2. cap. 4. quæst. 24. num. 54. Ex Lezana par. 1. cap. 24. numer. 21. quærit, an admitti possint illegitimi licitè stando in vi decretorum Pontificiorum? & respondet, quod videtur non, quia Clemens VIII. in sua Bulla non est moderatus pœnas taxatas à Sixto V. contra prælatos admittentes tales illegitimos ad habitum, & professionem, per quod declarasse videtur illicitam esse talem admissionem. Licet possit dici, hoc fecisse Clementem VIII. Moderando, constitutiones Sixti V.

Non

Non vero istam Gregorij XIV. Prætterquam quod dici potest, hoc intelligi, si non seruétur conditiones à Gregorio determinatæ, tandem id reliquit aliorum arbitrio. Ipse vero Pellizar. dicit talem admissionem esse licitam, ac proinde pœnas afficere superiores solum in casu, quo admissio fiat non seruatis conditionib. præscriptis in Bulla Gregoriana. Præterea dici potest, Clementem VIII. in sua locutum fuisse de constitutionibus Sixti, non de Gregoriana, ac proinde prædictas pœnas quatenus continentur in Gregoriana non amplius subsistere, sed fuisse sublatas. Hæc sunt illorum placita.

41 Ego autem dico, quod etiam admittunt præfati, per Bullam Gregorianam fuisse omnino habilitatos omnes illegitimos ex quocumque coitu ad receptionem habitus, & professionis, illis verbis: *Volentes iisdem constitutionibus non obstantibus, eos, qui quouis modo illegitimi procreati fuerint ad habitum, & professionem regulares admitti posse, quemadmodum admitti poterant, si supradictæ constitutiones editæ non fuissent.* Patet ergo ex his receptionem habitus, & professionis respectu vtriusque partis esse licitam, ac proinde quoad hoc caput illegitimitatis pœnas sublatas fuisse contra recipientes illegitimos inflictas, quæ suum effectum habere non possunt nisi in casu prohibitionis, seu inhabilitatis, quibus non amplius notati sunt. Quare Lezana frustra ait Clementem Papam non fuisse moderatum pœnas taxatas à Sixto V. contra Prælatos admittentes illegitimos ad habitum, & professionem. cum iam Bulla Sixti V. cum pœnis quoad præcisam receptionem illegitimorum fuisset per Gregorianam sublata, seruanda in reliquis, & in modo illos recipiendi. Præterea Gregoriana nullas speciales pœnas apponit suæ Bullæ, nec pœnas Bullarum Sixti renouat, cum de illis ne verbum quidem. Quare male respondet Pelliz. dicendo prædictas pœnas quatenus continentur in Gregoriana non amplius subsistere, supponit enim falsum, cum Gregorius nullam in sua mentionem fecerit de pœnis. Pœnæ ergo remanent solum contra superiores admittentes criminosos, rationistas, & debitores, vt dictum fuit, adeo quod Bulla Clementis nihil disponit nec pro, nec contra illegitimos, qui iam habilitati fuerant per eundem Gregorium.

42 Quæres XVI. An criminosi modo inualide recipiantur, adeo quod infra annum probationis sint eiciendi eum rationistis, & debitoribus ad formam Bullæ Sixti illis verbis: *iubemus eos, qui sic de facto recepti erunt, habitu spoliari, & à religione expelli, & nihilominus si expulsi non fuerint, volumus, & pariter declaramus susceptionem, & professionem penitus nullam esse censeri, ac proinde attenta nullitate habitus, & professionis, licere quibuscumque iudicibus, curiis etiam secularibus, ad quos, seu quas spectat cötra eos, vt prius, iuris, & facti remediis opportunis ex officio, vel ad cuiuscumque instantiam, vel querelam ciuiliter, criminaliter, vel mixtim procedere.* Idem Sixtus in sequenti Bulla sub §. 17. declarat, quinam criminosi sint subiecti iudicibus extra ordinem licet sint inualide professi his verbis: *Tum demum id locum habere volumus, & non aliter, cum actis publicis constiterit ipsos iudices, & curiam secularem ante susceptionem habitus de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse.* De aliis duobus nihil dicit.

43 Donatus Ordinis Prædicatorum benemeritus de religionibus, quia duo volumina de rebus regularium erudite conscripsit, par. 4. tract. 2. q. 9. ait, Clementem VIII. derogasse prædictis Bullis Sixti V. tantum quo ad inualiditatem professionis, quæ contingeret fieri per criminosos, ac proinde eosdem non posse in religionem admitti, esseque illorum receptionem nullam, ac nouitios esse irrite receptos, nec gaudere priuilegiis professorum, & multo minus fori, & canonis, atque exinde non à superioribus regularibus, sed à suis primis iudicibus esse puniendos. Pro se allegat *Sanchez lib. 4. c. 19. Naldum v. Professio, & Nouarium in summa Bullar. tom. 2. de delictis Nouit. n. 4. Silu. v. Iudex 6. Couar. c. 32. Practic. quæst.*

44 Respond. Criminosi, & alij non amplius subiecti sunt iudicibus extraneis postquam habitum probationis receperunt, quia eorum receptio licet illicita, est tamen valida, nam, vt dictũ fuit sub q. 13. & 14. Clemens VIII. reducendo Bullas Sixtinas ad terminos iuris communis, derogauit eiusdem quoad inhabilitatem, & decretum irritans, alter eas non reduxisset ad ius commune, quod non continet decretum irritans, nec inhabilitationis pœnam contra prædictos, sed tantum simpliciter illis prohibet ingressum, quare cum attentatus ingressus valeat, recepti ad habitum habendi sunt pro veris nouitiis, ac proinde gaudent priuilegiis aliarum tam canonis, quam fori. *Confirmatur id,* 45 quia inhabilitas, & decretum irritans sunt pœnæ, quibus olim criminosi cum aliis obnoxiis rationibus, & debitis efficaciter arcebantur ab ingressu religionis, de quibus vt pœnis vide *Rodriquez tom. 1. q. 24. art. 17. Nauar. tom. 3. de datis not. 31. n. 44. Sanchez l. 6. c. 15. ad finem Thesaurus par. 1. de pœnis Eccles. cap. 1. & 23.* Sed Clem. VIII. dum in sua Bulla loquitur de pœnis, mentionem facit tantum de pœnis inflictis contra superiores, de aliis ne verbum quidem, ergo inhabilitas, & decretum irritans contra prædictos intelliguntur sublata. Præterea Bulla Clementis inducta fuit in fauorem nouitiorum, ergo non est retorquenda in eorum odium, nullum enim commodum nouitij consequerentur illa, si adhuc illorum receptio ad habitum esset nulla, & inualida. Deinde antecedens dicitur velle, qui necessario vult consequens *l.* 46 *Illud, l. De his, ff. de acquir. hæred. Rubeus decis. 51. n. 6.* Pontifex vult professionem esse validam, & debuit velle etiam receptionem habitus antecedentis ad professionem consequentem, esse validam. Insuper inhabilis ad consequens 47 est etiam inhabilis ad antecedens, l. Oratio ff. de spons. *cap. fin. de Cler. excom. Ricciull. lib. 4 de his, qui sunt extra grem. Eccles. cap. 25. num. 9.* Ergo à contrario, qui est habilis ad consequens, est etiam habilis ad antecedens, sine quo obtineri non potest consequens. Demum media sequuntur naturam finis, ea allegatis à *Barbosa Vaz. lit. F.* 48 *num. 47.* Ergo qualem finem Pontifex proposuit pro professione, talem voluit esse pro receptione habitus, qui est medium ad consequendum finem validæ professionis, non enim alia ratione quis fit nouitius, nisi vt professionem tempore suo emittat, sicut ergo valet professio, ita & habitus receptio.

Quare ex his patet, quod quamuis illicita sit receptio istorum ratione illorum defectuum, non tamen irrita, sed omnino valida, ex quo tollitur opinio Donati nullam super hoc afferentis rationem. Nec doctores ab eo citati quicquam de hac re expresse, & in terminis dicunt. Demum, quod valida sit horum receptio ad habitum, quod est fundamentum nostræ responsionis tenet *Pelliz. tr. 2. c. 3. n. 13. Peyr. de Prælato q. 3. c. 1 n. 9.* Miranda *tom. 1. q. 19. art. 3. concl. 3. subobscure idem dicit De eorum punitione dicam infra c. 11. q. 15.*

Quæres 17. An Bullæ Sixti V. afficiant omnes regulares, adeo quod permittere teneantur inquisitionem super vita, & moribus recipiendorum?

Respond. Comprehenduntur omnes regulares clau- 49 strales, cuiusmodi sunt canonici regulares, monachi, & mendicantes, exceptis solum militaribus, vt colligitur ex prima Bulla illis verbis: *Quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium, & non Mendicantium, Fratrum, Monachorum, Eremitarum, vel* Canonicorum, *aut* Clericorum *Regularium,* Congregationum, *aut Hospitalium Religionum.* Quod scilicet ab illis non recipiantur illegitimi. Sub quibus verbis etiam Societatis Iesu religiosi comprehenduntur à quibus tamen exempti fuerunt à Gregorio XIV. vt insinuat *Pellizar. tract. 2 c. 3. n. 5.*

Excipiuntur militares, de quibus nulla fit mentio, & vt 50 colligitur ex initio Bullæ & facit ad reformationem clericorum, & religiosorum claustralium.

Quæres 18 Quomodo superiores male recipientes nouitios contra Bullam Sixti V. incurrāt pœnas in ea inflictas?

Respond. Pœnæ contra Superiores, ita exprimuntur 51 sub prima Bulla: *Quicumque Superiores, qui ex prædicto incestu, vel sacrilegio genitos ad habitum receperint, vel ad professionem admiserint, excommunicationis sententiam eo*

ipso incurrant. Incurritur ergo præcise à superioribus tantum tam in receptione habitus, quam postea in professione, & est reseruata. Alij illegitimi possunt recipi, sed præmissis informationibus super illorum vita, & moribus approbandis in Capitulo Generali, aut Prouinciali, omissio autem informationum afficit receptores superiores præfata excommunicatione, vt paulò inferius dicitur. Contra criminosos, rationistas, & debitores quoscumque superiores, recipientes aliæ pœnæ statuuntur his verbis: *Et insuper quoscumque religiosos eorumque superiores, qui aliquas personas, vt dictum est, inhabiles post hanc constitutionem publicatam receperint, voce actiua, & passiua necnon officiis, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuscunque per eos obtentis eo ipso in perpetuum priuamus, tam illis priuatos, quam ad illa, & alia quæcumque in posterum obtinenda inhabiles perpetuo, eorumque incapaces decernimus, & declaramus.* Aliæ pœnæ præter allatas non exprimuntur in prædicta Bulla, neque in subsequentibus, nisi quod in Clementina disponitur, præfatas pœnas remanere in suo robore contra superiores transgressores.

Super incursione dictarum pœnarum dubitatur *Primo*, an excommunicatio lata contra superiores recipientes illegitimos ex incestu, & sacrilegio adhuc duret? *Secundo*, an pœnæ priuationis vocum, & officiorum cum inhabilitate contra superiores recipientes inhabiles referantur ad omnes inhabiles, nimirum ad receptionem illegitimorum, criminosorum, ratiocinistarum, & debitorum? *Tertio*, an eædem pœnæ priuationis afficiant eosdem superiores ratione receptionis personæ? *Quarto*, an superiores omittentes inquirere super vita, & moribus recipiendorum sine approbatione informationis incurrant eas priuationis pœnas non solum quando personæ receptæ sunt inhabiles, sed etiam quando illis defectibus non tenentur? *Quinto*, an incurrantur illæ pœnæ per superiores inquirentes, sed non approbantes easdem in capitulo? *Sexto*, an non superiores, sed alij officiales, vel priuati religiosi consentientes in personas inhabiles incurrant eas priuationis pœnas, seu excommunicationem? *Septimo*, an incurrantur a superioribus omittentes informationes respectu eorum, qui sextum decimum annum nondum excesserunt licet sint inhabiles saltem quo ad defectum natalium? *Octauo*, an superiores, qui non errauerunt in dictis pœnis possint dispensare? *Nono*, an attento indulto Clementis VIII. de recipiendis nouitiis, incurrantur prædictæ pœnæ, si non seruetur forma in eo præscripta? *Decimo*, an hæ pœnæ statim incurrantur?

Primo dubio respondetur, cum Bulla Sixti V. quo ad illegitimos quoscumque reducta sit ad terminos iuris communis, ac proinde omnes modo sint habiles, cum ius commune illos non inhabilitet, sequitur, sublatam fuisse excommunicationem, quæ non fertur nisi in culpabiles peccato mortali, quo immunes sunt recipientes illegitimos. Et in hoc nulla debet esse difficultas. Et loquendo etiam de sacrilego patre viuente in religione, puto idem dicendum, quia talis filius simpliciter prohibetur, & non est inhabilis, vt probaui cap. præcedent. quæst. 26. excommunicatio autem fertur contra superiores recipientes illegitimos inhabiles. Et confirmatur, quia recipientes alios habiles eam censuram non incurrunt, ergo nec recipientes filium sacrilegum patris professi, cum non sit inhabilis.

Secundo dubio respondetur, pœnas priuationis non afficere recipientes illegitimos, quia pœna propria excommunicationis lata fuit contra superiores recipientes, non solum inhabiles ratione personæ, sed etiam habiles, non ratione personæ, sed ratione omissæ inquisitionis, & eiusdem approbationis faciendæ in Capitulo, vt constat ex Bulla. Vnde postea disponendo super criminosis, ratiocinistis, & debitoribus afficit pœnis priuationis superiores eosdem vt inhabiles, quare hæc pœna priuationis restringitur ad superiores recipientes alios inhabiles respectu criminum, rationum, & debitorum tantum.

Tertio dubio respondetur, eas pœnas superiores incurrere recipiendo inhabiles ratione criminis, rationum, & æris alieni, licet præmiserint informationes, quia Bulla directe loquitur de personis inhabilibus, ibi: *Qui aliquas personas, vt dictum est, inhabiles receperint.* Nam ex informatione superiores certificantur, an illis defectibus sint irretiti, quibus innodati tanquam inhabiles non sunt recipiendi, sed omnino reiiciendi in vim Bullæ Sixti V.

Quarto dubio respondetur, si inspiciamus formalia verba Bullæ omittentes inquisitionem facere nullam videtur incurrere pœnam priuationis, cum ea directe feratur in superiores recipientes inhabiles, non autem contra eosdem omittentes informationes. Sed quoniam habiles ab inhabilibus discerni non possunt, nisi præmissis informationibus iuxta formam præscriptam à Sixto V. ideo dicendum est, omissionem informationum constituere superiores reos illarum pœnarum priuationis, & etiam excommunicationis respectu illegitimorum, qui possunt admitti, vt ex inquisitione præmissa sciant superiores, quinam illegitimi sint habiles, vel inhabiles. Immunes tamen sunt ab his pœnis omittentes facere Inquisitionem super personis, de quibus notorie constat carere illis defectibus, vt dixi quæst. 9 & de aliis sub quæst. 7. & 8.

Quinto respondetur, superiores esse reos admittentes nouitios, præmissis informationibus sine approbatione capituli, vtrumque enim copulatiue exigitur, nam Inquisitiones huiusmodi vim suam recipiunt per approbationem Capituli, itaut ante eam recipi non possint ad habitum petentes ingressum.

Sexto dubio respondetur, eas pœnas excommunicationis, & priuationis afficere solos superiores, vt patet in Bulla, quæ tantum nominat superiores Confirmatur, tum quia nonnullis quærentibus, quid veniat nomine *honorum, graduum, & dignitatum.* Respondit idem Sixtus in secunda Bulla eorum appellatione venire officia cum honore, & superioritate coniuncta, quibus ibid. priuantur illegitimi. Quæ interpretatio facienda similiter est respectu superiorum, qui priuantur eisdem gradibus recipientes inhabiles ad religionem, eadem enim verba diuerso iure censenda non sunt, sed eiusdem significationis, quare soli superiores incurrunt eas pœnas. Ratio quoque est, quia etsi ad Inquisitionem vitæ, & morum concurrere debeant Definitores, tamen his pœnis ipsi non sunt subiecti, quia ad ipsos non spectat congregare Capitulum, nec negotia in eo congregato promouere, sed tantum respondere superioribus petentibus consilium, & consensum super negotia in Capitulo proposita. Demum Clemens VIII. declarauit in ea Bulla fauore professionum velle, vt maneant pœnæ in suo robore contra superiores inflictæ, nulla facta mentione de aliis officialibus, ergo illæ afficiunt tantum superiores contra Pellizar. tractat. 2. c. 3. n. 16.

Septimo dubio, illas pœnas non incurrunt superiores recipientes iuuenes, qui nondum excesserunt sexdecim annos, cum informationes faciendæ sint tantum de maioribus ea ætate, vt probaui hic quæst. 4. esto alias paterentur defectum criminis, quia isti non intelliguntur compræhensi inter criminosos, raro enim accidit, quod in ea tenera ætate committantur delicta tam grauiora, & cum lex ad ea quæ frequenter, & facile eueniunt, adaptetur, & non ad ea, quæ raro, *leg. Nam ad ea 5 ff. de legibus.* 52
Quæ enim semel, aut bis accidunt Legislatores prætereunt, leg. 6. & d. verisimile est, hunc casum respectu huius ætatis contingentem non fuisse sub hac Bulla compræhensum. Pellizar. tractat. 2. cap. 3. n. 16.

Octauo dubio respondetur, posse superiorem, qui non 53
peccauit dispensare non solum in pœnis priuationis, & habilitare, quia non sunt reseruatæ, *argumen* c. *Nuper*. 29. *de sentent. excommunic.* vbi, ex quo Papa sibi non reseruauit absolutionem sententiæ excommunicationis, aliis indulsit, vt possint ab ea absoluere, ergo & in his pœnis, cum eas Papa sibi non reseruauerit; sed etiam in pœna excommunicationis licet reseruatæ, quia in his omnibus

Prælati

Prælati regulares habent priuilegia, de quibus *Compend. Theatin.* 11. *Dispensatio* §. 5. & 6. *Compend. Rodriquez. resolu.* 52. *numer.* 28. *Mirand. tom.* 2. *quæstio.* 9. *articul.* 3. & *quæst.* 51. *artic.* 11. *Lezana part.* 1. *capit.* 18. *numer.* 46.

Nono dubio respondeo, si non seruatur forma præscripta in eo indulto de quo supra sub num. 30. nulla incurritur pœna, cum ibidem nulla præscribatur, quicquid dicat *Pellizar. tract.* 2 *cap.* 3. *num.* 16.

54 Decimo dubio respondetur, excommunicationem statim per transgressionem incurri, hoc enim proprium est censurarum, quia habent executionem paratam, & inse-
55 paratam à transgressione. Reliquæ vero priuationis vocum, & officiorum non incurruntur, nisi post sententiam, nam inquit Thesaurus Iesuita de pœnis Eccles. par. 1. cap 5. §. Limita primo, quod satis probabilis est sententia, pœnas etiam iure priuatiuas valde graues priuantes iure quæsito, vel naturali, vel legali magni momenti non obligare pro foro conscientiæ ante declarationem, vt pœna, infamiæ, inhabilitatis ad beneficia, aut officia, aut priuatio vocis vtriusque, & pro hac sententia citat *Nauar. de Datis numer.* 31. & 44. *Molin. disput.* 96. *Sanchez lib.* 9. *disput.* 30. *num.* 1. & *in Decalogum lib.* 16. *capit.* 15. *numer.* 65. *Filliuc. tractat.* 10. *numer.* 264. *Tanner. tom.* 3. *disputat* 5. *quæstio.* 8. *numer* 97. *Sousam super Bullam Clement. de Larg. mun* §. 9. *Castellin. de elect. prælud.* 1. § 6. *numer.* 20. *Malder.* 1. 2. *quæst.* 96. *articul.* 4. *membr.* 4. *de qua re Ergo fuse controuers.* 30. *quæstio.* 2. 3. & 5. Et ita expedit dicere, quia pauperes Ecclesiastici, ita pœnis onerati sunt, vt vix saluari possint, nisi earum executio, ita temperetur.

56 Colligitur ex prædictis, in duobus tantum casibus incurri pœnas priuationis vocum, & officiorum per superiores. Primo, cum per illos recipiuntur criminosi, ratiocinistæ, & debitores, siue præmittantur, siue omittantur informationes. Secundo, quando omittuntur informationes etiam respectu aliorum, qui carent illis defectibus, loquendo pro foro externo. Excommunicatio vero contra superiores recipientes illegitimos, vel eorum inquisitionem omittentes, fuit sublata, hoc ipso, quod per Gregorium XIV. Bulla prima Sixti eam infligentis reducta fuit ad terminos iuris communis, quod nullam censuram fert contra recipientes illegitimos, quos non arcet ipsum ius ab ingressu religionis. Et ita quoque intelligenda est Bulla Clementis VIII. dum vult, pœnas inflictas contra superiores remanere in suo robore. Quæ omnia ex prædictis remanent probata.

Quæres 19. An receptio nouitiorum ad habitum spectet ad solum superiorem localem, an etiam ad conuentum, stando in iure communi? Nam respectu Bullarum Sixti V. patet ex hactenus dictis, quid sit respondendum?

57 Respond. Vtriusque consensus est necessarius, quo mutuo deficiente receptio nouitij ad habitum nullius est momenti. Probatur expresse ex cap. Ea noscitur 6. de iis, quæ fiunt à prælatis, ibi: *Vnde si constiterit, conuentus aut maioris partis non adfuisse consensum, institutiones huiusmodi conuenit euacuari.* Etsi textus videatur loqui de institutione, quo ad præsentationem ad beneficia, tamen nomine institutionis venire etiam potest receptio nouitiorum, quorum admissio est quædam institutio, quod colligitur *ex glos.* 11. *Pertineat cap. fin. de regul. in* 6. vbi agitur de creatione monachorum asserente de iure communi receptionem monachorum spectare ad Abbatem, & conuentum ex præcitato capite. Vnde *cap.* 1. *de iis, quæ fiunt à maiori part. cap.* dicitur, quod in vniuersitatibus Ecclesiasticis, inter quas conuentus regularium connumerantur, debent negotia tractari per superiorem cum suo conuentu, & quæ à maiori parte sunt conclusa, ab omnibus censeri approbata, & non posse impugnari ab aliis. Ratio naturalis idem dictat, quia non decet caput omissis membris, aliorum consilio vti, aut per se ipsum agere, cap. Nouit. 4. de iis, quæ fiunt à prælat. Sicut enim membra sine capite in illa influente nihil operari possunt, cum mortua, & præcisa censeantur, ita caput sine membris præcisis nec subsistere, nec multo minus operari potest, eorum enim operatio indiuidua est respectu eorum, quæ concernunt commune bonum vtriusque partis, quia quod omnes tangit ab omnibus approbari debet; certum autem est nouitiorum institutionem, seu receptionem omnes tangere, quia petit consortium non solum superioris, sed etiam eius subditorum, cum quibus conuersari, & perpetuo manere desiderat, quod obtinere non potest, nisi cum illis fiat membrum sub eodem capite, ergo id non minus spectat ad conuentum, quam ad superiorem. Et ita docet *Glos. præcitata cap fin. de regular. in* 6. quam ibi sequuntur *Ioan. Andr. Archidiac Lapus, Anchar. Franc. & alij cum Nauar consil.* 9. *de constitut. numer.* 12. *Miranda tom.* 1. *q.* 15. *artic.* 1 *conclus.* 2 *Vecchius disput.* 7 *dub.* 2. *n.* 2. *Peyrinus de Prælatoc.* 1. *q.* 3. *n.* 14. *Pellizarius tract.* 2. *c.* 2. *q.* 3. *licet q.* 5. id reuocet in dubium cum Suarez à se citato, quem sequitur *Tambur. tom* 3. *disp.* 6. *q* 1. per totam, vbi & ipse ait, esse incertum, an de iure communi requiratur concursus superioris, & conuentus.

Hæc incertitudo probari potest per *cap. fin. de Regul. in* 6. vbi determinatur, quod si ad solum Abbatem pertineat creatio monachorum eo defuncto, nequibit nouus monachus à conuentu creari, alias poterit, si eorum creatio spectabit insimul ad vtrumque ex hoc textu colligitur huiusmodi incertitudo. Immo spectare ad solum Abbatem, excluso conuentu aperte deductum ex capit. Nullam 9. 18. quæst. 2. ibi: *Nullam potestatem de cætero, nullam licentiam monachis relinquimus pro arbitrio suo, aut Abbates expellere, aut sibimet alios ordinare, quia nulla potestas remanebit Abbati, si monachorum potestati caperit subiacere.* Ex hoc ergo capite tota potestas monasterij in ordinandis monachis residet apud Abbatem, exclusis subditis, & conuentu.

Respondetur, verius esse receptionem nouitiorum spectare ad vtrumque simul, vt probatum fuit, & communior est hæc sententia, vt quæ innititur ratione naturali & fundatur in præallegat. iurib. ita docui resol. 54. q. 58. Itaque ad primum textum dico, ibi Sum. Pontif. non loqui secundum ius commune, sed respectu eorum religiosorum, qui ex statutis, vel consuetudine inducta contra ius commune habent, vt nouitij crentur à solo Abbate. Ad alium textũ respondeo, quod ibi Papa redarguit quosdam monachos, qui pro suo arbitrio eligebant sibi Abba- 58
tem contra voluntatẽ præexistentis Abbatis, & sibi vsurpabant, illius auctoritatem, ideo ostendit eis, id fieri non posse, quia aliter Abbas subiaceret suis subditis, quod absurdum est, non tollit ergo monachis potestatem ordinatam, quæ de iure illis competit, sed solum eam quam sibi vsurpant, & ibi verbum *ordinare* sumitur pro eligere superiorem, non vero pro recipere nouitios. Hæc deducuntur ex Glos. & Doctoribus.

Communis iste consensus in recipiendis nouitiis est 59
commune non solum superioribus, & conuentibus virorum, sed etiam monialium, quarum Abbatissæ cum suo monasterio ius habent recipiendi puellas ad habitum religionis, vt docent præcitati: *Nauarr. consil.* 9. *de constit. Vecchius disputat.* 7. *dub.* 1. *num.* 2. *cum aliis.*

In meo ordine ex cap. 8. Regulæ iuxta ius commune, 60
Prior cum maiori parte sui conuentus procedit ad receptionem nouitiorum religio enim mea Filiationem habet, vt clare colligitur ex eodem capite, & Reuer. Magistro Matthææ Struthio à Montefano Generali petenti anno
1619. Sanct. Congr. respondit in hæc verba: *Sacra* 61
Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit, si quemadmodum proponitur dicta religionis monastria ita sint instituta, vt in eis quædam perpetua Filiatio constituatur, nouitios ab eorundem monasteriorum superiore de sui Capituli consensu recipi posse, vt disertis verbis statuitur, Sanctæ memoriæ Gregorij XIV. constitutione edita idibus Martij anno sui Pontificatus primo. Prior ergo de iure communi, & speciali suæ Regulæ cum consilio, & consensu maioris partis conuentus

potest recipere informationes nouitiorum, & admittere illos, si habuerint requisita, dummodo receptæ informationes de nouitio exactè; & diligenter examinentur, & approbentur in Capitulo Generali, aut Prouinciali eius Prouinciæ, cuius est nouitius, antequam emittat professionem, vt expreßè dicitur in eadem Bulla. Sed expeditius est vti indulto Clem. VIII. concesso Dominicanis communicabile cæteris regularibus, de quo dictum fuit sub 9.

Quæres 20. An receptio nouitiorum facta per solum superiorem sine consilio, & consensu Fratrum, vbi expresse requiritur, sit ipso iure nulla?

62 Respond. Receptio facta à solo superiore sine consilio, aut consensu Fratrum requirendis nullius est momenti.
63 Probatur ex communi ratione, quia omissio formæ substantialis vitiat actum sine ipsa attentatum, l. Item 6. §. Sed si ita ff. quod cuiusque vniuers. Barbosa Axiom. 100. numer. 3. Iuribus, & doctoribus citatis, nam forma dat esse rei substantialis, *l. Iulianus 9. §. si quis ff. ad*
64 *exhibend. ex eodem Barbosa num.* 1. Sed consilium sine solum, siue cum consensu requisitum est forma substantialis, eo quod corruit actus sine consilio attentatus. *cap. cum olim 7. de arbitris cap Nouit. 4. cap. quanto 5. de his, quæ fiunt à prælat. Verallus par. 1. decis. 305. num. 3 Bursat. libr. 1. consil. 90. Silu Consilium num 2. Angelus 11. eod. num. 3. Tambur. tom 3. disp. 1. quæst. 6. num. 3.* & cæteri omnes, vnde dicit S. Benedictus capit. 3. suæ Regulæ: *Omnia fac cum consilio, & post factum non pænitebis* à quo idem sumpsit eius discipulus S. Bernardus lib. 4. de
65 consid. eadem verba referens. Omissio pariter requisiti consensus à fortiori reddit actum irritum, & inanem, vt expresse dicitur cap. Ea noscitur 6. de his, quæ fiunt à prælat. ibi: *Intelligi debet, quod fiant de collegiorum suorum assensu, sine quo non obtinet firmitatem.* cap. Tua 8. cap. Pastoralis 9. eod. cap. Cum consuetudinis 9. de consuet. & in dubio præsumitur esse de forma substantiali *Ex Baldo, Menochio, & aliis apud Riccium par. 3. resolut. 300. num. 7.* Ergo superior sine consilio, sine consensu procedens ad receptionem nouitiorum nihil licite, nec valide facit. Ita *Nauar. consil. 9. de constit. num. 12. Miranda tom 1. quæst. 15. art. 2. Vecchius disputat. 7. dub. 2. num. 2. Tambur. tom. 3. disput. 6 quæst. 1 num. 5. Ego resol.*
66 *54 quæst. 58 q. 67.* Et id seruandum quoque est in receptione monialium ex Lapo allegat. 31. initio teste *Vecchio disput. 7. dub. 2. num 2. Tambur. de iure Abbatiss. disp. 4 q. 1. Mirand. de Monial quæst. 8. art. 1.* requirens etiam licentiam superioris, vel regularis, vel Episcopi, si quibus subiiciuntur. *Pelliz. de Monial. tract. 2. quæst. 2. vbi citat Suar. tom. 4. de relig. tract. 9. lib. 1. cap. 11.* Id autem non est de ratione receptionis nouitiæ monialis, vt non recipiatur sine superiore viro, quia Vrbanus V. mitigando Regulam Clarissarum per suam Bullam 7. incipit *Beata Clara* sub cap. 3. sic disponit: *Abbatissa nullam propria auctoritate recipiat sine consensu omnium Sororum suarum,*
67 *vel ad minus duarum partium earundem.* Nulla facta mentione viri superioris, vnde postea Nicolaus V. statuit, ne quamque reciperent sine licentia Prouincialis. Nisi ergo extet expressum interdictum, vel statutum, sola Abbatissa cum suis monialibus inconsulto superiore potest recipere nouitias Confirmatur id *ex Tridentino sess. 25 cap. 17.* Vbi decernitur, quod mulieres volentes assumere habitum religionis, sint maiores duodecim annis, & quod earum voluntas ab Episcopo exploretur antequam professionem emittant, de qua prius admonendus est, ne prætereat tempus; hic autem nulla fit mentio de licentia Episcopi, aut superioris in ordine ad receptionem nouitiæ, sed tantum in ordine ad explorationem voluntatis nouitiæ antequam profiteatur, ergo inconsulto Episcopo potest recipi, & introduci in nouitiatum, hoc ipso, quod sufficit certiorem facere Episcopum, vt possit eius voluntatem explorare antequam professionem emittat. Et quod hoc sit verum deducitur ex quadam responsione S.C. Apud Barbosam hic num. 11. his verbis: *Puella, quæ inconsulto Episcopo habitum suscepit religionis, antequam profiteatur ab Episcopo examinanda est diligenter.* Illa clausula *inconsulto Episcopo supponit, nouitiam recipi posse sine Episcopo.* Et ita de iure verum est, licet aliter practicetur propter arctationem, cum modo licentia Apostolica in singulis interueniat.

Suar. quem pro se citat *Pellizar de Monial. cap. 1. num. 2.* dicit, communem vsum iuri, & rationi conformem esse, vt potestas recipiendi nouitias inter moniales esse in conuentu ipsarum monialium cum licentia tamen sui Prælati, quia talis receptio prout est ad communem vitam cum monialibus, æquum est, vt ipsæ in eam voluntarie consentiant, quatenus vero ipsa receptio est actus iurisdictionis, oportet vt Prælatus, apud quem propriè est iurisdictio, concurrat. Sed infra patebit receptionem nouitiorum non esse actum iurisdictionis sed superioritatis tantum.

Quæres 21. An potestas recipiendi nouitios ad religionem tam ad habitum, quam ad professionem, & respectu informationum præmittendarum receptioni sit spiritualis, an temporalis?

Respond. Non esse temporalem, sed spiritualem quoad 68
ad illa tria informationis, receptionis ad habitum, & professionem. Probatur. *Tum quia*, huiusmodi potestas cum prædictis actibus ordinatur, & specificatur à religione, & professione, quæ in seipsis sunt spiritualia, ergo & ipsi sunt actus spirituales ab eo potestate dependentes, est enim communis sententia religionem sub tribus votis esse de genere spiritualium cum consistat in solemni professione Deo facta per nouitium. *Tum quia*, obiectum Simoniæ est quod spirituale, nam D. Thomas ab omnibus receptus 2. 2. quæstion. 100. art. 1. definit simoniam, quod sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquod spirituale; sed simoniacum est recipe- 69
re aliquid pro ingressu religionis, seu pro receptione ad habitum, & professionem, *ex cap Non satis 8. cap. Veniens 19. cap. De Regularibus 25. cap. Dilectus 30. cap. Quoniam 40. de simon extrau. com. de simon.* Ergo est quid spirituale. *Tum quia*, inquisitio, receptio &c. Ordinantur ad profectum animæ, quæ est substantia spiritualis, ergo sunt quid spirituale ab ea. *Tum quia*, omnes isti actus ordinantur ad cultum diuinum per receptos in religionem exercendos, nam inquiritur de eorum vita, & moribus, vt constet, an digni sint futuri milites in seruitio cultus diuini. Prædicta vera sunt respectu cuiuscumque religionis tam claustralis, quam militaris, nam istæ sunt veræ religiones, si sunt earum alumni sub tribus votis substantialibus, ac proinde spirituales, à quibus specificantur præcedentes actus disponentes ad receptionem habitus. Quod militares ordines sint veræ religiones docui *c. 1. n. 49. & 92.*

Dices, non est simonia dare aliquid Amico, qui pro- 70
curet ingressum in religionem militarem, vt docent multi cum *Diana par. 2. tractat. 2. dub 64.* Ergo ingressus in has saltem religiones non est quid spirituale. Respond. esse simoniam, si detur immediate, & præcise pro illis actibus, non vero pro illo labore solicitandi superiores ad receptionem iuuenis in religionem, vt notant doctores ab eodem citati.

Dices iterum hæc potestas cum sit etiam communis Abbatissæ, & Monialibus, vt supra diximus, sequitur, non posse dici spiritualem, quia mulier licet religiosa minus est capax potestatis spiritualis, quam sit laicus, qui illius omnino est incapax *cap. 1. & seq. disput 96. cap. 2. de iudic. cap.* Tua *25. de decim.* Respond. ex dictis *sub c. 1. quæst. 26 à n. 188.* Quod potestas, de qua agitur hic, nuncupata superioritatis, est spiritualis non ea spiritualitate, cuius exercitium postulat clericatum in agente, quæ propriè vocatur potestas iurisdictionis, sed sufficit, quod fundetur in officio superioritatis, cuius capax est religiosus, vel religiosa professi, licet careant etiam prima tonsura, & ex his patet ad argumentū, in eo sermonem esse de potestate iurisdictionis supponente saltem primam tonsuram in persona, quæ ea iurisdictione vti debet.

Quæres 22. An huiusmodi potestas recipiendi noui-

tios sit per superiorem, cuius interest, delegabilis cuilibet personæ etiam laicæ?

71 Respond. Est delegabilis ex parte superioris, non vero ex parte capituli concurrentis cum superiore ad recipiendum nouitium; & hæc causa est delegabilis laico per superiorem, iuxta dicenda infra.

72 Primum de delegatione ex parte superioris probatur. *Tum quia*, delegatus à iure, seu à Principe potest subdelegare, *cap. Pastoralis* 28. *cap. fin. de offic. deleg. cap. cum causam* 62. *de appellat.* etiam sine causa, *Decius in cap. si pro debilitate de off. de leg. numer.* 9. *l. A iudice S. C. de iudic.* Idem autem est esse delegatum à Principe, & à iure, cum iuris auctor sit Princeps, & Legislator, sed superiores à iure, & à Principe designantur ad huiusmodi officium recipiendi nouitios; ergo eam facultatem
73 delegare possunt. *Tum quia*, ille potest aliis delegare, qui ex officio suo agit, cum sit ordinarius, *cap. Inter cætera* 15. *de off. ordin. cap. cum Episcopus de off. ordin. in* 6. Sed superiores sunt ordinarij ex officio suo inquirentes super vita, & moribus petentium ingressum in
74 religionem, ergo possunt hanc causam delegare. *Tum quia*, deputatus ad vniuersitatem causarum etiam vnius generis potest subdelegare, *Couar. lib.* 3. *Var. cap.* 20. *numer.* 11. *Barbosa in cap. cum causam de appellat. num* 5. *Sanch lib.* 3. *disputat.* 31. *num.* 2. *&* 5. *cum illis Pa qualig. quæst.* 28. *num.* 2. Superiores autem regulares potestatem habent recipiendi quoscumque nouitios habiles, ergo possunt hanc facultatem delegare. Ita docet *Vecchius disp.* 7. *dub.* 1. *concl.* 2. De Prouincialibus ordinis Minorum, non ex vi Regulæ, sed ex vi constitutionis Apostolicæ; sed quicquid sit de modo, de quo nolo nunc disputare; placet, quod supradixi, Prouinciales ex Regula actu habere hanc potestatem, & in illis esse ordinariam, ac proinde delegabilem, vt docuit F. Vgo apud Vecchium, cum D. Bonau. Pisano, & fere omnibus ante Gregorium IX qui per suam Bullam 4. in Bullario Rodriquez ita respondit: *Et cum secundum Regulam eandem aliis, quam Ministris Prouincialibus Fratrum receptio committi non valeat, multo minus potestatem habent Prouinciales Ministri hoc aliis committendi, quibusmet, & non aliis est commissum.* Papa iuxta suppositionem sibi factam, quod regula prohibet delegationem, consequenter respondit Prouincialem non posse hanc potestatem aliis concedere. Ea autem suppositio fuit falsa, quia in Regula non negatur delegatio, sed Prouinciali tantum confertur ea potestas, adeo quod S. Pater ex vi Regulæ ita eam facultatem communicauit solis Prouincialibus, vt ex vi Regulæ negauerit eandem omnibus aliis officialibus, & Fratribus. Quod si Papæ hoc modo difficultatem proposuissent, sine dubio respondisset, potestatem Prouincialibus collatam recipiendi nouitios, posse delegari ab eodem, cum in hac causa sit ordinarius ex officio, à lege, à Principe immediatè habens facultatem. Adde, quod illa dictio, *solummodo* non excludit delegationem, sed restringit potestatem ordinariam solis Prouincialibus commissam. Vide Politium super dictum cap. 2. Regulæ varia de hac re disserentem; sed non est immorandum, quia tandem omnes concludunt, Prouinciales hanc facultatem posse delegare.

75 Duo supersunt mihi dicenda, vnum est, præfatum verbum *concedatur* indicare acquisitam licentiam, non enim minus dicit acquisitionis, quam idem verbum conceptum per præsens indicatiui modi, nam vterque est præsens, & eiusdem efficaciæ, licet vnum sit indicatiuum, & aliud imperatiuum, immo præsens imperatiui
76 est magis legale, quam indicatiui, *l. Virtus* 7. *ff. de legib. D.Thomas* 1.2. *q.* 92. *art.* 2. Confirmatur id, quia præsens imperatiui indicat pœnam, vel potestatem existentem in eo, cui communicatur per imperium, vnde *Anatema sit* indicat excommunicationem incursam, & latæ sententiæ ex iuribus, & doctoribus allegatis *à Barbosa dict.* 374 Alterum est, non esse verisimile S. Franciscum
77 sibi retinuisse, & suis successoribus facultatem recipiendi nouitios, & eam actu ex vi Regulæ non communicasse Prouincialibus, quia ab initio multi petebant ingressum, adeo quod valde durum, immo indiscreta fuisset prouisio restricta ad caput ordinis, qui vbique esse non potest, ne igitur sequatur hoc inconueniens, inferendum est, S. Patrem ab initio, & ex vi regulæ Prouincialibus contulisse actu pro ea vice licentiam recipiendi nouitios.

Secunda pars, quod conuentus, & capitulum, ad quos 78
spectat dare consilium, & consensum superiori recipiendi nouitios id delegare non possint, probatur, quia delegatio, de qua hic, supponit potestatem, quam delegans possit communicare aliis, vt de se constat, quia nemo dat, quod non habet, ille enim solum delegare potest, qui habet iurisdictionem in sua persona, *l More* 5 *ff. de iur.* 79
omn. iudic. Sed conuentus neque capitulum in se spectata sine superiore non habent potestatem, neque superioritatem, quia Abbatis est tota potestas monasterij, *cap. Nullam* 9. 18 *quæst.* 2. Et ideo membra capituli dicuntur non posse quidquam facere sine capite suo, *Innoc. in cap. Cum accessissent, de constitut. Miranda tom.* 2. *quæst.* 29. *artic.* 1. *concl.* 3. Ergo non possunt delegare,
quo carent. Confirmatur, quia habentes merum exercitium, vt sunt præstantes consilium seu consensum nihil delegare possunt, cap. fin. §. Cæterum, de offic. deleg. Isti enim actus delegabiles non sunt, cum magis pendeant ab intellectu, & voluntate personæ, quam ab aliquo alio inducente delegationem; sed conuentus, seu capitulum ita se habent, quod solum præstant consilium, & consensum ad perficiendum exercitium potestatis superioris, ergo in eos nulla cadit delegatio, neque enim 80
actus immanentes intellectus, & voluntatis dicuntur de- 81
legari etiam quo ad illum effectum ex eius manifestatum, quia sunt incommunicabiles quo ad hoc, & vt tales, & vt de se personales in seipsis non includentes rationem potestatis, quæ illis possit esse vehiculum communicationis.

Tertia pars de delegatione facta à superiore laico reci- 82
piendi informationes, non vero iudicandi nec approbandi eas cum conuentu, & capitulo probatur illud, quia informationes exactius habentur ex tribunalibus iudicum, quam ex propria inquisitione, facta immediate per superiores, vt dixi alibi. Hoc vero, quia indecens est, quod laicus in congregatione, seu capitulo religiosorum præsideat ad iudicandum, & approbandum informationes nouitiorum.

Colligitur hinc delegationem faciendam à superiore debere esse legitimam, & condecentem statum regularem, ac proinde non posse fieri in personam laicalem ob adductam rationem, absurdum enim est laicum præferri & honorari supra religiosos maximè capitulariter congregatos; neque in personam extraneam licet Ecclesiasticam, quia nulla familia, nulla congregatio, nullum capitulum debet esse diuersum à suo capite, neque caput alienum à membris, vt esset, si potestas delegaretur extraneo à professione membrorum, delegari ergo debet religiosis eiusdem Ordinis.

Quæres 13. An approbatio informationum fieri possit per compromissum factum à superiore cum familia, seu Capitulo ad formam Constitutionum Sixti V.

Resp. Non possunt compromittere neque eisdem re- 83
ligiosis, neque extraneis siue approbatio fiat à conuentu,
siue à Definitoribus in capitulo. Probatur. *Tum quia*, cõ 84
promissum habet speciem delegationis, nam compromittentes transferunt in alios suum ius agendi; sed familia, & capitulum delegare non potest ex probatis in præcedentibus, ergo nec compromittere. *Tum quia*, vbi requiritur specialis consensus plurium capitulariter præstandus non habet locum compromissum tanquam id quod restringit non restringibile determinatum ad plura; sed in approbatione huiusmodi superior cum pluribus, immo cum omnibus præcedere debet petendo consilium tantum, vel etiam consensum illorum, siue deinde omnes consentiant, siue non; sufficit, autem maior pars ad

obtinendam approbationem; in compromiſſo autem ſuperior non procedit cum omnibus, ſed cum paucis, ergo non poteſt fieri compromiſſum. *Tum quia*, ſuperior cum tota familia, ſeu cum quatuor Definitoribus procedere debet, aliter non ſeruatur forma eſſentialis huiuſmodi, facto compromiſſo, ergo nihil iure fit.

Pellizar. *in ſuo manual, tract.* 3. *c.* 2. *n.* 25. ait admiſſionem nouitiorum fieri poſſe per compromiſſum quando admiſſio fit capitulariter, quia hoc modo fieri poteſt electio Prælatorum, *cap. Quia propter, de elect.* ergo & admiſſio nouitiorum, quæ eſt res minoris momenti. Loquendo vero de eorundem receptione ad formam Bullæ Sixti V. negat compromiſſum, quia electa eſt induſtria perſonæ, ac proinde poteſtas hæc nõ eſt delegabilis; vt dixerat q. 5 a Præterquam quod dicit, eſſe de forma admiſſionis, vt illi tres, vel quatuor Definitores concurrant ad receptionem nouitiorum. Ponit differentiam, quare compromiſſum habeat locum in admiſſione capitulari non vero ea forma Sixti V. aut priuilegiorum, quia nimirum totum ius capituli poteſt reſidere etiam in vno tantum, ac proinde admiſſio facta à compromiſſariis cenſetur facta à capitulo, ea forma vero illi omnes vocandi ſunt. Et alia ſubiungit.

Contra, quia vt ſupra probatum fuit, compromiſſum in neutro caſu poteſt habere locum. Ad illud de electione, dico id eſſe expreſſum in iure, quod plures modos eligendi aſſignauit electoribus, in receptione vero nouitiorum alij aſſignantur modi, qui ſeruandi ſunt, quia important formam ſubſtantialem, quæ per cõpromiſſum niſi ſit legale tolli non poteſt nam factum hominis non poteſt producere rẽ in eſſe ſine ſua forma ſubſtantiali. Neque aſſignata differentia quicquam valet, quia certum eſt, omnem receptionem nouitiorum, ſiue fiat per ſuperiorem loca ẽ cum conſilio, & conſenſu ſuæ familiæ de iure communi, ſeu conſuetudine, & ſtatuto, ſiue de iure Bullæ, aut alicuius priuilegij, faciendam eſſe per omnes concurrentes in vnum congregatos capitulariter, ac proinde in capitulo, vel ordinario iuxta Bullam Sixti V. vel peculiari, & extraordinario ad hoc congregato, ergo omnis receptio fit capitulariter, & ſic in capitulo ordinario concurrunt quatuor Definitores, ita in capitulo conuentuali ad hunc effectum congregato concurrunt omnes de familia, ergo in neutro capitulo compromiſſum locum habere poteſt, cum numerus vtriuſque capituli ſit de forma huius receptionis, nec demum ea propoſitio, quod capitulum reduci, & conſeruari poſſit in vno, & ab eo geſta dicantur acta

85 à capitulo, ſpectat ad præſentem quæſtionem, cum ea quæſtio tractetur in ordine ad defectum vocalium, an ſcilicet fere omnibus mortuis ius capituli conſeruari poſſit in vno, omnes ita eſſe affirmant, tam legiſtæ *ſuper leg.* 1. §. *Municipes, ff. ad acquir. vel conſer. poſſeſſ.* & grex retinetur, & conſeruatur in vna oue § ſi grex inſtit. de legatis. Canoniſtæ in *cap ſi forte* 9. *diſtinct.* 65. *ibi gloſ. ſuperſtes,* & 11. *Pauciores cap. Gratum* 2. *de poſtulat. prælat. Seraph. deciſ.* 860. *n.* 7. *Tamb. tom.* 1. *diſp.* 5. *q* 8.

Quæres 24. An ſi duo tantum ſint in conuentu, aliis mortuis, vel ibi deficientibus, poſſit ſuperior cum ſuo ſubdito recipere nouitios.

86. Reſp. Affirmatiue ea ratione ſuperius adducta, quia ius conuentus, & capituli conſeruari poteſt in vno, ergo à fortiori in duobus. Et id verum eſt reſpectu cuiuſcumque capituli, ſiue conuentualis, ſiue Prouincialis, quia ea ratio, quod ius vniuerſitatis ſeruari poteſt in paucioribus, & in vno mortuis aliis etiam ciuiliter, locum habet reſpectu cuiuſlibet capituli, quicquid dicat *Pellizar. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 16. non poſſe, ſi receptio facienda ſit iuxta conſtitutiones, & Priuilegia Pontificia, quia adhibendus eſt numerus ille præfixus, nam id intelligendum eſt, ſi adſit, nemo enim obligatur ad impoſſibile; præterquam quod etiam numerus præfigitur in capitulo cum conſtet ea numerata familia ſui conuentus, ergo non eſt maior ratio ſaluandi ius recipiendi nouitios in vno caſu, quam in alio.

Quæres 25. An mortuo prælato, conuentus interim poſſit recipere nouitios.

Reſpond. Affirmatiue *ex cap. fin. de Regul. in* 6. Vbi 87
decernitur, poſſe, quando ius recipiendi eſt commune ſuperiori & conuentui, ſi vero ſpectet ad Solum Abbatem, non poſſe conuentum creare monachum mortuo Abbate, eo quod conuentus non habeat ius aliquod creandi monachos. Textus iſte non firmat, receptionem nouitiorum ſpectare ad ſolum Abbatem, & non ad conuentum, neque ſpectare ad vtrumque cum loquatur conditionate in vtroque caſu, conditio autem nihil ponit in eſſe, *leg. cedere diem* 213. *ff. de verb ſignif leg ſi quis* 8. *ff ſi quis omiſſa cauſa teſtam.* Ergo ille textus nihil decreuit circa receptionem nouitiorum, an ſcilicet ſint recipiendi à ſuperiore ſimul cum conuentu, an non, ſed reliquit caſum in diſpoſitione iuris communis quod præſcribit concurſum vtriuſque ſeu ſtatutorum cuiuſlibet religionis, eſt enim ille textus Bonifacij VIII. quo tempore iam extabant religiones Monachales, & quatuor ordinum Mendicantium, quarum aliquas ſciebat ſeruare ius commune præſcribens concurſum vtriuſque, alias vero ſeruare ſtatuta propria, vt ſolus ſuperior recipiat, ideo deciſionem illius textus fecit communem omnibus religionibus, vt ſcilicet, ſede vacante conuentus tunc poſſit creare monachos, ſi cum Abbate viuente concurrit, iuxta ius commune; non poſſit vero, ſi Abbas ſolus creat monachos iuxta ſtatutum ſui Ordinis.

Quæres 26. An Conuentu, ſeu Definitorio totis, vel maiori eorum parte reſiſtente, & contradicente ſolus ſuperior recipiat nouitium.

Reſpond. Non poteſt attentare huiuſmodi receptio- 88
nem, quæ ipſo iure eſt nulla. Probatur, quia defectu formæ eſſentialis corruit geſtum contra illam *leg. Item* 6. §. *Sed ſi ita . ff. Quod cuiuſque vniuer. Thomaſſe. reg.* 253. *Barboſ. Barbaſ. Vaz. de loc. commun. l c. H n.* 45. *Nauar. conſil.* 81. *de regular. num.* 3. & 4. forma enim ſub- 89
ſtantialis eſt, quæ dat eſſe rei, ergo res ſine illa exiſtere nequit; ſed concurſus, & conſenſus mutuus ſuperioris, & capituli eſt forma eſſentialis dans eſſe receptioni nouitiorum, vt probatum fuit ſub q. 19. vbi probaui ſuperiorem ſine requiſito, & obtento conſenſu conuentus non poſſe nouitium recipere, multo minus, ſi reſiſtat, & contradicat. Quare de ſubſtantia validæ receptionis ſunt mutuus conſenſus, ſuperioris nimirum, & maioris partis capituli, ſeu conuentus. Vide præcitatus cum *Peyrin. de Prælat. q.* 3. *c.* 1. *à n* 14. *ad* 21.

Vecch. diſput. 7. *dub.* 2. *n.* 11. & *cum eo Pelliz r tract.* 3. *c.* 2. *num.* 53. & alij tenent, in dicto caſu valere receptionem nouitij factam à ſuperiore conuentu, Contradicente ſeu Definitorio iniuſte tamen. *Probant primo*, quia conſenſus legitime petitus, & iniuſtè negatus habetur pro obtento, cap. Licet 18. §. Talis ergo, de regul. vbi gloſ 11. Licentiam poſtulabit. *Secundo*, ex regul. 66. & leg. 122. ff. de regul. iur. in quibus locis dicitur, cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio adimpleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet; ſed in cauſa negati conſenſus non eſt ſuperior, nec petens ingreſſum, cum iuſte petant, ergo hic debet haberi pro impleto, & obtento. *Tertio* ex his occurrunt obiectioni, quæ poſſet opponi, hoc modo, nam conſenſus requiſitus tanquam forma, licet abſit formaliter per eam negationem, adeſt tamen virtualiter, & æquiualenter, hoc ipſo, quod fictione iuris cenſetur obtentus.

Contra eſt, quia hoc ſuppoſitum, quod iniuſte negetur à capitulo, falſum eſt, eo quod nolens dare conſenſum non dicitur inique agere, cum in arbitrio ſit conuentus conſentire, vel non conſentire, nullibi enim in iure adeſt hæc obligatio, quod petens ingreſſum licet dignus ſit debeat acceptari, nec ipſe petens hoc ius habet ex ſua dignitate, vt debeat recipi probaui q. 1. Præterea contractus eſt vltro, citroque obligatio *leg Labeo* 17. *ff. de verb. ſig. iſ.* & ab initio liberum eſt contrahere, & non contrahere, ſed poſt obligationem contractam non licet reſilire *leg. ſicut ſi*, *C. de act. & obligat.* ſed receptio nouitiorum habet rationem contractus, cum vterque tam nouitius receptus, quam recipiens ſuperior, & con-

conuentus

uentus mutuo se obligant ad ea, quæ spectant ad id institutum, ergo liberum est conuentui recipere, & non recipere, ergo hic locum non habet iustitia, neque iniustitia, aut culpa si non acceptetur. Deinde si Prælatus excludit petentem ingressum simpliciter, quia non vult illum admittere non se gerit iniuste, ergo neque conuentus contradicens, par enim est libertas in vtrisque nec per hoc fit iniuria superiori, quia conuentus vtitur iure suo.

90 Ad primum argumentum respondetur primo differre licentiam à consensu in eo, quod licentia est facultas alteri data ad agendum, & sic arguit maioritatem in licentiante, & subiectionem in licentiato; consensus vero non est facultas, sed potius conditio, sine qua alter agere non potest, ideo per consensum præstitum superior dicitur habere requisitum ad agendum, contentatur enim consentiens, vt superior agat, cui solus consensus alionum deerat; loco autem citato fit mentio de licentia, non consensu, ideo argumentum non probat. *Secundo*, sumamus etiã pro eodem consensum, & licentiam, licet pateat ea differentia, ea propositio intelligenda est vera, vbi agitur de petitione licentiæ, seu consensus singulariter, non autem capitulariter, quia textus ille loquitur de consensu singulari, nos vero de consensu capitulari, quod est ius pu-
91 blicum cui non potest renuntiari. *Tertio*, iura, & Bullæ exigunt non simplicem petitionem consensus, sed eius præstationem ex parte conuentus, nam *cap. Ea noscitur 6. de iis, quæ fiunt à prælatis sic statuit. Vnde si constiterit conuentus, vel maioris, & sanioris partis non affuisse consensum institutiones huiusmodi conuenit euacuari.* Nota illa verba *Affuisse consensum*, quæ illius præstationem indicat, non enim intelligitur adesse consensus, nisi fuerit præstitus, multo magis dicitur abesse, si fuit negatus. Sixti Bulla n. 11. *Ac definitorum vnanimi consensu approbati*, vbi est vnanimitas consensus, & approbatio, si non obtinetur consensus, illius ergo petitio non sufficit, sed obtentio necessaria est, & præstatio.

92 Ad secundum dico, eam regulam. *Cum non stat per eum*, non facere ad rem, nam spectato respectu petentis ingressum locum non habet, quia se habet mere passiue, ideo nihil implere potest, nec ad eum pertinet receptio; nec spectat ad superiorem implere conditionem requisiti consensus, cum ipse debeat interponere suam auctoritatem, non consensum, qui pertinet ad conuentum, seu capitulum, & per illud stat, nec vult præstare consensum, ideo non facit ad rem.

Quæres 27. An potestas recipiendi nouitios immediate resideat in corpore religionis.

93 Respond. Residere immediate in superioribus ordinis iuxta vniuscuiusque ordinis statuta, non autem immediate in ipso corpore religionis, quasi à religione, cui primo insit, transeat in superiores. *Probatur*, quia prius est hæc spiritualis generatio recipiendi nouitios in patre recipiente, quam quod sit corpus religionis, quod consistit in congregatione ad minus duorum, vt probaui *c. 1. q. 28. n. 178.* ergo potestas hæc recipiendi nouitios non est prius in toto corpore religionis, à quo deriuetur in eius superiores, cum prius intelligatur esse superior, quam corpus religionis, quod resultat ad receptionem saltem vnius subditi, cum quo superior constituit religionem in esse religionis faciendo eam congregationem, quod est substantiale religioni, quo ad suum esse principiatum. *Confirmatur*, quia summus Pontifex primo recipit professionem actoris, & institutoris, cui approbando regulam dat ex natura rei facultatem acquirendi sibi filios spirituales in quibus possit conseruare religionem. Quare sicut Pontifex a se, & à Deo immediate habet potestatem, ita eandem communicat primo fundatori immediate, dum nondum in actu est religio constituta, & deinde ipse eandem, quam in sua persona habet potestatem delegatam & ordinariam ex officio, pro suo sapienti arbitrio aliis communicat iuxta exigentiam ordinis. Quicquid dicat nulla ratione comprobatum. *Tambur. tom. 3. disp. 6. dub. 1, num 4. 5. Hæc autem.* Confirmatur hoc auctoritate, & exemplo Christi Domini, qui auctoritate propria nullatenus communicata sibi à Collegio Apostolico, cum nondum esset, recepit in suam religionem Apostolos, quorum congregatio in se nullam habebat potestatem, sed eam tantum, quam non sibi, sed Christus Dominus eisdem Apostolis immediate communicauit, & non primo Ecclesiæ, vt pluribus probaui alibi.

Quæres 28. An nouitius interrogatus circa defectus impedientes ingressum in religionem teneatur verum fa-
teri. Quod tractum fuit supra sub n. 32. 94

Respond. Affirmatiue, quia ordines, & dignitatem recepturos tenetur propalare suos defectus, per quos non potest obtinere, quod petit, de ordinando ea cap. Nisi de tenunt. iuncta glos. non poterit; de eligendo, *cap. Ex pœnitentibus distinct. 60. capit. Innotuit. de elect.* Nec valet obiectio de non se prodendo, quia locum habet in ordine ad punitionem, quam non intendunt superiores, intentum inquirendi referunt ad vitandum damnum, quod afferre possunt religioni vitiosi ingredientes. Ita docui *cap. 4. extra quæst. 54. cum Sanchez. lib. 4. cap. 16, num. 35. Henrib. part. 4. respon. 159. Porrell. part. 1. casu 8. n. 7.* qui dubitat de homicidio perpetrato. Sed in tali casu sufficit habere fidem ex palatio vtriusque fori, ne homicida exponatur periculo peierandi.

CAPVT V.

De Conuentibus, in quibus probandi sunt Nouitij.

1. *Clemens VIII. fuit primus, qui designauit speciales Conuentus pro Nouitiis.*
2. *Quænam Religiones eximantur ab hac eius ordinatione.*
3. *Qualitates loci Nouitiatus referuntur.*
4. *Nouitiatus nondum est, nisi præmissa visitatione mandata in Breui.*
5. *Conditione pendente actus non dicitur factus.*
6. *Gratia facta sub conditione pendet, vsque ad euentum conditionis.*
7. *Nouitiorum receptiones nullæ in conuentu nondum visitato.*
8. *Viuæ vocis oraculorum reuocatio refertur.*
9. *Nouitiatus concessi per oracula adhuc subsistunt.*
10. *Oracula mere fauorabilia non fuerunt reuocata.*
11. *Nouitij Laici in Tertio Ordine probantur vbi sunt sexti professi.*
12. *Nouitius ex causa transfertur à Nouitiatu ad Nouitiatum.*
13. *Loci mutatio quandoque prodest.*
14. *Superioris vtriusque Nouitiatus licentia est necessaria.*
15. *Par in parem non agit.*
16. *Literæ testimoniales prioris conuentus nouitio necessariæ.*
17. *Omissio indicij prioris conuentus non vitiat nouitiatum.*
18. *Consensus illicitus adhuc est validus.*
19. *Nouitius non reprobatus à priori conuentu habetur pro bono in posteriori.*
20. *Consensus postremus præcedentes confirmat.*
21. *Reprobatus verbo quomodo recipiatur in posteriori conuentu.*
22. *Consensus vltimus facit pro nouitiis in ordine ad professionem.*
23. *Consensus fauore indigni valet.*
24. *Reprobatus in fine an recipiatur à secundo consensu.*
25. *Nouitius recipitur ad habitum, & professionem extra conuentum designatum.*
26. *Nouitiatus nullus factus extra conuentum designatum.*
27. *In Bullis Sixti V. & Decretis Clementis non exprimitur*

nitur nullitas nouitiatus, sed tantum receptionis ad habitum, & professionem

28 *Principium est de essentia principiati.*

29 *Pernoctare potest nouitius extra de licentia.*

30 *Existens extra de licentia prolati censetur esse in conuentu.*

31 *Aliqui dubitant de hac licentia post decreta Clementis*

32 *Sed non obstant, quin possit manere extra saltem per aliquot menses.*

33 *Nouitiatus etiam iure communi peragitur intra claustra.*

34 *Extra manens de licentia dicitur esse præsens in conuentu.*

33 *Absens paulisper non dicitur abesse statim reuersurus.*

36 *Præsentia parochi strictior, quam nouitij in conuentu.*

37 *Rota decisio exponitur.*

38 *Conuersi nouitij de necessitate extra pernoctant quærentes Eleemosynas.*

39 *Licentiam pernoctandi dat superior localis.*

40 *Licentia illicita etiam sufficit.*

41 *Nouitia exiens causa infirmitatis non rumpit nouitiatum.*

42 *Nouitia moniales non comprehendantur sub his decretis.*

43 *Nouitiatus factus inter professos valet.*

44 *Transiens ad secunda vota vbi potest nouitiari.*

45 *Venire dicuntur seculares, transire vero iam professi.*

46 *Nouitiatus iuuenis missus extra ad scholas valet.*

47 *Nouitiatus terminari potest in alio conuentu non designato.*

48 *Contra hæc Decreta non valet consuetudo, nec præscriptio.*

49 *Decretum irritans inficit titulum, & possessionem.*

50 *Consuetudo nil potest contra legem habentem decretum irritans.*

51 *Translato conuentu in alium locum translatus censetur nouitiatus.*

52 *Priuilegium locale transfertur translatione loci.*

53 *Nouitiatum puellæ peragunt in loco separato à monialibus professis.*

1 CLemens VIII. fuit primus, qui designauit conuentus particulares pro singulis religionibus, in quibus nouitij educarentur, nam ante ipsum in quolibet conuentu indifferenter instituebantur, & instituebantur, non solum autem speciales designauit conuentus, verum etiam in eisdem ad hunc effectu deputatis mandauit segregari locum, in quo habitarent ipsi nouitij à loco professorum, vt in hoc quo ad habitationis situm in eodem conuentu manerent separati. Pro executione huius suæ voluntatis ab eodem emanarunt duo decreta, quorum primum incip. *Regularis disciplina.* Sub datum 12. Martij 1596. alterum incip. *Sancti ssimus.* Sub datum 20. Iunij 1599. & habetur extensa in Bull. loco in Bull. Vrbani VIII sub num. 26. *apud Vecchium disputat. 1. initio. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 4.*

In primo superioribus regularibus Mendicantibus, ordinauit vt de cætero neminem sub quouis prætextu ad habitum regularem admittant, nisi in conuentibus eius auctoritate in vnaquaque Prouincia designandis, interim abstineant à receptione quorumcumque nouitiorum siue ad habitum, siue ad professionem: Superiores transgressores afficit pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque actiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda. Receptiones vero, & professiones eorum, qui fuerint recepti contra huiusmodi decretum decernit ex nunc irritas, & nullas.

In secundo decreto amplius innouat primum præcipiendo superioribus ordinum non solum Mendicantium, sed etiam non Mendicantium, ne sub cuiusuis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, nisi per literas in forma Breuis quemquam ad habitum regularem suscipiendum, nec etiam conuersos, nisi in conuentibus à sanctitate sua designandis in singulis Prouinciis recipere, aut receptos ad professionem admittere audeant. Transgressores afficit eisdem pœnis & addit præterea priuationem vocis passiuæ, de qua nil in præcedenti. Decernit irritas receptiones, & professiones ad quemcumque effectum. Reuocat omnes licentias, quæ suum effectum non fuerant sortitæ.

Ab obseruantia huius decreti excipit. Cartusianos, Fratres Minores de strictiori obseruantia: nec 2
non Capucinorum, Reformatorum Sanct. Dominici, Discalceatorum Carmelitarum, Congregationis Fuliensis, Cisterciensis, Eremitarum Eremi Camaldulensis, Montis Coronæ, Theatinorum, Iesuitarum, Barnabitarum, Somaschitarum, & Ministrorum infirmorum, ad quos noluit hæc decreta extendi. Sed pro clariori intelligentia eorum, quæ spectant ad hoc caput.

Quæres 1. Quas qualitates debeant habere conuentus designandi à Sanctitate sua, vt in eis legitimè admitti possint nouitij ad habitum, & professionem

Respond. Ipsemet Pontifex Clemens VIII. in 3
alia Bulla incip. *Cum ad Regularem disciplinam.* Extensa apud præcitatos determinat conditiones, & qualitates, quibus debent constare conuentus designandi à sede Apostolica in formam Breuis, sequentis tenoris.

Quod vero spectat ad loci qualitatem vniuscuiusque nouitiatus, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte conuentus, & monasterij, in qua degunt professi segregatus sit, atque distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero nouitij, vel dormitorium ita capax, vt pro singulis singuli lectuli commode sterni possint, in quo etiam cellula, vel certus, & determinatus locus pro Magistro, eiusque socio reperiatur.

In eo etiam, præter alias communes commoditates aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesque Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant.

Oratorium insuper, seu Capella, si commode fieri poterit, ad nouitios in spiritualibus, præsertim in cæremoniis, Ecclesiasticisque functionibus exercendis.

Hortusque peculiaris ad honestam recreationem bene conclusus, atque munitus adsit, siue minus, hortum cæteris Fratribus communem, recreationis tempore ingrediantur. Ipsis vero nouitiis ibi commorantibus curabit Magister cum loci Superioris auctoritate, si opus fuerit ne in eundem quisquam alius ingrediatur.

Ad huiusmodi locum nouitiatus nemini eiusdem, vel alterius ordinis regulari, etiam Conuentus, & Monasterij officiali, vllo vnquam tempore sub quouis prætextu aditus pateat, quam Magistro, eiusque Socio, ac etiam Monasterij, seu Conuentus Superiori, si quandocumque ingrediendum sibi necessario existimauerit, quo tamen casu aliquem semper ex senioribus Conuentus, vel Monasterij Patribus socium assumat.

Huius loci clausuræ clauis apud Magistrum semper asseruetur, illique soli liceat ex graui tantum causa ingressum illuc alicui permittere. Si quis autem nouitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præsente, & non aliter alloquatur.

Prædicta omnia de qualitate loci nouitiatus clara sunt.

sunt. Obserua tamen *primo*, exteriores illius parietes non debere prospectum fenestrarum cellularum, vel dormitorij habere versus viam publicam, quantum fieri potest; si loci situs id non patitur, eleuentur ita fenestræ, ne quis per eas extra prospicere possit: sint ergo fenestræ versus alteram partem conuentus, seu hortus. *Secundo*, intra clausuram nouitiatus sint cellulæ Magistri, & Socij, quod si pro eis locus non esset, crederem sufficere cellam etiam extra, dummodo in communi parte adesset transitus immediatus in nouitiatum. *Tertio*, debet esse communis camera ignis, in qua etiam se exerceant in lectionibus, & colloquiis cum Magistro. Si locus non sit capax oratorij in eadem Camera ignis cæremonias, & alia addiscant, tunc enim succedit loco oratorij, quia textus loquitur sub conditione, si commode fieri possit. *Quarta*, clausura nouitiatus, & hortus ex qua materia constare debent, muro nè, an ea parte sæpe aliqua, textus hoc non exprimit, vnde ex sæpe muniius ea parte videtur sufficere.

Quæres 2. Quidam prouincialis supplicauit S. S. vt dignaretur conuentum N. erigere in locum nouitiatus, Breui expedito rescripsit, vt Generalis locum visitaret, & si haberet omnia requisita, quod intelligeretur designatus in eo nouitiatus ad formam decretorum supradictorum. Generalis autem Breue transmisit ad Prouincialem scribendo eidem, quod S. S. dictum conuentum erexerat in nouitiatum, an nulla præmissa visitatione loci, reuera conuentus dicatur designatus pro nouitiis ad formam dictorum decretorum.

4 Respond. Ille conuentus nullo modo dicitur erectus in nouitiatum, etiamsi habeat illas omnes qualitates, quas supra descripsimus ex Bulla Clem. VIII. Probatur, quia esto hæc gratia dicatur facta, non ideo tamen dicitur perfecta, & sortita suum effectum, quem obtinere non potest, nisi posita visitatione, & approbatione facta de loco apto ad nouitiatum iuxta decreta, ea enim gratia non est absoluta sed sub conditione facta, quæ non potest sortiri suum effectum, nisi verificata conditione; quia dum
5 hæc pendet actus non dicitur factus, *l. Pecuniam ff. si cert. petat. Surd. consil. 176. numer. 12. Menoch. consil. 63. numer. 28. & 29.* Gratia igitur conditionalis nondum dicitur perfecta, nec gratiæ nomen sortitur, dum pendet conditio, quæ nondum executa fuit, *cap. si pro*
6 *te, de rescrip. in 6.* Literæ ergo Papæ gratiam continentes conditionalem tunc dicuntur sortiri suum effectum absolutum, cum à delegato mandantur execu-
7 tioni, *Oldrad. consil. 320. numer. 9.* Quare concludendum est, præfatum conuentum reuera nondum dici designatum, neque erectum in nouitiatum, quia gratia manet in suspenso quousque Generalis actu visitauerit conuentum, & iudicauerit per suum decretum illud habere omnia requisita vt sit locus nouitiatus. Quare nouitij in hunc conuentum introducti reputandi sunt, ac si annum probationis egissent extra conuentum deputatum, proinde receptio ad habitum, & subsequentem professionem nullatenus subsistere, quia nouitiatus peractus fuit in conuentu non deputato per Breue Apostolicum, quod licet fuerit expeditum nondum tamen sortitum fuit suum effectum, pendente adhuc visitatione, quæ non fuit demandata executioni. Prædicta confirmantur, quia mandatur visitatio conuentus, vt constet per eam, an preces veritate nitantur, de quibus nondum constat, ergo gratia non potest sortiri suum effectum, donec constet de veritate precum, sed interim manet Gratia in suspenso, ergo conuentus non intelligitur erectus in nouitiatum.

Quæres 3. An conuentus viuæ vocis oraculo sub
8 Paulo V. erecti in nouitiatus sublati fuerint per reuocationem oraculorum factam à Greg. XV. Iste Pontifex in sua Bulla 27. incip. *Romanus Pontifex* reuocauit quascumque concessiones viuæ vocis oraculo factas, quæ temporis reuocationis non fuerant sortitæ suum effectum exceptis oraculis factis Cardinalibus firmatis eorum manibus. Publicata autem fuit reuocatio hæc die prima Septembris 1622. Vrbanus VIII. in sua 9. in Append. incip. *Alias felicis* reuocauit etiam concessiones factas Cardinalibus, & eorum manu firmatas, motiuum reuocationis etiam horum oraculorum exprimitur ab eodem, quia ab his, in quorum fauorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandatur. Qui Vrbanus in alia 29. ibidem incip. *Alias felicis* declarauit, constitutiones suam prædictam, & alteram Gregorij XV. reuocatorias oraculorum non comprehendere illas officiales, quibus ratione munerum suorum antea fides haberi solebat de oraculo Summi Pontificis. Hæc earum substantia, & summa, ex quibus.

Respond. Nouitiatus erecti per viuæ vocis oracula an- 9
te præfatum annum 1622. primo Septembris remanent in suo robore. Probatur. *Tum quia*, non fuerunt reuocata, quæ sortita fuerunt suum effectum, vt expressè dicitur in Bulla Gregorij, sed solum, quæ nondum executionem aliquam habuerunt, vel habebant tractum successiuum sui vsus. *Tum quia*, solum illa oracula dicuntur 10
reuocata, quæ sunt odiosa vni, licet alteri fauorabilia; & quorum vsus est in detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ, vt dicitur in Bulla Vrbani; constat autem oracula erigendi nouitiatus esse mere fauorabilia, nulli nocere, nec eorum vsum tendere in detrimentum disciplinæ regularis; sed maximè redundare in obseruantiam religiosam, ergo ea non intelliguntur sublata, esto alias suum effectũ non fuissent adhuc sortita secundum motiuum Bullæ Vrbani. *Tum quia*, oracula mere fauorabilia, quæ nulli nocent, & multis prosunt, cuiusmodi sunt concessiones erigendi nouitiatus, quæ tendunt in reformationem vitæ religiosæ, non fuerunt sublata, vt colligitur ex præfato motiuo, & docui *Resolut. 31. Vide Peyrinum de Priuileg. super hanc constitut. 3. Gregorij vbi* ex Reg. Sacræ Congregationis sub reuocatione non comprehenduntur gratiæ, & priuilegia, quæ quo ad suum vsum habent tractum successiuum. Plura vide de oraculis apud Lezanam 11. Oracula viuæ vocis. Et quæ ergo dixi in terminis *Resol. 54. q 75. num. 237.* vbi probaui sequentem concessionem adhuc vigere.

Reuerendissimus Magister Antonius de Sillis sancti- 11
tati Pauli V. supplicauit in hæc verba: *F. Antonio Silli Generale del Terz' Ordine di S. Francesco humilmente supplica V. S. à concederli, che nelli Conuenti, doue stanno sei professi, si possi dare l'habito ad vn conuerso, ò doue stanno dodeci, à doi soli, poiche la penuria di seruire li Frati, quelli, che sono deputati al choro necessariamente si distrahono dall'officio loro nelli vili, & bassi esercitij della casa con manifesto impedimento della sua professione, &c. Petrus Cardin. Arrigonius Protector gratiam obtinuit viua vocis oraculo à S. S. prout petebatur.* Habetur Autentica Romæ in Archiuio SS. Cosmæ, & Damiani. Huiusmodi igitur oracula, quæ nulli nocent, nulla interpretatione sinistra tolli possunt, sed sunt valde vtilia communitati, & conseruatiua disciplinæ regularis adhuc vigent, & sunt in suo robore: ideo nouitiatus noua non indigent approbatione, vt legitime permaneant in suo esse cum sufficienter manuteneantur vigore eorumdem oraculorum adhuc existentium. Vide quæ dixi Dub. Regul. 100. de hac re.

Quæres 4. An nouitiatus in vno conuentu incboatus possit in alio finiri, ambobus designatis.

Respond. Potest fieri huiusmodi translatio de licen- 12
tia superioris maioris dominantis vtrique conuentui, antequam autem nouitius remoueatur à primo conuentu necessario debet secum ferre literas testimoniales de parte nouitiatus inchoati in eo conuentu, maxime si ibidem vitam duxit per quatuor, aut sex menses, à fortiori si vltra mansit, vt secundi conuentus Patres informati sciant, quid agere debeant in fine anni probationis, fauore nouitij, vel contra eundem, si se male gessit,

gessit, aliter puto Patres secundi conuentus non posse, legitime licet valide illum recipere, si illis non constet authentice de anteacta vita Nouitij, iuxta inferius dicenda.

Prima pars de translatione probatur, quia remanet idem Nouitiatus, cum vterque Conuentus sit ex designatis; vnde fit tantum mutatio loci, quo persona transfertur de loco ad locum, plerumque enim dum mutatur
13 locus, mutatur, & mentis affectus, *cap. Valet. 9. dist. 81.* mutationes enim interdum sunt in vtilitatem aliorum, *cap. Mutationes 34. 7. q. 1.* Quare cum huiusmodi translatio nullo iure interdicatur in nullo vitiare potest Nouitiatum, siue contingat ea defectu Nouitij, siue ex alterius culpa, aut causa, quia cum id sit quid extraneũ à probatione inficere non potest nouitiatum: Ita docui *Resolut. 54. q. 1. num. 5. Portellus* 11. *Nouitius num. 50. ex eo Tamburinus tom. 3 disp. 6. dub 11. n. 21.* & supponitur à *Nauar consil 17. & 9 de regular.*

14 Secunda pars de necessitate superioris maioris vtriusque conuentus probatur necessitate licentiæ, quia nouitius propria auctoritate non potest recedere ab vno conuentu ad alium, aliter habetur pro fugitiuo, consequenter eius interrumpitur nouitiatus, ideo ad euitandum hunc defectum eget licentia, vt licite, & absque præiudicio cœpti nouitiatus transire valeat. Superioris vero communis vtriusque conuentus licentia est necessaria non solum propter adductam rationem, ne reputetur fugitiuus, & ne sequatur interruptio nouitiatus, sed etiam, quia superior prioris conuentus non habet imperium super priorem posterioris conuentus ad cogendum illum recipere in suam familiam nouitium, qui illi non fuit consignatus à superiore, cum enim ambo sint pares, & par
15 in parem non agat, *leg. Ille 13. §. tempestiuum, ff ad Senatus Consult. Trebell. cap. Innotuit 20. de elect.* vnus non potest cogere alium ad recipiendum nouitium in suum consortium, ergo est necessaria licentia maioris Prælati communis vtriusque. Ita *resol. 54. n. 6 & 7.*

16 Tertia pars, quod requirantur literæ testimoniales fidem facientes de anteacta vita nouitij, quam peregit in primo conuentu, probatur, quia nouitij anteacta vita toto probationis anno debet esse nota superiori, & conuentui, ad quos spectat illum iudicare dignum, vel indignum professione, ad hunc enim finem à Sanctis Patribus inductus fuit annus probationis, vt nouitius asperitates religionis, quam desiderat profiteri, & conuentus eius mores experiri valeant, *ex cap. Ad Apostolicam 16. de Regular.* id autem notum esse non potest posteriori conuentui, in quo absoluitur à nouitio annus probationis, nisi per literas testimoniales de hac re informetur à priori conuentu, quia religiosi posterioris conuentus alia ratione non possunt scire legitime eius mores, cũ secum non fuerint conuersati in priori conuentu, ergo necesse est, quod nouitius secum habeat fidem circa mores, quibus vixit in priori conuentu. *Confirmatur*, quia consensus præstandus à superiore, & conuentu specificatur; & regulatur à iudicio facto super mores nouitij obseruatos toto probationis anno: iudicium autem, per quod nouitius iudicatur idoneus ex bonis eius moribus, vel indignus ex malis eius moribus pendet ex vita, quam peregit toto probationis anno, ergo & consensus à iudicio regulatus refertur ad totum probationis annum, ergo vt sit legitimus consensus vita nouitij: debet esse nota secundo conuentui respectiue ad totum annum, ergo necesse est, quod informentur per literas prioris conuentus fidem facientes de illius vita in priori monasterio, in quo cœpit probari. Ita probaui, *cap. 3. quæst. 55. & resolut. 54. num. 8. & num. 236.* in quibus locis non me explicaui, an omissio testimonij per prioris conuentus vitiet professionem hic determinandam.

17 Quarta pars, omissio iudicij an sit idoneus necne attento tempore, quo mansit in priori conuentu, non vitiat professionem probatur, quia consensus qualiscunque sit, etiam illicitus, dummodo sit præstitus voluntarie: sufficit ad valorem professionis, vt dicam suo loco, sicut illicita receptio ad habitum, quæ non contingit sine consensu; est valida ea probaui *cap. 4. num. 40. & 44.* sed in casu hoc non deficit consensus patrum posterioris conuen- 18
tus, esto dicatur illicitus ex eo, quod non fuit regulatus ea notitia totius anni probationis, cum consenserint ex notitia morum nouitij respectu posterioris conuentus, ergo talis consensus sufficit ad valorem nouitiatus, consequenter omissio iudicij anteactæ vitæ in priori conuentu consensum non irritat, sed tantum reddit illicitum. *Confirmatur*, quia religiosi prioris conuentus si non 19
reprobauerunt nouitium expresse, tacendo videntur eius nouitiatum pro eo tempore, quo apud illos mansit, approbasse, ac proinde videtur perfici per consensum patrum posterioris monasterij, nam consensus nouissimus præcedentes aliorũ confirmat, leg. Per fundum 11. ff. 20
de seruit. rustic. prædior. Quod si prior conuentus illum reprobauit verbo, & de licentia translatus fuit ad alium nouitiatum, & ibidem se bene egit ad minus per sex menses, puto eius acceptationem valere non obstante 21
repulsa prioris conuentus, quia in posteriori potuit mutare vitam, immo & si non meliorauit adhuc valet præstitus consensus, postremus enim attenditur in ordine ad professionem, cum is potissimum disponat nouitium proxime ad professionem. Confirmatur, id quia consensus 22
etiam in nouitium indignum sufficit ad validam professionem, valor enim consensus non à conditione nouitij, sed à voluntate religiosi recipientis pendet. Quod suo 23
loco probabo, cum de professione agam. Consistit ergo consensus siue licitus, siue illicitus fauore professionis, intellige præterea, quando in eodem nouitiatu, vt supra, fuit probatus nouitiatus in quem patres consenserunt tanquam in suum commilitonem sub eodem tecto, nam si superior nouitium verbaliter repro- 24
batum transmittat consulto ad alium nouitiatum eo fine, vt in illũ consentiant religiosi, præmissa aliquali etiam experientia paucorum dierum, aut vnius, seu alterius mensis, nulli dubium est, non esse valide receptum, cuio præiudicium fuerit illatum prioribus, & in hoc casu fiat fraus, & dolose agatur in graue detrimentum Ordinis. Dixi, *verbaliter reprobatum*, quia si eiectus fuit extra conuentum, valide profiteri non potest defectu continuati nouitiatus, in terminis plura Portellus tom. 2. casu 1. Sed de hac re suo loco latius dicam capit. 16. quæst 10.

Quæres 5. An iuuenis extra conuentum designatum in alio conuentu non designato recipi possit ad habitum, & ad professionem? Solent parentes iuuenum induendorum rogare superiores, vt pro consolatione filiorum suorum, & propria dignentur eidem conferre habitum in conuentu patriæ non approbato quandoque pro nouitiatu, numquid huiusmodi receptio valeat? An nouitiatus incipiat eodem die enterce? An vero à die, quo intrat conuentum designatum?

Respond. Tenet receptio ordinata ad nouitiatum in- 25
choandum intra monasterium iam designatum à Sede Apostolica, adeo quod per talem receptionem extra conuentum deputatum non vitiatur subsequens probatio peracta in loco deputato per integrum annum. Probatur, quia ex tenore duorum decretorum de quibus initio huius capitis, illa receptio ad habitum, & professionem dicitur nulla, & irrita quæ aduersatur eisdem decretis, quorum finis est, vt nouitij probentur in conuentibus designatis; sed talis est receptio nouitiorum, vt scilicet probentur in conuentibus designatis, ergo eorum receptio ad talem finem ordinata non potest aduersari illis decretis, ergo neque irrita, nec inualida, licet eis conferantur habitus in conuentu non designato, in quo tamen non sunt probandi nouitij. Confirmatur, quia receptio, qui est actus transitorius, non attenditur propter se, sed propter annum probationis, à quo specificatur, sed annus probationis peractus in conuentu designato validus est, ergo & antecedens receptio medium ad ipsum necessario ordinatum, non enim nouitius inchoari potest sine receptione habitus. Et hoc patet ex Bulla S. Append. incip. *religiosos viros* cuius titulus est: *Super professionibus veregu*

regulares emiſſis, non facte in locis deſignatis nouitiatu, ex quo titulo, a quo validum, & optimum deſumitur argumentum, Iuribus, & Doctoribus allegatis à Barboſa Vaz lit. A. num. 217. & ex textu ipſius Bullæ colligitur, Summum Pontificem Vrbanum VIII. aliam cauſam nullitatis profeſſionis in decretis præfatis Clementis VIII. non adduxiſſe niſi, quod non fuit præmiſſus nouitiatus in loco deſignato, quod ſignum eſt, receptionem præcisè non attendi in quocunque conuentu, deinde accidat, ſed eandem in ordine ad annum probationis peractæ in loco deputato, quare locus deputatus deſignat legitimam probationem, & antecedentem receptionem ad probationem ordinatam. Deinde poteſt dari legitima receptio, & vitioſus nouitiatus reſpectu defectus loci, vt colligitur ex verbis eiuſdē Bullæ quintæ. ibi: *Quatenus omnes, & ſingulos religioſos prædictos qui ad habitum regularem, alias Canonice recepti annum probationis in monaſterijs ad id deſignatis minimè fecerunt.* Ergo receptio extra locum deſignatum valida eſt, modo ſequatur nouitiatus in loco deſignato. Vide Lezana part. 2. cap. 8. num 26. & 34. Nouitij num. 7. Non ſufficit ergo receptio habitus, & profeſſionis in conuentu deſignato, niſi ibidem etiam peragatur nouitiatus, qui ſufficit, licet receptio extra facta fuerit. Rem hanc alibi etiam tractaui, *cap 4. quæſt. 24. reſolut. 8. n. 19. & 50 reſolut. 54. num. 1 & 218.*

QVÆRES VI. An nouitiatus, vt dicatur legitime factus ex capite loci neceſſario debeat peragi in conuentu deſignato?

26 Reſpond. Affirmatiuè, vt expreſsè habetur in præfatis duobus decretis illis verbis: *Receptiones vero, & profeſſiones quaſlibet eorum, qui contra huiuſmodi Decretum Noſtrum admiſſi fuerint, nullas & irritas ex nunc decernimus.* Quæ ſunt verba prioris Decreti, eademque repetuntur in ſecundo, cui adduntur hæc *ad quemcunque effectum.* Quæ ad propoſitum noſtrum ſignificant huiuſmodi receptiones non prodeſſe ad annum nouitiatus; ſed illum eſſe irritum, & inualidum præmiſſum in loco non deputato, ac ſi cœptus fuiſſet ſine receptione, ſine qua ſubſiſtere non poteſt, quælibet enim res incipit à ſuo principio, aliter non poteſt prodire in eſſe per ſe

27 ipſam. Et licet nullibi exprimatur in terminis nouitiatum eſſe inualidum, vt etiam obſeruaui in Bulla Sixti V. de illegitimis, & criminoſis, atque ubnoxiis ratiociniis, & ære alieno, vbi annullantur receptiones illorum habitum, & profeſſionem, nulla facta mentione de nouitiatu, quod ſequatur inualidus, tamen ſubintelligitur talis, hoc ipſo, quod principium eius in receptione conſiſtens annullatur, à quo nouitiatus legitime inchoari non poteſt, principium enim eſt

28 de eſſentia principiati, *Tuſchus lit. P. concluſ* 102. *Barboſa Vaz eadem littera, num* 42. quia eſt potiſſima pars cuiuſlibet rei, *leg. 1. ff. de orig. iur.* Demum nouitiatus ſaltem cauſaliter eſt nullus, in quantum ex conuentu non deputato peracto non poteſt ſequi valida profeſſio irrita per ſupradicta decreta. Confirmantur ſupradicta, quod nouitiatus præmiſſus in loco non deputato non ſolum cauſaliter, ſed etiam formaliter, & in ſeipſo ſit nullus, ex eodem Breui Vrbani Papæ VIII. vbi profeſſionem de nouo emittentibus nullam ex præmiſſo nouitiatu extra conuentum deſignatum Sanctitas Sua condonat repetitionem nouitiatus, quod ſignum eſt, illum ſic præmiſſum contra illa duo decreta fuiſſe irritum, & nullum, non enim repeteretur, ſi non fuiſſet vitioſus. Eandem rem tractaui, *reſolut. 54. num. 216.*

QVÆRES VII. An locus deſignatus pro nouitiatu, ita ſit neceſſarius, vt nouitius non poſſit aliquando ex cauſa legitima morari extra, & pernoctare in domo parentum, aut amicorum?

Reſpondetur. Nouitius extra perpuctaos, aut moratus ex cauſa cum licentia ſui Superioris, non vitiat nouitiatum, ſed adhuc dicitur illum facere in loco deſignato. Probatur, quia deferens habitum extra conuentum de licentia ſui Superioris, cenſetur illum geſtare infra monaſterium, cum ea enim licentia adhuc dicitur eſſe ſub obedientia Superioris. Quod autem extra exiſtens 29 30 cum licentia cenſeatur eſſe in conuentu, in terminis huius dictionis docent ex vtroque *Abbate Nauar. conſil. 32. de Regular. num. 3. Rodriquez tom. 3. quæſt. 15. articul. 10 cum ſuo Compend. reſol. 101 num. 44 Miranda tom. 1. quæſt. 22. articul. 5. §. Secunda ratio, Vecchius diſputat. 11. dub. 3. num. 10.* vbi ait, nouitium non interrumpere nouitiatum etiam ſi extra ſit de licentia non legitima, & irrationabili, *ex Suarez tom. 3. de Relig. lib 5. capit 14. num. 14.* & pariter refert reſponſum Sacræ Congregationis ſub num. 13. *Beia part 4. caſu fin. §. Secundum, Bonacina de clauſ. quæſt. 2. par. 10. diff. & §. 2. num 6 Sanchez lib. 3. cap. 4. numer. 27. & 28.* vt ait *Rodriquez tom. 2. Summæ cap. 8. num. 4.* exitum limitare ad vnum, vel duos menſes, alias interrumpitur nouitiatus, nam diu manens extra, religio non poteſt eius mores experiri, niſi Ego addo, graui infirmitate detineatur apud parentes per plures menſes, quia dum viſitatur à Fratribus quodammodo eius mores illis innoteſcunt; ipſi vero Sanchez hæc limitatio non placet, eo quod ratio adducta probat abſolute, vnde, & *Nauar. conſil. 42. de Regul.* loquitur de eo, qui extra manſit per ſemeſtre, *Azorius lib. 12. cap. 2. quæſt. 8. in fine, Pellizarius tractat. 2. capit. 1. num. 8. Peyrinus de Prælato quæſt. 3. cap. 1. num. 101.* admittit exitum trium menſium; in ſententia aliorum, *Donatus part. 4. tractat. 9. quæſt. 12. num. 14. Lezana part. 1. capit 4. num. 22. Diana reſolut. 84. de dub. regular. Tamburin. tom. 3 diſputat. 6. quæſt. 7. numer. 16.* ad tres menſes. Vt infra *in capit. de Nouitiatu quæſt. 6. vbi de hac re exacte dixi, & capit. 8. 26. ad 30.*

Nonnulli ex præcitatis dubitant circa hanc li- 31
centiam arbitrantes non poſſe dari ad menſem, ſed ad aliquos dies, & ita ſentiunt Peyrinus, & ex eo Tamborin. locis citatis, loquendo poſt ſupradicta duo Decreta, & probari poteſt, *Primo*, quia facere nouitiatum intra conuentum deſignatum eſt de forma, cui ſatisfieri non poteſt ex æquipollenti, ſed rigor iuris ſeruandus ex allegatis à Barboſa axiomat. 100. numer. 5. maxime attentis Decretis præfatis Clement. VIII. quæ irritant probationem factam extra conuentum deſignatum. *Secundo*, quia Rota apud Farinac. deciſ. 175. num. 2. oppoſitum determinauit. *Tertio*, quia ſi manet extra de licentia ſuperioris, religio non poteſt venire in cognitionem morum eius, non enim Prælati licentia dat notitiam morum nouitij, quare vt cognoſcatur morari continuo debet intra conuentum.

Ego autem prædictis non obſtantibus & atten- 32
tis etiam ſuprafatis decretis puto moram aliquorum menſium extra monaſterium in domo conſanguineorum, aut amicorum cauſa infirmitatis, aut alterius grauis negotij, aut etiam pernoctationem ſex aut decem dierum ſine iuſta cauſa, non vitiare nouitiatum, puta nuptiarum, bacchanalium, &c. Probatur, *Tum quia, ex cap.* 1. de Regular. in 6. nouitiatus præſcribitur agendus in monaſterio, ibi: *Per totum ſequentem annum in monaſterio permanſerit*, quod & ſupponitur in cap. Ad Apoſtolicam 16. de Regular. dum ibi dicitur, quod nouitius debet per annum manere in

probatione, vt religio valeat eius mores experiri, quorum notitiam habere non potest, nisi sub eodem tecto maneant, sicut ergo ante decreta huiusmodi poterant nouitij licentiari, ita etiam nunc post eadem decreta, in quibus id expresè non prohibetur, sed tantum disponitur, quod nouitiatus peragatur in conuentibus designatis, ad differentiam iuris antiqui, respectu cuius nouitij in omnibus conuentibus admitti poterant, & forsan sanctior erat nouitiatus, quia sub disciplina eius Prælati introducentis vitam degebant in conspectu totius conuentus, vt probaret, & probaretur, nam reclusorum quandoque defectus innotescere non possunt professis, & è con-
33 tra. *Tum quia*, decretum irritans non obstat auctoritati superioris; cum per illud non fuerit diminuta, sed tantum inficit nouitiatum peractum in conuentibus non designatis; quod si vitiaret nouitiatum, & potestatem superioris respectu vnius mensis, idem præstaret etiam respectu vnius diei, quia decretum irritat gestum tam respectu modici, quam magni, cum tollat quidquid sibi aduersatur. Facit axioma, quod necessitas non est subiecta legi, *c. quanto 4 de consuet. cap. 1. de obseru. ieiun. c. Exijt § Nec quicquam de verb. significat cap. Sicut 10. dist. 1. de consecr.* & necessitas legi præiudicat, *l. vt gradatim 11. §. quoties, ff. de muner. & honor.* Quod argumentum facit pro nouitio extra nouitiatum existente in casu Infirmitatis grauis, in causa renunciationis, & mortis parentum, &c. in casu Incursionis militum, &c.

34 Ad primum argumentum dico, adhuc seruari formam, quæ in eo consistit vt nouitius probetur in conuentu designato, in quo dicitur degere, qui ex rationabili causa de licentia superioris abest, nam secundum Sacros Canones, qui aliquantisper abest, non videtur abesse, si statim reuersurus est, cap. 1. sess. 23. ex quo axiomata
35 Tridentinum indulget, quod habens curam animarum possit abesse per duos, aut tres menses à residentia, habentur enim pro præsentibus, à fortiori reputabitur præsens nouitius extra manens per tres, aut quatuor menses, cum eius residentia minoris sit vinculi, quam præsentia Parochorum, qui de iure diuino pascere debent
36 gregem suum. Et forma adimpletur per æquipollens quando rigorosè accepta non continet in se æquitatem, *Suar. de legib. lib. 5. cap. 32. Salas de legib. q. 96. tract. 14. disput. 16. sect. 9. num. 36. ex illis Barbosa axiom.* 100. *num.* 8. Quod autem nouitius in quouis casu debeat manere in probatione continuo in conuentu nullam id habet æquitatem.

37 Ad secundum de Decisione Rotæ, respondeo, tenera ibi decerni, non valuisse professionem eius, qui etiam de licentia superioris, & ex causa infirmitatis mansit in domo patris, & in ea non dum aliquoties pernoctasse, sed etiam quod vna vice ibidem permansit per spatium vnius mensis. Sed si attente legatur textus decisionis sub num. 2. colligitur Rotam locutam fuisse ex suppositione cuiusdam responsi sacræ Congregationis, quod labente anno probationis debet nouitius permanere continuo intra claustra monasterij, non citat quo anno, quo mense, nec sub quo secretario responsum ab ea datum fuerit. Ego autem oppositum *ex Vecchio disp. 11. dub. 3. num. 13.* refero in hæc verba: *Hoc anno probationis durante, si nouitius curanda valetudinis causa de licentia superiorum à monasterio exierit, & postea reuertatur, eodem tempore professionem emittat perinde ac si nunquam egressa fuisset.* Ex hac responsione supponitur egressionem illam ex causa recuperandæ valetudinis de licentia superiorum non vitiasse nouitiatum. Adde, quod ex ea decisione non satis constat, an semper exierit cum licentia, vel quandoque sine illa, quod est verisimilius, & Peyrinus ait, Rotam forsan locutam fuisse in causa longæ absentiæ, & sine causa ad fugiendas austeritates, itaque Rota satis loquitur obscure in terminis nostris.

Ad tertium respondetur, religionem sufficienter posse cognoscere eius mores per reliquum temporis spatium, quo manet in conuentu. Demum conuersi Mendicantium non minus sunt 38
obligati seruare leges nouitiatus, quam clerici quoad mansionem in conuentu designato, dum sunt in probatione, & nihilominus nouitij laici pluribus vicibus, & per menses, aliquot manent extra laborando, & quærendo eleemosynas, & nemo adhuc dixit, illos constantem nouitiatum non peregisse, ergo manere extra ex causa, & licentia superioris legitimi non vitiat nouitiatum; immo puto non bene peragere nouitiatum illum conuersum, qui non probat asperitates quas laici professi patiuntur, dum per domos rusticorum pernoctando quæritant eleemosynas.

De hac quæstione *egi cap. 4. de profess. q. 14. &* 39
resolut. 54. num. 100. & num. 127. & 110. Manere posse toto tempore, quo vrget infirmitas, & vel graue negotium. Sed re melius perpensa dicta temperanda sunt iuxta tenorem hic resolutorum.

Dare licentiam pernoctandi extra conuentum ex causa potest superior localis, nisi prohibeatur, de qua re *Miranda tom. 1. quæst. 22. art. 5. Rodriq. tomo 3. q. 15 art. 8 & alij supradicti.*

Licentia quoque illicita sufficit, ne interrumpatur 40
nouitiatus, vt docet Suar. apud Vecchium disp. 11. dub. 3. num. 11. quia licentia illicita adhuc est licentia, *gl. in. Licentiam cap. Si qua 18. 27. quæst. 1.* Ergo hunc effectum producere debet, vt annum probationis conseruet legitimum.

QVÆRES VIII. An nouitia graui Infirmitate laborans de licentia eorum, ad quos spectat exeat curanda in domo paterna, absque eo quod cœptum nouitiatum inficiat?

Respond. Exiens non interrumpit nouitiatum, 41
sed illum prosequitur in domo paterna ex illa communi ratione, quod de licentia existens extra claustra habetur pro præsenti in claustro, secundum doctores allegatos in præcedentibus. *Confirmatur,*
quia si quid facultatem facit, sunt Decreta initio 42
adducta, sed illa faciunt tantum pro nouitiis masculis, de quibus tantum loquuntur. Ita *Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 18. ex eo Pelliz. de Monial. cap. 1. q. 13. num. 49.* Hanc autem licentiam dare spectat ad Episcopum, & superiorem regularem in conuentibus exemptis, in aliis ad solum Episcopum.

QVÆRES IX. An valeat nouitiatus in conuentu designato factus sed inter professos, & non in clausura propria pro nouitiis?

Respond. Vtque valet, quia Decreta simpliciter 43
decernunt, nouitios esse probandos in conuentibus designatis, non distinguentia clausuram professorum à clausura nouitiorum, quæ distinctio postmodum præscripta fuit ab eodem Clem. VIII. in alia Bulla pro educatione Nouitiorum, de qua supra hic sub n. 3. in qua nullum exprimitur decretum irritans susceptionem habitus, aut professionis ex præmisso nouitiatu cum professis, ergo valet, ac si fuisset præmissus intra clausuram aliorum nouitiorum. Confirmatur, quia nouitius morans cum professis æque bene, immo melius probat, & probatur præsertim respectu vitæ, & morum, quod ita exacte non euenit vtrisque manentibus in propriis clausuris. Ita docui *c. 4 q. 29. & resol. 54. n. 109.* In meo ordine vsus est, quod pueri tantum introducuntur intra clausuram eorum propriam, adulti vero, sacerdotes, & similes extra minoritatem constituti morantur cum professis sub disciplina tamen Magistri, hoc enim modo mores nouitij à professis,

&

& professorum à nouitijs ad inuicem melius obseruantur ex eadem societate

QVÆRES X. An professus vnius ordinis transiens ad secunda vota alterius ordinis debeat pera-
44 gere nouitiatum in conuentu designato ad præscriptum dictorum Decretorum?

Respond. Negatiuè, quia ea Decreta loquuntur tantum de secularibus venientibus à seculo, vt colligitur ex illis verbis: *Singuli ad religionem venientes*
45 *passim recipiuntur*. Vtriusque Decreti. Quæ non possunt intelligi, nisi de secularibus, hi enim propriè dicuntur venire, qui à seculo conuertuntur ad religionem, professi vero vnius ordinis non dicuntur venire, sed tantum transire, de transitu autem in illis decretis nulla fit mentio, ergo de solis secularibus disponunt. *Confirmatur* tum ex illa dictione *passim*, quæ importat frequentiam, id quod fit pluries, multoties, indistinctè, & indifferenter sine delectu gl. 12. eod. extrem. com. Ioan. 22. de pœnis; tardò autem fit transitus de vna ad aliam religionem, & cum magna circumspectione, frequenter vero recipiuntur seculares, ergo Decreta comprehendunt venientes, non transeuntes. *Tum quia*, in secundo decreto mandantur eijci nouitij ad seculum, qui induti fuerant habitu contra primum Decretum, non ita autem eijciuntur nouitij aliàs professi, sed priori ordini restituuntur, cuius adhuc sunt filij ante professionem, ergo non comprehenduntur. Ita docui *Resolut*. 54. *num*. 175.

QVÆRES XI. Quidam superior nouitium per plures menses misit ad scholam extra conuentum,
46 numquid eius nouitiatus fuit legitimus non obstantibus his Decretis?

Respond. Subsistit, *ex adductis sub q*. 6. Nam adhuc probat, & probatur, cum horis debitis fit in conuentum experiendo austeritates cum alijs, & dicitur esse sub obedientia sui Magistri, & superioris, cuius mandata quotidiè exequitur. Verum quidem est, quod ille superior, male fecit, mittendo eum ad scholas extra conuentum, cum non deceat nouitium esse cum secularibus, qui mundum intendit fugere, vt non sit, nec conuersetur cum secularibus.

QVÆRES XII. An sicut nouitiatus, vt sit legitimus ad normam horum Decretorum incipiendus est intra conuentum designatum, ita de necessitate absoluendus sit in conuentu designato, an vero terminari possit extra in alio conuentu ex causa v. g.
47 infirmitatis, renunciationis, ex fuga incursionis militum, &c.

Respond. Affirmatiuè terminari posse in alio conuentu non designato. Probatur. *Tum* ex dictis sub q. 6. & à fortiori, quia si de licentia manere potest in domo parentum ad recuperandam sanitatem, à fortiori in alio conuentu sub oculis superiorum. *Tum quia*, facit illud axioma, quod maius trahit ad se quod est minus. ergo maior pars nouitiatus illud extremū trahit ad sui naturam, consequenter totus legitimus est. Ita docui resol. 54. q. 69. n. 225.

QVÆRES XIII. An illæ religiones, quæ non obstantibus supradictis Decretis prosequntæ sunt probare suos nouitios sicut antea in quolibet conuentu, præscripserint contra huiusmodi Decreta? Videtur ita sentire Peyrinus ad Bullam incip. *Religiosos viros*, Vrbani VIII. in Additam. cap. 12. coust. 7. Inuehens contra Episcopos, qui passim licentiabant nulliter professos ob non præmissum nouitiatum in conuentu designato, ea ratione, quia si loca nouitiatuum fuerint continuata à tempore Clementis VIII vel Pauli V. etiam si per incuriam Fratrum de-
48 putationes ipsæ authenticæ non reperientur, poterat in his locum habere præscriptio.

Respond. Non potuerunt legitimè præscribere,
49 quia legitima præscriptio supponit possessionem, ex Reg. 3. in 6. Sine possessione præscriptio non procedit; possessio autem locum habere non potest, nec præscriptio, vbi est decretum irritans, nam hoc inficit titulum, & possessionem, & habet oculos retro, & operatur nullitatem ab initio, *cap. Si eo tempore de elect. in* 6. *Cassadorus decis*. 1. *de restit. spoliat. num* 7. *decis*. 12. *super Reg. num*. 5. *Sarnen. in Reg de annali quæst*. 5. *num*. 1. *&* 4. *cum alijs Rota apud Tamb. decis*. 22. *num*. 22. Decreta autem Clementis continent decretum irritans, ergo infecerunt quicquid continuo
actum est contra illa, contra quæ non potuit currere 50
præscriptio, quicquid dixerit Peyrinus nullam de suo dictu referens rationem. *Confirmatur*, quia consuetudo non valet contra constitutionem munitam decreto irritante; *Cap. super literis de consang. cap. Super ea, de cognat. spirit. Conar. apud Lauor tit*. 4. *de elect. cap*. 21. *num*. 232. & seq. numero reddit rationem, quia lex irritans facit personam incapacem, quem defectum non potest tollere consuetudo, *Dec. in cap. Nouit. de iudic. num* 84. *Suar de legib. lib*. 7. *cap*. 19. *num*. 13. *apud eundem Lauor. num*. 133. *& Rota decis*. 21. *apud Tambur. num*. 20. ait consuetudinem contra Canonem habentem decretum irritans non induci per quantumcumque temporis spatium: Nullo ergo iure religio se tueri potest pro, vel contra nouitium, qui nouitiatum præmisit in conuentu nondum designato.

QVÆRES XIV. An translatione conuentus de-
signati pro nouitiatu, transferatur etiam nouitia- 51
tus?

Respond. Affirmatiuè, si secundus locus ad meliorandum receptus habeo habitationem pro nouitijs proportionatam ad normam constitutionum Clementis VIII. Ratio est, quia loci mutatione non perditur priuilegium, sed sequitur personas transeuntes
ad secundum locum, nam Ecclesia, ciuitas, castrum, 52
collegium, conuentus, aliaque loca retineut sua iura, priuilegia, & exemptiones, si superiores auctoritate in alium locum transferantur. *Alexan. volum*. 1. *consil*. 43. *Gaelar. lib*. 2. *obseruat*. 61. *numer*. 10. *Albertus Brunus de mutat. & reformat membr*. 3 *conclus*. 3. *numer*. 78. *cum alijs Barbosa ad Reg*. 7. *de Reg. iur. in* 6. *num*. 10. *De hac re egi etiam decis*. 146.

QVÆRES XV. An nouitiæ debeant peragere nouitiatum suum in loco particulari illis designato in
conuentu, sicut assignatur masculis? 53

Respond. Nouitiæ moniales debent introduci in locum particularem deputatum pro illis tantum, vt ex decreto S Congregat. mandatum fuit anno 1603. teste *Gauanto* 11. *Monialium receptio numer*. 39. *quem citat Tambur. de Abbatissis disputat*. 4. *quæst*. 4. *numer*. 5. *Pellizar. de Monialibus capit*. 2. *numer*. 42. Si tamen peragatur mixtim cum professis, non ideirco vitiatur nouitiatus, nec professio inde secuta, tum quia nullum apparet decretum irritans; tum quia etiam masculi valdè probantur inter professos conuentus designati, & probatis hic sub num. 43. à fortiori fœminæ, quæ non comprehenduntur sub decretis Clemen. VIII; de designatione conuentuum.

CAPVT VI.

De anno Nouitiatus, & Probationis.

1 *Nouitiatus spectatur tribus modis.*
2 *Vsus eius coeuus est religioni.*
3 *Basilius Sanctus suis præscripsit nouitiatum.*
4 *Benedictus Sanctus item.*
5 *Iure communi omnibus nouitijs præscribitur;*
6 *Nouitiatus, & professio seruorum.*
7 Quæcumque quid importet?

8 *Tridentinum sub anno probationis comprehendit omnes claustrales.*
9 *Conuersi possunt profiteri infra annum probationis.*
10 *Tertiarij possunt profiteri infra annum probationis.*
11 *Milites possunt profiteri infra annum probationis.*
12 *Maltenses debent totum nouitiatum peragere.*
13 *Priuilegia profitendi infra annum probationis sunt sublata.*
14 *Transiens ad secunda vota tenetur ad nouitiatum.*
15 *Caramueli respondetur.*
16 *Leonis X. priuilegium profitendi transeuntibus infra annum probationis sublatum.*
17 *Anno nouitiatus renuntiari non potest.*
18 *Fauori renuntiari non potest cum obstat decretum irritans.*
19 *Annus nouitiatus currit de momento ad momentum.*
20 *In anno bissextili numerantur dies 366. pro nouitiatu.*
21 *In anno bissextili duo dies pro vno computantur.*
22 *Vnus dies anno probationis addendus non est.*
23 *A susceptione habitus incipit annus probationis.*
24 *Habitus suscipitur ex mutuo consensu nouitij, & conuentus.*
25 *Nouitiatus habet speciem contractus.*
26 *Informationes omissæ non vitiant nouitiatum.*
27 *Mutuus consensus in receptione habitum, & introductio in locum deputatum dant initium nouitiatui.*
28 *Habitus portatio est de valore nouitiatus.*
29 *Habitus gestatio est ex austeritatibus magna.*
30 *Habitus nouitiorum necessario non differt ab habitu professorum.*
31 *Habitus eius ordinis, qui profitendus est, gestari debet.*
32 *Nouitij in Societate Iesu quando incipiunt nouitiatum*
33 *Maltenses quando incipiunt nouitiatum.*
34 *Per habitum secularem non inchoatur nouitiatus.*
35 *Habitus dimissio intra claustra, vel extra sine intentione recedendi non vitiat nouitiatum.*
36 *Contingit ad profitendum dabatur bimestre.*
37 *Lex generalis non comprehendit casus speciales promissos nisi exprimat 39.*
38 *Coniux debet perficere annum probationis.*
39 *Lex generalis vniuersalis, & negatiua comprehendit omnes sine vlla exceptione.*
40 *Nisi ipsa lex expressè excipiat aliquem casum.*
41 *A batis aliqui promissi profitentur infra annum probationis.*
42 *In articulo mortis nouitius profitetur ex priuilegio.*
43 *Communicabile omnibus nouitijs.*
44 *Lex non se accommodat ad ea, quæ raro accidunt.*
45 *Lex generalis, non tollit prouisiones particulares.*
46 *Professio infirmi, non est vera professio.*
47 *Nec ad eam requiritur consensus conuentus.*
48 *Potest omitti ab infirmo in domo parentum.*
49 *Sanitate recuperata debet prosequi nouitiatum, & profitere.*
50 *Professione infirmi non succedit conuentus in eius bona.*
51 *Papa non concedit priuilegia in præiudicium tertij, nisi mentione facta.*
52 *Infirmus professus recuperata sanitate recedere potest.*
53 *Nouitiatus vt sit legitimus debet inchoari de consensu partium.*
54 *Intrusus quis dicatur.*
55 *Intrusi nouitiatus est nullus.*
56 *Dementis nouitiatus quando validus.*
57 *Interrumpitur nouitiatus expulsione, vel voluntaria recessione.*
58 *Coactè adhuc peragitur nouitiatus.*
59 *Nouitiatus seruis tenet.*
60 *Nouitiatus cæptus sine intentione pergendi illum valet.*
61 *Factum contrarium perimit protestationem.*
62 *Actus agentium non operantur vltra eorum intentionem expositur.*
63 *Informationum omissio non vitiat nouitiatum.*
64 *Decretum irritans est stricti iuris, non extenditur.*
65 *Ratihabitio retrotrahitur ad tempus actus gesti.*
66 *Ratificatio in præiudicium tertij procedit tantum prout ex nunc.*
67 *Ratificatio eius, quod nihil est sustinetur prout ex nunc.*
68 *Ratificatio non retrotrahit in ijs, quæ ab initio petunt licentiam pro forma.*
69 *Austeritates à nouitijs agendæ recensentur.*
70 *Austeritates omnes non sunt probanda*
71 *Minimus, & Carthusianus continuo infirmi carnes edentes non probant.*
72 *Probatio consistit ex exercitio, non in affectu.*
73 *Experientia refertur ad vsum, & operationem.*
74 *Scholarum Piarum nouitij debent probari in docendo*
75 *Experientia acquiritur ex frequentatis actibus diuturnitate temporis.*
76 *Ministrantium Infirmis Nouitij debent se exercere in cura Infirmorum.*
77 *Nouitiatus cum professis extra locum deputatum in conuentu designato valet.*
78 *Monialibus applicantur dicta de Nouitijs in hoc, & sequentibus capitibus.*
79 *Examinatio Puellæ omissa non vitiat nouitiatum, nec professionem.*
80 *Nullam pœnam incurrunt recipientes ad professionem infra annum probationis.*

NOuitiatus potest spectari tribus modis. Primo 1
ratione loci, de quo actum est in præcedenti capite; Secundo, ratione temporis, de quo sub hoc & sequenti capite agendum est; Tertio, ratione morum ipsius nouitij, & experientiæ professorum, de quo in sequentibus capitibus, & hîc etiam.

Vsus nouitiatus est antiquissimus, & religioni 2
coæuus, quem etiam Apostoli, qui probantur veri religiosi sub cap. 1. num. 9. & à 13. ad 20. fecerunt, vt aliqua ratione colligitur ex Euangelio, Christus enim vocando piscatores homines non statim fecit eos professos in Apostolicatu, sed voluit illos probare Matth. 4. 18. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Dixit prius. *Venite post me*, hoc est, sequimini per imitationem, vt vos probem, an idonei estis futuri in piscatione hominum, per hæc indicans nouitiatum quem facturi erant. *Faciam vos fieri piscatores hominum* Non fecit illos piscatores, & religiosos alios homines capientes per prædicationem immediate post vocationem, sed tempus in mente sua præfixum expectauit, & postea eos elegit, & recepit ad professionem, Marci 3. 13. *Et fecit vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare.* Annus ergo nouitiatus etiam in Apostolis, qui fuerunt primi religiosi, figuratur & adumbratur, à quo edocti Sancti Patriarchæ Institutores Religionum suis futuris alumnis tempus nouitiatus præscripserunt.

Sanct. Basilius Magnus Archiepiscopus Cæsariensis, natione Capadox, patria Helenopontinus, qui 3
ad cœlum euolauit ann 380. suam instituit religionem circa 369. Secundum *Tambur. tom. 2. disput. 14. quæst. 3.* vbi refert ad verbum eius Regulam, in cuius interrogat. 15. prope finem de nouitiatu permittendo, hæc habet verba: *Ad quam*, scilicet professionem, *plurium ipsi* Nouitio *dierum dari spatium debet*

bet quibus secum seorsim delsberet, ne quid astute, inmature, & per raptum à nobis fieri videatur. Et alia subdit, quæ ibi legi possunt.

S. Benedictus Probi Comitis Nursiæ filius obiit
4 in Domino circa annum 542. Religione sua instituta ann. 520. in specu Sublacensi, in sua Regula sub cap. 58 determinat tempus probationis, in qua permanere debet ferè per annum, & postea recipi, si idoneus seruitio Dei inuentus fuerit. His prælibatis accedendum est ad quæstionem.

QVÆRES igitur I. An iure communi omnibus præscribatur tempus nouitiatus ante professionem?

Respond. Affirmatiuè, cap. fin. dist. 55. *Iuxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tunc monasticum habitum Deo auctore suscipere*, idest, emittere professionem. Illis temporibus Milites, de his enim loquitur S. Gregorius, probabantur in proprio habitu, ne si postmodum propter eorum insufficientiam, seu defectus mitterentur in domos suas, mutatione habitus, verecundia suffunderentur. Postmodum ante determinatum fuit, vt quisque nouitius probaretur in habitu eius religionis, quam cupit profiteri, delatio enim habitus regularis vna est ex austeritatibus quæ nouitius probare debet, ideò illo vti debet. Vnde glos. 11. in suo, ait contrarium esse in vsu nimirum nouitios probari in habitu regulari, & iure ita cautum fuit, vt mox patebit.

Alexand. II. relatus cap. 1. 17. qu. 1. ait: *B. Benedicti Regula, & præcipue Patris, & prædecessoris Nostri S. Gregory Papa canonica institutio interdicit, monachum ante vnius anni probationem effici.* Vt visum fuit de anno probationis S. Benedictus agit cap. 58. Regulæ, sed loco citato S. Gregorius ibi loquitur tantum de triennio dando militibus.

Ex cap. Si quis incognitus 3. 17. qu. 2. Ante probationem triennij incognitus, seu seruus, aut libertus colonus nullus in monasterio suscipiatur ad professionem. Glos. fin. ait, discrepare Doctores, quorum aliqui volunt, hoc tempus triennij incipere à die scientiæ, alij à tempore probationis, quod rationalius est.

Gregor. relat. cap. Monaster. 6. 19. q. 3. præscribit biennium probationis antequam aliquis tonsuretur, idest, faciat professionem. Vide Barbos. hîc, qui interpretatur de receptione Ordinum.

Tempus nouitiatus præscriptum fuit non solum à S. Patribus vt visum fuit; sed etiam iure Imper. *in Auth. Si seruus, de Episc.* prout refertur, *cap. Si seruus 20. dist. 54.* vbi præscribitur triennium pro seruis ante professionem, sicut dictum fuit ex cap. 3. 17. qu. 2. in Auth. autem nihil habetur de Monachis. Iustinian. Imper. in Nouell. const. tit. 6 de Monach. inquit: *Si quis Monachus fieri vult, siue liber sit, siue seruus, non statim monachus fiat, sed per triennium tonsura quidem, & veste laicorum vtatur.* Hæc sunt, quæ inueni in vtroque iure tam canonico, quam ciuili, in quibus vides differentiam temporis, modo quoad hoc seruatur id, quod in Tridentino decernitur.

5 Triden. Concil. sess. 25. cap. 15. tempus nouitiatus reducens ad vnicam formam respectu omnium ingredientium religionem, tam virorum, quam mulierum statuit: *Professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur: professio autem antea facta, sit nulla.* Cuicumque ergo nouitio, siue cognito, siue incognito, siue libero, siue seruo sufficit probatio vnius anni. Concilium enim generaliter, & indistinctè loquitur, ergo taliter intelligendum est. Quantum autem spectat in specie ad seruum me remitto ad
6 ea, quæ dixi *c. 3. n. 119.* Interim nota, quod *Azo. p. 1. lib. 13. c. 1. qu. 3. & Less. lib. 2. c. 41. dub. 3. n. 31.* tenent illud triennium serui numerandum esse à die cœptæ probationis; *secundum Campan. in diuers. iur. Canon. Rubr. 11. cap. 8. num. 12. Mirand. tom. 1. qu. 17. art. 5. concl. 4. fin. Reginal. lib. 30. tractat. 2. nu. 63. Sanchez lib. 5. cap 4. num. 46.* numerandum à puncto cognitionis, quando dominus eius habuit.

An autem si seruus intra triennium profiteatur, in casu quo à domino reuocari potest, et professio teneat? Affirmant *Archid. hic num. 1 Bellamera & Turrecrem Lessius lib 2. c. 41. n. 31. Mirand tom. 1. qu. 17. art. 5 concl. 3. Suar tom. 4. de relig. lib 6. cap. 6. num. 3. Vecch. disp. 2 dub. 2. num. 6* quos *contra se citat Barbos. tom. 1. Collectari varus Canon in cap. Si quis incognitus 3. 17. qu. 2.* vbi sentit, verius esse oppositum, eam professionem non valere, cum *Azor. par. 1. lib 13. c. 1. qu. 3. Sanch. lib. 5 cap. 4. num. 49. Ego c. 3. hic num 119.*

Damnum illatum domino ob professionem emissam à seruo post triennium, immò & ante resarcire non tenetur Ecclesia vt bene colligitur ex textu mox citato cum *Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 45. Vecch. disp. 2. dub 2. num 4.*

QVÆRES II. An Tridentinum sub hoc anno nouitiatus comprehendat omnes nouitios tam masculos, quam fœminas ordinum tam claustralium, quam militarium? Ratio dubitandi pro affirmatiua est, quia ita disponit generaliter: *In quacumque religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minori tempore quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit.* Sub illis verbis, *in quacumque Religione*, nulli dubium esse debet comprehendi omnes religiones non solum Claustrales, sed etiam Militares, sic dictante ea
vniuersali *Quacumquè*; est enim dictio vniuersalis 7
comprehendens maiora expressis, *Roland. vol 1. consil. 5. n. 44. Torret. vol. 1. consil. 48. n. 21. Marc. Anton lib. 2. resolut. 59. casu 15. § Cæterum*, immò comprehendit etiam illos, qui sunt speciali nota digni, *Glos. in Quicumque cap. 11. de sext. excomm in 6. M. Paulus de Leone in Praxi ad Liter. Pœnit part 3 fol. 449. § Hoc tamen.* Ergo in specie comprehenduntur religiones etiam Militares, & non tantum Claustrales. Ita tenet de omnibus Militaribus, *Rodriquez in Summa cap. 8. conclus. 1.* ea ratione, quia ordines Militares sunt propriè religiones, ergo illos com-
prehendit Tridentinum. Quibus non obstantibus. 8

Respond. Comprehendi omnes claustrales ordinum virorum, & fœminarum de quibus nullus dubitat; excipiuntur Conuertitæ, Fratres Tertij Ordinis non professi solemniter, & omnes Militares, etiam Maltenses, qui se subiecerunt huic decreto. Derogatum autem fuit omnibus priuilegijs, quæ concedebant licentiam recipiendi nouitios ad professionem infra annum professionis.

Prima pars de claustralibus, qui sunt Monachi, Mendicantes, & Canonici Regulares, hi enim omnes communem degunt vitam intra claustra, ex quo vocantur Claustrales, probatur, quia Concilij mens in ea sessione fuit reformare potissimum Regulares vtriusque sexus vitam communem agentes intra monasteria, ergo de his loquitur præcitatum caput cum cæteris. Et in hoc nullus contradicit, ideo non oportet id vlterius probare.

Secunda pars de Conuertitis exceptis probatur ex 9
cap. 18 eiusdem sess. ibi: *Ab his tamen excipiuntur mulieres quæ Pœnitentes, seu Conuertitæ appellantur, in quibus Constitutiones earum seruentur.* A quibus verbis accipitur argumentum, si enim earum constitutiones remanent intactæ à fortiori priuilegium Pontificium proficiendi sine prænio probationis anno. Ita *Aldanus in Compend. Canon. resol. lib. 2. tit. 8. num. 16.* referens decisum sub die 11. Ianuar. 1650. ex ipso *Barbos. super c. 15. sess. 25. n. 35. & in decis. Apost. 11. Conuertita num. 2. de Episc. p. 3. Allegat. 101. n. 34. & lib. 1. de Iure Eccles. c. 42. n. 113. Lucerna Regul.*

11. *Conuertite num.* 1. *Ego resol.* 99. *n.* 27. *Tamb. to.* 3, *disp* 6. *q.* 11. *n.* 8

10 Tertia pars de Fratribus Tertiarijs patet ex eo, quod eorum ordo non est religio neque propriè, neque late accepto religionis vocabulo, vt sumitur in decreto Tridentini. Ita *Barbos. hic n.* 4. *de Episc. par.* 3. *Allegat.* 101. *num.* 7. vtrobique citans *Aloys. Ricc. resol.* 617. *n* 4. *Tamb. to.* 3. *disp.* 6. *qu.* 11. *n.* 7. *ex Decis. Rotæ p.* 1. *diuers. decis.* 591. *n.* 7. *Ego resol.* 99 *nu.* 26. Et si in Regula præscribatur annus probationis, ea enim forma censetur accidentalis & ideo professio facta infra annum probationis tenet, vt docui *resol.* 75. *num.* 17.

11 Quarta pars de Militaribus non comprehendi sub obligatione vnius anni nouitiatus ad præscriptum Tridentini, probatur ea parte prima, vbi ostensum fuit Tridentinum illis capitibus decernere reformationem Claustralium, non Militarium. Et ita docent quatuordecim Doctores, quos pro se allegat. *Barbos. hic n.* 2. *& p.* 3. *de Episc. alleg.* 101 *n.* 5. *vbi addit Lezan. c.* 2. *num.* 9. *p.* 1. *Ego resolu.* 99. *n.* 25. quibus addo *Pellizar. tract.* 2. *c.* 1. *n.* 31. quia quando Concilium vult eos comprehendere, eosdem expresse nominat, vt fecit sess. 23. c. 18. Et est Decis. Seraphini extensa hic sub. n. 6.

12 Maltenses verò se subiecerunt eidem decreto, vt videri potest in eorum ordinat. 8. de recept. Fratrum, vnde debent vnum nouitiatus annum præmittere in conuentu suo & vnico Melitæ, vt ibidem expresse dicitur, professioni. Ita docui *resol* 100. *n* 22. *cum Tambur. to.* 3. *disp.* 6. *qu.* 11. *n* 6. *Vecch. disp.* 11. *dub.* 2 *n* 4 *Gratian. c.* 363. *n.* 27. *Barbos. hic. n.* 5.

13 Quinta pars de derogatis priuilegijs profitendi infra annum probationis, exceptis infirmis, de quibus infra, probatur in sequenti quæstione.

Ad rationem dubitandi patet responsio ex dictis in præcedentibus, nam locutio generalis per terminum *quicumque* limitatur, & restringitur ac mentem legislatoris, qui vt visum fuit, loquitur tantum de religiosis claustralibus. Ea enim dictio in materia odiosa restringitur, sicut est præsens, & in fauorabili ampliatur, ex allegatis à *Barbos dict.* 317. *n.* 14. Nec ratio Rodr. quod militares sint verè religiosi, de qua re dixi c. 1. nu. 49. & 91. est adæquata, sed insufficiens, cum sermo sit in illis capitibus solum de religiosis claustralibus, siue ergo sint vere religiosi, siue improprie, non comprehenduntur sub eo cap.

QVÆRES III. An religiosus volens transire ad secunda vota comprehendatur sub hoc cap. Trident. & ex eo teneatur per annum manere in probatione antequam profiteatur?

14 Respond. Affirmatiuè, sublato priuilegio Leonis X. Minoribus. Primum probatur, quia in eo cap. indistinctè decernitur vt professio non valeat, nisi præmisso vnius anni nouitiatu, sermo est in rem non in personam, ideo comprehendit omnes volentes profiteri; non minus autem profitentur religiosi transeuntes, quam à sæculo venientes, cum professio vtrosque ex æquo subijciat disciplinis regularibus. Dixi *resol.* 29. *qu.* 17. *& resol.* 54. *q* 63. *& resol.* 99. *n.* 22. *& hic praced. c.* 5. *docui n.* 44. in quolibet conuentu transeuntem posse nouitiatum facere. Sub dicto cap. Trident. illos comprehendi docent *Rodr. to.* 3. *q.* 15. *ar.* 11. *cum suo Compend. resol.* 101. *n.* 46. *Sanch. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 12. *Barbos. hic n.* 17. *alios citans*, & id verum esse, licet fiat transitus ad strictionem, vnde ex Aldano refert decisum 13. Nouemb. 1627. Discalceatos Ordinis Sanctissimæ Trinitatis transeuntes ad Calceatos, debere facere annum probationis, non tamen profitere. Cum illis est *Pelliz. tr.* 2. *c.* 1. *n.* 20. qui contra se citat *Cordubã*, *& Caramuel in reg. S. Bened. n.* 544. probantem aribus argumentis, quæ refert ipse Pelizar. Sed non redarguit. *Primum est*, quia non loquitur expressè de transeuntibus, ideo non debet ad hos extẽdi cum agatur de materia obligationis, quæ est strictæ interpretationis. Respondeo, cum Tridentinum loquatur in rem, & non in personam, ideò comprehenduntur quicumque sunt capaces professionis, quales sunt non solum nouitij seculares, sed etiam aliàs professi cupientes transire, non est ergo extensio, sed comprehensio. *Secundum est*, quia Concilium ibi loquitur de professione substantiali, qua ex non religioso nouitius fit religiosus substantialiter, non autem de accidentali, per quam existens iam religiosus in vno ordine fit religiosus in

alio ordine. Respond. *resol.* 54. *q.* 76. *fol.* 127. ea 15
enim distinctio professionis substantialis, & accidentalis non datur, sed est voluntaria, & capriciosa, nullius doctrinæ, nam transiens, sicut primo accedens ad religionem eadem professionis forma vtitur, quæ semper continet vota substantialia ordinis, cuius professionem assumit. *Tertium est*, quia transiens ad alium ordinem iam probauit substantialia status religiosi, sicque ei solum supersunt probanda accidentalia ordinis, ad quem transit, horum autem probatio tantum tempus non requirit, quantum postulat Concilium ad probanda substantialia. Hoc argumentum facile detruditur, quia & si transiens probauit substantialia prioris ordinis, non ideo tamen probauit eadem sub modis, sub quibus probanda sunt in posteriori ordine. Deinde substantia nouitiatus vnius anni non consistit tantum in experientia trium votorum, sed etiam in alijs obseruantijs, vt ipse transiens earum executione deueniat in cognitionem, an sibi transitus expediat, & vt secunda religio experiatur eius mores, & cum sancti Patres, & Tridentinum cum illis iudicauerint, huiusmodi mutuam experientiam perfici non posse, nisi spatio vnius anni, merito ab omnibus etiam transeuntibus annus integer probationis absoluẽdus est, vt inde secuta professio teneat.

Secundum de priuilegio Leonis X. quo conceditur 16
Prælatis Minorum posse cum consilio Discretorum dare professionem ad se transeuntibus infra annum probationis, docent *Nauar. consil.* 66. *de regular. num.* 4. *Rodriquez tom.* 3. *quæst.* 15. *art.* 11. *Lessius libr.* 2. *cap.* 41. *n.* 101. *Sanchez lib.* 7. *disputat.* 37. *num.* 47. *Miranda tom.* 1. *quæst.* 22. *art.* 2. *concl.* 3. *Vecch. disp.* 11. *dub.* 2. *num.* 5. *Tamb.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 11. *num* 5. Rationem non adducunt, forsan ea esse potest, quia decretum Tridentini continet decretum irritans, quod videtur esse tantæ efficaciæ, vt tollat etiam priuilegia, maximè hoc, cum Decretum irritans, vt est hoc caput Tridentini radicitus inficiat actum contra gestum, *cap. si eo tempore, de elect. in* 6. *Cassador. decis.* 1. *de restit. spoliat. n.* 2. *Rubeus decis.* 61. *n.* 6. *Pasqualig. qu.* 295. *num.* 5.

Contra *Sorbeum* 11. *Nouitius* §. *Sed an requiratur*. *& Pallum capit.* 2. *Regulæ art.* 55. *num.* 65. Arbitrantes, dictum priuilegium non esse contra dispositionem Consilij, ea ratione, quod Consilium loquatur solum de secularibus, sed contrarium supra probabilius tantum fuit. Adde quod illud priuilegium fuit viuæ vocis oraculum, & quidem non autenticum signatum per O breue, iam autem omnia oracula sublata fuerunt, ideo hoc non amplius valet. Insuper eius derogatio constat ex cap. 22. eiusdem sessionis, vbi derogantur omnibus priuilegijs, quæ supradictis capitibus aduersari possunt, vt est hoc Leonis X. & hæc est germana responsio, quæ magis facit ad rem, quam præcedentes.

QVÆRES IV. An tam nouitius, quam religiosus possint renuntiare huic anno nouitiatus, & profiteri antequam ille prætereat? Ratio affirmatiua habetur ex cap. Ad Apostolicam 16. de Regul. ibi: *Vterque renuntiare videtur ei, quod pro se noscitur introductum.* Quilibet enim proprio fauori renuntiare potest, ex vulgatis iuribus.

17 Respond. Non posse, quia quamuis aliàs huic anno renunciari posset ex cōmuni consensu partium vt patet ex allegata ratione affirmatiua, ex quo enim illud tempus præscripium non haberet decretum irri-
18 tans subsequentem professionem, ea renuntiatio permittebatur, licet contineret fauorem publicum, ex condicto vtriusque partis, vnde stante habilitate vtriusque partis sequebatur valide professio. Modo autem cum dispositio Tridentini contineat decretum irritans professionem attentatam ante expletum annum probationis, non amplius partes renuntiare possunt huic anno propter inhabilitatem nouitij ad profitendum ante id tempus, & superioris incorporantis professum religioni. Ita *Rodriquez tom. 3. quæst. 13. art. 7. cum suo Compend. resol. 101. num. 41. Sanch. lib. 5. cap. 4. num 18. Miranda tom. 1. quæst. 22. art. 7. Tamb. 3. disput. 6. q. 11. num. 22. quos cum alijs citat Barbosa hic num 35. & part. 3. de Episcopo Allegat.* 101. *num. 32. quibus adde Pelliz. tract. 5. cap. 1. num. 44. Sperellum decis. 16. num. 54. Donatum par. 4. tract. 9. q. 14.* Sequitur ergo ex his, quod facta renuntiatio per vtramque partem, toto etiam conuentu consentiente nulla pœnitus sit, & inde secuta professio nullius sit momenti, vt apertè colligitur ex Concilio, & præcitatis doctoribus.

QVÆRES V. An vnus nouitiatus ita integer esse debeat, vt neque ei vnum quadrans desit vltimo die, quo absoluitur, adeo quod debeat currere de momento ad momentum, vt aiunt, e. g. an ille, qui suscepit habitum initio horæ decimæ-quintæ primi diei Aprilis, debeat expectare vltimum quadrans, immò initium eiusdem horæ decimæquintæ ad profitendum, id enim est tempus currere de momento ad momentum, seu illud accipere mathematice pro spatio dierum 365.

19 Respond. Est communis consensus illud tempus currere de momento ad momentum, & id satis colligitur ex Tridentino, ibi: *Nec qui minori tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit.* Ea verba, *minori tempore*, designant, præscriptum annum debere esse integrū, id autem dicitur integrum, cui nihil de suo deest, si ergo huic anno deest aliqua pars quamuis minima, annus nōn dicitur esse expletus, sed adhuc in minori tempore. Ita *Rodriquez tom. 3. quæst. 13. artic. 4. cum suo compend. resol.* 101. *num. 38. Miranda tom. 1. quæst. 22. art. 3. Sanchez lib. 3. capit. 4. num. 31. & de Matrim. lib. 1. disp. 16. num. 5. Graff. tom. 1. consil. 6. de regul. num. 5. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 59. Suar. tom. 4. de Relig. lib. 5. c. 13. Vecch. disp. 11. dub. 4. Ciarlin. cap. 108. num. 20. Tamb. de iure Abatiss. disput. 4. quæst. 9. & tom. 3. disput. 6. quæst. 7. num. 8. & quæst. 11. num. 12. Barbosa hic cum præcitatis num. 20. & par. 3. de Episcopo allegat. 101. num. 22. Ego resol. 99. num. 7.* quibus addo *Donatum part. 4. tract. 9. quæst. 4. Pellizar. tr. 2. cap. 1. num. 15. Dianam resol. 57. de Regular.* vbi alios plures citat, *& par. 3. tract. 3. resolut.* 18. cum illis *Peyrinus de Prælatis quæst. 3. cap. 1. num. 96. Belasium 11. Annus nouitiatus num. 2. Protell. p. 2. casu 1. n. 11.*

Hunc rigorem temperant *Gratian. c. 413. num. 12. Campan. Rubr. 12. capit. 13. num. 4. Riccius. part. 3. resol. 325.* Vbi defectum sex horarum ait non irritare professionem, alios citat Pasqual. ad Francum part. 1. num 23. Putantes post factam professionem non esse ita rigorosè procedendum, quia sufficit, annum esse productum ad vltimum diem, cum in fauorabilibus dies cæpta habeatur pro perfecta, quod multis exemplis probat Gratianus inquiens non obstare Tridentinum per dictionem. *Per annum* quæ adiecto implemento temporis significat perfectionem. Quia tempus habetur pro completo in fauorabilibus, maximè cum agitur de modico spatio, de quo lex non curat.

Sed reuera standum est multitudini doctorum, qui aiunt, vltimam horam non posse haberi pro completa parum cæptam, sed expectandam esse eius expletionem, vt professio secuta sit valida, ita supradicti omnes cum Donato part. 3. tract. 9. quæst. 3. asserentes modicum quid deficiens integritati anni reddere nullam professionem. Nec quicquam prodest suasio Gratiani, illud enim axioma dies cæpta habetur pro completa in fauorabilibus locum habet, quando aliter ex dispositione legis non colligitur, nam in cap. Subdiaconus 4. dist. 77. dicitur. *Subdiaconus non minor viginti annorum ordinetur.* Glos. ibi explicat. *Ita ut compleuerit annum vigesimum*, non est autem completus si desit hora. Item sess. 25. cap. 7. dicitur. *Eligatur non minor annis quadraginta.* i. Quæ expleuerit annum quadragesimum, de qua re *Barbosa ad dictum cap. 7. num. 8. quicquid dicat Portellus par. 2. casu 13.* Probans sufficere, quod annum 40. incœperit, Sed noster textus eisdem ferme verbis vtitur, ergo intelligendus est de anno expleto, cui nec aliud illius postremæ horæ desit. Rem hanc alio modo firmiori explicaui cap. 7. q. 4.

Sed quid dicendum in dubio vnius horæ, vel semihoræ, seu quadrantis? Respondeo fauore professionis contra reclamantem, quia constat de anno probationis fere toto peracto, & sub dubio ponitur quid modicum, quod non videtur sufficere ad exterminandum valorem professionis, de cuius emissiuné non dubitatur.

QVÆRES VI. An in anno bissextili duo dies pro vno computandi sint? Seu an numerandus sit dies intercalaris, & sic annus debeat esse 366.

Respond. Affirmatiuè e. gr. in anno bissextili qui- 20
dam suscepit probationis habitum die 27. Aprilis, & die 26. eiusdem mensis sequentis anni professionem emisit, iste inualidè profecit, defectu integri anni nouitiatus, nam dies ille intercalaris accrescit, &
complet annum in iure tam canonico, quam ciuili, 21
capit. Quæsitum 14. de verb. signifi. & l. 98. tit. eod. Ita omnes cum Rodriquez 3. qu. 13. art. 4. & 3. Miranda tom. 1. quæst. 22. art. 3. Bonac. de Sacram. disp. 8. q. vn. p. 8. num. 13. de claus. quæst. 5. p. 10. diff. 1. §. 3. num. 4. Tamb. tom. 3. disp. 6. q. 11. num. 13. Vecch. disput. 11. dub. 4. num. 3. cum alijs Barbosa ad hoc cap. 53. sess. 23. num. 21. par. 3. de Episcopo alleg. 101. num. 20. Donatus par. 4. tract. 9. quæst. 6. Pellizar. tr. 2. cap. 1. num. 36. Belasius 11. Annus nouitiatus num. 4. Ego resol. 99. n. 7. Peyr. q. 3. cap. 1. n. 97.

Oppositum, quod sufficiat lapsus dierum 363. tenent *Fornerius cap. 3. de ordine num. 4. Faustus in Thesauro Relig. lib. 5. quæst. 161. Riccius par. 1. resol. 287. 6. Quod interstitia, citati à Barbosa n. 21.* ea ratione, quia annus à iure determinatus intelligitur ex 365. diebus continuis, vbi pro se citat *Silu. Religio 3. q. 19. §. 3. & Henriquez. lib. 1 n. capit. 19. lit. K.* Sed ea ratio valet tantum pro anno communi, non pro bissextili constante ex 366. Qui eo anno computandi sunt pro vno, idest ambo numerandi, ac si esset vnus dies, vt clarè dicitur in allegatis textibus vtriusque Iuris, ideo, tunc annus nouiciatus dicitur expletus, cum transierint dies 366.

Prædicta in hoc quæsito, & præcedenti habent locum non solum in venientibus à seculo ad religionem, sed etiam in transeuntibus ad secunda vota, quia & isti subduntur dispositioni Tridentini, vt dictum fuit. *q. 3. ita Rodriquez, Sanchez, & Ledesma apud Peyrinum de Prælatis q. 3. cap. 1. n. 97.*

QVÆRES VII. An supra annum integrum nouitiatus addendus sit etiam vnus dies ad valorem professionis?

Respond. Negatiuè, quia nullo Iure id cauetur. 22
nam S. Patres, & Tridentinum annum petunt tantum, ergo dies huic addendus non est. *Ita Sanchez lib. 5. c. 4. num. 9. Ego de profess. cap. 4. q. 10. fine Belasius*

laſius Feſulanus 12. *Annus nouitiatus n.* 3. *Portellus* 12. *Nouitius*. 47.

QVÆRES VIII. An quonam puncto temporis incipit iſte annus nouitiatus?

23 Reſpond. Tridentinum incipere à puncto ſuſceptionis habitus: *Nec qui minore tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit.* Ita *Sanchez lib.* 5. *cap.* 4. *num* 29 *Portellus* 11. *Nouitius num* 29 *Tamb tom* 3. *diſp.* 6. *q* 11. *num.* 11. *Miranda tom.* 1. *qu.* 22 *art.* 3. *concl.* 1. *Barboſa par.* 3. *de Epiſcopo alleg.* 101. *n.* 19. & alij omnes, textus enim Concilij ſatis clarus eſt.

QVÆRES IX. An ſufficiat quælibet ſuſceptio habitus, an vero debeat eſſe qualificata certis circunſtantiis?

24 Reſpond. Formalis & legitima habitus ſuſceptio conſiſtit in mutuo conſenſu nouitij habitum recipientis, & ſuperioris illum tradentis nouitio. Res clara eſt, quia nouitiatus habet ſpeciem contractus innominati, traditur enim habitus, & recipitur ad

25 eum finem, vt nouitius experiatur ſtatum regularem, & ſuperior probet eius mores, ergo habitus legitime dicitur ſuſceptus de communi conſenſu vtriuſque partis. Confirmatur, quia nouitius ſine conſenſu ſuperioris habitum induens, non dicitur ſuſcipere habitum, cum ſuſceptio dicat relationem ad eum, qui habitum tradit, ſed ſe intrudere in nouitiatum, de licentia ergo ſuperioris recipiendus eſt, debet enim hæc receptio differre ad ea, quia quis ſe ea deuotione induit habitu ſimili religioſo, ſine alicuius licentia, vt proprio ſatisfaciat voto. Ita docet *Donatus tract* 9. *q.* 1. *&* 8. & nullus contradicit ex citatis præcedenti quæſtione.

Dices, præter illum mutuum conſenſum nouitij, & ſuperioris præmittendæ ſunt informationes præſcriptæ à Sixto V. & præterea nouitiatus inchoandus eſt in conuentu deſignato à ſede Apoſtolica, iuxta dicta in præcedentibus capitibus, ergo hæc duo præter conſenſum neceſſaria ſunt.

26 Reſpond. Receptio habitus præmiſſis informationibus non vitiatur, ſi fuit facta de conſenſu partium, quia illæ informationes requiri poſſunt ante profeſſionem, vt probatum fuit *cap.* 4. *extra q.* 14. *& hic cap* 5. *q.* 6. *&* 7. probaui nouitiatum inchoandum eſſe in conuentu deputato, in caſu quo nouitius in alio conuentu reciperet habitum pro conſolandis parentibus, & ſic probatio ſua inciperet à ſuſceptione habitus extra conuentum deputatum, iuxta dicta loco citato, *& reſol* 99. *n* 10. 33. *&* 34. *& alibi.* Itaque

27 præter mutuum conſenſum requiritur inchoatio probationis in conuentu deputato, vt incipiat currere annus nouitiatus. Et hoc non ex vi Tridentini, quod ſolum poſtulat legitimam ſuſceptionem habitus, ſed ex decretis Clementis VIII. præſcribentibus annum nouitiatus peragendum eſſe in ſolis conuentibus deſignatis.

QVÆRES X. An geſtatio habitus ſit de valore legitimi nouitiatus, adeo quod ſine illius portatione ſit vitiatus, & inualidus? Scio, quod iura antiqua dicunt *ex gloſ. In ſuo cap. fin diſt.* 53. quod in ſuo habitu quiſque probandus eſt.

28 Reſpond. Nouitium eſſe probandum in habitu religioſo illius ordinis, in quo deſiderat profiteri, vt expreſsè dicit hic Tridentinum: *Poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit.* Ratio manifeſta eſt, quia delatio habitus eſt vna ex ſpecialibus auſteritatibus, quam experiri oportet volentem remanere in religione, illum enim continuo deferre debet profeſſus, itaque ſine illo nouitiatus peragi non poteſt, & inualide attentatur. Ita *Rodriquez tom.* 3. *quaſt* 15 *articul.* 9. *&Miranda quaſt.* 12. *art.* 6. *Sanchez lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 29 *Azor. tom.* 1. *lib.* 12. *capit* 1. *quaſt.* 9. *Vecchius diſputat.* 11. *dub* 7. *Tamb.* 3. *diſp.* 6. *quaſt.* 7 *num.* 7. *cum illis Barboſa hic num.* 36. *& par.* 3. *de Epiſcopo allegat.* 101. *num.* 29. *Poyrin de Prælato q* 3. *cap* 1. *num.* 103. *Donatus part.* 4 *tract.* 9. *q.* 14. *Barboſa lib* 1. *de iure Eccleſ. cap.* 42. *lib* 1. *num.* 115. *Ego reſol.* 99 *num.* 15. *Pellizar tract.* 2. *c.* 8. *num.* 9. contra Suar. & Palaum.

Suarez, & Caſtropalaus apud præfatum Pellix. Suſtinent, habitum nouitiorum non eſſe de ſubſtantia nouitiatus, multis rationibus adductis, de quibus cum non viderim, iudicium ferre non poſſum. Vnum 29
dico, quod geſtatio habitus magna eſt auſteritas, vnde *gl. in fine, cap. Presbiteros* 38. 16 *q.* 1. dicit, quod experientia habitus maximè ſpectatur gl. v. Lanea veſte cap. 2. de homic. air, laneum habitum eſſe pœnitentiæ, & ideo in lecto ferendum, *cap. Vidua* 13. 20. *q.* 1. Nouitius ergo probandus eſt in veſte religioſa, *gl.* 1. *cap fin.* 17. *q.* 2. *gl. v. In eadem veſte, cap. ſuper eo, de regul.*

QVÆRES XI. An habitus nouitiorum de neceſſitate debeat eſſe diſtinctus ab habitu profeſſorum?

Reſpond. Negatiue, ſed ſufficit, quod ſit habitus 30
eius ordinis, quem nouitius profeſſurus eſt. Ratio eſt, quia nullo iure præſcribitur diuerſitas, igitur neque nos debemus diſtinguere. Ita *Tambur. tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 8. *num.* 6. *Suarez. tom* 4. *de Relig. lib.* 5. *capit.* 14. *num.* 10. *Vecch. diſp.* 11. *dub.* 7. *n.* 3. *Barboſa hic num* 36. *& alleg.* 101. *n.* 30.

QVÆRES XII. An nouitius ſatisfaciat geſtando habitum etiam auſteriorem, ſed alterius ordinis, quem profeſſurus non eſt?

Reſpond. Debet deferre habitum eius ordinis, cu- 31
ius regulam vult profiteri, aliter nullus eſt nouitiatus. Probatur, quia debet probare auſteritates ſui ordinis, & non alterius, vt colligitur ex cap. Super eo 9. ibi; *Qui religionis habitum ſuſceperunt.* cap. Statuimus 23. de Regul. Nec vllus contradicit, quia irrationabile eſt, & ridiculum, quod ingreſſurus Canonicorum Lateranenſium, & ibi profeſſus geſtet habitum Capucinorum, & vice verſa, quod nouitius Capucinorum probetur in veſte linea.

QVÆRES XIII. Cum in certis ordinibus non habetur ratio habitus, quandonam in illis incipiet currere annus nouitiatus? Difficultas procedit pro nouitijs Societatis Ieſu, & Militantibus, qui peculiarem habitum dicuntur non habere, in quantum in hoc Tridentino non dicuntur ſubiecti.

Reſpond. Nouitijs Societatis Ieſu incipit currere 32
tempus à conuentione facta inter nouitium, & ſuperiorem. Ita *Suarez tom.* 3. *de Relig. lib* 5. *cap.* 13. *num.* 6. *Ex eo Pellizar. cap.* 1. *de Monial. ſect.* 2. *quaſt.* 14. *numer.* 50. Ille enim mutuus conſenſus habet ſe loco ſuſceptionis habitus vti ſignum inchoati nouitiatus; in aliis vero ordinibus vtrumque ſpectatur vt dictum fuit ſupra.

Nouitiis verò Melitenſibus incipit currere tempus 33
probationis ſtatim, ac legitimè conſtat, probationes legitimitatis, & nobilitatis eſſe bonas, & validas, iuxta ſtatut. 17. & primum ordinat. de illorum nouitiatu peragendo in conuentu Melitenſi ſtatut. 18. Vide quæ dixi de vtriſque reſol. 99. nu. 21. & 22.

QVÆRES XIV. Quandonam incipiat nouitiatus in illis ordinibus, in quibus nouitij per aliquot dies recipiuntur intra nouitiatum cum proprio habitu ſæculari, & poſtea tradunt illis habitum religioſum?

Reſpond. Quiſque conſulat ſtatuta ſui ordinis, & 34
ſecundum ea reſpondeat, de iure Tridentini tempus nouitiatus in iſtis incipit currere à ſuſceptione habitus religioſi, vt patet ex dictis Vide Deciſ. 192. vbi docui, licitum eſſe recipere huiuſmodi iuuenes intra locum nouitiatus, cum proprio habitu antequam regularem habitum ſuſcipiant.

QVÆRES XV. An depoſitio habitus vitiet nouitiatum, & profeſſionem? Deponi autem poteſt tribus modis, vel intra clauſtra ad dormiendum, ad temperandum calorem æſtatis, vel aliud expeditius, &

commo-

commodius agendum; vel extra malo fine, ad luxu-
riandum, ad vtendum latuis, aut etiam ex necessitate
seu aliqua recreatione; vel cum intentione deserendi
nouitiatum. De hoc tertio casu infra agendum est,
cum de interruptione nouitiatus. De primis duobus
hic.

35 Respond. Licet gestatio habitus sit de valore no-
uitiatus, & professionis tamen si aliquando dimitta-
tur in illis duobus casibus primis non vitiatur noui-
tiatus, nec proinde professio, siue dimissio sit licita,
siue illicita, quia quamuis necessaria sit susceptio ha-
bitus ex dictis q. 10. non tamen præscribitur ad va-
lorem nouitiatus, & professionis continua eius gesta-
tio, sufficit ergo, quod nouitiatus inchoetur ab eius
susceptione ex supra dictis. Confirmatur, quia sola
dimissione habitus animo redeundi ad sęculũ vitiatur
nouitiatus, vt probatur infra cap. 8. per totum.

QVÆRES XVI. An coniux, qui nondum matri-
monio consumato vult religionem profiteri teneatur
præmittere integrum nouitiatum vnius anni ad præ-
36 scriptum Tridentini? Ratio dubitandi est, quia ex
cap. Ex publico, de conuers. coniug. bimestre datur
coniugi ad profitendum, vnde merito dubitatur, an
hoc caput per Tridentinum fuerit correctum. Ne-
gant nonnulli quos contra se citat *Sanchez lib 2. disp.*
24. *quæst*. 2. ea ratione, quia posteriores leges ad
priores pertinet, nisi contrariæ sint, leg. Sed & po-
steriores, de legibus, lex autem Tridentini non est
contraria præfato capiti, cum Tridentinum disponat
de sponte ingredientibus, & sine alterius præiu-
dicio.

37 Confirmatur, quia lex generaliter loquens non
intelligitur derogare casibus specialibus, quibus pro-
uisum fuit, *Glos. in leg. 3. C. de silent. lib.* 12. quæ &
alia habet *Sanchez vide hic cap. 3. num.* 103. *& infra
cap. 7. num.* 41.

38 Respond. Hunc coniugem debere omnino præ-
mittere nouitiatum integrum vnius anni professioni,
quia & iste casus fuit comprehensus in Tridentino,
quod derogauit præfato capiti, nam Tridentinum
loquitur in rem, non in personam, consequenter an-
nullat omnem professionem directè, & immediatè,
cui non fuit præmissus vnus annus integer nouitia-
tus, à quocumque deinde fiat professio. *Confirmatur*,
39 quia dispositio vniuersalis, & negatiua generaliter
comprehendit omnes sine vlla exceptione etiamsi
sit maior ratio in vna specie, quam in alia, ex alle-
garis à *Barbosa dict*. 229. *Ita Bartol. à Ledesma de Ma-
trimon. dub.* 64. *Palacios in 4 distinct.* 27. *disput.* 2.
Rodriquez in Summa capit. 239. *tom.* 1. *Vega lib.* 2.
casu 100. *quos pro se citat Sanchez lib.* 2. *disp.* 24. *n.* 7.
vbi n. 10. respondet ad opposita, ea axiomata intel-
ligi, quando aliter non constat ex tenore legis po-
40 sterioris; *in* casu autem nostro patet Tridentinum
voluisse reducere omnes professiones, cuiuscumque
deinde sint, ad vnam formam, ne quis scilicet au-
deat profiteri infra annum probationis inductum,
vt nouitius experiatur perfectè, an sibi placeat status
regularis, quod perfectè explorari non potest infra
annum.

QVÆRES XVII. An prouisus de Abbatia, seu
Prioratu, qui tenetur profiteri in eo ordine, cuius
Abbatia, seu Prioratus illi collatus est, debeat præ-
mittere nouitiatum vnius anni?

41 Respond. *Ex cap.* 21. *sess.* 25. sufficere professio-
nem emittendam infra semestre, his verbis: *Quo ad
ea vero monasteria, quæ capita sunt, aut Primates Or-
dinum, siue Abbatia, siue prioratus filia illorum Capi-
tum nuncupantur teneantur illi, qui in præsenti ea in
commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore
prouisum, infra sex menses religionem illorum Ordinum
propriam solemniter profiteri, aut ius cedere, alias com-
menda prædicta ipso iure vacare censeantur*. Excipitur
ergo is casus à permissione nouitiatus, ne idem sibi
aduerserur. Cogebantur ergo aut profiteri, aut ce-
dere, nisi professiones legissent, ne perderent, quod
habebant. Magni laute viuunt ex sudoribus mona-
chorum, qui fame pereunt, & templa fabula fiunt.
De prouisione Abbatum eorum professione, vide De-
cis. 2. in calce huius operis.

QVÆRES XVIII. An infirmus nouitius, cuius
vita desperatur, infra annum probationis possit emit-
tere professionem? Item, an professio sic omissa ha-
beat rationem veræ professionis? II. An requiratur
consensus conuentus, & superioris, vt in alijs pro-
fessionibus? III. An fieri possit in domo parentum,
vbi curatur? IV. An si non moriatur debeat prose-
qui nouitiatum, & denuo profiteri, an sufficiat prior?
V. An ex vi huius professionis succedat monaste-
rium, sicut succederet, si in fine anni probationis
emitteret professionem?

Respond. Ad quæstionem principalem talem no- 42
uitium infirmum infra annum probationis professio-
nem facere posse, constitutum in articulo mortis ex
priuilegio Pii V. incip. *Summi Sacerdotij* 109. Monia-
libus S. Dominici, his verbis: *Eisdem monialibus no-
uitiis nunc, & pro tempore existentibus, & earum sin-
gulis, vt quando, & quoties aliqua ex eis nondum pro-
fessa, de alicuius medici consilio de hoc sæculo transitum
conspicitur, ipsa pro consolatione animæ suæ professionem
prædictam ante tempus requisitum, quatenus tamen ætate
legitima constituta sit ad illam emittendam in manibus
Abbatissæ, seu Priorissæ. vel alterius superioris nouitia-
tum ipsius monasterij, seu domus; ita tamen, quod ipsæ
moniales nouitiæ sic decedentes indulgentiam, & alias
gratias, quas moniales verè professæ decedentes conse-
quuntur, consequi possint, emittere in articulo mortis li-
bere, licite valeant, Apostolica auctoritate tenore præ-
sentium perpetuo concedimus, & indulgemus. Necnon
eisdem monialibus nouitijs ita tunc professis decedentibus
plenariam peccatorum suorum indulgentiam, & remissio-
nem in forma iubilei misericorditer in Domino eisdem au-
ctoritate, & tenore elargimur*. Huiusmodi priuilegium
primò, & directè concessum nouitiatibus Domini- 43
canis intelligitur communicatum nouitiis vtriusque
sexus aliorum ordinum Mendicantium, & non Men-
dicantium. Ita *Peyrin. ad hanc constitu. 9. Pij V. num.
3. Vecchius disp. 13. dub. 11. nu. 2. Ego resol. 54. num.
52. & cap. 4. de Nouitiatu quæst. 49. Pellizar. cap. 9.
de Monialibus num. 18. Tambur. de Abbatissis disp. 4.
quæst. 6. in fine. Donatus par. 4. tract. 9. quæst. 15. nu.*
2. Neque derogatum fuit per Bullam Gregorianam
incip. *In tanta negotiorum mole*. Ita Donatus cit. num.
4. ea ratione, quia priuilegia etiamsi sint contra Tri-
dentinum non sunt reuocata in foro Conscientiæ,
quæ ratio displicet, cum reuocatio sit pro vtroque
foro, quando ea fit. Sed melius Sanchez lib. 5. cap.
4. num. 16. ex eo Tambur. de Abbatiss. disput. 4.
quæst. 6. num. 3. respondet, non esse derogatum,
tum quia lex non se accommodat ad ea, quæ raro ac- 44
cidunt *leg. Non ad ea ff. de leg. Tum quia*, lex gene-
ralis non tollit prouisiones pro casibus specialibus, 45
*Gonzal. ad reg. Cancell. §. 7. præm. num. 73. Pinens
lib. 1. decis. 195. num. 2. Ita Rodriquez tom. 3 quæst.
15. artic. 6. cum suo Compend. resolut. 101. n. 40. Tamb.
de Abbatiss. disp. 4. quæst. 6. num. 3. Sanchez lib. 5.
cap. 4. num. 16. Lezana tom. 1. cap. 25. num. 39. Ego
resolut. 54. num. 51. & num. 84. Barbosa allegat. 101.
num.* 33.

Ad primum dubium dico, talem professionem 46
non esse vere, & adæquate professionem, sed tan-
tum causalem, & similitudinariam, probatur. Tum
quia, non est de se talis, sed in ordine ad consequen-
dam indulgentiam. Tum quia, Papa dicit, quod no-
uitia moriens consequitur omnes gratias spirituales,
quas verè professæ consequuntur, ergo sic profitens
non est vere professa, sed tantum causaliter, & rela-
tiuè ad consequendum Indulgentiam plenariam. Ita

Bria

Beia par. 4. casu fin. Rodriquez tom. 3. quæst. 15. art. 6. cum suo Compend. resolut. 101. *num.* 40. *Miranda tom. 1. quæst.* 22. *artic.* 10. *Portell.* 11. *Nouitia* §. *Quaeris* 1. *& Ego resolut.* 54. *n.* 49. & de professione *cap. 4. quæst.* 50. Quod habent dicere omnes illi, qui negant monasterium sic taliter professi succedere in eius bona, iuxta quod dicam ad quartum quæsitum.

47 Ad secundum dico ad hanc professionem non requiri consensum conuentus, sed sufficere, quod fiat in manibus superioris, vt præscribit Summus Pontifex, ex quo ducitur aliud argumentum, quod huiusmodi professio non est verè, & simpliciter talis. Et ita probaui *Decis.* 130. *& in Decis.* 48. emitti posse etiam extra claustra, si infirmus reperiatur in domo parentum, quia sufficienter ordinatur professio ad eum finem spiritualem, quem intendit Pontifex.

48 Ad tertium patet ex mox dictis, fieri posse in domo parentum, si ibi reperiatur laborans in extremis.

49 Ad quartum, si ex infirmitate conualescat, debet prosequi nouitiatum, & postea profiteri prout faciunt alij primo profitentes, ratio est. *Tum quia*, ea professio fuit tantum pro articulo mortis quo non existente, nec professio existit. *Tum quia*, limitata fuit ad consequendum remissionem peccatorum, ergo vlterius tendere non potest, quia causa limitata limitatum producit effectum, ex vulgatis iuribus. Ita *Beia part. 4. casu fin. Donatus part. 4. tract. 9. quæst.* 16. *Portellus v. Nouitia nova.* 5. §. *Si quaris, Rodriquez in Addit. in Summam part. 4. cap* 61. *num.* 5. *cum suo Compend. resolut.* 101. *num.* 40. *Ego resol.* 54. *num.* 50. *& cap. 4. de profess. quæst.* 50.

Contra *Peyrinum ad Constitut. hanc* 8. *Pij V. num.* 8. cuius argumentis respondi dicta *resolut.* 51. *num.* 50. *Sanchez lib. 5. cap. 4. numer.* 16 *Scrofam solut.* 37. *num.* 8. *Tambur. de Abbatissis disput. 4. quæst. 6. num.* 7. sed non placet, quia ea professio ordinatur ad mortem, non ad conualescentiam, ergo morte non secuta, nulla fuit, ac proinde nouitius debet prosequi nouitiatum, & eo finito professionem emittere.

50 Ad quintum, ea professio nihil prodest ad successionem siue moriatur nouitius, siue non, ratio est. *Tum quia*, ordinatur solum ad bonum animæ ipsius nouitij, ergo in nihilo prodest monasterio. *Tum quia*, ea non subsistit, superuiuente nouitio, qui denuo debet profiteri, & si moritur illi soli prodest ad animam, & non ad corpus ipsius, multo minus monasterij. *Tum quia*, sic profiteri est speciale priuilegium ipsius nouitij, ergo tanquam personale extendi non
potest in fauorem, & in præiudicium eius parentum,
51 Papa enim non concedit priuilegia in præiudicium tertij, nisi de hoc expressam mentionem faciat de præiudicio, *cap. Licet* 12. *de offic. ordin. glos* 11. *Nec esse debuit cap. Ex tuarum* 5. *de auct. & vsu pallij, ibi glos permittat, cap Super eo* 1. *de offic. delegat. vbi glos.* 11. *Intentioni, Sanchez lib. 7. cap.* 32. *num.* 54. Ita *Rodriquez tom. 3. quæst.* 15. *art* 6. *cum suo Compend. resol.* 101. *num* 40. *Miranda tom. 1. quæst.* 32. *art* 10. *Compend. Theatin* 11. *Nouitius*, qui mutauit opinionem in secunda editione *Vecchius disput* 13, *dub.* 11. *num.* 5. *Donatus part. 4. tract. 9. quæst.* 17. *Ricc ius part. 5. resolut.* 493. *Ronitus decis* 40. *Barbosa part. 3. de Episcopo, allegat.* 101. *numer.* 34. *Plures contra se citat Ciarlinus cap.* 193. *num* 22.

Contra *Sanch. lib. 5 cap 4 num.* 56. *Megal. t. 5. lib. 2 cap. 27. num.* 50 *Zanardum in Director. Theologic part. 2. cap. 17. fine, Peyrin. ad eam constitut.* 8. *Pij V. Faustum in Thesauro Relig. lib. 5. quæst* 167. *nu.* 4 *quos pro se citat Diana resolut* 17 *de Regul. & repetit part. 5. tract. 3. resolut.* 139. *Tambur. de Abbatissis disp* 4. *quæst* 6. *num* 8. *Scrofam solut.* 37. *num.* 8. *sequitur Ciarlinus cap.* 193. *num* 23. Et omnes asserentes talem professionem esse veram, & non repetendam ab eo, qui conualuit ab infirmitate, & pro se aliam non adducunt rationem, & ad obiectionem de præiudicio tertij respondent, non præiudicari, quia ius venientium ab intestato est, vt nouitio decedenti ab intestato ipsi succedunt, quando autem virtute priuilegij profitetur nouitius non decedit, sed professus, ac proinde de iure succedit monasterium. Sed reuera patet præiudicium fundari in professione facta præcisè ex vi priuilegij, non enim ageretur de successione, si sine ea professione decessisset, cum ergo decesserit cum ea professione non de iure communi facta, sed præcisè ex vi priuilegij, sequitur quod hoc præiudicium originem ducat ab eo priuilegio, ac proinde non succedere monasterium, quia non constat, Papam voluisse præiudicare consanguineis taliter professi decedentis. Præterea ex dictis, manifestè patet, eam professionem non esse vsquequaque talem, & in ordine ad omnem effectum, cum indultum fuerit illud priuilegium pro consolatione animæ nouitij, & non pro consola-
tione, & vtilitate monasterij. Quare infertur etiam, 52
hunc nouitium recuperata sanitate posse pro suo arbitrio redire ad sæculum, si vita regularis sibi non placet, quia per eam professionem non se obligauit mansurum in religione, sed tantum profiteri pro articulo mortis.

QÆRES XIX. An vt nouitiatus sit legitimus, & validus debeat inchoari de consensu ipsius nouitij, & superioris regularis?

Resondetur. Affirmatiuè, ratio est, *Tum quia*, ha- 53
bet rationem contractus, nam finis nouitiatus est, vt ingressus probet & probetur, ergo de communi consensu est incipiendus. *Tum quia* quod omnes tangit ab omnibus approbari debet; sed nouitiatus tangit nouitium, & conuentum, ergo ab vtrisque approbandus est. *Tum quia*, est actus humanus vtriusque partis, ergo consensu vtriusque perficitur. Ita *Nauar. consil.* 26. *de Regular. numer.* 17. *Rodriquez tom. 3. quæst.* 17 *artic.* 15. vbi ait, tempus nouitiatus non incipere currere ab eo puncto, quo habitus datus est nouitio à non habente potestatem, sed à ratificatione facta per superiorem *Nauarum pro se citat Sanchez lib. 7. disp* 37. *num.* 52. *Donatus part. 4. tract. 9. quæst.* 2. *Ego cap. 4. de Nouitiatu quæst.* 6.

QVÆRES XX An intrusi nouitiatus valeat? In- 54
trusus dicitur, qui à non habente facultatem recipit habitum, argumen. eorum, quæ dixi *Controuer.* 31. *à num* 36. *ad* 43. vbi septem modis quis dicitur intrusus, ad rem nostram sufficit quod dictum fuit.

Respond. Nouitiatus intrusi nullius est momenti, 55
nisi accedat ratificatio legitimi superioris, vt dictum fuit præcedenti quæstione, ratio est *Tum quia*, deficit verus religionis consensus. *Tum quia*, receptio habitus ab intruso est nulla, sicut intrusi acta non tenent, ex cap. Eum qui, de præbend. in 6. Ratificatio autem producit suum effectum vt nunc, non vt tunc à prima receptione habitus, *Rodriquez tom. 3. quæst.* 17. *art.* 12. *Ego cap. 4. quæst.* 20. *& resol.* 54. *num.* 119.

QVÆRES XXI. An nouitiatus dementis seu furiosi sit validus?

Respond. Nouitij annus ceptus probationis cum 56
mente sana, superueniente postea dementia non vitiari, nec interrumpi, etiam si per mensem, & vltra maneat in sua amentia, quia nouitius eo etiam tempore est sub obedientia superioris, & forsan magis patitur, licet ignoret, quam existens sanæ mentis. Rem hanc fusè tractaui *cap. 3. hic à num.* 44. *ad* 53. *& cap. 4. extra de nouitiatu qu.* 39. Quare superior tantum habere potest illud tempus, quo fiat nouitius in amentia *ex Host. Silu. v. Religio* 5. *numer.* 2. *Suar. tom. 3. lib. 5. cap. 4. num.* 3. ait incidentem in amentiam, & in ea perseuerantem notabili tempore, reddi inhabilem ad nouitiatum, ex eo *Vecchius disputat.* 2.
dub.

dub. 7. *num.* 4. Notabile tempus censeo esse bimestre. Certum autem est indutum in amentia esse inhabilem ad nouitiatum, quia non consensit in nouitiatus inceptione, ideo ei nunquam potest currere tempus nouitiatus, nisi à die, quo incipit agnoscere statum suum, ex allatis à Vecchio cit. num. 5.

Bonac. *de Clausura qu.* 2. *part.* 10. §. 1. *Diffic.* 2. *num.* 2. ait, superuenientem dementiam, si est breuis, non interrumpere nouitiatum, quia modicum pro nihilo reputatur. Si vero est longa e. g. vnius mensis ea scilicet, quæ ex morbo non prouenit, impedit cursum nouitiatus pro eo tempore, quo durat, & illud tempus, ait, esse supplendum, quia cum tunc careret vsu rationis experiri non poterat statum regularem, ideo est tantum supplendum illud tempus, non vero à capite inchoandum, quia non fuit interruptus nouitiatus, cum sola expulsione, vel volun-
57 tario egressu nouitij interrumpatur annus probationis. Vide Sanchez lib. 5. c. 4. num. 54. & 55.

QVÆRES XXII. An coactus recipere habitum valide peragat nouitiatum?

58 Respond. Affirmatiue, quia ad experiendum hunc statum sufficit, vt nouitius sciat, se experiri austeritates, & obseruantias regulares, harum enim executio non postulat libertatem, sed solam voluntatem, ratione aduertente, quæ quandoque ægre fert incommoda asperitatum vitæ regularis, & tamen dicitur nouitius probare, & probari, ergo sufficit qualiscumque voluntas, ratione dirigente. *Confirmatur*, quia passiones, & austeritates, quas suffert nouitius, vt nouitiatui satisfaciat, habent aliquid inuoluntarij saltem respectiuè ad sensum, ergo per metum, qui voluntarium non tollit, sed debilitat, in eo, quod coactus non liberè agit, præstari potest experimentum necessarium pro legitimo nouitiatu *Sanchez lib.* 7. *disp.* 37. *num.* 51. *Dixi resol.* 54. *qu.* 54. *num.* 157. *Iterum cap.* 19. *n.* 57.

QVÆRES XXIII. An nouitiatus serui teneat?

59 Respond. Tenet, licet sit ingressus ignorante domino, vel etiam contradicente, quia ad valorem nouitiatus sufficit communis consensus nouitij, & religionis, & non alterius, & licet iure antiquo peteretur triennium ante professionem, iure tamen Tridentini sufficit vnicus integer annus, vt probaui *hic c.* 3. *num.* 126.

QVÆRES XXIV. An nouitiatus ficte ceptus sine intentione illum faciendi valeat?

60 Respond. Valet. *Tum quia*, factum, per quod nouitius cum alijs stat in probatione facienda, quod alij faciunt perimit intentionem, & reuera dicitur peragere nouitiatum, non obstante contraria voluntate, quæ nullius est momenti, *Tum quia*, nouitiatus magis experientia, & opere perficitur, quam intentione. *Tum quia*, factum contrarium protestatio-
61 ni prodest facienti contra protestationem, censetur enim per actus contrarios renuntiasse protestationi, secundum Puteum lib. 1. decis. 293. Rota vol. 1. decis. 563. n. 4. *Tum quia*, & si actus agentium non
62 operantur vltra eorum intentionem, *l. Non omnis ff. si cert. petat. Barbosa axiom.* 12. *num.* 7. & per consequens talis nouitius non videatur peragere nouitiatum, tamen verè peragit, quia illa regula non habet locum, quando ab intentione agentis non pendet impletio actus, vt in casu nostro, in quo probatio nouitij non pendet ab intentione, sed ab ipsa experientia, & permanentia nouitij in exercitijs spiritualibus, in quibus essentia nouitiatus consistit. Et ita docui *cap.* 4. *extra de Nouitiatu quæst.* 16. contra *Suar. citatum à Vecch. disp.* 11. *dub.* 2. Vbi extremis verbis ait: satis probabile, si postea mutet animum non computari in tempore probationis illud tempus, in quo fictum habuit animum.

QVÆRES XXV. An ex omissione informationum præscriptarum à Sixto V. vitietur nouitiatus, quamuis ante professionem petantur?

Respond. Omissio informationum respectu ob- 63
noxiorum, olim vitiabat receptionem habitus, & nouitiatum defectuosorum, non autem carentium illis defectibus; post autem Bullam Clementis VIII. reddentis nouitios huiusmodi habiles ad professionem, nullatenus vitiant nouitiatum, hoc ipso, quod sequitur valida professio, quæ subsistere non potest, nisi valeat præmissus nouitiatus. Rem hanc fusè probaui *hic c.* 4. *quæst.* 14. *à num.* 36.

Scio Barbosam lib. 1. Votorum suorum Voto 15. num. 17. contra Rodriquez sustinere, omissionem informationum ex Sixto V. etiam respectu eorum, qui carent illis defectibus, vitiare nouitiatum, cui non fuerunt præmissæ; totam vim suæ rationis ponit in illis verbis. *Non aliter in aliquam religionem recipi posse, nec debere.* Sunt enim verba prægnantia, & præcisa, quæ includunt decretum irritans, & inducunt formam substantialem, per ea enim negatur receptio ad religionem, primo per illa verba *Non aliter*, secundo per illa: *Non posse*, tertio demum per ea: *Nec debere.* Et clausula decreti irritantis in statuto contenta, siue in principio, siue in medio, siue in fine refertur ad omnia, & certum est eam inducere nullitatem. Et pro se citat Decisionem Rotæ apud Garziam, asserentem, eam informationem inducere formam, qua omissa, qua non seruata actus nullus est. In his consistit tota vis argumentorum, quæ ipse congerit, & concludit constitutiones Sixti V. & Clementis VIII. incip. *Altissime*, continere decretum irritans in ea parte, vbi agitur de inquisitionibus huiusmodi faciendis. Quibus non obstantibus.

Dico in ea parte, in qua præscribuntur Inquisitiones faciendæ super vita, & moribus recipiendorum ad habitum regularem, nullum contineri decretum irritans, incipiendo legere ab illis verbis: *Quare volumus, vt cuiuscumque inuenis*, vbi agitur de Inquisitionibus ad rem nostram, nulla facta mentione de aliquo decreto irritante, sicut ter facta fuerat de decreto irritante respectu illegitimorum bis, & semel respectu criminosorum, & nullatenus in dicto §. signum euidens, quod noluit comprehendere carentes illis defectibus. Nec verum est decretum irritans extendi, cum sit quid odiosum, ac proinde restringendum sub ea ratione, sub qua fuit expressum, decreta enim irritantia sunt stricti iuris *Craneta par.* 4. *de an-* 64
tiq. temp. num. 64. *Rota vol.* 2. *decis.* 131. *num.* 12. Maximè in casu nostro, dum enim ter illud successiuè expressit, & postremo omisit, certum est argumentum noluisse illud extendere ad has informationes. Demum illa trina negatio non refertur ad casum nostrum, sed restringitur ad illos inhabiles, de quibus ibi, nam verba non repetiuntur sub nostro §. Sed super præcedentibus.

QVÆRES XXVI. Dictum fuit sub quæst. 19. & 20. Nouitiatum ceptum sine licentia legitima, & ab intruso, accedente licentiâ, & ratificatione incipere valere à puncto ratificationis, prout ex nunc, non prout ex tunc, hoc est, ab illo tempore, quo intrusus fuit vti nouitius. Num quid oppositum sustineri possit, an scilicet ratificatione retrotrahi possit nouitiatus ad illum primum diem, quo male inchoauit nouitiatum? Ratio dubitandi est, quia ratihabitio
retrotrahitur, & comparatur mandato Reg. 10. in 6. 65
maximè in casu nostro, in quo vtraque extrema habilia sunt, & coniungi possunt, cum nihil impedimenti superuenerit, nam nouitius ab initio poterat legitimè inchoare nouitiatum, & superior illum canonice recipere, quare cum nullum adsit impedimentum obstans huic extremorum coniunctioni, merito superior ratum habens præmissum nouitiatum præsens tempus retrotrahere potest ad illum primum diem, quo intrusus fuit in conuentum, & sic
coniun-

coniungere vnum tempus cum alio, & pro valido habere præteritum tempus nouitiatus, cum reuera nouitius non obstante intrusione tam æque benè probauerit, ac probatus fuerit, quam si legitimè pri-
66 mo fuisset receptus. Adde, quod licet ratificatio non habeat locum prout ex tunc, sed tantum prout ex nunc, quando præiudicetur per ratihabitionem tertio, vt communissima est sententia Doctorum, quos refert *Barbosa super dictam Regulam num.* 8 *&* 9. tamen cum in casu nostro nulli præiudicetur, vt clarum est, valebit ratificatio etiam prout ex tunc, & sic præsens tempus coniongitur cum præterito, ac si ab initio legitimum fecisset ingressum. Et reuera mihi non displicet hæc opinio, quod ratificatio nouitiatus intrusi sit prout ex tunc, & cum effectu retrotractionis, eo quod per id videtur haberi pro bonis, & legitimis austeritates, & obseruantiæ regulares præteritæ, in quibus reuera consistit nouitiatus, & solum illis defuit ea extrinseca denominatio legitimitatis nouitiatus pendentis ab auctoritate superioris admittentis nouitium ad probationem, quæ cum sit actus transiens non ita intenditur à iure, sicuti attenditur regularis obseruantia, quæ in facto consistit, superior ergo videtur posse rationabiliter ratificare huiusmodi obseruantias regulares, quasi eis producendo animam legalem admissionis, ac si ab initio nouitius rite receptus fuisset à superiore.

67 Prædictis obstant duo, vnum est, ab initio nullam fuisse legitimam receptionem ac proinde ratificationem illi non posse coniungi, impossibile enim est aliquid coniungi non enti, & nihilo, quia coniunctio cum sit nexus duorum, postulat vtrumque in esse positiuo existentiæ pro aliqua differentia temporis, vnde dicitur communiter, quod nullum est, non potest ratificari, ex allegatis à *Sanch. lib.* 2. *disp.* 36. *numer.* 3. 5. *Et confirmatur* 2. Intellige, quod non possit ratificari prout ex tunc, nam prout ex nunc nullus dubitat. Alterum est, ratificationem retrotra-
68 here ad diem actus gesti non posse in ijs in quibus ab initio, mandatum seu licentia, & auctoritas pro substantiali forma requiritur, vt docent *Felin in c. cum dilecta, de rescr num.* 6. *Surd. decis.* 159. *num.* 26. *quos pro se citat. Barbosa ad hanc. reg num.* 16. *Ioan. ab Imola in cap. Quoties de pactis numer.* 3. *Grilen. cons.* 10. *numer.* 13. *Bald. in leg. Mancipia Cod de reb. Eccles. alter.*

QVÆRES XXVII. Quænam sint austeritates, quas probare nouitij debent?

69 Respond. Esse omnes illas regulares obseruantias, ad quas tenentur professi, eas enim experiri oportet per ipsos, vt possint ex eorum experientia deliberare, an illis expediat assumere statum religiosum. Eas autem sub nomine austeritatis recensui *hic sub cap.* 1. *quæst.* 37 *num* 234. Et sunt obedientia, castitas, & paupertas principales, ad quas conseruandas sequuntur reliquæ obseruantiæ regulares, vt abstinentia à carnibus, à lacticinijs, ieiunia, macerationes carnis, gestatio cilicij, verberatio sui corporis, nuditas pedum, & corporis à mollibus, vestimenta aspera, dormitio in tabula cum habitu, sine pilco, cum caputio semper in capite, continua gestatio habitus etiam in lecto, peregrinatio pedestris, clausura, continuatio nouitiatus ipsi nouitio, seruitus chori die, ac nocte, administratio sacramentorum, prædicatio, silentium, mortificatio, quæsitum eleemosinæ, & huius generis, per quæ religiosus tendit ad perfectionem. Vide loco citato.

QVÆRES XXVIII. An huiusmodi austeritates omnes sint probandæ, quæ scilicet præscribantur in Regula, & constitutionibus eiusdem ordinis.

70 Respond. Negatiuè, sed sufficit experiri eas, quæ proponontur à superioribus, & magistris iuxta vsum religionis. Ita Rodriqu. tom. 3. qu. 15. art. 10. 5. Tum quia, vbi ait: *Non est necessarium, quod nouitius probet, & experiatur omnes austeritates monasterij in indiuiduo, seu in specie, sed sufficit, quod experiatur austeritatem in genere per totum vnum annum degendo &c.* Eum sequitur *Sanchez lib* 5. *cap.* 4. *num.* 5. *Peyrin de Pralato qu.* 3. *cap.* 1. *numer.* 66. *cum illis Tamb* 3. *disp.* 6. *qu.* 17. *numero* 2. *vbi prædictos cum alijs citat, Ego resol.* 54 *num.* 232. Magis id explicatur in sequenti quæstione.

QVÆRES XXIX. An nouitius Cartusianus, & similiter Minimus, quorum ordines præscribunt perpetuam abstinentiam à carnibus, toto tempore nouitiatus vtentes carnibus propter continuam infirmitatem legitimum peragant nouitiatum?

Respond. Negatiuè, quia licet nouitius non teneatur experiri omnes austeritates, tamen tenetur ad 71
principaliores, quæ quodammodo sint peculiares, & continuæ in monasterio, vt vita quadragesimalis apud Minimos, & abstinentia perpetua à carnibus inter eosdem, & Cartusianos, ista enim abstinentia probanda est experientia, & non solo affectu, vt ex ea nouitius deliberare possit an illi expediat talis status. Ita tenui *cap* 4. *extra quæst.* 40. *&* *resol.* 99. *nu* 42. Quare nouitiatus horum, ac proinde secuta professio nullius est momenti defectu experientiæ necessariæ ad deliberandum statum.

Prædictis obstare videntur *Nauarr. consil.* 31. *nu.* 5. *dicens*, si nouitius suscepto habitu incipit ægrotare, & manens infirmus sex, vel decem menses, valide profitetur; illum sequuntur *Rodriq* 3. *quæst.* 15. *artic.* 10. *&* *in summa part.* 2. *cap.* 8. *concl.* 1. loquens de infirmitate toto nouitiatus anno, *&* *Sanchez lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 52. & in terminis de Minimis *præcedenti num.* 58. *quem citat, & sequitur Vecchius disp.* 12. *artic.* 8. *num* 4 *Pellizar. tract.* 1. *cap.* 3. *num.* 12. *cum Miranda* 1. *quæst.* 12. *art.* 5. *Peyrin de Prælato quæst.* 3. *cap.* 1. *num.* 66. *cum eis Donatus part.* 4. *tract.* 9. *qu.* 9. Probant. *Tum quia*, annum probationis quantum est ex se legitimè explenit. *Tum quia*, nouitius non tenetur omnes religionis asperitates probare in specie, sed satis est, si probet in genere, perseuerando annum sub obedientia Prælati.

Respondetur ad vtramque rationem simul, esto omnes asperitates probandæ non sint, tamen experiendæ sunt principaliores, in quibus maior consistit difficultas, vnde illud quod dicunt supradicti doctores, sufficere illas probare in genere, non placet mihi, in eo sensu, quod sufficit habere bonum animum, & affectum probandi illas, nam nouitiatus non consistit in voluntate, & affectu probandi austeritates religionis assumptæ, sed facto, & effectu opus est, vt docent S. Patres, & exprimitur in cap. Ad Apostolicam 16. de Regul. his verbis: *Tempus probationis à Sanctis Patribus: sit indultum non solum in*
fauorem conuersi, sed etiam monasterij, vt ille asperitates 72
istius, & istud mores illius valeat experiri. Obserua vim, & significationem verborum, dicit enim textus, *Asperitates valeat experiri*, non sufficit ergo affectus, & bona voluntas, nec notitia futuræ vitæ, sed ea
omnino cum effectu probanda est, quia experientia 73
non refertur ad affectum, sed ad effectum, & factum ipsum. Experientia enim ad vsum, & actionem refertur, & in iure experiri idem est ac agere, & non affectare, *gl. Experiri cap. Dispendia* 3. *de rescr. in* 6. & faciunt dicta in sequenti quæstione.

QVÆRES XXX. An nouitij Scholarum Piarum exponendi sint ad officium, & exercitium docendi iuxta institutum sui ordinis, vt dicantur legitimè peragere suum nouitiatum? Affirmaui *resolut.* 64. *quæst.* 64.

Respond. Affirmatiuè, quia hoc exercitium est 74
peculiare illius ordinis, ergo experiendum est ab eius nouitijs, vt sciant deliberare, an sibi placeat talis vita, nec ne. Non sufficit autem aliquibus vicibus docere, sed per plures menses id opus exequendum est

est arbitrio superioris, nam experientia diuturnitate temporis acquiritur, ea enim dicitur
75 à peritia, quæ nisi temporis prolixitate ex multiplicatis actibus acquiritur, nemo enim sine actione experitur, *leg. Quoties ff. de administr. tutor. leg. Si pupilli, §. fin. ff. de negot. gest. alia vide loc. cit.*

QVÆRES XXXI. An nouitij ministeantiom infirmis exercendi sint circa totam infirmorum, vt eorum nouitiatus sit legitimus, & validus?

76 Respond. Affirmatiuè, & satis id videtur probatum ex præcedentibus, cum par sit iudicium cum aliorum ordinum nouitiis, qui potissimum probandi sunt cum exercitio earum austeritatum, quæ sunt propriæ cuiuslibet ordinis.

QVÆRES XXXII. An nouitiatus peractus cum professis extra locum deputatum validus sit?

77 Respond. Affirmatiuè sub cap. 5. q. 9. num. 45. illuc remitto Lectorem.

QVÆRES XXXIII. An dicta in hoc capite, & sequentib. de nouitiis masculis, locum habeant in nouitiis fœminis?

78 Respond. Affirmatiuè, nisi obstet aliqua specialitas, aut conditio sexus, obstat specialitas de anno apto ad probationem, qui in fœmina est annus tertius decimus, vt dixi cap. seq. num. 6. masculis decimus quintus inchoatus. Pariter masculus in conuentu deputato est probandus. Fœmina in quolibet monasterio probari potest. Concurrunt vero circa ætatem sexdecim annorum expletorum pro professione. Eædem causæ quæ interrumpunt nouitiatum in masculis, etiam in fœminis, de quibus hîc, & in sequentibus capitibus. Conditio sexus operatur ne possit exire ad parentes nisi propter vnicam causam infra annum probationis, quæ est grauis infirmitas, quæ forsan commode intra clausuram mederi non potest, talis enim exitus non frangit cœptum nouitiatum, & talem egressum licere docent *Sanchez libro 5. capite 4. numero 28. Pellizar. de monial. capite 2. quæstione 13. numero 49. quos retuli capite 5 hic numero 42. quibus adde Barbosa libro primo de Iure Ecclesiast. capite 22. numero 127. ex Armend. Portellum 11. Nouitia numero 4. citans Marzillam libro 1. capite 16. Compend. resolut.* 101. *numero* 44. defendit suum Auctorem 3. *quæst.* 15. *artic* 10. id non negantem, sed consulentem non esse faciendum, quem citat Sanchez pro contraria parte.

QVÆRES XXXIV. An nouitia non examinata benè peragat nouitiatum?

79 Respond. Affirmatiuè *Tum quia*, sequens professio teneat etiam omisso examine in ordine ad professionem præscripto cap. 17. sess. 25. ergo & nouitiatus, sine quo & valido non potest quis vtiliter profiteri. Quod teneat professio docui *capite 4 extra quæstione.* 28. *cum alijs Lezana parte 1. capite 25. numero 12. Portellus tom. 2. respons casu 64. per totum. Tum quia*, Statutum Tridentini nullum continet decretum irritans, ergo valet sic emissus. *Tum quia*, examen in ordine ad habitum probationis non est in vsu, sed solum in ordine ad professionem, *Miranda quæstione 8 de Monialibus articulo 4. Diana resolutio 47. de Regular. quos pro se citat Lezana dicto capite 25. numero 12 Pellizar capite 2. de Monialibus numero 4. citatus Tamburin. de iure Abbatiss disput. 4. quæstione 2. numero 4. Sanchez libro 5 capite 4. numero 84. à quibus nec Barbosa dissentit parte 3. de Episcopi allegat.* 100. *num.* 4. *& super Concil. sess.* 25. *cap.* 17. *num.* 3.

Professionem vero valere nullo examine præmisso, docent *Rodriquez in Summ capite 8. num. 3. Menoch. libro 4. consil. 396. in fine, Sanchez libro 5. capite 4. numero 84. Barbosa dicta allegat. numero 9. Lezana citat. capite 25. numero 12. §. Quicquid, cum illis Cærlin. capite 194. numero 23.* Vide Pasq. ad Francum part. 1. num. 45. & 46. de hoc examine.

QVÆRES XXXV. An Mendicantes infra annum probationis recipientes nouitios incurrant aliquam pœnam?

Respond. Ante Concilium Tridentinum prohibebatur sub pœna excommunicationis comminatoriæ ne Minores, & Prædicatores quamquam reciperent ad professionem, & si auderent recipere erant suspensi ipso iure à receptione quorumlibet ad professionem, vt expressè decernitur *cap. Non solum, de Regul. in 6.* & extenditur cap. sequen. ad omnes Mendicantes. Ita *Sayr. lib 4. de cons. cap. 13. num. 13. & 14. Vecchius disput. 11. dub. 6 Bonacina de Suspens. disputat .quæst. 8. part. 5.* Post Tridentinum ea pœna dicitur sublata ex eodem *Vecchio citat. num. 7. Sanchez libro 5. capite 4. numero* 10. Vide Rotam *Voln. 3. Nouissimarum diuersorum decis.* 1112. 1113. *&* 1114. in quibus agitur de huiusmodi suspensione ante Tridenticum. Quæ tamen pœna non videtur extendenda ad moniales, cum Alexand. IV. scribat Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus, sub quibus terminis non veniunt moniales in odiosis; quia tamen affici moniales dicitur in illis decisionibus, & apud *Puteum libro 1. decis. 8. & à me extensis sub numero 21. ad 27.* quæ sunt sex. In terminis *Sylu Relig. 3. in fine, quæstione 3.* Vide super dictum *cap Non solum, & cap. Constitutionem, de Regular. in 6. Barbosam Doctores allegantem*, qui includunt etiam moniales. Sed cum nostris temporibus ea pœna non vigeat, immorandum non est. 80

CAPVT VII.

De Ætate Nouitiorum ad probationem, & professionem.

1 *VArro ætatem secauit in quinque gradus.*
2 *Impubes, & pubertati proximus quis dicatur.*
3 *Ætas pro nouitiatu iure antiquo.*
4 *Pœna contra recipientes nouitios infra annum probationis sublata sunt.*
5 *Nouitiatus incipit in masculo ab anno decimoquinto inchoato.*
6 *In fœmina ab initio duodecimi.*
7 *Ætas professionis est initium decimiseptimi.*
8 *Antea facta nulla nullam inducens obligationem.*
9 *Malitia hic non supplet ætatem.*
10 *Forma substantialis non potest suppleri per æquiualens.*
11 *Annus probationis currit de momento ad momentum.*
12 *Tempus certum lege definitum in momento explendum.*
13 *Dies cœptus habetur pro completo si non nocet,*
14 *Tempus non numeratur à conceptione.*
15 *Partus antequam edatur est portio matris.*
16 *A natiuitate, vel baptismo numeratur ætas.*

17 *Liber baptismalis fidem facit.*
18 *Claustrales comprehenduntur sub Decreto Tridentino de ætate ad profitendum.*
19 *Militares Hierosolymitani excipiuntur ab eo Decreto. cui tamen se subiecerunt.*
20 *Cæteri Militares excipiuntur*
21 *Ideo profiteri possunt infra annum probationis, & post quatuordecim annos.*
22 *Tertiarij eodem modo probari, & profiteri possunt.*
23 *Conuertita pariter.*
24 *Infirmus nouitius profiteri potest infra annum probationis.*
25 *Professiones emissæ ante tempus præfixum in certis statutis valent.*
26 *Iura, & Statuta quando volunt annullare professionem apponunt decretum irritans.*
27 *Statuta interpretantur secundum ius commune.*
28 *Interdictum simplex non irritat matrimonium.*
29 *Tridentinum non aduersatur illis statutis.*
30 *Statutum cap. In insulis, vt quis non proficiat ante 18. annum.*
31 *Statutum simile Minimorum.*
32 *Statutum simile Ministrantium Infirmis.*
33 *Statutum simile Tertiariorum Flandrentium.*
34 *Statutum Redemptionis Captiuorum ne proficiant ante vigesimum.*
31 *Statutum ne Laici proficiant ante vigesimum primum.*
36 *Nouitij Societatis non subduntur Tridentino de professione.*
37 *Tridentinum loquitur solum de professione solemni.*
38 *Statutum conforme iuri communi secundum illud est interpretandum.*
39 *Statutum Dominicanum de quindecim mensibus nouitiatus non irritat professionem.*
40 *Facta contra legem debent pro infectis haberi quando prohibitio habet decretum irritans.*
41 *Sponsus expectat quadriennium, vt sponsa habeat legitimum tempus profitendi*
42 *In dubio an completum tempus quod dicendum?*

1 AEiaiem, quod tempus est mensurans vitam hominis, cui nascenti comes perpetua est, dum viuit, Varro in quinque gradus secat; In primo vsque ad annum decinnm quartum pueros vocat, eo quod sint puri, hoc est sine lanugine ad partes viriles. In secundo gradu dicuntur ab eo anno vsque ad trigesimum adolescentes ab adolescentia, & incremento nominati. In tertio ab anno trigesimo vsque ad annum quadragesimum iuuenes à iuuentute, & iuuamine appellantur. In quarto gradu ab anno quadragesimo ad sexagesimum nuncupantur seniores. In quinto gradu ab anno sexagesimo tendunt ad decrepitam ætatem. In primo gradu distinguitur infantia à pueritia, illa à natiuitate dicitur vsque ad septennium ex eo. quod vix scit loqui, & deinceps vocatur puer à puritate lanuginis, qua caret vsque ad decimum quartum. Sed his relictis explicemus terminos in ordine ad iura, & ea, quæ dicenda sunt.

2 Impubes vocatur masculus vsque ad decimum quartum annum inclusiue, post quem incipit vocari pubes, in quo pubertas dicitur durare vsque ad vigesimum quintum annum. Fœmina vero dicitur impubes vsque ad duodecimum inclusiue, post quem incipit vocari pubes, in qua pubertas durat vsque ad annum vigesimum quintum, in quo non differt a masculo in desinentia pubertatis. *Instit. Quibus modis tutela fin. cap 3. de desponsat. impub.* Pubertati proximus dicitur, masculus post decennium cum dimidio, & fœmina post nouennium cum dimidio, *glos. 11. Infantia, §. Pupillus, Instit. de inutilibus stipulat. Megal. 1.2. lib. 2. capit 5. numer. 52. Francus in capit. Si pater de testament. in 6. numer. 17. Graff. part. 1. lib. 2. capit. 26. numer. 2.* His prælusis.

QVÆRES I. Quænam ætas necessaria sit ad annum probationis, & professionis iure antiquo?

Respond. Ætas pro nouitiatu in masculo erat annus decimus quartus, in fœmina annus duodecimus. Professionis vero in masculo erat decimus quintus annus cœptus, in fœmina decimus tertius inchoatus, *Gloss. capit. 1. 20. quæstion. 1.* Ætas supradicta pro nouitiatu vocatur minor ætas annullans professionem attentatam, vt colligitur ex *capit. 1. 20. quæstion 2. & seq. capit. Puella 2. 20. quæstion. 2.* De dicta ætate masculorum *capit. Ad nostram 8. capit. Significatam 11. capit. Cum virum 12.* vbi filia minor duodecim annis non potest validè profiteri, de Regul. eod. tit. in 6. cap. 1. idem clarius determinatur. Et quia Minores, & Predicatores more aliorum Ordinum suos nouitios recipiebant infra annum probationis, quod non expediebat propter rigiditatem regularium obseruantiarum, quam per breue tempus perfectè experiri non poterant, ex quo professi taliter pœnitentia ducti retrocedebant in præiudicium animarum suarum; Papa prouidit huic malo, interdicendo eisdem Fratribus sub pœna excommunicationis ne quamquam nouitium infra annum probationis reciperent, cum nullitate attentatæ professionis, vt videre est *capit. 2. de Regul. in 6.* quam decretalem, vt patet cap. 3. eodem, Bonifacius VIII. extendit ad omnes alios Mendicantes; & suspenduntur à receptione eorum ad professionem. 3

Hîc dubitatur, an hæ pœnæ locum habeant post Tridentinum? Negat *Sanchez lib. 5. capit. 4. numer. 10. Vecchim. disput. 11. dub. 7. num. 7.* Affirmat *Puteus lib. 1. decis. 95. referente Barbos. ad hoc 2. cap. de Regul. in 6.* 4

Ratio autem cur ea ætas, tunc requireretur ad annum probationis est, quia ante eam non poterant pueri plenum experimentum habere de castitate, quæ inter asperitates maxima est. Immo neque in illa ætate annorum quatuordecim in masculo, & duodecim in fœmina, vix aliquid experiri potest de prurito luxurioso, ideo Tridentinum huic remedium adhibuit. Quoniam autem huiusmodi ætas non amplius est consideranda, cum non sit ad propositum experiendi ad plenum stimulos carnis, ideo standum est ad nouum ius Tridentini.

QVÆRES II. Quæ ætas necessaria sit ad probationem, & professionem iure Tridentini.

Respond. Ætas probationis incipit ab initio anni decimi quinti in masculis, in fœminis vero incipit ab anno decimo tertio; professionis vero respectu vtriusque ab anno decimo septimo cœpto. 5

Primum de ætate probationis masculi probatur, quia finis anni probationis in eo consistit, inquit Innocentius III. capite Ad Apostolicam

tiam 16. *Et vt ille*, idest nouitius *asperitates istius*, idest monasterij, *& istud*, idest monasterij, *mores illius valeat experiri*. Impubes autem ante annum decimum quintum, & fœmina ante annum duodecimum non possunt experiri asperitates præsertim carnis, vt docent omnes, & huius testis est ipsa natura; ergo ante prædictum tempus non potest annus probationis inchoari, nisi cœpta pubertate, quæ apparet in partibus virilibus, & pudendis masculi ab anno decimo quinto, & fœminis post duodecimum, ex dictis initio huius capitis. Ita docent omnes cum *Glos. 11. Ætate, clemen. fin. de Regul. Angelus 11. Nouitius numer. 1. cum alijs Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 22. Miranda tom. 1. quæst 22. artic. 3. ante conclusionem, Azorius pars. 1. lib. 12. capit. 2. quæst. quarta. Pellizarius tractat. 2. cap. 1. quæst. 17. num. 24. Riccius part. 4. resolut. 243. Bonacina de Clauf. quæst. 2. part. 10. §. 2. difficult. 2. numer. 2. Ego cap. 4. extra quæst.* 7. Nouitiatus ergo vt valeat incipi debet eo tempore pubertatis, aliter inceptus ante illud tempus non valet, quia tale tempus est de illius substantia, sicut est de substantia pro fœminis, vt dicetur infra. Quare si quis puer recipiatur ante completum annum decimum quartum, tunc non incipit illi currere tempus probationis, sed solum, quando incipit ingredi annum decimum quintum suæ ætatis.

6 Secundum de ætate probationis respectu fœminæ habetur ex Trident. sess. 25. cap. 17. his verbis: *Decernit, vt si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quam explorauerit Episcopus; &c.* Sermo est de susceptione habitus in ordine ad professionem; qui dicitur annus nouitiatus, & habitus probationis. Ita *Rodriq. tom. 3. quæst. 12. artic. 2. Azor. part. 1. lib. 12. cap 18. quæst. 55. & 56. Vecch. disp. 2. dub. 6. numer. 16. referente Barbosa ad hoc cap. 17. sessio. 25. num. 2.*

Difficultas est circa eam prohibitionem: *Ne ante duodecimum annum habitum suscipiat*, an referatur ad receptionem habitus sub quauis causa, quæ potest esse duplex, nimirum causa probationis; vel causa educationis sine ordine ad probationem? Ego puto referri eam prohibitionem ad susceptionem habitus causa probationis, nam nouitiatus illi currere non incipit, nisi expleto anno duodecimo, quamuis habitum receperit ante duodecimum, vel intra ipsum annum duodecimum. Et hoc modo reconcilio *Sanchez lib. 4 cap. 18. numer. 34. Mirandam quæst. 8. de Monialib. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. capite primo, numer. 9. Portellum 11. Nouitiat. Compend. Rodriquez resolut. 101. numer.* 4. asserentes per hoc decretum non prohiberi, puellas minores duodecim annorum recipi, intellige in ordine ad educationem, & custodiam, vtique vero in ordine ad probationem, quia in illa minori ætate non potest æque bene experiri austeritates maxime in materia castitatis, in quo sensu loquuntur doctores priori loco cit.

7 Tertium de ætate nouitiorum vtriusque sexus ad professionem sexdecim annorum expletorum, habetur expresse, & ætate definitum in Tridentinum sess. 25. cap. 15. *In quacumque religione tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum expletum. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regula, vel Religionis vel Ordinis obseruationem, aut*
8 *ad alios quoscumque effectus*. Qui ergo fecerit professionem non expleto suæ ætatis anno decimosexto, nulliter agit; nullam omnino super se inducit obligationem, aut effectum, cum talis professio habeatur ac si nunquam emissa fuisset. Et in hoc omnes conueniunt, textus enim clarus est, & ideo nullus contradicit. Per supradicta verba Concilij tolluntur ea quæ dicuntur *in cap. 2. & 3. de Regul. in 6.* vbi nouitius Mendicans emittendo professionem infra annum probationis, remanebat obligatus in genere. De qua re fusè *egi Controu. 16 quæst 5. num. 15. & cap. 5 extra quæst. 2. Vide Sanchez lib 5. cap. 4. in fine, & Vecchium disput. 14. dub. 1. num. 15. & 16.*

QVÆRES III. An malitia suppleat ætatem in nouitiis vtriusque sexus, tam in ordine ad probationem, quam ad professionem? Idest, an qui non est constitutus in prædicta ætate, ita sit bene dispositus, & habilis, sagax, ac expertus, vt optime intelligat statum regularem, per hoc validè profiteatur, & præmiserit validum nouitiatum? 9

Respond. Negatiuè, quia forma, quæ dat esse 10
rei non potest per aliud æquiualens suppleri, *gl 11. transponentes, in cap. cum dilectu, de rescr. Tiraq. de Retractu ligna §. 1. glos. 21. num. 11. Osasch. Pedemont. decis. 163. num. 4.* Sed prædictum tempus ætatis probationis, & professionis est de forma, & valore, eorum, maxime quando numerandum est de momento ad momentum, *l. 3. §. Minorem ff. de minor. Anton. Gomez l. 72. Tauri num. 15. Sanch lib. 2. disput. 24. num. 26. Lauor. tit. 4. de elect cap. 8. num. 4. ex Auth. Quæ supplicatio C. de precib. imper. offer.* ergo id tempus suppleri non potest per malitiam nouitij. Ita *gl. Minoribus cap. Postulasti 21. de Regular. & 11. Ætate, Clem Eos, de regular.* non obstante, quod in matrimonio carnali prudentia suppleat, & malitia ætatem; *cap. Tuæ, de despons. impub.* lata enim est differentia per opposita, nam per matrimonium quæritur vsus venereorum, per religionis ingressum petitur eorum abstinentia, & cum natura sit prona ad ea, quæ non refugit, ideo nouitius de momento ad momentum tempus expectare debet, & experiri, an status regularis sibi commodus, & vtilis sit futurus. Et in hoc conueniunt omnes, quod malitia, & prudentia non suppleat ætatem in nouitio. Ita cum *dictis Glossis Sanchez lib. 5. cap. 4. numer. 1. cum S. Thoma 2. 2. quæst. 88. artic. 9. & quæst. fin. artic. 5. Rodriq. 3. quæst. 15. articul 3. cum suo Compend. resol. 101. num. 37. Ego cap. 2. extra q. 48. & Controu. 21. q. 1.*

QVÆRES IV. An annus probationis, & ætas professionis debeant esse completi de momento ad momentum, itaut si eis aliquid modicum desit nullus sit nouitiatus, & inualida inde secuta professio?

Respond. Est affirmatiua, & de anno nouitia- 11
tus, quod debeat esse omnino integer dierum 365. & 366. in anno bissextili, de communi docui præcedenti cap. quæst. 5. & 6. Restat probandum de omnimoda expletione anni decimi sexti præmittendi professioni: & probatur, quia
quandocumque à lege definitur certum, & de- 12
terminatum tempus, illud debet computari de momento ad momentum, itaut illi nihil desit, ita expresse l. Denique Diuus 3 §. Minorem, ibi: *Et cum nondum compleuerit, ita erit dicendum, vt à momento in momentum tempus spectetur; proinde & si bissexto natus est, siue priore, siue posteriore die, Celsus scribit nihil referre, nam id biduum pro vno die habetur, & posterior dies calendarum intercalatur ff.* de minoribus 14. ann. vbi gloss. 11. Momentum, ait, quod licet in fauorabilibus sufficit vltimum diem attigisse, tamen in odiosis, & oblationibus debet compleri omnino. Ita fere omnes *cum Galeto 11. Profiteri, Riccius. parte 1. resolut. 559.* si desit vnus dies, *Sellius capite 18. select. numer. 5.* Si desint duæ horæ, refert decisum 21. *Ianuarij* 1617. *Pontius lib. 7. de*

matrimon. cap. 65. initio, *Villalobus* dixit, professionem emissam sex horas ante annum decimum sextum expletum, fuisse nullam; *Rota part. 1. decis. 171. numer. 7. in recent. dixit*, nullam esse professionem ante annum 16. expletum, cum illis *Diana part. 5. de paruit. mater resolut. 18. Sanchez lib. 5. cap. 4. numer. 4* ait vltimum diem esse computandum *Tambur. tom. 3. disputat. 6. quaest. 51. numer. 2.* De momento ad momentum. *Donatus part. 4. tractat. 9. quaestion. 5. numer. 3.* si desit solum vna hora; *Pellizar. tractat. 3. capit. 1. numer. 36. Portellus 11. Nouitius numer. 49. Peyrin. de Pralato quaest. 3 capit. 5. num. 133. Ego controu. 21. q. 2. & 3.* De duobus diebus pro vno computandis asserunt omnes praecitati.

Rodriquez *tom. 3. quaest. 15. artic. 4. Gratian. c. 413. num. 56. ad 13. Campan. in diuers. iuris canon. rub. 7. capit. 6. num 119. & Rubr. 12. cap. 11. num. 1. relatus à Barbosa ad hoc cap. 15. sess. 25. num. 21. & de Episcopo part. 3. alleg. 101. num. 13.* Dicunt, professionem valere, & si facta sit in vltima die cœpta, qua absoluitur annus probationis, quia agitur de materia fauorabili, vti est professio, pro qua dies cœptus habetus
13 pro completo. Sed hæc ratio potius facit pro nobis contra illos, nam annus probationis datus fauore nouitij, vt infra illud experiatur an sibi placeat ille status, nec ne, ac proinde respicit libertatem nouitij, velit ne remanere, an recidere, ergo hæc libertas illi currere debet de momento in momentum, & sic vsque ad complementum vltimi diei, vltra quem potest profiteri, si vult, quare cum fauores sint ampliandi secundum iura, eius libertas in anno probationis intelligitur durare vsque ad expletionem totius vltimi diei, in quo nouitiatus expletur. Et ita responsum patet ad rationem adductam, quæ non debet restringere, sed ampliare illum diem vsque ad eius expletionem, vnde dies cœpta habetur pro completa, quando limitatio diei fauet, & prodest, non vero quando limitatio nocet, vt in casu nostro, in quo huiusmodi limitatio restringit libertatem nouitij, quæ durare debet vsque ad extremum illius vltimi diei, Et ita *docet gl. 11. Momento pracitata leg. ff. de minor. 25. an.* Vt scilicet dies non habetur pro completa quando eius prorogatio respicit fauorem, vt in casu nostro de libertate nouitij in anno probationis. Sic tempus 25. annorum concessum Minoribus debet currere de momento ad momentum, quia temporis omnimoda expletio fauorabilis est Minoribus. In casu ergo præsenti non consideratur professio, sitne valida, an inualida, sed potissimum spectatur materia anni nouitiatus, licet postea ab eo pendeat valor professionis.

QVÆRES V. An ætas probationis, & professionis numeranda sit à puncto conceptionis, seu natiuitatis, an solum à puncto baptismatis?

14 Respond. Ætas non numeratur à conceptione imperfecta ante animationem, neque à perfecta per animationem, *tum quia*, conceptionis initium satis obscurum, & incertum est. *Tum quia*, partus antequam edatur mulieris portio est, vel viscerum, *l. 1. §. Ex hoc ff. de ventre inspiciendo*, ideo cum per se non consideretur, nec faciat numerum in hoc distinctum à
15 matre, non potest mensurari proprio tempore. Ætas vero numeratur vel à natiuitate, vel à baptismo. Ita de primo *Couar. de sponsal. part. 2. cap. 8. §. 2. num. 3. Mandosius de minori atate cap. 1. num. 15. Sanch. lib. 4. cap. 35. num 4. Bonac. de ordine part. 1. num. 6. quos pro se citat Barbosa ad cap. 13. sess. 23. num. 4.* de ætate ad ordines numeranda à natiuitate: Et in terminis professionis, ætatem esse numerandam à natiuitate, docent *Tamb. tom. 3. disput. 6. quaest. 12. num. 2. Lezana part. 1. cap. 2. num. 10. Lucerna 11. Ætas num. 1. quos citans Controu. 21. quaest. 7.* Dicta intelliguntur respectu eorum, qui solent natiuitatem suorum filiorum annotare in libro particulari, vt antiquitus erat in vsu, de quo *Gratian. capit. 555. numer. 15.* Sed quoniam non omnes id seruant, non enim semper in promptu est calamus, liber, & atramentum, ideo nostris temporibus, expeditius, & verius accipitur ex fide baptismatis; collatio enim baptismatis per vnum, vel alterum diem dif- 16 fert à natiuitate. Est enim certi iuris, quod liber baptismalis fidem facit quoad ætatem, quoad mortem, quoad excommunicationem, & similia, 17 *Mandosius Reg. 18. quaest. 21n. num. quarto. Decius consil. 596. ad dubia numer. quarto Federicus consil. 119. cum alijs Gratian. capit. 155. num. decimoquarto Felin. in cap. Audientiam, de prascript. num. duodecimo Capus 19. par. 1. decis. 314. Rota part. 2. in Recent. decis. 647. cum illis idem Gratian. cap. 767. num. 47. Verallus part. 1. decis. 314. Capus 19. lib. 1. cit. decis. 314. initio*, ait, vt liber probet, quod debet esse custodiens penes successorem in plebania, prout requiritur, vt per illum probetur minor ætas, ita ex eo *Gratian. capit. 164. num. 7.* Intellige, quando agitur de aliquo interesse inter partes, & non præcisè in ordine ad ætatem requisitam ad probationem, & professionem, vbicumque sit liber, ex quo extracta fuit fides, modo constet esse librum baptismalem. Super librum Baptizatorum in hac materia plura habea *in Collect. Decisionum de Profess. in calce huius operis decis. 38.*

QVÆRES VI. An decretum Tridentini de sexdecim annis expletis ad profitendum comprehendat nouitios cuiuscumque ordinis regularis tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Canonicorum, & etiam Militarium?

Respond. Mendicantes, Monachi, & Canonici 18 Regulares comprehenduntur sub hoc capite, de quo non est dubitandum. Milites S. Ioannis Ierosolimitani quamuis non sint subiecti, tamen ex eorum statuto non profitentur nisi ad formam huius statuti; cæteri militares videntur seruare ius commune antiquum de anno decimoquarto expleto ad profitendum.

Militaribus Ierosolimitanis habetur decretum 19 in ordinat. 8. de recept. Fratrum, vbi quoad probationem vnius integri in conuentu Melitæ, & ibidem emissiones professionis post expletos sedecim annus Religio nouitios subiicit dispositioni Tridentini, vt ego huc decretum propriis legi oculis. Et ita sentiunt *Vecchius disputat. 51. dubit. 2. numer. 4. Paris. lib. 2. quaestion. 2. num. 510. Riccius part. 4. resol. 573. Tambur. 3. disputat. 6. quaest. 11. numer. 6. Lezana part. 2. capit. 5. num. 17. Barb. ad hoc cap. 15. sess. 25. num. 5. Gratian. capit. 369. numer. 27. idem Barbosa part. 3. de Episcopo Alleg. 101. numer. 8. Ego resolut. 500. numer. 22. & controu. 21. num. 8. Sanchez lib. 7. disputat. 44. num. 8.*

Cæteri Militares non comprehenduntur in de- 20 creto Tridentini, eo quod loquatur rigorosè de religiosis intra claustra viuentibus, & de hoc extat *decisio Seraphini 521. in causa Pensionis Tiraton. die Luna Decembris 1570.* Quæ probat respectu omnium Militarium, vbi nominantur Hierosolimitani, & S. Stephani Militiæ, vnde illi non comprehenduntur, sed tantum subiiciuntur. Alio- rum ergo ordinum Milites non tenentur ad to- 21 tum nouitiatum, sed paulo post sumptionem habitus profiteri possunt, etiam infra sexdecim annos, expletis tamen quatuordecim annis de iure communi, iuxta dicta initio huius capitis. Ita docent *Riccius par. 4. resol. 73. Sanchez lib. 7. disput. 44. num. 8. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. glos. 8. 54. Paris. lib. 6. capit. 2. numer. 117. cum pradictis.*

QVÆ

QVÆRES VII. An Fratres Tertij Ordinis S. Francisci comprehendantur sub hoc capite Tridentini quoad ætatem sexdecim annorum ad profitendum?

22 Respond. Negatiuè, quia Tridentinum loquitur de claustralibus profitentibus tria vota substantialia; isti autem non sic profitentur, sed promittunt tantum seruare mandata Dei non sub rigorosa promissione, sed proposito tantum ea obseruandi. Quare finito anno probationis ad præscriptum eorum Regulæ, immo etiam infra annum illum profiteri possunt. Ita allegata *Decis. apud Seraph.* 121. *n.*7. *Riccius resol.* 127. *num* 6. *Tambur.* 3. *disp.*6. *q.* 11. *n.*10. *quos pro se citat Barbosa ad cap.* 15. *sess.* 25. *num.*4. *&* *de Episcopo par.*3. *Allegat.* 101. *num.*6. *Ego contron.* 21. *num.*9. *&* *resol.*75. *n.*27. Quia eorum professio non est solemnis, vt petit Tridentinum, nec in eorum Regula irritatur professio emissa infra annum probationis. Et hic cap.6.q.2.

QVÆRES VIII. An Conuertitæ subdantur Tridentino quoad expletionem sexdecim annorum ad profitendum?

23 Respond. Sicut non subduntur pro anno probationis, ita neque pro ætate professionis; connexorum enim idem est iudicium, & dispositio. Et ita docent omnes, quos citaui *præced. cap.*6.*q.*2.

QVÆRES IX. An vt infirmus nouitius valeat profiteri pro salute animæ suæ infra annum probationis, debeat excessisse annum suæ ætatis decimum sextum iuxta decretum Tridentini?

24 Respond. Affirmatiuè, & hoc expressè postulat priuilegium Pij V. de quo satis dictum est præced. cap.6.q.18. ideo illuc remitto lectorem.

QVÆRES X. An professio emissa post expletionem sexdecim annorum ad formam Tridentini, sed contra statutum requirens maiorem ætatem, sit nulla. Ratio dubitandi est, quia hæc statuta non videntur sublata per Tridentinum, si extabant ante illud; edita vero post non videntur posse subsistere, & sic non obstant professionibus emissis aduersus illa, si nullius sunt roboris: Si hæc statuta habent decretum irritans nullæ sunt professiones contra illud attentatæ.

25 Resp. Professiones emissæ post sexdecim annos, sed ante tempus præscriptum in statuto peculiari validæ sunt, nisi obstet decretum irritans, supposito quod exprimatur in statuto, cui nihilominus Tridentinum non repugnet, sed cum illo stare potest.

Primum de professionibus emissis ante tempus
præscriptum in statutis validis, probatur, quia quan-
do iura, & statuta volunt annullare professionem
26 contra se factam, addunt sibi decretum irritans, vt
patet *cap* 2. *de Regul. in* 6. & hic in Trident. *cap.*15.
*sess.*25. ergo idem dicendum est de statutis speciali-
bus, quæ non intelliguntur irritare professionem
contra se factam, nisi contineant decretum irritans,
nam statuta regulantur, & interpretantur secun-
27 dum ius commune *l. Si serui C. de noxal. act. capit.*
cum dilectus 8. *de consuetud. Barr. in l. omnes populi*
ff. de iurisd. om. Sed ius commune simpliciter pro-
hibens emissionem professionis, nisi in tali tempo-
te, & non annullans eam aliter factam, non inten-
dit esse nullam, sed valere, cap. Ad apostolicam 16.
de regul. à quo emanauit illud: *Multa prohibentur*
28 *fieri, quæ tamen facta tenent.* Confirmatur, quia sim-
plex interdictum non irritat matrimonium con-
tra se factum, vt multis probat, *Sanchez lib. sep-*
timo de Matrimon. disputat. secunda num. 10. Ergo
neque matrimonium spirituale, quod est profes-
sio, valet enim argumentum ab vno ad aliud.
Vide *extra capit. secundo quæst* 49.

29 Secundum, quod Tridentinum non aduersetur huiusmodi statutis probatur, quia Tridentinum solum prohibet, ne quis ante expletionem sexdecim annorum professionem emittat, nihil vltra disponendo, quod debeant post eam ætatem statim profiteri; & licet sequ. capit. decimosexto dicatur, quod finito tempore nouitiatus superiores nouitios quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, vel è monasterio eiiciant, quasi positiuè præcipiatur, vt finito nouitiatu professio statim emittatur, ac proinde per hoc decretum Concilium videtur derogata statutis requirentibus maiorem ætatem, quam sexdecim annorum. Non obstat inquam huiusmodi statutis Tridentinum, quia Concilium decernens, quod post annum probationis, si nouitius habet sexdecim annos expletos, non sit differenda eius professio, intelligendum est nisi subsit causa legitima differendi, prout dictum fuit *seq. cap q.*15. inter quas sunt huiusmodi statuta differentia omissionem professionis vltra sexdecim annos. Ita *Rodriq. tom.* 3. *quæst.* 17. *art.* 20. *in fin. Tambur. tom.* 3. *disput* 6. *qu.* 2. *num* 7. *Sanchez lib.* 5. *cap* 4. *num.* 6. *Ego controuer.* 21. *num.* 12. vbi addnxi aliam rationem, nempe per generalem constitutionem principis non derogari specialibus consuetudinibus, & statutis, nisi de his facta sit specialis mentio, *cap.* 1. *de de Constitut. in* 6. Tridentinum autem nihil dicit contra specialia statuta, quæ nec illi aduersantur, vt dictum fuit, ergo manent in suo robore. Referenda autem sunt hæc statuta.

Primum, sit in *cap. Quia in insulis* 6. *de Regul.* 30
vbi prohibetur professio Monachis in insulis ante octodecim annos. Professus illis temporibus non erat inualidè professus, quia est simplex prohibitio. Multi docent, illum textum abiisse in dissuetudinem, quos refert *Barbosa ad hoc ipsum cap. Miranda tom.* 2. *quæst.* 24. *artic.* 2. *conclus.* 2. ait virtualiter, & implicitè esse reuocatum per Tridentinum, sed cum abierit in non vsum, non eguit reuocatione, *Peyrin. de Prælat quæst.* 3. *c.*1 *n.*149.

Secundum, sit Ordinis Minimorum cap. 2. Re- 31
gul. ibi: *Et ad minus decimum vltamen annum attingant.* Est simplex prohibitio non irritans professionem contra se factam. Ita aliis citatis multis probat *Peyrin. de Prælat. quæstion.* 3. *capit.* 1. §. 6 *per totum præsertim à numero* 178. *& pro se citat Passarel. sui Ordinis, Mirand.* 1. *quæstion.* 24. *articul.* 2. *Rodriquez* 3. *quæstion.* 17. *articul.* 2. *Portell.* 11. *Professio.* 14. *contra Nauarrum consil* 24. 25 *&* 28. *de Regul. Sorbum, & Castillum, alios citaui controuers.* 21. *num.* 16.

Tertium, sit Clericorum Ministrantium infir- 32
mis, quorum nouitij non sunt recipiendi ad professionem ante decemocto annos, in eorum *Regul. folio* 22. Est simplex prohibitio ex eodem *Peyrin. de Prælat. quæst.*3.*c.*1. *num.*179.

Quartum, sit Mei Ordinis pro Flandrensibus; 33
quibus prohibetur professio ante prædictam ætatem, ex Bulla incip. *Personas vacantes*, Ioan. XXII. Est simplex prohibitio, & ideo tenet professio, vt docui *cap* 2. *extra quæst.*49. *&* *contr.*21. *n.*18.

Quintum, sit Redemptionis Captiuorum, quorum 34
nouitiis prohibetur professio ante vigesimum Quorum tamen professio ante illud tempus emissa tenet, vt refert decisum *Lucerna Regul.* 11. *Professio num.* 16. *Barbosa lib.* 1. *de iur Ecclesiast. capit.* 42. *numer* 141. *& in Decis.* 11. *Professio num.* 10. *Ego controuers.* 21. *num.* 17.

Sextum, contra Laïcos, qui prohibentur profi- 35
teri ante vigesimum primum in Constitutionibus de educat. nouit. Clementis VIII. Hæc prohibitio pariter simplex est, ac proinde professio ante dictum tempus facta tenet, vt docui *controuers.* 21. *num.* 14. *& cap.*1. *extra quæstion.*49. §. *De statuto. Pellizar tract.* 1. *cap.* 1. *numer.* 40. ait illud non fuisse vsu receptum.

QVÆRES II. An Nouitij Societatis Iesu comprehendantur Decreto Tridentini, ac proinde non possint emittere vota biennij nisi expletis sexdecim annis & quidem post annum vnum probationis, non expectato biennio contra idem Concilium, quod in eadem sess. cap.16. præscribit professionem emittendam statim finito probationis anno?

36 Respond. Cum in Decreto Tridentini cap.15. & 16. disponatur in ordine ad professionem proprie acceptam, quæ dicit perpetuitatem ex parte vtriusque ea *cap.* 1. *hic quæst.* 15. cuius generis non sunt
37 vota biennij nullam huius generis solemnitatem admittentia, & licet ea nouitium constituant vere, & proprie religiosum, vt voluit Gregorius XIII. Bulla 89. §. 17. non tamen vocatur professio, de qua in Tridentino, ideo vota biennij sub neutro capite comprehenduntur; adde quod expresè dicitur cap.16. illos non comprehendi sub eo capite, vbi etiam agitur de professione. Quare votis biennij se obligare poterunt ante sexdecim annos, loquendo de iure communi antiquo, si non comprehenduntur sub dictis capitibus, non derogato per Tridentinum respectu Societatis. Ita docui *Controu.* 21. *qu.* 14 *& docet Aldanus relatus à Barbosa ad hoc c.*16. *n.*41. non solum respectu renuntiationis, vt certum est, verum etiam respectu professionis.

Sanchez *lib.*5 *cap.*4. *num.*7. vult nouitios Societatis comprehendi sub eo cap.15. de ætate sexdecim annorum ad profitendum, quia alias solemnis professio valeret emissa ab illis ante sexdecim annos, quod neminem credit dicturum; & quia si vota biennij non comprehenduntur in hoc decreto, neque in decretis iuris communis irritam reddentibus professionem factam ante pubertatem.

Ad primum concedo valere professionem emissam ab istis ante sexdecim annos hoc ipso, quod non afficiuntur hoc statuto. Ad secundum, ex mea sententia non sequitur, posse, ea vota emittere ante pubertatem, idest, ante expletionem anni decimi quarti, patet enim id efficaciter prohiberi ex iuribus adductis initio huius capitis, & ab eodem *Sanchez ibid. num* 2. *Pellizar. tract.*3. *cap.*1. *num.* 17. at Suarez aliquando fuisse huius opinionis, quam nos docuimus, modo ipsi sequuntur Sanchez. Quod si dicas. Sequi nec teneri præmittere annum probationis, & saltem posse profitere infra annum, de iure antiquo, si non subduntur Tridentino, nam ante illud, nouitius poterat renuntiare anno probationis, vt constat ex cap. Ad Apostolicam. Resp. Quod cum ex instituto Societatis nouitij debeant præmittere nouitiatum, hunc esse necessarium ad valorem professionis, non quia comprehendantur sub Tridentino, neque precisè ex vi Tridentini, sed quia statutum religionis interpretandum est secundum ius commu-
38 ne Tridentini, cum eandem contineat materiam. *Menoch. consil.*187. *num.* 29. *Surd decis.* 43. *num.*6. *Vallasc. consil.* 66. *num.*17. *Gonzal. ad regul* 8. *Cancell.* §.7. *proœm n.*119. *Barbos. ad cap.*8. *de consuetud. num.*14.

QVÆRES III. An professio per clericos Dominicanos facta post annum sextum decimum nouitiatu finito, sed infra trimestre non assignato, sit valida? Pro intelligentia adest statutum huius Ordinis, quo recepti in nouitiatu ante decimum quintum annum non possunt proficere initio decimi septimi, vt possunt alij recepti ab anno decimo sexto cœpto, sed debent expectare trimestre illis assignandum ad liberandum. Dubitatur ergo, an valeat professio facta ante expletionem trimestri sine assignati, siue non?

39 Respond. Adhuc tenet professio, quia illud statutum non continet Decretum, irritans, annullans professionem contra se factam. Faciunt, quæ *dixi quæst.* 10. *& habet Pellizar. tract.*3. *cap.* 1. *à num.* 37. *ad* 41.

Dices cum Scrofa tenente oppositum in suis Solut. qu.8. & 9. *Primo*, quia facta contra legem pro infectis habentur, cap. Quod de Regul. iur. in 6. *Secundo*, quia professio emissa infra annum probationis est nulla; annus autem probationis est quindecim mensium in Religione Dominicana. *Tertio*, quia illud trimestre in ordine est in viridi obseruantia confirmatum a Sede Apostolica, ergo non obseruatum inducit nullitatem.

Ad primum respondetur, axioma locum habere, vbi prohibitio est cum decreto irritante, hîc autem est simplex. Vnde ipsemet Scrofa dub. 30. de Inualid. suæ profess. ait num. 7. tenet professionem conuersorum sui ordinis profitentium statim finito probationis anno, qui tamen profiteri non possunt infra decem octo annos suæ ætatis, ergo & clericorum, cum vtrumque statutum eiusdem sit efficaciæ, & virtutis. 40

Ad secundum, nego annum probationis esse quindecim mensium, est enim duodecim tantum, & trimestre, quod illi continuatur non datur ad probandum sed ad deliberandum.

Ad tertium, ex quo constitutio est in viridi obseruantia, non infertur, eam continere decretum irritans. Multa alia congerit more suo, sed quia nihil concludit, ideo omittuntur. Dixi cit. controuers. 21. in fine.

QVÆRES IV. An sponsus, cuius sponsa deliberauit ingressum Religionis maior duodecim annis debeat expectare expletionem sexdecim annorum, post quos potest profiteri sponsa, adeo quod interim non possit ducere aliam sponsam?

Respond. Debet expectare, quia sponsa, siue 41
sponsus sunt subiecti Decreto Tridentini, itaut debeant peragere vnum integrum annum nouitiatus, & expectare sexdecim annos expletos pro professione, iuxta dicta cap.6. hîc numer. 36. Propterea debet sustinere vsque ad illud tempus, & ita docet decisum *Armend. in compil. legum Nauarra lib.* 2. *tit.* 18 *leg.*7. *de Relig. num.* 42. *quem citat Barbosa hîc ad hoc cap.*15. *num* 8 *& part.* 3. *de Episcopo allegat.* 101. *num.*8. *Vide hic cap* 3. *num.*103.

QVÆRES V. An in dubio completi anni pro- 42
bationis, vel professionis resoluendum sit esse completum, & sic fauore professionis?

Respond. Ante factum resoluendum est, nondum esse completum, vnde si dubitatur circa vnum diem, seu horas; ad profitendum expectandum est complementum, ne exponatur professio periculo nullitatis. Post factum vero censendum est tempus fuisse completum, neque enim præsumendum est contra superiores, qui voluerint ante tempus expletum recipere nouitium ad professionem, vnde pro hoc præsumendum est præcessisse omnia requisita, nisi expresè constet de contrario. Rem hanc tetigi *resolut.* 99. *num.*8.

CAPVT VIII.

De Irruptione Nouitiatus.

1 *Continuatio vnius anni in probatione est de valore nouitiatus.*

2 *Nouitiatus interruptus non valet, & vitiat professionem.*

3 *Nouitiatus cessat esse continuus cum formaliter interrumpitur.*

4 *Fuga animo deserendi interrumpit nouitiatum.*

5 *Fugitiuus dicitur qui recedit animo non amplius redeundi.*

6 *Vt fuga frangat nouitiatum duo requiruntur.*

7 *Vt voluntarius recessus frangat nouitiatum tria requiruntur.*

8 *Fugitiuus non dicitur, qui ad fugam pauces passus adiecit.*

9 *Interruptio alia Physica, alia Moralis.*

10 *Physicam ponit Suarez.*

11 *Tempus requisitum ad aliquid est de forma substantiali.*

12 *Absentia quinque dierum non frangit nouitiatum.*

13 *Possessio perditur per momentum.*

14 *Mutatio non præsumitur in breui tempore.*

15 *Mutatio vitæ hominum non est tam facilis.*

16 *Temporis intermissione diuersificantur mores.*

17 *Ad renuntiata quisque redire potest de consensu partis.*

18 *Possessio per momentum perditur per occupationem alterius.*

19 *Nouitius licitè recedit, & licitè recusatur rediens.*

20 *Siue recedat cum licentia, siue sine illa idem iudicium.*

21 *Correlatiua non iudicantur ad imparia.*

22 *Redire ad sæculum cum licentia superioris est actus vrbanitatis.*

23 *Expulsio iniusta non interrumpit nouitiatum.*

24 *Continuatio nouitiatus non rumpitur nisi per actum voluntarium ex parte nouitij.*

25 *Appellatio, seu recursus ad superiores non interrumpit nouitiatum.*

26 *Manens extra de licentia non interrumpit.*

27 *Manens extra censetur esse intra sub obedientia, si recessit cum licentiâ.*

28 *Manere potest minori parte anni tantum.*

29 *Maius trahit ad se minus.*

30 *Clausura est species austeritatis probanda à nouitio.*

31 *Licentia illicita adhuc est licentia.*

32 *Ad quem spectet licentiare nouitium extrà.*

33 *Causa legitima nouitio manendi extra.*

34 *Pernoctare potest cum licentia extrà*

35 *Extra manens quæritando eleemosynam.*

36 *Scholas frequentans extra non interrumpit nouitiatum.*

37 *Nouitius clericatum accipere non potest, si antea erat laicus.*

38 *Mutatio status clericatus in laicatum & è contra non interrumpit.*

39 *Furor, & amentia superueniens non interrumpit.*

40 *Exiens occulte ad malum finem non interrumpit.*

41 *Priuilegium Iulij II. coniungendi nouitiatum interruptum sub lite est*

42 *Continuatio nouitiatus numeratur inter asperitates.*

43 *Nouitiatus iam absolutus rite per nouitium recedentem non vitiatur.*

44 *Non potest diuidi in partes, quod iam expletum est successiue.*

45 *Nouitiatus iam ritè expletus nulla ratione vitiari, & frangi potest.*

46 *Suarez vult nouitium continuare suam probationem vsque ad professionem.*

47 *Tamen verius est inter nouitiatum expletum, & professionem posse intermediare tempus.*

48 *Finito nouitiatus anno professio ex causa prorogari potest.*

1 COmmunis est sententia doctorum ad valorem nouitiatus, & subsequentis professionis, requiri continuationem vnius anni probationis, & hanc suam intentionem omnes fundatam habent in iure. quod petit, vt annus nouitiatus non solum sit integer dierum 365. & 366. peractorum pro anno bissextili, vt visum fuit in præcedenti cap. verum etiam, vt sit continuus, non diuisus, non interruptus, & interpellatus, vt videre est cap. Ex parte, 22. de Regular. ibi: *Vt postquam per annum gestauerint habitum monachalem.* Clem. Eos 2. de Regul. *Nouitiorum habitum in aliqua religione per annum portauerint* Gloss. 11. Per annum scilicet integrum Cap. 2, de Regul. in 6. ibi: *Quod si per totum sequentem annum in monasterio permanserit.* Integritas autem non solum refertur ad numerum dierum, sed etiam ad continuationem eiusdem numeri integrantis ipsum probationis annum. Hæc autem continuatio probatur per illam dictionem, & præpositionem per quæ secundum omnes indicat perfectionem, & continuationem sine interruptione eius, cui additur ex communi Doctorum, quos allegat Barbosa hac dict. 250.

Quod nouitiatus interruptus non valeat, & inde secutam professionem vitiet, docent omnes 2
cum *Barbosa ad cap. 15. sess. 25. num. 24.* vbi citat plusquam viginti Doctores, *Nauarr. consil. 9 de Regul. num. 2. & consil. 32. eodem num. 3. & 4. Miranda tom. 1. quæstion. 22. articul. 4. Sanchez lib. 5. cap. 4. numer. 31. Diana resolut. 19 part 5. Tamburr. 3. disputat. 6. quæst. 7. num. 9. Vecchius disput. 11. dub. 3. Rodriquez 3. quæst. 15. articul 8. cum suo Compend. resolut. 101. num. 42. Portellus 11. Nouitius numer 50. Donatus part. 4. tractat . quæst. 3. Pellizarius tractat. 2. cap. 2. numer. 10. Ciarlin. cap. 108. numer. 15. Ego extra cap. 4. quæst. 11. & resolut. 54. quæst. 5. fusè.*

Supponendum autem est, annum nouitiatus 3
tunc dici continue peractum, quando formaliter non fuit interruptus, quomodo autem dicatur interruptus, ita quod nouitiatus vitietur, iusta patebit per singulas quæstiones. Præsens autem materia de interruptione supponit inchoationem nouitiatus esse legitimam, & subsistere, neque enim interrumpi, & rumpi potest, quod non est, neque subsistit, quia non entis nullæ sunt passiones, nec effectus, ex vulgaris iuribus. His præmissis.

QVÆRES I. An fuga interrumpat nouitiatum?

Respond. Affirmatiuè. Contingere autem potest 4
duobus modis. *Primo* per desertionem status religiosi, insalutato hospite, vt aiunt, ex quo enim deserit religionem intendit non amplius manere in probatione, ac proinde constat, per huiusmodi fugam desertiuam nouitiatum interrumpi. *Secundo*, per euasionem minatum, sæuitiæ, seu alterius periculi, ex quo non statim iudicandum est nouitium interrupisse nouitiatum, quia non fugit, vt statum cœptum desereret, sed vt imminens periculum euitaret, ac proinde retinendo habitum censendus est adhuc in eo statu probationis permanere, consequenter per talem fugam, seu potius occultationem non deseruisse suum statum. Ita *Vecchius disput. 11. dub. 3. num. 11.* ea ratione, quia secundum ab eo allegata, ille dicitur fugere, qui recedit cum 5
prauo animo amplius non redeundi, nouitius ergo suum habitum retinens præsumitur habere animum remanendi in religione, in terminis *Alexander Galuanus consil. 12 num. 8. ad 24.* Vbi fuga ob seueritatem, & habitu retento probatur, & non vitiosa, ex quo sequitur, per eam non rumpi nouitiatum. *Peyrin. de Prælate q. 3 cap 1. n. 100 Tambur tom. 3. disp. 6. q. 7. num. 18. cum illis Barbosa lib 1. de iure eccles. cap. 42. num. 128. Ego resol. 54. num. 195.* Ne autem dicatur interrupisse nouitiatum, requiruntur 6
duo, vnum est, quod in fuga non dimiserit habitum, quia depositio habitus arguit mutationem status; secondo, vt quamprimum redeat per se, vel implorando fauorem coram superiore, si enim nihil horum facit, præsumitur statum hunc deseruisse; demum cum hæc fuga iustificetur à fine licito euadendi sæuitiam Magistri, aut alterius superioris, debet de ea constare, vt dicatur continuasse annum probationis. Modicum autem tempus præsertans ab interruptione infra exprimetur.

QVÆRES II. An voluntario recessu discedens animo deserendi statum religiosum statim interrumpat nouitiatum?

7 Respond. Vt nouitius ex voluntario recessu interrumpat nouitiatum requiruntur tria, *Primo*, depositio habitus. *Secundo*, actualis exitus monasterium. *Tertio*, animus deserendi religionem. Animus autem aut est declaratus per ipsum nouitium, qui protestatur, sibi non placere vitam religiosam, quam suam voluntatem tunc exequitur, cum deponit habitum religiosum, & resumit secularem, & de facto vadit extra monasterium. Aut talis præsumitur abiectione habitûs, & egressu è conuentu, licet non se declarauerit, nec fugam arripuerit ad declinandam seueritiam superioris, seu magistri. Hæc ergo tria sunt necessaria ad interruptionem probationis, nec vnum sufficit sine aliis, nam aliquando deponit habitum, & tamen non interrumpit nouitiatum, vt apparet cap. 6. quæst. 15. Nec solus animus, & protestatio nolendi prosequi nouitiatum sufficit, sed requiritur huius animi perfecta executio, nimirum recessus à monasterio, exeundo perfectè, non enim sufficit exire per sex aut decem passus, quia qui sic exiuit, imperfectè dicitur exis-
8 se, sicut ille non dicitur fugisse, qui ad fugam paucos passus adiecit, quia in fuga existens videtur adhuc esse in loco, a quo recessit, l. Huiusmodi 86. § Legatum ff. de legat. & fideicom. & ideo fugitiuum, & erronem non secundum propositionem solam, sed cum aliquo actu intelligi constat, *l. Fugitiuus 225. ff. de verb. signifi.* De qua re fusè egit *resolut. 14. à num. 191. Ita Vecchius dissert. 11. dub. 3. num 6. Tambur. 3. disputat. 6 quæst. 7. num. 10. & quæst. 1. num. 7. Pyrrin. de Prælato quæst. 3. cap. 1. num. 100. cum illis Barbosa lib. 1. de Iure eccl. cap. 42. numer. 122.* In his omnes conueniunt, sed discrepant in hac interruptione an debeat spectari physice, an moraliter, nam si spectetur physice videtur ni-
9 mis rigorosum, quod in ictu oculi, vt ita loquar, nouitius amittat quicquid probationis aquisiuit per plures menses, quod si moraliter sumatur interruptio, res temperatur contra rigorem, ne nouitius tam grauiter onerosus maneat. Tres super hac re sunt sententiæ.

10 Prima est Suarez, qui libr. 5. cap. 15. num. 6. tom. 3. de Relig. his verbis: *Vnde quod Nauarrus ait, annum interrumpi per exitum trium, vel quatuor dierum è monasterio sine licentia superioris, si intelligatur de exitu totali idest animo non redeundi, & dimisso habitu, non solum verum est, sed etiam sine limitatione temporis fuisse asserendum, quia actus ipse per se sufficit, & moraliter interrumpit perseuerantiam, & constantiam, propter quam continuitas in probatione postulatur. Si vero sermo sit de exitu animo redeundi, præsertim cum habitu, non credo interrumpi nouitiatum. & etiamsi per aliquot dies, nisi re cognita, à Prælato dimittatur, per ea quæ superius adduxi.* Posito igitur exitu cum dimissione habitûs, & animo deserendi religionem statim interrumpitur nouitiatus secundum Suar. qui respicit ad physicam interruptionem, quæ in illis tribus consistit. Eum videntur sequi *Sanchez. lib. 5. cap. 4. num. 32. qui num. 33.* cum Rosella, & Silu. subdit, interrumpi etiamsi fugisset, habitu retento, & regula obseruata, quia interrupit iugum obedientiæ manens extra conuentum. Limitat tamen si vera est fuga, qualis non est, si fugit ex metu iuxta superius dicta. *Lapus alleg. 46.* ait interrumpi spatio quatuor horarum, *Pyrrin. de Prælato qu. 3. capu. 1. num. 100.* ait interrumpi spatio trium horarum.
11 Ratio prædictorum est, quia tempus requisitum ad aliquem actum est de forma. Auth. Quæ supplicatio C. de præcibus imper. offer. cuius omissione vitiatur actus. Quare cum per interruptionem tollatur continuatio, & perseuerantia in probatione corruit totus nouitiatus præmissus. *Ventrilia Annotat. 47. §. Vii. num. 7. Ciarl. 108. num. 22.*

Secunda opinio est aliorum requirentium ad interruptionem aliquod interuallum temporis inter egressum, & regressum, vnde Nauar. consil. 32. de regul. num. 3. ait, nouitiatum interrumpi spatio trium, aut quatuor dierum per existentem extra sine licentia Superioris. *Bonac. de clausura quæst. 2. part. 10. §. 2. Difficul. 2. n. 3. §. Et hoc verum est.* Vult interrumpi vltra tertium diem. Naldus nouitius num. 4. ait, interrumpi spatio trium dierum.

Tertiam ego pono opinionem propriam, nouitium absentem etiam per quinque dies non infringere nouitiatum, sed reuersum posse illum continuare, vt docui *cap. 4. de Nouitiatu qu. 13. §. Tertio, & resolut. 54. num. 202.* Vbi rem hanc multis probaui. *Tum quia*, sumus in moralibus, quæ moraliter tractanda sunt, non matematice. Tum quia continuato tempore dicitur aliquid fieri, quamuis agens per aliquot dies quiescat, & desistat ab incepto, *glos. 5. continuatis, cap. Quamuis, de off. ordin. in 6. Tum quia*, qui aliquantisper abest non videtur abesse, *Trident. sess. 23. cap. 1.* & sicut absens Parochus, & Episcopus vltra bimestre, censetur non abesse ad eum effectum de quo ibi; ita multo minus dicitur abesse nouitius absens per tam breue tempus quindui. *Tum quia*, nimis durum videtur, nouitium, qui per plures menses mansit sub rigorosa disciplina, debere nouitiatum repetere, cum id speciem pœnæ habeat, cui non respondet aliqua culpa, poterat enim nouitius sine peccato mutare propositum, & postea re melius perpensa redire, errore cognito. 12

Rota in causa *Burgensi nullitatis professionis apud Dianam par. 9. decis. 22. §. Ex recentioribus*, quam extendo in calce huius operis, sub num. 43. reijcit hanc meam opinionem ex eo, quod nullum habeo pro me auctorem. Si auctorem non habeo expressum de hoc spatio, habeo tamen supra allatas rationes, sine quibus nec licet doctoribus aliquid asserere; & præter ea pro me possum citare Lessium, qui libr. 2. cap. 41. num. 59. §. secundo, ait: *Crediderim sane paucorum dierum interpellationem non impedire.* Et Lezana par. 1. cap. 2. num. 11. ait: *Nouitiatus non continuatus per annum integrum non est sufficiens ad professionem, si sit interpellatus per notabile tempus.* Si quæras ab his, an quindenum sit paucum interuallum, & non notabile tempus? Responderent si viuerent, cum *l. Et si post tres aut quinque dies*, & cap. 8. ff. si quis caut. non esse notabile tempus, sed breue, cum *Megal. part. 1. libr. 6. capit. 5. numer. 8.*

Obijcies contra secundam, & tertiam opinionem in fauorem primæ. *Primo*, quia nouitius recedendo amisit primum statum. *Secundo*, quia sicut posterior receptio distincta est à priore, ita & nouitiatus incipit esse distinctus à priore. *Tertio*, quia exitus animo non amplius redeundi disrumpit perseuerantiam, & constantiam petitam in continuatione nouitiatus. *Quarto*, quia temporis continuatio est de forma nouitiatus vt supra cum Sanchez dictum fuit, ergo eius omissione perit nouitiatus. *Quinto*, quia nouitius recedendo cum animo non amplius redeundi, & dimittendo habitum non est vlterius sub obedientia superioris, neque probat austeritates religiosas, ergo desinit simpliciter esse religiosus. *Sexto*, quia sic recedendo renuntiauit nouitiatui, ergo non
potest amplius redire ad ipsum, quia non datur re- 13
gressus ad renuntiata, ex vulgatis iuribus. *Septimo*, quia possessio per momentum perditur, vt de capto ab hostibus, *l. cum heredes §. 1 ff. de acquir. possess.* Licet per momentum captus esset, & deinde se liberaret, *Castr. in l. si is, qui pro emptore 15. ff. de vsucap. Menoch. de recuper. remed. 14. num. 84.* possessionem autem semel amissam non posse coniungi,

nec

nec continuari cum alia de nouo aquisita, docet *ex Barb. Antonius Bardus de tempore vtili, & continuo, c. 3. n. 13.* ergo nouitius statim, ac discedit nouitiatum perdit. *Octauo*, quia magis consideranda est actionis grauitas, per quam frangitur nouitiatus, quam temporis diuturnitas, ergo posito hoc recessu, siue statim, siue non reuertatur, cessat ipse nouitiatus, eo quod præcisè dependet à continuatione, & perseuerantia, quæ amplius non subsistit.

Primæ respondeo, deseruisse statum nouitij materialiter, & physicè non verò formaliter, & moraliter; per illud enim breue tempus mores religiosos non perdidit, nec seculares acquisiuit; vnde cum
14 illos conseruauerit, dicitur perseuerasse in probatione, mutatio enim non præsumitur in breuitate temporis, *Bart. in l. si ventri §. fin. ff. de priuileg. credit. Gratian. decis. 19. n. 31.* mutatio enim vitæ hominum
15 non est facilis, *Nauarr. consil. 3. de elect. num. 2. &*
16 *consil. 17 de voto n. 10.* Nec obstat, quod intermissione temporis diuersificantur mores, & opera hominum *l. si non sortem §. Libertas ff. de condit. in deb* Quia intelligitur de diuturna intermissione, non de modica, & breui.

17 Secunda supponit esse necessariam nouam receptionem, quod falsum est cum prior ab initio nouitiatus dicatur perseuerare in eo, quod formaliter reuocata non fuit à conuentu. Immo data noua receptione ea solùm physicè non moraliter differt à priore, cuius est ratificatio, consequenter sicuti vtraque in vnam transit, ita est vnus nouitiatus ex illis partibus continuatus.

Tertiæ respondetur, & si interrupta fuit ea perseuerantia verbaliter, & physicè, non tamen moraliter, cùm iidem mores per illud breue tempus permaneant in nouitio, cui continuantur subsequentes per resumptionem habitus, neque enim nouitius iugiter, & continuò debet probari, & probare, cùm enim dormit, vel freneticus est, aut infirmus, tunc nihil experitur de obseruantiis regularibus; & tamen dicitur continuare suum nouitiatum, ergo & in hoc casu, licet non probet, nec probetur pro eo breui tempore, quo manet extra. Adde, quod rumpitur exercitium, à quo cessat, nihilominus continuat suum nouitiatum: dum solicitus est de regressu.

Quartæ, dico quod cum ex dictis nouitiatus non dicatur moraliter interruptus manet sub sua formali, & morali continuatione, licet physicè cessauerit quoad exercitium, sufficit ergo quod remanserit sub continuatione morali tanquam cum sua forma dante illi perseuerantiam in esse.

Quintæ, licet actu non sit sub obedientia superioris, est tamen habitu, immo & virtualiter, dum in eo radicatæ manent obseruantiæ regulares, quæ non præsumuntur euanuisse ab eo per illud breue tempus. Quod vero tunc non experiatur austeritates non infringit nouitiatum, cum reuera nouitiatus continuetur, licet aliquando intermittantur obseruantiæ, vt dictum fuit.

Sextæ, ad renuntiata quisque redire potest, quando pars non resistit excludendo renuntiatorem, sed hic conuentus non resistit, sed iterum illum admittit, ergo præteritum nouitiatum continuat cum sequenti. Deinde datur regressus in renuntiatione erronea, *Surd. lib. 1. consil. 150. num. 43. & 46. ex eo Grat. cap. 342. n. 7.*

18 Septimæ, tunc possessio per momentum perditur, quando per alium statim res capitur, duo enim in solidum eiusdem rei possessores esse non possunt, sed si vnus perdit possessionem; alter eam acquirit, cap. Licet 9. de probat. Sed nouitiatus, in cuius possessione, seu quasi possessione erat nouitius ab eo perditus fuit solum phisicè, non moraliter, quia in eo perseuerauit, eo quod nullus poterat occupare talem statum. Vel dic perdi physicè, non moraliter.

Octauæ respondeo, grauitas actionis, vel spectatur in ordine ad malitiam, & hîc nulla est, quia nouitius licitè, & sine peccato recedere potest, cum non obligetur tali statui. Vel spectatur ratione sui, quatenus recessit cum animo non amplius redeundi, dimisso habitu, neque ex hoc præcisè nouitiatus dicitur interruptus, quia aliter dum se spoliat in conuentu diceretur tunc interrumpere nouitiatum; & tamen omnes tenent desiderari vlteriorem exitum, quod indicat interuallum temporis, ab hoc ergo sumendum est iudicium interruptionis. Deinde subita reuersio eius, qui recessit per tres, aut quatuor passus, excusat ab interruptione, & tamen talem recessum vocant grauem actionem, ergo non grauitas actionis, sed temporis diuturnitas spectanda est ad inferendum fractionem nouitiatus. Demum sicut ratio nouitiatus accipitur à tempore, ita & ab eo regulanda est eius continuatio, & discontinuatio, & non tantum à qualitate actionis, quæ sicut non facit diuturnitatem temporis, ita neque potest esse causa per se discontinuationis nouitiatus.

Colligitur ex dictis *primo*, nouitium latitantem intra Monasterium, deposito etiam habitu, immo qui sæpius protestatus fuit, se velle deserere religionem, sed de facto nunquam exiuit perfectè, & consummatè monasterium, nullatenus fregisse nouitiatum cæptum, & in hoc omnes consentiunt, dum præter dicta petunt actualem exitum, & perfectum extra claustra; perfectum autem exitum dixi esse, manere extra per quinduum.

Secundò, esse in arbitrio Superioris cum conuentu 19
iterum recipere nouitium, qui recessit à religione, vel excludere à petitione, nulla enim ratio suadet, superiorem teneri illum recipere, sicut enim liberè recessit, ita & liberè pœnitentia ductus iterum admitti potest, vel excludi. *Tertiò*, consulo melius esse huiusmodi inconstantes non amplius admittere, quia plus incommodi allaturi sunt religioni, quam futuri sint vtilitatis, vt experientia compertum est.

QVÆRES III. An accedente consensu superioris nouitius voluntariè habitu dimisso interrumpat nouitiatum, sicut & quando recedit insalutato hospite?

Respond. Eodem modo moraliandum est, siue 20
discedat cum licentia, siue sine licentia, quia interruptio causatur ab illis tribus, animo deserendi religionem, depositione habitus, & exitu perfecto extra claustra, scilicet per illos quinque dies. *Confirmatur*, quia ille communis consensus exeundi nouitij, & superioris correlatiuus est, ergo quod dictum est de nouitij consensu, de superioris licentia dicendum 21
est, ex quo relatiua non iudicantur ad imparia, *l. Iulia §. Si procurator. ff. de act. emp. Bertaz. in repet. l Si quis maior C. de transact. num. 801.* in eorum idem est iudicium, eadem disciplina, & dispositio in vno procedit in alio, iuribus, & doctoribus allegatis à *Barbosa axiom. 61.* Petere autem licentiam redeundi ad seculum est actus vrbanitatis, & ciuilitatis, quem quilibet nouitius, cui non placet vita regularis exhi- 22
bere debet superiori.

QVÆRES IV. An expulsione nouitij interrumpatur nouitiatus.

Respond. Si expulsio est iniusta, nullatenus in- 23
terrumpitur, si intra quinduum nouitius reclamat ad restitutionem in pristinum; si vero iusta est expulsio, si intra quinduum expulsus roget, & admittatur, non fuit ruptus nouitiatus.

Primum de iniusta expulsione probatur. *Tum quia* 24
non rumpitur continuatio nouitiatus, nisi per actum voluntarium ipsius nouitij, qui in hoc casu contra suam voluntatem cogitur recedere. *Tum quia* ex actu illicito superior non debet reportare commodum, & nouitius pati incommodum, & iacturam, qui intendit remanere in religione, sine hac incommodi-

tate

rate renouitiandi. *Tum quia*, si nouitius sponte discedens nouitiatum non interrumpit intra spatium quinduí, multo minus ille, qui expulsus inique semper habuit animum remanendi, prout demonstrauit appellando, & recurrendo ad superiores, & amicos pro restitutione. Quod si expulsus recessit, & tacuit, & post illud spatium procurauit recipi, censetur interruptus nouitiatus, quia in hoc comparantur illi, qui voluntariè exiuit, hoc ipso, quod ab initio non reclamauit. Ita *Vecchius disputation.* 1 5. *numer.* 9. *dub.* 3.

Secundum de iuste expulso non interrumpente nouitiatũ infra spatium quinque dierum rogante pro restitutione probatur fere eisdem rationibus. *Tum quia*, animum suum manendi in religione non mutauit, hoc ipso, quod rogauit, vt retineretur, vel iterum reciperetur, *Tum quia*, tam breui tempore præsumi non potest mutasse mores suos. *Tum quia*, interruptio, vt patet ex supradictis specificatur ab interuallo recessu vltra quinque dies. Diuerso modo locutus sum resolu. 54. num. 204. & 205. nunc sentio vt hîc dixi.

QVÆRES V. An nouitius recurrendo ad superiores ordinis interrumpant nouitiatum?

25 Respond. Non interrumpere, quia per hunc actum non recedit animo deserendi religionem, nec habitum deponit, sed præcisè intendit adire superiorem ad repellendum grauamen sibi illatum, vel quod timet sibi inferendum, ergo non interrumpit nouitiatum, adhuc enim est sub obedientia Superioris. Ita *Galuanus consil.* 12. *per totum*, *Vecchius disput.* 11. *dub.* 3. *num.* 9. Debet autem constare de recursu, seu formali appellatione, quod nouitius petat licentiam adeundi superiorem vtriusque vel quod constet de grauamine, seu quod aliquibus Religiosis narrauerit, se velle recurrere ad maiorem Superiorem, qui sibi iustitiam ministret, aliter recursus non iudicatur, sed potius fuga, quando insalutato hospite recedit.

QVÆRES VI. An de licentia Superioris manens extra Monasterium ex aliqua causa frangat inchoatum nouitiatum?

26 Respond. Nouitiatus non interrumpitur, quando nouitius extra Monasterium moratur per paucos menses, de licentia sui Superioris, etiam aliàs illicita, & hanc licentiam dare potest superior localis.

Prima pars probatur de continuatione, quia licet maneat extra, adhuc perseuerat in aliquibus obseruantiis regularibus, & dicitur esse sub obedientia Superioris, cuius virtute extra manet cum intentione perseuerandi sub illa vita regulari, nihil ergo ei deest ad prosequendum nouitiatum. Nec obstat, quod non est sub oculis professorum ex quo non possunt tunc cognoscere eius mores. Quia sufficit, quod illum experiantur per maiorem anni partem.

27 *Confirmatur*, quia morans extra conuentum de licentia Superioris, censetur manere intra Monasterium, etiam ad hunc effectum, Ita *Rodriq tom.* 3. *q* 15. *art.* 10. *& in Summa part.* 2. *c.* 8 *n* 4 *cum suo Compend. resol.* 101. *n* 44. *Nauarr. consil.* 31. *de Reg. n.* 3. *Miranda tom* 5. *q.* 22. *art.* 5 *Vecchius disp.* 11. *dub.* 3. *n.* 50. & ferè omnes, quos citat *Barbosa ad c.* 25. *sess.* 15. *num* 28. *p.* 3. *de Episcopo. allegat.* 101. *num* 28. *& lib.* 1. *de Iure Eccles. c.* 42. *num.* 125. *Diana p* 4. *resolut.* 84. *de Regul. Ego cap.* 4. *extra quæst.* 14. *& resol.* 54. *q.* 32 *num* 117. *& supra hic cap.* 5. *n.* 30. *Riccius p.* 4. *resolut* 246. *Castropalaus p.* 3. *disp.* 1. *de essentia status relig p.* 52. §. *Cæterum.*

28 Secunda pars de paucis mensibus probatur, quia dum est extra non cessat ab austeritatibus, & obseruantiis regularibus, maxime in domo parentum, & cum maiori parte anni maneat intra claustra simul probat, & probatur, ideo nihil videtur desiderari ad

29 perfectionẽ nouitiatus. *Confirmatur*, quia sicut maius trahit ad se minus. *c. Vnde conser in* 6. & sacrum trahit ad se non sacrum, *c.* 3. *eod. ibi gloss. fin & in casu c.* 2. *de off. deleg.* ita nouitiatus ex maiori parte factus in claustro trahit ad se minus extra actum. Ita Nauarr. consil. 32. de Regular. n. 4. ibi: *Ad aliquot dies, hebdomadas, menses*, non determinat numerum mensium. Donatus part. 4. tract. 9. q. 12. num. 2. *Qui per maiorem partem anni steterit infra septa.* Tambur. tom. 3. disput. 6. q. 7. numer. 56. *Ad breue scilicet tempus aliquorum dierum, non mensium.* Peyrinus de Prælato qu. 5. cap. 1. num. 101. *Per tres menses*, postea restringit *ad breue tempus aliquot dierum, non mensium*, quem pro se citauit Tambur. supra. Parisius lib. 5. de Resignat. quæst. 53. num. 12. *Et potest*, inquit, *compleri cum licentia extra Monasterium.* Cum eo Venitilia annotat. 46. num. 8. Lezana consil. 9. num. 25. *Generaliter quoque non interrumpi nouitiatum etiamsi nouitius per multum tempus sit extra Monasterium, de licentia tamen Superioris.* Rodriquez tom. 3. quæst. 55. artic. 10. §. Tum quia ibi: *Per aliquas hebdomadas, vel menses.* Quod in summa part. 2. cap. 8. num. 4. declarat: *Extra Monasterium per mensem, aut duos.* Ex eo *Compend. resolut.* 501. *num.* 44. §. *Circa. Sanchez lib.* 5. *c.* 4. *n.* 28. tempus non limitat, sed ait totum extra peragi posse, ex ea communi ratione, quia extra manens de licentia Superioris, censetur esse in Monasterio, & citat pro se *Nauarr. consil.* 32. *de Regul.* Et facit *Bonacina de Clausura quæst.* 2. *part.* 10. §. 2. *difficult.* 2. *num.* 6. *cum eo Azorius tom.* 5. *lib* 12. *cap.* 2. *quæst.* 8. simpliciter loquendo cum *Bonacina*: *Diana resolutum.* 84. *de Regul.* ait cum prædictis: *Etiam per maiorem partem anni*, vbi citat Azorium præcisatum, qui non dicit *toto probationis anno*, sed indefinitè loquitur, vt loquuntur cæteri, quos magno numero citat *Barbosa hoc cap.* 15. *sess.* 25. *num.* 28. *de Episcopo p.* 3. *allegat.* 105. *num.* 28. *lib.* 1. *de Iure Eccles. c.* 42 *n.* 525. *Ego cap.* 4. *extra quæst.* 14. §. *Tempus*, *& resolut.* 54. *quæst.* 32. *num* 117. etiam maiori parte anni, quod hîc definiui spatio temporis infra semestre ob adductas rationes, & pro me faciunt *Sanchez*, *Diana*, *Bonacina*, *Nauarrus*, *& alij ab illis allegati.*

Dicens Clemens VIII. in suis Constitutionibus, de quibus præceden. cap. 5. quæst. 6. mandauit, nouitios esse admittendos ad habitum probationis intra conuentus designatos, ac proinde ibidem esse probandos, ergo non extra aliquando: & ratio est, quia si continuo manet extra, religio non potest eius mores experiri, contra finem nouitiatus, qui 30
Introductus fuit, vt nouitius experiretur austeritates monasterij, inter quas etiam clausura computatur, & vt vice versa professi notitiam habeat de eius moribus. Id autem verificari non potest, dum nouitius manet extra, ipse enim non experitur onus clausuræ, nec Religio eius mores obseruare potest.

Nihilominus dicendum est non obstare supradicta, quia manens extra de licentia Superioris censetur esse intra clausuram, vnde ego dixi posse manere extra infra tempus semestris, per reliquum enim tempus sufficienter deuenit in cognitionem clausuræ onerosæ, & à professis obseruantur tunc eius mores, neque enim exercitium probationis debet esse continuum, sed ad tempus debitum, & legitimum. Alias obiectiones resolutas habes sub cap. 5. hîc quæst. 7.

Tertia pars, quod licentia Superioris iustificet continuationem probationis, constat ex ea ratione superius tacta, quod manens extra de licentia Superioris, censetur adhuc esse intra claustra; & ita docent omnes, quos magno numero citat Barbosa ad dictum *cap.* 55. *sess* 25. *num.* 28. *& lib* 1. *de Iure Ecclesiast. cap.* 42. *num.* 125. *& part.* 3 *de Episc. allegation.* 102. *num* 28. *Ego cap.* 4 *extra q.* 14. §. *Tempus*, *& resol* 54 *quæst.* 32.

Quarta pars, quod licentia debet fundari in aliqua

causa

causa iusta, docetur ab omnibus prædictis locis citatis. Quod si ex aliqua circumstantia illicita, adhuc teneret nouitiatus, quia licentia illicita adhuc est licentia, *Glossa in capit. 29. 27. quæstion. 1.* & ea excusat à pœna *Glossa in cap. Dixit 24. quæst 5. Farinacius de indic. quæst. 5. num. 83. ex illo Marc. Antonius lib. 3. resolut. 19. num 4.* Ergo & ab interruptione nouitiatus, videtur enim respicere aliquam pœnam, dum nouitius aliàs cogeretur repetere nouitiatum, quod pœnale est in eo, quod est valdè onerosum. Illicitam licentiam voco eam, per quam nouitium dimittit exempli gratia tempore bacchanalium ad domum paternam per tres, aut sex dies, vel ex alia causa nullo modo necessaria, de licentia illicita, *Suarez lib. 5. cap. 14. numer. 13. Diana resolut 84. Tamburrinus 3. disput. 6. quæst. 7. num. 17. Donatus p. 4 tract. 9. q. 12. n. 8.*

32 Quarta pars de Superiore licentiante regulatur secundum statuta cuiuslibet Ordinis, *Vecchius disp. 11. dub. 2. num. 14.* Apud Minores de obseruantia spectat ad Prouinciales, & in casu vrgente etiam ad Superiorem immediatum conuentus loci nouitiatus cum consilio discretorum. Ita *Rodriquez tom. 3. q. 15. art. 10. 6. Aduertendum est etiam ex illo Peyrinus de Prælato quæst. 3. cap. 1. numer. 101. Miranda tom. 1. quæstion. 22. art 3. fine. Donatus part. 4 tractatu 9. quæstion. 12. numer. 7. Barbosa ad cap 15. session. 25. num. 28.*

QVÆRES VII. Quænam sint licitæ causæ propter quas nouitius extra manens de licentia Superioris non interrumpit nouitiatum, sed illum continuat.

33 Respond. Sunt sequentes. Infirmitas curanda; visitatio parentum; ad loca sancta peregrinatio; visitatio parentum infirmorum, & aliæ huius generis. Ita *Peyrinus de Prælato quæstion. 3. capit. 1. numer. 101. Tamburrinus 3. disputation. 6. quæstion. 7. numer 16. Rodriquez 3. quæstion. 15. art. 8. Vecchius disputation. 11. dub. 3. numer. 12. Grassius part. 1. lib. 3. capit. 5. numer. 18. Barbosa ad cap. 15. session. 25. numer. 29. & 30.*

QVÆRES VIII. An pernoctando extra de licentia Superioris interrumpat nouitiatum.

34 Respond. Negatiuè, quia cum manentia extra ex dicta quæstion. 6. coniungitur pernoctatio; non enim potest quis extra plures dies manere sine pernoctatione. Quare si abiit nouitius cum suo Magistro per vnum, & alterum diem de licentia Superioris, & vltra maneat, superueniente magna pluuia, vel alio accidente impediatur, ne possit redire ad claustrum præfixo die, non interrumpit nouitiatum etiamsi limitatam habeat obedientiam, quia in hoc casu præsumitur extendi ex prædicta causa, quæ est legitima. Ita probaui, *cap. 4. extra de Nouitiatu quæstion. 45. de recreatione Grassius part. 1. lib 3. cap. 5. n. 18. Vecchius disp. 11. dub. 3. n. 12.*

QVÆRES IX. An nouitij extra manere possint quæritando eleemosinas, vt solet fieri in æstate quærendo frumentum, & alia, de licentia Superioris.

35 Respond. Affirmatiuè, sine interruptione nouitiatus, propter hactenus adductas rationes, exercitium siquidem mendicitatis est species austeritatis, & laboris, quem quandoque professi sustinent, ideo nouitij ad id debent disponi, vt considerent, an illis expediat vita Regularis ex hoc capite. Ita *Grassius part. 1 lib. 3. capit. 5. numer. 18. Vecchius disputat. 11. dub. 3. numer 12. Tamburrinus 3. disputat. 6. quæstion. 7. num. 16. Barbosa ad hoc caput. 15. session. 25. num. 29.*

QVÆRES X. An petens scholas extra nouitiatum & conuentum, interrumpat nouitiatum? Non expedit id facere, quia nouitio sufficit pro eo anno addiscere ea, quæ spectant ad vitam religiosam, & ad statum nouitij. Dixi *extra conuentum*, quia regula certa datur, quod nouitius per quemcumque actum non frangere cœptum nouitiatum, nisi monasterium deserat, & extra illud vadat, quo vult, iuxta quod dictum fuit in præcedentibus.

36 Respond. Dato tali casu, adhuc nouitiatus non dicitur interruptus, quia de licentia Superioris quotidie vadit, & venit, non exit vt deserat religionem, sed vt addiscat; non impeditur ab obseruantiis regularibus, & eius mores adhuc sunt in conspectu professorum, habet ergo omnia requisita ad continuandum cœptum nouitiatum. Ita docui resolut. 54. q. 62. num. 170.

QVÆRES XI. An nouitiatus interrumpatur mutatione status, exempl. gratia si clericus descendat ad laïcatum, & laïcus nouitius ascendat ad clericatum? Nota autem, quod in Constitutionibus Clementis VIII. de educat. nouit. §. Tempore vero,

37 expressæ prohibetur assensus conuersi nouitij ad clericatum, de descensu vero clerici ad laïcatum nihil dicitur.

38 Respond. Permixtus nouitiatus ex vtroque statu non interrumpitur, quia nouitius adhuc manet cum eadem disciplina communi sub suo Superiore, nisi faciamus aliquam difficultatem respectu clerici descendentis, propter mendicitatem, cuius exercitium ille sic transiens nondum est expertus, in eo enim est labor, & verecundia quædam iuxta illud Euangelium: *Mendicare erubesco.* Sed cum transiens nouitius sciat statum conuersorum habere adnexum illud mendicandi officium, eam asperitatem, verecundiam, & laborem experiri potest antequam profiteatur in residuo tempore nouitiatus. Ita docui *resolut. 54. num. 230.* Nec vitiatur nouitiatus, si conuersus nouitius sine rescripto Pontificio ascendit ad clericatum, quia solum transgreditur constitutio illi prohibens hunc transitum, per quod qualitas nouitiatus nullatenus variatur in sua continuatione.

QVÆRES XII. An superueniens furor, seu amentia interrumpat probationem?

39 Respond. Non interrumpere, si per vnum, & vltra manet mensem in furore, & amentia, quia adhuc est sub obedientia, nec aliquem actum voluntarium fecit, per quem incurrerit interruptionem, quæ nouitijs odiosa, & pœnalis est. *De qua re dixi extra cap. 7. quæstion. 11.*

QVÆRES XIII. An nouitius interrumpat nouitiatum occultè exeundo extra Monasterium, etiam deposito habitu ad malum finem, e.g. vt fornicetur, vt furetur, & quid simile faciendo?

40 Respond. Negatiuè, quia nouitius non tenetur continuò bene facere, nec ex interpositione mali vitiat bonum probationis, nec per tam breue tempus, & momentaneum infringere potest nouitiatum, modicum enim pro nihilo reputatur. Ita *Sanchez lib. 5. c. 4. n. 2. ex eo Peyrin. q. 3. c. 1. n. 100. Bon. q. · de clauf. p. 10 § 2. difficult. 2 n. 3. § Et hoc verum est.*

QVÆRES XIV. An adhuc valeat certum priuilegium Iulij II. concessum Minoribus dispensandi super interruptione nouitiatus, si id videbitur expedire Superioribus. Bulla extat apud Rodriq. in suo Bullar. Bulla 9. incip. *Hodie à nobis*, vbi hoc dicit sub n. 10. his verbis: *Et quod cum aliqui Fratres, qui annum probationis inceperint, & deinde habitu omisso ad ipsum ordinem redierint, tempus prioris receptionis habitus cum tempore posterioris in anno probationis, sibi computari vel non computari posse iuxta discretionem & determinationem suorum Superiorum, eisdem auctoritate, & tenore decernimus.* Hoc priuilegium dirigitur ad Minores de obseruantia, & omnibus est communicabile, vt omnes docent.

41 Respond. Affirmatiuè *Rodr. t. 3. q. 15. art. 8.* quia in Trid. sess. 25. c. 15. expressè tantum decernit, quod annus nouitiatus debeat esse integer, quantum autem ad continuitatem relinquit illum sub opinione Doctorum,

ctorum, sub qua antea erat. *Cum suo Compend. resolution.* 101. *num.* 42.

Negatiua est *Sanch. lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 35. quia dum Concilium petit annum integrum, petit etiam continuum, siquidem dum vult, vt nouitiis exactè experiatur aspetitates omnes, petit etiam hanc conti-
42 nuationē. Quare huic priuilegio censetur derogatum ex in c. 22. sess. 25. vbi reuocantur omnia priuilegia, quæ aduersantur supradictis capitibus eiusd. sess. 25. inter quæ comprehenduntur cap. 15. de continuatione nouitiatus. Ita *Barb. tom.* 2. *ad c. Ad Apostolic.* 16. *de Regul. num.* 5. *ex eo Donatus part.* 4. *tract.* 9. *q.* 11. *num.* 9. *Miranda tom* 1. *quæstion* 51. *artic.* 4. *Faustus lib.* 5. *Thesauri quæst* 154. *Villalobos apud Dianam resol* 89. *de Regul. Pelliz. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 10. *Ego c.* 4. *extra q.* 11. *in fine.*

QVÆRES XV. An nouitiatus absolutus per annum integrum dicatur interrumpi per nouitium recedentem?

43 Respond. Negatiuè, quia interruptio ex sua formali ratione supponit nouitiatum legitimè cæptum nondum esse expletum, non enim potest interrum-
44 pi, & in partes diuidi, quod successiuè transit, & iam absolutum est, nam interruptio opponitur continuationi, quæ includit partes priores iam prætetites, & posteriores futuras, in quæstione verò præsenti omnes partes nouitiatus iam prætetierant sine sui diuisione, ergo vti iam inter se continuatæ, & absolutæ interrumpi non possunt. Ita docent omnes cum *Sanchez lib.* 5. *cap* 4. *numer* 34. vbi pro se citat nouem Doctores, *sequitur. Bonacia. quæst.* 2. *de clausura part.* 10. § 2. *diff.* 1. *num* 4. *Pellizar tract.* 2. *caput.* 1. *num.* 17. *Donatus part.* 4. *tract.* 9. *quæst.* 7. *Portellus part.* 2. *casu* 7. *Ego cap.* 4. *extra quæst.* 19. Procedunt dicta primo, quando nouitius vadit ad alium conuentum non designatum; secundo, si recedat de licentia Superiorum habitu retento; tertio etiam sine licentia, & habitu dimisso, si per modicum tempus reuertatur; in quo casu tertio religio inte illum repellere potest, si tamen illum recipiat, potest admittere ad professionem, quia nullâ ratione potest nouitiatus ritè absolutus vstiari, cum non detur po-
45 tentia ad præteritum; & quod factum est legitime pro non facto haberi potest.

46 Contra Suar. *tom* 3. *de Relig. lib.* 5. *c* 15. *n* 8. *Peyr de Prælato q* 3. *cap.* 1. *n.* 99. *Vecchium disp.* 11. *dubio* 3. *n.* 5. *Barb. lib.* 1. *de iure Eccles cap* 42. *num.* 121. & *ad hoc cap.* 13. *sess.* 25. *num.* 24. *Tambur.* 3. *disp.* 6. *q.* 7. *num.* 15. Quia talis est vsus religionum, ego non video tale vsum practicari. Adduci potest pro istis Tridentinum c. 16. sess. 25. *Finito tempore nouitiatus, superiores nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant.* Ergo nouitiatus coniungitur cum professione. Sed hæc consequentia falsa est, *Tum quia,* ipsummet Tridentinum statuit præced. c. vnum tantum annum integrum pro nouitiatu, aliquando essent duo, nimirum cum annus probationis inchoatur ab anno decimoquinto, tunc enim nouitios deberet manere in probatione. *Tum quia,* esto finiret annum probationis expletis annis sexdecim ætatis adhuc non cogit Tridentinum statim ad professionem, sed tempus prorogari potest ex causa, vt mox dicam, ergo nouitiatus non necessario continuatur professioni.

47 Quod inter professionem, & nouitiatum possit aliquod tempus intermediare, quo nouitius non sit in probatione docent supracitati, *cum Nauarr consilio* 20 *num.* 1. *Nald.* 11. *Professio num.* 1. *Ego resolut* 99. *num.* 31. *Lezana cons.* 8. *n* 10. & sequentes, dum dicunt, nouitium, peracto probationis anno, posse recedere à conuento nouitiatus, & habitare in alio conuento, & hi sunt. *Miranda t.* 1. *q.* 11. *art.* 3. *Ego resol.* 34. *q.* 30. *n.* 113. & *c.* 4. *extra q* 18.

48 Quod ex causa possit prorogari nouitij professio finito probationis anno, docent omnes cum Vecch. disput. 11. dub 5. Diana res. 128. de regul. *Nauarrus consil.* 30. *de Regul Rodriq.* 3. *q.* 17. *art.* 10. *Miranda q.* 25. *art.* 11. *cum aliis Barbosa ad hoc cap.* 15. *sess* 25. *num.* 32. *Peyrin. de Prælato cap.* 1. *q.* 3. *n.* 101. *Pellizar. tr.* 2. *cap.* 1. *num.* 39. *Donatus p.* 4. *tr.* 9. *q.* 18.

CAPVT IX.

De causis expellendi, vel retinendi Nouitios.

1 *Expelli possunt nouitij iusta subsistente causa.*
2 *Probatus habilis ad habitum admitti debet.*
3 *Nemo priuandus iure suo sine culpa, nisi subsit causa.*
4 *Vnum illorum sufficit, vt possit priuari.*
5 *Ius duplex ad rem, & in re, differentia vtriusque.*
6 *Regula illa locum habet respectu vtriusque iuris.*
7 *Expellendi sunt nouitij accedentes cum defectibus occultis.*
8 *Decipiendus nemo est.*
9 *Retinendi sunt recepti cum notoriis defectibus.*
10 *Quod semel placuit displicere non debet, nisi superueniat causa displicentiæ.*
11 *Turpius eijcitur quam non admittitur hospes.*
12 *Impugnare nemo potest factum suum.*
13 *Errorem suum quisque emendare debet.*
14 *Quando non est in præiudicium tertij.*
15 *Causæ iustæ expellendi nouitios referuntur.*
16 *Interruptio nouitiatus ex culpa nouitij est causa expellendi illum.*
17 *Dicens se nolle remanere in religione dimitti potest.*
18 *Intrusus sine culpa sua expellendus non est.*
19 *Intrusus priuatur iure quæsito, vel quærendo si culpa sua se intrusit.*
20 *Filiationis carentia non est causa iusta expulsionis.*
21 *Statutum, quod carens Filiatione, eijciatur non tenet.*
22 *Salarium soluitur pro nouitiis.*
23 *Aliter expellitur nouitius si promissum fuit.*
24 *Licitè fit pactum de salario pro anno probationis.*
25 *Dormire non assuefactus solus reijcitur.*
26 *Promittens sponsalia in nouitiatu expellitur.*
27 *Nouitius indicatus ab omnibus idoneus ad professionem non potest expelli.*
28 *Electus publicato scrutinio ius habet ad rem.*
29 *Cum armis inuentus expellitur.*
30 *Arma prohibita ferens præsumitur velle delinquente.*
31 *Debilitatus in membris expellitur.*
32 *Colloquium, & literas recipere à secularibus non est causa eiectionis.*
33 *Pœna debet esse proportionata culpæ.*
34 *Literæ commendatitiæ non sunt dandæ expulsis.*
35 *Pretium dandum loco habitus retinendi expulso.*
36 *Ad quos spectat expulsio nouitiorum.*
37 *Reclamare potest nouitius iniustè expulsus.*
38 *Dominus superior non est, sed dispensator.*
39 *Expellentes sine causa nouitium nolentes illi dare suffragium peccant.*
40 *Generalis cogere potest ad recipiendum iniustè expulsum.*
41 *Generalis per se solum non potest recipere nouitium.*
42 *Papa solus recipit nouitium ad professionem, si idoneus est.*
43 *Nouitius liberè redire potest ad seculum.*
44 *Aptus ad ordines & beneficia.*
45 *Confitens clam extra ordinem expellendus.*
46 *Tacens delictum, de quo fuit monitus pelli potest.*
47 *Testis vnus integer sufficit ad expellendum nondum receptum.*
48 *Testis vnicus impedit matrimonium.*
49 *Testis vnicus quando præiudicat tertio.*

INitio capitis quarti dictum fuit, Superiores regulares non teneri recipere petentes ingressum, licet habeant omnia requisita, immo quamuis babeat votum ingrediendi religionem, quam petunt, habere tamen obligationem recipiendi in genere aliquos pro manutentione religionis, ne in totum pereat. Restat resoluere nonnullas difficoltates circa iam receptos in ordine ad professionem. Recepti autem sunt in duplici differentia, nam aliis nondum datus est habitus probationis, qui tamen habent requisita ad illum recipiendum, eo quod examinati sunt, & probauerunt suam habilitatem; alij verò prætetea iam habitum probationis receperunt, & inchoauerunt nouitiatum, de his potissimum agendum est per sequentes quæstiones.

1 Certum autem est, nouitios iam habitu indutos posse expelli iusta subsistente causa, iuxta inferius dicenda, ita docent *Suarez tom. 3. de Religion. lib. 5. capit. 11. numer. 5. Peyr. quæstion. 3. de Prælato cap. 1. num. 111. ex illis Pellız. tr. 2 cap. 7. num. 60. & alij.*

QVÆRES igitur primò, an ille, cui promissus fuit habitus probationis, de cuius requisitis constat, possit à Superioribus repelli à petitione habitus, nulla existente causa, per quam possit excludi?

2 Respond. Non potest repelli à susceptione habitus promissi per illam præuiam examinationem, per quam constat de illius idoneitate ad recipiendum ha-
3 bitum. *Probatur* illo communi axiomate: Nemo priuandus est iure suo sine culpa, nisi subsit causa, *cap. Satis peruersum 7. dist. 56. capit. Inuentum 16. quæstion. fin. capit. Conquerente de rest. spol. ex illis gloss. 11, culpa caret c. 2. de const. c. discretionem 6. de eo, qui cognouit.* Pro cuius Regulæ intelligentia, vt quis iure
4 suo possit priuari, vnum de duobus sufficit, aut propria culpa, aut iusta causa, vt benè colligitur ex citatis iuribus, & notat *Sigism. de elect. dub. 12. n. 6.* in casu nostro neutrum reperitur, ideo repelli non potest ab hoc iure recipiendi habitum probationis. Prætere-
5 rea notum est apud DD. quod ius duplex est, vnum ad rem, quod dicitur quærendum, aliud in re, quod dicitur acquisitum; & differunt *primò*, quod ius in re difficilius perditur, ius verò ad rem facilius amittitur, *Franc. Molin libr. 6. de ritu nuptiar. quæst. 67. numer. 3. Parisius volum. 4. consil. 93. num. 23. M. Antonius lib. 1. resol. 9. numer. 7. Secundò* ius in re fortius est, quàm ius ad rem, *leg. si ita scriptum §. 1. leg. Si ita scripsisset. ff. de leg. 1. Brun. à sole in locis comment. 11. Ius num 21. Tertiò*, fàcilius impeditur ius ad rem, quàm quod tollatur ius iam quæsitum, *Alexand. lib. 7. cons. 196. ex eo Tuschus lit. F. conclusion. 12. numer. 7. Gratian. capit. 957. numer. 12. & 13. Vide Barbosam Axiom. 135.* Supradicta au-
6 tem regula locum habet respectu vtriusque iuris, vt notat *Thomasiet. super eam reg. 239.* ac proinde in casu præsenti, in quo agitur de iure quærendo, & ad rem, quod tolli non potest, cum nulla sit culpa, nulla subsit causa, debet ergo iuuenis indui habitu probationis, licet enim ius, quod ille habet, vt quod est quærendum, & ad rem, sit debile, sit minus forte, & facilius perdi possit, non tamen priuari potest illud habens ex hac regula nam habens ius ad rem ipsam rem habere videtur *l. Qui 15. ff. de reg. iur.* Et licet ius in re sit vtilius, quàm ius ad rem, *extr. com. 5 de elect.* tamen ius ad rem sua vtilitate non caret, qua priuandus non est iuuenis, quia illa dignus est. Stantibus ergo rebus prout stant, cum nulla superuenerit causa, quæ moueat prudenter mentem Superioris, satis peruersum est, & contra rationem velle iuuenem priuare eo, ad quod ius habet.

QVÆRES II. An omnes illi defectus, qui repellunt hominem ab ingressu, sint causa sufficiens eundem reiiciendi, post susceptionem habitus?

Respond. Quando petentes ingressum tenentur vno, aut altero ex defectibus, siue vitiosis, & peccaminosis, vt homicidiis, furtis &c. siue non, qui sunt naturales defectus scilicet natalium, ignorantiæ, &c. quibus non obstantibus adhuc recipiuntur, possunt expelli post receptionem habitus, si postea hi defectus innotescunt in religione; si verò noti erant ante receptionem, non possunt expelli.

Prima pars, quod possunt, immo debent expelli 7
induti cum ignorantia defectuum eisdem notificatis post receptionem habitus, probatur. *Tum quia*, contra istos iura semper clamant, nam lex semper loquitur *l. Arrians S. C. de hæret.* ibi: *Cunctis quoque legibus semper viridi obseruantia valituris.* Ergo & quando sunt in probatione. *Tum quia*, deceperunt religionem, ergo in hac deceptione veniunt puniendi,
quia dolus, & fraus nemini debet patrocinari, *cap Se* 8
des Apostolica 15. capit. Ex tenore de rescript. nemo enim decipiendus est *l. 1. C. de his qui ven. ætat. Nauarr. tom. 3. cap. Qualitas dist. 5. de Pœnit. num. 21.* neque quis decipiendus est fauore religionis, *ex cap. Per tuas 5. de donat Megal. 2. 2. lib 1. c. 10. num. 29.* ius ergo habent Superiores hunc talem expellendi, non obstante habitus receptione. *Tum quia*, facit regula præcedenti quæstione explicata, quod scilicet quis priuari potest iure iam quæsito, si adsit culpa, vel causa; vtrumque hic adest, vt constat, ergo priuandus est habitu.

Secunda pars de retinendis habitu indutis cum pa 9
tenti notitia illorum defectuum probatur. *Tum quia*, hoc ipso quod nouitium recipiunt cum defectu, vel defectibus notoriis, censentur renuntiare iuri suo, quod habebant expellendi indignum, vel inhabilem, ergo noua non superueniente causa, non est expellendus, quia non datur regressus ad ius patenter renuntiatum. *Tum quia*, quod semel placuit, non
debet postea displicere, & quod semel approbatum 10
est, non est vlterius reprobandum, *reg. 21. in 6.* nisi superueniat noua causa, *gloss. 11. de nouo cap. Pastoralis 4. de except.* quæ enim de nouo emergunt, nouo indigent remedio, ex *Ioann. Andr reg hac 37. Thom. Port. part. 1. casu 5. num. 5.* de hac re in ordine ad professionem. In casu autem nostro nulla supponitur superuenisse causa, ergo expelli non debet,
Tum quia. Turpius eiicitur, quam non admittitur 11
hospes, *capite 25 de iureiur. Surdus de aliment. titulo 7. quæstion. 17. numer. 41. Barbosa Vaz. littera T. numero 15.* deducit, *ex libro 5. Ouidij de Tristib. eleg. 7.* ne ergo patiatur hanc turpitudinem
retinendus est. *Tum quia*, nemo factum suum im- 12
pugnare potest *leg. Post mortem, ff. de adoption. cum alijs citatis à Barbosa Axiom. 93. numer. 23.* nisi ex iusta, & concessa causa, *Thomas regul. 26. Menochius consilio 160. numer. 5. Surdus consil 284. numer. 5. & 8.* sed nulla causa est assignabilis, nec concessa, quæ alias non esset nota Religiosis, ergo contra factum suum venire non possunt. *Tum quia*, quis non potest reprobare mores, quos prius approbauit, *glossa 11. Familiaritate cap Nulli 5. de accus. Tum quia*, id esset allegare turpitudinem suam, nempe causam expulsionis defectum nouitij, quem dissimulauerunt, vt eum admitterent ad habitum probationis, ergo audiendi non sunt. Et ita docui de duabus nouitiis monialibus, *resolut. 54 q 5. num. 41.*

Dices, quisque suum errorem emendare potest, 13
immo & debet, corrigere enim debemus nosmetipsi quæ malè fecimus, *gloss. 11. Per te ipsum cap. 19. de offic. ordin.* vnde Imper. *in Auth. de nuptiis in fine colum. 2. Collat. 4.* inquit: *Non enim erubescimus corrigere,*

gere, quæ prius diximus nec ab aliis corrigi expectare volumus. Ergo hoc malè factum retractandum est.

14 Respond. Quemuis proprium errorem retractare posse, nisi redundet in damnum proximi, vt contingit in casu nostro, in quo nouitius se benè gerit; nec mirum hoc esse debet, quod remanere debeat nouitius iste, sicut malum, sed non mirum fuit recipere aliàs defectuosum, quia peccatores veniunt ad religionem non vt malè agant, sed vt conuertantur, vnde iura accedentes ad religionem vocant conuersos, quia à malo conuertuntur ad bonum, quare nemo tenetur corrigere malè factum, quod redundat per correctionem in præiudicium tertij, maximè in spiritualibus.

Colligitur hinc non posse eiici illum hominem, qui patentibus delictis & defectibus in sæculo ante ingressum, scilicet homicidio, furto, adulterio, &c. illegitimitatis, ignorantiæ, cœcitatis ex altero oculo, &c. tenebatur, vt dixi citata *res.* 54. *q.* 2. *&* 3.

QVÆRES III. Quænam sunt crimina, & delicta, quæ commissa infra annum probationis excludere possunt nouitium?

15 Respond. Si nouitius in anno probationis commiserit sequentia crimina, & delicta spoliandus est habitu, & eiiciendus à Religione, quæ sunt homicidium, Adulterium, Sodomia, Fornicatio, & alij actus luxuriosi, Blasphemia, Periurium, Furtum, Percussio non leuis & leuissima, sed in Magistrum, vel Superiorem. Vide *res.* 54. *num.* 85. assuefactio ad rixam, & contentionem; incursio in aliquem ex vndecim casibus reseruandis ad præscriptum Bullæ Clem. VIII. Inobedientia grauis contra Superiorem, seu Magistrum, & similia crimina, quæ consideranda sunt secundum omnes suas circunstantias ratione delicti, loci, temporis, & personæ, de quibus plura tetigi dicta *res.* 54. *q.* 2. Ratio est, quia expedit bono communi tales non recipere ad professionem, quia recepti peiores fiunt, & bonos, cum quibus conuersantur, facilè trahunt ad malam vitam, homo enim cum sancto sanctus est, & cum peruerso peruertitur.

QVÆRES IV. An in omnibus casibus, per quos nouitiatus interrumpitur, expelli possint nouitij? Vide *c.* 8. *de interruption. nouitiat.*

16 Respond. Affirmatiuè, quando ipse nouitius dedit causam interruptioni, nam per id amisit illud ius quod habebat, vt retineretur, ideò si eiiciatur sibi imputet, & non alteri, cum ipse solus fuerit in culpa expulsionis.

QVÆRES V. An qui sæpius dicit, se nolle esse Religiosum dimitti possit, licet postea pœnitentia ductus, id sciendo, dicat se velle remanere?

17 Respond. Affirmatiuè, non solùm si dimittat habitum in ea protestatione, siue non. Ratio est. *Tum quia*, per hoc demonstrat se non habere inclinationem ad vitam regularem, ergo vti ineptus eiici potest. *Tum quia*, is propriè non dicitur venire ad Christum, qui non vult sequi Christum sustinendo rigorem vitæ religiosæ, ergo eiici potest foras. *Tum quia*, nullo modo videtur se disponere ad professionem, cum debito modo nouitiatum non præmittat. Ita docui *res.* 54. *q.* 18. *n.* 98.

QVÆRES VI. An nouitius intrusus, seu sine præuiis informationibus habitu indutus expelli possit? De intruso dixi *c.* 6. *n.* 54. *&* 55.

18 Respond. Non esse expellendum, sed puniendos, qui illum taliter receperunt. Ratio est, quia ipse nouitius non errauit, cum intrusio, & omissio informationum se teneat ex parte religionis, non ex parte nouitij, qui in his passiuè se habet, petit enim ingressum eo modo, quo potest ingredi, & receptus sine licentia debita, & omissis informationibus putat probabiliter se legitimè receptum fuisse, non est ergo reus pœnæ expulsionis, cum non fuerit in culpa nisi statutum expressè sit in contrarium in aliqua religione, vt est in meo Ordine. De omissis informationibus non vitiantibus nouitiatum dixi *cap.* 4. *num.* 36. *&* *c.* 6. *num.* 26. *&* 63.

Dices intrusus illicitè, & inualidè possidet id, in quod fuit intrusus, *c. Eum, qui* 18. *de preb. in* 6. & eius nouitiatus nullus est, cum legitimam inchoationem non habuerit, ergo expellendus est.

Respond. Quod cum nouitius non dicatur intrusus actiuè, hoc est ex propria malitia, sed passiuè tantum, quatenus putat se per portam, & non per fenestram ascendisse in religionem, neque enim tenetur scire modum, quo potest ingredi religionem, cum id spectet ad officium Superiorũ, ideò expellendus non est, cum ipse non fuerit in culpa; & licet nullus sit nouitiatus, non ideò inferendum est, ipsum per hoc esse dignum expulsione, sed qui illum receperunt puniendi sunt, à quorum culpa originatur, & pendet nullitas nouitiatus. 19

QVÆRES VII. An nouitius carens Filiatione, quæ in aliquibus religionibus vsitatur, vt in mea, sit expellendus?

Respond. Negatiuè. Quia pœna supponit culpam, *c. Sancimus* 22. *de pœnis, Sanch. lib.* 1. *disp.* 36. *n.* 4. *Barb. Vaz. lit. C. n.* 85. *&* *lit. P n.* 10. Sed carentia Filiationis non est culpa nouitij Superiorum, qui illi non assignauerunt talem conuentum pro Matre, ergo in hoc non est puniendus expulsione, quæ est pœna grauissima, nemo enim puniendus est sine culpa, nisi subsit causa ex *Reg.* 23. *in* 6. Quæ hic non reperitur, nisi carentia Filiationis, quæ non debet redundare in nouitium, ne duplici afflictione inficiatus eius carentia, & 20
expulsione. Ita *Res.* 54. *q.* 22. vbi dixi, non posse fieri 21
statutum, vt carens Filiatione eiiciatur à religione, quia statutum pœnale debet tenere suos auctores transgressores, & non vltra se extendere. l. Sanc. 22. C. de pœn. ibi: *Ibi est pœna, vbi noxa.* Barb. Vaz. lit. P. n. 12. huiusmodi autem statutum teneret etiam innocẽtes, quales sunt nouitij, qui sibi arrogare non possunt Filiationem, quam dare deberent Superiores ex præscripto suarum constitutionum.

QVÆRES VIII. An promissum salarium, seu expensas nolens dare expellendus sit à religione? In religionibus pauperibus petitur salarium, & soluitur de quo non est dubitandum, cum nouitius non sit alendus de bonis monasterij, multi enim ingrederentur non affectu religionis, sed vt alerentur, cum graui damno religionis, ideò prouisum fuit huic damno per solutionem expensarum. Vnde in religionibus monachalibus, & diuitibus, in quibus Superiores non paciscuntur de salario soluendo pro nouitiis, cautum fuit, quod in fine anni soluantur expensæ pro nouitio nolente profiteri. De expensis fusè egi *resol.* 54. *q.* 56. *num.* 160. 22

Respond. Promissum salarium soluendum est, aliter nouitius expelli potest, quia promissis standum est, adeo quod si nouitius, vel eius parentes, seu consanguinei recedunt à promissione, pariter religio ab illis recedere potest, dimittendo domum paternam nouitium, quia frangenti fidem frangitur & caput. 23
Non est autem dubitandum de pacto expensarum, 24
quia id supponitur in *in Trid. cap.* 16. *sess.* 25. *&* *docent plerique cum Sanch. lib.* 6. *c.* 26. *n.* 5. *multis aliis citat. per Pelliz. tr.* 2. *c.* 6. *n.* 25. Et ita docui primo *c.* 2. *de admiss. ad eam q.* 23. *&* *res.* 54. *q.* 23. mecum sentit *Pelliz. citat num. eodem.*

Contra *Galu. cit. à Vecch. disp.* 12. *dub.* 2. *n.* 2. *quem pro se citat. item Peyr. de Prel. q.* 3. *c.* 2. *n.* 106. *Tamb. t.* 3. 6. *q.* 9. *n.* 7. *cum quibus est Suar. quem cit. sequitur Don. p.* 4. *tr.* 9. *q.* 25. quia non est hæc iusta causa expellendi nouitium, & & pro se adducunt etiam *cap. Non solum de reg. in* 6. & subdunt non posse pro expensis retinere nouitium volentem deserere religionem. Non probant iniustitiam causæ, quam tamen iustam habere Superiores fundatam in illa promissione licita, & iusta.

iusta. Nec quicquam colligere possunt ex allato capite *Non solum*, quia in eo de expensis ne verbum quidem, ex quo possit colligi resolutio huius difficultatis. Quod si casu fortuito non habeat in bonis, quæ habebat, quando ingressus fuit, non potest expelli, quia non est in culpa, ideo retinendus ad profitendum, vt respondi eadem *res.* 54.*q.* 55.*n.* 159.

QVÆRES IX. An nolens solus dormire, quia in domo paterna solitus erat dormire cum fratre verbi gratia, expellendus sit.

25 Respond. expelli potest, quia religiosi debent dormire soli ex constitutionibus singularum religionum. Quare cum sit male affectus erga obseruantiam regularem immerito retinetur iuxta monasterium. Ita docui *res.* 54. *num.* 118.

QVÆRES X. An qui dum esset nouitius promisit sponsalia sit expellendus?

26 Respond. Affirmatiuè, quia per hoc demonstrat se habere animum expressum deserendi religionem, & nolle remanere in religione, ergo expellendus, & dimittendus est, sicut ipse per hoc factum ostendit se velle recedere. De sponsis in ordine ad religionis ingressum dixi *c.* 3 *hic n.* 98. impediri ab ingressu; & *c.* 6.*n.* 36. *&* *c.* 7.*n.* 41. sponsam ingressam religionem non posse profiteri infra annum probationis, ac proinde sponsum in sæculo manentem debere expectare eius professionem vsque ad expletionem anni 16. De hac re dixi etiam *res.* 54 *q.* 52.*n.* 154.

QVÆRES XI. An nouitius feliciter peracto suo nouitiatu, & ab omnib. iudicatus idoneus ad professionem, adhuc expelli possit per aliquem Superiorem, vel per ipsos, qui illum receperunt ad profitendum?

27 Respond. Nisi noua superueniat causa legitima, quæ moueat ad talem eiectionem; nullatenus expelli potest, & expulsus de facto reclamare potest, vt recipiatur ad professionem. Probatur. *Tum quia*, nullus est priuandus iure suo sine culpa, nisi subsit causa, reg. 23. in 6.c.2. de const. *Tum quia*, quod semel approbatum est, non debet amplius reprobari, 28 reg. 21. in 6. *Tum quia*, sicut electus acquisiuit ius ad beneficium, ita quod ab eo expelli non potest, nisi legitima causa superueniente, *c. quam sit 6. de elect. in 6.§. Quem si, Peyrin. in Formul. lit. C. c.* 18.*n.* 9. *multa glos.* 1.*c. Quanto* 10.*dist.* 63. ita nouitius approbatus ad profitendum ab hoc iure remoueri non potest, nisi superueniente noua causa, aut veteri occulta postmodum patefacta. Hanc responsionem multis prosequitur *Portell. p.* 1 .*casu* 5. *per totum.*

QVÆRES XII. An nouitius cum armis inuentus expelli possit è religione?

29 Respond. Affirmatiuè, quia cum præsumatur per retentionem armorum homo inclinatus ad malum, ad rixas, ad vindictam, non dicitur aptus ad vitam regularem, quæ in claustris cum pace, & quiete transigi debet, & non cum armis., quæ in monasteriis prohibentur teneri à religiosis, quorum arma sunt libri spirituales Missale, & Breuiarium, & vt dicunt SS. Patres, arma religiosorum sunt lachrymæ S. Ambros. relatus c. Non pila 3.13.q.8. *Confirmatur*, quia 30 clericus ferens arma præsumitur velle delinquere, *Panorm. in c. Vt famæ, de sent. excomm. ex illo Nauarr. consil.* 27. *de sent. excomm. n.* 4. §. 5. Ideo ex his Superior habet legitimam causam eum expellendi ab ordine.

QVÆRES XIII. An nouitius debilitatus oculis, pede, vel simili defectu corporis, acquisito post ingressum expelli possit?

31 Respond. Affirmatiuè, quando talem defectum acquisiuit etiam casu, vel aliter, in quo religio non fuit in causa. Ratio est, quia religio habet iustam causam seruandi indemnem suum monasterium, ne retinendo nouitium debilitatum patiatur irreparabile damnum, talis enim persona esset multum onerosa conuentui, & inutilis ex suppositione superuenti defectus.

QVÆRES XIV. An nouitius clam alloquens sæculares, seu etiam religiosos eiusdem ordinis, aut ab illis recipiens literas inconsultis suis Superioribus eiici possit ad sæculum?

32 Resp. Negatiuè, quando colloquia, & literæ non continent obscena, vel turpia, & grauia; ratio est, quia & si hæc prohibeantur nouitiis, nihilominus non videntur sufficere ad illum expellendum, ne pœna dicatur maior culpa, cui debet proportionari, iuxta illud Deuter. 25. *Pro mensura delicti erit & plagarum modus c. Non afferamus* 21. 24 *q.* 1.*c. Felicis* § *illud, de pœnis in* 6. pœna enim commensuratur delicto, *l. Rescript. ff de his quib. vt indeb. l. Paulus ff. ad Trebell.* & æqualis pœna debetur æquali peccato, *c. A. cus.* 8. §. *Sacerd. de hær. in* 5. & paritas delicti paritatem pœnæ requirit *l. Nihil interest* 32 *ff de adult. cum aliis concordant. Bart. Vaz. lit. D. n.* 10. *&* *lit C n.* 79. *Guerba cons crimin.* 53 *n.* 34. *cons.* 71.*n.* 5. *cons.* 83. *n.* 8. constat autem allocutionem & literarum receptionem, seu missionem de se non esse res malas, sed quatenus prohibentur, & in casu præsenti leuis est trásgressio, ac proinde causa insufficiens ad dimittendum nouitium.

QVÆRES XV. An nouitio in dimissione, seu expulsione dandæ sint literæ peritæ in eius fauorem, vt aiunt. *Ben. seruitio.*

34 Respond. Simpliciter loquendo nulli nouitio dimisso, seu expulso, aut recedenti dandæ sunt literæ in eius fauorem, quia nullibi in iure reperitur hæc obligatio. Non possunt dari eiecto, & expulso propter eius demeritum, nam in hoc casu literæ essent falsæ, si continerent illum laudabiliter vixisse illo tempore modico in ordine, si vixit malè prauis moribus infectus. Nihilominus in aliquo consolari potest, testificando illum non esse aptum ad iugum obseruantiæ regularis. Ipsemet expulsus occultare potest suos defectus, dicendo se spontè recessisse, id enim dicere non est indecorum, quia quisque sine nota recedere potest, cum nouitij per annum stent in probatione, vt experiantur an sibi placeat talis modus viuendi, & si non placet, licitè redeunt ad paternos lares. Dimissis verò, & spontè recedentibus nulla debet fieri fides de anteacta vita benè ducta in religione, ne Superiores reddantur in hoc onerosi, & aperiatur via expulsis propter eorum crimina petendi, & impetrandi tales literas testimoniales, quæ pro veritate continerent falsitatem, hi enim sunt de genere eorum, qui nolunt errasse, sed volunt benè vixisse, quamuis ex anteacta malè vita contrarium appareat. Ita docui *resolut.* 54. *quæst* 66. *num.* 179.

QVÆRES XVI. Qoid agendum de habitu nouitij dimissi ad domum suam?

35 Respond. Superior debet nouitium habitu exuere, & loco eius tradere illi iustum periculum habitus. Quia cum non possit illum dimittere ad sæculum cum habitu, quem sæculares ferre non possunt, ratio dictat, habitum remanere apud Religiosos, & ne nouitius, qui illum emit ex suis pecuniis damnum patiatur, Superior tenetur illi tradere iustum pretium. Ita *Lez. p.* 1 .*c.* 25.*n.* 38. *Luc Reg.* 11. *Hab. & Barb. p.* 3. *de Ep. all.* 301.*n.* 39. *& in c.* 16. *sess* 25 *n* 51. & colligitur ex text. ibi: *Omnia restituantur, quæ sua erant.* Habitus erat suus, quem cum gestare dedeceat in sæculo, loco eius restituitur pretium. Quod si prouisus fuit de habitu à Monasterio, nihil de illo restituitur nouitio recedenti. *Ego res.* 64 *q.* 50 *n.* 152. *Don. p.* 4 *tr* 9. *q* 26. *vbi citat etiam Peyr. de Præl. q.* 3 *c.* 1.*n* 107. Non esse dandum pretiũ, si habitus ex eleemosinis factus fuit, quia deuoti dederunt vt ingressus remaneat in religione, aliter non donassent. Ita cum illis *Pelliz. tract.* 2. *capit.* 6. *n.* 28. *&* 29. Obseruaui prædictum Donatum dicere Barbosam *in capit. Super eo de Regul. & dicta Alleg.* asseruisse, habitum esse restituendum nouitio

recedenti, sed reuera solum dicit esse restituendum pretium loco habitus, & non ipsum habitum.

QVÆRES XVII. Ad quos spectat dimittere, seu expellere nouitios?

36 Respond. Spectat ad Superiores de consilio, & consensu familiæ conuentus, in quo nouitius probatur. Probatur ex Tridentino sess. 25. c. 16. *Superiores nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è monasterio eos eiiciant.* Id est admittant illos ad professionem, quos inuenerint habiles; inhabiles verò eiiciant. Ita Tridentinum omnes interpretantur: *Nauarr consil. 30. de Reg. n. 1. Vecchius disp. 11. dub. 5. n. 4. Tambur. tom. 3. disp 6. q. 18. n. 5. quos citat Barbosa hic num* 40. Ratio est, quia ad ipsos spectat ex officio promouere omnia negotia sui conuentus, maxime nouitiorum: *Nonest 7. cap. Porrectum.* 13. c. *Ad Apostolicam* 16. *de Regul. & in 6. cap.* 2. *&* 3. Et quia Superiores sunt caput corporis politici, cuius membra sunt eorum subditi, ideo sine consilio, & consensu istorum nec licitè, nec legitimè, & validè huiusmodi negotia nouitiorum promouere possunt, *ex c. Ea noscitur 6. de ijs, quæ fiunt à Prælatis*, prout de receptione nouitiorum ad habitum dixi c. 4. q. 19. *num.* 57. Ergo in expellendis nouitiis Superior debet adhibere consilium, & consensum suæ familiæ, seu aliorum, ad quos spectat id munus ex præscripto constitutionum. *Confirmatur*, quia res per quas nascitur per easdem dissoluitur; sed sæcularis nouitius nascitur per approbationem Superioris, & conuentus, vt obseruatur apud omnes regulares, ergo per Superiorem, & conuentum nouitius dissoluitur, & expellitur, sicut etiam admittitur ad professionem per eosdem, vt suo loco dicam. Nomine autem Superioris venit localis cum sua familia, isti enim melius aliis sunt informati de anteacta vita nouitij, cum quo conuersantur, sunt enim testes de eadem domo, qui præsumuntur scire bonas, & malas actiones nouitiorum, & non alij, qui longe sunt ab eodem conuentu deputato pro nouitiis Superioris maioris auctoritas exigenda est, vt ab eo negotium finiatur, à quo initium habuit, Superiores enim maiores licentiam dant nouitiis recipiendi habitum, ergo & illum dimittendi. Vide *quæ dixi Resol.* 54. *num.* 12. 13. *&* 60.

QVÆRES XVIII. An nouitius iniustè expulsus possit reclamare, vt restituatur in pristinum statum? Dico *iniustè expulsus*, quia iustè dimissus, & eiectus nullo modo conqueri potest, quia ipse fuit in culpa, & ideò pœnam expulsionis cogitur sufferre.

37 Respond. Potest reclamare. Probatur, quia nouitius permanendo in probatione eo modo, quo debet, laudabiliter viuendo habet ius perseuerandi, si vult, & in fine anni admittendi ad professionem, vt omnes concedunt, ergo reclamare potest, vt ad hoc ius restituatur. Confirmatur *per Peyrinum de Prælato*

38 *quæstion.* 1. *cap.* 3. *num.* 121. Quia Superior eiiciens non est dominus absolutus nouitium expellendi, sed solum dispensator diuinorum ministeriorum, ergo si non benè agit, reclamatio stat contra illum. Ita etiam *Pellix. tract. 2. c. 3. num.* 60.

QVÆRES XIX. An expellentes nouitium sine causa, & iniquè, qui idoneus est, peccent? Id est, negans illi suffragium sine causa, peccet?

39 Respond. Peccant mortaliter tam Superior, quàm consentientes expulsioni, maximè si eiiciant prope finem anni probationis. Probatur. *Tum quia*, & nouitio, & religioni multum præiudicatur in bono spirituali. Tum quia superior, & conuentus abutuntur facultate sibi concessa, hoc ipso, quod nullam habent causam eiiciendi nouitium. Tum quia retrahens aliquem ab ingressu religionis peccat mortaliter, à fortiori expellentem nouitium, qui proximam habet dispositionem, à qua multum distat, qui petit ingressum. Ita *Peyrinus q. 3. de Prælatis.* 1. *num.* 111. *&* 112. *Miranda tom.* 1. *quæst.* 25. *art.* 12. *Portell.* 11. *Nouitius* 54. *& in addit. n.* 17. *Vecch. disp.* 12. *dub.* 2. *initio.*

Sanchez *lib.* 5. *c.* 4. *num.* 59. ait esse solum peccatum veniale, quia non magis obligatur religio nouitio, quam nouitius ipsi quoad culpam; sed nouitius recedere potest sine culpa mortali, ergo & religio potest illum expellere sine culpa mortali. Respondeo, quod religio simpliciter obligatur, quia cum admisit ad habitum cum intentione illum retinendi, si benè se gesserit, & cum ex parte sua adimpleuerit conditionem, per quam eundem admisit, sequitur, religionem ex quasi contractu teneri seruare illi fidem datam. Nouitius verò stante conditione sui status ad nihil se obligauit, cum is status vt dubius nullatenus obliget nouitium. Deinde nouitius sine nota, & damno proprio recedere potest, religio vero expellere non potest habilem sine nota ipsius nouitij, & præiudicio ordinis, cuius bonum procurare tenentur Superiores. Vide *infra capit.* 15. *num.* 34.

QVÆRES XX. An Generalis, seu Papa propria auctoritate possint recipere ad professionem nouitium reiectum?

Respond. Constito de iniusta expulsione Generalis potest cogere expellentes vt recipiant nouitium, & admittant ad professionem, ipse verò solus id facere non potest. Papa verò propria auctoritate illius professionem recipere potest. Quod si constet de iusta expulsione neuter potest præcipere, vt recipiatur, immo si mandet aliquem recipi ad professionem possunt Superiores humiliter exponere Pontifici inhabilitatem expulsi, tunc enim Papa aquiescet, quia iniqua non præcipit, nec iure præcipere potest. 40

Prima pars de coactione de se patet, quia de Superioribus ex officio incumbit suorum subditorum ad se recurrentiũ pro tollendis grauaminibus iniustitias propulsare, & facere illis iustitiam, ad hoc enim sunt positi, vt procurent non solum salutem animarum suorum subditorum, sed etiam vt emendent, & corrigant eorum errores, & malefacta, maximè quæ redundant in graue præiudicium aliorum; id totum colligitur *ex tit. de excessibus Prælator. & subditor.*

Secunda pars de Generali non potente nouitium per se recipere probatur, quia ipse non est supra Regulam, nec ius commune, quod præscribit nouitium esse recipiendum ad professionem per Superiorem, & conuentum, aliter receptio est nulla, vt dicam suo loco, & de receptione ad habitum dixi supra hic c. 4. *quæst.* 19. 20. *&* 16. Ergo solus Generalis nihil potest quoad hoc; vnde sufficit illi emendare errorem hunc per suum imperium præcipiendo, vt nouitius habilis recipiatur. 41

Tertia pars de Papa recipiente nouitium ad professionem contra voluntatem religiosorum, constat ex eo, quod Papa habet plenitudinem potestatis, & est super Regulam, ius commune, & constitutiones quorum omnium & Dominus, & legislator, ac Superior Generalis omnium religionum, quarum Superioribus, & subditis non tenetur reddere rationem suarum actionum, maximè in hoc casu, quo iniustè nouitius fuit expulsus. Confirmatur per ea, quæ habet *Portell. t. 2. Resp casu* 77. Vbi probat, Superiores non teneri recipere ad professionem nouitiam aliàs inhabilem, esto Papa rescripsisset, vt nouitia reciperetur ad probationem, & professionem peracto nouitiatus anno, id enim intelligitur, si in cursu probationis apparet digna professione, non enim præsumendum est, Papam velle, vt indigna, & inhabilis recipiatur. Si ergo Summus Pontifex potest præcipere vt digna admittatur, ergo per seipsum id præstare potest, quod enim quis potest facere per alium, & per seipsum, maximè Papa, qui super omne genus humanum est. 42

QVÆRES

QVÆRES XXI. An nouitius liberà etiam sine
vlla causa possit recedere sine peccato?

43 Respond. Si non habet votum perseuerandi in re-
ligione sine peccato pro suo arbitratu recedere po-
test habitu dimisso. Expresse c. Consulti 20. de Re-
gul. ibi: *Si ante professionem emissam infra tempus proba-
tionis exire voluerit, licitè possit absque apostasia nota,
vel noxa.* Non est ergo Apostata, quia apostasia incur-
ritur solum per professos desertione habitus, & pro-
fessionis; noxa non est, id est, non peccauit, quia sibi
non nocuit, nec alteri, quia nulli fecit iniuriam, dum
vsus fuit iure suo recedendi. Quare *c. Postulasti 21. eod.*
textus habet, quod nouitij sic recedentes promoue-
44 ri posse licitè ad ordines, & beneficia, *c. Statuim. 23.
eod.* decernitur, nouitius liberè ad seculum redire, ni-
si professerit tacitè, vel expresse, vel appareat eam vi-
tam mutare voluisse, vel sit ingressus animo seruien-
di Deo in habitu regulari, vt dicitur in priori c. 20. Et
ideò dixi non peccare, si non habet votum perseue-
randi in religione, vt indicant mox dicta ex vtro-
que textu, nam ea verba *Propositum suum*, &c. non in-
telliguntur de proposito nudo, sed vestito promissio-
ne, & voto, vt colligitur ex antecedentibus verbis:
*Vt ita demum si sibi placuerit profiteatur ordinis discipli-
nam.* Respondet Papa, in hoc casu *debet vt regulari-
ter viuat ad laxiorem saltem Regulam pertransire.* Ver-
bum *debet* importat obligationem, quam contraxit
ex c. promissionis, non ex nudo proposito. Idem col-
ligitur ex præcit. c. 23. ibi: *Nisi euidenter appareat quod
tales absolutè voluerint vitam mutare, & in religione
perpetuo domino deseruire.* Hæc verba apertè indicant
nouitium habentem promissionem & votum ser-
uiendi Deo in religione, liberè non posse recedere,
ac proinde mortaliter peccare redeundo ad seculum.
Quod illi textus sint intelligendi de proposito, & vi-
ta mutanda ex promissione, docent *Sanch. lib. 9. di-
sput. 33. n. 18. & lib. 4. c. 1. num 20. Sayr in Claui lib. 6.
c. 1. n. 8. & ex illis Barb. super dictum c. 20. de Regul.*

Certum ergo est apud omnes nouitium à promis-
sione liberum, posse recedere ad seculum sine pecca-
to mortali. Ita duodecim Doctores, quos pro se ci-
tat *Peyr. quæst. 3. de Prælato c. 1. num. 104. Miranda
tom. 1. quæst 22. art. 8. Rodriquez tom. 3. quæst 25. ar-
tic. 12. Vecchius disp. 10. dub. 2. num 3.* Vbi de commu-
ni ait, recedentem sine causa, sed ex leuitate animi
peccare venialiter *infra c. 12. q. 20.*

QVÆRES XXII. An nouitius expelli possit eo
quod clam confessus fuit extra ordinem?

Respond. Affirmatiuè, quia demonstrat, se nol-
45 le subijci regularibus obseruantiis, ac proinde se
reddit indignum professione. Ita Molfesius cum aliis
citatis à *Diana resol. 4. de dubiis regular. & dixi ca-
pit. 15. num 58.*

46 QVÆRES XXIII. An nouitius qui interroga-
tus super graui delicto tacuit, & falsum respondit,
expelli possit, quando constat de delicto?

Respond. Affirmatiuè, quia ita decreuit Leo X.
in sua Bulla 19 incipiente. *Cum sicut nobis*, emana-
ta ad fratrem Minorum de Obseruantia, in qua Pa-
pa concedit, quod possint expelli ab Ordine, qui
fuerunt maculati in seculo grauibus delictis, & mo-
niti ea in professione tacuerunt. Si ex hac Bulla eii-
ci possunt taliter professi, à fortiori qui nondum
professerunt. Refertur à Peyrino Bulla 19. Leonis X.
Hæc Bulla modo non videtur habere locum respe-
ctu professorum, nisi seruentur ea, quæ præscribunt
constitut. de eiectis, & fugitiuis.

QVÆRES XXIV. An sufficiat vnus testis ad
expellendum Nouitium?

Respond. Sufficit, quod sit omni exceptione maior,
47 quando nondum indicatus est habilis ad profiten-
dum. Post iudicium verò, & consensum præstitu-
tum requiruntur duo testes deponentes de eo cri-
mine, pro quo expellendus est Nouitius.

Primum probatur, quia ad impediendum matri- 48
monium carnale vnicus testis integer sufficit, *Cardo-
sius in praxi indic. 15. testis num. 43. Farinac in praxi
crimin. part. 2. de testibus quæst. 63. num. 48. Barbosa
ad cap In omni negotio 4. de testibus n. 9. Sanchez li-
bro 2. disp. 71.* Ergo & in matrimonio spirituali pro-
fessionis. Ita *Portell. p. 1. casu 5. num. 6.*

Secundum probatur ex eodem Portello, quia eii-
cere Nouitium iam approbatum est pœna grauissi-
ma, cum iam ex consensu habeat ius quæsitum vt
admittatur ad professionem, quod ante non habe-
bat, ergo maior quoque requiritur probatio, ac
proinde duorum testium contestium saltem proban-
tium delictum in genere.

Quod si quis dicat contra primam partem, vni- 49
cum testem non sufficere, quando agitur de præiu-
dicio tertij inferendo, *Nullus de testibus numer. 85.
Campeg. regul. 94. fall. 3. Mascard. Crous, Farinacius
apud Barbosam ad cap. In omni 4. de testibus n. 6.* Re-
spondetur, hic concurrere duo præiudicia, vnum
publicum conuentus, si non repellatur Nouitius, al-
terum ipsius Nouitij priuatum, quod merito patitur,
ideò & publico obuiandum est, & priuatum permit-
tendum, cum ille sit in culpa.

CAPVT X.

De Repetitione Nouitiatus.

1 *Professio, cui non fuit præmissus nouitiatus, non valet.*
2 *Nouitiatus vitiosus repetitur vt tollatur vitium.*
3 *Nouitiatus peractus ante debitam ætatem renouatur.*
4 *Integritas nouitiatus suppletur ante professionem.*
5 *Nouitiatus interruptus repetitur.*
6 *Si aliqui dies desunt ex fuga si valet, non necessario repetuntur.*
7 *Finito nouitiatu si recedat, & posteà reuertatur non eget nouo nouitiatu.*
8 *Nouitius iniustè expulsus repetit iterum receptus.*
9 *Amens, & furiosus nec illos dies paucos supplent.*
10 *Nouitiatus sine habitu factus repetitur.*
11 *Nouitiatus intrusi repetitur, si non retrotrahitur.*
12 *Informationum defectu valet, & ideo non repetitur.*
13 *Cartusianus, & Minimus infirmi repetunt nouitiatum.*
14 *Nouitiatus extra conuentum designatum peractus repetitur vti nullus.*
15 *Renouitiat transiens ad secunda vota.*
16 *Reuersus ad priorem non repetit nouitiatum.*
17 *Ratificatur professio sine vlla repetitione nouitiatus etiam alias nullius.*
18 *Obligatio omnis vel à lege, vel ab homine, vel ex contractu*
19 *Argumentum ab auctoritate negatiua valet in iure.*
20 *Nouitiatus introductus fuit tantum pro prima vice professionis.*
21 *Nouitiatus defectus non est perpetuum impedimentum.*
22 *Nullum legaliter aliquid producere potest.*
23 *Vrbani Breue de ratificatione professionis non petit ex se repetitionem nouitiatus.*
24 *Dimissus iterũ receptus iure non tenetur renouitiare.*
25 *Recipi tamen potest cum eo onere.*
26 *Diuturnitate temporis mutantur mores.*
27 *Mutatio e loci mutatur mentis affectus.*
28 *Eiectus recipi potest cum onere renouitiandi.*
29 *Conuersus factus clericus non tenetur renouitiare.*
30 *Nouitiatus repetendus ante primam professionem fit in loco designato. non post.*
31 *Transeuntes ab vno ad alium ordinem sub eadem Regula nouitiant.*

32. *Fugitiuus reuersus non renouitiat, sed punitur.*
33 *Episcopus reuersus non repetit nouitiatum.*
34 *Triremibus punitus non renouitiat.*
35 *Nouitio Militensi imponitur nouus nouitiatus.*
36 *Sine quo peracto nulla est professio.*
37 *Regressus non datur ad iura renuntiata.*
38 *Conditio debet impleri in forma speciali aliter gestum nullum est.*
39 *Pacta pro lege habentur, & ad modum legis interpretantur.*

1 CErtum est apud omnes nouitiatum vnius anni integri, & continuati prætermittendum esse professioni, cum sit de eius valore, cuius omissione, siue sit culpabilis, siue inculpabilis, attenta professio est penitus, & omnino nulla, & inualida, ex decreto claro Tridentini sess. 25. cap. 15. Quod verum est in vtroque foro, nec vllus in hoc contradicit.

2 Indubitatum quoque est nouitiatum integrum, & continuatum legitimè peractum esse validum, & sufficientem ad valide profitendum, ac proinde nulla indigere volentem profiteri repetitione eiusdem, quia eiusdem repetitio supponit illum fuisse vitiosum, & defectuosum, ac proinde repetendus est, vt tollatur vitium, seu supplendam aliquam eius partem, vt integrè peragatur, vel etiam repetendum esse ex præscripto ordinis, de quo patebit infra. Est ergo repetendus nouitiatus, quando alias fuit vitiosus, & defectuosus, hoc est, nullus, & inualidus, seu non continuus, sed interruptus, iuxta quod explicabitur in sequentibus quæsitis. Quoniam autem nouitiatus ordinatur ad valorem professionis, ideo de eius repetitione quæri potest dupliciter, primo in ordine ad primam professionem qualitercumque emissam, secundo in ordine ad eius ratificationem, an pariter nouitiatus repetendus sit ante ratificationem, siue alias fuerit validus, siue inualidus. Et primo quidem quærendum est de repetitione eius in ordine ad professionem, deinde ad eiusdem ratificationem.

QVÆRES I. An nouitiatus inchoatus ante inceptionem anni decimiquinti sit repetendus, vt si peractus fuit in anno decimoquarto suæ ætatis.

3 Respond. Affirmatiuè, ita quod finito anno decimoquarto adhuc remanere debet per sequentem annum integrum in nouitiatu. Probatur ex illa communi regula supra hic posita, quod scilicet nouitiatus est repetendus, quandocumque fuit nullus, tollitur enim hic defectus per reiterationem; sed nouitiatus inchoatus ante initium anni ætatis decimiquinti est nullus, vt probatum fuit c. 7. *n.* 5. & 6. respectu masculi, respectu vero fæminæ, si fuerit inchoatus ante duodecimum, ergo repetendus est, quia prior nouitiatus vel vitiosus reputatur, ac si non fuisset præmissus. Ita *Sanch. lib* 5. *c.* 4. *n.* 26.

QVÆRES II. An nouitiatus defectu integritatis sit repetendus, qualis non dicitur integer, si ei desit quid minimum, iuxta dicta *c.* 6. *n.* 19. 20. & 21. *c.* 7 *num.* 11. & *seq.*

4 Respond. Cum nouitiatus à parte post dicatur deficere in integritate, certum est, vt inde possit sequi valida professio debere suppleri illud modicum tempus, quod deest vt valida sequatur professio. Repetitio vero totius nouitiatus à capite non est necessaria, cum fuerit rite peractus vsque ad finem, ideo sufficit supplere id, quod deest.

QVÆRES III. An nouitiatus discontinuatus, & interruptus debeat totus repeti ante professionem?

5 Respond. Affirmatiuè, quia posita interruptione pro nihilo habetur, vnde cum non possit prodesse ad valorem professionis reiterandus est, vt inde professio valida emitti possit. Interrumpitur autem nouitiatus per fugientem cum animo non amplius redeundi capite 8. n. 4. & 7. si absit vltra quindiem numer. 12. etiamsi discedat cum licentia Superiorum num. 20. pariter interrumpitur per iustam expulsionem, & in his casibus repetendus est. Ita *Sanchez libro quinto capit.* 4. *numer.* 32. *Nauarrus consilio* 32. *de Regul. numer.* 4. *ab eodem citatus, Peyrinus quæstion de Prælato capit.* 1. *numer.* 100. *Vecchius disputation.* 11. *dub.* 3. *numer.* 6. & *cæteri omnes apud præcitatos. Ego controuers.* 48. *n.* 26 *Lessius lib.* 2. *capit.* 41. *num.* 59. ait, quod ille, qui fugit, seu recedit per paucos dies, per quos tamen non interrupit nouitiatum, debet supplere totidem dies, quot intermisit; sed ego non video necessita- 6
tem huius supplementi, cum nouitiatus dicatur etiam in eius sententia continuus, immo & integer, cum illi pauci dies, quibus abfuit nouitius, pro nihilo habeantur, ac proinde fictione iuris censeatur nouitius non fugisse, ideo tenet professio, licet illi dies non suppleantur.

QVÆRES IV. An nouitius peracto legitimè anno nouitiatus, si recedat insalutato hospite animo non redeundi, si postea ductus pœnitentia paucis diebus interpositis, recipi possit sine noua probatione.

Respond. Affirmatiuè, quia nouitiatus legitimè 7
peractus non cessat esse talis per illum recessum, nec incipit esse defectuosus, vitiosus, seu inualidus, vt probaui *capite* 8. *num.* 43. ergo non est repetendus, cum careat defectibus, qui tolluntur per reiterationem. Ita *Glossa in Regul. Eum qui, de regul. iur. in* 6. *Sanchez lib.* 5. *capit.* 4. *numer.* 34. *Rodriquez tom.* 3. *quæstion.* 15. *art.* 10. §. *Aduertendum denique*, loquens de Moniali nouitia; *Bonacin. quæstion.* 2. *de Clausura part.* 10. §. 2. *difficultas.* 2 *numer.* 4. etiamsi longa mora intercesserit, inquit iste. Contra *Suarez & alii apud Tamburrin.* 3. *disputat* 6. *quæstion.* 7. *num* 12. *Peyrin quæstion.* 3. *de Prælato quæstion.* 3. *cap.* 1. *num.* 99. eo fundamento, quia annus probationis continuatur cum professione. Sed hæc ratio est omnino falsa, vt probaui loc. cit.

QVÆRES V. An expulsus, sed iterum receptus debeat totum nouitiatum repetere?

Respond. Si iustè fuit expulsus tenetur renouitiare, non autem si iniquè dimissus fuit. Ratio ex 8
eo constat, quia nouitiatus reiteratur posita eius discontinuatione, sed interrumpitur ex iusta expulsione, non verò ex iniusta, vt probatum fuit *capite* 8. *numer.* 22. ergo in priori casu repetitur non in posteriori. Ita ex *Sanchez libro quinto capit* 4. *numer.* 34. & 59. *Vecchius disputation.* 21. *dubio tertio, num.* 9.

QVÆRES VI. An amens, & furiosus teneantur repetere nouitiatum, quem mente sana inchoarunt.

Respond. Negatiuè, sed solum debent supplere 9
illud tempus, quo fuerunt in amentia, & furore, quia per hoc nouitiatus non fuit interruptus, cum actus dementiæ, seu furoris infringere non possint cœptam legitimè probationem, quam tantum suspendunt, ideò sanitate restituta suppletur tempus omissum, si fuit notabile. Ita Sanchez libro quinto cap. 4. numer. 55. Immo crederem illud tempus non repetitum non impedire valituram professionem, quia hoc ipso, quod continuatus fuit nouitiatus videtur sufficere ad valorem professionis, nec enim nouitius multum dormiens, & extra tempus debitum, & naturæ non necessarium, cui Sanchez comparat amentem, & furiosum, tenetur supplere illud tempus, quod dormitioni correspondet, ergo neque in casu præsenti.

QVÆRES VII. An nouitiatus factus sine veste religiosa eius ordinis, quem profiteri intendit nouitius sit repetendus vt professio validè emittatur.

Respond. Affirmatiuè, quia vel inualidus pro nullo 10
habetur,

habetor, ac si non fuisset præmissus, vt probaui c.6. n.a8. ergo repetendos, vt professio valeat.

QVÆRES VIII. An nooitiatus factus ab intruso sit repetendus, vt valeat professio?

11 Respond. Affirmatiuè, quia talis nouitiatus est nullus, ac proinde repetendus, vt teneat professio nondum facta iuxta dicta *cap. 6. num.* 53. & 54. Si verò dicamus ibidem ex n.61. per ratificationem retrotrahi probationem ad primom diem recepti habitus licet inualidè, non est necessariom repetere nouitiatum, qui subsanatus fuit per eam ratihabitionem.

QVÆRES IX. An ex defectu informationum ex præscripto Syxti V. repetendus sit nouitiatus, vel supplendus factus ante informationes?

12 Respond. Negatiuè, quia omissio informationum non vitiat noultiatum ex dictis *c.6.n.6*a.& 63. ergo non est repetendus, cum nullum supersit vitium de nooitiatu tollendum.

QVÆRES X. An nouitius continuè infirmus, sanitate recoperata incipiat tunc nooitiatum, supplendo quod deest, vel renouitiando?

13 Respond. Nouitius Cartusianus, & Minimus, qui in toto anno nouitiatus ob continuam infirmitatem semper comedit carnes, tenetur inchoare nouitiatum, vt valide profiteiat, qoia habitus in infirmitate nullius fuit momenti ea probatis cap.6. n.71. In sententia aliorum cum sit validus, non est repetendus.

QVÆRES XI. An noultiatus nullus ex eo, quod factus fuit extra conuentum designatum ad normam Constitutionum Clementis VIII. repetendus sit?

14 Respond. Affirmatiuè, quia Papa vult talem nouitiatum pro nihilo haberi, adeo quod si nouitios vult valide profiteri debet illum repetere in conuentu aliquo rite designato ad formam Constitutionum Clementis VIII.

QVÆRES XII. An transiens ad secunda vota teneatur facere nouitiatom in secunda religione? Vide *Res.*a9.*n.*62.*res*53.*n.*13.*& contr.*48.*n.*48.

15 Respond. Affirmatiuè; quia nullum experimentum de austeritatibus, & moribus captum est, ergo præmittendos est nouitiatus, vnde quælibet religio scribit annum probationis volentibus ingredi, vt probaui c.5. hîc n.54.& c.6.n.14.

QVÆRES XIII. An volens reuertere ad primam religionem teneatur repetere nouitiatum, an sufficiat nouitiatum primò præmissum?

16 Respond. Non tenetur, quia asperitates religionis iam primo sufficienter expertos est, & mores illius satis noti sunt in prima religione, in qoa acquisiuit nomen instabilis, qualis est ille, qui nonquam in eodem statu permanet. Ita *Resol.*99.*n.*54. vbi dixi, Superiorem, ad quem reuertitur posse petere aliquid probationis, vt experiator, an eius mores mutati fuerint, & dixi *controu.*48. *n.*49. vbi gratis assiai correctionem, vtrumque enim saluari potest, & dicam infra quæst.15.

QVÆRES XIV. An in illis omnibus casibus supradictis, & aliis, in quibus repetitur nouitiatus inualidus, reiterandus sit in ratificatione professionis inoalidæ?

17 Respond. In ratificatione professionis ea quocumque capite inualidæ non est necessarium repetere nouitiatum, esto is fuisset nullus, & irritus. Probatur *Tum quia* in iure *cap.* 5. *de iis, qui vi, cap. significatum* 11. *cap. cum virum* 12. *de Regular. cap.* 1. *eodem in* 6. vbi agitur de ratificatione professionis inualidæ nulla fit mentio de huiusmodi obligatione renouitiandi, ergo non est reiterandus nouitiatus. *Tum quia*, nulliter professus sufficienter ante expertus est asperitates, & obseruantias regulares, cum vixit cum cæteris Religiosis, qui eius mores obseruauerunt, ad hunc enim finem annus probationis introductus fuit, ex *c. ad Apostolicam* 16. *de Regular.* ergo alia probatione non indiget, qui enim certus est, non oportet vlterius certiorari, Regul. 31. in 6. *Tum quia*, omnis obligatio nascitur vel ex lege, vel 18
ex homine, vel ex contractu, ad hæc enim capita reducitur omne genus obligationis; sed repetitio nouitiatus non est obligatio legalis ex primo argumento, quia nullibi in iure exprimitur, in quo valet argumentari negatiue, *Gloss.* 11. *Statutum extr. Ioan.* 19
XXII. de voto, neque ab homine, nisi quatenus infra dicetur; nec consurgit ex contractu, quia licet professio speciem habeat contractus, non tamen includit obligationem renouitiandi, sed tantum ex parte religionis retinendi, & alendi professum, ex parte vero professi perseuerandi in religionis instiutio; ex nullo igitur capite renouitiandum est. *Tum quia*, à Sanctis Patribus, & Sacris Canonibus, & per Concilium Tridentinum pro vna vice tantom introductus fuit annus probationis, & quidem an- 20
te professionem, cuius obligatio cum professione extinguitur, quia præponitur illi tantum, & non postponitur, ergo eius obligatio vlterios non extenditur. *Tum quia*, nouitiatus legitimè peractus, & validus existens respectu primæ professionis, adhuc talis remanet quando ea ex alio capite est nulla, consequenter non est reiterandus, quia sicut fuit vtilis pro prima professione, talis quoque remanet pro ratificatione, potest enim mediare tempus inter probationem, & professionem, in quo nouitius nondum professus non sit in probatione ex dictis *cap.* 8. *num.* 47. remanet ergo difficultas circa eius inualiditatem, quæ nullius momenti est, quia causæ, ex qua eius nullitas resultat ordinantur solum ad primum professionis actum, vt colligitur ex iuribus præscribentibus annum probationis, quæ loquuntur de nouitiatu in ordine ad professionem, non eius ratificationem, nam obligatio nouitiatus limitatur tantum ad vnum naturalem annum ante professionem ex iuribus, ergo vltra non extenditur. *Tum quia*, defectus nouitiatos non est perpetuom impe- 21
dimentum, sed temporale durans tantum per vnum annum, ante professionem finito ergo anno, & prima professione emissa, cessat ea obligatio, ergo & nouitiatus in ea fundatus, ac proinde nulla alia insurgit obligatio, cum nulliter professus more aliorum tractetur, & sufficientem dicatur habere experientiam de vita regulari, & alij professi notitiam habeant meliorem de eius moribus, quam ante habebant, non igitur opus est reiteratione nouitiatus, cum finis eios iam extiterit. *Tum quia*, Tridentinum sess. 25. c. 19. post quinquennium negat audientiam volentibus reclamare super nullitate suæ professionis, quia eius præsumit professum ratificasse professionem suam alias nulliter emissam in foro conscientiæ, vt tradit *Sanch. lib.* 7. *disput.* 27. *n.* 9. ergo ad ratificationem non est necessaria repetitio nouitiatus, ex quo in Tridentino nulla fit mentio de iteratione nouitiatus. Et id procedit, siue nullitas professionis, vel nouitiatus sit notoria, & publica siue occulta, quia allatæ rationes probant pro vtroque casu. Ita *Sanchez lib.* 7. *disputation.* 37. *numero* 47. *& 48. & libro quinto, capite quarto, numer.* 14. *Lessius libro secundo, capit.* 41. *numer.* 66. *sed contrarium, Vecchius disputation.* 14. *dubio quinto, numero quinto, Portellus* 51. *Professi numer.* 2. *Bonacina quæstion. secunda de Clausura part.* 10. *difficult.* 1 *numero quinto*, 5. *Addo, Lezana parte prima, capit secundo, numer. nono, Compend. resolut* 101. *numer* 76. *Peyrinus quæstion.* 3. *de Prælata cap. primo. num.* 14. *Pellizarius tractat tertia, capit. quinta, numer.* 50. *Ego controuers* 48. *à num.* 8. *& cap.* 6. *extra quæstion.* 12. *ventrilia annotat.* 47. *numer.* 14. *Moronus respon.* 82. *num.* 176.

num. 176. *cum Castropalao, Raggius dub.* 19. *sub num.* 2.
Contra *Rodriquez, Suarez, & Nauarrus cum alys*
apud pracitatos prasertim Sanchez lib. 7. *disput.* 37. *n.* 46.
Vecchium disputat. 14 *dub.* 5. *num.* 5. petiutes nouum
nouitiatum, quando præmissus fuit nullus, & in-
ualidus. Ratio illorum est. *Prima*, quia quod ab
initio non subsistit tractu temporis conualescere
non potest, nisi remoto impedito, quod in casu
præsenti est defectus nouitiatus, ergo eo reïterato
conualescere poterit professio nulla defectu vitiosi
nouitiatus. *Secunda*, sicut impositio manuum omis-
sa in collatione sactorum ordinum supplenda est ex
cap. 1. *&* 2. *de Sacramen. non iterand.* aliter nulla re-
manet ordinatio, ita repetenda est pars nouitiatus
omissa, aliter non potest ratificari fructuosè profes-
sio, vnde *Sanchez lib.* 7. *disp.* 37. *num.* 50. ait, non
esse iterandum nouitiatum, quod non fuerit præ-
missus anno integro professioni, sed sufficit profes-
sionem illam ratificare completo tempore, quod
deerat illi anno. *Tertia*, quia quod nullum in se est,
nullum potest iuris effectum producere, ergo inua-
lidus nouitiatus efficere non potest, vt professio va-
lide ratificetur, quæ aliàs nulla fuit defectu nouitia-
tus. *Quarta*, quia Vrbanus VIII. in sua Bulla quin-
ta in Append. B. N. supponit, nouitiatum esse refi-
ciendum exactum extra conuentum designatum,
hoc ipso, quod nouitiis condonat reïterationem
nouitiatus inualidi, vt eosdem alliciat ad ratificatio-
nem professionis, & ita in hoc sentit *Donatus par.* 4.
tractat. 8. *quæst.* 6. qui rem hanc multis prosequitur,
num. tamen 11. ait, non esse reiterandum nouitia-
tum, si occultum est impedimentum inficiens no-
uitiatum. Oportet singulis respondere.

Primæ respondetur, impedimentum vitiosi noui-
tiatus restringi tantum ad primam professionem,
non extendi ad eius ratificationem; & prætetea cum
non sit impedimentum perpetuum, sed tantum an-
nale durans vsque ad primam professionem, qua
emissa, dicitur cessasse, & remotum fuisse tempo-
re ratificationis, cui ideo obesse non potest, vt pa-
tet supra in argumentis.

Secundæ, suppletio impositionis manuum ex-
presè cauetur in illis textibus; nullibi vero præ-
scribitur repetitio, aut suppletio nouitiatus omissi,
vel male peracti; nisi ante primam professionem.
Deinde nulla necessitas cogit supplere partem no-
uitiatus omissam, quia à prima professione vsque
ad ratificationem cum nouitius perseuerauerit cum
professis, ac si esset vere professus in obseruantiis
regularibus, sufficienter censetur suppleuisse to-
tum id, quod erat supplendum, experitur enim
nouitius dum exercet obseruantias regulares, &
professi obseruatores continuo dicuntur experiri
austeritates religionis, dum suam Regulam, & Con-
stitutiones obseruant, vt notum est.

Tertiæ respondet *Sanchez lib.* 7. *disput.* 37. *num.* 58.
Nouitiatum esse validum, quoad experientiam, &
mores, nam ipse reuera austeritates probauit, &
religio eius mores obseruauit, licet nulla fuerit co-
ram Deo defectu aliquarum circunstantiarum, quo
ad experientiam, ergo influit in valorem ratificatæ
22 professionis. Dicas tu *Primo*, id quod nullum est,
quandoque producere aliquem effectum, nam ex
capit. 2. de Regul. in 6. professio à nouitiis Prædi-
catorum, & Minorum emissa infra annum proba-
tionis olim obligabat taliter professum ad religio-
nem in genere, & tamen erat nulla, sicut & nunc
est ex dispositione Tridentini, ergo nihil aliquid
operari potest, quare annus probationis licet nullus
influere poterit in ratificationem professionis, si
ad eius v[illegible]rem sit necessarius, & sic sufficiet sine
iteratione. *Secundo*, cum ex supradictis constet
nouitiatum non pertinere ad valorem professionis
ratificandæ, sed solum sis necessarium, vt rite per-
agatur respectu primæ professionis, ideo sine eius
iteratione valide ratificari potest.

Quartæ satisfit dicendo Vrbanum Octauum 23
condonasse repetitionem nouitiatus respectu eo-
rum, qui hanc opinionem tenent, non quod re-
uera nouitiatus repetitio sit necessaria ad valorem
ratificatæ professionis, aut eiusdem suppletio pro
ea parte, quæ deest. Vt igitur remoueret scrupu-
los à nonnullis, & facilitaret nulliter prof. ssos ad
iterum profitendum fecit illius gratiam de reïte-
ratione nouitiatus, & ita docui *controuers* 48. *nu-*
mero 14. vbi antecedenter respondi ad huiusmodi
obiectionis; & *Resolut.* 99. *numero* 15. *item capite* 4.
extra quæst. 37. *& cap* 6 *quæst.* 12. *quicquid dicat Do-*
natus pars. 4. *tractat.* 8. *quæst.* 6.

QVÆRES XV. An dimissus titulo recla-
mationis ad formam decreti Tridentini, si postea
reuertatur debeat renouitiare?

Respond. Dimissus, cuius professio reuera erat 24
nulla, non tenetur renouitiare, quia vitam regula-
rem iam aliàs expertus est, & mores eius noti sunt
religiosis, ergo cum adhuc vigeat effectus finis no-
uitiatus, non est opus illum repetere, qui enim
certus est, non oportet vlterius certiorari. Ita do-
cui *cap.* 4. *extra quæst.* 36. *Resolut* 8. *num.* 65. *&* 77.
& contr. 48. *num.* 45. *iterum resolut.* 99. *num* 47. Vbi
dixi, quod sicut legitimè dimissum ex nullitate 25
professionis patente superiores recipere non tenen-
tur, ita dispositi ad illum recipiendum possunt illi
imponere onus renouitiandi, si per multum tem-
poris, & plures annos remansit in seculo, quia & si
ex parte dimissi adhuc vigeat experientia austerita-
tum, in quantum sibi notæ sunt, tamen religio
ignorat an perseuerauerit eum eisdem moribus,
quibus ante in religione viuebat, vnde vt illius mo-
res subsecutos notitiam habere possit, potest illi
hoc onus imponere renouitiandi per aliquot men-
ses antequam profiteatur, non de iure, in quo id
non præscribitur, sed sub conditione si velit in-
gredi. Et causam rationabilem habent ita cum illo 26
paciscendi, quia diuturnitas temporis mores mu-
tat, & diuersificat operas, & actiones hominum,
ex l. Si non sortem 26. *§. Libertus ff. de conduct. indeb.*
Atque dum mutatur locus sæpe etiam mutatur men- 27
tis affectus, *cap. valet* 9. 81. *cap. Fratrem* 6. 86. *dist.*
Quare hæc, & similia iustam causam tribuunt supe-
rioribus cogendi reuersos ad renouitiandum.

QVÆRES XVI. An eiectus recolligi possit
cum onere renouitiandi?

Respond. Affirmatiuè, ob eandem rationem, qua 28
superior mouetur ad imponendum onus dimisso pe-
tenti regressum, valida enim est præsumptio, quod
eiectus remanserit incorrigibilis, & peior factus in
sua libertate, vt autem ea tollatur, probandus est, vt
constet, an adhuc sit incorrigibilis, sicut erat ante.
Ita notaui *Resolution.* 99. *numer.* 56. *& contra.* 48.
quæstion. 4.

QVÆRES XVII. An conuersus professus tran-
siens ad clericatum egeat nouitiatu? Et è contra à
clericatu deiectus in numerum laïcorum?

Respond. Negatiuè, quia sufficienter primus no- 29
uitiatus perseuerat secundum experientiam, & mo-
res, præsertim cum ambo maneant in eadem reli-
gione, & illi status in ratione vitæ regularis parum
differant. Ita docui *Contrau.* 9. *num.* 9. *& controuer.* 48.
num. 54. *Peyrin. quæst.* 3. *de Prelato c.* 8. *num* 148. Vbi
multa de hac re.

QVÆRES XVIII. In casu, quo nouitiatus re-
petendus est, an præmittendus in loco designato per
Sedem Apostolicam?

Respond. Præmitti potest in quolibet conuentu 30
indifferenter, quia designatio certi conuentus pro
nouitiis restringitur ad nouitios à seculo primo ve-
nientes ad religionem, vt expresè colligitur ex
decretis

decretis Clement. VIII. Nouitiatus ergo non reperitur in conuentu designato nisi ab illis nouitiis, qui à sæculo venientes nondum aliquam professionem emiserunt. De transeuntibus dixi *Resol.* 54. *num.* 175. *& hic c.* 5. *num.* 44.

QVÆRES XIX. An militantes sub eadem Regula, vt Conuentuales, Obseruantes, & Capucini sub prima Regula S. Francisci, transeuntes debeant nouitiatum facere?

31 Respond. Affirmatiuè, quia transiens ignorat disciplinam regularem, quæ est in vsu in alio ordine, ad quem transit, licet enim Regula sit eadem, diuersi tamen sunt modi obseruandi eam ex variis singulorum constitutionibus nec noti suot mores transeuntis in secundo ordine, eum apud illos non sit commoratus. *Confirmatur*, quia omnis professio supponit ad sui valorem nouitiatum. Ita *Sorbus* 15. *Nouitius* asserens iotes Capucinos esse ordinationem, vt Conuentuales ad se transeuntes præmittant nouitiatum. Item renouitiare tenentur Obseruantes transeuntes ad Reformatos, ex Bulla 55. Gregorij XIII. incip. *Cum illius vicem* §. 4. *&* 5. *Barbosa ad cap.* 15. *sess.* 25. *ex Sellio, refert sub num.* 17. Discalceatos Trinitarios transeuntes ad Calceatos debere annum probationis peragere, non tamen de nouo proficere. Item nostri Transeuntes ad Gallos, & Galli ad nos debent renouitiare, immo & reprofiteri propter diuersa instituta, & Superiores, vt probaui, *Resol.* 29. *q.* 36 *& contr.* 48. *num.* 53.

QVÆRES XX. An fugitiuus per plures annos reuersus debeat renouitiare.

32 Respond. Negatiuè, sed puniendus est iuxta cap. fin. de Reg. vt emendetur in melius.

QVÆRES XXI. An Episcopus reuersus ad suam religionem teneatur repetere nouitiatum?

33 Respond. Negatiuè, quia sibi constat de experimento sui ordinis, & religioni de eius moribus, qui non præsumuntur in eo mutati, sed potius meliorati à statu perfecto ad statum perfectiorem Episcopatus. Vide *Controuers.* 48. *n.* 50. *& in meo Theatro Præcedentiæ Parmæ excusso q.* 62. *num.* 190. docui, honorandum esse post Priorem.

QVÆRES XXII. An damnatus ad triremes reuersus cogatur ad renouitiandum?

34 Respond. Negatiuè, quia finita pœnitentia tenetur redire, & liberè est recipiendus, cum sponte non recesserit, nec vt incorrigibilis expulsus.

QVÆRES XXIII. An in ordine Ierosolymitano M. Magister licitè apponat pactum, & onus renouitiandi nouitiis, qui ante professionem obtinent licentiam eundi ad domum paternam pro suis negotiis? Et eorum professio teneat, si deinde non renouitiant iuxta pactum?

35 Respond. Ad primum tale onus licitè apponi, quia cum Religio S. Ioannis vnicum habeat conuentum, non potest obseruare vitam, & mores suorum nouitiorum longissimè vt plurimum abeuntium, sicuti facit, dum sunt in conuentu, aut in caranauis sub obedientia alicuius Fratris superioris, ideo consulendo decori, & magnificentiæ, Magister apponit huiusmodi onus renouitiandi, vt hac ratione conseruentur in anteacta vita laudabili, & probata, vt dignè valeant profiteri.

36 Respond. Ad secundum nulla est professio, si non præmittatur nouitiatus nouus ex pacto. *Tum quia*, in ea religione primus nouitiatus cassat, & pro nihilo habetur, & secundus attenditur, sine quo nulla est attentata professio. *Tum quia* nouitius vtendo licentia cum tali pacto, & onere censetur renuntiare priori nouitiatui, & se tantum obligare ad secundum, non enim reuerti potest ad primum, cui renuntiauit,

37 quia non datur regressus ad iura renuntiata, *c. Quam periculosum* 8. 7. q. 1. *gl. iura ad id citat l. Quæritur* § *Si venditor ff de ædil. edict. Tum quia* hoc pactum est conditionale; conditione autem non verificata, nec purificata, attentatum est nullius momenti, quia conditio inducit formam, qua omissa nihil fit, ideo conditio debet impleri in forma specifica *l. qui hæred.* 44. 38
l. Maxius 54. *ff. de condit. & demonstrat. Menoch. consil.* 39. *à n.* 4 *Surd. decis.* 209. *n.* 2. *&* 3. *M. Anton. lib.* 1 *resol.* 56. *num.* 2. *Tum quia* pacta pro lege habentur *l. legem Cod. de pactis*, & legi æquiparantur *l. fin.* 39
C. de reb. Eccles. non alien. Ideo quicquid lege fit pacto fieri potest, *l. Non impossibile* 51. *ff. de pactis*; ergo more legis seruandum est, atque interpretandum, vt nimirum nulla sit professio, si non seruatur, sicuti inualida est, si non præmittitur annus probationis ad formam legis Tridentini. Ita docent *Augustin. de Bellis Cler. Regul. suppos.* 8. *à num.* 76. in causa inualidæ professionis Marchionis Corsini. *Diana in simili causa in folio separato, tandem impresso sub part.* 10. *tractat.* 10. Sed sino hac speciali quæstione, sequitur Auersa in simili consultatione eo fundamento, quod nouitiatus debet durare vsque ad professionem. *Ego Resol.* 99. *n* 50. *& sequent.*

CAPVT XI.

De Iudice Nouitiatus.

1 *IVdicium est agitatio causæ coram iudice inter actorem & reum.*
2 *Causa alia criminalis, alia ciuilis.*
3 *Quando delictum tractetur ciuiliter.*
4 *Iudex pronuntiando ius non dat, sed illud declarat pro vno contra alium.*
5 *Actor, & Reus quis dicatur.*
6 *Iudicatur non nisi subditus.*
7 *Ne ab alio iudicetur interest Superioris.*
8 *Subditus quis esse non debet plus quam oportet.*
9 *Subditus dicitur quis quatuor modis.*
10 *Domicilium contrahitur actuali habitatione cum animo perpetuo habitandi.*
11 *Domicilia plura quis simul habere potest.*
12 *Nouitij contrahunt domicilium, vbi probantur.*
13 *Prælatus regularis habet iurisdictionem fori externi in nouitium.*
14 *Licet velit adhuc recedere cogitur subire pœnam.*
15 *Perpetui carceris, aut triremium.*
16 *Carcerari potest nouitius.*
17 *Est ius Carceris in religionibus.*
18 *Carcer affert magnum dedecus, & damnum irreparabile.*
19 *Triremibus damnari potest.*
20 *Sententia habet executionem paratam.*
21 *Torturari potest negans delictum.*
22 *Tortura dari potest per sæcularem expertum.*
23 *Nouitius post delictum fugiens adhuc est subiectus.*
24 *Tempus delicti attenditur ad fundandam iurisdictionem.*
25 *Delinquens extra adhuc punitur intra.*
26 *Territorium est conuentus.*
27 *Immo totus mundus.*
28 *Inedia affici non potest merens mortem.*
29 *Punitur in ære aliquando.*
30 *Transgressor Regulæ carceratur.*
31 *Censurari possunt nouitij.*
32 *Eadem potestas Superioris in nouitios & professos.*
33 *Nouitius membrum, & pars conuentus.*
34 *In odiosis non sunt nouitij nisi exprimantur.*
35 *Conueniuntur ciuiliter coram Superiore, vel Conseruatore.*
36 *Episcopi puniunt nouitios in casibus in quibus professos.*
37 *Delictum nouitij commissum ante ingressum non punitur à laico.*

38 Nouitius

38 *Nouitius persona Ecclesiastica.*
39 *Non punitur ab Episcopo pro delicto facto ante ingressum.*
40 *Non subsunt nouitij Episcopo.*
41 *Intrusus punitur à laico.*
42 *Receptio criminosorum licet sit illicita est tamen valida.*
43 *Ingressus post delictum, sed ante accusationem, & inquisitionem punitur à laico.*
44 *Iudicium finiendum à quo fuit cœptum.*
45 *Principium ponens, & finem absoluere debet.*
46 *Ingrediens criminosus non dicitur confugere ad Ecclesiam.*
47 *Puniri potest nouitius à iudice laico in ære.*
48 *Per ingressum nouitius non acquirit sua bona monasterio.*
49 *Sed tantum per professionem contra Martam.*
50 *Ingressus in iure sumitur pro professione, explicatur autentica.* Ingressi.
51 *Voto ligatus si post accusationem ingreditur, dicitur id fecisse in fraudem.*
52 *Nouitius post delictum fugiens non punitur à laico, nec ab Episcopo.*
53 *Dicta de nouitijs sunt communia claustralibus, & militaribus.*
54 *Priuilegijs fori, & canonis non gaudet nouitius nisi post receptum habitum actu*
55 *Pro cincto habetur proximè accingendus, explicatur.*
56 *Trahentes nouitios ad tribunalia laica incurrunt excommunicationem Bullæ*
57 *Causa ciuilis cœpta à iudice laico ab eo finitur licet nouitius profecerit.*
58 *Nouitij exempti sunt à gabellis, & collectis ratione suorum bonorum.*
59 *Nouitij in casibus S. Officij subsunt Episcopis, seu Inquisitoribus.*

1 IVdicium est agitatio causæ coram Iudice inter Actorem, & Reum, quibus iustitiam ministrat, vni quidem in fauorem, alteri in odium. Dixi primo *Agitatio*, cuius nomine veniunt omnes actus, qui concurrunt in constructione, & instructione processus à principio vsque ad finem totius causæ.
2 Dixi secundo *causa*, quæ duplex est, alia criminalis, per quam delictum inuestigatur eo fine, vt delinquens puniatur, in bonum publicum, interest enim Reipublicæ, vt crimina puniantur, neque enim expedit illa remanere impunita. Alia ciuilis, in qua agitur de vtilitate proximi ex iustitia commutatiua, vt quando partes litigant super aliqua re mobili, vel immobili, cuiusnam sit, & ad quem pertineat: vel agitur de vtilitate Reipublicæ ex iustitia distributiua, vt quando conferuntur officia, & beneficia, dignitates, & honores, in his enim iudex, & superior inuestigare debet, quinam sint aptiores, & digniores, quibus conferenda sunt pro vtilitate Reipublicæ. Vnde eorum habilitas, & dignitas potissimum inquiritur ex anteacta vita, an fuerint criminosi, &c. & tunc causa agitatur ciuiliter, licet quæratur de delictis, non vt persona puniatur, sed vt constet, an sit digno officio, quod est in causa procedere ciuili-
3 ter. Dixi tertiò *coram iudice*, quia nulla causa agitatur, nisi coram iudice proprie accepto, qui fungitur publico officio, ex quo dicitur persona publica habens iurisdictionem fori externi, non enim datur iudex sine iurisdictione, qua dicitur potens ministrare iustitiam inter partes, vt nominis ætimologia indicat *Iudex*. i. ius dicens partibus, ius dicens, hoc est, declarans, ius habere, vel non habere locum in tali causa,
4 iudex enim pronunciando ius non dat, sed illud declarat, *l. Sicuti* 8 § *Sed si quæratur ff. si seruitus vendic.* Sub nomine iudicis venit etiam Arbiter, qui a partibus electus accipit potestatem iudicandi in causa sibi proposita. Dixi quartò *inter Actorem, & Reum*; 5
nam causa tractari non potest nisi inter duos ad minus litigantes, in criminalibus Actor dicitur proprie accusator, quo officio fungitur quandoque fama, vt cum superior ex officio visitat, in ciuilibus vero dicitur solum Actor. Rei vero nomen commune est vtrique causæ, Reus enim dicitur ille, contra quem, & criminaliter & ciuiliter quæritur. Dixi quinto *quibus iustitiam ministrat*, etenim tendit officium iudicis, vt iudicio facto partibus ministret iustitiam, ad hunc enim finem partes litigant ad inuicem, vt iustitiam, quam ignorant, dum quisque eorum putat illam pro se habere, illis demonstret, & adiudicet. Hinc deducitur sensus illorum verborum Psal. 118. *Feci iudicium, & iustitiam.* i. formaui processum, & ex illo bene considerato, & intellecto, in quo consistit iudicium, pronunciaui sententiam, quam Profeta vocat iustitiam, & merito, quia sententiæ nomen non meretur, si iniqua, & iniusta est. *Demum* dixi iudicem vni fauere contra alium, quia cum sit impossibile, quod duobus inter se altercantibus debeatur sententia fauorabilis, hinc est, quod vnus absoluitur, alter condemnat, vnus accipit, alter perdit, vnus vincit, alter vincitur, & succumbit, iustitia ita exigente.

Notandum autem est, quod relatio est inter iudicem, & iudicatum, nam iudex est superior causa pro quo, vel contra quem fert sententiam, is vero qui iudicatur, est subditus iudici, saltem in causa iudicij, & 6
iustitiæ, non enim iudicatur nisi subditus: Paulus ad Romanos 14 *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum, domino suo stat, aut cadit.* Diu. Thomas 2. 2. q. 67. ex Cajet. de auctor Papæ t1. 2. c. 10. Vnde subditus ne ab alio iudicetur interest superioris. *Rodriquez tom. 1. q.* 7
36 art. 5. § Præterea. Sanchez lib. 4. c. 39. num. 29. Diana p. 9. decis. 6. §. Adhuc dicebant. Neque enim subditus 8
debet esse plus quam oportet, *cap. Admonendi 56. 2. q. 7. Margo cap. nullam 9. 18. quæst. 2.*

Subditus autem dicitur aliquis multis modis, nimirum quatuor, ratione delicti; ratione contractus; 9
ratione domicilij; & ratione rei, de quibus cap. Licet 20. de foro compet. de singulis aliquid dicendum. *Primo*, de subiectione ratione delicti, nam delinquens fit de iurisdictiona eius, in cuius loco deliquit, vnde delictum dat iurisdictionem ei, qui aliàs eam non habebat, vt autem iudex in eum agat, necesse est, quod post delictum inueniatur in loco delicti, aliter se absentando iudex remanet illusus. Vide Barbosam ad cap. Postulasti 54. de foro competen. Colligentem Doctores. *Secundo*, quis fit subditus ratione contractus, quo nomine venit quilibet contractus, vel quasi contractus, seu aliud, ex quo oritur obligatio, sortitur enim forum illius iudicis, in cuius territorio contraxit, si ibi reperitur, secundum leges illius iudicatur, de qua re idem Barbosa in cit. cap. Licet, colligit Do- 10
ctores. *Tertio*, quis dicitur subditus ratione domicilij, siue sit originis, siue habitationis tantum, hoc autem acquiritur ex actuali habitatione cum animo manendi in loco habitationis, glos. 13. ciuem, & lares D. de incolis, Sanchez lib. 3. disp. 23. ibi vtrumque declarat. Quis autem in duobus locis simul potest habere plura domicilia, cap. 2. de sepul. in 6. cap. Ex parte, de foro competen. *Quarto*, ratione rei quis 11
sortitur forum, & fit subditus illi domino, in cuius loco, seu territorio est res, de qua agitur, vt dicitur in præcitato capit. *Licet 20. & præced. cap. Sane 3. de foro competen. vbi Barbosa cogit. Doctores.*

Indubitatum est, supradictam doctrinam compete- 12
re nouitiis, nam forum, & subiectionem sortiuntur illis quatuor modis, ratione delicti, contractus rei, & domicilij, quod dictum habitationis contrahunt per ingressum in religionem actualem cum animo in ea perpetuo manendi. Ita enim omnes nouitij regulariter ingrediuntur, & dicuntur domicilium contraxisse in illo conuentu, in quo incipiunt habitare, & facere nouitiatum.

nouitiatum. *Sanchez lib. 4. cap. 39. n. 20. fine, & lib. 6. cap. 10. num. 12. Naldus verbo num. 10. Moronus resp 85. num. 16 Vbi citat Suarez tom. 4. de Relig. tractat. 2. lib. 1. cap. 17. n. 14. & 15. Castrum palaum tractat. 16. quæst. 1. part. 11. Lezana tom. 1. cap. 24. num. 6. Pellizarius tractat. 2. cap. 7. n. 47. Barbosa de Episcopo part. 2. allegat. 4. num. 63.* vbi de nouitio, qui ordinari potest ab Episcopo, in cuius diœcesi moratur in probatione. *Tamburin. 3. dissmat. 6. quæst. 6. num. 12.* His prælibatis.

QVÆRES I. An superior regularis habeat potestatem iurisdictionis fori externi puniendi nouitios delinquentes?

13 Respond. Affirmatiuè, tum ex capite delicti, quo quia sortitur forum eius iudicis, in cuius territorio delictum commisit, licet aliàs non esset subditus. Tum ex capite domicilij contracti in conuentu, vbi paragit nouitiatum ex dictis supra, ergo superior contra nouitium delinquentem procedere potest. Ita *Rodriquez tom. 2. quæst. 2 art. 10.* exemplificans in homicidio cum aliis, *Nauarrus consil. 6. de foro competen. n. 4. Sanchez lib. 6. cap. 10. n. 11 Vecchius disp. 11. dub. 11. n. 2. Bonac. de legibus disp. 4. q. 2 p. 7. §. 4. n. 27. Cariol. de casibus reseru. p. 2. casu 10. n. 6. cum alijs Peyrin. q. 3. de Prelato c. 1 n. 192. Azorius p. 1. lib. 12. c. 2. q. 11. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 16. n. 8. alios citans resolut. 54. n. 131. Lezana tom. 1 cap. 24. n. 4. Pellizarius tractat. 2. cap. 6. initio.* Aliqui istorum limitant responsum, pro clariori intelligentia.

QVÆRES II. Si nouitius, qui habet libertatem recedendi, nolit remanere in religione, sed redire ad sæculum, an in tali casu superior possit illum punire, & postea dimittere?

14 Respond. Adhuc posse illum punire. *Tum quia,* per hoc quod potest recedere, superior non perdit potestatem, quam habet super nouitium, nam ante discessum actualem delictum commissit, & ipso iure à fortiori est subditus reus, & ratione perpetrati criminis; & ratione domicilij, quod non deseruit. *Tum quia,* hæc est potius occasio fugiendi pœnam, quam relinquendi religionem, ne ergo tale delictum remaneat impunitum subditur iurisdictioni Prælati. *Tum quia,* hoc velle recedere includit fraudem, & dolum in præjudicium partis læsæ, & derogat auctoritati superioris, ergo impune dimittendus non est. Ita *Peyrinus q. 3. de Prelato c. 1. n. 194. ex Graffius tom. 1. consil. 8. de voto mon. 8. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 16 num. 18.* ille tamen excipit homicidium, cum *Suarez sentit Castropalaus tractat. 16. disput. 1. p. 8. §. 1. num. 3.* quem contra se citat *Pellizarius tractat. cap. 6. num. 3. Moronus respon. 85 num. 21 & 22. Ego resol. 54. num. 131.*

Limitant hoc responsum in casu, quo nouitius relinquens velit remanere, aliàs si vult recedere, non posse puniri, & quia impediretur eius egressus, qui de iure est liber; & quia subditur Prælato regulari quatenus perseuerat sub eius obedientia. Sic sentiunt *Sanchez lib. 6. cap. 10. n. 12. cum illo Pellizarius tract. 2. c. 6. n. 2. Vecchius disp. 11. dub. 11 num. 5 §. Immo,* & alij multi. Quorum rationibus respondetur, ad primam non impediri eius egressum, peracta enim pœnitentia potest recedere ad secundam, nouitium subdi ratione delicti, & domicilij, non ratione obedientiæ, quam nondum promisit superiori.

QVÆRES III. An nouitius à superiore regulari puniri possit pœna perpetua carceris, aut triremium, si commisit tale delictum, quod mereatur talem pœnam, siue velit remanere, siue recedere?

15 Respond. Potest, quia allatæ rationes in primo responso hoc probant, cum nouitius velit nolit, sit plene subiectus superiori regulari, qui contra illum habet potestatem iurisdictionis fori externi, aliàs sequeretur absurdum, quod in delictis infra annum probationis nulli subderetur iudici, quia sicut clericus reuersus ad statum laïcalem non potest puniri à iudice sæculari de delicto commisso in statu clericali, ex allegatis à *Diana par. 3. tractat. 1. resolut. 34. Grammaticus decis. 10. Franchus decis. 417. num. 4. & 5.* ita neque nouitius reuersus domum sæcularem; neque posset puniri ab Episcopo, cum ius non habeat super nouitios, nec laicos: ergo eius delictum esset impunibile, Ita plerique tenent cum *Sanchez lib. 6. cap. 10. num. 13.* in casu quo velit remanere in religione, quia non tollitur ei libertas recedendi, si velit. Ego vero puto, simpliciter posse puniri, licet velit egredi, quia non minus est in fraudem ingressus in religionem eius qui deliquit in sæculo, vt subterfugiat laicale iudicium, quam egressus nouitij è Religione delinquentis, vt eludat ius superioris regularis, quia vtrobique adest fraus, & declinatio fori prætextu ingressus, & egressus, ergo sicut cogitur sæcularis ingredi religionem in pœnam, ita & cogi potest remanere ingressus, quia in neutro casu tollitur libertas, cum detineatur non vt proficiat, sed vt pœnam condignam subeat. Sed in his immorandum non est, cum melius sit similes nouitios grauiter delinquentes expellere à religione punitos pœnis temporalibus, vel ad triremes, immo relinquere illos aliorum iudicio puniendos inquit, Spathar. in sua praxi tractat. 1. cap. 7. num. 3.

QVÆRES IV. An nouitius carcerari possit? Quis carceratur, vel ad custodiam, ne fugiat, vel ad pœnam, vt puniatur.

Respond. Vtroque modo carcerari potest, ius 16
enim carceris extat apud regulares contra omnes, qui intra claustra delinquant, *cap. vt famæ 35. de sen-* 17
ten. excom. Graff. par. 1 lib. 3. cap. 5. num. 128. Peyrin. de subdit. quæst. 1. c. 13. vbi multa de carcerandis religiosis, nisi pro grauibus excessibus, quia affert magnum dedecus, & damnum irreparabile, *Rodriq. tom. 2 q. 22.* 18
art. 2. De nouitiis *Vecchius disp. 11. dub. 11. n. 5. Sanch. lib. 6. cap. 10. n. 13. Pellizar. tract. 2. cap. 6. num. 3.* Qui limitant de perpetuo carcere, si velit remanere, aliter non, sed vt dictum est supra. De carcere quoad custodiam ne fugiat, nemo dubitat.

QVÆRES V. An puniri possit pœna triremium, si delictum talem mereatur pœnam?

Respond. Affirmatiuè, quia superior regularis ha- 19
bet potestatem fori externi coactiuam contra nouitium delinquentem, ergo deducere potest iudicium in iustitiam & reum condemnare in pœnam commensuratam delicto, habet enim sententia executionem paratam, *l. si se non obtulit, §. si ex conuent. 4. ff. de* 20
re iud. Dixi *resol. 54. num. 131. §. Tertium.* Confirmatur, quia puniri potest perpetuo carcere, ergo & triremibus, nam æquiparantur. Vide de hac pœna late tractantem Peyrin. *q. 2. de Subd. cap. 27.*

QVÆRES VI. An iudex regularis possit nouitium negantem delictum subiicere torturæ?

Respond. Affirmatiuè, quia superiores ex quo in 21
nouitios habent potestatem fori externi, & coactiuam habent etiam ius torturæ, aliter eorum potestas nullius esset momenti si non possent cogere reum conuictum ad dicendam veritatem, ad iudicem enim spectat inquirere veritatem, quod officium ad ipsum pertinens deduci non posset in effectum, si torturæ reum negantem subiicere non posset. Ita *Suarez to. 3. de Relig lib. 5. cap. 16. Sanch. lib. 6 cap. 10. n. 12. cum Nauar. consil. 1 de foro compet n. 3. Rodriq. tom. 2 q. 2 ar. 10. ex illis Peyrin q. 3. de Prel. cap. 1. n. 195.* qui ait cum aliis torquendum esse per clericum, vel religiosum. Sed 22
id est munus non tum solum laïcis, & birruariis, illos sequitur *Pelliz. tract. 2. cap. 6. num. 3. Vecch. disp. 11. dub. 11. n. 3 Tambur. tom 3 disp. 6. q fin. num. 7.*

QVÆRES VII. Quid si post delictum commissum nouitius fugam arripiat nunquid superior regularis potest illum capere, & punire? Negaui resolut. 54. num. 131. § secundum, re melius perpensa.

Respond.

23 Respond. Affirmatiuè. *Tum quia*, licet amiserit domicilium per recessum, non ideo tamen perdidit subiectionem, quam contraxit ratione delicti in eo puncto, quo commisit delictum, ergo superior non obstante fuga, per quam domicilium pro se, & contra se perdidit, adhuc ius retinet puniendi illum.
24 *Tum quia*, ad fundandam iurisdictionem contra delinquentem attenditur tempus delicti commissi, *l.1. ff. de pœnis, l.Iniuriar. æstimatio ff.de iniur. leg.Doli, §. fin.ff de seruo corrup.leg. si quis Decurio in fin. C.ad leg. Cornel de falsar. Marta par.4.de iurisdict.casu 121.n.3. & 4.* vbi ait, delinquentem clericum, qui post delictum duxit vxorem, non esse puniendum a iudice laico, de cuius foro factus est per contractum matrimonium, sed ab Ecclesiastico; ita pari ratione nouitius per fugam deserta religione puniendus est à Prælato regulari, cuius adhuc est subditus ratione delicti. *Tum quia*, fuga ista ordinatur ad euasionem pœnæ, cum ad alium finem à nouitio non fuerit accepta, ergo illi non debet patrocinari tanquam quid malum fouens delinquentem in suo delicto, est enim contra rationem, quod quis ea sua iniquitate reportet commodum. Ita aliis allegatis *Lezana tom 3.11. Clericus num 22.& 11. Prelat. num.9.* vbi limitat in casu, quo non puniantur ab illo, posse puniri à laico, ne crimina remaneant impunita, alios citat *Donat. par.4.tr.6.q.6.* qui tamen videtur inclinare, quod puniatur à iudice laico; id enim videtur parum referre religioni, cum ab hac iam recesserit Sed multum refert, quia nihil agendo contra ipsum, videtur conniuere eius fugæ & non curare de punitione delicti.

QVÆRES VIII. An nouitius delinquens extra claustra puniri possit à Superiore regulari?

25 Respond. Affirmatiuè, siue fugiat, siue remaneat in ordine, quia in quocumque loco religiosus, siue professus, siue non, delinquat, semper est subiectus ratione domicilij, & delicti superiori regulari; neque
26 enim in istis attenditur territorium limitatum, vt in aliis iudicibus, cum superiores regulares pro territorio habeat totum mundum respectiuè, & non solum proprium monasterium, & quod hoc sit totum territorium principale, & intrinsecum docent omnes cum *Cardin in clem.1 .de statu monachor. Verall.p.2.dec. 225. Vitalin in clem. rursus de statu monach n.10. Portel.par.1. cas.19. Donat. par.2.tract. 13.q 81.num. 4.*
27 Quod totum mundum pro territorio habeant iudices regulares asserit *Diana p.5 res.34.in fin. de excom.* eo, quod suam iurisdictionis potestatem certo loco limitatam non habeant, sed ea vti possunt in quocumque loco in suos subditos, qui illis immediatè sunt subiecti ratione personæ, ideo eos citare, & capere possunt, in quocumque sint loco, vt allegatis Doctoribus firmat *ibidem* Diana. Quare nouitius esto commiserit delictum extra claustra, adhuc capi, carcerari, & puniri poterit, quia subiectus adhuc remanet ratione delicti. Confirmantur prædicta, quia nouitius in hoc gaudet priuilegiis contra se, & pro se concessis regularibus professis ad formam *c.14.sess. 25.* vbi de delictis religiosorum puniendis à iudicibus regularibus, sub quo capite comprehenduntur etiam nouitij, vt docet *Peyr. ad constit.11. Sixti IV. num 61.& 62.ex eo Donatus par.2. tract 13.quæst.62. Riccius part. quarta, resolut.2 9. num.5. cum Nouario lib,1.quæst. forens q 42.num 7.*

QVÆRES IX. An nouitius puniri possit pœna mortis saltem per inediam, si commisit homicidium alicuius Prælati regularis?

28 Respond. Nullo modo Superior regularis potest morte afficere nouitium, nec professum, quia non habet iura sanguinis, omnibus enim Ecclesiasticis etiam Episcopis prohibetur causa sanguinis, *cap His à quibus 10.23.q 8.c. Clericis 5.c Sententiam 9. Ne cler. vel. monach cap Ex literis 10. de excessibus Prælator* & rem hanc fuse probaui *dec.292.Vnde illuc remitto Lectorem.*

QVÆRES X. An superior possit punire nouitium in rebus, & pecuniis, sicut in persona?

Respond. Negatiuè de iure quatenus velit pecu- 29
niam applicare monasterio suo seu Ecclesiæ, quia sicut id interdicitur Episcopis, qui multam pecuniam suæ Ecclesiæ, aut pro mercede sui Vicarij applicare non possunt, vt tradunt *Galerus 11. Pœna n.1. Quaranta 11. Pœna pecuniaria, Riccius part.1. resolu.311. cum illis Barbosa ad capit. Licet 3. de pœnis.* Ita à fortiori Superioribus regularibus. Non condemnarem illum, qui in pœnam condemnaret pecuniariam in subsidium fabricæ, vel ornamenti Altaris, ex his enim tollitur suspicio auaritiæ.

QVÆRES XI. An nouitius transgressor Regulæ, & Constitutionum puniri possit etiam pœna carceris, si delictum id exigat?

Respond. Affirmatiuè, talis enim potest esse gra- 30
uitas transgressionis, vt mereatur pœnam carceris, exem.gr. repertus luxuriosus, violator quadragesimalis abstinentiæ apud Minimos. Nam Prælatus regularis ita est iudex nouitiorum, sicut est professorum, inquit *Nauarr. consil. 5. & 6 de foro competen.* Ita aliis allegatis *Peyrin. q.3 de Prælato cap.1. num.197. Tambur tom 3.disp 6 q fin.num.8.*

QVÆRES XII. An nouitij excommunicari, suspendi, & interdici possint à Superioribus regularibus, & ab Episcopis?

Respond. Affirmatiuè, in ordinationibus autem, 31
& statutis odiosis, in quibus aliquid imponitur sub censuris non comprehenduntur, nisi exprimantur sub suo nomine nouitiorum.

Primum probatur respectu regularium. *Tum quia*, Superior regularis super illos habet potestatem iurisdictionis fori externi, vt fatentur omnes supracitati Doctores, ergo ea vti potest contra nouitios per Censuras Ecclesiasticas, *Tum quia*, eandem potesta- 32
tem, quam habet super professos, exercere potest in nouitios, cum isti subdantur superiori, sicut professi, ex dictis à *Nauarr. consil.5.& 6.de foro competen.* sed professos censuris ligare potest, vt Iuribus, & Doctoribus citatis probaui *Resolu. 78. num.26.* nullo contradicente, ergo & nouitios. Ita *Sanchez lib.6.cap.10. num. 17. Suarez tom. 4 de Relig. tract 8. lib.2. cap.8. num 17. Faustus lib.5. de tribus votis, quæst.205. Peyrinus q.3.de Prælato cap.1.num.120.* quos contra sectatur *Donatus par.4.tract.6. quæst.13. Lezana par.1. cap.24. num. 2. Pellizar tract.2.cap.6.n.5 Vecch.disp.9.dub.27. num.3. Ego resolu.54. num.133. & resolut.78.num.78. & alij apud prædictos.*

Sanchez *præcitato lib. 6.cap. 10. num. 17.* limitat hanc facultatem in duobus tantum casibus, primò quando Superior imponeret aliquã pœnam nouitio transgressori, tunc enim posset sub Censura illum cogere ad subeundam pœnam, quia potest ad eam obligare ratione iurisdictionis, quam habet imponẽdi talem pœnam nouitio ratione alicuius delicti. Secundò, quando Papa statuto, aut præcepto interdiceret aliquid sub pœna excommunicationis, nam tunc Superior posset ferre excommunicationem à Papa comminatam contra nouitium delinquentem.

Candidus Dominicanæ religionis splendor *in suis Disquisit. Moralib. de Confess. sacram. art.58. dub 3.* Negat nouitios posse excommunicari à Superiore regulari, quia excommunicatio secundum veriorem sententiam non potest ferri ob delictum præteritum, sed tantum in contumaciam futuri; Superior autem regularis non potest obligare nouitium adiuncta excommunicatione, quia non plene subiicitur Prælato, nec est vera pars communitatis, seu eius membrum, ergo per censuram cogi non potest. Quem sequitur, licet non citet eiusdem instituti, *Donatus præcitatus p 4. tract.6 quæst.13 num.3.* Quia nouitius nunquam se obligauit obedire Superiori regulari, cui ideo non potest esse inobediens, & con-

tumax

tnmax, quod ſupponit xecommunicatio, quæ non niſi in contumacem fertur.

Hæc non vrgent, quia in his nouitius eſt ſubditns Superiori regulari eo modo, quo in ſæculo erit ſubditus Epiſcopo; à quo poterat cenſuris ligari, ergo & à Superiore regulari; ſimilitudo ſubiectionis probatur à paritate domicilij, & delicti. Adde, quod licet nouitius ex vi voti non teneatur ad obſeruantias Regulæ, & conſtitutionum, ad eaſdem tamen tenetur, vt eſt membrum, & pars conuentus, ad euitandum 33 ſcandalū, ne ſuo prauo exemplo profeſſis ſit occaſio tranſgreſſionis. Præterea conditio ſtatus, per cuius experientiã intendunt profiteri religionem dictat, illos non debere eſſe otioſos, & negligentes in obſeruantiis regularibus contra finẽ nouitiatus. Quare aliqualem habent obligationem ſeruandi Regulam, & conſtitutiones hic & nunc, maxime publicè, & corã profeſſis, ex quo ſuperueniens cenſura arguit contumaciam contra nouitios tranſgreſſores. Vide *Reſ.* 54. *q.* 41. *n.* 133. vbi reſpondit argumento Candidi.

Reſpectu verò Epiſcopi probatur, quia quod ad ſubiectionem par eſt nouitius profeſſi, qui in certis caſibus cenſurari poſſunt per Epiſcopum, ergo & nouitij. Ita Henriq. *contra Sanchez lib.* 9. *c.* 9. *n.* 33. *cum quo ſentit Ceſpedes dub.* 29. *de exempt. regul.*

34 Secundum, quod in pœnalibus non includantur Nouitij, niſi exprimantur, patet ex communi regula; quod nouitij in odioſis non veniant ſub nomine Monachorum, Religioſorum, aut Fratrum. Ita *Vecchius diſp.* 9. *dub.* 27. extremis verbis. *Pelliz. tr.* 2. *cap* 6. *num.* 15.

QVÆRES XIII. Coram quo iudice conueniendus ſit nouitius in cauſis ciuilibus?

35 Reſpond. Coram iudice conſeruatore, quia priuilegia conſeruatorum pro regularibus profeſſis comprehendunt etiam nouitios ex Bullis Pij V. *Apud Confect. fol.* 210. *& in ſumm. tit.* 4. *c.* 7. *& Gregor. XV. incip. Sanctiſſimus* 9. *in B N*, ita docui *Reſ.* 54 *n.* 126. Vbi ex ſententia aliorum dixi, poſſe conueniri etiam coram Superiore ſuo regulari, non coram Epiſcopo. Ita *Sanchez lib* 6 *cap.* 10. *n.* 12. *Rodriq. t.* 2. *q* 2. *art.* 10. *Peyrin. q.* 3. *de Prælato c.* 1. *n.* 196. *Azor. t.* 1. *lib.* 12. *cap.* 3. *q.* 2. Practicatur etiam hæc cauſa in forma litigij, & melius etiam coram Vicario Generali Epiſcopi.

QVÆRES XIV. An nouitij puniri poſſint etiam per cenſuras ab Epiſcopo?

36 Reſpond. Affirmatiuè in illis omnibus caſibus, in quibus eidem ſubduntur profeſſi, non enim nouitij ſunt melioris conditionis, quam ſint profeſſi. Quicquid dicat *Donatus p.* 4. *tractat.* 6. *quæſt.* 35. Niſi in cauſa beneficij.

QVÆRES XV. A quo puniendus eſt nouitius, qui poſt commiſſum delictum in ſæculo, intrauit religionem?

37 Reſpond. Non poteſt puniri à iudice laïco, ſi tempore delicti commiſſi, erat laïcus, nec ab Epiſcopo, ſi erat tunc clericus ſæcularis, modo ingreſſus ſit validus, & non ſit factus in fraudem.

Primum, quod non poſſit puniri à iudice laïco probatur. *Tum quia*, non eſt amplius de foro laïcali, cum per ingreſſum ſit factus perſona Eccleſiaſtica, ipſo enim iure ingrediendo de laïco euadit perſona 38 Eccleſiaſtica. *Nauar. conſil* 5. *de foro compet. Hoſt. in cap. Statuimus de Regul.* 11. *poſſe*. *Graſſius de effectibus cleric. effectu* 9. *Farinac. in practica crimin q.* 8. *num.* 46. *ex illis Riccius p.* 4. *reſ* 340 *Donatus p.* 4 *tract.* 6 *q.* 2. *Ianuarius de caſibus reſeruatis reſol.* 59. *num.* 14. *Pelliz. tract.* 2. *c.* 7. *n.* 7. *Sanchez lib* 6. *c.* 10. *num.* 16. *Rodriquez t.* 2. *q.* 2. *art.* 10. *Barboſ. de Epiſcopo alleg.* 12. *num.* 37. etiam laïci nouitij *gloſ.* 11. *Electionibus cap. Ex eo* 32. *de elect. in* 6. *Nauar. conſil.* 35. *de Priuil. Ego reſ.* 54. *num.* 111. Quod procedit licet nec primam habeant tonſuram, quia ſtatus nouitiatus in habitu probationis illis confert hoc eſſe Eccleſiaſticum, cum ſpecialiter diuino obſequio ſint deputati, *Nouarius de elect. fori quæſt.* 46. *ſect.* 2. *Azor lib.* 12. *cap.* 3. *q.* 2. *cum aliis Riccius p.* 4. *reſ.* 239. *Tum quia*, gaudet priuilegio fori Eccleſiaſtici regularis, ex quo mutatur forus de laïcali in Eccleſiaſticum regularem, ita ſupracitati *cum Nauar conſil.* 5. *&* 6. *de foro compet. Peyrin. q.* 3. *de Prælat. c.* 1. *n.* 191. *Riccius p.* 4. *reſ.* 239. *&* 247. *Donatus p.* 4. *tract.* 6. *q.* 4. *Pelliz. tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 7. *Sanchez lib.* 6. *cap* 10. *num.* 10. *vbi citat* 46. *Doctores*, *Ego reſol.* 54. *num* 109. *Tum quia*, Sixtus V. in ſua Bull. 72. incip. *Ad Romanum* §. 17. criminoſos Nouitios, quos idem in priori Bulla §. 5. omninò ſubiecerat laïcis iudicibus, & non vult eſſe eiſdem eſſe ſubiectos pro delictis in ſæculo perpetratis, niſi *cum actibus publicis conſtiterit ipſos iudices, & curiam ſecularem ante ſuſceptionem habitus de ipſo crimine aduerſus eos accuſationem ſuſcepiſſe, vel inquiſitionem inſtituiſſe*. Ergo ingreſſi ante accuſationem, vel inquiſitionem exempti ſunt à iudice laico, qui non amplius contra eos procedere poteſt. Ita docent *Portellus v. Nouitius num.* 7 *Vecchius diſp.* 11. *dub.* 12. *Tambur. tom* 3 *diſp.* 6. *q. fin. Peyrin. quæſt.* 3. *de Prælato c.* 1. *num.* 198. *Marta c.* 4. *de iuriſd. caſu* 121. *num.* 25 *Sanch. lib.* 6 *c.* 10. *n.* 10. *Ego reſol.* 54 *n.* 128. *&* 129. *Donatus p.* 4. *tract.* 6. *q.* 5. *Pellizar. tr.* 2. *cap.* 7. *num.* 8. *&* 9. *Diana p.* 3. *tract.* 2. *reſolut.* 34.

Secundum quod nec puniri poſſit ab Epiſcopo ſi 39 clericus ſecularis erat, probatur eiſdem argumentis, quia mutauit forum, & non eſt amplius ſubditus Epiſcopo, cùm ſit ſub iuriſdictione Superioris regularis. Quod non ſubſint Epiſcopo docent *Nauarr.* 40 *conſil.* 4. *de foro compet. conſil.* 58. *de Iuſtitia diſp.* 671. *n.* 5. *Cord. lib.* 1. *q.* 30. §. *ſed neque iſta ratio Azor. lib.* 13. *c.* 2. *q.* 11. *San lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 12. *&* 17. *Suar. t* 4 *de relig. tract.* 8. *lib.* 1. *c.* 17. *num.* 14. *&* 15. *Vecchius diſputat.* 9. *dub.* 3. *n.* 3. *ex illis Paſqualig. q.* 221. *num.* 3. *Pelliz. tr.* 2. *c.* 7. *num.* 11. *contra Ceſpedem dub.* 29. *de exempt. Regul.*

Duæ conditiones ſunt neceſſariæ, ne nouitius, qui 41 in ſæculo deliquit, poſſit puniri à iudice, prima eſt, vt ingreſſus pro anno probationis ſit validus, alias enim ſi ſe intruſit receptus à non habente poteſtatem non eximitur à laica poteſtate, cum reuera nondum dicatur eſſe perſona Eccleſiaſtica fruens priuilegio fori regularis. Difficultas autem, videtur facere qualitas criminis contra ſic receptos, nam licet Bullæ Sixti V. reductæ ſint ad terminos iuris communis per conſtitutionem Clementis VIII. incip. *In ſuprema* 83. in Bullario nouo, quoad valorem profeſſionis, quæ irritabatur per Bullas prædictas Sixti V. non vero quoad receptionem talium criminoſorum, remanente adhuc prohibitione, conſequenter horum receptio ſit illegitima, & inualida nullatenus poteſt prodeſſe illis, quin adhuc puniri poſſint à iudice laïco, vel Eccleſiaſtico, ſtante nullitate ingreſſus illorum.

Dicendum tamen eſt, quod licet receptio crimi- 42 noſorum tam actiua, quàm paſſiua ſit illicita, & adhuc prohibita, tamen valida eſt, quia cum Bullæ Sixti V. quæ continebant decretum irritans receptiones iſtorum, quoad hoc ſublatæ fuerint, hoc ipſo quod reductæ fuerunt ad terminos iuris communis, quod nullum habet decretum irritans contra criminoſos, ſequitur remanſiſſe cum ſimplici prohibitione, quæ non poteſt inficere ingreſſum contra ſe factum, & ideo criminoſus ingreſſus benè eximitur à Iudice. De qua re fusè dixi *ſupra hic capite* 4. *quæſtion* 13. 14. *&* 16. præſertim num. 44. ideo nouitij alias criminoſi ex hoc capite validi ingreſſus gaudent priuilegio fori.

Secunda conditio eſt, vt illi ſuffragetur hoc pri- 43 uilegium, quod in ingreſſu nouitius non fuerit præuentus accuſatione, aut inquiſitione, vt habet expreſsè ſecunda Bulla Sixti V. quæ omnino ſeruanda eſt,

criminosus enim iam accusatus, vel inquisitione
contra eum facta, dicitur ingressus religionem in
fraudem iustitiæ, & contra proprium iudicem, qui
potest procedere contra ipsum non obstante regula-
ri veste, & probatur. *Tum quia*, quoad hoc videtur
nullus, & inualidus ingressus, ac proinde nondum
Ecclesiasticus est. *Tum quia*, iudicium ab eo finien-
dum est, à quo cæptum fuit, *l. Si quis postea 7. cap.*
44 *Vbi acceptum 20. ff de iud.gl. 1. Prauentus cap. Propo-*
suisti 19. de foro compet. debet enim pronuntiare de
ea re, de qua cognoscit *l. De qua re 74. ff. de iud cap.*
Cum super 4. de caus. poss. Qui enim principium po-
45 suit totum supplere, & perficere tenetur, *cap Nullus*
Epis opus 56 dist. 1. de consec. gl. 11. compellantur c. 58.
de elect. iudex ergo laicus retinet ius cæptum prose-
quendi contra nouitium, qui in tali casu verè noui-
tius non est. Contrarium docet *Marta p. 4. de iurisd.*
casu 121. num. 21. Dum dicit, quod Monachus fa-
ctus post delictum, & inquisitionem formatam de-
bet cognosci, & iudicari per Iudicem Ecclesiasti-
cum, intellige regularem, nam nouitius est de foro
Ecclesiæ, & non potest conueniri coram Iudice se-
culari, vbi *n. 24.* decem DD. pro se allegat. Et ita
sentiunt omnes supra citati cum *Port. v. Nouitius 17.*
Pelliz. tract. 2. c. 7. n. 8.

Dices, nouitius æquiparatur cuilibet alteri suspe-
cto apud curiam, ac proinde confugienti ad Eccle-
siam, *Pelliz. tr. 2. c. 7. num. 9. Donatus p. 4. tr. 6. q. 5.*
num. 3. Sed qui confugit ad Ecclesiam extrahi non
potest, cùm in ea receptus molestari non possit in
persona sua, & corpore, vt docent omnes sinè con-
tradictione, ergo neque nouitius, qui quasi confu-
git ad Ecclesiam, vt fieret Religiosus, & non præ-
citè, vt fugeret iudicium, & iustitiam, non enim
qui benè agit debet esse deterioris conditionis eius,
qui benè non agit.

46. Resp. Accessus ad religionem in rigore non est
confugere ad Ecclesiam, confugiens enim pro fine
suo habet præcisè euasionem iudicij; nouitius verò
pro fine habet seruitium spirituale Dei. Deinde vbi
habemus iuris clari determinationem non debemus
recurrere ad argumenta à simili. Clarum autem est,
Syxtum V. disposuisse nouitium non esse exemptum
à iudice laico, si fecit ingressum post accusationem,
& inquisitionem.

Obijcies denuò, hinc sequi absurdum, quod de-
licta talium nouitiorum remanent impunita, contra
iura, quæ præscribunt delinquentium punitionem,
interest enim reipublicæ, quod delicta non rema-
neant impunita, *cap. Vt famæ 35. de sent excomm.*

Respond. Non sequi absurdum, tum quia suffi-
cit, quod puniantur in rebus, vt dicam mox. *Tum*
quia, reus confugiens ad Ecclesiam remanet impu-
nitus in corpore, & tamen id non est absurdum, er-
go neque in casu nostro.

QVÆRES XVI. An talis nouitius puniri possit
in ære, & bonis suis? Videtur, quod non, quia eius
bona per ingressum fiunt Monasterij, consequenter
in illis puniri non potest, Iudex enim laicus super
bona Ecclesiastica, quia sunt hæc, nullum ius
habet.

Respond. Potest Iudex laïcus nouitium, qui in
47 sæculo deliquit, punire in ære, & bonis suis, quia
per ingressum ante professionem bona nouitiorum
non transeunt in bona conuentus, sed remanent sub
pleno iure nouitij, sicut erant antequam ingredere-
tur, ex allegatis per Riccium *p. 4. res. 461.* ergo no-
uitius in illis puniri potest, illius enim bona per il-
lud delictum videntur incurrisse quandam obliga-
tionem pro satisfactione pœnæ delicto debitæ. Quod
autem Monasterium in bona nouitij, super quæ ipse
non disposuit, succedat solum post professionem, &
non per ingressum res est certa ferè apud omnes
48 cum *Sanch. lib. 7. cap. 12. q. 1. & seq.* Quicquid dicat
Marta *de iurisdict. p. 4. casu 95. art. 1.* per primum in-
gressum omnia bona nouitij acquiri Monasterio,
etiamsi moriatur infra annum probationis, quod
probat per ea verba Auth. *Ingressi Monasterium, ipso*
ingressu se, suáque dedicant, interpretatur de ingressu
probationis, vt insinuat illud pronomen *ipso*, demon-
stratiuum ad oculum, & sic de primo ingressu, non
de secundo per professionem, qui demonstrari non
potest ab initio.

Sed contra Martam est, qui Authenthica ingressi 49
non loquitur de primo ingressu, sed de secundo, hoc
est, de professione, per quam bona nouitij ipso iure
fiant Monasterij, nam inquit Imperator: *Ingressi Mo-*
nasteria, ipso ingressu se, suáque dedicant Deo: Nec ergo
de his testentur vtpote nec domini rerum. Nouitius au-
tem est Dominus rerum suarum infra annum proba-
tionis, ergo textus loquitur de ingressu professionis,
per quam nouitius desinit esse Dominus rerum. Et
id insinuat *gl. v. Ingressi ibi: Eo ipso quod fit Monachus,*
Monachus autem fit professione, non ingressu, aut
habitus receptione, *c. Porrectum de Regular.* Et ita per 50
ingressum cum effectu venire professionem per hanc
Autenticam registratam *sub l. 13. C. de Sacros. Eccles.*
docent Gutierrez lib. 2. Canon c. 1. n. 20. Peregrin. Variar.
lib. 6. n. 69. Petr. Cened. lib. 1 Pract. q. 6. num 17 quos
collegit Barb ad præfatam Authent t. 1. Cod fol mihi 18.
n. 3. Sanchez lib. 5. cap. 9 n. 12. Egores 75. num. 2. Vbi
textus iuris canonici ad hoc retuli. Iterum infra *c. 13.*
in principio.

Quare dictum Martæ cum Benedicto Ægidio Lu-
sitano citatu à Barbosa, ab omnibus reiicitur, cuius
ratio nullius est momenti, luce enim clarius est pro-
fessionem, cùm fiat actibus oculis patentibus, de-
monstrabilem esse non secus ac ingressus proba-
tionis.

Redeundo igitur ad nostrum responsum, patet no-
uitium puniri posse à iudice laïco in ære proprio, ex
probatis. Ita docent *Vecchius disp. 11. dub. 12. num. 11.*
quem ad verbum referunt, *Diana res. 33. p. 3. tr. 1. &*
Tamb. 3. disp. 6. q fin. n. 1. qui opinionem *Martæ citato*
casu 121. à n. 21. Non possit puniri in bonis putant
probabilem, sed cum nitatur eo falso fundamento,
quod per primum ingressum bona nouitij acquiran-
tur Monasterio, videtur minus probabilis, si enim
nouitius infra annum probationis recedat, vt ei li-
berum est reuerti ad domum, apparet conuentum
nullum ius super eius bona quæsisse, cùm *ex Trid.*
sess. 25. c. 16. omnia sint illi restituenda, si quæ illius
habet conuentus.

Quid dicendum de criminoso habente votum in- 51
grediendi, numquid dicitur in fraudem ingressus
post factam inquisitionem, aut accusationem? Resp.
Negatiuè *Rodriq 3. q. 10. art. 8.* & ad probandum vo-
tum sufficere iuramentum nouitij, ne possit extrahi.
Oppositum sentit *Portell v. Nouitius 17.* quem sequi-
tur *Pelliz. tract. 2. c. 7. n. 10.* ne iudices eludantur, &
aperiatur via periurijs, neque enim id credendum no-
uitio, cùm iuret in sui fauorem, & id verius est.

QVÆRES XVII. An nouitius post delictum fu-
giens à religione possit puniri à iudice laïco, vel
Ecclesiastico seculari, vel eius ordinis Superiore;
vbi erat in probatione? Probaui suprà hic sub *q. 7.*
puniri posse à Superiore regulari. Restat videre, an
puniri possit ab alijs iudicibus?

Respond. Negatiuè. *Tum quia*, in puniendis deli- 52
ctis inspicitur tempus, quo fuerunt commissa, vt
dictum fuit sub *quæst. 7.* adeò quod ille iudex dicitur
habere ius super delinquentem, si tunc eius erat sub-
ditus, aut delictum fuit commissum in eius terri-
torio; sed dum nouitius commisit delictum in-
tra Monasterium, non erat subditus alicui ex iu-
dicibus extraneis, nec in eorum territorio deli-
quit, ergo ab illis iudicari non potest. *Tum quia*,
sicut Superior regularis non potest punire no-
uitium,

uirium, qui ante ingressum deliquit sub alio iudice, ita neque iudex extraneus potest iudicare illum, qui existens nouitius deliquit, & postea recessit, ex ea paritate, quia delictum commissum fuit extra locum vtriusque iudicis, nulla enim ratio suadet puniri vnum, & non alterum, quando delictum commissum fuit sine actuali subiectione ratione domicilij, vel delicti. Ita *Sayrus in claui lib. 12. cap. 7. num. 9. & Clarus q. 56. §. Sed hic quæro, Iannarius de casibus reseru. res. 59. num. 17 §.* Nec *nouitium, & resol. 61 n. 30. Farin. quem cum alijs pro se citat Bon. disput. 10. de legibus quæst. 2. p. 1. §. 2. num. 5. Tambur. 3. disput. 6 q. fin n. 6. Diana p. 3. tract 1. resol. 34. cum alijs*, contra *Molinam t. 4. tract. 3. disp 49. num. 14. Vecchium disputat. 11. dub. 11. num. 6.* vbi pro se citat Farinacium, cum his sentit *Donatus p 4. tract. 6. q. 6. in fine*, quia nullum fit præiudicium religioni, dum eius membrum amplius noluit esse dimisso illius habitu; fit nihilominus præiudicium, quia hoc iudicium spectat ad Superiorem regularem ex iure quæsito tempore commissi delicti.

QVÆRES XVIII. An hactenus dicta communia sint regularibus nouitiis claustralibus, & militaribus?

53 Respond. Affirmatiuè ob easdem rationes, quia nouitij Militares non sunt minoris conditionis aliorum nouitiorum, cum quibus sunt personæ Ecclesiasticæ, & de foro regulari, contra quos proinde non possunt iudices alterius fori, gaudent ergo nouitij Militares priuilegio fori. Ita *Ric. part. 4. resol. 182. vbi citat Nouarium forens. quæst. 42. à num 5 Motta de confirmat. Ordinis S. Iacobi, lib 2. cap. 1. §* Nono, *& resol. 250. Diana res. 21.* de paupertate, cum illis *Lezana p. 2. cap 5. num. 39. Donatus p. 4. tr. 6. q. 8. plures alios refert Barbosa part. 2. de Episc allegat. 11. n. 46.* Qui loquuntur de nouitiis quorumcumque Ordinum Militarium, qui in hoc verè, quod eorum Nouitij sunt personæ Ecclesiasticæ non minus, ac nouitij ordinum claustralium.

QVÆRES XIX. An proximè habitu induendus, qui scilicet probauit se habere requisita ad receptionem habitus, incipiat gaudere priuilegio fori: Ex. gr. Ingressurus in ordinem Militarem probauit nobilitatem, soluit viaticum, & obtinuit licentiam suscipiendi habitum. Item alterius iuuenis requisita fuerunt approbata cum licentia, vt tali die indueretur habitu, nunquid si interim ante actualem habitus receptionem committat delictum, vel accusetur, seu inquiratur, gaudeat priuilegio fori, vt non possit puniri à Iudice alias suo?

54 Respond. Nondum gaudet, quia ius priuilegij acquiritur per actualem habitus susceptionem validè factam, quod clarè colligitur ex secunda Bulla Syxti V. sub §. 17. ibi: *Contra criminosos verò, quorum professio eadem Constitutione nostra irrita declaratur, ac propterea iudicibus, & curiis sæcularibus procedendi facultas conceditur, tunc demum id locum habere volumus, & non aliter, cum actis publicis constiterit, ipsos Iudices, & Curiam sæcularem ante susceptionem habitus de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse.* Pondera ea verba, *ante susceptionem habitus*, quæ important actualem impositionem habitus factam à Superiore; adeo quod non sufficit præparatio, & dispositio proxima ad habitus inductionem. Et ita tenendum est, quia hîc agitur de bono communi ex parte Iudicis, quod præualere debet priuato bono eius, qui nondum ingressus est per actualem habitus receptionem, & inductionem, & cùm agatur de præiudicio personæ publicæ contra personam priuatam, persona publica ab illo præseruanda est contra priuatam, quod fieri non potest, nisi dicamus priuilegium fori non acquiri ingressuro religionem, nisi per actualem habitus impositionem factam à Superiore. Et licet in ea Bulla

non comprehendantur Militares, sed tantum nouitij claustrales, nihilominus in hac difficultate idem dicendum est de nouitiis Militaribus, cum eadem omnino sit ratio, lex enim fundatur in ratione, ergo vbi est eadem ratio, ibi subintelligitur eadem iuris dispositio. Ita sentit de *Fran. decis. 449. part. 1. & ex eo Ric. p 4 resol. 184.* eo quod ante habitus susceptionem verè non est miles. Et ad axioma, quod procincto habetur proxime accingendus, respondet id 55
procedere secundum fictionem, non veritatem; item quando opus paratum necessariò est exequendum, & non est in arbitrio eius. Dic tu habere locum in mere gratiosis, non in odiosis, & vbi agitur de præiudicio tertij, & iure perdendo, *Tuschus conclus. 83. num. 29. lit. A. Barb Axiom. 9. per totum.*

QVÆRES XX. An trahentes nouitios ad forum laïcale incurrant in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini: Bulla extat 15. sub his verbis: *Quique ex prætenso eorum officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque personas Ecclesiasticas coram se ad suum tribunal, audientiam, &c. præter iuris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè quouis quæsito colore.* Incurritur ergo à trahentibus ex officio extra casus iuris Canonici personas Ecclesiasticas.

Respond. Affirmatiuè, quia nouitij clerici, & 56
laïci, claustrales, & militares sunt personæ Ecclesiasticæ, & de foro Ecclesiæ ex probatis suprà *quæstion. 15.* Ita docent *Bon. in Bullam disputation. 1, quæstion. 16. part. 3. num. 10. Megal. libr. 3. de censuris cap. 10. num 26. & num. 27.* vbi malè excludit nouitios militares ex ea insufficienti ratione, quia claustrales actu inseruiunt ordini viuentes intra claustra, militares verò non, nisi actu seruiant. Nam reuerà isti seruiunt, vbicumque faciunt nouitiatum, id enim est illorum seruitus spiritualis. Idem sentit *Donatus part. 4. tractat. 6. quæstion. 16, vbi citat Sayrus de censuris lib. 3. cap. 19.* sed nihil exprimit de nouitiis, *Ric p. 4. res. 251.*

QVÆRES XXI. An causa cœpta sub Iudice etiam laico in ciuilibus, sub eodem terminari debeat, licet Actor, seu reus factus sit religiosus etiam professus?

Respond. coram eodem iudice causa terminanda 57
est, ex rationibus adductis suprà sub *quæstion. 15. num 44.* nam iudicium cœptum ab vno iudice, ab eodem terminandum est, continuo enim quoad causam cœptam remanet subiectus. *Ita Cochier p. 2. de iurisdiction. ordin. quæstion. 17. ex illo Cespedes dub. 17.*

Quæres XXII. An bona nouitiorum sint subiecta datiis, gabellis, & oneribus, quæ imponuntur à Principibus in casibus vrgentibus?

Respond. Bona nouitiorum claustralium, & 58
militarium à prædictis exempta sunt, sicut bona professorum, sunt enim bona Ecclesiastica, quæ sequuntur personam nouitij Ecclesiasticam. Ita docent *San. lib. 6. capit. 10. num. 16. citans Molinam disputation. 672. Menam lib. 2. Var. quæstion. 21. num. 198. Bert. de Gabellis part. 7. Priu. num. 56. Ric. part. 3. resolution 142. Nouarius de election. fori tom. 1. sectiion 2. quæstion 63. numer. 10. Gregorius Lopez in leg. 4. titul. 7. part. 1. v. Nouitius, ex illis Donatus p. 4. tr. 6. q. 27. Ego res. 54. q. 21. Diana p. 1. tract. 1. de immunitat. resolut. 37. Pellizar. tractat. 42. capit. 7. num. 12.* contra plures alios apud præcitatos, nostrum responsum docet *Barbosa lib. 1. de iure Eccles. cap. 39 §. 2. num. 40.*

QVÆRES XXIII. A quonam iudice puniendus sit nouitius hæreticus, vel de hæresi suspectus, siue ante, siue in, vel post recessum, vel professus?

Resp. In quouis casu, & tempore subditur Inquisi- 59
toribus, seu Episcopis ad præscriptum Bullæ 26.

Pauli V. incipit : *Romanus Pontifex* , in qua Papa reuocat omnes facultates Superioribus quorumcumque ordinum cognoscendi causas suorum subditorum ad Sanctum Officium Inquisitionis spectaotes, quomodolibet concessas, si ergo reuocantur respectu professorum, à fortiori respectu nouitiorum, qui non sunt ita efficaciter subiecti & irreuocabiliter sicut professi, à quo priuilegiis dependent in vsu eorundem.

CAPVT XII.

De Priuilegiis Nouitiorum.

1 *Nouitius quis dicitur sex modis.*
2 *Professus inualidè adhuc dicitur nouitius.*
3 *Professus de recenti adhuc nouitius dicitur.*
4 *Canonis priuilegia gaudent.*
5 *Persona Ecclesiastica sunt.*
6 *Nomine Religiosi Monachi, & Fratris veniunt.*
7 *Priuilegiis professorum gaudent.*
8 *Membra & partes conuentus sunt.*
9 *Domicilium contrahunt in ordine.*
10 *Vocem non habent in Capitulis.*
11 *Confitetur suo Magistro.*
12 *Qui non necessario est confessarius Episcopalis.*
13 *Tertiary intra claustra confitentur cum Sacerdotibus religiosis.*
14 *Nouitius proximior professis. quàm Tertianus.*
15 *Nouitius nondum habens habitum confitetur Magistro.*
16 *Accingendus proximè habetur pro accincto.*
17 *Confitetur extra inualide.*
18 *Cum confessariis sui ordinis valide.*
19 *Casibus Papalibus subsunt.*
20 *Non Episcopalibus, sed tantum Regularibus.*
21 *Reseruatio tollitur, & acquiritur mutatione domicily.*
22 *Exemptus locus aquiparatur loca extra diacesim.*
23 *Religiosi sunt in diacesi sed non de diacesi.*
24 *Nouity non tenentur oneribus specialibus ordinis, sed vtique communibus.*
25 *Tridentinum in dispositione reseruatorum comprehendit etiam regulares.*
26 *Ab olni potest ab omnibus à quibus professus.*
27 *A censuris. non tamen singulariter latis.*
28 *Papalis concessio reseruatorum se extendit ad reseruata alias*
29 *Absolutus à censuris recedens non reincidit.*
30 *Concesso maiore minus censetur concessum.*
31 *Rediturus mox ad saculum adhuc absolui potest.*
32 *Reuersus ad saculum non tenetur se prasentare pro censuris.*
33 *Priuilegium Clement. IV absoluendi, & dispensandi.*
34 *Sedes Apostolica in quibus casibus consulenda?*
35 *Priuilegia pro nouitiis Tertij ordinis.*
36 *Vota eorum dispensatione seu commutatione tolluntur.*
37 *Dispensare valens potest etiam commutare.*
38 *Vota eorum irritare non possunt.*
39 *Indulgentias professorum lucrantur.*
40 *Nouitij Ordines etiam Sacros recipere possunt.*
41 *Licentiantur à Superiore regulari*
42 *Dimissoria sunt fides habilitatis ad ordines.*
43 *Ordinarij vocantur Superiores regulares.*
44 *Ordinandus ab Episcopo domicilij regularis.*
45 *Quis est subditus ratione ordinis, beneficij, & domicilij.*
46 *Nouitius quilibet ingreditur animo profitendi.*
47 *Miles contrahit domicilium vbi militat.*
48 *Promouendi ad subdiaconatum patrimonium habeant.*
49 *Bullis, & Statutis non afficiuntur si non exprimuntur.*
50 *Obseruantiis regularibus non tenentur nisi ex honestate*
51 *Beneficij sacularis est capax.*
52 *Non vera regularis*
53 *Beneficium nouity vacat solum post professionem.*
54 *Renunciatio beneficij fit ad formam Tridentini.*
55 *Signum vniuersale omnia comprahendit sine vlla exceptione.*
56 *Pensionis fructus recipit durante anno probationis.*
57 *Et etiam post professionem.*
58 *Iuspatronatus triplex.*
59 *Ius prasentandi remanet apud nouitium post eius professionem.*
60 *Incorporatur conuentui. cuius est prasentare.*
61 *Nouitius quarit Monasteria sua filiationis.*
62 *Confessarius in saculo audit etiam factus nouitius.*
63 *Sepulturam sibi eligere potest.*
64 *Non electa sepelitur in Sepulchra regulari.*
65 *Mortuus in domo parentum adhuc est religiosorum.*
66 *Regularis, & non tantum Frater vocatur nouitius.*
67 *Funeris expensa fiunt ex bonis nouity defectum supplet conuentus.*
68 *Reuertitur ad saculum licitè ex causa.*
69 *Circumstantia nouity non aperitur in confessione.*
70 *Appellat nouitius a grauamine iniusta.*
71 *Canonicus factus nouitius habet vocem suspensam in Capitula.*
72 *Vnde nec vocandus à Canonicis.*
73 *Exharedari non potest.*
74 *Retrahens nouitium ad saculum peccat mortaliter.*
75 *Patria potestate non eximitur nouitius. sed tantum professus.*
75 *Nouitius existens validè contrahit matrimonium.*
76 *Maioratum secum retinet, & eius est capax.*
77 *Sponsalia per nouitiatum soluuntur.*

IN præcedenti capite actum est de Iudice nouitiorum, & de priuilegio fori, quo illi gaudent, ne subsint foro aliorum Iudicum extra religionem in causis criminalibus, & ciuilibus. Restat modo agendum de eorum priuilegiis præsertim spiritualibus.

Præmitto autem nomen Nouitij spectari posse sex
modis. *Primo*, pro eo, qui cum habitu regulari reci- 1
pitur in ordine ad educationem tantum, eo quod
nondum habet ætatem sufficientem ad probandas
asperitates, & austeritates Ordinis. Isti autem non
prohibentur recipi, immo inuitantur in qualibet
minori ætate, vt videre est *cap Addidistis* 2. 20. *q.* 1.
cap. 1. *cap. Puella* 2 *cap Oportet* 4. 20. *q.* 2. *Secundo*, pro
eo, qui iam examinatus reperitur habere requisita,
& licentiam ad recipiendum habitum probationis
constitutus in legitima ætate requisita ad nouitiatum, de qua dictum fuit sub c. 7. *num.* 5. pro masculo
ab anno decimoquinto inchoato, & *n.* 6. pro puella
ab anno decimotertio cœpto. *Tertio*, pro eo, qui iam
actu defert habitum probationis in anno nouitiatus.
Quarto? pro eo, qui iam peracto probationis anno
tendit ad professionem faciendam tempore debito,
si nondum expleuit sexdecim annos. *Quinto* pro eo,
qui nulliter profecit vsque ad tempus, quo illum le-
gitimè ratificat saltem coram Deo, infra enim id tem- 2
pus est nouitius saltem materialiter, quatenus nondum validè profecit, vt notat *Sanch. lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 55.
vbi inualidè professum vocat verè nouitium, qui li-
citè egredi potest. *Sexto* demum pro validè professo 3
de recenti, de quo habetur textus *in cap Mon.* 9.
distinction. 77. *Glossa* in. *Nouitiis*, *Clement. Ne in agro*, §. *Sane*, & ex ea *Riccius de Neophytis capite* 5. *num.* 2. Accedendum modo est ad quæstiones, præsupponendo nomen Nouitij accipi potissimum secundam præfatas acceptiones exclusis secunda, & vltima: in illis enim nomen Nouitij multum impropriè accipitur. Nomen igitur Nouitij propriè sumitur pro eo, qui iam recepit habitum vel educationis, vel probationis vsque ad professionē validè emissam,

cui

cui adiungitur proximè ille, qui hodie accipitur, & etas induitur, seu vt hospes manet cum aliis Nouitiis iam habitu religioso indutis, iuxta præscriptum religionis, quam intendit profiteri, in hoc ergo sensu de priuilegiis eorum agendum est in sequentibus quæstionibus.

QVÆRES I. An nouitij gaudeant priuilegio canonis? Idest, an si diabolica manu aliquis illos percutiat, incurrat excommunicationem Papæ reseruatam *in c. Si quis* 29. 17. q. 4. *ibi: Si quis suadente diabolo in clericum, vel Monachum manus violentas iniecerit*. Nouitius venit sub eo nomine *Monachum*, vt declarauit textus *in c. Religioso* 21. *de sent. excom. in* 6. Et in hoc omnes conueniunt nullo contradicente, quia textus est clarus. Ita Vecch. *disp.* 11 *dub.* 10. *n.* 2. *Graff. effect.* 9. *n.* 72. *cum illis Barb. super præcitatos textus. Don. p.* 4. *tr* 6. *q* 4. *Pelliz. tr.* 2. *c* 7. *n.* 13. Vbi includit nouitium in prima acceptione nostra, qui est talis ratione educationis tantum, & hoc est verissimum, quia & ipse est nouitius parem cum aliis sustinens disciplinam regularem, ergo ille non debet esse deterioris conditionis. Sequitur *Sanch lib.* 5. *c.* 4. *n.* 34. Vbi limitat, nisi religio habeat prohibitionem non recipiendi impuberes, quia admissio eorum sit nulla nullum ius dat acquirendi hoc priuilegium. Dic tu, id verum esse si prohibitio sit efficax cum decreto irritante talem receptionem. *Ego ref.* 54. *n.* 112. vbi plures alios citaui. *Riccius p.* 4 *ref.* 239.

QVÆRES II. An nouitij sint personæ Ecclesiasticæ.

5 Respond. Affirmatiuè, ex quo se Deo dedicauerunt specialibus seruitiis, quæ hominem de laïco faciunt Ecclesiasticum, & hunc statum demonstrant aliquo signo externo, vel habitus, vel coronæ capitis, cuius aliquod signum etiam nouitij laïci deferunt. Et in hoc conueniunt omnes scribentes, quos citaui c. 11. *num.* 38.

QVÆRES III. An nouitij veniant sub nomine Religiosi, Monachi, Canonici regularis, seu Fratris.

6 Respond. Affirmatiuè, sed solum in fauorabilibus, non autem in odiosis, nisi illi exprimantur eorum appellatiuo nomine. Colligitur id ex citatis duobus textibus de priuilegio Canonis, dum illo gaudent sub nomine Monachi, & Religiosi. Ita omnes cum *Riccio p.* 4. *ref.* 242. *Gloss.* 11. *Religiosus Clem.* 1. *de elect. Barb. lib.* 1. *voto* 5. *n.* 4. *Vecch. disp.* 9. *dub.* 26. *num.* 1. *& disp.* 11. *dub.* 10. *Coriol p.* 2. *de casibus reseru. sect.* 3. *art.* 18. *n* 3. *Pasq. q.* 148. *num.* 1. *q.* 156. *num.* 2. *prædictos citans Pelliz. tract* 2. *cap.* 7. *num.* 1. *alios citat Barb. ad cap.* 21. *de sent. excom. in* 6. *n* 6.

QVÆRES IV. An nouitij gaudeant priuilegiis professorum.

7 Respond. Affirmatiuè, quia in fauorabilibus veniunt sub eorum nomine, vt dictum fuit præcedenti quæstione, & iure merito, quia cum illis parem, licet liberè, suscipiunt disciplinam, ergo merentur eorum priuilegia. Ita omnes cum *Nauarr. de elect. fori q* 46. *sect* 2. *Riccius p* 4. *ref.* 242. *Pelliz. tract.* 2. *c.* 7 *à num.* 1. *ad* 6. De omnibus nouitiis etiam educationis causa ingressis, licet nondum habeant vestem religiosam; *Barb. lib.* 1. *de iure Eccl c.* 17. *n.* 71. *Donat. p.* 4. *tr.* 6. *q.* 3. *Tamb.* 2. *disp.* 6. *q.* 17. *n.* 1 *vbi quamplures citat Diana ref.* 73. *de dubiis Regular. contra Rodriquez* 3. *q.* 51. *art fin. & Portellum* 11. *Nouitius* 53. concedentes illis tantum priuilegium canonis. *Palaus part.* 3. *tract.* 16. *punt.* 1. *p.* 11.

QVÆRES V. An nouitij sint membrum, & pars eius conuentus, vbi educantur, & probantur?

8 Respond. Affirmatiuè, quia vnius moris sunt cum professis in eadem domo sub obseruantia regulari sub eodem capite politico, ergo illius sunt membra, & partes, dum in religione perseuerant cum reliquis, ex communi eorum habitatione arguitur plurium vel partium sub eodem capite. Ita *Riccius part.* 4 *ref.* 37. *& Nauarro de electione fori. quæstion.* 46. *sect.* 2. *Donat. p.* 4. *tr* 6. *quæst* 1.

QVÆRES VI. An nouitij contrahant domicilium in conuentu, vbi probantur, & de familia eiusdem, sintque ciues eiusdem loci?

Respond. Affirmatiuè, quia ad contrahendum domicilium necessaria est corporalis habitatio cum animo perpetuo habitandi *l. Nihil interest* 25. *ff. de captiuis. & post lim. reuersis* vbi dicitur: *Nec enim satis est corpore domum quem rediisse, si mente alienus est.* Et *l Eius qui* 27. *§ Celsus ff ad municip.* Domicilium enim re, & facto transfertur non nuda contestatione *l. Domicilium* 20. *ff. ad municipal.* Firmatur autem per decennij habitationem, *l.* 2. *Cod. de incolis.* Nouitij autem regularem religionem ingrediuntur, vt in ea perpetuò maneant ad præscriptum vitæ regularis, ergo in religione per ingressum statim contrahit domicilium loci, vbi probantur, & eius dicuntur Ciues. Ita omnes, quos citaui *præced. cap* 11. *n.* 12. quibus adde *Donatum p.* 4. *tract.* 6. *q* 1. sunt verè de familia Monasterij *Riccius part.* 4. *resolut.* 241. *num.* 3. 9

QVÆRES VII. An vocem habeant in capitulo conuentuali cum professis.

Respond. Negatiuè, quia ius vocis in religione acquiritur mediante professione; sed hi nondum sunt professi, ergo vocem non habent in capitulis, & aliis negotiis conuentus Ita ex *cap. Cum ex eo* 32. *de elect. in* 6. vbi solum professi admittuntur. 10

Dices, Nouitij se immiscere possunt in actibus propriis professorum, inter quos est actus vocis, ergo in illis habent vocem actiuam sicut habent professi. Antecedens patet, quia profiteri possunt tacitè, quod contingit duobus modis, primò gestando habitum professorum, secundò per exercitium actuum solis professis competentium, *Sanchez lib.* 5. *cap.* 3. *à num.* 19. Inter actus autem professorum numerantur, potissimum exercitium vocis, ergo nouitios vocem habet in capitulo.

Respond. Esto Nouitios de licentia Superioris possit profiteri per exercitium alicuius actûs professis proprij, non ideò tamen dicitur habere ius vocis in negotiis conuentus; sed ex professione sequente ad illum actum illud acquirit, in quo casu ille actus professionem producens alium conceptum non habet, nisi causæ productiuæ professionis. Admittitur ergo à Superiore non vt pars capituli ad firmandum negotium, sed vt fiat Religiosus tacita professione.

QVÆRES VIII. An Nouitij confiteri possint sacerdoti regulari nondum approbato ab Episcopo, & sic gaudere priuilegio professorum?

Respond. Nouitius confiteri debet suo Magistro licet non sit approbatus ab Episcopo, non solum ille, qui sctu habet habitum, sed etiam qui nondum indutus fuit proximè tamen induetur; & si confiteretur extra ordinem, inualidè absoluitur, procedunt hæc siue nouitius sit solius educationis, siue etiam probationis. 11

Primum, quod debeat confiteri Magistro suo, habetur ex Decretis Clementinis. *Ipsi autem Magistro soli Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur.* Verba hæc sunt de præcepto, attento iure communi, quod vnusquisque confiteri debet proprio sacerdoti, *cap omnis* 12. *de pœnit.* vbi dicitur, quod si voluerit confiteri alicui sacerdoti, debet à proprio petere licentiam, & obtinere, *cum aliter ipse illum non possit absoluere, vel ligare*, vnde nulla erit inde secuta absolutio, dicit enim Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 7. Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem. Quare si Nouitius alteri non deputato confiteatur, nullam facit confessionem, cum ea sit indispositione, peccat enim contra ius com-

contra ius commune præcitatum, tum ex defectu iurisdictionis in confessario. Ita *Peregr. ad constitut. sui ordinis p.2 cap.5. lit.K. Megal. p.1 lib.1.c.8.n.20. Vecchius disp.10. dub.3.num.3. Tamb. de iure Abb.t.2. disput.6 q.6.num.3. Sanctorus cap 6. ad statutum 7. sui ordinis quæst.* 10. § *Si verò*, cuius dictis contra me respondi *decis.6.* quos contra se citat *Diana resolut.4. de dub reg.* cuius argumentis abundè satisfeci *Ref.54. quæst.34.*

12 Secundum, quod non est necesse, vt sit approbatus ab Episcopo, probatur, quia in eo decreto non restringitur commissio, vt fiat Magistro confessario sæcularium, sed simpliciter Magistro hæc spiritualis cura audiendi confessiones nouitiorum mandatur; est autem necesse, quod Magister sit confessarius episcopalis, quia in eius requisitis id non exprimitur, ergo sufficit quod sit confessarius regularis. *Confirmatur*, quia aliter Magister Nouitiorum in ordine Capucinorum deberet esse confessarius episcopalis, quod eorum institutis repugnat. Adde quod Tertiarij, & alij perpetuò commensales intra claustra ma-
13 nentes quoad Sacramenta subduntur Prælatis regularibus, & eorum sacerdotibus confessariis tantum regularibus, vt docent *Fernandez, Homobonus, & alij à Barbosa relati ad cap.15 sess.23. n.* 11. A fortiori
14 Nouitij, qui proximiores sunt ipsis professis. Ita docet Lezana *p 4.11.* Nouitius *num.* 40. *in citato resolut.34.num.39.*

15 Tertium, quod Magister Nouitiorum confessarius solum regularis possit audire etiam Nouitium proximè induendum, probatur. *Tum quia*, licet careat habitu, pro nouitio tamen habetur gaudens priuilegiis, professorum. *Tum quia*, facit illa regula. Proximè accingendus habetur pro accincto, *l Ex tempore 43. ff. de testam. milit.* proximè autem accingen-
16 dus censetur ille, qui est in via, secundum *Graff t.2. cons.3.de Pœnit.num.*10. Ita ibi *Graff. Pharaonis tr.* 1. *sess.17.casu 1.Vecchius disp 9. dub.1. Ego cap.5. de Nouitiatu q.68.* Proximè induendus absolui potest, intellige tu infra eandem hebdomadam, quando fiunt præparamenta pro eius indutione, adeo quod suppono Nouitium habere omnia requisita, & solum illi deesse habitum, quo solemniter induendus est.

17 Quartum, quod Nouitius confitens extra ordinem inualidè absoluatur, probatur ex supradictis sub prima parte eo quod ipse peccat accedendo ad alienum sacerdotem, & talis sacerdos caret auctoritate, ergo absolutio nulla sequitur tum ex indispositione subiecti tum ex defectu iurisdictionis in alieno sacerdote, & ita tenent ibidem Doctores allegati, cum quibus est *Sanctorus allegatus in eadem prima parte, quibus adde Peyrin. de Prelato q 1.c.1 § 8. n.*202. *Lezanam p.1.c.24.n.7 & p.4.11. Nouitius n.40.*

18 Quintum si abscondite confiteatur confessario eiusdem ordinis ex aliqua causa, quando constitutio non obligat immediatè ad culpam, nec continet decretum irritans, cum his circumstantiis sacerdos non careat potestate, nec nouitius illum eligendo peccat, ergo ex his capitibus confessio, & absolutio validæ sunt. Aliquid Donat.*p.4 tr.6.q.21.*

Sextum, hæc procedere etiam in nouitio tantum educationis probatur, quia in hoc nihil differt à nouitiò probationis, cum iam contraxerit domicilium, subiectionem, & parem cum aliis conuersationem, ergo eum eisdem eodem iure censendus est.

QVÆRES IX. An nouitij sint exempti à casibus reseruatis; Inter casus reseruatos alij sunt Papales cum censura adiuncta; alij Episcopales; alij Regulares, quæ distinctio ortum habet ab eodem conditore.

19 Respond. Subsunt casibus Papalibus, & Regularibus, non verò Episcopalibus. De Papalibus non est dubitandum, quia per transitum ad religionem non desinunt esse subditi Papæ, ideò sicut erant ante ingressum, ita post eundem remanent subiecti casibus Papalibus.

Subduntur verò casibus regularibus, non Episco- 20
palibus, quod hac vnica ratione probatur, quia mutatio domicilij, & habitationis tollit, & ponit reseruationem, quæ afficit subditum tantum, vnde si mutet habitationem, seu domicilium e.g. si Parmensis discedat Parma, & vadat habitare Regij, absoluitur à casibus Parmæ reseruatis per confessarium Rogiensem, vbi talia peccata non sunt reseruata, eo
quod mutatione tollitur reseruatio. Quod mutatione 21
domicilij tollatur reseruatio, si eadem non est in loco, vbi absoluitur docent *Vgol. & Homob. quos pro se citat Floren p.1.cap.3.n.57. cap.4. §.8. num.* 5. *Versic. quarto, Naldus* 11. *Casus reseruatus num.10.5. Respectiu, Graff. p.1. lib.1.cap.13. n.46 quos citaui ref.39. n.28.* Sed Nouitius certè mutat domicilium, & habitationem, etiamsi nouitiatum peragat in ciuitate Episcopi, cui erat subiectus ante susceptionem habitus regularis; de hac mutatione nullatenus est dubitandum, cùm acquirat nouam habitationem, & domicilium intra religionem, vt probaui *q.* 6. & cum professis Nouitij dicuntur esse extra ciuitatem, & diœcesim Episcopi, licet morentur intra circuitum diœ-
cesis, ex eo, quod locus exemptus, & extra diœce- 22
sim æquiparatur. *Ioann. Andr. in clem de foro comp.* c 1. *Quia nonnulle, Lezana in Marimagno August.num.*44. Exempti quoque dicuntur esse in diœcesi, sed non de
diœcesi. *Abb. in c. graue 19.de off.ord.n.1. Cochier p.* 1. 23
q.5 n 23. & q 64. n. 3. Nam dictio *in* refertur præcisè ad habitationem, & situm, dictio verò *de* refertur ad subiectionem, & iurisdictionem, clerici ergo sæculares sunt de diœcesi, & in diœcesi, quia habitant vt subditi, Religiosi verò sunt in diœcesi, quia in ea habitant, non sunt verò de diœcesi, quia non sunt subditi, sed exempti. Prælibatis ergo præmissis tanquam certis, & veris à nullo reuera negandis infertur conclusio, quod Nouitij tenentur casibus regularibus, non Episcopalibus, quia sunt subditi regularibus, non Episcopis mutatione domicilij. Et ita tenent *Cordub.lib.1. q.30. Vecchius disp.9.dub.26. n.2. Peyr.de Prelato q 3. c.1.n.291. Pasqual.q.221. Pelliz. tract.6. c.2.n.102. Ego ref.38. n.4 & c.4. de nouitiatu q 52* Nouissimè *Defendens Quadrius in suo viridario reseruato disp.1. concl.3. &* 4.

Contrarium sentiunt immeritò quamplurimi, quos refert Diana *ref.* 110. *de dubiis Regul. ea vnica ratione,*
quia Nouitij non tenentur ad onera religionis. Sed 24
hæc parui est momenti, nam illud verum est de oneribus specialibus, vt quod non tenentur sub præcepto e.g. ieiunare diem veneris, tamen cùm sint pars talis communitatis debent se accommodare cum aliis in Refectorio, non excusandis saltem à veniali; ratione scandali, & quia veri Nouitij debent experiri austeritates ordinis, & si non tenentur eo vinculo, quo professi obligantur, conuincuntur tamen aliis obligationibus, ex eo quod sunt pars, & ratione sui status tenentur experiri austeritates religionis. Onus autem casuum reseruatorum prouenit à iure communi, *c.1 de pœnit. & remiss.* vbi supponitur reseruatio casuum per Episcopum facta pro suis subditis, & clarius in Tridentino exprimitur *sess.14. c.* 7. vbi licet fiat mentio de Episcopis, non excluduntur Superiores regulares habentes in suos iurisdictionem, & ipsi Episcopalem, quorum fauore Tridentinum etiam pro illis disponit, vt videre est ex extremis ver-
bis: *Vt ad Superiores, & legitimos iudices pro beneficio* 25
absolutionis accedant. Sub quibus verbis certum est venire etiam Prælatos regulares, qui sunt veri Superiores, & Iudices suorum subditorum, etiam nouitiorum pro absolutione. Prælati S. Francisci facultatem prætereà habent ab Alex. VI. reseruandi sibi casus, cuius Bullam refert *Confect. fol.* 111. Hoc igitur onus reseruationis ex se speciale non est, sed com-

muna

mune fidelibus, clericis, religiosis, & laïcis, ergo vnusquisque tenetur casibus sui Superioris; quare cum Nouitius sit subditus in religione subditur casibus regularibus, non ex vi oneris specialis, sed ex vi iuris communis veteris, & noui Tridentini Concilij, vt vnusquisque subditus absoluatur à suo superiore. Adde prædictis simpliciter destruendo eam rationem. Nam illud onus non est nouitij pœnitentis, sed confessarij, cui fuit limitata facultas absoluendi, ideo esto reseruatio sit onerosa, & odiosa, cum non afficiat immediatè nouitium, parum refert illius, quod reseruatio sit onus religionis? quia cadit in confessarium non in nouitium. Insuper demus casum, quod Nouitius incurrat casum reseruatum tantum in religione, & non ab Episcopo. A quo absoluetur? Non à Magistro, quia habet manus ligatas, non ab Episcopo, quia respectu illius non est casus reseruatus, ergo à solo Superiore regulari reseruante.

QVÆRES X. An Nouitius absolui possit ab omnibus reseruatis Sedi Apostolicæ, à quibus potest absolui professus?

26 Respond. Affirmatiuè, quia in fauorabilibus venit sub nomine religiosorum professorum, qui habent priuilegia, vt absoluantur à reseruatis Papæ. Ita *Peyrin. de Prælato quæst. 8. cap. 1. num. 202. & 203. & cap. 3. in Additam. priuileg. num. 23. Rodriq. tom. 1. q. 24. art. 15. Vecchius disp. 9. dub. 5.*

QVÆRES XI. An Nouitius ante receptionem habitus excommunicatus, seu suspensus, aut interdictus absolui possit à Magistro suo immediate antequam habitum recipiat?

27 Respond. Absolui potest, si nondum est iudicatus, & declaratus, censuram incurrisse. Textus est apertus in cap. Cum illorum 32. de sentent. excommunicat. *Quod de sæculo fugientes, qui religionis habitum in monasterio receperunt, & inter cætera postmodum confitentur se tale commisisse delictum, per quod ipso actu excommunicationis sententiam incurrerunt, &c. Eorum Prælatis, quod etiam talibus absolutionis beneficium impartiri valeant indulgemus, nisi excessus ipsorum extiterit difficilis, & enormis, vtpote si ad mutilationem membri, vel effusionem sanguinis est processus, aut in Episcopum, aut Abbatem violenta manus iniecta.* Clemens IV. per Bullam eandem gratiam fecit sine exceptione excessuum, sed tantum sub conditione, si recederent à Religione, inciderent in easdem, à quibus fuerant absoluti; Bullam citat *Sorbus tit. Absolutio ordin. quoad Fratres num. 4.* Sed videtur falsa, vel non bene relata, vt dico infra sub quæst. 15. Ampliorem dedit Paulus III. Iesuitis, vt eorum Sacerdotes ab ordinario approbati omnes fideles ad eos accedentes absoluere possent ab omnibus, & singulis peccatis, criminibus, & delictis quantumuis grauibus, & enormibus etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibuscumque ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, potestatem absoluendi. Vtantur ergo Prælati hac Bulla Pauli III. quæ est amplior, quam sint præmissæ iuris communis, & Clementis IV. Hæc autem habetur à *Confeßio Bulla tertia fol. 184.* de qua in re nostra *Rodriq. tom. 1. q. 20. art. 21. Riccius part. 4. resolut. 259. Nauarrus consil. 58. Grassus effectu 1. num. 79. quos citat Donatus part. 4. de priuileg. Nouit tract. 6. q. 17.* multa dicens, & nihil concludens, dum se conuertit ad oracula, & cruciatam.

Dixi, si non est singulariter declaratus per iudicem, quia in tali casu priuilegia supradicta nihil disponunt, sed videntur loqui tantum respectu sententiæ generalis legis, nam ius commune loquitur de sententia generalis canonis contra iniicientes manus violentas in monachum; Bulla Clementis loquitur de censuris à iure, vel à iudice promulgatis generaliter; & similem sensum habent verba Bullæ Pauli III. ergo priuilegium non se extendit ad absoluendum particulariter delaratum excommunicatum. Parum autem facit partis satisfactio, licet necessaria, quia per eam non tollitur iniuria, quam sibi fieri potest prætendere iudex, cuius iurisdictio perturbanda non est. Finis, propter quem absolui possunt fugientes à sæculo, vt fiant religiosi, est, vt tollatur impedimentum ad digne recipiendum habitum; sed criminosi ad formam Bullæ 71. in Bullario Sixti V. non possunt recipi, ergo priuilegium non facit pro censuratis in sæculo etiam quorum sententia promulganda timetur. Ita docent Compend. Suarez, & Reginaldus apud Vecchium disp. 9. dub. 9. qui cum aliis tenet, parte satisfacta, eos absolui posse pro vtroque foro. Supradicta pro parte negatiua pluribus probaui c. 4. *de Nouitiatu q. 56. §. Ego sum.*

Procedunt non solum respectu casuum Papalium, sed etiam Episcopalium, quia Paulus III. vtitur particula *Etiam* ampliatiua, exprimit enim casum magis dubitabilem; & implicat minus dubitabilem, ex allatis à Barbosa dictione eadem, vbi dicit habere locum tum in odiosis, quam in fauorabilibus. *Etiam Apostolica Sedi reseruatis*, id est, non solum Episcopis, sed etiam Papæ reseruatis. Immo etiam si non adesset dictio ampliatiua, adhuc Papa conce- 28
dens licentiam absoluendi à casibus reseruatis, non expressis Episcopis, & aliis, qui sibi casus reseruare possunt, facultatem diceretur concessisse super omnes à quocumque reseruatos. Ita *Homob. de casibus reseruat. p. 1. c. 5. §. Quod etiam Vgol. de censur. tab. 1. c. 10. §. 4. cum eis Floron. p. 1. cap 4. §. 1. num. 7.* contra alios citatos à *Maz. disp. 1. quæst. 3. difficult. 6.* argumento deducto ex Decreto Sacræ Congregation. sub Clemente VIII. quæ prohibuit, ne quis prætextu priuilegiorum auderet absoluere à casibus reseruatis Episcopis, reuocando omnia priuilegia, etiam à Sede Apostolica quouis modo concessa. Sed id non est contra nos, qui agimus de absoluendo Nouitio, non autem sæcularem; dictum enim decretum reuocat tantum priuilegia concessa absoluendi sæculares, non autem degentes intra Ordinem.

QVÆRES XII. An Nouitius absolutus à censuris reincidat in illas si reuertatur ad sæculum? Nulli dubium est, si Sacerdos absoluit à censuris sub conditione, vt reincidat, si recedit, secuto recessu reincidere. Vnde difficultas in eo consistit, an confessarius absoluens teneatur ita absoluere sub ea conditione quæ sit præscripta ex tenore priuilegiorum?

Respond. Nouitios esse absoluendos à censuris 29
absolutè, siue delictum ante ingressum; siue post fuerit perpetratum inducens censuram. Probatur, quia in priuilegio iuris communis c. *Cum illorum 32. de sent. excomm.* & Pauli III. concesso Societati Iesu, & aliis Ordinibus per communicationem nulla fit mentio de reincidentia, sed absolutè conceditur Superioribus facultas absoluendi, ergo sine huiusmodi limitatione, & si id conceditur in duobus præcitatis priuilegiis respectu ingredi volentium à fortiori iam ingressis, qui habent priuilegium peculiare limitatum, vt Carmelitæ, & Minimi, eo omisso vtantur priuilegio iuris communis, Dominicanorum, & Minorum quod est absolutum, de qua re *Lez. in Mari magno Minim. n. 35. Sanctorus c. 2. stat. 14. § 7. q. 4. Diana res. 44. de Regul. Donat tr. 6. p. 4. q 18.* In Mea Religione sine limitatione absoluuntur etiam familiares, à fortiori Nouitij in *Bullario Nostro fol. 176. & 227.* Vide Bullam relatam infra sub *quæstion. 15. num. 33.*

Dices in *cap Cum illorum*, non conceditur absolutè facultas absoluendi nouitios à quibuscumque censuris, sed tantum ab ea, quæ incurritur ob iniectionem manuum violentarum in Clericum, & Monachum, ergo hoc priuilegium non valet pro aliis censuris.

Respond. Valere, quia concedens maius censetur 30

concedere etiam id quod minus est, *cap. ex part. 27. de decim* inter autem excommunicationes extra Bullam Cœnæ hæc est maior, vt constat, prouenit enim ex sacrilegio, & iniuria statui clericali facta.

QVÆRES XIII. An Nouitius certo recessurus ad sæculum an nihilominus absolui possit à censuris sicut ille, qui est remansurus?

31 Respond. Affirmatiuè, quia per hoc, quod ad sæculum rediturus est, non desinit esse nouitius, nisi quando actu recedit habitu renuntiato, ergo adhuc nouitius gaudere potest priuilegio. Confirmatur, quia degradandus clericus gaudet priuilegiis clericatus, vsque ad illum punctum, & horam, quo degradatur, & exuitur vestibus clericalibus, ita & nouitius suis fruitur priuilegiis quousque habitum deposuerit.

QVÆRES XIV. An Nouitius reuersus ad sæculum debeat se præsentare coram Superiore reseruanta censuras, à quibus fuit absolutus in Religione? Hoc affirmat Vecchius disp. 9. dub. 25. initio his verbis. Nouitij censuris, & irregularitatibus irretiti, quibus iure communi absolutio, & dispensatio impensa fuit intra annum probationis, tenentur se præsentare ei, qui aliàs de iure in sæculo eos absoluere poterat, non vt absoluantur, cum iam sint absoluti, sed ne reincidant in easdem sententias ratione inobedientiæ non se præsentandi. Et dicit communem cum *Angelo* 11. *Excommun. 5. n. 48 Syluestro* 11 *Absolutio 5. dub. 9. Sayr. lib. 3. cap. 28. num.* 14. Fundantur omnes in capit. Eos 22. de senten. excommunic. in 6. vbi dicitur, quod qui est in aliqua censura, à qua non potest absolui, nisi à Papa, sed propter mortis periculum, vel aliud impedimentum legitimum absoluitur ab alio, si deinde cessante periculo, vel impedimento non se præsentat illi, à quo erat absoluendus ad recipiendum mandatum, reincidit in eandem quadam speciei similitudine. Sed casus Nouitij reuersi non comprehenditur sub eo capite. Quare.

32 Respond. Nouitius non tenetur se præsentare, quia ex vera intelligentia illius capitis illi tantum tenentur se præsentare, qui absoluti fuerunt à non habente facultatem absoluendi, nisi ex casu impedimenti; modo nouitij absoluuntur à Prælatis non ex vi articuli mortis, aut ex impedimento legitimo dante illi facultatem legalem, sed ex priuilegio iuris communis, seu Pauli III. aut alterius Pontificis, qui gratiam faciunt simpliciter sine vlla obligatione se præsentandi, ergo Nouitij nullum habent onus se præsentandi, cum id non exprimatur in illis priuilegiis; nec citatum cap. Eos, illos comprehendit, quod loquitur tantum de illis, qui absoluuntur à non habente aliquod priuilegium, vt docent *Medina, Henriquez Suarez & Rodriquez, quos pro se citat Sanchez lib 2. cap. 13. num.* 31. alias priuilegium nihil prodesset. *Bonac. disp. 1. de censuris quæst. 3. part. 3. n* 15 *Ego resolut* 28. *n. 16. & resolut. 56. q. 35. & dub. 13. Regular. in MS. Diana par. 5. tract. 14. resolut.* 59. non tenetur se præsentare, licet oppositum dicat *part. 9. tract 4. resolut.* 58. sequendo Castrumpalaum. Et licet ex cap. Cum illorum, non possint absoluere ab excommunicatione ob enormem percussionem, in quo casu aliqua ratione procedere potest opinio contraria, adhuc tamen euacuatur, quia ex priuilegio Societatis Iesu absolutio dari potest ex quauis enormissima percussione, item ex priuilegio Prædicatorum apud Lezanam §. 16. ergo nostra responsio est absoluta, & generalis respectu omnium censurarum ex quouis delicto procedentium, extra Bullam Cœnæ Domini.

QVÆRES XV. An nouitios dispensari possit super omnibus irregularitatibus tam ex defectu, quam ex delicto à Prælatis regularibus?

33 Respond. Potest in multis. Refert Priuilegium Minorum ex Clemente IV. extensum in eorum Marimagno Rodriquez Bulla decimaquarta fol. 149. *Generalis quoque & singuli Prouinciarum Ministri, & eorum Vicarij, etiam Custodes in Prouincijs, & Custodijs sibi commissis prædictis Fratribus consistentes ibidem, necnon Fratribus alijs eiusdem Ordinis interdum ad eos declinantibus vndecumque absolutione, & dispensatione indigentibus, siue priusquam intrauerint ordinem, siue post, in casibus excesserint pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrant sententias à iure, vel à iudice generaliter promulgatas, & huiusmodi sententijs innodati, aut in locis suppositis interdicto Ecclesiastico celebrantes, aut suscipientes ordines, sic ligati, notam irregularitatis incurrerit, absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impartiri omni si adeo fuerit grauis, & enormis excessus, quod sint ad eandem Sedem merito destinandi.* Et tenore harum speculor *Primò*, non solum professos, sed etiam nouitios gaudere hoc priuilegio non solum pro excessibus commissis post receptionem habitûs, sed etiam dum viuerent in sæculo, vti sæculares. *Secundo*, absolui possunt à censuris latis à iure, vel à iudice, non quouis modo, sed generaliter tantum, vnde declaratus à iudice incursus in talem, & talem censuram absolui non potest; ex quo magis confirmatur, quod dictum fuit sub quæst. 11. §. Dixi, particulariter censuratos absolui non posse. *Tertio*, concedi dispensationem super certis irregularitatibus ex delicto nempe eius, qui censura innodatus celebrauit, vel ordines recepit. *Quarto*, limitatur priuilegium, vt non absoluant, nec dispensent super his, in quibus consulenda est Sedes Apostolica, &, quia id vertebatur in dubium, Sixtus Quartus qui præfatam Clementis Quarti in sua inseruit, id declarauit sequentibus verbis: *Declaramus Hæreticos* 34
relapsos, Schismaticos, & qui Literas Apostolicas falsificassent, aut ad Infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sedem Apostolicam meritò destinandos. In reliquis vero omnibus etiam Simoniæ prauitate qualitercumque irretitis posse per illos quibus ibi conceditur absolutionis, & dispensationis beneficium, &c. Dic iu modo, Sedem Apostolicam esse consulendam pro casibus Bullæ Cœnæ, hi enim sub ea comprehenduntur. Hoc priuilegium ad Meum Ordinem fuit extensum per eundem in Bulla 162. in Nostro Bullario. *Quinto* demum, cum ex prælibata Bulla Clemens Quartus non limitauerit priuilegium Nouitij, vt limitatum dicitur in alia, de qua mentionem fecimus sub quæst. 11. puto eam, aut non extare, aut esse hanc eandem quam retulimus ex Rodriquez quare hæc attendenda est, & non alia.

Refero Priuilegia Mei Ordinis etiam pro Noui- 35
tiis. Eugenius Quartus Bulla 106. incipit Iniunctum in Nostro Bullario fol. 175. *Necnon quoties opus fuerit omnes, & singulos præsentes, & futuros Ordinis huiusmodi Fratres, ac Sorores ab omnibus, & singulis Excommunicationum, Suspensionum, & Interdicti Sententijs, & Pœnis, quibus pro tempore irretiti fuerint, in foro Conscientiæ dumtaxat absolutionem, ac cum Clericis, & Presbyteris ex prædictis super irregularitate, si qua sententijs præfatis, vel earum aliqua ligati Missas, & alia Diuina Officia contraxerint, dispensare. Necnon etiam omnium, & singulorum Fratrum, & Sororum præsentium, & futurorum prædictorum, ac illorum, & aliorum Seruitorum pro tempore Confessiones, &c.* Quamuis hîc nominatim non exprimantur Nouitij, implicite tamen comprehenduntur sub illis verbis: *Fratres præsentes, & futuros*; nam Nouitij dicuntur futuri Fratres. Præterquam quod si seruitores, id est, Tertiarij gaudent his priuilegiis, à fortiori Nouitij, qui magis participant de statu Religioso, quam familiares.

QVÆRES XVI. An Nouitij dispensari possint in votis, & commutari in eis?

Respond. Affirmatiuè, siue ea fecerint ante in- 36
gressum, siue post, loquendo de votis minoribus, non vero potest ea irritare, vtique suspendere, quæ

tandem

tandem euanescunt, & imbibuntur in voto solemni, ita vt postea ad nihil professus teneatur, quoad illorum obligationem, & executionem, siue sint realia, siue personalia, siue mixta.

Prima pars, quod possit Superior super illorum vota dispensare, probatur, quia illi sunt subiecti quoad potestatem spiritualem. Confirmatur, quia Regulares dispensant in votis cum sæcularibus, vt docent omnes cum *Lezana tom.1. cap.19. num. 22. tom.3.11. Confessarius regularis num.13.14 & 15.* Et
in mea Religione adest Priuilegium Nicolai V. Bul-
la 138. fol.229. his verbis: *Ac ipsos Fratres, familia-*
37 *res, & seruitores à votis minoribus absoluere.* Hoc est
dispensare, seu commutare, si familiares, à fortiori no-
uitios qui magis appropinquantur professis. Ita *Ro-
driq tom 1. q 25. art.8 Sanch. lib.4. c.39 num 17. cum
alijs Vecch disp.10. dub.6. n.3.* Quando autem Supe-
rior potest dispensare, potest etiam commutare, quia
id est, quid minus; & ita docent *Sayrus lib.6. Clauis
c.12 n.15. Lessius lib.2. c.40. n.94. Suar. tom.2. de Re-
lig. de Voto lib.6. c.12. n.10.* quos contra se citat *San-
chez lib.4. cap.53. num 3.* Per minora vota intellige
ea, quæ non sunt solemnia, vnde nouitij dispensari
possunt in votis peregrinationis Hierusalem, Com-
postellæ, &c.

38 Secunda pars, quod eorum vota irritari non possint, probatur, quia irritatio supponit in Superiore potestatem dominatiuam ex communi doctrina Theologorum; sed potestas dominatiua oritur ex voto solemni respectu Prælati Regularis ratione cuius profitens se constituit sub dominio Superioris, quod cum Nouitij non emittant infra annum probationis, ideo non dicuntur subiecti Prælato Regulari respectu dominationis, *Nauarr. c.12 n.65. ex eo Vecch disp.10. dub.6 num.1. Sanch. lib.4. c.33 num.28. & mox citandi.*

Tertia pars, quod Nouitiorum vota suspendantur, intellige, quæ aduersari possunt communi vitæ regularis obseruantiæ, probatur, quia debent se conformare cum iis, cum quibus conuersantur, eandem sequendo disciplinam, ergo ne eorum vota impediant, sunt pro eo tempore suspensa, aut suspenduntur à Superiore. Ita *Lessius lib.2. cap.40. n.77. Suar. lib 6 de voto cap.7 num.12. ex illis Sanch lib.4 cap.33. num.32. Bonac. p.7. de voto §.2 n.32. Peyrin. de Prælato q.3 cap.1 n.200.* Qui asserunt remanere vota realia, quæ non impediunt regularem obseruantiam.

Quarta para, quod vota quæcumque nouitiorum commutantur, & transeunt in solemne votum professionis, adeo quod eorum specialis obligatio euanuit, probatur per textum cap. Scripturæ 4. de voto, vbi dicitur quod omne votum commutatur in votum religionis propter eius excellentiam, quo aliud præstantius dari non potest. Ita ibi omnes Canonistæ, *D.Thom. 2.2. quest.189. art.3. ad 3. Nauar. consil. 4. de Regular. Sayr. in Claui lib.5. cap.8. num.15. Vecchius disp.13. dub.4. Riccius par 4. resol.249. Compend. Rodr. resolut.140. num 6. cum alijs Barbosa ad dictum caput.* Si quis autem Nouitius fecit votum reale maritandi e. gr. puellam cum dote centum aureorum, & acceptatum fuit à puella, seu eius parentibus manet obligatus, non enim hoc votum commutatur in illud religionis, quia religio non intendit damnum alterius, nec commutatio fit cum præiudicio alterius. Ita *Sanchez lib 4. cap.5. num 45. Miranda tom.1. q. 25. art.7. Vecchius disp.13. dub.4. Ego hic c.20. q.18.*

Dicta procedunt etiam de eisdem votis iuramento firmatis soli Deo, non autem homini, quia iuramentum sequitur naturam eius actus, super quem cadit, & iuxta illum regulandum est, *cap. Quemadmodum 25. de iureiur. l. Et si possessori §. Item si iuramento ff. de iureiur. Ita Sanch. lib.5. num 44.*

QVÆRES XVII. An nouitij lucrentur indulgentias concessas professis?

Respond. Affirmatiuè, de quibus Paulus V. Bulla 39
21. incip. *Romanus Pontifex*, in Bullario Romano,
vbi de Nouitiis §. 5. dicitur: *Omnibus igitur Christi fidelibus, qui canonicè, & iuxta ordines cuiuslibet Religionis, & constitutiones Apostolicas habitum regularem à legitimis superioribus causa profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem si verè pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint plenariam. §. 5. Ac cuilibet Nouitio, qui pœnitens & confessus, ac sacra communione refectus post completum probationis annum professionem emiserit etiam plenariam.* Hæ sunt propriæ Nouitiorum, aliæ referuntur, quarum illi participes sunt. Vide infra cap. 20. q.17. Prædicta de Nouitiis locum habent etiam respectu Nouitiorum, qui sunt introducti causa educationis. Vide Rodr. tom.3. q.51. art.12.

QVÆRES XVIII. An Nouitij ordinari possint; & à quo Episcopo; & quos ordines recipere possint?

Respond. Nouitij non prohibentur recipere or- 40
dines, ad quos dimitti possunt à suis Superioribus regularibus ad Episcopum loci, vbi Nouitij probantur, si habiturus est ordinationes, aliter ad quemcumque Episcopum more professorum; ad ordines tamen maiores licentiandi non sunt nisi prius obtinuerint patrimonium, vel beneficium ad cuius titulum ordinantur subdiaconatum.

Prima pars, quod possint ordinari, constat, quia nullibi prohibentur; & textus *cap. Monasterijs 6. 19. q.2.* quo prohibetur ne quis audeat tonsurare nouitium nisi post triennium suæ conuersionis, explicatur de professione, quæ in iure vocatur tonsura, *cap Agatha 17. 27. q.2 cap constituit, 39. 16. q.7. cap 1. 20 q 2. c.1. & 2. de Regul* quæ locutio deducta fuit *ex cap. 18. num. 18. Actor.* ibi: *Qui sibi totonderat in Cenchris caput.* Ita *Turrecr. hic*, cum sequentibus Doctoribus. *Rodriq tom.1. q 13 art.4. fine, Sanch. lib.6. cap.10. num.19. Vecchius disp.13. dub.8. num.1. ex illis Barbosa ad dictum cap.6. 19 q.2.*

Secunda pars, quod dimittendi sint à Prælato re- 41
gulari, probatur. Tum quia gaudent priuilegiis professorum ex q.4 qui dimittuntur ad ordines per suos regulares superiores. Tum quia sunt eorum subditi ratione habitationis, & domicilij, atque quoad receptionem sacramentorum, ergo & quoad hoc dimitti possunt ab illis. Ita probaui multis *resol. 67. num.52.*

Omnes autem tenent, tunc Superiores posse dimittere ad ordines Nouitios, quando habent priuilegium licentiandi professos ad quemcumque Episcopum, pro qua facultate stabilienda referunt priuilegium concessum congregationi S. Benedicti Vallisoletani à Clemente VIII. anno 1590. die 2. Augusti apud *Dianam resol 7 de dub. regular. & par.4. tract.4. resol.7. & par.5. tract.10. res.43. Compend. Rodriquez resol. 106. num. 40.* Vbi citat etiam aliud priuilegium concessum Iesuitis, vt possint recipere ordines à quocunque Episcopo, illud autem incip. *Pium ac vtile 77.* in Bull. Romano, Gregorij XIII. vbi num.4. expresse prohibetur eius communicatio aliis regularibus, ex quo audiendi non sunt præcitati, dum faciunt illud communicabile. Sed ad quid referre huiusmodi priuilegia particularia, recurramus ad Decretum S.Congr. de Mandato Clementis VIII. editum, quo decernitur, vt superiores Regulares suis subditis dimissorias de qualitatibus requisitis dent ad Episcopum diœcesanum illius religiosi, qui ordines suscepturus est, si abfuerit, vel ordinationes non sit habiturus, illos dimittere possint ad quemcunque Episcopum. Hoc extenditur à *Sorbo 11. sacri ordines fol.457. Nal. ordo num.26. Quar. ordo fol 368.* Est ergo hoc commune priuilegium omnibus regularibus, vt dimitti possint à suis Superioribus ad quemcumque Episcopum,

Episcopum, quando à proprio non tenentur ordinationes. Consequenter infertur, si dimittunt professos, posse etiam dimittere Nouitios, non considerando illud priuilegium Iesuitarum, quod incommunicabile, neque illud Vallesoletanum, de quo apud nos non constat, sed respiciendo hoc postremum commune omnibus regularibus approbatum, & acceptatum, de quo nullus dubitare potest, neque enim Tridentino repugnat, cùm Religiosus sit paratus suscipere ordines à suo Episcopo, si tenet ordinationes, aliter aliundè sic prouidet ex priuilegio Apostolico, sic exigente statu sui ordinis, qui indiget ministris pro seruitio suæ Ecclesiæ, & ex hoc probatur nostra responsio.

Omnes Doctores dicunt, Superiores regulares posse licentiare nouitios, si habent priuilegium ad quemcumque Episcopum ex allatis à *Diana loc. cit.* præsertim *resol. 7. de dub. reg.* sed constat habere illud ex mox dictis, ergo. Confirmatur, quia solum Superior regularis nouit mores, & qualitates nouitiorum pro suscipiendis ordinibus, dum constat cum Religiosis moram trahere, ergo licentiam concedere ad illorum Superiores regulares spectat, hæc enim di-
41 missoria nihil aliud de iure continere debet, quam requisita, & habilitatem ad suscipiendos ordines, vt colligitur ex *sess. 23. c. 16. ibi: Nullus debet ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit vtilis, aut necessarius suis Ecclesiis.* A quo Episcopus iudicium sumere debet, an Nouitius sit vtilis, aut necessarius Ecclesiis regularibus, nisi ab ipso regulari Superiore? Quod magis ad rem dicitur *praeced. cap. 8. Nisi eius probitas, aut mores Ordinarij sui testimonio commendentur.* Dicit *ordi-*
43 *narij*, non Episcopi, vt eo vocabulo insinuaret, non tantum Episcopos, sed etiam alios Superiores mittere suos subditos ad ordinationem. Nomine siquidem Ordinarij veniunt etiam Superiores regulares, *Gl. v. Regulares c. Ne pro defect. 41. de elect. & San. lib. 3. disp. 19. n. 5.* omnes habentes iurisdictionem Ordinariam appellatur ordinarij, *Bar. App. 117.*
44 Tertia pars, quod Nouitius ordinari debeat ab Episcopo, in cuius loco est Monasterium ad Nouitiatum deputatum, in quo ipse Nouitius probatur, ostenditur, quia vnusquisque à suo proprio Episcopo ordinandus est, *c. 8. sess. 23.* Proptius autem Epi-
45 scopus potest esse triplex, originis, domicilij, & beneficij, in hoc omnes conueniunt super dictum *cap. cit. à Barb. à n. 15. & seq.* Nouitius autem esto haberet beneficium cum illud professione relinquere debeat, non est ordinandus ab Episcopo Originis, quia intendit relinquere mundum, & pariter domicilium antiquum, quod habebat ante ingressum, restat ergo vt dimittatur ad Episcopum domicilij regularis, sicut mittuntur Religiosi professi, nam reuera intrans religionem eum animo profitendi tempore debito, vt omnes ingredientes faciunt, mutat domicilium, & incipit illud acquirere intra Religionem, in qua habitandi perpetuò animum habet, vt clarum est, & probaui hic *q. 6.* Ita *Fran. in c. Cum nullus, de temp. ordin. in 6. vbi Anchar. num. 4. Cucchus. Campan. Riccius part. 4. resol. 118. num. 6. Vecchius disp. 11. dubio 8. Barb p. 2. Alleg. 4. num. 63. & in praesit. c. 6. 19. q. 2. Sanch. lib. 6. c. 10. n. 12.*

Contra alios paucos cum Henriq. & Suar. docentes, Nouitios pro ordinibus debere accedere ad eum Episcopum, qui eum, quando erat secularis, ordinasset, ea ratione, quia Nouitius per nouitiatum non acquisiuit domicilium in loco probationis, cum non habeat animum perpetuæ habitationis in loco religionis, sed experiendæ Regulæ, eáque experta statuendi, an ibi mansurus sit, an potius tedeundi ad pristinum domicilium. Ita *Suar. t. 2. de Rel. c. 22. n. 9. & t. 3. lib. 5. c. 16. n. 17. apud dictum Barb.*

Respondetur, hîc duo falsa inuolui, primum est, nouitium non mutare domicilium; secundum est, non habere animum perpetuæ permansionis in religione; probata falsitate huius posterioris, constabit de falsitate prioris. Omnes, qui à sæculo veniunt ad religionem animum habent profitendi, si illis ta- 46
lis viuendi modus placuerit, ad hunc enim effectum Sancti Patres annum nouitiatus inuenerunt, vt Nouitij experiantur vitam regularem, & professi eius mores, *cap. Ad Apostol. 56. de Regul.* vt profiteantur, si placuerit, vel reuertantur ad sæculum, si non placuerit, cùm ergo secularis petit ingressum in religionem haber animum in ea permanendi, si talis vita sibi placebit, ideò eo nouitiatus anno probatur, consequenter mutat tunc domicilium seculare in regulare. Nec obstat, quod animus perpetuò habitandi in Religione sit conditionatus, quia cum conditio nihil ponat in esse, *l. si quis 8. ff. si quis omissa caus. l. cedere 213. de verb. signif.* Non potest impedire veram translationem domicilij de seculari in regulare. Miles contrahit domicilium, vbi meret, *l. Muni-*
ceps 23. ff. ad Mun. & infrà l. 32. Ea, quæ desponsata est, ante contractas nuptias suum mutat domicilium, in- 47
quit Modestinus. Si per hos acquiritur nonum domicilium, quorum status est variabilis ex conditionibus euentuum, ergo & per Nouitium, qui habet animum perpetuò manendi, magis quam miles, & sicut sponsa ex causa rationabili desistuere potest sponsalia, ita & Nouitius resilire à religione, & tamen per sponsalia acquisitur domicilium, ergo & per Nouitium.

Quarta pars, quod Nouitij ad sacros Ordines pro-
mouendi non sunt licentiandi, nisi habeant patri- 48
monium, vel beneficium, probatur, quia nullus sine patrimonio, vel beneficio promoueri potest ad ordinem subdiaconatus *sess. 21. c. 2.* Et licet ibi sermo fit expressus de clericis sæcularibus, tamen Pius V. *in sua 75. incip. Romanus Pontifex,* Bullar. Romani decretum Concilij extendit ad clericos regulares, siue seculares more Religiosorum in communi viuentes, qui aut nunquam emittunt professionem, aut per multum tempus, declarando irritas, & nullas eis licentias datas per suos Superiores; ex quo confirmantur superius dicta, nimirum Superiores Regulares posse licentiare suos Nouitios ad ordines etiam maiores, si habent patrimonium, aut beneficium.

QVÆRES XIX. An Nouitij afficiantur Bullis Pontificis, statutis, & sententiis odiosis loquentibus de Religiosis.

Respond. Negatiuè, nisi in terminis suis expri- 49
mantur, quis Nouitij sub nomine Religiosorum non veniunt in odiosis, vt probatum fuit sub *q. 3.* Vnde *Ric. p. 4. res. 253.* dicit, quòd interdicto clero censentur etiam interdicti Religiosi, & eorum Nouitij, *ex Nauarr. cap. 27. num. 167.* Interdicto verò populo non censeri interdictum Nouitium ex Campanili, & *resol. 260.* ait, excommunicationem latam contra alloquentes moniales non afficere loquentes cum Nouitiatibus, quia non veniunt sub nomine Monialium in odiosis.

QVÆRES XX. An Nouitij teneantur regularibus obseruantiis?

Respond. Non tenentur ex vi status religiosi, quia 50
nondum sunt professi, sed quatenus sunt partes communitatis, & conuentus ad euitandum scandalum debent se conformare cum professis in Choro, Ecclesia, Dormitorio, ad hoc enim sunt ingressi, vt probent obseruantias regulares. Vnde ex transgressione puniri possunt, sicut castigantur professi, immo si relaxati viuunt in disciplina regulari expellendi sunt, quia nullam spem ostendunt religiosè viuendi. De qua re vide *Sylu. Religio 5 q. 7. Graff p. 1. lib. 5. c. 5. num 13. Vecch. disput. 11. dub. 14. Sanch. lib. 16. c. 10. n. 6. Ego c. 4. q. 51.* Etiamsi habeat votum ingrediendi religionem, quia obligationes regulares oriuntur à professione regulari, non à voto ingrediendi.

QVÆRES

QVÆRES XXI. An Nouitius sit capax acquirendi beneficium, & quid agere debeat habens illud?

51 Respond. Nouitius est capax beneficij secularis tam curati, quam simplicis, sicut erat, dum in seculo viuebat, non autem beneficij regularis. Habens verò beneficium illud retinet vsque ad professionem, cui debet inseruire per alium assignata ei portione fructuum. Potest autem illud resignare simpliciter, vel ad fauorem alterius in manu Episcopi, cui subdebatur ante ingressum religionis.

Primum quod Nouitius sit capax beneficij secularis, probatur. *Tum quia*, ingrediendo non debet fieri deterior eius conditio, qua erat capax beneficij. *Tum quia*, adhuc est sui iuris, & liberè exire potest, maximè ex hac causa, *cap. Postulasti* 21. *cap. statuimus* 23. *de Regul.* Ita ex Franco *Riccius p.* 4. *ref.* 248. *n.*2. *Barb. ad c. Nullus* 28. *de elect. in* 6. *n.*4. Quia nouitius sui iuris est *San. h. lib.* 7. *c.* 4. *n.* 22. *Contra Gloss. v. Conferendum, ex ea Azor p.* 1. *lib.* 12 *c.* 3. *quæst.* 1. *apud Barb. ad dictum c. de regul. in* 6. ea ratione, quia nouitius est in statu dubio, in quo sicut quis non potest fieri miles, *l. qui status* 8 *ff. de re milit. l. Qui de liberali causa*, ita neque nouitius potest fieri miles Christi, per receptionem beneficij. Sed textus illi non faciunt ad rem, cum ibidem dicatur, quem non posse fieri militem, quando controuertitur an sit liber, an seruus, & sub alterius iure; constat autem Nouitium esse sui iuris, ideò promoueri potest, non autem seruus fieri miles, cùm non sit sui iuris. Esto igitur nouitij status sit dubius, propria tamen auctoritate ab eo se potest eximere, non verò seruus controuersus.

52 Secundum quod nouitius non sit capax beneficij Regularis, probatur per citatum *cap. Nullus* 28. *de elect. in* 6. vbi prohibentur promoueri ad beneficia regularia nondum professi, quales sunt nouitij, quia illa solis professis inferuntur, vnde *in clem. de supplend neglig. prælat.* dicitur, quod beneficia regularia regularibus professis conferuntur, quod idem repetit *Trid. sess* 4. *s.* 10. solùm enim expressè professis conferuntur, Clem. Ne in agro, in fine, de statu mon. Ita idem *Riccius p* 4. *ref.* 248. *Vecchius disp.* 14. *dub.* 7. *n* 5. *Sanch. lib* 7. *c.* 4 *n.* 10.

53 Tertium, quod per ingressum in nouitiatum non vacet beneficium, probatur per textum apertum *cap. Beneficium* 4. *de Reg in* 6. *illius, qui religionem ingreditur non est infra probationis annum alicui conferendum, nisi ad id ipsius accedat assensus. aut constet, quod vitam voluerit absolutè mutare, vel professionem expressam fecerit, seu scienter habitum professorum receperit; sed interim eidem benefi io per alium deseruiri debebit, assignata sibi de ipsius prouentibus portione.* Cùm ergo non possit conferri, signum est, quod non vacat, nam sola vacantia conferuntur. Nomine autem beneficij venit quandocumque. Ita *Gigas de Pension. quæst.* 57. *n.* 3. *& Sanchez lib* 7. *cap.* 4. *num.* 3. *&* 53. extendit etiam ad pensiones. Certum autem est vacare professione, vt supponitur à Ludouico *decisione* 40. hîc extensa.

Quartum quod illi inseruiat per tertium assignata portione congrua, probatur per textum id expressè dicentem. Taxa autem facienda est ab ordinario, & residuum fructuum sibi nouitius retinebit. *Rodriquez tom.* 1. *quæstion.* 37. *art.* 11. *Vecchius disputat.* 8. *dub.* 7. *num.* 5. *San. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 18. *Barb. ad dictum cap. Beneficium n.* 8. Per seipsum ergo deseruire non potest, cùm debeat manere in probatione infra clausuram.

Quintum, quod illud renuntiare possit, colligitur ex textu, in quo dicitur, quod alicui non est conferendum infra annum probationis, nisi accedat consensus ipsius nouitij, collatio enim supponit renuntiationem.

Altercantur, an huiusmodi renuntiatio sit facienda ad formam Tridentini, id est, infra bimestre pro- 54
fessioni proximum? Affirmat communis opinio tredecim Doctorum apud *Barb. super præsens cap. n.* 4. *& in Trid. sess.* 25. *c.* 16. *n* 13. vbi adiungit alios quatuor DD. quibus addo *Lezanam p.* 4. *v. Nouitius n* 32. *Donat. p.* 4. *tr.* 7. *q.* 17. *Parolettum p.* 1. *de Renunt cap* 6. *lit. B.* Ratio est, quia Tridentinum loquitur generaliter cum signo vniuersali *nulla renuntiatio*, vniuersa- 55
lis enim definita per suum signum tantæ est efficaciæ, vt omnia comprehendat sine vlla exceptione, *Barb.* 11. *omnis n.* 1. *&* 6. Accedit propria ratio, quia ideò infra bimestre, & non ante renuntiandum est, ne impediatur libertas nouitij ab egressu religionis, quæ potissimum impediri potest, si statim post ingressum renuntiet beneficio, est enim id amissio magni boni, ideò in eius renuntiatione seruanda est forma Tridentini, ne lædatur libertas nouitij.

Nicolaus Garzias *p.* 11. *c.* 9. *num.* 12. *&* 13. negat comprehendi renuntiationem beneficij sub hoc capite Tridentini, quem sequitur *Barb. hic num.* 13. *& in cap. Beneficium n* 4. *& p.* 3. *alleg.* 99. *n* 19. *Antonell. lib.* 7. *de Regimine Ecclesiæ Episcop. c.* 8. *n* 6. Qui probat ex Garzia primo, quia in Tridentino agitur solùm de bonis propriis Nouitiorum. Sed id gratis asseritur, quia textus loquitur super actione immediatè, renuntiationis, cuius capax est beneficium, nulla facta mentione de bonis siue propriis, siue alienis. Secundò, inquit, quia non aufertur libertas nouitio, quia collatio beneficij non potest fieri, nisi post professionem. Ego dico planè auferri libertatem, quia si renuntiat absolute, vacat beneficium, quod Episcopus conferre potest, si verò renuntiauit condisionatè secuta professione argumentum corruit, sed tunc renuntiatio est ad formam Tridentini ex parte conditionis, quos non sequor, sed cum primis sto, quia eorum ratio satis efficax. Quare renuntiationem Episcopus non potest acceptare, nisi infra illud bimestre, nisi aduersetur Tridentino. Quod si infra annum probationis nihil disponat de beneficio, quod melius est, professione validè emissa incipit beneficium vacare, cùm non possit professione transire cum cæteris eius bonis ad religionem in præiudicium Iuris Episcopalis, & colligitur ex illis verbis: *Vel professionem expressam fecerit*, tunc enim conferri potest beneficium nouitij, quod signum est illud professione vacasse. Ita omnes cum *Barbosa ad citatum cap. num.* 6.

QVÆRES XXII. An pensionarius ingrediens religionem secum deferat illud ius, & professione acquiratur religioni?

Respond. Pensionarius vtitur suis fructibus vl- 56
tra professionem.

Primum de fructibus, quos nouitius facit suos, probatur, quia per ingressum non perdit illud ius, quod habebat, non enim debet fieri deterioris conditionis, qui meliori modo cupit Deo seruire. Confirmatur, quia non perdit beneficium ex probatis, ergo neque pensionem, hæc enim æquiparatur beneficio, *Nauarrus de Redditibus monitor.* 32. *n.* 1. *Tambur. tom.* 3. *disp.* 11. *q fin. n.* 17. Ita *Gigas, Zechius; & Rota, apud Vecchium disp.* 8. *dub.* 7. *num.* 4. *Sanchez lib.* 7. *cap.* 39. *num.* 8.

Secundum non vacare pensiones professione do- 57
cui *cap* 10. *quæst.* 16.

QVÆRES XXIII. An Patronus beneficij cum iure præsentandi id secum ferat in religionem factus Nouitius, & ad quem spectet præsentare, an ad ipsum solum, an ad Monasterium? Triplex autem est
Iuspatronatus, Ecclesiasticum, cuius præsentandi ius 58
spectat ad ministros Ecclesiæ siue Curatæ, siue non, Collegiatæ, siue Conuentualis. Laicale, cuius præsentandi ius spectat ad Laicos. Et Mixtum ex dictis partim Clericis, partim Laicis, sed ex Laicali fundatione;

tione; ex titulo Ecclesiæ ex parte Clericorum. Ita omnes de Iurepatronatus agentes cum Lambertino, Viuiano, & aliis. Quæstio procedit respectu religionis capacis bonorum.

59 Respond. Patronus in præsentatione hoc ius secum transfert in religionem, & incorporat cum cæteris bonis religionis per professionem, adeo quod non extinguitur ius præsentandi per professionem quæ tunc facienda est per Superiorem, & conuentum, quando est merè laïcalis, & præsentatio spectabat ad nouitium, vt singularem personam, cuius morte extinguitur.

Primum, quod nouitius patronus secum transferat Iuspatronatum, probatur, quia per ingressum non perditur illud ius, quod sequitur Nouitium, qui adhuc sui iuris est, cùm non sit per hoc factus deterior, ergo dum est nouitius ad eum spectat præsentare, si casus occurrit. Ita mox citandi.

Secundum, quod professione illud ius cum cæteris suis bonis incorporetur religioni, probatur. Quia religio capax bonorum est etiam capax Iurispatronatus titulo successionis, *cap. Cùm sæculum* 13. *de Iurepatronat.* nec ad hoc est necessarius consensus Episcopi, *cap. Illud* 8. *eadem*, vnde professione Iuspatronatus transfertur in religionem. Ita *Gamb. lib. 3. de Officio legati n.416. Marian Socin. in Repet. c. de Monachis. de prabendis, & ex illis Tambur. t. 3. disp. 9. q. 23. n. 2.* per ingressum enim mediante professione Nouitius transfert omnia sua bona in Monasterium *Authent. Ingressi, C. de Sacrosanct. Eccles.* ac proinde etiam Iuspatronatum, *Lamb. de Iurepatron lib. 2. q. 2. art. 11. n. 32. Sanch. lib. 73. c. 14. n. 2. Ric. p. 1. resol. 208. Rodriq. t. 2. quæst. 122. art. 2. cum suo Compend. resol. 85. n. 2. Barbos. in Authent. Ingressi num. 22. Cod. de Sacrosanct. Eccles. Pasqual. quæst. 15. num. 2. Petrus Belasius in suo promptuario Regul. 11. Iuspatronatus n. 4. & 5.*

60 Tertium, quod præsentatio spectet ad Superiorem, & Conuentum, probatur, quia professione Patroni ius omne immediatè transiuit in Monasterium intuitu personæ illius, *leg. 13. Auth. Ingressi de Sacrosanct. Eccles.* quia Monachus acquirit non sibi, sed Monasterio, *Tusch. lit. M. n. 13. Azor. p. 1. lib. 12. c. 8.* ideò cùm nullum ius sibi potuerit retinere obuians suæ professioni, Iuspatronatum, & ius præsentandi transiuit in Monasterium, ad quod spectat præsentatio capitulariter facienda. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 14. num. 7. & 8. Compend. Rodriq. res. 85. n. 2. Bellasius 11. Iuspatron. n. 6. Rota Rom. coram Queipo apud Rubeum t. 5. decis. 358. n. 1.* Vide meum dub. 205. Regulare, vbi idem probaui contra *Pasqualig. q. 15.* probantem ius præsentandi spectare ad ipsum Nouitium etiam post professionem; sed ibi ad eius rationes respondi, professione abdicare à se hoc ius, & transferre in religionem, & licet ius præsentandi, seu exercitium præsentationis aliàs non sit contra votum Paupertatis, est tamen contra votum Obedientiæ, ratione cuius nouitius propriam voluntatem subiicit voluntati Superioris, à quo Independenter iure proprio nihil agere potest. Et quamuis contra voluntatem Superioris indiscretam vocem habeat actiuam, & passiuam in electionibus, quia hoc recipit à religione ex vi suæ professionis ius tamen præsentandi à religione, non habet, cùm sit quid extraneum, & translatum immediatè in ipsum Monasterium, dum ipsum sibi non retinuit in professione, quod facere posset de consensu Superioris, *Sanchez lib. 7. cap. 14. num.* 10.

Quartum, quod Iuspatronatus merè laïcalis, & singularis transeat in Monasterium, non verò Ecclesiasticum, seu Collegiale, probatur hoc posterius, quia cùm Ecclesia semper viuat, & nunquam moriatur, *cap. Liberti* 63. 11. *q.* 2. Monasterium succedere non potest, sicut nec quando præsentatio fit collegialiter, quia nouitius professione desinit esse pars illius collegij, seu communitatis. Ita Doctores in *c. Beneficium de Regular. in 6. v. Conferendum, ex illis Sanchez lib. 7. cap. 14. num.* 1. Nouitius autem tempore probationis cum aliis concurrere poterit ad præsentationem, quia adhuc est pars illius communitatis à qua dismembratur per professionem.

Quintum, quod morte patroni ius præsentandi à Monasterio transeat ad successionem, & vocatos post ipsum professum, probatur, quia Monasterium successit intuitu personæ professi, qui in Monasterium non potuit plus iuris transferre, quàm sibi competere dignoscebat Reg. 66. in 6. sed ius præsentandi extinguitur morte professi, & transit in alium, vt notum est, ergo Monasterium non amplius præsentat morte professi. Quod si ipse sit vltimus ex vocatis, non obstante eius morte, Monasterium perpetuò prosequitur præsentationem, quia de ratione beneficij est perpetuitas.

QVÆRES XXIV. Cuiusnam Monasterij sint bona acquisita, & Iuspatronatus professione nouitij.

Respond. Eius, cuius est filius, siue in eodem 61
Monasterio, siue alibi professionem fecerit, quia cum professione nouitij bona, & iura, si aliter de illis non disposuit, acquirantur Monasterio, *Authen. Ingressi, Cod. de Sacrosanct. Eccles. cap. Quia ingredientibus 7. cap. Si qua mulier 9. 19. q. 3.* intelliguntur acquisita illi Monasterio, quod tenetur illum alere, quia commodum sequitur incommodum, sed conuentus filiationis tenetur illum alere, ergo eidem quæruntur bona. Ita *Riccius p. 4. decis. 252.* Nostris temporibus quilibet præsumitur filius illius conuentus, vbi primo receptus fuit, si aliter non disponatur, licet posteà transmittatur ad locum nouitiatus. Filiatio autem tantam habet vim vt posita professione legitima ipso iure bona quæcumque nouitij, de quibus non disposuit, transeunt in dominium, & professionem Monasterij absque alia traditione, aut additione bonorum. Ita *Sanchez lib. 7. capit. 12. num* 23.

QVÆRES XV. An Parochus religionem ingressus anno probationis possit audire confessiones secularium, & pariter facta probatione prosequi illud munus? Quod idem quæritur de quolibet alio confessario?

Respond. Nouitius aliàs in sæculo Confessarius 62
in Religionem ingressus prosequi potest suum officium, & dimitti potest ad confessiones etiam Religiosorum à Superiore Regulari; expedit tamen id ei prohibere, & non concedere.

Primum de prosecutione confessionis probatur. *Tum quia*, adhuc est Parochus, cum eius beneficium non vacet nisi secuta professione, *cap. Beneficium, de Regul. in 6. iuxta dicta sub q. 21.* ergo retinet facultatem excipiendi confessiones, quæ sequitur ab beneficium Parochiale *sess. 23. cap.* 15. Hoc argumentum facit pro Parocho; sequens vero pro aliis Sacerdotibus. *Tum quia*, ingressui in Religionem non repugnat hoc ministerium, sed valdè proportionatum est statui Regulari, cùm Religiosi dicantur in administratione Sacramentorum, coadiutores Curatorum, ergo confessarius nouitius potest prosequi exceptiones confessionis. Procedunt prædicta, si ambo nouitij annum probationis peragunt in conuentu sito in diœcesi Episcopi, à quo nouitij illi beneficium, hîc approbationem receperunt ad audiendas confessiones sæcularium. Quare si extra probantur carent ambo facultate, quam illis contulit Episcopus respectu suorum subditorum, nisi excipiant confessiones subditorum Episcopi approbantis ad eos accedentium. Professione emissa, sicut vacat beneficium, ita & facultas audiendi confessiones, nisi etiam habeat potestatem delegatam, vt habet non Parochus, qui ideo potest prosequi hoc sacrum munus. Ita docent ex parte *Florens 1. de casibus reser-*

uatis

natis c.4.§.12. num.7. Bossius sect.3. de Iubileo num.36. quos retuli resolut. 36. num. 87. quibus addo Moronum respon.85. num.8.

Secundum de concessiooe probatur, quia iure commuoi non prohibetur, neque repugnat statui nouitiatus, vt docui resolut.4.q.12.

Tertium, quod non expedit, hos audire confessiones probatur, quia non est conueniens eum, qui facit officium discipuli, fungi officio magistri, ne simul addiscens sit, & magister. Ita docui *resolut. 36. num.*87. Vnde io ordinibus quibusdam extat huiusmodi prohibitio. Quid si prosequantur officium coofessionis numquid tenebunt absolutiones? Vtique, si prohibitio sit confirmata à Sede Apostolica, aliter oon, quia facultatem datam ab Episcopo superior regularis auferre non potest, vt dixi ibidem *Moronus resp.85. num.9.*

QVÆRES XXVI. An nouitius possit sibi eligere sepulturam?

63 Respond. Potest vbilibet, sed iure congruitatis debet eam sibi eligere in Ecclesia sui Ordinis, & si non eligit, sepelitur in sepulchro sui ordinis, licet sit mortuus extra, expensis conuentûs, si non habet in bonis.

Primum de electione sepulturæ probatur, quia est sui iuris, ac si quoad hoc esset in sæculo, cuilibet enim licet electio sepulturæ, *cap.1. cap.6. de sepultur. Belletus disquisit. clerical. part. 3. titul. de Clerico debit.§.3. num.13. Lauorius titul.2. de Prisco cap.11. numero primo. Ita Armilla v. Sepultura numero sexto, Tabiena numero quinto, Sanchez libro sexto, capit.*14. *num.*10. *Lezana tomo quarto v. Nouitij num.*41. Est autem congruum, vt eligat sepulturam in Ecclesia sui Ordinis, quem intendit profiteri, vt si nòn potest conuersari cum viuis, communicet cum mortuis Fratribus.

64 Secundum de sepultura regulari probatur. *Tum quia*, nouitij gaudent priuilegiis regularium, quorum vnum est sepultura regularis, cap.1. 16.quæst.1. cap. Religiosi fin. de sepultur. in 6. ergo cum professis sepeliri debent. *Tum quia*, ius sepulturæ contrahitur ex habitatione & domicilio, *cap.1. de sepultur. cap.3. eodem in sexto*, sed nouitius contraxit habitationem, & domicilium intra religionem, ergo ibi sepeliendus est. Ita *Sanchez lib.6 cap.14. num.11. Rodriquez tom 3. quæst.60. art.2. fine, Barbosa ad cap.3. de sepultur. numero quarto, Lezana v. Nouitius num.*41. nituntur consuetudine, & priuilegio. Ego vero etiam habitatione, & domicilio. *Villalobos tom.2. tractat.31. difficult. 2. num.13. apud Bellasimu, & Dianam part. 5. tractat. 3 resolut.* 109. contra Lauorium, & alios parum congrue loquentes.

65 Tertium, quod sepeliendus sit in sepulchro regulari esto sit mortuus in domo parentum, probatur. Tum quia per hoc noo desinit esse nouitius. Tum quia per illud medium tempus censetur non abesse à conuentu. Tum quia super cadauer morientis casu extra propriam parochiam alienus parochus nullum acquirit ius sepulturæ, at in diuersis synodis statutum est, & hoc de iure est, quia propriam habitationem, nec domicilium amisit, qui sui morbi curam procurauit apud consanguineos extra suam parochiam. Et hoc procedit siuè mortuus sit vastitus habitu, siue noo, dummodo sepeliatur cum suo habitu, cum quo nouitiatus perficitur. Ita *Villalobos citatus apud Dianam, & Lezanam, atque Bellasimu.* Quod verum est, siuè sit mortuus in Parochia, de qua erat ante susceptionem habitus, siue in extranea, quia dum retinuit domicilium religiosum, & statum nouitij, parum refert, quod moriatur in Parochia, sub qua aliàs fuit, dum non est tempore sepulturæ. *Portellus tomo secundo, casu 69.* ait, nouitium, qui defunctus in domo parentum, dixit nolle esse religiosum non posse sepeliri apud Regulares, quia nō decessit vt nouitius.

Mortuus extra conuentum Nouitius siue in domo parentum, siue alibi, inde asportari potest à Fratribus sine licentia, & eleemosina Parochi, ad sepulcrum regulare qui tamen illi administrare debuit sacramenta Viaticum, & Extremam vnctionem, vt declarauit S. Congr. cuius decreta impressa fuerunt Bononiæ per Victorium Bonacinum 1620. per mo extensa contr. 43. Peytinum ad const.7. Pij V. sub §.10. refero ad propositum dubium decisum. *Morendo Frati, come auiene alle volte, & in particolar de Canonici Regolari Lateranensi fuora del Monasterio in casa de loro parenti, & hauendo i Curati amministrati loro i Santissimi Sacramenti, se possano i loro superiori farli portare deuote alla loro Chiesa, senza darne cosa alcuna al Curato. & senza dargli le raggioni Parochiali? Ad decimum Regulares extra claustrum decedentes posse ad eorum Ecclesias deferri etiam Parochis inconsultis.* Vbi noo consulunt Parochus, ibi non potest habere locum ius parochiale. Nouitius non est Parochianus, licet defunctus in corpore Parochiæ, sicut nec religiosus professus, ideo pro eorum cadaueribus eleemosina, seu quarta soluenda non est, quæ soluitur pro talibus Parochianis elatis ad sepulturas regulares. De Nouitio defuncto *c. De his 4 de sepult. Tiraqu. de Retr lign. §.1. glos 8. n.23. Rodriq. tom.1 q.39. art.4. Miranda tom. 2. q.48. art.9. concl. 3. cum aliys Compend. resol.18. num. 5. quos citaui Resol.31. n.200.* Nec conturbetur aliquis ex illis verbis: *Moriendo* 66.
Fratri, &c. Regulares extra, &c. quasi restringantur ad professos; id enim omnino falsum est, cum illi termini sint communes ex æquo professis, & nondum professis, Nouitij enim Fratres appellantur & sunt; nuncupantur quoque Regulares, obseruant enim Regulam professorum, vt experiantur, an sibi placeat talis vita. Demum gaudent priuilegiis professorum, supra q.4.

Quartum de expensis funeris, si Nouitij non ha- 67
beot in bonis sepeliendi sunt expensis conuentus, probatur ex l. Legatum 3. C. de Religiosis, vbi Legatarius præter suum legatum petit expensas factas pro funerando cadauere testatoris, vbi Barbosa ex communi doctorum ait, expensas funerales esse illas omnes, quæ concurrunt ad leuandum corpus, ad deducendum illud ad locum sepulturæ, ad sepeliendum, computatis etiam suffragiis pro illius anima factis die sepulturæ. *Confirmatur*, quia Collegialis studens sepellitur expensis propriis, & non collegij, & Nouitius collegialis studens vitam religiosam. Ita *Rodrig. tom.3. q.60. art. fin. Sanch lib.6. cap.14. num.12. Ego resol. 51. num.174.*

QVÆRES XXVII. An Nouitius possit redire ad sæculum?

Respond. Si habet votum Religionis nòn potest 68
redire, sed votum suum adimplere debet, & in hoc nullus dubitat, quia standum est diuinis promissis sub peccato mortali iuxta illud Psalmi. *Vouete, & reddite.* Aliter egrediens cùm aliqua causa licitum facit exitum, *ex c. Consulti* 20. *cap. Postulasti* 21. *cap. statuimus* 23. in quibus dicitur Nouitiis esse liberum exitum, & posse clericari in sæculo. Dixi, *ex causa*, quia si redit ad sæculum sine vlla causa, exitus est temerarius, & peccaminosus saltem venialiter, cum relinquat statum sibi valde profuturum. Ita *Azor. p.1. lib.11. c. 22. q.6. §. si quæras, ex Caiet. 2.2. q.189. art.4. Sanch. lib.4. c.16. n.92. Ego c.4. de Nou. q.55. Iterum dixi c.9 n 43.*

QVÆRES XXVIII. An circunstantia Nouitij aperienda sit in confessione?

Respond. Negatiuè ex parte ipsius Nouitij, is enim 69
status non mutat speciem à priori statu respectu venereorum, cum nondū acquisierit statum religiosum consequentem ad professionem, cuius læsio inducit sacrilegium nisi sit incognitus eius status confessario. Ita *Megalius p.1. lib 5. de Pœnis. c.11. n.7. ex eo Diana p.1. res.7. de circunst. Danasus p 4 tr.6 q.40 Ego res. 54. n.136.*

*n.*136. Aperienda vero est ex parte percutientis illum, quia incurrit excommunicationem, vt mox dicam.

QVÆRES XXIX. An Nouitij gaudeant priuilegio appellationis? E. g. quis sentit se grauatum in pœna inflicta, aut in expulsione à Religione, an, & coram quo appellare possit?

70 Respon. Appellat coram Superiore aggrauantium, quia quilibet se tueri potest à grauamine iniuste illato, id enim cum sit de iure naturæ à nullo negari potest. Vide de hac re *Portellum tom.* 2. *casu* 1. *num* 18. *& tom.* 1. *dub. regul. eiusdem* 21. *Nouitius num.* 54 *Vecchinum disp.* 1 1 *dub.* 3 *num.* 9. *Ego cap.* 3. *quæst.* 12. *& resol.* 54. *num.* 46.

QVÆRES XXX. An Canonicus Cathedralis, seu alterius collegiatæ vocandus sit ad Capitulum Cathedralis, seu Collegiatæ, dum est Nouitius?

71 Respond. Durante probationis anno ius vocis suspenditur quoad exercitium facta professione in totum extinguitur, vnde nec à Canonicis vocandus est ad capitulum.

Primum, quod vocis exercitium suspendatur, probatur, quia in constitut. Clem. VIII. de educat. Nouit. § Huius loci, §. Non liceat, prohibetur Nouitiis conuersatio cum aliis etiam religiosis professis, ergo Nouitius Canonicus habet suspensum ius vocis, cuius exercitium præstari non potest sine conuersatione, & allocutione. Secuta vero professione extinguitur omnino illud ius, quia desinit esse Canonicus, ac proinde pars Capituli. Manet autem suspensum illud ius pro anno probationis, quia si illi non placebit vita regularis poterit redire ad suum beneficium, & canonicatum, quod non vacat, nisi secuta professione.

72 Secundum, quod non sit vocandus ad capitulum, probatur. *Tum quia*, non est vocandus suspensus ex causa aliqua, neque impeditus, vt interesit electioni, sicut enim ipse non tenetur accedere, ita neque vocandus est, ne indirectè ut ad impariat. *Tum quia*, per ingressum in religionem videtur esse absens, extra Prouinciam; sed absentes non sunt vocandi ad electionem existentes extra Prouinciam cap. Coram dilecto 35. de elect. *Tum quia*, Nouitiis non est liberum exire è clausura, nisi de licentia Superioris, ex hoc non habent debitum accedendi ad Capitulum, ita neque Canonici tenentur illos vocare. Mediam rationem adductam referunt *Barbosa alleg.* 99. *num.* 31. *& ex eo Donatus par.* 4. *tract.* 6. *q.* 34. Quæ patitur exceptionem, quia aliquando Canonicus probatur in conuentu existenti in diæcesi, nihilominus dici potest, conuentum esse extra diœcesim, cum sit locus exemptus, qui fingitur esse extra diœcesim, licet in re sit in diœcesi, licet non de diœcesi. Ita tenet *Barbosa citat. Allegat.* 99. *num.* 30. *ex glos.* 11. *conferendum cap. Beneficium* 3. *Regul.* Aliis citatis cum dicto Donato, contra alios asserentes esse vocandum, qui cum scripserint ante reformationem Nouitiorum factam per Clementem VIII. non videntur amplexandi.

QVÆRES XXXI. An Nouitius exheredari possit à patre propter delictum in ipsum perpetratum, ante, vel post ingressum?

73 Respond. Non potest, lege prohibente relata cap. fin. 19. q. 3. *Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes ab hereditate repellere monachos factos, quamuis dum laici fuerant, in causam ingratitudinis inciderint.* Non tantum dicitur Monachus factus professus, quam Nouitius, & id magis intelligendum est de Nouitio, quam professo, quia professi bona de iure transeunt in Religionem, ideo exhæredari non potest. Quid si ingratitudinem committat factus Nouitius? Tunc expellendus est propter hoc graue delictum, si enim ingratus est patri naturali, multo magis fiet ingratus matri spirituali.

QVÆRES XXXII. An retrahens Nouitium ingrediendum, vel iam ingressum à Religione peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem?

Respond. Peccat mortaliter, ad nihil tenetur, nisi procurate, vt reuertatur. Ratio est, quia trahit illum à magno bono, quod illi est multum præjudiciale, ergo peccet mortaliter. Intellige, si id fecit malo animo, si ex causa, nullum est peccatum. Ad nihil vero tenetur, quia non peccauit contra iustitiam, sed tantum contra charitatem. Ita *Scotus lib* 4. *de Inst. q.* 6. *art.* 3. *in solut.* 2. *argum. Nauarr. cap.* 1 2. *num* 44 *Sayr. lib* 11. *Clauis cap.* 5. *n.* 28. *Miranda tom.* 1. *q.* 16. *art* 3. *concl.* 2. *apud Barbosam ad cap. final.* 19 *q.* 3. *n.* 3. 74

QVÆRES XXXIII. An annus probationis liberet a patria potestate?

Respond. Negatiuè, quia solum per professionem Nouitius liberatur à patria potestate, vnde aliàs filij, qui in minori ætate recipiebant vestem religiosam, seu tonsuram, idest, profitebantur, poterant à patre reuocari domum, signum quod in ea ætate minori, & probationis erant sub patria potestate, *cap. in qualibet* 1 20. *q.* 2. vnde *gl. fin. ibidem* dicit, quod soluitur patria potestas post quartumdecimum annum quantum ad Religionis ingressum, idest, professionem, ergo non ante tempore Nouitiatus. *Gl.* 11. *cum statum mutat l. Si ex causa* 10. *ff. de Minoribus* 25. *ann. Genuensis in Practicab.* q 474. Et ex his sequitur patrem durante anno Nouitiatus posse extrahere filium à Nouitiatu, quem non obtulit religioni, cum super eum habeat patriam potestatem, quam cum amittat professione, ideo è contra filium professum pater reuocare non potest. 75

QVÆRES XXXIV. An Nouitius existens actu in probatione possit sponsalia, & matrimonium contrahere, & postea habitu deposito redire ad sæculum?

Respond. Nouitius non solum sponsalia, sed etiam matrimonium valide contrahere potest antequam habitum dimittat, quamuis id illicite faciat. Probatur, quia nulla adest prohibitio, aut impedimentum impediens, aut dirimens, vt patet legenti impedimenta, quæ referuntur in materia de Matrimonio, ergo vterque contractus valet. Confirmatur, quia liberum est Nouitio exire de religione, & redire ad sæculum, *Cap. consultis* 20. *cap. Postulasti* 21. *cap. Statuimus* 23. *de Regul.* Ergo potest contrahere sponsalia, seu matrimonium, quod est proprium sæcularium. Malefacit, & peccat, quia cum habitu religioso nihil sæculariter agendum est, vt colligitur ex cap. Consulti citato, vbi dicitur, quod Nouitius potest ad sæculum redire, non tamen vt viuat sæculariter, vnde qui egrediuntur promouentur ad ordines vt dicitur in aliis duobus capitibus. Si tamen Nouitius habuit legitimam causam nimirum opulentissimæ dotis, & ne impediretur, cum habitu contraxit, videtur excusandus, quia ars deluditur arte. 76

QVÆRES XXXV. An habens maioratum seu feudum, ducatum secum retineat in Nouitiatu? & si careat in eis succedere possit?

Respond. Affirmatiuè, quia non repugnat. Nouitio, nec eius statui cum adhuc sit sui iuris, quod verum est, licet conuentus, in quem ingreditur sit incapax bonorum. Confirmatur, quia sicut capax est beneficiorum, & retinet quod habet vsque ad professionem, ita & maioratum, feudum, vel ducatum, ea ratione, vt suam libertatem habeat profitendi, vel reuertendi ad sæculum. Ita Doctores *in Authent. Ingressi sub l.* 1 3. *C de Sacros. Eccles. Alberic. n.* 34. *Signorol. n.* 34. *Molina tom.* 3. *de Iust.* q. 6 *x* 3. *Rodriq. tom.* 2. *q.* 7 8. *n.* 1 2. *cum cit. Sanch. lib.* 7. *c.* 15 *n.* 1. Adeo prædicta sunt vera, vt nec illis renuntiare possit, nisi intra bimestre à professione ad præscriptum Tridentini cap. 16, sess. 25. de renuntiationibus à Nouitiis faciendis, ne antea renuntiatione facta cogatur remanere in religione, vt cum magno rubore exire, & redire ad sæculum. 77

QVÆRES

QVÆRES XXXVI. An ſponſalia per Nouitiatum ingreſſi omnino ſoluantur?

78 Reſpond. Euaneſcere etiam primo ingreſſu probationis, etiam ſi poſtea non profiteatur eiectus à religione, pro qua non facit, modo eius ingreſſus non fuerit doloſus ad ſe eximendum à ſponſalibus ad decipiendam ſponſam. *Probaui ſub cap. tertio quæſt. trigeſima num. 98.*

CAPVT XIII.

De renuntiationibus, ſucceſſionibus, & legatis Nouitiorum, & Profeſſorum.

1 *REligio qualibet capax bonorum niſi prohibeatur.*
2 *Teſtamentum antiquo tempore monachi faciebant.*
3 *Quia nondum inducta erat ſolemnitas profeſſionis inhabilitans ad teſtandum.*
4 *Poſtmodum non poſſunt facere teſtamentum.*
5 *Profeſſione Nouitius omnia ſua transfert in Monaſterium.*
6 *Omnes religiones præter Obſeruantes. & Capucinos, atque Domos profeſſas Ieſuitarum ſunt capaces etiam ſtabilium.*
7 *Nouitij pro ſuo libito diſponere poſſunt de ſuis bonis ad formam Tridentini.*
8 *Fines tres ſunt diſponendi de bonis Nouitiorum.*
9 *Cauſa finalis, & impulſiua quid.*
10 *Cauſa finalis decreti de renuntiationibus Nouitiorum.*
11 *Renuntiationes factæ ante ingreſſum ſunt inualidæ.*
12 *Teſtamenti factio non comprehenditur in Concilio.*
13 *Beneficia quæcumque renuntiantur ad formam Tridentini.*
14 *Pactum in beneficijs non eſt ſimoniacum cum clauſula:* ſaluo aſſenſu Apoſtolico.
15 *Pactum pretio ineſtimabili non inducit ſimoniam.*
16 *Pactum lege præſcriptum non inducit ſimoniam.*
17 *Patrimonium clericale renuntiatur ad formam Tridentini.*
18 *Quinam contractus comprehendantur in hoc decreto.*
19 *Nouitius in contrahendo cum conuentu debet ſeruare hanc formam.*
20 *Mutuo dare non poteſt Nouitius ſine hac forma.*
21 *Eleemoſina, & paruæ donationes non comprehenduntur.*
22 *Epiſcopi licentia neceſſaria ad valorē renuntiationis.*
23 *Licentia alia hominis, alia legis.*
24 *Archiepiſcopus eam dat licentiam in ſua diœceſi.*
25 *Vicarius Epiſcopi eam licentiam dat.*
26 *Capitulum ſede vacante dat licentiam renuntiandi.*
27 *Abbates territorium habentes dant licentiam.*
28 *Licentia hæc delegabilis eſt.*
29 *Bimeſtre illo renuntiandum eſt ad 34.*
34 *Profeſſus nunquam poteſt renuntiare, ſi tenet profeſſio.*
35 *Bimeſtre illud ſumitur phiſicè.*
36 *Ætas ad renunciandum incipit à duobus menſibus complentibus annum decimum ſextum.*
37 *Forma Tridentini ſeruanda eſt ab omnibus cuiuſlibet ætatis.*
38 *Lex loquens in rem magis ampliatur, quam loquens in perſonam.*
39 *Decreto iudicis, & alijs ſolemnitatibus iuris non tenetur Nouitius renuntiaturus.*
40 *Nouitius renuntiaturus pro conuentu ſeruare debet hanc formam.*
41 *Mutuo dare non poteſt Nouitius ſuperioribus.*
42 Dare, & tribuere *arguunt qualemcumque tranſlationem dominij.*
43 *Renuntiatio facta eſt irreuocabilis, licet euaneſcere poſſit, ſi non fiat profeſſio.*
44 *Conditionata diſpoſitio ad duo obligat.*
45 *Donatio inter viuos ab initio obligat.*
46 *Donationi ſufficit quæuis acceptatio.*
47 *Renuntiationi conditionatæ ab initio ineſt obligatio ex nunc.*
48 *Cuiuſnam ſint fructus rei renuntiatæ illo bimeſtri?*
49 *Diſpoſitio qualibet ſecuta profeſſione ſtatim acquiritur.*
50 *Teſtamentum valet ſi nouitius moriatur ante profeſſionem.*
51 *Teſtamentum profeſſionem non ſortitur ſuum effectum ſed tantum morte naturali eiuſdem profeſſi.*
52 *Renuntiatarius moriens, bona redeunt ad nouitium.*
53 *Mortuis omnibus profeſſus recuperat renuntiata.*
54 *Pater de filij renuntiatis diſponere libere poteſt.*
55 *Dominium eſt ius diſponendi libere de re corporali, niſi lege prohibeatur.*
56 *Teſtari eſt actus dominij.*
57 *Renuntians bonis paternis non perdit ius ad bona fraterna.*
58 *Bona paterna acquiſita à filijs morte patris, non amplius dicuntur paterna.*
59 *Renuntiatarius adhuc poteſt bona relinquere renuntianti.*
60 *Teſtamentum, in quo nihil fuit relictum conuentui, non rumpitur.*
61 *Nulla profeſſione inualida eſt renuntiatio, conualidatur ratificatione.*
62 *Ratificatio per legem factam retrotrahitur ad primum actum nulliter factum, non vero, quæ pendet à ſolo hominis facto.*
63 *Renuntiatione nulla non firmatur per ſolam profeſſionis ratificationem.*
64 *Renuntiatio reuocari non poteſt, nulla etiam exiſtente profeſſione.*
65 *Conſanguinei Nouitij aliquid Monaſterio donare poſſunt de ſuo.*
66 *Verba Tridentini exponuntur.*
67 *Conſuetudine induci non poteſt, vt renuntiationes fiant contra hanc formam.*
68 *Conſuetudo tollere non poteſt legem habentem decretum irritans.*
69 *Electionem puellarum à ſe nominandarum poſt profeſſionem poteſt facere Nouitius.*
70 *Quot ſunt neceſſaria, vt valeat renuntiatio.*
71 *Epiſcopus factus, vel ad ſæculum dimiſſus recuperat renuntiata.*
72 *Renuntiatio cenſetur facta ſub conditione, ſi remanſero in religione.*
73 *Renuntiatio iurium etiam in futurum reſtringitur ad ea futura, quæ habent cauſam de præſenti tempore renuntiationis.*
74 *Renuntiatio eſt stricti iuris comprehendens tantum expreſſa.*
75 *Epiſcopus non recuperat, quæ tertius poſſidet.*
76 *Epiſcopus electus confirmatione ceſſat eſſe ſubiectiuè ſuperiori regulari.*
77 *Renuntiatione legitimâ retinet ius ad alia bona, & partem facit cum alijs filijs.*
78 *Renuntians cum reſeruatione, partem facit cum ſuis fratribus.*
79 *Renuntiatione filius nihil transfert in patrem, qui dominus eſt.*
80 *In dubio profeſſus præſumitur potius acquiſiſſe monaſterio, quam extraneo.*
81 *Tranſiens ad ſecunda vota, quid ſecum ferat?*
82 *Hæreditas delata, & non adita eſt prioris monaſterij.*
83 *Conuentus ſine facto profeſſi poteſt adire hæreditatem.*
84 *Prælatus adit hæreditatem contra voluntatem profeſſi, cum ſit dominus erga ſeruum ſuum.*
85 *Delata religioni incapaci non tranſeunt cum profeſſo ad capacem, ſed ſunt venientium ab inteſtato.*

86 Ab ordine incapaci ad capacem acquirit ab intestato, si nondum delata est.
87 Ius successionis, quod habebat in seculo suspenditur dum viuit in religione incapaci.
88 Eiectus ab ordine incapaci recuperat ius suum, ac si nunquam fuisset religiosus.
89 Secularis institutus heres factus professus ordinis incapacis, & postea transiens ad capacem, potest adire hereditatem excludendo alios, qui eam non adierunt.
90 Professus ordinis incapacis institutus heres, adire hereditatem non potest sibi delatam in ordine capaci.
91 Tria sunt necessaria ad hereditatem adeundam.
92 Vt testamentum rumpatur ex pretentione filij professi necesse est, quod filius sit in religione capaci ante mortem patris.
93 Substitutus pupillo, religionem incapacem professus, non amittit ius, si in religione capaci premoriatur institutus.
94 Renuntians cum reseruatione in religione incapaci, dum erit incapaci, aquirit sibi.
95 Statutum excludens fœminas fauet professo translato ad religionem capacem.
96 Bona transeuntis à capaci ad incapacem nondum acquisita, sunt venientium ab intestato.
97 Bona relicta sub conditione adimplenda, cum professus erit in secunda religione, huic acquiruntur.
98 Institui potest heres professus ordinis incapacis pro eo tempore, quo erit in ordine capaci.
99 Cuinam conuentui aquirat professus? ei cui est filius.
100 Cuius sunt bona filij exfiliati ab vno ad alium conuentum?
101 Spes succedendi tantum transiens secum transfert.
102 Destructo conuentu, vel religione bona sunt in dispositione Papæ.
103 Extra manentes acquirunt Cameræ Apostolicæ.
104 Monialibus applicantur dicta, & dicenda.
105 Expensæ, & donaria quæ dantur monialibus pro solemnitate ingredientis non prohibentur.
106 Dos Nouitiæ defunctæ ante professionem restituitur.
107 Dotis fructus transeunt cum Moniali ad secundum Monasterium
108 Monialis renuntians legitimæ, non dicitur renuntiasse alia bona.
109 Monasterium non censetur exclusum, quando testator non habuit respectum ad conseruationem familiæ.
110 Heres excludit substitutum professione in religione.
111 Testator præsumitur plus diligere descendentes quam Monasterium.
111 Fideicommissum comprehenditur sub generalissima renuntiatione.
113 Legatum si nupserit debetur profitenti in religione.
114 Impediens ingressum religionis dicitur turpis conditio.
115 Testator seruare debet leges in condendo testamento.
116 Pia causa aliam excludit inferioris conditionis.
117 Legatum pinguius debetur ingredienti, licet minus illi fuerit relictum.
118 Legatum relictum ingredienti religionem, seu monachanti debetur etiam Tertiarijs cum voto Castitatis degentibus domi suæ.
119 Tertiarij cum claustralibus, vel inter collegialiter viuentes gaudent priuilegijs sui ordinis.
120 Mulieres Tertiariæ cum voto manentes in suis domibus gaudent priuilegijs eiusdem.
121 Legatum in dubio debetur ex duobus pauperiori loco.
122 Bona intuitu professi aquiruntur immediate conuentui.
123 Adire ea potest sine facto ipsius professi, quamuis sibi sint relicta.
124 Legatum factum professo, vt eius sit independenter à superiore valet, sed conditio reijcitur.
125 Testamentum, & legatum sub conditione turpi valet, sed conditio pro non scripta habetur, vitiatur illa, sed non vitiat.
126 Legatum si fiat, clericus datur eidem professo.
127 Episcopus post confirmationem aquirit sibi vsumfructum, & suæ Ecclesiæ proprietatem.
128 Statutum excludens fœminas non excludit religiosis.
129 Iuspatronatus triplex est.
130 Nouitius secum transfert ius præsentandi.
131 Testari non potest iam professus.
132 Nec aliter disponere.
133 Nec consuetudine id potest induci.
134 Declarare potest suum testamentum.
135 Executor est testamenti de licentia sui superioris.
136 Episcopus factus non potest testari.
137 Pater ingressus quomodo diuidat inter filios.
138 Donatio omnium bonorum intuitu ingressus valet sine reseruatione.
139 Legatum conditionatum, si petatur à religioso, non potest exigi à superiore.
140 Renuntiatio generalis nunquam redit ad renuntiantem.

Religio quælibet non solum est capax bonorum 1
etiam stabilium immediate, & in communi, nisi
prohibeatur, sed etiam bona actu habere, & possidere
debet, ex eo, quod est congregatio plurium hominum
Deo dicatorum, quos alere tenetur, quod præstare
non potest, si bonis careat. De capacitate constat
tum ex iure Cæsareo Valentiniani, & Martiani
regnantium anno salutis 457. quo tempore religio- 2
sis professis permittebatur condere testamentum, per
quod possent relinquere aliquid ex suis bonis locis
pijs, Ecclesiis, & Monasteriis, ex leg. Generali 13.
C. de Sacrosanct. Eccles. tunc enim ab Ecclesia nondum
inducta erat solemnitas professionis, per quam
postea professi facti fuerunt inhabiles ad disponen- 3
dum de rebus suis, quas professione solemni abdicant
à se ex voto Paupertatis; & cum illis temporibus tanta
non esset vis professionis, vt omnia transferret
cum professo sub dominio religionis, idcirco piissimus
Imperator Iustinianus electus anno 571. iussit,
vt omnia ingredientium aquirerentur monasterio, si
ante aliter non disposuissent, vt patet ex eius Authentica
registrata sub dicta leg. 13. his verbis: Ingressi 4
Monasteria ipso ingressu, se, suaque dedicant Deo,
ne ergo de his testentur, vtpote nec domini rerum. Nomi- 5
ne autem ingressus venit professio, vt docent ibidem
omnes cum Gutier. lib. 2. canon. cap. 1. n. 10. Sanch.
lib. 7 cap. 5. num 12. Subiungitur immediate ibidem
alia Authent. Si qua mulier, aut vir monasticam elegerit
vitam, & intrauerit Monasterium, liberis non extantibus,
Monasterio, quod ingreditur, res eius competere
iubemus. Quæ verba referuntur à Gratiano cap 9. 19.
quæst. 3 Vbi additur. Nunc autem cum Monachus factus
est, hoc ipso res suas obtulisse, si prius testatus non
sit. Intellige ante professionem. In Authent de Sanct.
Episcop §. Si qua mulier collat. 9. constitut. 15. Hæc
autem duo Authentica, vt quæ fauorabilia sunt Ecclesiæ
Catholicæ approbata fuerunt à Gregorio IX.
electo 1227. relata, cap. Quia ingredientibus 7. 19.
quæst. 3. & capit. 2. de testament. vbi dictæ leges citantur.
Quare vtroque iure religio quælibet est capax
quorumcumque bonorum, & iurium.
Quoniam verò Sanctus Franciscus præ cæteris 6
amator extremæ fere paupertatis iuxta Apostolum 1.
ad Thimot. 6. 8. Habentes alimenta, & quibus tegamur,
his contenti simus. Suum primum Ordinem, quem
Minorum vocauit, sub altissima paupertate fundauit,
prohibens aquisitionem stabilium, immo
& mobilium superfluorum, huic iuri renuntianis,
adeo

adeo quod iſte ordo incapax eſt hæreditatis, ſucceſſionis, & legatorum, ſub quo militant Conuentuales, Obſeruantes, & Capucini, vnde Tridentinum cap. 3. ſeſſion. 25. excipiendo Obſeruantes, & Capucinos, perpetuo Decreto declarauit omnes alias Religiones eſſe capaces bonorum in communi. Cum Capucinis, & Obſeruantibus ſtantieunt Domus Profeſſæ Ieſuitarum, quæ ſunt incapaces bonorum in communi. Ita *Caſtro Palaus diſputat. 3. de obligat. relig. part. 16. num. 2.*

7 Cum autem Nouitiis ſit liberum diſponere de ſuis bonis, & ei adiicere pactum ſibi bene viſum, & honeſtum, non contra leges, *ex Authent. de Monach. § Illud quoque, & cap. De his, de teſtament. Bartol. in leg. 1. C. de Sacroſanct. Eccleſ. ex Rota deciſ. 556 num. 7. apud Rubeum tom. 4.* ideo Tridentinum eis præſcripſit modum renuntiandi, & diſponendi de ſuis bonis ſeſſ. 25. cap. 16. his verbis.

Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcumque cauſa piæ valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſeu eius Vicarij fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem; ac non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione. Aliter vero facta, etiamſi cum huiuſmodi fauoris expreſſa renuntiatione etiam iurata, ſit irrita, & nullius effectus, Doctores hoc Decretum interpretantes recenſet Barboſa in Collectaneis Concilij hoc loco.

8 Notari poſſunt hîc tres fines ſuper hoc Decretum, duo ex parte renuntiantis, nempe cauſa finalis, & impulſiua. Tertia ex parte ſtatuentis, vt nimirum Nouitius permaneat in ſua libertate.

Cauſa igitur finalis ea eſt, vt Nouitius Deo liberius in Religione ſeruiat expeditus curis huius ſæculi, & rem hanc multis proſequitur Paulus Rubeus tom. 4. ad deciſ. 523. à n. 128. Hunc finem præſcribunt quatuor Regulatores volentibus ingredi Religionem, Sanctus Baſilius Interrogat. 8. Sanctus Auguſtinus initio ſuæ Regulæ. Sanctus Benedictus præſertim cap. 59. Sanctus Franciſcus præ aliis ſpeculum Paupertatis idem præſcripſit cap. 2. Regulæ Primi Ordinis, ibi: *Dicant eis verbum Sancti Euangelij, quod vadant, & vendant omnia ſua, & ea ſtudeant pauperibus erogare.* Id non eſt præceptum, ſed conſilium, quia Regula in hoc non afficit petentes ingreſſum, ſed tantum ponit ante oculos eorum quid facere poſſint. Vide *Vecchium diſp. 7. dub. 6. & diſput. 8. dub. 1. & 2.*

9 Cauſa verò impulſiua eſt fauor parentum, & propinquorum, in quorum beneficium ingreſſurus religionem diſponit de ſuis bonis. De hac vtraque cauſa *Rota deciſ. 561. apud Rubeum tom. 4. vbi num. 66. & 67.* dicitur, quod cauſa finalis eſt propriè illa quæ mouet principaliter diſponentem; impulſiua vero, quæ præbet occaſionem, *Bald. in leg. Generaliter C. de Epiſcop. & Cleric. num. 10. Natta lib. 3. conſil. 609. Couarr. lib. 1. Var. cap. 20 num. 2.* Ego dicerem, quod cauſa finalis mouet, nimirum Dei ſpeciale obſequium ad ingreſſum, cuius occaſione ingreſſus impellitur ab amore parentum, vel precibus ad renuntiandum, igitur occaſione ingreſſus diſponit de ſuis bonis, aliter non diſpoſiturus. Finalis ergo mouet, impulſiua vrget occaſio nata à finali, vt tradit *Rota deciſ. 109. n. 1. & 2. tom 5 apud eund. Rubeum*, vbi ait, quod renuntiatio fauore patris eſt impulſiua, finalis vero, quæ eam occaſionauit, eſſe ingreſſum religionis, & paupertatem. Et vocat renuntiationem realem, quia manet etiam poſt mortem patris ex allegatis ibid.

10 Cauſa demum finalis ex parte Legiſlatoris eſt, vt conſulatur libertati ingredientium, qui ſicut libere ingredi debent & ita in Religione cum eadem libertate perſeuerare, & profeſſionem emittere habent, & liberum pariter habere regreſſum ad ſæculum, quando eis non placeret vita regularis. Hæc autem plena libertas impediri poteſt, ſi renuntiatio fiat contra præſcriptum huius legis Concilij accidere enim poteſt, quod pœniteat de facta renuntiatione ante ingreſſum, & ſic ægrefcat vigentibus parentibus ad ingreſſum, vt renuntiatio ſuo tempore perficiatur; immo vrgetur à ſeipſo, dum conſiderat, non poſſe in ſæculo remanere, & commode viuere ob factam renuntiationem, ideo contra ſuam voluntatem ingreditur. Tridentinum igitur conſiderans huiuſmodi impedimenta, quæ obſtare poſſunt libertati profeſſionis, præfatum condidit decretum in fauorem nouitiorum, quorum voluntatem Patres Concilij voluerunt omnino conſeruari liberam ad ingreſſum, & permanentiam in Religione. Ita dicunt omnes per hoc caput Scribentes cum *Rodriquez tom. 2. quæſt. 47. art. 10. & tom 3. quæſt 16 art 1. Peyrin. ad Conſtit. ſecunda Sixti Quarti num. 73. Leſſius lib. 2. cap. 41. num. 37.*

QVÆRES autem I. An renuntiantes intuitu ingreſſus ante receptionem habitus factam comprehendantur ſub hoc decreto, ac proinde eorum diſpoſitio ſit inualida vtpote facta ſine forma huius decreti.

Reſpond. Tridentinum comprehendere etiam nondum habitu indutum volens diſponere de ſuis bonis intuitu religionis ingreſſus. Probatur. *Tum quia*, finis Decreti, de quo ſupra, habet locum in hoc caſu, nam diſpoſitio bonorum ita mutare facta non minus retrahit à religione cogitantem ingredi, quam Nouitium iam ingreſſum retrahat à profeſſione poſtmodum facta, vel etiam impediat reditum ad ſæculum, non enim eſt ita liber ſicut qui diſponit in illo bimeſtri. *Tum quia*, nondum ingreſſi ſunt magis ſubiecti fraudibus, & deceptionibus conſanguineorum, & amicorum intuitu ſuorum bonorum, quam ingreſſi, qui à religioſis non habentibus intereſſe bene edocentur de recta, & legitima diſpoſitione ſuorum bonorum, quod conſilium obtinere non poſſunt à ſuis, qui procurant, vt ſibi renuntiationes fiant. *Tum quia* hoc indicant verba Decreti. *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta*, nam ea verba *Antea facta* recipiunt quodcunque tempus præcedens illud bimeſtre, non reſtrictum ad annum probationis, ergo vltra extenditur à parte ante ad quodcunque tempus, ac proinde ad tempus antecedens ingreſſum; nam tempus, vbi non limitatur intelligitur in perpetuum l. Legiſperitos 33. ff. de excuſat. tutor. vnde tempus indefinitum debet intelligi de quolibet, ex allegatis à Gloſ. in In perpetuum cap. Ex litteris 11. de conſt. *Tum quia*, renuntiatio facienda ad præſcriptum Tridentini qualificatur, & ſpecificatur à profeſſione cuius intuitu facienda eſt, conſequenter non ſolum ab ingreſſo, ſed etiam ab ingrediendo agenda eſt ad præſcriptam formam Tridentini, cum enim vtroque modo faciends reſpiciat eundem finem, diſponenda eſt per eadem media expreſſa in hoc Decreto, media enim ſpecificantur à fine, & ab eo regulantur *l. oratio ff. de ſponſal.* & finis dat neceſſitatem mediis, *Beia par. 2. caſu 21. §. Probatur.* 11

Pro noſtra ſententia Barboſa ad hoc cap. num. 18. refert quindecim Doctores, quibus adde *Layman lib. 4 cap 7. num. 7. alios vide apud Dianam part. 6. deciſ. 11. vbi contra deciditur Campan. de Regular. Rubr. 12. cap. 5. Sorbum 11. Nouitius tit. de diſpoſ. bonor. Rota deciſ. 586. apud Rubeum tom. 6. à num. 17.* addit rationem, quia ſicut Concilium reprobauit donationes factas tempore Nouitiatus extra illud bimeſtre, ex eo, quod donatis bonis non remanebat Nouitiis libertas egrediendi propter timorem non recuperandi bona donata, ita etiam eadem ratione cenſetur Concilium reprobaſſe donationes factas ante ingreſſum intuitu ipſius ingreſſus. Vbi tamen in Annot. dicitur Rotam in alia cauſa mutaſſe ſententiam, tamen meo iudicio multum vrget allata ratio pro libertate Nouitiorum.

Contraria opinio, quod Tridentinum non comprehendat renuntiationes factas ante ingressum intuitu religionis, est communissima, quam tenui *c.3. q.59. & Resolut.60. num.26.* à qua recessi propter adductas rationes, & aliàs in Dubio Regul. 198. Huius sectatores referuntur in dicta Annot. Rubei, & à Barbosa super hoc *Cap. Trident. num.18. lib.1. de iure eccles. cap.42. num.235. & Allegat.99. num.17. quibus adde Carenam resol.166. Marinum lib.2. cap.196. referentem decis. Rota n.7.* Pasqual, in Addit. ad Francum par.1. num.29. *Pasqual q.273. Donatum par.4. tract.7. q.20. Castrum palaum part.3. tractat.16. disp.1. p.17. num 3. & 4.* quorum argumentis respondi dicto *Dubio Regular.* 198.

QVÆRES II. An factio testamenti comprehendatur sub hoc Decreto Tridentini?

12 Respond. Non comprehenditur, neque codicilli, neque donatio causa mortis, quæ vocantur vltimæ voluntates ex eo quod mors sequitur tandem ad illas. Probatur, quia non retardatur libertas nouitij à regressu, nam semper in eius est potestate mutandi, vel cassandi testamentum cum cæteris dispositionibus, illud enim est ambulatorium vsque ad mortem. *Confirmatur*, quia non habent rationem renuntiationis, neque obligationis, de quibus in Tridentino. Quare quouis tempore Nouitius ante ingressum, & post testari potest. Ita omnes cum *Marino lib.2. cap.196. num.2. Sanch. lib.7. cap.5. num.13.* In hoc nullius requiritur licentia, *Vecchius disp.8. dub.1. num.1.* Nec prohiberi potest ab aliquo, quia ius commune hoc omnibus sui iuris concedit. Debet tamen solemnitates iuris communis seruare, vt communiter habet opinio Doctorum *cum Sanchez lib.7. cap.3. n.18. ex eodem Vecchius num.2.* licet testamentum conderet infra illud bimestre, quia Concilium nullo modo loquitur de testamento, ergo sub eius dispositione etiam fauorabili venire non potest.

QVÆRES III. An beneficium quodcunque. Curatum, simplex, & Iuspatronatus comprehendatur sub hoc Decreto, itaut debeant renuntiari infra illud bimestre?

13 Respond. Affirmatiuè, quia in his militat eadem ratio tuendæ libertatis in ordine ad primum, & secundum ingressum religionis, non minus, ac in cæteris bonis temporalibus, cum quibus beneficia conueniunt respectu fructuum. Confirmatur, quia nomen renuntiationis, de qua hic propriè, conuenit resignationi beneficiorum. Ita *Parisius de Resign. lib.3. q.13. num.5.6. & 7. Zerola in praxi Episc. par.1. 11. Monachi, §. vltimo, Monald. vol.2. consil.143. num.2. ex illis Sanch. lib.7. cap.5. num.38. qui subdit. num.39.* Fructus beneficij renuntiati infra bimestre esse ipsius Nouitij, quia adhuc retinet dominium, & possessionem illius, vsque ad exitum professionis. Contra illis *Vecchius disput.8. dub.7. num.4. Miranda tom.1. q.23. artic.5. cum multis alijs citatus à Barbosa ad hoc cap n.13.* contra seipsum, *Riccius tom.3. resol.358. Donatus par 4. tract.7. q.18.*

Barbosa citato *cap.16. num.15. lib.1. de iure ecclesiast. cap.42. num 233. & Allegat.99. num.19.* sequitur opinionem, *Nicolai Garzia part.11. de benef. cap.9. n.52.* Asserentis renuntiationem beneficiorum posse fieri quouis tempore, quia non comprehenditur sub hoc capite. Probant primo, quia in Tridentino disponitur de renuntiatione bonorum, non beneficiorum. *Secundo*, quia resignationes beneficiorum fiunt simpliciter sine vlla conditione; per Tridentinum autem fiunt sub conditione, secuta scilicet professione. *Tertio*, huiusmodi renuntiatio beneficij facta ad formam Concilij includit pactum simoniacum, resigno cum hoc pacto, vt si non emisero professionem, restitues mihi meum beneficium. *Quarto*, hoc caput est correctiuum iuris antiqui cap. Beneficium, de Regular. vbi qualibet anni parte Nouitius potest resignare beneficium, ergo ne vnum ius aduersetur alteri dicendum est, Tridentinum loqui solum de bonis merè temporalibus, non de beneficiis, oportet enim iura iuribus concordare. His non obstantibus.

Respondetur primo argumento, textum Tridentini non loqui in rem immediatè, sed in actionem renuntiationis, & obligationis nulla expressa re in genere, aut in specie, super quam cadere possit contractus renuntiationis, & obligationis, idem disponit respectu quarumcumque rerum, & bonorum, quæ sunt capacia renuntiationis, & obligationis, talia autem sunt beneficia, circa quæ actio renuntiationis, & obligationis versari potest, ergo beneficia sub hoc decreto comprehenduntur.

Secundo respondetur, in renuntiatione beneficiorum exprimi possunt quæcunque pacta licita, & honesta, cum clausula; *Saluo consensu Apostolico, & non aliter*, &c. quæ clausula iustificat adiectum pactum, quod aliàs esset simoniacum. *Bonac. q.4. de simon. §.12. num.5. Lessius lib.2. cap.35. dub.15. num.92. & 93. Riccius tom.3. resolut.419. num.5. Nauar. cap.17. num.108. Nald. 51. Beneficium 38. ex illis Donatus in hac re par.4. tract.7. q.18. in fine.* In renuntiatione autem hac facta per Nouitium beneficiarium illa conditio exigitur à lege, ideo simoniaca non est. Adde, & melius, quod ea conditio cum non sit pecunia æstimabilis, vt notum est, nullam inducere potest simoniam, quæ est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid pretio æstimabile, vt in simili docet idem Lessius n.85. 14 15

Tertio eodem modo respondendum est, quia non est pactum, nec conditio illicita, neque proinde simoniaca, cum careat pretio, & à lege præscribatur. 16

Quarto respondetur, in eo capite præcisè statui, ne Episcopus conferat beneficium Nouitij, nisi eius accedat consensus, quia illud non vacat, nisi per emissionem professionis, si autem consentiat Episcopo conferenti suæ libertati præiudicat, dum enim cogitat, se amplius non posse consequi fructus sui beneficij reuertendo ad sæculum in casu quo expertus fuit, statum regularem sibi non competere, cogitur mutare voluntatem, & remanere in religione, ne exeundo misere vitam ducat, dum non potest recuperare beneficium. Ideo Tridentinum, consensum præstandum per Nouitium beneficiarium restringit ad illud bimestre, & in hoc correxit ius antiquum.

Dices, quouis tempore fiant renuntiationes bonorum per Nouitios, siue ante, siue post ingressum, non læditur, nec perturbatur libertas volentium ingredi, vel ingressorum tam in ordine ad ingressum, & profitendum, quam in ordine ad regressum in sæculum, ea ratione, quia in his omnibus dispositionibus de iure Concilij adest ea conditio, quod non valeant nisi secuta professione, vnde Nouitius liberè adhuc ingreditur, & egreditur, & liberè profitetur, cum facta renuntiatio suas vires non sortiatur, nisi secuta professione, ergo liberè potest redire ad sæculum, & suis bonis potiri, ac si ea renuntiatio facta non fuisset, & si vult renuntiationem sortiri suum effectum, potest profiteri, si non vult, potest liberè redire ad sæculum. Ex quibus infertur, finem Concilij non consistere in eo, quod velit per huiusmodi præscripta formam renuntiandi infra illud bimestre de licentia Episcopi, consulere libertati Nouitiorum quoad ingressum, regressum, & professionem.

Argumentum hoc plus probat, quam velit, immo destruit Decretum Tridentini, cum in omnium sententia eius finis sit consulere libertati Nouitiorum, non enim casu, sed consilio illud conditum fuit à Patribus, qui experientia edocti sciebant, plures ante ingressum, vel paulo post de suis bonis parum prudenter, vel ad aliorum instantiam, & persuasionem disponere, & aliis relinquere, postea recogitantes,

se

ſe nihil habere ad viuendum, ægrè ferebant ingreſſum, & profeſſionem, ideo Concilium renuntiationes illorum reduxit ad illud bimeſtre, & ſub conditione ſi profeſſio ſequeretur. Quamuis autem hæc conditio proſit Nouitio, tamen radix cui adſcitur inficit de ſe libertatem, nam conſanguinei, quibus nuntiatum fuit, totis viribus procurant, vt renuntiator ingrediatur religionem, ſi pœnituit; iam ingreſſum volentem redire ad ſæculum conſulant, immo cogunt ad profeſſionem, vt renuntiatio habeat ſuum effectum. Ecce læſio libertatis Nouitiorum, non obſtante ea conditione, quod renuntiatio non valeat, niſi ſecuta profeſſione, & ideo intereſſe habentes cogunt Nouitium ad profeſſionem. Hinc eſt, quod licentia Epiſcopi neceſſaria eſt ad validam renuntiationem, qui interrogat Nouitium, an ſponte renuntiet, vel coacte, aut alicuius perſuaſione, &c. per quam licentiam, & inſtructionem Nouitius dicitur conſeruari in ſua libertate. Et cum Nouitius per decem menſes, & vltra iam expertus ſit quid ſit vita regularis, ante renuntiationem deliberare ſe poteſt prudenter, an velit proficere, an redire ad ſæculum, quod prudenter facere non poteſt præcedenti tempore, ideo hoc bimeſtre in nullo eius libertatem lædere poteſt, potiſſimum cum renuntiationes ſoleant fieri quatuor, aut ſex diebus ante profeſſionem.

QVÆRES IV. An Patrimonium clericale, & beneficium in titulum ordinationis à Nouitio renuntiari poſſit quouis tempore, non ſeruata forma Tridentini?

17 Reſpond. Comprehenditur eorum renuntiatio ſub forma huius Decreti ob rationes adductas de beneficiis. Nam vtrumque vocari poteſt beneficium, cum ex eorum fructibus alatur clericus, & beneficium, cuius titulo aliquis ordinatur, non perdit naturam beneficij, ſed tantum hoc titulo qualificatur, ideo cum aliis beneficiis comprehenditur ſub hoc Decreto, vt contra eius formam non poſſit renuntiari, ſimiliter & Patrimonium, id enim non negatur ab eodem Tridentino ſeſſ. 21. cap. 2. vbi de renuntiatione beneficij ita ſcribitur. *Id vero beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficij titulum ſit promotus, neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito, quod aliunde viuere commode poſſit, & aliter facta reſignatio nulla ſit.* De Patrimonio vero ita diſponitur, & de penſione. *Atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec beneficium Eccleſiaſticum ſint adepti, vel aliunde habeant, unde viuere poſſint.* Ex quibus verbis manifeſte apparet illorum reſignationem, alienationem, ſeu renuntiationem per clericum Nouitium faciendam eſſe de licentia Epiſcopi, vt dicitur vtrobique, infra illud bimeſtre, quo Nouitius certo ſcit, quod aliunde viuere commode poteſt, ſi beneficium renuntiat, ſeu patrimonium, aut penſionem quorum titulo fuit ordinatus, aliunde ergo viuere poteſt, nimirum in religione, quæ ex contractu profeſſionis ſe obligat ad alendum profeſſum. Hic duas licentias requiro, vnam Epiſcopi, ſub cuius dictione eſt Patrimonium, & beneficium, alteram Epiſcopi, in cuius diœceſi Nouitius eſt in probatione, ſi autem ambo, ſcilicet Nouitius, & beneficium, atque patrimonium ſunt in eadem diœceſi, ſeu ciuitate ſufficit vnica licentia vtramque exprimens. Hanc reſponſionem docet *Sanchez lib. 7. cap. 5. num 40. cum Pariſio lib. 3. q. 15. num. 9. Miranda tom. 1. q. 23. art. 5. Vecch diſp. 8. dub. 7. num. 6.* contra Barboſam *Alleg. 99. num. 20. & 21.* Aliqui eorum dicunt poſſe renuntiari ad formam Tridentini. Ego autem dico teneri, ſi volunt diſponere de beneficiis.

QVÆRES V. Quinam contractus, & renuntiationes veniant ſub hoc Decreto Tridentini? Excluſimus teſtamentum, & donationem cauſa mortis, incluſimus vero quæcumque beneficia, & Patrimonium cum penſionibus.

Reſpond. Comprehenduntur omnes contractus lucratiui, vt donationes inter viuos, & renuntiationes, fideiuſſiones, liberationes à ratiociniis, non autem oneroſi, in quibus tantum datur, quantum recipitur, vt emptio, venditio, locatio, & permutatio. Ratio eſt, quia per illos læditur libertas Nouitij, non autem per hos vtrinque æqualiter oneroſos. Ita *Sanch. lib 7. c. 5. n. 32. ad 36. Vecchius diſp. 8. dub. 7. à n. 7. ad 10. Donatus par. quarta, tract. ſeptimo, quaeſt. trigeſima, Barboſa Allegat. 99. num. 23. ad 26. & 30.* 18

QVÆRES VI. An huiuſmodi contractus comprehenſi ſub hoc decreto fieri poſſint à Nouitio cum conuentu ſuo ſine hac forma?

Reſp. Non poſſunt fieri, niſi ſub hac forma, quia ex ſeipſis lædunt libertatem Nouitij, præſcindendo ab hac, vel illa perſona, cum qua contrahitur, ex quo igitur ſimpliciter in ſeipſis interdicuntur reſpectu quorumcumque prohibentur, niſi fiant cum hac forma. 19

Quare Nouitius non poteſt mutuo dare pecunias conuentui niſi iuxta formam præſcriptam, eſt enim contractus lucratiuus, & periculoſus reſpectu Nouitij, qui non valens ſuum recuperare, nolens volens cogitur remanere in religione, in qua forſan non proficeret, ſi poſſet ſuam pecuniam recuperare. Quod verum eſt, ſiue receperit pignus, ſiue fideiuſſorem, conſtat enim ex praxi, vt plurimum, cum difficultate fieri reſtitutionem, & fere nonquam ſtatuto tempore. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 5. num. 24. Suarez tom. 3. de Relig. lib 5. cap. 9. fine ex illis Palaus part. 3. tract. 16. diſp 1. p. 18 n. 8. Iterum infra quaeſt. 17.* 20

QVÆRES VII. An comprehenduntur Eleemoſinæ, & donationes quædam, quæ paruæ ſolent gratis dari conuentibus, in quibus Nouitij recipiuntur

Reſpond. Negatiuè, quia Eleemoſinæ non veniunt ſub terminis renuntiationis, aut obligationis, nec lædere poſſunt libertatem ingredientis, cum ſint parui momenti. Ita *Rodriquez tom. 2. q. 47. art. 5. Azor. par. 1. lib. 13. c. 9. q. 2. Vecch. diſp. 8. dub 7. n. 11. Barb. Allegat. 99. n. 26. & 27. & lib. 1 de iure Eccl. c. 41. n. 126. ad 231.* Paſq. ad Francum par. 2. numero 42. & infra quæſt. 33.

QVÆRES VIII. An ſit neceſſaria licentia Epiſcopi ad valorem renuntiationis? Qualis debeat eſſe Epiſcopus?

Reſpond. Eſt neceſſaria Epiſcopi licentia petita, & obtenta, non tamen in ſcriptis redacta, licet ſit neceſſaria, non ad valorem, ſed ad euitandas lites data ab Epiſcopo loci, vbi Nouitius eſt in probatione. Sufficit autem quod Epiſcopus ſit confirmatus, licet nondum conſecratus. 21

Prima pars de obtentione licentiæ ad valorem renuntiationis probatur ex verbis ipſius Tridentini: *Niſi cum licentia Epiſcopi, ſeu eius Vicarij fiat.* Tunc enim aliquid dicitur fieri cum licentia alterius, quando ea obtenta eſt, ſi enim petatur, & non obtineatur, non dicitur factum cum licentia, cum ea conceſſa non fuerit; vnde qui licentia petita, & non obtenta tranſit ad arctiorem vitam, non dicitur tranſire de licentia Superioris quam non obtinuit; ſed de licentia legali, quia ius Canonicum tunc licentiam impartitur *cap. Duæ 2. 19. quaeſt. 2. cap. Licet 18. de Regul.* Non obtenta nulla eſt renuntiatio, ibi: *Valeat, niſi cum licentia. Aliter vero facta ſit irrita, & nullius effectus.* Verba ſunt clara, non egent voluntaria alteratione. Ita *Sanchez lib 7. cap. 5. num 76. hic Barboſa num. 23. & allegat. 99. num. 10. & alij omnes.* 22

Secunda pars, non eſt neceſſaria ſcriptura, quia de ea non fit mentio in Tridentino, *Vecchius diſp. 8. dub. 9. num. 4. Franchus, Fauſtus apud Barboſam ad citatum cap. num. 25.* conſulat tamen Nouitius ſibi, &

pro quibus renuntiat, nam pro foro externo est omninò necessaria, aliter pro nulla habetur.

Tertia pars, quod danda sit ab Episcopo, patet ex textu, & hoc fit fauore nouitij, quem Episcopus debet instruere, & admonere vt caueat quid faciat, an voluntariè, & spontè renuntiet, an coactus, seu ab aliquo persuasus. Is enim est finis propter quem disposuit, ne nouitius disponeret de suis bonis, nisi præuia licentia consultiua Episcopi. Defectu huius licentiæ nulla est dispositio, vt dictum fuit ex verbis claris textus.

Quarta pars, quod debeat esse Episcopus nouitiatus, probatur, quia quoad hoc ille est proprior eius Episcopus, à quo & ordines recipere potest, *vt probaui præced. cap. num.* 44. Quod si finito probationis anno, secundum probabilem opinionem, reuertatur ad conuentum suæ filiationis, vt profiteatur tempore debito, tunc ab eo Episcopo loci, vbi manet, poterit obtinere licentiam renuntiandi, quia ille factus est eius Episcopus, sicut est aliorum Fratrum, itaque Episcopi domicilij necessaria est licentia. Ita *docui, resol.* 60. *n.* 17. *&* 28. *& dub. reg.* 144. Idem insinuat *Donatus p.* 4. *tr.* 7. *q.* 7. *§ Et debet concedi ab Episcopo loci, in quo stipulantur contractus.*

Quinta pars, quod sufficiat, vt Episcopus sit confirmatus, probatur, quia ad dandam hanc licentiam in Episcopo requiritur, quod sit confirmatus, in actu enim confirmationis Episcopus iam electus acquirit potestatem iurisdictionis, qua ante carebat, *c. Nostro* 9. *c. Transmissam* 15. *de elect.* Non est verò necesse quod sit consecratus, nisi respectu potestatis ad conferendum ordines, & alia præstandum, quæ exigunt potestatem ordinis, quæ non facit ad præsens negotium, quod expeditur per potestatem iurisdictionis. Ita omnes cum *Sanch. lib.* 7. *c.* 5. *n.* 65. *& seq. Barbos. alleg.* 99. *n.* 4. *& & lib.* 1. *de iure Eccles. n.* 247. *& in Tridentino ad hoc c. num* 24. *Pellizar. tract.* 2. *c.* 9. *n.* 37. *Donatus p.* 4. *tr.* 7. *q.* 7. *Palaus t.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *p.* 17. *num.* 10.

QVÆRES IX. An Archiepiscopus in sua Diœcesi, & suffraganeorum possit dare licentiam nouitiis renuntiandi, licet nondum pallium receperit?

24 Respond. Archiepiscopus nondum palliatus, sed tantum confirmatus eam licentiam dare potest nouitiis degentibus in conuentibus subiectis quoad hoc suæ Metropolitanæ Diœcesi, non autem facientibus nouitiatum in locis suorum suffraganeorum, nisi ex causa appellationis.

Primum de Archiepiscopo tantum confirmato constat ex supradictis, quia ad licentiandum nouitium ad renuntiandum sufficit in Archiepiscopo sola iurisdictionis potestas acquisita confirmatione, *cap. Suffraganeus* 11. *c. Quod sicut* 28. *de elect.* Ita DD. allegati sub *p.* 5. *præced. quæst.*

Secundum, quod possit licentiare nouitios suæ Diœcesis, non suffraganeorum nisi in causa appellationis, probatur, quia in hoc est sicut alter Episcopus, cui Tridentinum concedit hanc facultatem respectu nouitiorum, qui probantur in sua Ciuitate, vel Diœcesi. Quatenus verò est Archiepiscopus, cum agat causas appellationis suorum suffraganeorum, de qua relata Quaranta V. Archiepiscopi, etiam præsentem expedire poterit, quando suffraganeus petitam licentiam renuntiandi nouitio dare recusat. Ita *Sanchez lib* 7. *cap.* 5. *num.* 66. *&* 68. *Barbosa lib.* 1. *de Iure Eccles. c.* 41. *n.* 248. *& hic n.* 25. *& alij.*

QVÆRES X. An Vicarius Episcopi possit hanc licentiam dare?

25 Respond. Affirmatiuè, vt exprimitur in Tridentino: *Nisi cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij.* Intelligitur de Vicario Generali, non de aliis vt Monialium, Foraneo, &c. Ita omnes cum *Sanch. lib.* 7. *cap* 5. *num.* 72. *Palao p.* 3. *tr* 16. *disput.* 1 *p.* 17. *n.* 10. *Barbos. allegat.* 99. *num.* 3. *& hic n.* 34. Procedit etiam in Vicario deputato pro Monialibus, ex *Pasqualig. in addit. ad Francum p.* 1. *n.* 26.

QVÆRES XI. An Capitulum Sede vacante possit dare hanc licentiam?

Respond. Affirmatiuè, quia succedit in omnem potestatem iurisdictionis, quam habebat Episcopus dum viueret, maximè ordinariam, ex allegatis à *Quar. v. Capitulum sede vacante, fusè Diana p.* 8. *tractat.* 4. *primis resolutionibus.* Sed hoc ius licentiandi nouitium ad renuntiandum est ordinarium Episcopi ex hoc Decreto Conciliari; ergo potest transire in Capitulum sede vacante. Ita *Sanchez lib.* 7. *cap* 5. *num.* 67. *à S. Fausto lib.* 5. *Thesaur. q.* 195. *Barbosa allegat.* 99. *n.* 4. *ex illis idem Diana resol.* 53. *Barbosa hic num.* 33. 26

QVÆRES XII. An Abbates, & Prælati habentes territorium, & iurisdictionem quasi Episcopalem possint dare hanc licentiam?

Respond. Affirmatiuè, quia veniunt sub nomine Episcopi, quando Episcopus spectatur ratione officij, & potestatis, non ratione dignitatis, & ordinis Episcopalis; constat autem ex dictis, Episcopum spectari ratione officij, non dignitatis, ergo eius nomine veniunt etiam alij Prælati habentes eandem potestatem. Ita *Vecchius disp.* 8. *dub.* 9. *num.* 2. *Sanch. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 68. *Barb. allegat.* 99. *num.* 6. *& lib.* 1. *de iure Eccles. num.* 249. Dixi habentes territorium, quia carentes illo non possunt sub se habere conuentus; ideò nec nouitios sub se quoad hoc. Quare licet Superiores Regulares maiores dicantur habere iurisdictionem quasi Episcopalem, tamen quia carent territorio eam potestatem extendere non possunt *Barbos. hic* 28. 27

QVÆRES XIII. An supradicti, quibus de iure competit licentiare nouitios ad renuntiandum, id aliis delegare possint?

Respond. Affirmatiuè, quia potestas ordinaria delegabilis est, *leg. More* 5. *ff de iurisd. omn. iud. lit. A. iudice S. C de iudic. cap. Pastor.* 28. *c. Quoniam* 43. *de offic. deleg. gloss. e fin. de off. ordin. Rodriq. tom.* 1. *q.* 17. *artic.* 11. Hæc autem est ordinaria, cum sit à lege, ex citatis iuribus, ergo delegabilis est. Ita concludunt *Sanch. lib.* 7. *c.* 5. *num.* 73. *Barbos. lib.* 1. *cap.* 41. *n.* 244. 28

QVÆRES XIV. Quo tempore nouitius debet facere hanc renuntiationem?

Respond. Tridentinum: *Intra duos menses ante professionem.* Igitur ante hoc bimestre nouitius de suis bonis non potest disponere, aliter nulla est, & inualida dispositio, cum sit facta contra hanc formam bimestris, quæ est omninò essentialis, cùm habeat decretum irritans: *Aliter verò facta, etiamsi cum huius fauoris expressa renuntiatione etiam iurata, sit irrita & nullius effectus. Ita Nauarr. consil.* 81. *&* 82. *de Reg. Azor. p.* 1. *lib.* 12. *cap.* 18 *Vecch. disp.* 8. *dub.* 9. *num.* 5. *Barbos. hic. num.* 38. *alleg.* 99. *n.* 13. *Donat. p.* 4. *tract.* 7. *q.* 9. 29

Difficultates oriuntur sub hoc bimestre. *Prima,* an hoc bimestre sit præcitè mensis vndecimus, & duodecimus, ita quod si ex causa differenda sit professio nouitij, teneatur renuntiare illi bimestri, an sufficiat renuntiare sequenti bimestri ante professionem, si differatur professio vltra bimestre? *Secunda,* si ex priuilegio Pontificio quis possit profiteri in sexto, aut decimo mense, nunquid illud bimestre erit immediatè ante professionem? *Tertia,* an professionem emittens causa mortis ex priuilegio Pij V. ante vndecimum mensem, possit renuntiare bimestri ante professionem? *Quarta,* An quolibet die huius bimestris sit libertas renuntiandi ante professionem? *Quinta,* quid, si quis renuntiat statim post emissam professionem? *Sexta,* An hoc bimestre debeat currere de momento ad momentum physicè, & non moraliter?

Primæ respondetur, nouitio esse liberum renun- 30
tiare

riare in illo bimeſtri ordinatin vndecimi, & duodecimi menſis, aut expectare vſque ad tempus profeſſionis. Probatur, quia Tridentinum præſcribit illud bimeſtre indifferenter reſpectu vtrioſque modi profitendi, vel finito anno probationis, quod eſt regulare, vel prorogando eam ex cauſa, ergo hoc bimeſtre reſpicit profeſſionem quouis modo faciendam. Et licet dicatur ibidem, quod finito probationis anno Nouitius profeſſionem emittat, aut eiiciatur, tamen Sacra Congregatio ex allegatis à *Diana reſolut.* 128. *de dub. regul.* declarauit non excludi prorogationem profitendi ex cauſa, nam ea verba intelliguntur, quod nouitius emittat profeſſionem, finito tempore nouitiatûs, ſi habilis repertur, aliter tempus profeſſionis differatur. Ergo Trident. vtrumque caſum comprehendit, declaratio enim quod ſubobſcurè continebatur claré manifeſtat, & nihil de nouo ponit, ergo inerat caſus iſte ab initio legis conditæ. Primum, quod renuntiatio fieri poſſit in fine probationis infra illud bimeſtre docet *Sanchez lib* 7. *c* 5. *n.* 82. *Pellic. tr.* 2. *c.* 9. *n.* 42. *Ventr. in annotation.* 45 *n.* 36. *Palaus p.* 3. *tr.* 16. *diſp.* 1. *p.* 57. *n.* 9. *Barb. alleg.* 99. *n.* 11. *& lib.* 1. *de Iure Eccleſ c.* 42. *n.* 354. Secundum Ego docui *Reſ.* 60. *n.* 12. *cum Peyr. de Prælato q.* 3. *c.* 4. *n.* 214. *Paſqual q* 282. *n.* 6.

31 Secundæ reſpondetur priuilegiatum ad profitendum infra annos vndecimum vel duodecimum probationis, debere ſeruare illud bimeſtre non prorogandum à parte ante, cum ſuo priuilegio vti valeat non aduerſando textui Concilij. Quod ſi priuilegium refertur ad profitendum ante vndecimum menſem, in eo caſu cenſetur diſpenſatus etiam ad renuntiandum infra ſimile bimeſtre antecedens profeſſionem ex gratia faciendam infra annum probationis, ne quod introductum fuit in eius fauorem, retorqueatur in eius odium, *Reg.* 61. *in* 6. *vt multis probaui dicta reſol.* 60. *n.* 10. *Palaus p.* 3. *tr.* 16. *diſput.* 1. *p* 17. *num.* 9. Prudentius tamen aget nouitius renuntiando proximè ad profeſſionem, die ipſo profeſſionis vel antecedenti Hoc poſterius docet *Sanch lib.* 7. *c.* 5. *n.* 83. negando huic priuilegiato hoc bimeſtre integrum ea ratione, quia licet diſpenſatio non extendatur ad acceſſoria ſeparabilia, vt eſt renuntiare, tamen quia profeſſioni eſt annexa facultas diſponendi de ſuis bonis, ideò dicendum eſt, eam diſpoſitionem extendi, vt renuntiatio fiat ante profeſſionem, & ſi non ſeruato omninò tempore deſignato, quia ſeruari nequit, erit tamen ſeruandum, in quantum fieri poteſt facta renuntiatione proximè profeſſioni.

Sed hæc ratio non vrget, immo pro nobis concludit; quia ſi diſpenſatio ſe extendit ad renuntiandum iuxta formam Tridentini, quantum fieri poteſt, ergo nouitius poterit renuntiare quouis die infra bimeſtre antecedens profeſſionem.

Prior pars eſt contra *Paſqualig. q.* 282. *vbi n.* 3. ait priuilegiatum ad profitendum infra vndecimum, & duodecimum annum habere integrum bimeſtre ad renuntiandum ante profeſſionem acceleratam, ductum ea ratione, quia Tridentinum præſcribit illud bimeſtre, quod non coarctat ad vndecimum, & duodecimum menſes anni probationis. Sed negatur huiuſmodi incoarctio à parte ante, nam illud bimeſtre regulandum eſt à profeſſione quæ fieri poteſt de iure Tridentini, & non contra ipſum, vt eſt profeſſio priuilegiati infra annum probationis.

32 Tertiæ reſpondetur, renuntiationem factam à nouitio ægrotanti infra annum probationis ex priuilegio Pij V. iuxta formam Concilij, præſertim loquendo de hoc bimeſtri, proximè ad profeſſionem, & mortem ſecutam, valere, ſicut valet in caſu præcedenti, quia huiuſmodi priuilegium, non eſt retorquendum in damnum priuilegiati, vt non poſſit renuntiare, cum hæc ſequatur profeſſionem, vnde ſi non poteſt ſeruari Tridentini forma, quia nouitius moritur ante vndecimum menſem, ſufficit illi renuntiare cum licentia Epiſcopi prope profeſſionem, & mortem. Ita *Pelliz. tr.* 2. *c.* 9. *n.* 44. *Peyr. ad Conſtit.* 4. *Syxti IV. num.* 77.

Quartæ reſpondetur nouitium habere libertatem 33
renuntiandi quouis die infra illud bimeſtre ante profeſſionem regulariter factam, ſeu prorogatam ab vndecimo menſe vſque ad diem profeſſionis. Quod idem ſimiliter de nouitio priuilegiato ad profitendum ante vndecimum menſem, vt ex præcedentibus reſponſis patet, vnde fieri poteſt renuntiatio à primo die vndecimi menſis ſucceſſiuè vſque ad extremum diem, quo fit profeſſio, & in hoc nulla eſt difficultas, quia illa dictio *intra* includit extrema cum mediis bimeſtris, & excludit tempus extra bimeſtre. Ita *Sanch. lib* 7. *c.* 5. *n.* 80. *Donat p.* 4. *tr.* 7. *q.* 9. *num.* 5. *cum aliis.*

Quintæ certum eſt, renuntiationem poſt profeſſio- 34
nem nihil penitus efficere, quia ſi nihil de ſuis bonis anteà diſpoſuit, iure profeſſionis omnia tranſierunt in dominium, & profeſſionem religionis, ex probatis ſupra *Confirmatur*, quia nouitiis conceditur facultas renuntiandi ad formam huius textus, qui habet, vt renuntiatio fiat ante profeſſionem, aliter facta nullius ſit momenti.

Sextæ reſpondetur, quod hoc bimeſtre accipien- 35
dum eſt phyſicè, & naturaliter de momento ad momentum, itaut ſi deſit ei dies, aut quid minus, nulla ſit renuntiatio, eo quod dicatur facta extra bimeſtre, nam tempus expreſſum, & numeratum completur ex omnibus ſuis partibus, itaut ſi ei deſit vnus, non amplius ſit illud tempus numeratum à lege, eſſentia enim temporis numerati conſiſtit in indiuiſibili, ſi enim demas vnitatem centenario, non amplius erit centenarius; ſic ſi ante vndecimum menſem immediatè renunties certe renuntiatio non dicetur facta infra bimeſtre, ſed extra illud. Ita omnes *Sanch. lib.* 7. *c.* 5. *n.* 85. *Verrb diſp* 8 *dub.* 9. *n* 5. *alias citat Barboſ. hic num.* 36. contra *Zech & Zerol.* putantes ſufficere bimeſtre morale, quod non eſt probabile. Iſti autem duo menſes numerandi ſunt, iuxta quod currunt in Calendario Romano, & Februarij 28. Martij 31. Aprilis 30. & ſic dies biſſextilis non computatur, ſed vnum diem facit cum alio Ordinario.

QVÆRES XV. Quamnam ætatem debeat habere nouitius, quando vult facere renuntiationem?

Reſpond. Debet exceſsiſſe annum decimumquin- 36
tum cum decem menſibus ſuæ ætatis; adeo quod ante id tempus iure ordinario renuntiare non poteſt ad formam Tridentini. Ratio in promptu eſt, nam nouitius profiteri non poteſt, niſi expletis ſexdecim annis, & renuntiationem facere non poteſt, niſi infra bimeſtre proximum profeſſioni, ergo ætas requiſita eſt ſupradicta, antequam nullatenus renuntiare non poteſt. Ita docent omnes nullo contradicente.

QVÆRES XVI. An forma Tridentini ſeruanda ſit non ſolùm à minoribus ſexdecim annis infra illud bimeſtre iuxta mox dicta, an etiam à maioribus exiſtentibus etiam vltra ann. 25 extra minoritatem? 37

Reſpond. A quibuſcumque ſeruanda eſt cuiuſcumque ſint ætatis etiam ſenectutis. Probatur. *Tum quia*, textus loquitur in rem, non in perſonam, ideo neque ſermo ibi eſt de ætate, vnde ſumi debet reſpectu omnis ætatis, minoris, & maioris, nam lex, quæ 38
loquitur in perſonam, quam non excedit, vnde ſub hac non comprehendit mandans, ſicut ſub lege loquente in rem, & inductum ex relatis à *Graff in praxi de caſib. reſeruat lib.* 1. *c* 4. *reg.* 16. *n.* 59 *ex eo Floren. p.* 5. *de caſ. reſeru c* 1. *n.* 51. *&* 52. *Tum quia*, renuntiatio à quouis fiat cuiuſlibet ſit ætatis, retrahere poteſt Nouitium renuntiantem contra formam huius textus, cum ſemper lædatur eius libertas ad profitendum, vel recedendum. Concilium ergo generaliter loquitur

non

non distinguendo inter maiores, & minores ætate. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 7. Rodriq tom. 1. q 47. art. 13. Vecch disput. 8. dub 8. num. 1. Ego resol. 60. n. 10. cum aliis Pasqualig. q 272. Donatus p. 3. tr. 7. q. 6. Barbosa Alleg. 99. num. 18.*

Contrariam opinionem, nimirum Decretum Concilij comprehendere tantum minores sexdecim annis, tenent *Menoch. lib. 2. de arbitr. contr. 5. casu 436. n. 8. Thesaurus lib. 2. q. 56. n 7. Megal. t. 2. lib. 2. cap. 27. n 24. Zechius de Republ. Christ. cap. 3. num. 14. Riccius p. 3. res. 327.* Quos contra se citat dictus Pasqual. ea ratione, quia Concilium voluit prouidere solum ætati sexdecim annorum, de qua fecit mentionem in præcedenti capite de ætate profitendorum, cui coniunxit sequens caput de Renuntiatione, cuius ideò forma restringenda est ad Nouitios illo bimestri ante inceptionem decimiseptimi anni. Sed hæc ratio nullius est momenti, quia finis huius decreti, à quo eius intelligentia colligitur, est vt Nouitius semper remaneat in sua libertate exeundi, vel profitendi, quod attenditur respectu cuiuslibet ætatis, immo quo Nouitius est maior in ætate, eo perspicatius capit læsionem suæ libertatis, ideò non minus finis huius Decreti comprehendit maiorem, quam minorem. Nec verum est præsens caput continuari præcedenti in omnibus, nam illud loquitur in personam, hoc in rem, vnde hoc latius illo patet, præterea præcedens caput loquitur de Nouitio cuiuslibet ætatis, nam Nouitius annorum 30. aut 40. seruare debet quæcumque ibi præscribuntur, sicut Nouitius sexdecim annorum, ergo ambo illa capita loquuntur de nouitiis cuiuslibet ætatis ab anno decimosexto cum illo bimestri.

QVÆRES XVII. An nouitius ætate minor renuntiaturus debeat vti Decreto iudicis, & aliis solemnitatibus iuris ciuilis, & statutorum an sufficiat renuntiare, vel alias disponere de suis bonis cum solo Decreto Tridentini?

39 Respond. Non est necessarium Decretum iudicis, sed sufficit vt forma Tridentini seruetur, quia hæc se habet loco Decreti iudicis, & aliarum solemnitatum. Immo si non adesset textus Concilij adhuc Nouitius liber est ad disponendum de suis bonis, vt lex tam ciuilis, quam canonica id ei indulget sine alia solemnitate, vt clarè colligitur ex *cap De his 4. de sepult. & Authent. de Monachis, §. Illud verò*, in quibus liberum est Nouitio disponere de suis bonis sine alicuius licentia. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 6. n. 19. quem cum aliis citaui Resol. 53. n. 86. Carena resol. 166. num. 10. 245. n. 2. Rota apud Marin. lib 2 c. 190. n. 20.*

QVÆRES XVIII. An Nouitius volens disponere fauore conuentus debeat seruare formam huius capitis?

40 Respond. Affirmatiuè, quia forma hîc præscripta indistinctè, & indifferenter loquitur in rem, & subsequenter in personam, ergo comprehendit dispositionem respectu cuiuscumque in cuius fauorem fit. Confirmatur, quia non minus læditur libertas in relinquendo Monasterio, quam aliis. Ita omnes, qui dicunt modicam donationem non comprehendi sub hoc capite, ergo magna donatio includitur, argumento a contrario sensu, quod valet in iure. Ita Doctores citati *sub q. 7.* quibus addo *Layman lib 3 tr. 5. cap 7. Lezanam p. 1. cap. 14. n. 35 ex illis Donatus p. 4. tract. 7. quæst. 15.*

QVÆRES XIX. An Nouitius mutuò dare possit e.g. centum aureos non seruata forma huius capitis?

41 Respond. Non potest facere contractum mutui cum conuentu, siue habeat pignus, siue non, quia propriam lædit libertatem in ordine ad professionem, vel regressum. Et id confirmatur, quia in eodem capite prohibetur, ne parentes de bonis nouitij quicquam notabile tribuant sub pœna anathematis tam dantibus, quàm recipientibus; sub qua prohibitione non solum comprehenditur donatio, sed quæcumque alia datio etiam per modum contractus, in quo nihil recipitur vt in mutuo, in quo pecunia tribuitur mutuatario. Ita *Sanch lib 7. cap. 5. num. 24. Suarez t. 3. de Relig. lib. 5. cap 9. fine, ex illis Palaus p 3. tract. 16. disput. 1. q. 17. num. 8. Iterum supra quæst. 6.*

Contra *Pasqualig. q. 181. num. 3.* asserentem, mutuationem non comprehendi sub Tridentino ea fragili ratione, quod verbum *tribuere* de quo in textu, sicut & *dare* significat perfectam translationem Dominij rei tributæ, non autem secundum quid; mutatio autem dominium transfert tantum secundum quid, cùm recipiens tantundem restituere teneatur in specie; in donatione autem simpliciter dominium transfertur, ideò hæc comprehenditur in textu Concilij, non illa. Voco rationem fragilem, quia hæc verba indifferenter significant tam dominium secundum quid, seu cum obligatione restituendi, quam dominium simpliciter sine obligatione restitutionis, nam Lucæ 6. 34. dicitur: *Et si mutuum dederitis his*, & n. 35. *Benefacite, & mutuum date.* leg. 42 Sed mihi 3 ff. Commodati §. Nunc videndum, ibi: *Rem tibi dedi*, exponit gloss. *commodaui.* Non est ergo vis facienda in his verbis, quæ ex æquo accommodantur diuersis contractibus.

QVÆRES XX. An nouitius possit reuocare renuntiationem à se factam ad formam huius capitis antequam professionem emittat? Non loquor de facta contra eam formam, quia cùm sit nulla, nec reuocabilis est, quia non entis nullæ sunt passiones, vnde in eius est arbitrio, vel eam facere de nouo ad formam Tridentini, vel debet non curare.

Respond. Non potest reuocari, vnde Nouitius 43 benè consideret, an expediat renuntiatio, quia post factum non est locus pœnitentiæ. Probaui id *res 60. n. 15.* Quia contractus, seu donatio cum conditione facta ea pendere irreuocabilis est, nam obligatio in contractibus, vel quasi conditionalibus duo respicit, nempe ipsius substantiam, & euentum conditionis, consequenter si renuntians debet expectare euentum professionis, vt reuera tenetur, actu profitendo, renuntiatio de conditionata fit absoluta per aduentum conditionis, si verò redit ad sæculum, non potest adimpleri conditio, ac proinde renuntiatio euanescit, defectu formæ essentialis ex parte conditionis. Debet igitur expectare euentum professionis, seu non esse illius, quam obligatio respicit *Confirmatur*, quia si tibi promitto centum si duxeris filiam meam, non possum ante ductionem filiæ meæ promissum reuocare, quia promissio ad vtrumque se extendit, & non magis obligat ad vnum, quam ad alterum, cum executio obligationis contractæ pendeat à conditionis euentu. Renuntiatio igitur regulatur ab euentu professionis factæ, vel recusatæ, à quo proinde pendet ratio obligationis contractæ initio dispositionis. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 5. num 58. Marinus lib. 1. cap. 196. num. 38. Vecch disp. 8 dub. 9. num 6. Tamb tom. 3. disp. 6. q. 10. num. 4. vbi citat à S. Faustio lib. 5. Thesauri q. 184. Molin. tom. 2. disp 285. Donatus p. 4. tract. 7. q fin.* Reddit rationem, quia contractus reuocabiles non comprehenduntur sub texto Tridentini, ergo renuntiatio facta ad eius formam reuocabilis non est. Ita quoque Rota in Taur. donationis 28. Ian. 1633. coram Merlino, de donatione sub conditione facta Monachis, & postea reuocata fauore Barnabitarum, nam prior declarata fuit irreuocabilis, apud Rub. t. 8. *decis.* 174.

Pasqualigus *q. 275.* tenet cum *Menoch. consil. 388. esse reuocabilem n. 34.* quia contractus gratiosi pendente conditione possunt reuocari, & probat num 3. à pari de testamento, & donatione facta causa mortis, nam hæc semper est reuocabilis, quia respicit effectum post mortem, per quam solam confirmatur;

sed

ſed etiam renuntiatio facta à Nouitio reſpicit ſuum effectum ponendum ſolùm poſt profeſſionem, qua ſola confirmatur, ergo reuocabilis eſt vſque ad profeſſionem. Illud autem conſtat ex Tridentino, renuntiationem nempe nil prorſus valere niſi ſecuta profeſſione.

Sed reſpondetur latam eſſe differentiam, nam diſpoſitio quælibet facta cauſa mortis nunquam obligat diſponentem ad perſeuerandum in diſpoſitione, cùm ea ſit deambulatoria vſque ad mortem, qua ſola perficitur, adeo quod ſi moriens pæniteret de ſoliditate teſtamenti cauſanda ab eius morte, irrationabilis eſſet eius pænitentia, eo quod eſſet contra leges, quæ ita diſponunt, vt morte firmetur teſtamentum non antea reuocatum, quia aliter voluntas Teſtatoris præſumitur de iure eſſe, qualis debet eſſe. Renuntiatio verò, & donatio, quæ fiunt à Nouitiis ad formam Tridentini, ſicut ab initio ſunt conditionales, & ſerio factæ à Nouitio, ac proinde cum animo ſe obligandi, vt bona diſpoſita ſint eorum, in quorum fauore fuit renuntiatum, ſub ea conditione, & tali tempore, ideo non poteſt recedere à diſpoſitis circa quæ Nouitius ſerio ſe obligauit, quod non facit Teſtator, quamuis ſerio diſponat de ſuis bonis, quia vt dixi ex vi teſtamenti non ſe obligat ei, in cuius fauorem teſtatur, niſi poſt mortem, ſi non reuocauerit teſtamentum, Renuntians autem, ſeu donans inter viuos ipſo iure ſe obligat, cum talis ſit natura horum contractuum, ſiue abſolutè fiant, ſiue conditionatè, neque enim conditio ſubſequens aufert eis ſua intrinſeca. Et quod donatio inter viuos inducat obligationem eam non reuocandi dicit Im-
45 per. Inſtit. de donat. § Aliæ autem, ibi: *Quæ ſi fuerint perfecta temerè reuocari non poſſunt. Perficiuntur autem, cum donator ſuam voluntatem ſcriptis, aut ſine ſcriptis manifeſtauerit.* Ab exordio igitur ſuæ ſcriptionis inducunt obligationem in donante illas non reuocandi. Quod verum eſt, ſiue abſolutè celebrentur, ſiue ſub conditione, quia ea obligatio ineſt ex natura ipſius diſpoſitionis, & conditio ſolum operatur, vt donatarius, & renuntiatarius non poſſit rem donatam ſibi acquirere, niſi per euentum, & purificationem conditionis: Et quod donatio pariat obligationem ſtandi promiſſis benè l. in caſu, l. ſi quis 35. C. de donat. illis verbis: *Et licet ab initio in poteſtate ſua erat non donare, tamen ex quo donauit, neceſſe habebit tradere*, &c. Quod obſeruat Layman ad dictum text. lib. 3. tract. 4. c. 3. initiò. Quod ſi dicat, donationem eſſe reuocabilem ante eius acceptationem à donatario, ſecundum opinionem valdè probabilem apud
46 *Megal. 2. 2. lib. 2. cap. 11. à num. 7. Leſſium lib. 2. cap. 18. dub. 6.* Reſpondetur non minus eſſe probabilem contrariam opinionem apud dictum Leſſium. Communi tamen conſenſu tenent acceptationem eſſe neceſſariam in donationibus ad pias cauſas; *& Paſq. qud. q. 305. ex aliis refert*, ſufficere ſolam ſcientiam donatarij, qui ex hoc præſumitur acceptare donationem; & Megal. cit. num. 11. ait, ſufficere Notarij acceptationem nomine donatarij, quæ clauſula ſolet communiter poni in inſtrumentis. Quare ex his conſtat, ſubſiſtere ea, quæ hactenus diximus, donationes, & renuntiationes Nouitiorum eſſe irreuocabiles, cùm illæ præſciantur à renunciatariis, & eorum nomine acceptentur à Notariis.

Subdit idem Paſq. n. 6 Renuntiationem Nouitiorum ad formam Tridentini differre in eo ab actu conditionato, quod iſte de præſenti ponitur, & pro præſenti, & quantum eſt de ſe aptus eſt parere ſuum effectum, & in tantum non parit, in quantum conditio eum ſuſpendit. At renuntiatio Nouitij eſt abſoluta in ſe, ſed non concepta pro præſenti, ſed pro futuro tempore, in quo emittetur profeſſio, itaut efficacia ipſius determinanda ſit à profeſſione, nec aliquam ponit obligationem in renuntiante, nec ius in eo, in cuius fauorem ſit, & ideò remanet reuocabilis. Si enim de præſenti pareret obligationem, & ius, de præſenti ſortiretur effectum, niſi ſuſpenſus maneret in euentum conditionis, vnde non eſſet verum, quod non ſortiatur effectum, niſi profeſſione ſecuta, vt decernit Tridentinum.

Patet ex ſupradictis, initio celebrationis, renuntiationis, ſeu donationis nouitium remanere obligatum ex parte ſua, & eum, in cuius gratiam eſt diſpoſitum habere ius ad renuntiatum, ratione cuius poſita profeſſione, bona renuntiata tranſeunt in eius dominium, conſequenter renuntiatum ſortitur ſuum effectum ſcilicet acquiſitionis poſt profeſſionem, non tamen obligationis, & iuris ad acquirendum, quod ab initio, & ante profeſſionem acquiritur, cum ſola executio pendeat à ſolo effectu profeſſionis. Itaque renuntiatio Nouitij non eſt abſoluta in ſe, 47
ſed ab exordio ſui conditionata de præſenti, nam renuntiatio huiuſmodi non eſt ſimplex alienatio bonorum, ſed hoc tantum alienatio bonorum ſecuta profeſſione, vt inſinuatur id l. 1. ff. de donat. ibi: *Hæc non propriè dicitur donatio, ſed totum hoc donatio dicitur, quæ ſub conditione reſoluatur.* Renuntiatio igitur Nouitij ex neceſſitate Tridentini componitur ex alienatione, & profeſſione, itaut vnum non ſubſiſtit ſine altero, conſequenter ab initio celebrati inſtrumenti vtrumque adeſt nimirum promiſſio, & obligatio, vt renuntiata fiant ſub dominio renuntiatarij ſtatim ſequuta profeſſione. Diſpoſitio vero cauſa mortis etiam facta ſub conditione profeſſionis futuræ nunquam poteſt habere adiunctum huiuſmodi vinculum, quod officiat eius reuocabilitatem, quæ eſt illi intrinſeca.

QVÆRES XXI. Cuiuſnam ſint fructus bonorum renuntiatorum intra illud bimeſtre à die renuntiationis vſque ad diem profeſſionis.

Reſpond. Quando in renuntiatione non diſpo- 48
ſuit de fructibus ſuorum bonorum, illi ſpectant ad conuentum, & non ſunt illius, in cuius fauorem fuit renuntiatum. *Probatur*, quia in iis omnibus, de quibus non diſpoſuit expreſſe ſecuta profeſſione, ipſo iure conuentus ſuccedit, vt ex legibus initio huius capitis allegatis conſtat, vnde renuntiatarius ad illos nullum ius habet, quia cum renuntiatio ſit ſtricti iuris, itaut non contineat niſi expreſſa, & quæ veniunt in neceſſariam conſequentiam expreſſorum, *Card. conſil. 12. Calderin. conſ. 5. de prabend. Decius conſil. 452. n. 21. ex illis Ventriglia de Renunt. filiæ dotata Annot. 3. § n. 5.* Vnde ibidem dicit, quod non ſit extenſio de aliquibus bonis ad alia bona per *l. Si vnus §. Ante omnia ff. de pactis, vbi Iaſon col. 2. Peregr. de fideicomm. art 52. num. 15.* Quod autem fructus non veniat in neceſſariam conſequentiam notum eſt, quia vni poteſt legari fructus, & de proprietate rei teſtari pro alio *l. 1. & 2. cum ſeq. C. de vſu, & vſufr.* ergo cum Nouitius de illis non diſpoſuerit ſunt Monaſterij. Ita *Sanch. lib. 7. c. 5 n. 63.* quod ſcilicet non ſunt renuntiatarij, *Ego reſol. 60. n. 18.* eam ſecutus ſum. Modo cum *Paſqual. q. 176.* dico pertinere ad Monaſterium.

Sed contra, quia ex dictis præcedenti quæſtione renuntiatarius cæpit habere ius ad rem ab initio celebrati inſtrumenti, ita quod Nouitius reuocare non poteſt contractum, ergo fructus conſequuntur proprietatem, & ſic fiunt eius, in cuius fauorem facta fuit renuntiatio. Confirmatur, quia licet conditio ſuſpendat actum, eo tamen poſito renuntiatio retrotrahitur ad diem, quo celebratum fuit inſtrumentum, ac ſi conditio eodem die adueniſſet. *l. Qui balneum, l. Potior ff. qui potior. in pign. l. ſi quis ſub conditione ff de teſtam. tutel.*

Facilis eſt reſponſio ad vtrumque, nam contractus, ſeu donatio cum ſit præcisè reſpectu proprietatis facta, reſpectu illius tantum donatarius habet ius, non autem ad fructus, & eadem ratione retro-

trahitur

trahitur quoad proprietatem tantum. Nec dicas, huiusmodi retractionem esse inutilem, cùm nihil acquirat donatario, quia acquirit ius anterioritatis, ita quod si nouitius se aliis obligauit bona renunciata non subiaceant huic posteriori obligationi factæ intermedio tempore.

Confirmationem de retractione retorqueo in Pasqual. nam si illud verum est, sequitur tenuisse renunciationem ab initio, ac proinde remansisse Nouitium obligatum donatario; ac consequenter eam esse irreuocabilem, quia retrotractio respicit aliquid existentiæ rei illo tempore, ad quod retrotrahitur, contra ipsum Pasqualigum, qui q. 18. negauerat irreuocabilitatem rennnciationis factæ à nouitio, eo quod nihil acquisitum erat donatario de ea renunciatione, quæ omnem suum effectum sortiebatur post professionem, quod vti falsum reiecimus, tum & nouitius initio contraxit obligationem, & ius ad rem, quod est spes actu acquisita à donatario. De ista autem retractione in terminis ferè similibus docuit *Rota præcitata sub ea quæstion.* 18. *num.* 23.

QVÆRES XXII. Quandonam acquiratur monasterio renunciatio, donatio, testamentum factum fauore religionis?

49 Respond. Secuta professione, quæcumque bona per dictas dispositiones relicta ipso iure acquiruntur Monasterio, cui fuerant relicta. Probatur ex natura dispositionis conditionatæ, quæ suum non potest sortiri effectum, nisi posito euentu conditionis, quæ suspendebat actum acquisitionis, Ita *Sanchez lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 53. *& ex eo Pasqual. q.* 227. licet impugnet eius rationem.

QVÆRES XXIII. An si ante professionem moriatur nouitius nulla professione facta teneat testamentum, seu donatio causa mortis, & confirmetur? Non loquor de aliis dispositionibus, quia certum est, eas euanescere, professione non secuta.

50 Respond. Tenere, & sortiri suum effectum in fauorem eius, cui bona fuerant relicta, itaut factum sit irreuocabile, quia testamentum, & donatio causa mortis, per mortem confirmantur. Et hoc verum licet sit conditum ad formam Tridentini, quia cum non subdatur illi, nec efficere potest nullum testamentum, testamentum enim censetur factum cum ea forma, non ex necessitate, sed ad potiorem cautelam, quæ nocere non debet, l. Testamentum 17. abundans enim cautela, & superflua ad hoc non nocent, *ff. de Testament. Surd. decision.* 13. *num.* 14. *Farinac. in praxi criminali part.* 3. *quæstion.* 89. *num.* 123. *vnde gloss.* 11. *Proprium cap.* 6. 2. *quæstion.* 5. dicit, ex abundanti cautela fieri aliqua ad obuiandum malitiis hominum.

QVÆRES XXIV. An bona nouitij, quæ testamento valido reliquit extraneis à religione, secuta professione, statim acquirantur testamentariis, & legatariis, an expectanda sit mors professi? Quæstio procedit, quando non se declarauit, nec ex verbis dispositionis constat, velle, vt eius bona secuta professione, acquirantur statim hæredibus, & legatariis.

51 Respond. Hæreditas, & Legata statim debentur hæredibus, & legatariis, si nouitius profecit in religione incapaci hæreditatis, & successionis, in hoc enim casu mors ciuilis per professionem æquiparatur naturali, vt docet *Sanchez lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 69. vbi citat innumeros Doctores. Quod si religio est capax, ea bona, & legata non statim debentur, in dubio, hæredibus, & legatariis, sed remanent apud Monasterium, cuius ille est filius, vsque ad mortem eius naturalem, adeo quod Monasterium ex professione nouitij acquirit, immo continuat omne illud ius proprietatis, dominij, & vsusfructûs quod habebat nouitius ante professionem, post eius tamen mortem Monasterium tenetur, quæ remanserunt ad hæredes, & legatarios, in hoc enim casu, professus, nec Monasterium dicuntur mortui mundo, cum illud succedat in omnia iura nouitij professi ex legibus allegatis initio huius capitis. Ita de communi sententia docet *Sanch. lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 55 *Burat. decis.* 461. *in annot. num.* 14.

QVÆRES XXX. Si moriatur legatarius, seu hæres, vel renunciatarius, & donatarius ante, vel post professionem nouitij, ad quem tunc spectabunt relicta à nouitio, si aliter non disponat ante professionem?

Respond. Ante professionem redeunt ad ipsum 52
nouitium, & cum eo incorporantur professione conuentui, cuius est filius, similiter post professionem illis præmorientibus professo, bona remanent omnino eidem Monasterio, & nullatenus quæruntur hæredibus eorum, quibus relicta fuerant à nouitio via testamenti, aut donationis causa mortis; non autem aliæ dispositiones, quæ procedunt, etiamsi dispositio facta sit in fauorem hæredum eius, cui immediatè fuit facta donatio, aut renunciatio. Ratio communis totius responsionis est, quia quandocunque præmoritur dispositarius disponenti, euanescit, & extinguitur dispositio, cùm non adsit tempore debito persona, cui bona disposita quærantur, acquisitio enim fit alicui, & minime non enti, cuius nullæ sunt actiones, & passiones.

Prima pars, quòd dispositio euanescat, si moriatur antequam nouitius emittat professionem, probatur, quia fideicommissario, & legatario præmorientibus euanescit, & fit caducum fidei commissum, & legatum. *Leg. Si augusta* 59. *ff. de leg.* 2. *leg. Vn.* §. *Et cum triplici, C. de caduc. tollend. Craneta in leg. Cum filiusfamilias p.* 2. *n.* 266 *ff. de legat.* 1. *Castrens. in leg. Ciuitatibus* §. 1. *ff. de leg.* 1. *Gabr. concl.* 2. *num.* 10. *vbi plures citat* in terminis nostris *Pasq. q.* 278. Ratio propria est, quia dispositiones à nouitiis factæ extinguntur, & nullius sunt momenti nisi secuta professione, cum autem honoratus à nouitio solam haberet spem ante professionem cum ea mortuus in se eandem spem extinxit.

Secunda pars, quod etiam secuta professione extinguatur testamentum morte honorati, probatur, quia in religione capaci, vt probatum fuit præcedenti quæstione, testamentum non firmatur professione, quoad hæreditatem, sed tantum morte naturali professi, ergo si moriatur hæres institutus caducum fit testamentum ex allegatis legibus, ac proinde bona remanent incorporata vt prius Monasterio sine vlla obligatione restituendi ea hæredibus instituti. Ita *Sanch lib.* 7. *c.* 3. *n.* 56. *cum aliis ab eo allatis.*

Tertia pars, quod aliæ dispositiones non euanescant, si honoratus præmoriatur disponenti, probatur, quia illæ sortitæ sunt omnem suum effectum posità professione, ideo ab honorato moriente transmittuntur ad eius hæredes, cum ea bona sub suo habuerit dominio.

Quarta pars, quod bona non transeant ad hæredes honorati, probatur, tum quia caduca est dispositio iuxta dicta superius. Tum quia ad transmissionem hæredis ad hæredes requiritur, quod transmittens habeat sub suo dominio, & potestate rem transmittendam; nemo enim alium transferre potest, quod non habet ex vulgaris iuribus, honoratus autem nunquam habuit bona renunciata, seu donata iuxta superius dicta, ergo ea transmittere non potest ad suos hæredes. Ita *Sanch. lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 56. *Pasq. q.* 278. *num.* 5. *&* 6.

QVÆRES XXVI. An renunciatio, quam nouitius fecit patri suo, si decedentibus omnibus suæ posteritatis superuenientibus tantum patre, & filio professo, qui renunciauit, fiat caduca, itaut pater de suis bonis sibi renunciatis disponere non possit.

Respond.

53 ℞. Mortuis omnibus etiam patre filius superstet, non obstante renuntiatione, recuperat, & succedit in omnibus bonis etiam renuntiatis monasterium, quando de illis pater, vel vltimus hæres non disposuit.

Primum, quod omnibus mortuis, omnia deuoluuntur ab intestato ad conuentum viuente adhuc filio professo, probatur, quia licet omnibus renuntiauerit patris sui fauore, non ideo abdicauit à se ius succedendi eidem suo patri aliter non disponenti, aliud enim est renuntiare suis bonis, aliud priuare se iure successionis in casu, quo nullus de sua familia inueniatur, qui succedat, dum enim renuntiat cogitat benefacere suis de sanguine, & familia, & non extraneis, ergo cum renuntiatio limitetur ad eius mentem vlterius extendenda non est, cum sit res odiosa, & stricti iuris; consequenter cessante beneficio eorum de familia, ita renuntiauit, vt à se non abdicauerit ius succedendi in hoc casu, sed illud professione transtulit in suum monasterium ex iuribus allegatis initio huius capitis. *Confirmatur*, quia non est verisimile, quod voluerit præferre extraneos monasterio, dum expresse præposuit tantum patrem & descendentes ab eo. Ita *Molina to. 3. de Iust. disp. 579 n. 19. Couar. in c. Quamuis par. 3. §. 3. n. 4. § 9. ex Pasq. q. 283. & Sanchez l. 7. c. 7. n. 29.* dum hi duo sustinent, patrem professi solum superstitem non posse disponere de suis bonis in extraneos, sed esse monasterij, à fortiori si moriatur ab intestato. Decisionem in terminis habes apud Rubeum tom. secundo, decision. 543. & alibi.

54 Secundum, quod pater solus superstes possit disponere de suis bonis nihil relinquendo monasterio, probatur. *Tum quia*, secuta professione bona renuntiata ipso iure effecta sunt patris ratione proprietatis, dominij, & vsusfructus, ac proinde super illis acquisiuit plenum ius, ergo semper
55 potuit de illis disponere, nam dominium est ius perfecte disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur. *Bartol. in l. si quis vi §. Differentia, ff. de acquirend. possess. Layman. lib. 3. tract. 1. cap. 5. num. 2. Lessius lib. 2. c. 3. num. 1. Azor. par. 3. lib. 1. cap. 12. quæst. 1.* Testari autem est actus dominij, quia testari non potest, qui est incapax dominij, & proprium non habet ex *Authen. Ingressi de Sa-*
56 *crosanc. Eccles. Sanch. lib. 7. cap. 8. num. 2. Tum quia*, cum monasterium ex vi professionis receptæ a nouitio se obliget ad ipsum alendum, & vice versa professus teneatur conuentui seruire, est enim professio contractus inter eos factus, ex quo oritur mutua obligatio prædicta, ideo renuntiatio videtur facta ea ratione vt pater de bonis sibi renuntiatis valeat pro suo arbitrio disponere, cum ipse professus illis non egeat amplius ad se alendum, dum à monasterio sustentandus est. Ita *Couarr. in cap. Quamuis par. 3. §. n. 4. §. Nono, Spinus in speculo testamen. glos. 12. n. 52. Vasq. de success. l. 2. §. 18 n. 117. Molina tom. 3. q. 579. n. 19. alios citat Paulus Rubeus tom. 4, decis. 123. n. 101.*

Contra Sanchez l. 7. c. 7. n. 29. Pasqualig. q. 283. n. 2. asserentes patrem non posse quemquam instituere sed in omnibus succedere monasterium, & currere renuntiationem, ea ratione, quia renuntiatio præsumitur facta fauore descendentium non in omnem euentum, sed in euentum posteritatis tantum ergo eius defectu, pater non potest disponere de illis, quia eidẽ renuntiata fuerunt pro posteritate, non pro extraneis. Deinde nouitius renuntians præsumitur diligere magis monasterium, quam extraneos à suis consanguineis.

Argumentum supponit falsum, renuntiationem non esse liberam, nec proinde renuntiatarium patrem non acquisisse dominium liberum super bonis renuntiatis, nam oppositum supra patet, ideo cum clare constet renuntiationem fuisse factam fauore descendentium, bona in patre transierunt cum omnimoda libertate disponendi pro suo libito, ac proinde fauore extraneorum, nam filius magis diligit patrem, quam monasterium, ideo non præsumitur voluisse eum priuare ea libertate disponendi pro suo arbitrio.

Quæres 27. An non obstante renuntiatione bonorum paternorum, & maternorum frater professus succedat cum aliis suis fratribus sæcularibus in bonis fratris defuncti?

Respond. Affirmatiue succedere monasterium intuitu 57
eius personæ, quia omnia iura, quæ habebat in sæculo secum transtulit in religionem per professionem ex iuribus allegatis initio huius capitis, ergo & hoc diuidendi bona fraterna cum aliis fratribus. Nec obstat renuntiatio, quia renuntiauit tantum bonis paternis, & maternis, non vero fraternis, licet enim bona fratris defuncti in identitate bonorum sint eademmet, quæ habebat pater renuntiata, non tamen amplius dicuntur bona paterna, sed fraterna ex eo quod transierant hæreditate in filium amiserunt esse bona paterna, & cœperunt esse bona fraterna, in quæ succedit pro sua portione tanquam hæres fratris, non patris. Et quod bona paterna, & materna hoc nomen amittant, & fiant patrimonium filij
adeuntis hæreditatem, colligitur ex *lege prima, §. Veteres, ff. de acquirend. possess. glos. 11. per vnum, §. At post aditam, ibidem Iason numer. 14. Menoch. consil. 124. numer. 5. Cephal. consil. 489. numer. 73. & 74.* Et ita 58
respondit *Rota apud Paulum Rubeum tom. 3. decis. 375.* Vide eam cum Additione Pauli vbi multa eruditè traduntur, *& in alia Decision. 323. tomo quarto, à numer. 97.*

Quæres 28. An non obstante renuntiatione filius professus possit institui hæres, seu verius Monasterium pro ipso?

Respon. Affirmatiue, quia per hoc patri, aut alteri 59
non abstulit ius testandi, cui voluerit, & renuntiatarius bona recipit cum potestate disponendi de illis pro suo arbitrio, cum illorum acquirat dominium, & sic de eis potest testari fauore renuntiatoris, seu verius fauore Monasterij intuitu professi, quod dicitur non renuntiasse. Deinde renuntiatio non potest impedire liberam voluntatem, quam quisque habet testandi fauore eius, cui voluerit. Ita *Paulus Rubeus tom. 4. decis. 323. à n. 63.* alio medio probans.

Quæres 29. An testamentum, in quo nouitius nihil reliquit conuentui professione eius rumpatur?

Resp. Negatiue, quia nullo iure exprimitur huiusmo- 60
di ruptio; neque enim nouitius tenetur aliquo iure relinquere, aut instituere Conuentum, vt colligitur cap. 9. 19. quæst. 3. ibi: *Nunc autem cum monachus factus est, hoc ipso res suas obtulisse, si prius testatus non sit.* Ita aliis citatis *Sanchez l. 7. cap. 3. num. 33.* non enim conuentus se habet loco filij respectu professi, cum è contra conuentus sit pater illius, quem alere tenetur. Boratus decis. 639.

Quæres 30. An secuta professione, sed inualida, nullius sit momenti renuntiatio, & quomodo sanari possit renuntiatio?

Resp. Renuntiatio est nulla non firmatur, quandocum- 61
que professio est inualida, vnde declarata nullitate professionis, & nouitio redeunte ad sæculum euanescit renuntiatio; si vero ratificat professionem conualidatur ipso iure renuntiatio, sine alio actu firmante renuntiationem; & dũ manet in Religione præsumitur professus maximè post quinquennium, & ideo præsumendum est etiam de valore renuntiationis, adeo quod renuntiatarius iuste possidet, & gaudet bonis renuntiatis.

Prima pars, quod ex inualiditate professionis non firmetur renuntiatio, clare colligitur ex verbis ipsius Concilij, ibi: *At non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione.* Professio autem, quæ nulla est non dicitur secuta, nec nomen habet professionis, & ita se habet, ac si non emissa fuisset. Inualide enim, & nulliter fieri, est non fieri, nec factum esse, *leg. Non putauit, § Non quenis ff. de bonor possess Barbosa Vaz lit. N. n. 32.* Inualidum enim non potest confirmare aliud inualidum. *gl. in c. Quinque 35. 11 q 1. Ita Rodriquez t. 5. Summa c. 7. n 6. Sanch. l. 7. c. 5. n. 55. iterum Rodriquez t. 2. q. 47. art. 11 cum suo Compend. resol. 53. n. 11.* & omnes quos citat *Donatus par. 4. tr. 7 q. 21.*

Secunda pars, quod renuntiatio euanescat redeunte nulliter professo ad sæculum probatur, quia tunc proprie verificantur ea verba Concilij: *Nisi secuta professione*, declaratur enim per iudicem, non esse secutam professionem, ac proinde non amplius existere renuntiationem, cuius existentia nitebatur subsistentia professionis, hæc autem in totum declarata fuit nulla, ergo renuntiatio in totum fuit extincta. Ita omnes supracitati. Et id procedit, siue declaretur nullitas professionis ante quinquennium, siue vltra hoc tempus, quia semper est verum dicere quod non existente professione, nec existit renuntiatio, quæ semper pendet à valore professionis vero, vel præsumpto.

Tertia pars, quod ratificata professione intelligatur quoque ratificata renuntiatio, probatur, quia eius firmitas dependet a valore professionis, sed ratificatio nil aliud est, quam professio de inualida facta valida, ergo per hanc firmatur renuntiatio. Confirmatur, quia ab eo die, quo primo facta fuit renuntiatio à Nouitio semper perseuerauit in suo esse irreuocabili ex parte ipsius renuntiantis ea probatis sub q. 20. quamuis illud esse mutabile, & inconstans esset in eo, quod Nouitius ad sæculum reuersus euanesceret ob non secutam professionem, quandocunque ergo ponitur vera professio siue primo, siue secundo per ratificationem, ipso iure consolidatur, & firmatur renuntiatio, & illud esse mutabile transit in immutabile ex parte tam Nouitij, quam professionis veræ. Quare non est necesse ratificare ipsammet renuntiationem, nisi ex abundantiori cautela, quia cum iam existeret, alio non indigebat subsidio nisi vera professione, per quam tolleretur illud esse mutabile, & stabiliretur professione vera vndequaque irreuocabilis. Ratificatione professionis conualidari renuntiationem docent, *Sanchez lib. 7. cap. 5. n. 56. Tamb de iure Abbatiss. disp. 4. quæst. 12. numer. 2. Barb. ad hoc cap. numer. 16. Ego cap. 6. quæst. 29. & resol. 60. num. 17.*

Pasqual. *q. 280. n. 5. dicit*: Etiamsi non reclamet contra nullitatem professionis, dummodo tamen de ipsa scilicet nullitate constet, existimo euanescere renuntiationem, & opus esse noua renuntiatione, quando ratificaturus est professionem. Et probat, quia renuntiatio fit cum ordine, & relatione ad illam professionem, quæ subsequitur; & cum professio vnica tantum vice emitti possit ea natura ipsius actus ratione relationis coarctatur renuntiatio ad illam vnicam professionem quæ subsequitur, ergo si ab ipsa non conualidatur euanescit, ac proinde non potest conualidari ab alia professione, quæ multo tempore post emittitur, cum non sit facta pro ipsa, sed cum ordine ad inualidam. Relatiua enim sicut non extenduntur vltra terminum propriæ relationis, ita nec ab alio, quam ab ipso possunt qualificari. Confirmat multis, sed præcipue, quia ratificatio professionis est nouus actus proueniens ex noua deliberatione, ergo requirit etiam nouam renuntiationem, cum hæc debeat fieri intuitu professionis, atque adeo ea vi illius deliberationis, ea qua promanat professio, alioquin si proueniret ex alia deliberatione non esset contemplationis professionis &c.

Respond. Cum renuntiatio ab initio subsistat irreuocabiliter ex parte Nouitij, vt probatum fuit q. 2. & reuocabiliter exclusione professionis, à valore professionis, siue hæc sit prima, & vera, siue inualide ratificatio, sumit omnimodam sui firmitatem, & irreuocabilitatem, vt etiam paulo ante dixi, ideo parum refert, quod pendeat ab hac, vel illa numero professione, sufficit enim quod pendeat, & relationem habeat ad veram professionem primo factam, vel ad ratificationem inualidæ, nam mens recta Nouitij fuit, vt sua professione secuta, renuntiatio sortiretur suum effectum, intendit autem Nouitius semper serio, & valide profiteri, quod si aliquando sequitur nulla professio, eam facit validam per ratificationem, ac proinde suam renuntiationem semper vult sortiri suum effectum per veram professionem, quocunque modo fiat. Falsum ergo est renuntiationẽ coarctari ad primum actum professionis, quo deficiente, euanescere ipsam renuntiatione, cum de iure semper referenda sit ad veram professionem, & non ad inualidam; Leges enim, & disponentes semper intendunt, quod actus valeant gesti iuxta formam legis, ergo volunt, renuntiationes factas ad formam Concilij valere, quandocunque firmatur professio, & professus non redit legitime ad sæculum; ergo inualida professio non facit euanescere renuntiationem, si sequatur ratificatio. Et per hæc responsum est ad confirmationem, falsum enim est renuntiationem requirere nouam deliberationem correspondentem nouæ deliberationi ratificationis professionis, nam dum Nouitius renuntiat aliud non intendit, nisi, vt sua renuntiatio sortiatur suum effectum secuta professione, & quidem vera, ergo ad hanc tantum ordinat, & non ad nullam, cum serio, & non ficte intendat profitere.

Quarta pars, dum professus nulliter manet in religione, siue ante, siue post quinquennium, renuntiatarius iuste possidet probatur quia renuntiatio sortita est suum effectum fauore honorati, non obstante, quod fama volat, nullam esse professionem, quia sicut pro religione contra professum præsumendus valor professionis, ita idem censendum est fauore honorati, posita declaratione nullitatis eo ipso euanescit renuntiatio, & renuntiatarius tenetur restituere bona, non tamen fructus, quorum fuit possessor bonæ fidei. Quod si post latam sententiam velit manere in religione, debet iterum renuntiare, quia per eam sententiam extracta omnino fuit renuntiatio, ac si nunquam in religione professisset. Ita *Pasqualig. q. 280. n. 4. Sanch. lib. 7. c. 5. n. 84.*

Idem Pasqualig. ibidem respondet sub num. 8. ad duo argumenta probantia conualidari renuntiationem ratificatione professionis. Primum est, quia professio ratificata retrotrahitur ac si ab initio valuisset, ac proinde facit, vt conualescat renuntiatio. Respondet, ratificationem actus nullius ab initio non retrotrahi ex multis Doctoribus ab eo citatis, & ideò renuntiationem non conualescere. Secundum argumentum est, quia factum tempore inhabili relatum in tempus habile valet, cum peruenit ad eum statum, à quo potest incipere, cap. 12. de conuers. coniugat. l. In tempus ff. de hæred. instit. Respondet valere, si habet tractum successiuum, minime si caret, & sic extingui, vt extinguitur renuntiatio cum nulla professione cum non habeat tractum successiuum.

Contra est primo, quia argumenta sup ponunt renuntiationem nullam ab initio, quod nos supra negauimus, dum sup. q. 20. probauimus eam ab initio subsistere in eo, quod non est reuocabilis a Nouitio, ideo ad sui confirmationem sufficit ratificatio professionis, quamuis alias non retrotraheretur ratificatio professionis, quod tamen falsum est, cum etiam ratificetur prout ex tunc id quod ab initio non fuit maxime fauore tertij absque alterius præiudicio, vt alibi probabo de Professione ratificata. *Ad primum* igitur argumentum, nego professionem ratificatam 62
non retrotrahi ad primam nulliter factam, quia illi Doctores loquuntur de ratificatione facta ab homine auctoritate propria, quæ nõ retrotrahitur ad actum nullum, sicut retrotrahitur professionis ratificatio, quæ à lege prouenit, ita *Maria allegatus in libello de inualiditate profess. Remigij Scrofa Dub. 18. num 3. Ad secundum* dico, renuntiationem habere tractum successiuum in illo iure irreuocabilitatis ex parte Nouitij, & reuocabilitatis ex parte professionis, si non sequatur.

Quæres 31. An quando vtrumque est nullum, professio scilicet, & renuntiatio, posita professionis ratificatione, conualescat per eam renuntiatio, quæ contingit nulla quandocunque inualida est professio defectu ætatis, & in aliis casibus, cum est facta contra formam Tridentini.

Respond. Non conualidatur renuntiatio per ratificatio- 63
nem professionis, quia Tridentinum supponit eius existentiam, quæ sola professione prima, vel ratificata sortitur suum effectum. Nulla igitur requirit nouum actum ad sui valorem gestum ante professionem validam, aliter posita vera professione, non potest nec reualidari,

nec fieri de nouo, quia Nouitius per suam professionem transtulit omnia sua iura in Monasterium. Ita *Sanchez. lib.7.cap.5.n.56.*

Quæres 32. Dictum fuit q. 20. Nouitium ante professionem non posse reuocare renuntiationem, sed eam omnino sortiri debere suum effectum, si sequatur professio. Numquid poterit eam reuocare inter primam professionem inualidam, & eius ratificationem?

64 Respond. Negatiue, quia irreuocabilitas tolli ab ea non potest nisi desistendo à professione, vnde professus cognita nullitate suæ professionis, reuocare non potest renuntiationem, nisi reclamando, & faciendo declarare nullitatem suæ professionis reuertendo ad seculum, in hoc casu tunc euanescit renuntiatio. Ita *Sanchez lib.7.c.5.n.56. cum aliis.*

Quæres 33. An consanguinei Nouitij possint aliquid donare Monasterio v.g. calicem, mobilia, comestibilia &c.

65 Respond. Affirmatiue, quia hæc veniunt titulo eleemosinæ ad subleuandam paupertatem Monasterij, quæ non prohibentur in Tridentino, vt dixi quæst. 7. Nam Tridentinum sic disponit: *Sed neque ante professionem, excepto victu, & vestitu Nouitij, vel Nouitiæ illius temporis, qui in probatione est, quocunque prætextu à parenti-*
66 *bus, vel propinquis, aut curatoribus eius Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, aut maiorem partem substantiæ suæ possideat, nec facile, si discesserit id recuperare possit. Quin potius præcipit S.Synodus sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat; & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant, quod vt recte fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.* Nota *Primo*, quod prohibentur dari bona propria ipsius Nouitij, non vero de bonis consanguineorum eius. *Secundo*, non simpliciter prohibetur datio bonorum ipsius Nouitij, sed tributio magni valoris rei, vnde non prohibetur donatio rei valentis 40. aut 50. aureos. *Tertio*, ea excommunicatio est comminatoria. *Quarto*; quod ad restitutionem prædictorum regulares subduntur Episcopis, hæc omnia clara sunt in præfato textu. Ita *Sanchez lib.7.cap.5.num.23. Vecch. disp 8.dub. 7.num.14. Pasqual. q.279. Suarez tom.3. de Relig.lib 5. cap.9.num.16.cum aliis citatis à Barbosa ad hoc cap. num. 48.qui num* 45. Refert ex Sellio responsum S.C. Patrem non potuisse dare paramentum altaris religionis vbi filius erat in nouitiatu, intellige factum de bonis ipsius Nouitij excedens dictam summam. Prædictis adde *Layman lib.3.cap.7.tract.5.num.5. Lezanam par.1.cap.24. numer. 24. Donatum par.4 tract.7.q.16. Pasq. ad Francum par. 1.n.42.§.Quod autem.*

Quæres 34. An consuetudine indoci possit, vt renuntiationes valeant non seruata forma Tridentini in eis faciendis per Nouitium?

67 Respond. Negatiue, quia quandocumque lex habet decretum irritans, vt præsens de renuntiatione, consue-
68 tudo contra eam non potest, *Felin.in cap.cum accessissent, de constit. num. 30. in limit.4. Riccin.lib. 2. consil.13.num. 53. & lib. 3.consil.102.num.12.Gabriel de Clausul. concl. 3.num. 3. §. Effectus tertius, Rubeus tom. 6. decis. 618. num.24. & tom 4. decis.574.num.27. & ibi numer. 28. à Coccino redditur ratio*, quia lex irritans facit personam incapacem, quam tollere non potest consuetudo, *Dec. in c.Nouit. de iudic.n.84. Felin. & Aymon*, quos contra se citat *Suar.lib.7.de legibus c.19 n.13.* Quare cum Tridentinum apponat huic capiti decretum irritans contraria consuetudine tolli non potest.

Contrarium, quod scilicet renuntiationes fieri possint sine licentia Episcopi, introductum fuit in Hispania, vt docet *Rodriquez part.2.Suarez cap.7.de donat.Vega tom. 1.cap.50 casu 2.Lezana tom.1.cap. 24.n.34 ex illis Donatus par.4.tract.7.q.13.Sanch.l.7.c.5.n.75.* Non reprobat illos, addit tamen melius esse vti licentia Episcopi ad euitandas lites.

Quæres 35. An Nouitius in suo testamento possit sibi reseruare electionem puellarum dotandarum per suos hæredes?

Respond. Posse, quia is non est actus proprietatis, cum 69
ipse peculium non tractet, nec soluat dotem puellis, quas tantum nominat, quod nihil aliud est, quam declaratio suæ voluntatis, quam debet facere de licentia sui superioris, qui id illi negare non debet. Ita *Vecchius* etiam de suis Capucinis *disp.8. dub.13. n.2.* contra Pelizum, quem contra se citat *Diana resol.74. de dubiis regul. Ego res.55.q.14.*

Quæres 36. Quot sunt necessaria, vt valeat renuntiatio?

Respond. Sunt necessaria tria *Primo*, vt fiat de licen- 70
tia Episcopi, iuxta quod dixi sub quæst.8. ad 12. debet autem esse proprius Episcopus Nouitiatus, aut vbi fit contractus, iuxta dicta quæst.8. Aliter facta sine Episcopo proprio est inualida, sicut pariter est nulla facta de licentia aliena, vt probaui *Dub. Regul.* 144. quia dicitur facta sine licentia, dum ea non fuit legitima. *Secundo*, vt fiat intra bimestre ante professionem, iuxta dicta *sub quæst.13.* Ista præmittenda sunt ante professionem, per quæ facta renuntiatio dicitur valere, & esse irreuocabilis, quæ perficitur, & fit omnino irreuocabilis si sequatur professio, quod est *Tertium* requisitum, mediante ergo professione valide emissa, renuntiatio sortitur suum effectum, in eo quod firmatur, & bona transeunt in potestatem renuntiatarij.

Quæres 37. An professus vere professus ad seculum reuersus ex causa, vt quia factus est Episcopus, beneficiarius, aut dimissus, quia Religio eius suppressa est, recuperet bona renuntiata; & ea sibi vendicet à quocumque ea possidente?

Respond. Quando renuntiauit cum clausula recupe- 71
randi renuntiata, si redeat ad seculum, quod fieri potest, quia vnusquisque rei suæ apponere potest conditionem, sine vlla dubitatione renuntiata ipso iure acquisitionis alterius status reuertuntur ad renuntiantem, quia ea renuntiauit ad tempus illud, & non vltra. Quando autem renuntiauit simpliciter sine limitatione reuersus ad seculum recuperat tantum ea, quæ non sunt sub dominio tertij. Si voto religionem ingressus fuit sine vlla renuntiatione omnia recuperat.

Prima pars de renuntiatione conditionata patet ex ratione adducta, & quia id non est contra substantiam voti paupertatis. Ita *Natta vol.1.consil.180.Sanchez l.7.c.17. n 26.ex illis Pelliz tract.2.c.9.n.25.*

Secunda pars de recuperatione eorundem bonorum 72
probatur, quia censetur facta sub ea tacita conditione si remansero in religione, *ex l. Tale pactum § fin. ff. de pactis l.In lege.l.Rusilia ff.de contrahenda empt. l.2.§. fin.ff. de hered. vel act. empt.* Ex quibus habetur in omnibus obligationibus, & promissionibus quantumuis etiam præcisis, ex legis præsumptione contineri eam conditionem, nimirum, rebus sic stantibus, in eodem statu perseuerantibus, nihilque de nouo superueniente. Adeo quod in dubio renuntians non censetur voluisse renuntiare iuribus in futuro, quamuis renuntiatio facta sit omnium iurium sibi competentium, vel competiturorum in futurum, nam non censetur renuntiatum iuri acquirendo ex
noua causa de futuro, & ignorata, sed tantum illi iuri, 73
quod tunc ex causa, de qua agebatur competebat, vel ex eadem causa competere poterat. Ita *Palaus*, *Rubeus tom.1.ad decis.523. numer. 1.in Annotat.* Vbi innumeros congerit Doctores. Et num. 39. ait hæc procedere etiam in renuntiationibus iuratis, quia iuramentum regulatur per naturam actus, super quem cadit, *Cap. Quemadmodum 25. de iureiur. Suar. tom. 2. de Relig. tract.5. de Iuram. cap.15.numer.3. Seraph. de priuileg 49. numer.7.* Confirmatur, quia renuntiatio est stricti iuris, exten-
sionem non admittens, & minus lædens renuntiantem 74
quam sit possibile, adeo quod non continet nisi expressa, & quæ veniunt in necessariam consequentiam expressorum, *l. Si actionem C. de Pactis Simon de Pratis vol.1.consil.141.numer.6.* Turret. *consil.77. num.30. cum*

aliis Ventriglia de Renunt. Annot. 1. §. 1. *num.* 5. Pariter nemo censetur renunciare iuri suo, quod ignorat sibi competere, aut competiturum *l. Mater C. de in offic. testam. Alex. lib.* 6. *consil.* 193. *Afflictus decis.* 53. *Craueta consil.* 257. *num.* 2. *ex illis Pasqualig. quæst.* 14. *num.* 5. *qui num.* 6. ait, renuntiationem iuris futuri intelligendam esse de eo, quod habet causam de præsenti, non autem de eo, quod non habet causam præsentem ex Doctoribus ibidem citatis, vnde si in instrumento referatur etiam ad incogitata intelligitur respectu causæ de præsenti, non de futuro, vt in præfata Decisione 523. pluribus probatur. Ita *Molfesius vol.* 1. & 2. *in fine Laurent. de Franchis de contron. inter Episc. & Regul q.* 118. *Carolus Maranta tom* 3. *resp.* 55. *Vinc de Anna Alleg* 21. *n.* 28. *cum multis aliis apud Barb. lib.* 1. *de iure Eccles. c.* 42. *n.* 140. *Marinus lib.* 2. *cap.* 46. *n.* 17. & 18.

Contra Peyrinum *de Prelate quæst.* 3. *cap.* 1. *num.* 111. *Marium* Cutellum *de donat. tom.* 1 *tract.* 1. *Discur.* 2. *part.* 3. *n.* 132. Probat ille multis, quæ in substantia reducuntur ad sequentia. *Primo*, quia secuta professione renuntiatio sortita est effectum suæ irreuocabilitatis. *Secundo*, perseuerans in Religione non potest eam reuocare, ergo neque factus Episcopus, aut beneficiarius, quia non desinit esse Episcopus, sed semper manet in statu regulari, ergo nunquam potest reuocare renuntiationem. Ex quo sequitur *Tertio*, quod Episcopus liberaretur à voto Paupertatis per recuperationem bonorum renuntiatorum. *Quarto*, renuntiatarius factus est dominus bonorum renuntiatorum, & habet ius in illis quæsitum. *Quinto*, sequeretur, quod damnatus ad triremes, & expulsus recuperarent bona renuntiata, quia statum mutarunt.

Primo responderem, esse irreuocabilem vsque ad eum terminum, ad quem producta fuit nimirum vsque ad egressum ab ordine, immo nec dicitur proprie reuocari, sed cessare, & euanescere adueniente ea conditione illius destructiua *Secundo*, ideo manens in ordine ea non euanescit, quia manet in eo statu respectu cuius renuntiauit, factus vero Episcopus ideo suum recuperat, quia non est amplius in eo statu, quo inductus fuit ad renuntiandum, licet enim semper sit religiosus, nõ tamẽ semper viuit cũ religiosis, sed modo cũ sæcularibus, & vere mutauit statũ religiosum in statũ Episcopalẽ non mutatione destructiua sed perfectiua, & sic res non stant vt ante stabant tẽpore renuntiationis. *Tertio*, per recuperationem renuntiatorum non destruit votum paupertatis, quia illorum bonorum Episcopus habet solum vsum, eius vero Ecclesia proprietatem, *ex cap Vn.* 18 *quæst.* 1. *Archidiacon. ibidem. num.* 2. *Natta consil.* 180. *num.* 5. *Federic. de Senis consil.* 20. *num.* 7. *Rota decis.* 115. *num.* 24. apud Rubeum tomo. 3. *Quarto*, renuntiatarius habet quidem dominium, & ius quæsitum, non simpliciter, & ad tempus limitatum. *Quinto*, & isti viuere debent de suo, vnde in *cap. Quicunque* 17. *quæst.* 4. *relatum à Rubeo tom* 4. *in Annotat. præcitata decis.* 523. *sub numer.* 25. ait, Monachis in Apostasiam euntibus bona sua reddenda sunt à Monasterio, ne in deteriora præcipitentur.

Tertia pars, quod non recuperet ea, quæ non transie-
75 runt apud tertium, probatur. *Tum quia*, ius iam quæsitum fuit Tertio, à quo non est auferendum ex Reg. de iure quæsito, & facit decisio 42. in calce huius operis extensa. *Tum quia*, id potissimum verum est, quando tertius ex contractu acquisiuit ius irreuocabile ad differentiam eius, cui gratis renuntiatum fuit; neque enim ratio dictat, vt cum aliena iactura locupletetur. Ita *Barbosa lib.* 1. *de Iure Eccles cap* 42. *numer.* 242. vbi refert declarationem Sac. Congreg. datam sub die 11. Iannarij 1631. sub his verbis: *Proposito in Sacr. Congreg* Concilij *Tridentini dubio ad instantiam N Regularis professi. & ad Episcopatum promoti. Eminentissimi Patres censuerunt dictum Oratorem recuperare ius succedendi etiam in bonis ab eo renuntiatis. dummodo non sint alteri acquisita.* Et id colligitur ex *cap.* Statutum *Vn.* 18. *quæst.* 1. vbi ex eodem *Barbosa num.* 14. & 25. dicitur, quod religiosus etiam Ordinis Minorum erectus ad Episcopatum acquirit sibi vsum, & proprietatem suæ Ecclesiæ, & recuperat ius succedendi parentibus, & cognatis Doctor. allegatis. Intellige accepta confirmatione à Papa, incipit enim tunc omnino esse
extra obedientiam superioris regularis immediate subie- 76
ctus Pontifici Romano, antea autem acquisita sunt Monasterij, *Sanchez l.* 7. *c.* 32. *n.* 67.

Quæ hactenus dicta sunt de Episcopo intelligenda sunt quoque de aliis Religiosis ad beneficia sæcularia assumptis, quia supradictæ rationes pro Episcopis etiam pro istis faciunt.

Quæres 38. An non obstante renuntiatione facta à Nouitio, filius postea professus in taxanda legitima masculorum, siue paragio fœminarum sit inter alios filios sæculares computandus?

Respond. Professus id religione incapaci non facere
partem in bonis paternis vtique vero in religione capaci, 77
quando renuntiauit, reseruando sibi aliquam portionem, licet renuntiauerit patri, eiusque hæredibus, & successoribus.

Prima pars, quod in religione incapaci partem non faciat, omnino certa est, quia cum ipse, & eius religio omnino sint incapacia, ambo pro mortuo penitus habentur, & sic nullam facere possunt partem. Ita *Doctor. in Authentic. Nouissima*, C. *de inoffic. testamen. & in leg. Plane*, §. *Si duobus*, *ff. de legat.* 1. *cum aliis* Marinus *lib.* 2. *Resolut. Quasi dicam, cap.* 93. *n.* 6.

Secunda pars, quod partem faciat professus in religio-
ne capaci, si in renuntiatione sibi aliquid reliquit, & non 78
aliter, probatur, quia dum sibi reseruat aliquid videtur à se non abdicare successionem, sicuti ille, qui nihil sibi reseruat, nam simpliciter se priuat successione, & pro mortuo habetur, vnde connumerandus non est cum aliis filiis, in sæculo existentibus. Ita *Mercur.* Merlinus *lib.* 1. *de legitima titn.* 4. *quæst.* 3. *num.* 33. *aliis citatis Marinus præcitatus lib.* 2. *cap.* 93. qui renuntiationem factam patri, vocat extinctiuam, non vero translatiuam, sicut vocatur si facta sit fratri, ea ratione, quia in renuntiatione paterna nihil habet filius, cum omnia sint patris, ideo nihil in pa-
trem transfert, vt enim quis possit ad hæredes suos ali- 79
quid transmittere, necesse est, vt prius acquirat, quia sine acquisitione non datur transmissio, pater autem recipiendo filij renuntiationem nihil acquirit, cum filius nihil habeat, quod in patrem transferat, ideo renuntiatio non potest dici translatiua, sicuti dicitur si frater renuntiat fratri, in illum enim transfert, quod habet acquisitum. Hanc doctrinam accepit *Marinus à Hieronym Gabriel. lib.* 2. *consil.* 155. *num.* 2. 22. 27. Ex hac doctrina meo iudicio sequitur, contra Marinum, quod renuntians siue cum reseruatione, siue non, semper faciat partem, ex quo enim renuntiatio paternorum est extinctiua, & non translatiua, sibi videtur reseruasse partem simpliciter renuntians nihil sibi reseruato, quam non transtulit in alios fratres.

Quæres 39. An Nouitius in dubio renuntiationis præsumatur potius voluisse acquirere Monasterio, quam extraneo?

Respond. Affirmatiue. *Tum quia*, conuentus est loco 80
parentis. *Tum quia*, id persuadet causa pietatis. *Tum quia*, causa maioris commoditatis, & vtilitatis, quam consequi potest, idem dictant. Ita *Merlin. & alij apud Rotam extensam à Marino lib.* 2. *cap.* 190. *num.* 58. *infra quæst.* 65. quæ magis diligat descendentes, quam monasterium.

Quæres 40. An professus ab vno ordine ad alium transiens legitime ea omnia bona, quæ secum detulit in priori monasterio, transferantur ad secundum, in quo profitetur?

Resp. Bona quouis titulo acquisita monasterio profes- 81
sione Nouitij, vel post professionem sunt omnino prioris monasterij, & solum alimenta secum transfert in alium ordinem capacem à primo die probationis vsque ad illud tempus, quo ibi professus secundo manebit, quo defuncto vsusfructus consolidabitur cũ proprietate prioris monasterij.

monasterij. Liuellum vero annuum, si quem habet, siue se negetat monasterium, siue non, certum est transire cum professo à primo die ingressus probationis in secundum monasterium.

Prima pars, quod bona sunt primi ordinis probatur. *Tum quia*, ex vi professionis acquisita sunt ei monasterio, cuius est filius ex iuribus allegatis initio huius capitis, adeo quod cum ipse non habeat amplius super illis ius secum transferre non potest in aliam Religionem. *Tum quia*, cap. *Delapsis* 5. 16. *quæst.* 6. *cap. Si quis rapuerit* 31. 27. *quæst.* 1. *& Authen. de Sanct. Episcop.* §. *penult.* in quibus locis dicitur, quod monachus transiens ad alium ordinem alendus est à priori monasterio, cui non sunt detrahenda bona acquisita, sed tantum de fructibus pro alendo religioso ne sit onerosus secundo ordini. Et licet ibi sermo sit de monachis detrusis in alienum monasterium pœnitentiæ causa, tamen idem iudicium faciendum est de sponte transeunte, vt ibidem profiteatur, quia non magis onerosus est detrusus, quam transiens, cum ambo viuere debeant, & inseruire in secunda religione. Quicquid dicat *Sanchez lib. 7. cap. 32. n. 16.* Ita fere omnes cum *Rodriquez tom. 2. q. 79. ar. 2. tom. 3. quæst. 5. ar. 5. & quæst. 52. ar. 27. cum suo Compend. resol.* 153. *num.* 81. *Nauar. comm. 4. de Regul. num.* 24. §. 11 *& consil. 55. de Regular. num. 9. quos allegaui resol. 29. num.* 88. *Bonac. q. 2. de clauf. p. 9.* §. 4. *diffic.* 2. *Miranda par. 1. q. 31. ar. 24.* Sanch. *l. 7. c. 32. n. 8.* Donat. *p. 2. tr. 5. q. 57. Barbosa in Authen. Ingressi, C. de Sacrosanct. Eccles. num* 25.

Secunda pars, quod alimenta à priori religione danda sint secundæ ab anno probationis vsque ad mortem, probatur. *Tum* ex iuribus allegatis, *Tum quia*, ea bona Nouitius in Religionem intulit vt sibi potius consuleret, quam conuentui, ergo cum eo saltem alimenta transire debent, ea enim sequi debent professum, inuito cuius religio ea possidet. *Confirmatur*, quia si redit ad sæculum honoratus aliquo beneficio omnia sua bona recuperat ex probatis quæst. 17. cum autem iste non mutet statum religiosum in sæcularem, sed ab vno ad alium ordinem transeat, iustum est, vt ex eo transitu secundum monasterium crescat quo ad alimenta, ne religiosus reddatur onerosus, sicut non erat in priori ordine ob emolumentum, quod ille sentiebat. Et hoc procedit siue posterior ordo sit diues siue non, & religiosus sit illi inutilis, siue vtilis, hæ enim circumstantiæ parum faciunt, quia translatio alimentorum sequitur personam quæcumque ea sit, cum bona sua Religioni contulerit ad suum commodum. Ita *Rodriq. tom. 3. q. 52. ar. 27.* §. *Secundus casus, cum suo Compend. alios citans n.* 82. *contra Sanchez lib. 7. cap. 32. num.* 11. qui ex dictis sufficienter refellitur. Sibi autem imputet secunda religio, quando renuntiauit huic iuri alimentorum.

Tertia pars, quod alimenta, & vsus-fructus mortuo monacho redeunt ad priorem ordinem, & consolidantur cum proprietate, probatur, quia cum alimenta comparentur vsufructui, qui morte aliti extinguuntur, Institu. de vsufruct. §. Finitur. leg. Sempronius 26. ff. de vsu & vsufruct. legat. ergo & alimenta, quæ simpliciter relicta debentur tantum vsque ad mortem, *leg. Mela* 14. *ff. de alimen. & cibar. legat.* consolidantur ergo cum proprietate, cuius sunt pars, *leg.* 4 *ff. de vsufruct. gl. v. Causa non decisa c. Pastoralis 5. de causa possess.*

Quarta, quod liuellus transeat cum religioso probatur. Tum quia, si transeunt alimenta à fortiori liuellus, qui fit religioso ad eius licitos vsus, ita quod non cedit in vtilitatem communitatis, sed solius monachi, cui fuit relictus. Tum quia liuellus, quod idem est, ac vsusfructus sequitur personam, cum seruitus personalis leg. 1. ff. de vsusfruct. ergo sequitur personam. Confirmatur, quia isti perfecte non acquiruntur conuentui, nisi dependenter à persona, ergo transferri possunt cum persona. Ita *Sanch. lib. 7. cap. 13. numer. 63. Bonac. quæst. 1. de Clauf. p. 9.* §. 4. *diffic. 2. n. 9.* Aliqui distingunt de vsufructu relicto contemplatione religiosi, procedere dicta, contemplatione monasterij, apud *Bonacinam, & Donatum par. 2. tract. 5. quæst. 61.* & sic non transire. Sed dic transire sub nomine alimentorum, vt supra dictum fuit. Dic vlterius, quod quandocumque aliquis disponit de suis bonis fauore religiosi consanguinei, dictam dispositionem primario, & directe factã fuisse in commodum, & vtilitatem religiosi, non monasterij, cui non reliquisset, si in eo non esset professus, sufficit ergo quod proprietas sit monasterij, & vsusfructus necessarius ipsius religiosi pro eius alimentis.

Quæres 41. An hæreditas delata, sed nondum addita transeat cum professo ad secundam religionem?

R. Esse omnino prioris Ordinis, quia hæreditas delata est acquisita priori monasterio per delationem mortuo testatore, adeo quod illam adire potest sine facto religiosi, cum ius adeundi acquisierit sine vlla dependentia ab eo, qui non habet velle, nec nolle, non obstante, quod religiosus institutus sit hæres, quia institutionis hæreditas immediate acquiritur monasterio, non religioso, qui iuris incapax est, vnde mens testatoris interpretanda est esse talis, qualis de iure esse debet, nimirum, vt instituto professo acquiratur vtilitas, & conuentui proprietas. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 18. cum Abbate, Bero, Curtio iun. consil. 48. Lessio lib. 2. cap. 41. num. 88. Molina lib. 1. de Primog. cap. 12. n. 36. 37. Bonac. de Clauf. quæst. 2. p. 9.* §. 4. *difficul. 2. num. 7. Ego resol. 29. q. 27. n. 88. Donatus par. 2. tr. 5. q. 60.* Quod autem conuentus sine facto professi adeat hæreditatem, idem *Sanch. l. 7. c. 12 n. 36.* 82 83

Bartolus, Baldus, & alij allegati ab eodem Sanch. c. 32. num. 17. tenent transire ad secundam religionem, Quod probant ex diuersis iuribus, quæ habent, quod hæredis ius tũc inspicitur, cum hæreditas acquiritur; sed acquiritur in aditione, ergo dominus non potest adire hæreditatem delatam seruo inuito, ergo nec conuentus, cum professus seruo comparetur. Demum ius adeundi hæreditatem conuentui competit ratione personæ professæ.

Respondetur cum Sanchez num. 19. ea non obstare, nam ad primum, verum est hæreditatem perfecte acquiri per additionem, ibi tamen non probatur necessarium esse factum professi, cum nec de religiosis sermo sit, & si de illis fieret mentio interpretaretur ita, quod deberet annuere superiori prioris monasterij, quod habet iam ius delatum ad hæreditatem. *Ad secundum* de seruo non facit ad rem, quia religiosus in nullo potest contradicere suo superiori, cui suam voluntatem subiecit maxime respectu voti paupertatis, quam violare non debet per actus proprietatis. *Ad tertium*, aliud est, quod hæreditas competat conuentui intuitu, & occasione personæ, aliud est ius adeundi hæreditatem, ius delationis respicit conuentum, & personam, si enim religiosus esset mortuus non deferretur hæreditas; ius vero adeundi respicit conuentum, qui iam habet ius delatum intuitu personę, non vero personam amplius, respicit ratione cuius iam delata hæreditas non est translatiua ad alium ordinem. 84

Quæres 42. An bona delata religiosi à religione incapaci transeuntis ad religionem capacem, transeant cum ipso, an vero debeantur venientibus ab intestato?

Respond. Debentur venientibus ab intestato, quia non attenditur tempus aditionis, sed delationis, quo tempore cum monasterium esset incapax ab intestato venientes succedunt statim, non enim hæreditas manere potest in suspenso, & pendens; sed post mortem dicitur delata etiam ignorantibus, *leg. Nolentibus, & leg. Si fratris* 11. *Statim C. de iure delib. leg. 1. ff. qui sunt in potestate, ff. Si quis omissa causa, leg. In suis, ff. de suis, & legit. hæred. Anchar. consil. 101. Ita Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 8. 2. aliis citatis.* Quod si bonorum hæreditas nondum sit delata, idest, si nondum testator est mortuus, & religiosus transit ab incapaci licite ad capacem, non venientibus ab intestato sed religioni capaci acquirit, intellige post professionem, si hæreditas est delata, nam infra annum probationis cum adhuc dicatur professus Religionis incapacis 85 86

nihil acquirere potest nec sibi, nec monasterio vtrique. Et ita intelligenda sunt, quæ refert *Lucerna Regularium 11. Translatio n. 26. & ex ea Donat. p. 2. tr. 5. q. 66. Bonac. q. 2. de Claus. p. 9. § 4. diffic. 2. n. 12. & 13.*

Quæres 43. An ius successionis, quod sæcularis habet factus professus religionis incapacis, omnino extinguatur in eo, itaut si transeat ad capacem, vel ad Episcopatum illud non recuperet? *Vide decis. 42. in calce operis extensam*, vbi probatur non recuperare ius tertio iam quæsitum.

87 Respond. Non extingui, sed tantum suspendi, & dormire dum viuit in religione capaci, translatus vero professione seu beneficio sæculari reuiuiscit, & recuperatur quasi expergefactum, quia eam incapacitatem contraxit in religione incapaci, ergo in tantum durat, in quantum durat eius professio in eadem, ergo si transferatur vel professione, vel beneficio cessat in eo ea incapacitas, & quod habitu habebat tantũ, actu denuo consequitur, ac si nunquam fuisset professus in religione incapaci. Et id patet ex allegatis præced. q. & ex communi Doctorum, quos *citat l. 7. c. 32. n. 26.*

Quæres 44. An professus eiectus è religione incapaci recuperet ius succedendi, ac si nunquam fuisset religiosus?

88 Resp. Affirmatiue, quia, vt dixi, ea incapacitas in tantum durat, in quantum manet e. gr. Minor de Obseruantia aut de Capucinis, & in eo statu; sed expulsus quamuis remaneat adhuc religiosus, tamen cum mutet statum, debet enim viuere in habitu clericali sub obedientia Episcopi, ergo ius mortificatum, & in habitu tantum, fit iterum, actu tale, vt possit succedere in bonis, cum quibus se alere debet. Neque ex sua iniquitate dicitur reportare commodum, quod non ex malitia sequitur, sed ex conditione sui status de nouo acquisiti. Quamuis per me Doctorem non habeam, cum omnes, quos viderim negent, recuperare ius successionis, apud *Sanchez libr. 7. cap. 32. numer. 26. tamen ibidem cum Rodriquez* dicit, expulsum transeuntem ad ordinem capacem, recuperare, & pariter factum Episcopum, ergo infero ego, & si fiat clericus, vt nunc eiecti induunt vestem clericalem, & sunt sub obedientia Episcoporum.

Quæres 45. An secularis habens hæreditatem sibi delatam per mortem testatoris, sed non aditam ingrediendo religionem incapacem, eam amplius adire non potest, si profiteatur in alia capaci, statim eam adire possit monasterium intuitu eius personæ?

89 Respond. Eam adire potest, excludendo venientes ab intestato, si eam ante non adiuerunt, quia ius successionis in habitu, & potentia retinuit, licet non in actu per professionem in religione incapaci amissum, & postea restitutum per professionem in religione capaci. Probat Sanch. quia tria tempora inspicienda sunt in successione hæreditatis, primum, vt hæres sit capax tempore conditi testamenti; secundum vt talis sit etiam tempore mortis te-

90 statoris; tertium, vt capax sit tempore aditionis, & quod adita non sit hæreditas à venientibus ab intestato, *lib. Si alienum 46. §. In extraneis Inst. de hæred. qualit.* Nec obstat, tacita renuntiatio per professionem religionis incapacis, quia censetur renuntiare sub conditione si alij adeant ab intestato, & non aliter. Ita *cum Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 27. Feder. consil 26. & alij.* Contra Fabrum, cui satisfactum est. Idem autem dicendum est si transferatur ad Episcopatum, vel beneficium. Sed is casus raro accidere potest.

Quæres 46. An si professus incapax instituatur hæres, & tempore mortis testatoris sit professus in religione capaci, succedat eius Monasterium capax?

91 Respond. Non succedere, quia necesse est hæreditariam successionem via testamenti, quod hæres sit capax tempore factionis, mortis, & aditionis, vt dixi præced. quæstione; sed deficit primum tempus, quo ille professus est religionis incapacis, ergo. Ita Baldus, & Imola apud *Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 28. qui num. 29.* dicit, in suo Regno ex Regula lege succedere. Obseruant tamen omnes, hunc religiosum, si est suus hæres, venire posse ab intestato, cum suitatem non perdiderit professione.

Quæres 47. Quid dicendum, si professus religionis incapacis à parentibus non instituatur hæres, an translatus professione ad capacem, seu ad Episcopatum, aut beneficium seculare rumpat testamentum paternum instar posthumi postea nati?

Respond. Vt rumpatur testamentum, necesse est, 92 quod professus sit in religione capaci antequam pater moriatur, tunc enim habet ius ad hæreditatem, & rumpitur testamentum, si à patre filius professus præteritus fuit. Ita *Sanchez lib. 7. capit. 32. numer. 33.* Sed loquendo conformiter ad præcedentem quæstionem, dicendum est, professum filium licet præteritum non posse rumpere testamentum, quia nullum habet ius successionis, cum non fuerit habilis tempore factionis testamenti, vt casus proponitur.

Quæres 48. An si quis substitutus pupillo hæredi postea ingrediatur religionem incapacem, amittat ius illud succedendi pupillo, quamuis postea transeat ad religionem, capacem, vel ad Episcopatum, seu beneficium? Vide *Rub. tom. 1. decis. 151. & 358. de substitutione.*

Respond. Non perdidisse illud ius, sed suspensum 93 conseruasse in habitu, & actu recuperasse per professionem in religione capaci, quando tamen pupillus mortuus est tempore, quo transierat, non autem si pupillus fuerat mortuus, dum religiosus ille viuebat in ordine incapaci. Ratio est, quia is religiosus habilis probatur illo triplici tempore factionis testamenti, mortis pupilli, & capacitatis secundæ religionis. Si vero pupillus institutus moritur, dum substitutus est incapax in prima religione, euanescit substitutio, defectu medij temporis. Nec in hoc casu attenditur tempus mortis testatoris, sed pupilli tantum, quia ea substitutio est tantum filij pupilli testamentum *ex lib. Papinianus §. Sed nec impuberi ff. de in off. testam.* Sufficit ergo, quod substitutus sit capax tempore mortis pupilli, vel alterius instituti, & grauati ad restituendam hæreditatem, quia institutionibus conditionalibus sufficit habilitas tempore purificatæ conditionis. Ita *Sanchez l. septimo c. 32. n. 35. & 36.*

Quæres 49. An si Nouitius in religione incapaci renuntiaret reseruando sibi aliqua bona in casu, quo transiret ad statum capacem, ea postea sibi recuperaret?

Respond. Affirmatiue, quia reseruatio est præsenta- 94 tiua suorum iurium ad ea bona, quæ sua erunt, adeo quod ad quemcumque transeunt affecta illa reseruatione. Ita *Natta vol. 1. consil. 180. numer. 2. Tapia in Auth. Ingressi c. 6. n 32. C. de Sacros. Eccl. apud Sanchez l. 7. c. 32. num. 37.*

Quæres 50. Extante statuto, vt existentibus masculis, fœminæ non succedant, an professus religionis incapacis translatus ad statum capacem succedat cum exclusione fœminæ,

Respond. Affirmatiue, si fœmina nondum successit, 95 quia religio est capax, & status Episcopalis, non obstante priori incapacitate, quæ euanuit cum illo priori statu, cum non amplius sit illius ordinis incapax filius. *Baldus, & Tapia in Auth. Ingressi C. de Sacros. Eccles. cap. 6. n. 33.* cum eis *Sanch. l. 7. cap. 32. n. 38.* In hoc autem casu sicut, & in multis aliis attendendus est tenor renunciationis iuxta dicta superius, & inferius dicenda.

Quæres 51. Cuiusnã sint bona transeuntis à religione capaci ad incapacem?

Respond. Si nondum bona sunt acquisita religioni ca- 96 paci ante professionem in posteriori incapaci, acquiruntur iis, qui veniunt ab intestato, nullatenus priori capaci, quia in tantum ea capere potest, in quantum in

ea,

ea, & sub eius professione est religiosus, & non vltra, quando vero est professus in incapaci censetur omnino mortuus mundo, & ideo acquiruntur illis, qui veniunt ab intestato. Quare hæreditas delata eidem in religione capaci eidem acquiritur, licet nondum sit adita, iuxta ea, quæ dixi quæst. 41. In secunda ergo religione incapaci non acquirit priori capaci, nisi in casu prædicto, cum non amplius sit illius filius ex filiatus professione in secunda. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 32. n. 38.*

Quæres 52. Cuiusnam Monasterij sint bona relicta sub conditione, quando institutio fit fauore honorati ante ingressum aut post ingressum, sed conditio adimpletur post professionem factam in secundo monasterio?

97 Respond. Ea bona acquiri secundo Monasterio, quia in his attenditur tempus adimpletæ conditionis, & non spes futuræ hæreditatis, *l. Si cum heres 4. ff. quando dies legat. Reg. Qua legata ff. de reg. iur.* Ita Tapia *in Auth Ingressi, cap 6. numer. 16. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 15. fine, Natta vol. 1. consil. 180. num. 5. cum aliis Sanch. lib. 7. c. 32. num. 41.*

Quæres 53. An possit institui hæres professus ordinis incapacis pro eo tempore, quo erit translatus ad statum capacem, vt ad religionem capacem, vel Episcopatum?

98 Respond. Affirmatiue, quia vnicum tunc inspicitur tempus acquisitionis quo est capax, vt expresse habetur l. In tempus 61. ff. de hæredib. instit. ibi: *In tempus capiendæ hæreditatis institui heredem posse beneuolentia est.* Ita Gregorius *Lopez l. 22. t. 1. Temporalis tit. 5. part. 6. ex eo Sanchez lib. 7. c. 32. n. 41.*

Quæres 54. Cuinam conuentui acquirat professus?

99 Respond. Illi, cuius est filius. Et in hoc nulla difficultas, & nostris temporibus omnes religiones bonorum capaces habent ad hoc statutum, seu vsum filiationis. Et in casu, quo filiatio non esset registrata in libro, vt quia Nouitius receptus fuit sine vlla mentione filiationis, censetur filius illius conuentus, à cuius patribus promotus fuit, & receptus, atque indicatus idoneus ad ingressum. In ordinibus enim, in quibus adest casus filiationis, regulariter professi, & filij conuentus alios primo recipiunt, & indicant idoneos petentes ingressum religionis. Super hac re multa distinguit *Sanchez cum aliis lib. 7. cap. trigesimosecundo à num. 50. ad 56.* Referens esse attendenda statuta ordinum, quorum aliqui volunt bona acquiri, vbi moritur, alij vbi professione emisit. Sed hæc subsistere non possunt, quia religiosus Parmensis Exemp. gr. multa acquisiuit Parmæ, & postea moritur in Sicilia. Deinde ex Constit. Clementis VIII. Omnes Nouitij profitentur loco deputato, & sic ei conuentui omnes acquirerent, quod videtur absurdum, ideo pro regula certa datur acquisitio conuentui filiationis, siue ibi profiteatur, & moriatur, siue alibi. In meo ordine, in quo est filiatio, ex cap. 8. Regulæ, acquirit ei conuentui, cuius est filius, ad eum enim pertinent eius spolia, vbicunque moriatur, nisi ex eius persona alter conuentus acquisierit iam ius super dominium relictorum immobilium.

Quæres 55. Exfiliatus ab vno conuentu, & legitime effectus filius alterius conuentus, an secum transferat bona, quæ acquisierat in priori conuentu? De filiatione multa dixi Resolut. 59. illuc remitto lectorem, vbi etiam leget resolutionem huius quæstionis.

100 Respond. Filius à priori conuentu legitime exfiliatus nihil eorum, quæ iam quæsita sunt priori conuentui transferri ad secundum conuentum, nisi spem succedendi, iuxta quod ibidem probaui, & fructus suorum liuellorum, quos percipit à parentibus, vel quos ex industria sibi acquisiuit, proprietate semper remanente in priori conuentu, cui ab initio fuit incorporata. Et ad id faciunt, quæ diximus *sub quæst. 40. 41. 42. & sequent.* De transeunte ab vno ordine ad alium. Vide *Donatum par. 2. tractat. quinto, quæst. sexagesimaquarta* Moue iuo rem hanc tangentem pluribus?

Quæres 56. An transiens ad secunda vota, vel ad Episcopatum, seu beneficium seculare, seu à priori conuentu exfiliatio ad posteriorem eiusdem ordinis, cui legitime factus est filius secum transferat spem succedendi ex testamento, vel ab intestato, seu alio modo, dum nondum mortuus est, cuius bona sperantur?

Respond. Affirmatiue, quia illa spes, quam expectabat prior conuentus euanuit, ex quo professus desijt esse filius illius conuentus, factus alterius filius professione, aut filiatione, cum eo transiuit, vt notat *glos. in cap. Vnicuique 18. quæst. 1.* Vbi expresse dicitur, quod per Monachum acquisita ante Episcopatum esse Monasterij, factus vero Episcopus est legitimus hæres paternæ hæreditatis, quam non Monasterio, sed suæ Ecclesiæ quoad proprietatem, & sibi quo ad vtilitatem quærit. Ex his ergo patet in qualibet translatione ex similitudine rationis spem transferri. *Ita Donatus part. 2. tractat. 5. quæst. 63.* Quia spes non est ius quæsitum, sed quod speratur quærendum, non est præsens, nec incorporatum conuentui, ideo vt absens, & extra corpus aliorum bonorum sequitur personam, cuius intuitu conuentus sperabat aliquid habere, vnde mortuo professo ante parentes, & consanguineos, ad quorum bona spem habebat, euanescit omnino illa spes. 101

Quæres 57. Destructo aliquo conuentu, vel religione, cuius nam sunt bona illorum?

Respond. Esse sub dispositione Sedis Apostolicæ, cum ea sit domina omnium bonorum Ecclesiasticorum, cum ea tamen limitatione, quod Fratribus, & religiosis superstitibus debet omnino prouidere de alimentis, quorum sustentationi ea bona sunt obligata ex natura rei, nam eis relicta fuerunt ad sustentationem, & eorum alimenta. Vide *Sanchez l. 7. c. 32. n. 56. ad 60.* 102

Quæres 58. Cuinam acquirantur bona à religioso manente extra ordinem, vt Cardinalis, Episcopus, beneficiarius, etiam expulsus?

Respond. Istorum bona, siue mobilia, siue immobilia, carentium potestate testandi à Papa non obtenta, quæcumque ea sint siue ex industria, siue successione, aut quouis alio modo acquisita post egressum, sunt cameræ Apostolicæ ex Bulla, *officij nostri*, 43. Gregorij XIII. Ex quo beneficiarij non amplius quærunt suis Ecclesijs huiusmodi bona. Vide *Sanchez libr. 7. cap. 32. à num. 60. ad finem aliorum.* Et cum Bulla clare loquatur de omnibus religiosis etiam dignificatis, & beneficiatis manentibus extra claustra, comprehendit etiam fugitiuos, & apostatas & omnes illos, qui extra existunt cum licentia superiorum, aut Sedis Apostolicæ, vt colligitur ex eadem Bulla. Et his respondetur ad longam quæstionem *Sanchez lib. 7. cap. 33.* Cuinam acquirant eiecti, nam eius bona acquiruntur Sedi Apostolicæ, cum & isti dicantur existere extra claustra. Vide Vencellum *tit. 3. q. 55.* vbi bona Apostatarum reuersorum sunt religionis de communi Doctorum. 103

Quæres 59. An prædicta, & post dicenda intelligenda quoque sint, & locum habeant in Monialibus?

Respond. Affirmatiue, quia in acquisitionibus de iure communi non obstat diuersitas sexus. Et quæ disponuntur in Tridentino de Renuntiationibus Nouitiorum referuntur non magis ad vnum sexum, quam ad alterum, sed æque communia sunt vtrique sexui, cum ibi sermo sit in rem aptabilem indifferenter cuicumque personæ tam masculæ, quam fœminæ. Et in hoc non est difficultas. 104

Quæres 60. An in Tridentino prohibeantur quædam expensæ, & oblationes, quæ fiunt pro solemnitate ingressus, & professionis Nouitiorum, & Nouitiarum?

Respond. Negatiue, quia Tridentinum prohibet tantum ne parentes, propinqui, aut curatores de bonis Nouitij tribuatur Monasterio, præter victum, & vestitum; huiusmodi autem expensæ, & donaria ex vsu comprehenduntur sub victu, & vestitu. Vel dic hæc non tribui Monasterio, sed immediate ipsis professis obuenire comestibilia, aut camisias, & eius generis. Ita *Suarez de cens. disputat. vigesimasecunda sect. quinta numer. decimoquinto ex eo Sanchez libr. septimo, capit. quinto, numer. vigesimosecundo, & Tambur. tom. tertio disputat. sexta quæst.* 105

quæst. decima numer. vigesimo ex illis Barbosa ad dictum cap. decimosexto sess. 25. num. decimo.

Quæres 61. An dos Nouitiæ defunctæ ante professionem restituenda sit eius parentibus?

106 Respond. Affirmatiue vna cum fructibus suis deductis prius expensis, quas fecit Monasterium pro ea. Ratio est, quia dos datur in consequentiam personæ, quæ ex eius fructibus alenda est; ergo si moritur ante professionem restituenda est, nisi Nouitia disposuerit fauore Monasterij. Ita *Armendariz, & ex eo Lucerna Regul. 12. Dos monialium num. septimo Lezana num. septimo Barbosa in Decis. Apostol. 51. eod. num. octauo.* Quid dicendum, si ex priuilegio profiteatur causa infirmitatis infra annum probationis? Adhuc dos cum fructibus restituenda est parentibus, quia ea professio inducta fuit præcisè fauore animæ ex probatis cap. sexto n. quinquagesimo, & ad dotem Moniales nullum ius habent, nisi secuta ordinaria professione, & ad alendam ipsam Nouitiam post professionem.

Quæres 62. An Monialis transiens ab vno ad aliud Monasterium suam dotem acquirat per suam professionem secundam?

107 Respond. Cum moniali transire fructus suæ Dotis, proprietatem vero remanere apud priorem conuentum, vbi primo quæsita fuit. Probatur *Tum quia*. ex leg. Si is qui 57. ff. de iure Dotis Dos esse debet, quoad suum emolumentum, vbi sunt onera; & Dotem habere debet, qui sustinet onera Dotatæ leg. Si filia 20. §. Si Pater, ff. famil. erciscu. *Tum quia*, sequitur secundum matrimonium carnale, ergo & secundum spirituale professionis, *leg. In his rebus 67. §. Vxor, ff. de iure Dotium.* Valet enim argumentum à matrimonio carnali ad spirituale ex probatis, *cap. 3. num. 48.* ergo & ab vna Dote ad aliam, & à fortiori cum maior sit identitas inter Dotem, & Dotem, quam inter vtrumque matrimonium; alio enim fine vtraque Dos sequitur matrimonium, nisi, vt ea eius fructibus alatur Monialis. Quæ procedunt, siue transitus fiat de licentia prioris conuentus, siue non, & pariter siue transeat ad alium eiusdem, vel diuersi Ordinis, quia rationes adductæ simpliciter probant fructus Dotis ibi esse debere, vbi eius sunt onera, cum illa non minus detur in consequentiam Monialis, quam Dos mulieri respectu cuiuslibet matrimonij. Et ita amplius sentiunt Bartol. *Socinus volum. 2. consil. 222. num. 3. Bald. Nouell. de Dote par. 1. num. 10.* explicans siue Monasterium sit eiusdem, vel diuersi Ordinis. *Tapia in Anthen. Ingressi, cap. 6. n. 10.* Qui omnes dum asserunt Monialem transire cum proprietate, & fructibus Dotis, consequenter nostram instruunt sententiam, quam docet *Rodriquez in Summa tom. 2. cap. 31. n. 9.* transire tantum alimenta; hos citat *Sanch. lib. 7. cap. 32. n. 12. contra se.* Lezana 11. Dos Monialium o. 6. concedit transire Dotem cum Moniali, si prior conuentus consentiat in transitum. Sed vt dixi, talis consensus, qui est in transitum personæ, & non Dotis, nihil efficit, vt transeat etiam Dos, si ex natura rei non transiret, cum ad illum non referatur.

Nauarr. commen. 4. num. 24. §. Vndecimo, ait Monialem non secum delaturam Dotem, quia habet eam conditionem adiunctam, vt si sequatur professio perpetuo acquiratur Monasterio. Et cum eo *Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 12.* affert differentiam inter Dotem vtriusque matrimonij, quod post mortem mulieris Dos restituitur parentibus mortuo etiam marito, post mortem vero monialis non restituitur Dos parentibus, cum eius dominium perpetuo quæsitum sit monasterio, cui primo tradita fuit, & concludit, quod si cogeretur posterius Monasterium Monialem recipere, in eo casu teneretur prior conuentus tradere Dotem. Hos sequuntur *Tamburr. de iure Abbatiss. disput. 21. q. 7. Pellizar. de Monialibus cap. 3. num. 69.* Bona monialis translatæ pœnitentiæ causa remanent in priori monasterio, quod tenetur illam alere, extendi, huius rei, *decis. 4 in calce huius operis.*

Respondetur eorum rationibus, eam conditionem Nauarri nobis non obstare, nam & nos concedimus proprietatem Dotis perpetuo remanere in priori conuentu, sed quoniam Dos ex sua natura habet, vt eius fructus sint, vbi sustinentur onera, ideo cum Moniali debent transire, in cuius consequentiam assignata est monasterio. Disparitas assignata à Sanchez non obstat, quia in casu nostro æquiparantia fit, quoad effectum ipsius Dotis, cuius est alere personam Dotatam, & sicut Dos sequitur mulierem conuolantem ad secundum matrimonium, ita & monialem transeuntem ad secunda vota. Prætereà sicut Dos in bonis Viri non dicitur esse quoad dominiũ rerũ Dotalium, sed quoad ius & sustentationem Vxoria dicitur esse ipsius Vxoris, leg. Quamuis 78 ff. de iure Dotium; ita dominium Dotalis rei Monialis est apud primum Monasterium, sed ius sustentationis est apud Monialem transeuntem, ergo transit cum eo iure consequendi alimenta pro secundo Monasterio. Et idem *Sanchez lib. 7. c. 9. n. 23.* ait, nullam inuenire rationem, cur Dos mulieris restituatur parentibus, seu hæredibus, & non Dos monialis, quæ perpetuo remanet monasterio, sed tantum consuetudine id fuisse introductum, eam tamen adducit ex Gutieres, quia soluto matrimonio Dos transit ad hæredes Vxoris. Dos vero monialis remanet apud Monasterium quod habetur loco filij, ac proinde proprietas remanet apud priorem conuentum, & fructus sunt posterioris, dum viuit monialis, vt hoc modo vtrumque recognoscat filium, sed cum præsumatur magis dilexisse primum, ideo post eius mortem, omnia sunt prioris monasterij, quod ingressa fuit sine vlla ratione ad secundum.

Quæres 63. An monasterium eius monialis, quæ renunciauit legitimæ & eius supplementum, possit, mortuo eius patre, petere immissionem bonorum pro portione monialis?

108 Respond. Potest, non obstante renuntiatione legitimæ & supplementi, ad quæ renunciatio vti stricti iuris restringitur, vnde non debet extendi ad alia bona non renuntiata, quorum est danda immissio monasterio, cum illis bonis non renuntiauerit, si enim monialis esset in sæculo ad ea bona ius haberet cum aliis suis sororibus, quod ius cum à se non abdicauerit, per eam renunciationem, sed professione intulerit in religionem, ideo ad ea bona monasterium ius habet ex persona monialis, ea allatis iuribus initio huius capitis. Ita *Rota decis. 480.* in terminis apud *Rub. to. 6.*

Obiectum est, nam in renuntiatione habentur hæc verba: *Aut alias quomodocumque, qualitercumque, & quacumque de causa*, ergo omnino excludendum est monasterium. Respondetur, ibidem Rota, quod ea verba intelligenda sunt de causa præterita, vel præsenti tempore renuntiationis, non autem de futuro, prout est successio paterna, vel materna ab intestato, ex Doctoribus ibi allegatis. Dicta procedunt etiam respectu Nouitij qui renuntiasset suæ legitimæ, par enim est ratio, ac proinde idem ius statuendum est.

Quæres 64. An monasterium censeatur exclusum, quando testator non habuit respectum ad conseruationem familiæ vocando etiam fœminas.

109 Respond. Non est exclusum, quando professus vocatus fuit ante alium volentem eum excludere, nam in hoc casu pro eo tempore, quo viuit ille professus, monasterium possidere debet ea bona fideicommissaria, post mortem professi restituenda vocato. Ita *Felin in cap. In præsentia numer. 55. & 56. Couarr. lib. 1. resolu. cap. 9. numer. 11. cum aliis Rota decis. 118. apud Rubeum tom. 1.*

Dixi, vocando etiam fœminas, quia prohibitio alienandi cum clausula, vt bona remaneant in familia, testator videtur tacite prohibuisse monasterio successionem, secundum *Dec. consil. 258. numer. 2. Alex. lib. 9. consil. 57. Couarr. cit. Menoch. lib. 4. præsump. 83. numer. 45.* contra *Puteum lib. 1. decis. 55. Peregrin. de fideicommiss. ar. 28. numer. 71. & 81.* Ergo vocando fœminas non præsumitur voluisse bona conseruare in sua familia, sed relinquere ea currere secundum cursum generationum.

Quæres

Quæres 65. An institutus hæres professione religionis capacis excludat substitutum.

110 Respondetur, Excludit substitutum, quando substitutio facta fuit cum conditione, si sine liberis decesserit institutus, ratio est, quia intrãdo religionem dicitur decessisse cum liberis, nam in hoc casu monasterium habetur loco filij, ac proinde excluditur substitutus. Ita dicitur *cap. In præsentia 8. de probationibus*, vbi Barbosa ad hoc refert infinitos Doctores cum suis limitationibus. De qua re vide *Rotam decis. 358. apud Paulum Rubeum tom. 1.*

Quæres 66. An testator præsumatur magis diligere descendentes, quam monasterium.

111 Respond. Affirmatiue, quia naturalis est propensio prius benefacere suis, quam alijs, & id ordo charitatis exigit. Ita ex *cap. Quicumque fin. 27. quæst. 4. Roland. lib. 1. consil. 190. fine, Boreas lib. 2. consil. 114. numer. 21. cum aliis Rota decis. 358. numer. 10. fine, apud Paulum Rubeum tom. 1.* Vnde fauor filiorum præponderat causæ piæ, *Surd. tit. 9. de Alimen. quæst. 9. num. 15 Gutier. lib 1. canon. cap. 32. numer. 31. cum aliis* Barbosa *ad præcitatum cap. fin. 17. quæst. 4.* Præsumitur vero diligere plus monasterium, quam extraneos ex probatis supra quæst. 39.

Quæres 67. An excludatur fideicommissum in renuntiatione generalissima?

112 Respond. Excludi, & non pertinet ad monasterium, quando renuntiatio concepta fuit sub his verbis: omnibus, & quibuscunque bonis tam paternis, quam maternis sibi quomodolibet obuenientibus, & cuicumque successioni hæreditatis tam paternæ, quam maternæ, fraternæue, sed etiam in genere aliis successionibus, & iuribus, tam ex testamento, quam ab intestato, vel donatione, aut alias quomodolibet deuoluendis, & sibi obueniendis. Quæ verba apta sunt comprehendere quodcumque fidei commissum. Ita *Bartolus in leg. Qui Romæ, §. Duo fratres, ff. de verborum obligat numer. 18. Craneta consil. 24. numer. 11. Menoch. consil. 87. numer. 27. & ex eis Rota decis. 597. apud Paulum Rubeum tom. 1.* Non obstat, quod ad renuntiationem fideicommissi requiratur eius cognitio ex *leg. De his, ff. de transact.* Quia ei fuit sufficienter renunciatum per ea verba amplissima, quæ continent præsumptam scientiam fideicommissi, ex *Ripa super dictam leg. Qui Romæ, ff. de verb. obligat. n. 69.*

Quæres 58. An legatum à patre factum filiæ, si nupserit, eidem factæ moniali soluendum sit?

113 Respondet. Vtique. Est textus expressus in Authen. de Sanct. Episcop. §. Sed & hoc, vbi conditiones adiectæ habentur pro non scriptis, & inualidis, quando persona, quæcumque ea sit, ingreditur religionem, aut fit clericus, vnde & fideicommissum deficit, nisi alteri loco venerabili restitui debeat, vnde non obstante quauis conditione persona ingressa religionem, seu legatum, quamuis non exequatur illis præscriptum conditionibus, cum pro non

114 scriptis habeantur. Ratio est, quia sunt impeditiuæ melioris boni, ideo vt turpes reiiciuntur, & professus lucratur pro religione hæreditatem, seu legatum. Hæc procedunt, cuicumque fiat institutio, seu legatum, vel consanguineo, aut extraneo, vel certis personis, vel incertis, quia ea conditione personæ conditio de se turpis, & impeditiua melioris boni non mutatur de turpi in bonam, sed talis manet. Ita *Nata consil. 296. numer. 4. Boërius decis. 3. numer. 13. Ochagauia de Matrim. quæst. 15. numer. 17. Pontius lib. 3. de Matrimon. cap. 7. numer. 18. ex illis Diana par 5. tr. 14. resolu. 35. Rota decis. 398. numer. 1. apud Rubeum tom. 3.*

Sanchez lib. 1. dispu. 33. numer. 38. *cum multis aliis, quos citat Pasqualig. quæst. 248. num. 5. & quæst. 254. numer. 4.* asserit legatum pro maritandis puellis incertis non posse dari ingredientibus religionem, quia ea Authen. exorbitat à iure, quod petit, conditiones impleri in vera, & specifica forma, & non in ficta, *leg. Mauius, & qui hæredi, ff. de cond. & demonstr.* vnde ad alios casus non est extendenda Authen. quæ loquitur de legato facto solum certis personis, ibi: *Sine reliquerit suis liberis, siue alicui cuicumque personæ.* Confirmat, quia legatum relictum certæ personæ sub nuptiarum conditione, & illa fiat religiosa, non potest amplius legatum impleri in forma specifica, & cum testator habuerit specialem affectionem ad eam, ideo mirum non est, si ius præsumat voluisse illi legatum facere etiam si intret religionem. Quando vero legatum sit personis incertis adimpleri potest in forma specifica, dando illum eis, quæ volunt nubere cum mundo.

Prædictis occurrit *Pontius lib 3. cap. 7. numer. 11.* dicendo, eam Authen. inductam fuisse mero fauore Religionis, & non ex præsumptione, & ideo, quando persona siue certa; siue incerta vult ingredi Religionem, dandum est ei legatum, quia ea lex tunc tenet eam conditionem nuptiarum carnalium, quæ ex natura sua impediunt melius bonum, vt docet *Vega in Summa post casum 66, ex Baldo, & Felino, & Rota apud Farinac. par. 1. decis. 350. numer. 6.* Tollitur ergo à lege ea conditio contra voluntatem testatoris, ex eodem Pontio num. 9. Neque verum est, quod dicit Sanchez ex illis verbis: *Siue reliquerit suis liberis, siue alicui cuicumque persona*, nam dum textus loquitur *de suis liberis*, loquitur de certis personis, dum vero subiungit *alicui cuicumque persona*, nulli dubium est, verba facere de extraneis personis tam certis, quam incertis, ea enim pronomina *aliquis, & quicumque*, sunt signa illud quidem particulare, hoc vniuersale, quæ limitata per nomen personæ, indicant indiuiduum vagum, ac proinde personam quoque incertam secundum Logicos. Quare cum textus loquatur de personis tam certis, quam incertis, & illæ conditiones, quæ impedire possunt ingressum Ordinis, debeant haberi pro *inualidis, & non scriptis*, non est cur pars aduersa fatigetur dicendo legatum adimpleri posse in forma specifica per incertas personas, non vero per certas, ac proinde has cum legatis suis transire ad religionem, incertas vero, si volunt legatum debere nubere carnaliter, quia adimpleri potest vere mens testatoris; nam hoc argumentum disparitatis supponit, conditionem vigere contra Religionem, quod tamen falsum est, cum vt apparet in textu, habenda sit pro non scripta. Mens igitur testatoris, quæ debet esse conformis legibus, nemo enim facere potest, quo minus leges in suo testamento locum habeant, *leg. Testandi 13. C. de Testamen.* Nec priuata testatoris dispositio potest Constitutio-
nem Canonis mutare, *cap. Requisisti 15. de Testamen.* 115
in huiusmodi legatis etiam pro maritandis puellis incertis est, vt dentur etiam volentis ingredi monasterium, quia talis præsumitur eius mens, ac proinde pro expressa habetur, & adimpleta in forma specifica. Nec obstat quod adducit Pasqualig. videlicet causam piam non
posse excludere aliam ex Clemen. Quia contingit, 116
de Relig. domibus, quia intelligendum est, quando sunt pares, quia par in parem agere non potest, *cap. Innotuit 20. de elect.* & maior vtique causa, & perfectior facit succumbere minorem, & minus perfectam.

Quæres 99. An legatum sub hac forma scriptum: *Si filia mea nupserit lego ei ducentum, si vero Religionem intrauerit, relinquo eidem solum centum, & non plus?* Acquiratur ingredienti Religionem pinguius.

℞. Affirmatiue. Probatur. *Tum*, ex citata Authen. *Tum* 117
quia, conditio nubendi est contraria cõditioni profitendi, ergo pro non adiecta habetur. *Tum quia*, maior conditio perimit minorem. *Tum quia*, pater interrogatus respondisset fauore Religionis, & de iure huius Authenticæ. *Tum quia*, ex capite In præsentia de probation. fauore Religionis euanescit substitutio ex dicta sub *quæstion. 64.* in quo agitur de futuro præiudicio tertij, ergo à fortiori debet euanescere conditio nuptiarum, vbi nullum potest intercedere præiudicium. Ita omnes *Syluester, Naldus, Bonacina, Diana parte prima, tractatu secundo,*

secundo, resolution. 125. & parte secunda, tractatu decimo sexto, resolut. 50. ex illis Lezana 11. Legata n. decimo septimo. quamplures referens Pasqualig. quæst. 255. n. quarto.

Quæres. 70. An legatum relictum sub conditione si monachabitur, seu Religionem ingredietur, fiat ingredienti, vt Tertiatio in Religionem sui Ordinis?

118 Respondetur. Tertiatio ingredienti Religionem sui Ordinis, & ibi sub obedientia superioris viuenti, quamuis solemniter non profiteatur legatum debetur; non vero ei, qui manet in sæculo in domo sua. Pariter debetur legatum mulieri Virgini, vel Viduæ factæ Sorori Tertij Ordinis Sancti Francisci, vel alterius Ordinis cum voto simplici seruandæ Castitatis in domo sua, vel suorum propinquorum. Et hoc legatum multo verius lucrabuntur, si factum fuerit mulieribus se Deo dicantibus.

119 Primum de Tertiariis vtriusque sexus cum claustralibus viuentibus, vel etiam inter se communi vita agentes in eadem domo religiosa, quamuis tria vota non emittant, probatur, quia isti veniunt nomine religiosorum, & gaudent omnibus eorũ priuilegiis ac si essent solemniter professi, ex Const. Leonis X relata in Bullar. sub n. 22. §. 20. *Collegialiter autem viuentes, seu cum claustralibus habitantes, mulieres virginalem, seu celibem, aut castam vidualem expresse voto & sub dicto habitu vitam ducentes priuilegiis, quibus Fratres ordinis, cuius Tertia Regula habitum gestant, gaudere debeant.* Ergo gaudent hoc priuilegio lucrandi legatum ac si essent expresse professi, cum in fauorabilibus sint religiosi. Ita *Franc. del Castillo decis. 88. Gutier de Gabellis quæst. 95. Riccius part. 4. collect. 405. Barbosa l. 1. de iure eccl cap. 43. num. 8. ex illis Donatus par. 4. tract. 15. q. 7.* Qui negant de existentibus in propriis domibus, sed male quoad mulieres, vt mox dicam.

120 Secundum mulieribus Tertiariis ex voto in propriis domibus seu propinquorum lucrantibus legatum clare probatur ex tenore verborum Bullæ Leonis, qui vult, eas separatim viuentes gaudere priuilegiis regularium suorum, in §. 19. locutus fuerat de Fratribus, & sororibus Tertiariis non gaudentibus priuilegiis mox in §. 20. dicit, eosdem si viuant collegialiter, vel cum claustralibus, & etiam mulieres scilicet viuentes in propriis domibus, sed cum voto castitatis, vult gaudere eisdem priuilegiis, ac si essent in claustris, seu sub communi vita; & hoc patentius declarauit S. Congreg. cuius decretum refert *Compend.* Bullarij *Schol. 2. ad dictam* Bullam 22. *Leonis X. Et ita docent Pontius, Portellus à Tertiarijs numer. 7. Diasec. part. 2. cap. 3. art. 7. numer. 11. quos pro se citat Diana par. 1. tr. 2 res 84 & Addition. secund. res. 28. vbi citat Nauar. de elect fori sect. 1. q. 67. n. 16. Donatus cit. tr. 17. n. 23. q fin.*

Donatus Antonius de Marinis l. 2. c. 10. hoc extendit ad ingredientes congregationes secularium sacerdotum approbatas à Sede Apostolica, vt Sanct. Phillippi Nerij, & Patres S. Georgij Maioris dicti operarij. Sed id non placet, quia nullo nituntur priuilegio, nec formam habent religionis, sed solum figuram simul habitandi, nec sunt Fratres Tertiarij.

Dixi, si verba fuissent concepta sub conditione, *si dicabitur Deo*, legatum multo securius deberetur, quia promissione castitatis vere se Deo dicat. Idem iudicium est faciendum, si dixisset *cum nupserit Deo, cum vouerit Deo castitatem.*

Vnum obseruandum est, eum qui ingreditur collegium, seu claustrum, vt assequatur legatum, debere ibi manere si non perpetuo, saltem per multos annos, ne videatur habitum recepisse intuitu præcisè lucrandi legatum, & in fraudem hæredum, aliter in breui reuersus ad seculum cogi potest ad restitutionem, ob rationem dictam. Si vero eiciatur ex sua culpa, seu causa, iuste legatum sibi retinet.

Quæres 71. Cuinam Monasterio dicatur legatum relictum, quando in loco sunt duo vel eodem nomine, vnum virorum, alterum mulierum?

Resp. Si ex circunstanciis eius mens colligi non poterit, debetur potius Monasterio mulierum, quam virorum. Quia in dubio legatum dandum est Ecclesiæ pauperiori Authent. de Eccles. titul. §. Si quis in nomine, qualis præsumitur Monialium, eo quod masculi possunt sibi melius prospicere, cum non teneantur perpetuæ clausuræ; vnde inter Mendicantes, & non Mendicantes in dubio tribuendum est Mendicantibus. Ita *Genuensis in praxi Neapolit. cap. 57. num. 14. & 15.* Intellige tu nisi Monasteriorum virorum sit magis pauperum, quia censetur factum pro eius sublenatione. Coniecturæ autem sunt, si in vno eorum alias habuit filium, aut alium consanguineum, si habeat ibi sepulturam, si Ecclesia est parochialis, si eam frequentabat, &c. tunc censetur eidem legatum reliquisse, & non alteri. Sed his temporibus similes casus non occurrunt, quia aperti sunt oculi cæcorum. 121

Quæres 72. An hæreditas, & legatum immediatè acquirantur professo, cui fuerunt facta, an Monasterio capaci intuitu personæ eiusdem?

Resp. Acquiritur immediate Monasterio, quod sine eius facto potest adire hæreditatem, & legatum accipere, quod si interim post delatam hæreditatem professus moriatur, adhuc nihilominus conuentus eam adire potest; & superior potest illi concedere facultatem adeundi illam; qui & permittere debet, vt eius vtilitate perfruatur iuxta stilum ordinis in honestos, & licitos vsus. 122

Primum de immediate acquisitione facta Monasterio probatur ex iuribus productis initio huius capitis, quia Nouitius professione transfert omnia sua bona, iura, & actiones immediatè in conuentum, ergo & quæcumque iura, & actiones, quæ possunt illi obuenire. Confirmatur ex voto paupertatis, quo fit incapax cuiuslibet actus proprietatis, at dominij, ergo immediatè sibi non acquisit delatam hæreditatem, & legatum, sed Monasterio, ne dicatur proprietarius. Ita *Molina de iust. disp. 140. Couarr. cap. 1. de testam. num. 21. Sanchez. lib. 7. cap. 12. num. 36. ex illis Palaus, disputat. 3. de oblig. relig. p. 5. num. 3.*

Secundum, quod hæreditatem, & legatum adire possit sine eius facto, probatur, quia sicut Monasterio immediate acquiritur ita per suũ superiorem eam adire potest. Confirmatur, quia actus aditionis est actus proprietatis, qui non potest fieri nisi per officialem conuentus habentem eius administrationem. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 12. num. 36. cum aliis à me citatis supra quæst. 41.* Vbi etiam dixi, adiri posse hæreditatem, & legatum post mortem professi hæredis, seu legatarij, dummodo viueret tempore mortis testatoris, quo bona delatione immediate acquisita fuerunt conuentui. Ita etiam Palaus n. 6. Cætera sunt extra dubium. 123

Quæres 73. An hæreditas, seu legatum relicta professo sub ea conditione, vt ad ipsum pertineat, independenter à suis superioribus, sit validum, & ipsi acquiratur? Et quid quando apponit pœnam deuolutionis hæreditatis, & legati ad aliam personam?

Respond. Tenet dispositio, & conditio tamquam turpis, & impossibilis reiicitur, & pariter pro non adiecta habetur illa pœna, seu potius substitutio extranei si à superiore impediatur, qui tamen debet ei concedere vsum legati, aliter tenet substitutio. 124

Primum de reiectione conditionis probatur, quia in testamentis, & legatis dispositio non vitiatur, sed ipsa conditio vt turpis seipsam perimit, *l. Si quis 6. l. Qua sub 8. l. conditiones 9. l. conditiones 14 ff de condit. instit. Sanchez lib 7. c. 17. n. 2. Vasquez de Redditib. cap. 3. dub. 2 n. 12. ex illis Palaus disp. 3. de obligat. relig. p. 6. Vide Compend. Rodriquez resolut. 88. n. 3. & 4.* Procedit, quamuis testator se declarasset, quod nõ solũ vtilitas, & cõmodũ, sed etiã proprietas, & dominiũ pertineret ad ipsũ legatariũ, quia peior est hæc cõditio, quã prior de independẽtia, cũ hæc minus sit aperte cõtra votũ Paupertatis, quã illa de proprietate, 125

tate, & dominio. Nec in hoc attendenda est mens licet expressa testatoris, quæ cum sit contra legem, & canones omnino reiicienda est, ex dictis supra quæst. 68. Ideo pro validitate dispositionis tenendum est, & etiam de iure talem debere esse mentem testatoris, qui si agnouisset conditionem professi ita non fuisset testatus cum illis conditionibus directè contrariis voto Paupertatis. Vide etiam *Donatum par. 2. tract. 11. q. 43.*

Secundum de pœna inficitur, & pro non adiecta habetur. *Tum quia* est conditionalis radicata in priori turpi, & contra votum paupertatis, ergo cum patiatur idem vitium pro non scripta est habenda. *Tum quia*, ea substitutio omnino pœnalis est, & tamen hic nulla culpa est ex parte Monasterij, ergo pro non scripta habetur ea substitutio. *Tum quia*, adiectio pœnæ actui interdicto est ipso iure nulla *l. Vn. C. de his, quæ pœna num.* Ita *Silvester à Religio. 6. q. 7. Corduba q. 154. Sanchez lib. 7. cap. 17. n. 82. Lezana par. 1. cap. 6. num. 34. ex illis Belasius in suo Promptuario Regulari 11. Legatum num. 4. Donatus part. 2. tract. 11. q. 44.*

Tertium, quod substitutio teneat relata ad negationem liciti vsus, probatur, quia ea conditio, vt superior concedat vsum licitum professo, est licita, ergo si impediatur, pœna amissionis legati habet locum, cum fundatur in culpa superioris negantis licitum vsum suo monacho. Ita *Graff. lib. 3. par. 1. cap. 5. numer. 41. Bellamera, cum aliis Sanchez lib. 7. c. 17. n. 16. Donatus par. 2. tract. 11. q. 44. n. 4. Palaus disp. 3. de oblig. relig. p. 6. n. 4.*

Quæres 74. An legatum relictum, si fiat clericus secularis, debeatur ingresso religionem?

126 Respond. Consequi legatum, & probatur ex Auth. citata sub quæst. 67. Confirmatur, quia melius bonum est fieri clericus regularis, quam secularis, ergo ea conditio, siue requisitum vt fiat clericus pro non adiecta habetur, vti turpi, & impeditiua melioris boni, quando ingreditur religionem. Ita *Portellus tom. 1. par. 2. Respons. casu 2.* Vbi super hac re multa dicit.

Quæres 75. Cuinam acquirat religiosus post quam effectus est Episcopus? Rem tractaui fuse controu. 15. quæst. 14.

127 Respondet. Acquirit sibi vsum fructum, proprietatem vero Ecclesiæ suæ per aditionem, cui postea repudiatione, aut alia via præiudicare non potest quoad proprietatem, vtique quoad fructus, quos sibi proprios facit. Id totum deducitur ea cap. statutum 18. quæst. 1. ibi: *Legitimus heres paternam sibi hereditatem post eu iure vendicandi potestatem habet, sed quicquid acquisierat, vel habere visus fuerit, monasterio relinquat, & Abbatis sui, qui fuerat secundum Regulam S. Benedicti arbitrio. Postquam enim Episcopus ordinatur ad altare, ad quod sanctificatur, & titulatur, secundum sacros Canones, quod acquirere poterit, restituat.*

Ex his omnes Doctores colligunt Episcopum ante suam ordinationem omnia acquisiuisse Monasterio, postea vero acquirere suæ Ecclesiæ proprietatem, & sibi tantum vsumfructum bonorum Ecclesiæ quæsitorum, ac si esset Episcopus sæcularis. Ita *Bald. in cap. Clerici il. 2. de vita, & honest. num. 7. Nauar. consil. 15. de Regul. num. 4. Cardin. in cap. Si quis, de pecul. cler. col. penult.* Proprietatem vero Ecclesiæ, non sibi acquirere potest, obstante voto paupertatis, quod adhuc in eo viget, *Abbas in cap.* Cum olim, *de priuileg num. 7. Couar. de testam. cap. 1. num. 18. Molina tract. 2. disput. 140.* Episcopus autem postquam adiuit hæreditatem non potest præiudicare Ecclesiæ, cui per aditionem fuit incorporata, *Angel. inter consil. Baldi lib. 3. consil. 403. Craneta consil. 26. num. 6. & ex illis in his terminis Rota decis. 115. per totum apud Paulum Rubeum tom. 3.* Ad acquirendum autem suæ Ecclesiæ necesse est, quod à Papa receperit confirmationem, vt probaui sub quæst. 37. Suorum autem redditruum liberam habet administrationem independenter à superiore regulari, cui amplius non subest, de illis tamen testari non potest, licet eos donare possit, & facere de illis eleëmosinas, isti enim actus in eo non sunt proprietarij, qui alias essent, si subiectus esset superiori regulari, à cuius prudenti arbitrio deberet dependere in vsu eorum, ad effugium vitij proprietatis.

Quæres 76. An statutum exclusiuum fœminarum à successione parentum existentibus agnatis, pro conseruatione familiæ, an excludat etiam professos, qui non videntur facere pro conseruatione familiæ, dum non possunt eam conseruare generatione prolis.

Respond. Non excludere religiosos, sed succedunt in 128
defectum agnatorum, ac proinde statutum illis est fauorabile, exclusis semper fœminis. Ita *Bald. in l. Cunctos populos C. de sum. Trinit. num. 55. § Includitur in isto. Abbas in cap. Ecclesia S. M. de constitut. num. 25. Decius num. 217. cum multis aliis Rota decis. 438. apud Rubeum tom. 3.* Ratio est, quia nomine fratrum non minus venit professus, quam laicus, *Lapus Alleg. 101. num. 6. Bonus de statutis exclus. fœmin. artic. 12. num. 167.* Monachus enim retinet iura sanguinis, & agnationis *Bald. in Auth. Si qua mulier, C. de Sacros. Eccles. num. 10. Lapus alleg. 101. num. 7. Cephal. cons. 53. num. 98.* Intellige, quando non adsunt alij agnati, qui in re conseruant familiam.

Quæres 77. An Professione acquiratur Monasterio ius præsentandi ad Iuspatronatum, quod Nouitius habebat in seculo? Et an post professionem illi deuoluatur, quando moritur senior illo, qui præsentabat?

Præmittendum est; Iuspatronatum esse beneficium à 129
patrono institutum cum iure præsentandi clericum coram Prælato, vt illud ei conferat, quando vacat. Est autem triplex. Ecclesiasticum, cuius præsentandi ius spectat ad ministros Ecclesiæ tantum. Laicale secundum, cuius præsentandi ius est tantum penes personas laicas, quæ beneficium fundarunt. Et Mixtum, cuius præsentandi ius spectat simul ad clericos, & laicos. De mere Ecclesiastico hic sermo non est, sed tantum de reliquis duobus, in quibus adhuc spectandus est duplex modus præsentandi, primo præsentatio fieri potest capitulariter, seu collegialiter, in qua plures concurrunt vt partes, & membra collegij ad nominandum clericum. Secundo præsentatio fieri potest singulariter ab hoc, vel ab illo. His præmissis.

Respond. Nouitius secum professione transfert in re- 130
ligionem ius præsentandi singulariter tantum acquisitum Monasterio, cuius est dare licentiam professo ad præsentandum. Quod si alter præsentabat, & ei succedat post mortem, pariter Monasterium idem ius acquirit immediate, honestum tamen est, si exercitium præsentationis relinquatur professo.

Primum, quod professione acquiratur iuspatronatus, probatur ex illa communi lege Cæsarea, quod professione omnia quæruntur Monasterio. *Tum quia*, religio capax bonorum est capax Iurispatronatus, *cap. Cum saeculum 13. de iurepatr.* Neque ad hoc est necessarius consensus Episcopi, *cap. 1. Illud 8. eod. Ciarlin. cap. 1. num. 22.* *Tum quia*, Iuspatronatus transit ad hæredes, *Canon. ad cap. Inpræsentia, de probat.* Sed Monasterium est hæres professi per quandam naturalem acquisitionem accessoriam personæ, secundum allegata à *Sanchez lib. 7. cap. 12. numer. 20. & 21.* Ergo capax iurispatronatus. Ita idem *Sanchez lib. 7. cap. 14. numer. 2. Riccius tom. 1. Resol. 208. Rodriquez tom. 2. quæst. 122. artic. 2. cum suo Compend. res. 85. n. 2.*

Secundum, quod succedat mortuo priori præsentatore, suadetur eisdem rationibus, quia in seculo habebat spem, & ius in habitu ad præsentandū, ergo illud transtulit in Monasterium. Quod si post eius mortem alij sint vocati, succedent in præsentatione, quia illud ius acquisitum fuit limitate, dum scilicet viueret ille professus, non enim plus iuris transtulit in religionem, quo habebat in seculo. Quod si in eo non habet successorem perpetuo remanet in Monasterio, quod nunquam moritur, eo quod illi sit immediate acquisitum simpliciter in eo casu.

Tertium, quod congruentius est præsentare per professum, suadet ea ratio, quia per eius personam acquisitū est Monasterio, ergo in signum gratitudinis videtur ei delegandum exercitium præsentationis. *Rota decis. 637. n. 5.*

apud

apud Rubeum tom.2. Et id multis docet, *Pasqual.q.15.* *quamuis Ego eius rationibus satisfecerim Dub Regul.205.*

Quæres 78. An professus possit declarare suum testamentum obscurum, quod fecit ante professionem?

131 Respond. Certum est, post professionem nullo modo posse illum facere testamentum, vel aliam dispositionem, nec consuetudine introduci; certum quoque est posse illum suum testamentum obscurum declarare etiam in præiudicium sui conuentus, si verba illum sensum pati possunt; in hoc autem faciendo necessario citandus est conuentus, quando agitur de eius interesse, & damno. Executor esse potest testamenti cum licentia sui superioris. Procedunt etiam respectu Episcopi.

132 Primum, quod non possit testari, probatur *ex Auth. Ingressi C. de Sacros. Eccles. cap. Quia ingredientibus 19. quæst.3. cap 2. de testam. Sanchez lib.7. cap.8. Lessius lib.2. cap.41. numer.73. Rodriquez tom.3. quæst.69. art.2. cum suo Compend. resol. 135. num 2. Portellus 11. Testamentum num.1. Barbosa super dictis Legibus, & Canonibus.* Ratio est, quia qui caret proprio, vti religiosus illius incapax testari non potest. *Barbos. lib.1. de Iure Eccles. c.42. num.205.*

133 Secundum, quod id consuetudine induci non potest, probatur, quia incapaces, & inhabiles introducere non possunt consuetudinem circa id ad quod sunt inhabiles, cum careant iuribus, & potestate ad agendum Ita *Bald. in leg. fin. C. Vnde, leg. Nauarr. in c. Non dicatis n.76. Rodriquez tom.1. q.69. art.2.*

134 Tertium, quod potest declarare suum testamentum, probatur, quia & si testator non possit addere, vel detrahere à testamento suo, nisi aliud de nouo condat cum eadem solemnitate, qua illud primum fecit, tamen non prohibetur illud declarare, *nihil enim nunc dat* (inquit Vlpianus leg. Hæredes palam 21. de Testamen. & qui possint) *sed datum significat.* Idest, non facit nunc testamentum, sed illud à se iam factum declarat eo modo ab initio fecisse, quo explicat nunc professus existens. Confirmatur, quia Doctores quotidie interpretantur mentem testatoris iuxta proprietatem sensus verborum, & per hoc non dicuntur condere testamentum, nec illud mutare, aut ei aliquid addere, sed tantum dubium in aliqua sui parte declarare; quod à fortiori facere poterit religiosus in causa propria, cum nullus melius illo possit scire eius voluntatem. Ita *Rodriquez tom. 3. quæst. 69. art. 3. Sanchez lib.7. cap 11. num.16. Portellus 11. Nouitius num 45. & 51. Testamentum numer.2. Peyrinus de Prælato quæst.3 cap.1. n.209. Ego resol.53. quæst.8. Barbosa ad c.16. sess.25. Tridem. n.21. Carena resol.197. n.6.* Procedunt hæc, quando declaratio est conformis sensui verborum, si enim verba testamenti vnum clare indicant, & declaratio testatoris contrarium vel aliud diuersum insinuat, non est sustinenda huiusmodi interpretatio, cum præseferat malitiam, & dolum; talis enim declaratio facienda est, quæ verbis claris non aduersetur, quia effectus declarationis est verbum obscurum clarius explicare, *Dec. in leg. Edita, C. de edendo n.47. Roman. consil.45.* vbi intelligit, dummodo stet in puris terminis declarationis, quia si adderet, aut minueret, non diceretur declarare, sed nouam facere dispositionem, *Socin. sen. volum. 1. consil.49. n.5.* declaratio enim sumenda est ab eo, cui verba respondent, *leg. Non aliter ff. de legat.3. Antonius Monachus decis. Florent.16. n.11.*

Tertium, quod in ea facienda vocandus sit superior, & alij interesse habentibus, probatur, quia agitur de eorum interesse, qui nominantur in testamento, ideo videndum est, an per illos approbanda sit declaratio, cui opponere possunt. Et cum religiosus non habeat velle, nec nolle, indiget licentia superioris ad huiusmodi declarationem faciendam.

135 Quartum, quod requiratur licentia superioris ad executionem testamenti, probatur ea adducta ratione, quia cum religiosus careat velle, & nolle, eo quod professione obedientiæ propriam voluntatem subiecit imperio sui superioris, ideo ab eo debet obtinere licentiam exequendi mentem testatoris. Ita *cap.1 de Testamen. in 6.* vbi requiritur expresse licentia obtenta, *Nauarr. comm.2. de Regul. num.64. Sanchez lib.6. cap.11. num 2.* Executio facta sine licentia, valet, nisi apponatur. Ita *Roland. vol.1. consil.24. num.82. Fuln. Pacian. tom.1. consil.122. numer.79. Menoch. lib 2. præsumpt.46. numer. 24. Sanchez num. 42. cum illis Barbosam ad præcitatum capit. num.4* Etiam superior conuentus eam licentiam concedere potest, ex eo textu, *Archidiacon. Ioann. Andr. cum aliis Sanchez lib.6. cap.11. num.15.* Sed cur executio facta sine licentia valeat, cum licentia videatur requisitum essentiale ad acceptandum? Responsio est, quia licentia huiusmodi potius respicit subiectionem, & dependentiam à superiore, sine quo nihil agere potest, quam id, quod agere debet executor.

Quinto, quod religiosus factus Episcopus adhuc prohibeatur testari, probatur, quia in eo adhuc viget votum Paupertatis, quod retinet eum perpetuo incapacem proprietatis, ex quo prohibetur testari etiam de patrimonio, cum omnia suæ Ecclesiæ acquirat ex probatis hic n.127. Ita *D. Thom. 2.2. quæstio.185. artic. 8. ad 3. Rodriquez tom. 3. quæst.69. artic.4. cum suo Compend. resol.135. n 4. Sanchez lib.6. cap.6. num.10. cum illis Barbos. l.1. de Iure Eccles. c.42 n.211.* 136

Quæres 78. An pater religionem ingressus sine dispositione suorum bonorum, post professionem de illis disponere possit fauore filiorum?

Respond. Auth. Si qua mulier C. de Sacrosanct. Eccles. registrata cap. Si qua 9.19. quæst.3. his verbis: *Sed si persona liberos habens antequam de rebus suis inter eos disponat, monasterium intret, liceat ei postea inter eos diuidere, legitima non diminuta; & quod eis non dedit monasterio competet. Sed si omnem substantiam inter filios diuidere voluerit, sua persona filiis connumerata partem sibi retineat, quæ monasterio competere debet. Sed si post ingressum moriatur, antequam inter eos diuidat, filij legitimam percipiant, reliqua substantia monasterio competente.* Et in Authen. Nunc autem C. de Episcopis sub leg.20. relata ibidem à Gratiano, sic disponitur. *Nunc autem cum monachus factus est, hoc ipso res suas obtulisse videtur, si prius testatus non fuit & exinde iudicio eius cessante, lege disponitur, vt si liberos habeat, in quos aut nihil, aut minus legitima portione quoque donandi titulo contulerit, rationis substantia monasterio destinata detrahatur, ne quid contingat circa liberos iniquum.* 137

Patet ex his, parentes, qui professi sunt in religione capaci, & non disposuerunt de suis bonis fauore suorum filiorum, posse post professionem suis tribuere suam legitimam portionem, reseruando monasterio propriam portionem eidem debitam ex causa professionis. Si tamen moriatur ante diuisionem, sola legitima debetur filiis, cætera bona sunt monasterij. De hac re plura *Sanchez l.7. cap.9. & 10. Azor. tom.1. lib.12. cap.6. quæst.4. Molina tract.2. disp.141.* Procedit siue vnum filium, siue plures habeat, quia non est sine liberis, cui vel vnus filius vnaue filia est *Leg. 148. ff. de verb. signific. Nauar. comm. 2. de Regul. numer.47. Rodriquez tom.2. quæst.80. artic.2. Sanchez lib.7. cap.9. numer. 12.* Textus vsus est verbo *diuidere*, quia pater professione amisit dominium, quo non potest testari, sed vt quasi administrator facere diuisionem inter filios, quibus omnia relinquere non potest, cum vna portio eius professione acquisita sit monasterio. *Vide Lessium lib.2. cap.41. num.81. Sanchez lib.7. cap 9. num.10. Barbosa ad hoc Authen. num.12.* Quando pater inæqualiter diuidit filiis, tunc pinguiorem partem, quam dedit filio, similem debet assignare conuentui, *Sanchez lib.7. cap.9. numer.16. Vide decis. 461. Burati in annotat. numer. 16.* Vbi quod legitima debetur filiis professione patris.

Nota autem quod Auth. supradicta, approbata fuit à Gregorio IX. scribenti Ianuario Episcopo Caualitano, in cuius epistola citatur, & refertur *cap. Quia ingredientibus 7.19. q.3. & c.2. de Testamen.*

Legitima ergo à patre professo debetur statim filiis emissa

emiſſa professione, & non expectata eius naturali morte, vt constat ex *decis.167 apud Rubeum c.5. per totam. Palaus disp.3.de oblig.Relig.p.14.*

Quæres 79. An ingressurus religionem donare possit omnia sua bona monasterio, vel alteri, nihilo sibi reseruato pro testamento, quando caret filiis?

138 Respond. Potest donare monasterio non extraneo, nisi aliquid sibi reseruet ad testandum. Illud probatur, quia ex allegatis iuribus initio huius capitis omnia bona, & iura professione transfert in religionem, si de illis non disposuit aliter ergo de illis omnibus disponere potest via donationis, sine vlla reseruatione, hoc ipso, quod de iure, si non disponat, omnia, & quæcumque bona transeunt in monasterium. Confirmatur ex *Decisione* Rota *apud Marinum lib. 2. cap. 196. numer. 41.* vbi deciditur valere donationem factam à filio ingresso fauore matris, in qua nihil sibi reseruauit pro testamento, citatur ibid. *Larderchia lib. 1. consil. 473.* Posterius probatur, quia facultatem donandi omnia sua bona, nihil sibi reseruato habet solum, quando donatio fit religioni, non extraneis à religione.

Quæres 80. An superior possit petere legatum religioso inuito, vel ignorante, factum hoc modo. Pater in suo testamento reliquit suo filio professo 25. singulis annis, vt cum illis occurrat suis necessitatibus, cum eo pacto, vt hæredes soluant, si legatum petetur à religioso legatario singulis annis, ita quod ad nihil teneatur eo anno, quo transacto nihil petiuit?

139 Respond. Non posse peteie. Probatur. *Tum quia,* legatum conditionatum, quale est huiusmodi, non cedit, nisi aduenientе conditione, & si interim decedat legatarius, non transmittitur, sed vadit ad hæredem, *leg. 1. § sin autem C. de caducis. tollend.* Ergo si religiosus illud non petiit, nec superior illud repetere potest, quia conditio non aduenit, immo nec verificari potest respectu annorum præteritorum, quia ad præteritum nulla est potentia. *Tum quia,* conditionale legatum peti non potest ante euentum conditionis, quia ius ad illud acquiritur per purificationem conditionis, conditio enim de futuro suspendit, donec sit adimpleta, *Leg. Eas causas 79. ff. de condit. & demonstr.* Confirmatur per ea, quæ adducuntur à *Vericello tit. 3. quæst. 36. per totam.* Nec obstant dicta superius sub *q. 72. num. 122.* Quod superior potest adire hæreditatem, vel legatum relictum religioso. Quia ibi dicta locum habent, quando institutio, & legatum sunt absoluta, & pura, quę scilicet ipso iure acquiruntur religioni, vt docet pię. citatus.

Quæres 81. An renuntians omnibus bonis paternis, maternis, fraternis, &c. ad fauorem patris, & eius successorum, mortuis omnibus, an succedat vltimo morienti fratri? Vericellus tit. 3. q. 61. format casum in moniali.

140 Respondetur Negatiue. *Tum quia,* renuntiatio est realis, & absoluta transiens perpetuo in successores. *Tum quia,* talis est conceptus omnium, vt renuntiatio generalis sic transeat ad renuntiatarium & eius successores, vt nunquam redeat ad renuntiantem. Refert tamen Molfesium, & Theodorum tenentes oppositum.

CAPVT XIV.

De Habitu Nouitiorum, & Professorum.

1 *Habitus non facit monachum, explicatur.*

2 *Habitus gestatio est de substantia nouitiatus, & sine eo nulla est professio.*

3 *Austeritates non omnes à nouitio probandæ sunt, vtique gestatio habitus.*

4 *Cura ea fit ex principalioribus.*

5 *Professio emissa sine habitu tenet.*

5 *Non est necessaria distinctio habitus inter nouitium, & professum.*

7 *Professio valet cum pacto nunquam ferendi habitum, sed pactum vt turpe reiicitur.*

8 *Dormiens in lecto sine habitu non peccat.*

9 *Deponens temerarie habitum, & vagando est reus excommunicationis.*

10 *Vagans per horam sine habitu non est excommunicatus.*

11 *Occultans habitum non est excommunicatus.*

12 *Episcopus licet teneatur gestare habitum, non tamen est excommunicatus demittens illum.*

13 *Superior non potest dare licentiam dimittendi, nec occultandi habitum.*

14 *Nulliter professus non est reus huius censuræ dimittens habitum.*

15 *Cum habitu tamen debet reclamare.*

16 *Laicus abutens habitu religioso peccat mortaliter, & iure punitur.*

17 *Exiens sine habitu ad fornicandum est excommunicatus.*

18 *Exuens se habitu in domo meretricis non est excommunicatus.*

19 *Est excommunicatus deponens habitum licet alium assumat.*

20 *Nouitij reuertentes ad sæculum habitus pretio redimitur.*

21 *Alienum habitum nemo portare potest sub pœnis.*

22 *Indulgentiam plenariam lucrantur defuncti cum habitu.*

23 *Debent illum habere super se dum moriuntur.*

24 *Indulgentiam lucrantur osculantes habitum religiosum.*

25 *Tempore pestis pergere possunt sine habitu?*

Est commune axioma, quod habitus non facit monachum, sed professio legalizatum, *cap. Portellus 13. de Regular.* Explicatur *primo*, quod habitus probationis non facit monachum, vnde *Glos. v. Apparuerit c. 1. 27. q. 1.* triplicem habitum designat, Professionis, Conuersionis, & Probationis secundò. Solus habitus non facit monachum, sed simul cum professione, *glos. v. Non faciat, cit. cap. Porrectum, gl. v. Nec habitum, cap. Meminimus 3. qui cler. vel nou. Tertio,* habitus indistinctus & communis cum professis facit monachum ex tacita professione ex eius gestatione resultante, *cap. 1. de Regular. in 6. Clem. Eos, eod. Quarto,* habitus non facit monachum immediate, & formaliter, sed sola professio, illum vero disponit pro anno probationis ad valide profitendum, iure Concilij Tridentini sess. 25. cap. 15. vnde sine eius gestatione valide nouitius profiteri non potest. De quo axiomate plura dixi *resol. 99. num. 19. & resol. 100. n. 73.* De habitu plura dixi etiam *resolu. 35.* quæ est de habitu regulari. 1

Quæres autem Primo, an de valore Nouit. & Professionis sit gestatio habitus per Nouitium.

Respondetur Affirmatiue. Prima pars probata fuit cap. 6. quæst. 10. numer. 28. Posterior pars definitur sicut, & prima ex Tridentino sess. 25. cap. 15. *Per annum post susceptum habitum in probatione steterit. Professio autem antea facta sit nulla.* Nouitius ergo per gestationem habitus disponitur ad valide profitendum, permanendo eum habitu assumpto per annum, *professio autem antea facta*, idest, facta sine gestatione habitus, & ante illius gestationem est ipso iure nulla, quia gestatio habitus est pars probationis; vt dixi loco præcitato. Et quod sine gestatione habitus professio sit nulla docent omnes cum *Donato par. 3. tract. 9. q. 14. Peyrinus de Prælato qu. 3. cap. 1. num 103. Tambur. tom. 3. disp. 6. quæst. 11. num. 11. & quos citaui dicto cap. 6. quæst. 10.* 2

Suarez tom.3. de Relig lib.5. capit.14. à numer.10. & *ex eo Castropalaus de Relig. disput.1. punct.12. num.4.* sustinent habitus gestationem non esse de substantia Nouitiatus. Probant primo, quia aliquis admitti potest ad probationem cum habitu sæculari ex capit.2. de Regulat. in 6. Sed per Tridentinum exigitur mutatio habitus, ibi: *Post susceptum habitum in probatione steterit,* ex quo correctum fuit illud ius. *Probant secundo*, quia quis toto tempore Nouitiatus infirmus decumbens in lecto habitum non gestat licet illum receperit. Hunc non esse admittendum ad professionem, quia nondum peregit Nouitiatum, immo tanquam inutilis, & onerosus dimittendus est in domum suam. *Probant tertio*, quia hæc habitus gestatio potest esse, vel vt Nouitius hanc austeritatem experiatur, vel vt à sæcularibus, & profes-
3 sis distinguatur sed neutrum requiritur, nam non omnes austeritates probandæ sunt, *Nauar. consil.42. de Regul. Rodriquez tom.3. quæstio.13. articul.10. Sanchez lib.5.capit.4. num 8.& 82.* Nec necessaria est distinctio habituum, &c. Respondetur præcise peti gestationem habitus regularis, quia ita præscribit Tridentinum, mo-
4 tum ea ratione, quia gestatio habitus est ex principalioribus austeritatibus religionis ex ergo merito probanda est. Patres Societatis gestationem habitus tenent, à valore Nouitiatus, quia illi non habent certum habitum sui instituti, & nihilominus clericali veste incedunt, quod sufficit ad inferendum Tridentinum loqui vniuersaliter.

Quæres 2. An valeat professio emissa sine habitu, quem tamen ante nouitius gestauerat ad formam Tridentini?

5 Respond. Valet, *cap. Porrectum 13. de Regul.* quia sufficit Nouitium portasse illum ad præscriptum Tridentini, illa enim modica non gestatio in actu professionis non habetur in consideratione ac si non fuisset, sed semper habitum portasset. Confirmatur, quia sicut non vitiatur Nouitiatus per breuissimam fugam ex probatis *capit.8. quæstio.1. & 2.* Ita neque per depositionem habitus tam breui tempore factam. Vide *capit.6. quæst.15.*

Quæres 3. An ad valorem Nouitiatus debeat, habitus Nouitiorum esse distinctus ab habitu professorum.

6 Respond. Negatiue, quia nullibi in iure hæc distinctio præscribitur ad valorem Nouitiatus, sed tantum ex vsu religionum supponitur, vt professus à non professo cognoscatur. Confirmatur, quia Tridentinum præscribit habitum religiosum esse deferendum à Nouitio, an autem debeat esse idem omnino cum habitu professorum, nihil dicit, sufficit ergo portare habitum professorum. De diuersitate habituum Nouitiorum, & professorum ex vsu religionum mentionem faciunt Pontifices *in cap.penult. de Regul. capit.1. eod in 6.Clem. Eos, eod.* In meo ordine idem habitus professorum, & Nouitiorum. Ita *Suar. tom.3. de Relig. lib 5. cap.14. num.10. Vecch. disp.11. dub.7.n.3. Ego cap.4.de Nouitiatu q.17.* Nullus contradicit.

Quæres 4. An Nouitius profiteri possit cum ea conditione, vt nunquam ferat habitum sui ordinis?

7 Respond. Non potest licitè fieri, vnde tenet professio, & conditio tanquam turpis habetur pro non adiecta, ea enim conditio turpis est, quæ legibus aduersatur; est autem contra legem Canonicam non deferre habitum religiosum, cum illum professus continuo gestare debeat etiam in lecto *cap. Vidua 10. quæst.1. Trid. sess.25. cap.19.* vbi, quod nec occulte ferri possit, sed semper patenter.

Quæres 5. An religiosus professus sub mortali teneatur dormire cum suo habitu?

8 Respond. Negatiue, quia cap. Vidua 10. quæst.1. cap. Sanctimonialis 24. dist.25. loquuntur de honestate, non præcepto, præterquam quod id ex contraria consuetudine abrogatum fuit fere in omnibus religionibus, cum experientia constet, religiosum [illegible] abundare immunditiis, quod non decet professos v[illegible]e viuentes. Ita *Sum.11. Excommunicatio 9. numer.54. Anton par.3. tit.24. cap.53. Sanch lib.6. cap.8. numer.49. Pellizar.tract.5. cap.7. numer.12. Donatus part.2. tract.6. quæstio.10. numer.7. & 8. Diana par.5. tract.14. resol.72 Faber disp.45.de Restit. n.88. & 89.* Loquens de suis fratribus. Neque enim in Regulis prima, & tertia S. Francisci præscribitur dormitio cum habitu, nihil enim de hac re ibi agitur. *Grassius par.1. lib.3. c.5. num.75. ex Franco,* vult dormientem sine habitu peccare mortaliter, sed nimis rigorose loquitur.

Quæres 6. An, & quando religiosus incurrat excommunicationem dimittendo habitum?

Respond. Incurrit, tribus concurrentibus. *Primo,* 9 vt dimissio fiat, vel cœpta in conuentu perficiatur extra; *Secundo*, vt depositio sit temeraria, & peccatum mortale. *Tertio*, vt sine habitu vagetur extra Monasterium; id totum colligitur *ex cap.2. Ne cler. vel monach in 6. Ut periculosa religiosis euagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcunque religionem tacite, vel expresse professus in scholis, vel alibi temere habitum religionis suæ dimittat.* Nulla reseruatur. Prima conditio, vt extra dimittatur colligitur ex illis verbis *in scholis vel alibi*, Scholæ enim de quibus ibi sunt extra claustra, *vel alibi* idest, extra conuentum hoc enim ab illo regulatur. Secunda, quod depositio habitus sit peccatum mortale, notatur illis verbis *temere dimittat.* Tertia de vagatione sumitur ex illis verbis. *Periculosa vagandi materia.* Qui ergo dimittit temerariè habitum sui ordinis vagando extra conuentum non excusatur ab ex excommunicatione, vt docui *resol.35.fere per totam Donatus par.2. tract.6.quæst.9* Nouitius non comprehenduntur, quia textus aperte loquitur de professis.

Vagans autem per vnam horam non videtur incurrere, vt multis probaui *resol 35. numer.9. cum Toleto lib.4.capit.18. num.3. Azor.par.lib.12. cap.13 casu 16.Pelliz. tract.5. cap.7. num.17.Diana par.5.tract.6. resol 61. Sanchez lib.6.c.8.n.57.*contra *Suarez, & Palaum disp.4. de voto relig obedient.p.6.n.11.* 10

Quæres 7. An occultans habitum incurrat dictam excommunicationem?

Respond. Negatiue, quia reuera non dicitur dimittere habitum, sed illum tantum abscondere. Confirmatur, quia in pœnalibus non est recedendum à proprietate verborum. Ita *Sayr. lib.6.cap.33.n.9.& 10.Suar.de censur.disput.13.sess.4.num.33.& 34.*Ego *resolut.35.num.3.Palaus disp.4.de voto relig. obed.p.6.num.6.* Vbi oppositis rationibus alterius opinionis respondet, quam plerique sequuntur, quos citat *Barbosa ad c.19. sess.25.* Vbi prohibetur, ne cuiquam detur licentia occulte ferendi habitum suæ religionis. 11

Quæres 8. An Episcopus factus teneatur ferre habitum suæ religionis, & si illum dimittat sit reus eius excommunicationis.

Respond. Quamuis teneatur deferre habitum sui ordinis ad illius honorem, & in memoriam, quod est religiosus: tamen si illum dimittat, non est reus dictæ excommunicationis, quæ fertur tantum in religiosos subiectos superiori regulari, vt ibi dicitur. *Nisi à suo prælato de licentia sui conuentus*, &c. Factus autem Episcopus non amplius est sub prælato regulari, neque tenetur iugo obseruantiæ regularis cap. statutum 18. quæst.1. Inter quas potissimum est clausura, ergo non est reus huius excommunicationis. *Ita Rodriquez tom.2. quæst.58. art.3. Sanch lib 6.cap.6.num.23. Faustus lib.5. Thesauri q.200. alij apud Barbosam ad dictum c.19. sess.25.n.59.* Contra Maiolum, Pacianum, Surdum, & Henriq. nullo solido argumento niaos. 12

Quæres 9. An superior regularis possit dare licentiam suo subdito deponendi, vel occultandi habitum?

Respond.

13 Respond. Negatiue, quia delatio habitus est præcepta iure communi, super quo dispensare non potest, & in Tridentino sess. 25. cap. 19. dicitur expressis verbis: Nec *detur licentia cuiquam regulari extra ferendi habitum suæ religionis.* Multo minus illum deponendi. Ita *Rodriquez tom. 2. quæst. 76. art. 3. Ioan. Cruz libr. 1. cap. 7. dub. 4. cum aliis Barbosa ad hoc c.n. 35.*

Dices superior ex causa iusta potest dispensare in iure communi suos subditos, ergo & in delatione habitus. Antecedens probatur, quia illi possunt dispensare in omnibus, in quibus Episcopi, ex allegatis à *Pasqual. q. 185. n. 3.* Sed in iure communi Episcopi dispensant in multis, gl. v. Plerisq. c. Requisitis 41. q. 7. glos. c. Miror dist. 50.

14 Respond. Non solum superior, verum etiam ipsemet religiosus iusta subsistente causa habitum deponere potest, seu potius se illo spoliare. *Primo*, vt melius incumbat conuersioni infidelium, & hæreticorum. *Secundo* ad euitandum periculum vitæ, vel alterius damni sibi, vel proximo. Ita *Sanch. lib. 6. cap. 8. numer. 41. Suar. de censur. disp. 23. sect. 4. numer. 27. & 28. ex illis Palaus disp. 4. de Voto relig. obed. p. 6. numer. 12.* In his ergo casibus dispensare potest pro tempore periculi, vel negotij agendi. Vt vero multo tempore viuat sine habitu, vel illum occultet, non video causam iustam, nec legitimam. Vide *Pelliz. tract. 5. cap. 7. num. 42.*

Quæres 10. An nulliter professus per seipsum deponere possit habitum sine peccato?

15 Respond. Potest, si non adest scandalum, quia ad eius delationem tenetur solum professus ex *c. Vt periculosa, Ne cler. vel Mona bi cap. Sanctimonialis dist. 23. Cap. Vidua fin p. 20 q. 1.* Verum quidem est, quod reclamare non potest super nullitate suæ professionis, nisi habitu resumpto ex Tridentino *cap. 19. sess. 25* ibi Barbosa *allegat. Doctores num. 14.*

Quæres 11. An abutentes habitu religioso peccent mortaliter, & sint puniendi, vt si incedant laruati, vel ducant choreas aut in comediis?

16 Respond. Peccant mortaliter, quia in re graui illudunt statum religiosum, qui in Ecclesia Dei præter Episcopatum est melior. Vnde in Auth. de sanct. Episcop. §. fin. dicitur: *Præsumentibus aut vti tali schemate aut imitari, aut illudere in quacunque ecclesiastica disciplina, quia & corporalia supplicia sustinebant, & exilio tradentur, &c.* Vide *Silu. 11. Habitus num. 6. Rodriq. tom. 2. q. 76. art. 4. Belasium 11. Habitus numer. 17. Lezana 11. Habitus n. 4.*

Quæres 12. An exiens Monasterio habitu deposito, & vadens fornicari sit reus eius excommunicationis.

17 Respondetur Affirmatiue, quia deposuit habitum, & extra vagatur ad domum meretricis, & adsunt ea tria requisita, nam deposito habitus est temeraria, & vagatio est extra claustra. Ita *Silu excom. 9. casu 24. numer. 53. & numer. 54. quæst. 5.* Tabiena, *Nauar. Sayr. quos contra se citat Sanch. lib. 6. cap. 8. numer. 57. & docui ref. 35. numer. 10.* Nota autem

18 quod magna differentia est inter modum spoliandi se habitu in conuentu, & postea sine illo accedere ad meretricem, & inter modum spoliandi se in domo meretricis, in hoc enim secundo casu non incurritur censura, quia deficit vagatio, vtique in priori casu, quia vagatur de conuentu ad domum meretricis sine habitu.

Quæres 13. An dimisso proprio habitu, & recipiens alium alterius ordinis sit excommunicatus?

19 Respond. Affirmatiue, nisi illum recipiat, seu se induat transeundo ad alium ordinem. Probatur illud, quia textus loquitur absolutè de dimittente habitu suæ religionis, sine vllo respectu ad sumptionem alterius, ergo ex depositione præcisa sui habitus est excommunicatus. Si vero transeat ad secunda vota, non dicitur dimittere habitum, sed sumere eum, quem intendit gestare in secunda religione. Ita *Suar. de cens. disput. 23. sect. 4. numer. 28. Palaus disp. 4. de voto relig. obed. num. 4.* contra *Nauar. cap. 27. num. 131. Rodriq. tom. 2. q. 76. art. 6. Sanch. l. 6. c. 8. num 51.*

Quæres 14. An Nouitius recedens à religione secum possit portare suum habitum, quem pecuniis propriis sibi emit?

℞. Auferendus est illi habitus, & loco eius dandum pre- 20
tium, ne extra illo abutatur, redimendus est ergo pecunia. Ita *Barbosa Alleg. 101. n. 39. Lezana c. 25. n. 38. Lucerna 11. Habitus num. 6. ex illis iterum Barb. ad cap. 16. sess. 25. num. 51.*

Quæres 15. An propria auctoritate religiosus assumens habitum alterius ordinis præter peccatum incurrat aliquam pœnam?

℞. Peccat mortaliter, quia in re graui violat legem Pon- 21
tificiam, & facit iniuriam alteri ordini, dum sibi vsurpat alienum habitum. Et imponitur contra istos excommunicatio prout infra dico.

Discalceatorum ordinis Eremitarum S. Augustini habitui similem deferentes sunt excommunicati, ex Bulla 111. Clem. VIII. incip. *Pastoralis officij.* Eandem gratiam eisdem in Gallia existentibus sub eadem excommunicatione fecit Vrbanus VIII. in sua 90. incip. *Et iniuncti.* §. 11. Non sunt reseruatæ.

Capucinorum habitui similem nemo deferre potest, ex Bullis Gregorij XIV. & XIII. insertis in Bulla 15. Gregorij XV.

Distinctio habitus inter Dominicanos, & Augustinos præscribitur in Bulla 104. incip. *Ex iniuncto nobis.* Clementis VIII.

Inter Minimos, & nostri ordinis Fratres designatur habitus deferendus à Paulo V. Bulla 66. incip. *Inter graues.* Quam extendi in meo Bullario, seu Archiuio Bull. CCLIX.

Quæres 16. An sæculares defuncti sepeliri possint cum habitu regulari.

Resp. Affirmatiue, ex Bulla 7. Sixti IV. apud Confe- 22
ctinum, de qua Lezana 11. Habitus n. 5. Ego plura ref. 51. à n. 48. ad 56.

Quæres 17. An sepulti cum habitu religioso lucrentur aliquas indulgentias?

Respond. Morientes cum habitu super se in lecto, 23
agonizantes, & cum eo sepulti lucrantur Indulgentiam plenariam eis concessam à Leone X. viuæ vocis oraculo, quod refert ad verbum *Rodriquez in fine Bullarum huius Pontificis num. 27. & 30.* Nec hoc oraculum de Indulgentiis pro mortuis reuocatum fuit à Gregorio XV. & Vrbano VIII. vt probaui *resol. 35. n. 4.* vt enim aperte constat, reuocarunt tantum præiudicialia tertio, qualea nullatenus sunt Indulgentiæ, quæ nulli nocent, & omnibus prodesse possunt. Quicquid dicat *Lezana v. Habitus num. 10. fine.* De hac Indulgentia dixi *Resol. 35. num. 68.*

Quæres 18. An osculantes habitum lucrentur Indulgentiam?

Resp. Vtique, quinque annorum, & tot quadragena- 24
rum concessam osculantibus habitum S. Dominici à Ioanne XXII. per communicationem extensam cæteris regularibus. *Rodriquez t. 2. q. 76. art. 12. cum suo Compend. ref. 71. n. 10. Portell. v. Habitus in Addit. Ego ref. 35. n. 67.* Nomine habitus venit non solum tunica, sed etiam scapulare, & pallium, sunt enim habitus ipsius religiosi. *Lezana v. Habitus n. 11.* asserit, Indulgentias pro mortuis, & osculantibus habitum religiosum non esse reuocatas à Paulo V. quia annullauit tantum concessas immediate regularibus, non autem secularibus, quales sunt prædictæ.

Quæres 19. An tempore pestis iter acturus possit dimittere habitum? Hoc tempore quo pestis grassatur Nea-

poli Genuæ, & alibi, & aliquid Romæ operatur in pauperes, regulares impediuntur, ne possint libere iter agere, cæteri vero cum suis fidibus sanitatis pergunt, quo volunt, vnde videtur illis fieri iniuria, cum non magis possint inferre pestem, quam alij de eodem loco non suspecto.

25 Rx. Possunt deponere habitum, & se fingere seculares, vel clericos, vt possint libere iter suum peragere cum fidibus, & licentia sui superioris, quia habent iustam causam deponendi habitum, vt eludant iniquam prohibitionem laicorum, in hoc enim casu non dicuntur habitum temerariè deponere.

CAPVT XV.

De Magistro Nouitiorum.

1 *Magister cum Socio moratur intra locum Nouitiatus.*
2 *In loco recreationis præsens est Magister.*
3 *Nullus ingreditur locum Nouitiatus sine Magistro.*
4 *Clauis Nouitiatus apud Magistrum.*
5 *Allocutio cum extraneis fit coram Magistro.*
6 *Magistri, & Socij electio quomodo facienda?*
7 *Conditiones Magistri, & Socij referuntur,*
8 *Plenam, & absolutam potestatem habet in Nouitios.*
9 *Confessionem Nouitiorum audit Magister.*
10 *Conditiones requisitæ in Magistro.*
11 *Referuntur alia tres.*
12 *Socij conditiones.*
13 *Electio eius qui non habet 35. annos est nulla.*
14 *Tempus est de forma electionis.*
15 *Senior dicitur non ætate sed scientia & prudentia.*
16 *Electio Magistri, & Socij eodem modo facienda.*
17 *Vnio vocalium in capitulo est de substantia electionis.*
18 *Duorum propositio in electionibus non vitiat electionem.*
19 *Magister potest vltra triennium durare.*
20 Ad minus *hoc dicto tempus ampliat.*
21 *Priuatus vocibus incapax electionis.*
22 *Illegitimus potest eligi in Magistrum.*
23 *Illegitimus non arcetur ab officiis carentibus regimine.*
24 *Socius eligendus eo modo, quo assumitur Magister.*
25 *Socius potest esse etiam laicus modo sit doctus.*
26 *Potestas plena, & absoluta in Magistro.*
27 *Non est potestas iurisdictionis, sed educationis tantum.*
28 *Recensentur quæ non potest facere magister contra nouitios.*
29 *In Refectorio non castigat* Nouitios *sine superiore.*
30 *Non punit ibi defectus commissos intra nouitiatum.*
31 *Corrigenda sunt occulte delicta occulta, publice vero publica*
32 *Ex confessione non potest magister refragari nouitio.*
33 *Audita in confessione dicuntur ignorari à sacerdote.*
34 *Negans suffragium digno, & concedens indigno peccat.*
35 *Vota irritare, dispensare, & commutare nouitiorum non potest magister, sed superior.*
36 *Vti tamen confessarius ex priuilegio potest.*
37 *Magister non est confessarius ordinarius, sed delegatus.*
38 *Ei non est necessaria approbatio* Episcopi.
39 *Audit in confessione proxime induendum.*
40 *Magister non delegat potestatem alteri sacerdoti.*
41 *Delegatus non potest delegare.*
42 *Superior deputat Nouitiis confessarium alium à magistro.*
43 *Magister non est Parochus Nouitiorum.*
44 *Absolutio data nouitio ab alieno sacerdote nulla est.*
45 *Quilibet tenetur confiteri proprio sacerdoti, & non alieno nisi de eius licentia obtenta.*
46 Non potest *priuat potentia agentem.*
47 *Duo necessaria ad valorem confessionis subiectio, & iurisdictio.*
48 *Iudicat nemo alienum subditum.*
49 *Sententia non fertur nisi in subditum.*
50 *Absolutio data à carente iurisdictione non valet.*
51 *Persona Ecclesiastica Nouitius magis religiosa quam sæcularis.*
52 *Domicilium omnino regulare acquirit, relinquendo sæculare.*
53 *Confessarij regulares limitatam habent potestatem à suis superioribus.*
54 *Nouitij quoad confessionem subduntur superioribus regularibus.*
55 *Onus confessionis est iuris communis, non ex statuto Ordinis.*
56 *Decretum Clementis obligat quatenus continet ius commune.*
57 *Confitens alieno sacerdoti sine licentia proprij peccat mortaliter.*
58 *Nouitius clam confitens extra expellendus.*

ACturus de Magistro, & Socio pro educatione Nouitiorum præmittere oportet pro instructione dicendorum Decreta Clementis VIII. quæ spectant ad eosdem Magistrum, & Socium. Referuntur autem *in Bullario Romano sub Bulla 26. Vrbani VIII.*

In §. Quod vero, de magistro hæc paucula habentur: *Dormitorium ita capax vt pro singulis singuli lectuli commode sterni possint, in quo etiam cellula vel certus, ac determinatus locus pro magistro, eiusque Socio reperiatur.* Ambo igitur morari debent intra clausuram Nouitiatus. Quid si locus sit angustus? Habitent extra, sed prope ianuam Nouitiatus vt præsto sint. 1

In §. Horis, dicitur: *Ipsis vero Nouitiis ibi* (idest, in loco recreationis extra Nouitiatum) *commorantibus curabit magister cum loci superioris auctoritate, si opus fuerit, ne in eundem quisquam alius ingrediatur.* Magistri curæ est assistere Nouitiis per se, vel etiam per Socium, ne quis tempore recreationis sit cum Nouitiis. 2

In §. *Ad huiusmodi locum Nouitiatus nemini pateat aditus, præterquam magistro, eiusque Socio, ac etiam monasterij, aut conuentus superiori.* Aditus est ordinarius Magistro, & Socio, cum debeant habere cellulas intra Nouitiatum ex §. 1. Etsi habeant extra ob angustiam loci, nihilominus ingrediuntur toties, quoties opus est. 3

In §. *Huius loci clausuræ clauis apud magistrum semper asseruetur. Illique soli liceat ex graui tantum causa ingressum illuc alicui permittere. Si quis autem Nouitiorum quempiam alloqui voluerit, magistro præsente, & non aliter alloquatur.* Potest clauis etiam de placito, & commissione magistri manere apud Socium. Magistro soli permittitur ingressus aliis, ergo Superior conuentus, & Socius excluduntur, non enim solus diceretur concedere ingressum, si alij præter ipsum talem ingressum concedere possent. Nouitius non potest loqui cum aliquo etiam religioso sui Ordinis nisi præsente Magistro, adde etiam præsentiam Socij, Magistro annuente, ambo autem sint vrbani, non villani in exercenda huiusmodi præsentia. 4 5

In §. *Nouitiorum Magistro Socius, si per Nouitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita, & moribus, quoad fieri poterit, consimilis deputetur. Qui* 6

in

in his , qua ad Nouitiatus regimen spectant , dicto Magistro immediate subiectus existat. Eliganturque tam Magister , quam Socius per Prouinciale Capitulum per triennium ad minus eius huiusmodi subituri. Quod si aliquo casu extra tempus Capitulare noua loca Nouitiatus concedi contingat , tunc electionem Magistri Nouitiorum, & Socij huiusmodi in his nouis locis per Generalem vel Prouincialem, seu Ministrum , aut eorum Visitatores , seu Vicarios,de Definitorum tamen , vel grauiorum aliorum Patrum consensu fieri permittatur. Idemque seruetur , si intra triennium,alterum vel vtrumque vrgenti aliqua de causa ex illis locis amoueri vel mori contigerit,in cuius,vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant.

Hic agitur de electione Magistri , & Socij , & subiectione huius ad illum , de qua quia prolixiorem indaginem postulat , subiectis quæstionibus determinabitur.

7 In § *Tam Nouitiorum Magister , quam Socius ab omnibus iis officiis,oneribusque vacationem habeant , qua Nouitiorum curam & regimen impedire valeant. Ipse Magister sacerdotali ordine sit insignitus, ac in quinto saltem supra trigesimum atatis sua anno constitutus. Et per decennium à professione emissa in religione perstiterit. Socius vero trigesimum annum excedat. Sintque ambo doctrina, & quantum per superiorum diligentiam , & vires fieri poterit. Vita etiam ante acta exemplo prastantes. Orationi praterea , & mortificationis operibus addicti , prudentia caritateque referti , non sine affabilitate grauis , zelum Dei cum mansuetudine praseferentes. Ab omni cordis , & animi perturbatione ira prasertim , & indignatione , qua in se,& erga alios charitatem impedire consueuerunt, quam longissime alieni. Et tales demum , qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum prabeant, vt ij, qui eorum cura subsunt , illos non tam metuant , quam reuereantur, ne illis vnquam detraherè quicquam possint.*

In hoc §. agitur de conditionibus necessariis ad bonos Magistrum,& Socium,atque de eorum ætate , de quibus infra in propriis quæstionibus.

8 In § *Habeat etiam Magister plenam & absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem, ac Nouitiatus regimen , itaut in illis nemini , Visitatoribus ac Superioribus maioribus , vel etiam localibus exceptis, quouis colore se ingerere liceat.*

In hoc Capitulo agitur de potestate Magistri, & aliorum Superiorum super Nouitios , de qua infra. Multa alia subiunguntur de exercitiis spiritualibus, de frequentatione Sacramentorum , & aliis, quibus Nouitij à Magistro sunt edocendi.

9 In §. Quilibet Nouitius dicitur : *Ipsi autem Magistro soli Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen superiori etiam locali , si ita expedire iudicauerit , vel per seipsum , vel per alium ab eo deputandum semel , aut bis in anno eorundem Nouitiorum confessiones audire.*

Hæc sparsim in eadem Bulla hic collegi in vnum,super quibus emergentes subiectas quæstiones more solito proponendas resoluam.

Quæres autem 1. quas conditiones debeat habere Magister , & eius Socius eligendi pro educatione Nouitiorum?

10 Respond. Præter bonitatem vitæ religiosæ , Scientiam, Prudentiam , & Charitatem in eorum educatione debet esse constitutus in ætate trigintaquinque annorum , & præterea debet perstitisse per decennium post emissam professionem , & esse sacerdotem. Hæc clara sunt ex verbis præcitati §. Tam Nouitiorum. Dubitari tamen potest , an debeat excessisse trigesimum quintum annum , an vero sufficiat illum inchoasse ? Debet excessisse, quia verbum *constitutus* significat perfectam ætatem anni expressi. Verbum *perstitisse* importat perseuerantiam in religione , quod non apostatauerit , quod non

11 fugerit , sed laudabiliter per antea vixerit in ordine. Tria ergo requiruntur in magistro anni 35. exacti ; decennium professionis in vita laudabili ; & sacerdotium.

Tom.V.

Ita ex cit. Const Clem VIII. & docui cap 4. quæst. 57. de Profess. Regular. Socius vero præter bonitatem 12
vitæ Scientiam , Prudentiam , & Charitatem ætatis suæ annum trigesimum excessisse De annis professionis nulla fit mentio.

Quæres 2. Quid si religiosus bonus quidem , & melior aliis in trigesimo quinto anno non constitutus, possit eligi in magistrum , si habeat triginta, aut tres , vel quatuor annos?

Respond. Negatiue ; & electio facta est nulla. Ratio 13
est, quia Clement. præscribit illud tempus , ergo obseruandum est. Aliter nulla est electio , quia quandocumque in iure præscribitur tempus , & ætas , illa est de forma rei, cui præscribitur , maxime in electionibus , *Dec* 14
in cap De causis, de offic.de leg numer 70. Felin. in cap. Cum dilecti, de rescr. col.8. Roland. à Valle lib. 3 cons. 72. numer.7. Sigysm. de elect dub. 62. numer.6. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 16. numer.8. qui enim non obseruat tempus à lege notatum , formam legis obseruare non dicitur, *l. obseruare , §. Post hac , ff. de offic procons.* cum *aliis Barbos. axiom.* 219. *numer.* 2. Quicquid dicat *Donatus par.4. tract.5. quast.2.* Vbi ait , magistrum institui eum , qui non habet trigintaquinque annos ex *Peyrino de Pralat quastio. 2. cap. 1. numer 6.* Ea ratione, quod à statuto recedi potest , quando iuniores sunt præstantiores , & præstantiores ; si in statuto eligere [illegible] seniores. Verum loquitur , quando statutum [illegible] in terminis de senioribus , quia iure nomen [illegible] non sumitur respectu ætatis , sed respectu scientiæ prudentiæ , cap. Porro 6. di putat. 84 In casu autem nostro sermo est de ætate naturæ , non prudentiæ , non de senibus , sed de constitutis in ætate proportionata ad id munus.

Quæres 3. An , & quomodo eligendus sit Magister & Socius Nouitiorum?

Respond. Idem modus seruandus est in electione 16
vtriusque vt dicitur expresse in dicto §. sub numer. 6. Electio autem facienda est à Prouinciali cum suis Definitoribus eodem modo, quo fiunt electiones superiorum in Capitulis Prouincialibus , vt colligitur ex illis verbis: *Per Capitulum Prouinciale* , dum alium modum ibi Pontifex Romanus non designat. Dum autem extra Capitulum occurrit necessitas eligendi Magistrum in locum alterius , debet superior Patres Definitores , vel alios grauiores in vnum Capitulariter Congregare, Capitularis enim vnio est de substantia electionis , aliter attentata 17
electio extra Capitulum non valet ex *cap. Cum terra* 14. *cap In Genesi* 55. *de elect. Panorm in capit. Cum omnes de const numer.7. & in dicto cap. In Genesi Abbas, & Innoc. Lauor.tit.4 de elect.c.19 n.42.ita docui de profess.c.4. quast.59.*

Pasqualig. quæst.12. probat, constitutionem Clementis VIII. circa electionem Magistri Nouitiorum non afficere suam Religionem , & quia sub ea non comprehenduntur, cum excipiantur ex aliis Bulla extensa in Bullario sub prædicta 27. & quia non derogat peculiari modo, quo vtitur eius religio ad huiusmodi electionem. Pariter quæst. 125. approbat electionem factam de duobus propositis, aliis exclusis, vno assumpto ex illis duobus , quia 18
in eius religione vsus est probatus proponendi duos ex iam habilibus reputatis.

Quæres 4. An de triennio in triennio eligendus sit Magister cum Socio itaut vlterius durare non possit, sicut non durant superiores electi.

Respond. Vlterius durare posse , vt colligitur ex § sub 19
numer.6 illis verbis : *Per triennium ad minus* , hæc enim clausula non limitat , nec restringit ad triennium , sed vl- 20
terius facit currere tempus sine illius definitione , quando superiores non limitant tempus , & si enim superiores eliguntur ad triennium tantum duraturi , non ideo hoc tempus extendunt vt ad electionem Magistri , cuius tempus non limitatur , sed vlterius progreditur ad beneplacitum Capituli. Quare si nouus non eligatur in sequenti capitulo , antiquus debet in suo officio perseuerare.

seuerare. *Pasqualig. quæst.* 52. *præcitata num.* 4. videtur electionem Magistri gratis restringere ad triennium tantum, quia duratio venit in consequentiam ad modum electionis, supponit enim electionem fieri de triennio in triennium, quamuis fieri possit hoc modo, tamen, vt dixi, non est necessarium, quia potest prosequi onus suum vltra triennium, vt manifeste constat ex illis verbis: *per triennium ad munus*, quæ tempus non restringunt, sed ampliant, vt constat ex proprio illorum sensu.

Quæres 5. An priuatus voce saltem passiua eligi possit in Magistrum, seu Socium.

21 Respond. Priuatus non solum voce passiua, sed etiam actiua eligi non potest in Magistrum, nec Socium. Probatur illud, quia priuatus voce est incapax electionis, excludit enim priuatum ab electione passiua; *Glos.* 11. *Mancipati*, 11. *In eisdem Clem.* 2. *de ætate*, 11. *Mihi Clem.* 1. *de Regular. Nauar. consil.* 6. *de verb. signific. Rodriquez tom.* 2. *quæst.* 56. *art.* 1. §. *Circa*, *Sigysm. dub.* 94. *num.* 2. & 4 Quod priuatus præcise voce actiua non sit eligendus probatur ex § sub n. 7. ibi: *Vita etiam anteacta exemplo præstantes*, quales esse non possunt priuari voce actiua, aut passiua, quæ vt pœnæ graues in Religione supponunt etiam priuatum esse reum grauis delicti, ideo non assumendum in Magistrum. Ita docui *resol.* 54. *quæst.* 8. *num.* 75.

Quæres 6. An illegitimus eligi possit in Magistrum, & Socium.

Resp. Potest, quia id officium non est Dignitas, nec
22 Prælatura, nec Parochiale, cum careat administratione, & iurisdictione fori externi, & habeat solum potestatem educationis, iuxta quod infra dicam, ergo eligi potest, cum illegitimi solum à dignitatibus prælatitiis, & similibus arceantur. Confirmatur, quia defectus illegitimita-
23 tus non arcet ab officiis oneris veluti Lectoris, Confessarij, Studiorum, & Sacræ Theologiæ Magistri, Regentis, Prædicatoris, &c. Sed tantum ab officiis cum onere, & superioritate coniunctis ex Bulla 71. incipit: *Ad Romanum*, Sixti Quinti, ergo nec ab officio Magistri, quod connumeratur cum illis, & non cum istis superioritatem habentibus. Ita docui eadem resolut. 54. quæst. 9. numer. 76.

Quæres 7. An Socius necessario sit eligendus sicut eligendus est Magister.

Respond. Negatiue, sed ex suppositione multitudinis
24 Nouitiorum eligitur & non eadem necessitate, qua Magister, qui simpliciter est necessarius, vt colligitur ex illis verbis sub nn. *Nouitiorum Magistro, si per Nouitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, Socius deputetur.* Posita ergo multitudine Nouitiorum ex. gr. ad minus decem detur Magistro Socius.

Quæres 8. An Socius debeat esse Sacerdos vitæ exemplaris, & doctus an sufficiat Laicus doctus.

Respond. Debet esse vita, moribus, & doctrina præ-
25 stans, vt colligitur ex §. sub n. 7. Non necessario Sacerdos, modo sit doctus, solum enim in magistro requiritur sacerdotium, ibi: *Ipse Magister sacerdotali ordine sit insignitus. Socius vero trigesimum annum excedat.* præter ergo exemplarem vitam, & doctrinam Bulla Clem. VIII. aliud non postulat, ergo non sacerdos eligi poterit in Socium, siue sit Laicus, siue Clericus.

Quæres 9. Quam potestatem habeat Magister super Nouitios.

26 Respond. Inquit Clemens VIII. *Habeat etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem, ac Nouitiatus regimen, itaut in illis, neminis Visitatoribus, & Superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis, quouis colore se ingerere liceat.* Potestas eius est quidem plena, & absoluta, sed limitata ad institutionem, hoc est, instructionem, & educationem Nouitiorum, est ergo potestas educationis non iurisdictionis.
27 Probatur, nam potestas iurisdictionis ordinaria, qualis esset hæc, si admitteretur in Magistro, habet adnexam dignitatem, & prælaturam cum administratione in foro externo, ex traditis per Doctores in cap. Cum ab Ecclesiarum, de offic. ordin. Sed Magister Prælatus non est, nec in dignitate constitutus, nec administrationem fori externi habet, vt notum est, ergo iurisdictionem non habet, sed tantum potestatem educationis, per quam ex officio suo tenetur instruere, & educare Nouitios in disciplina regulari, quæ non est sine aliquali coactione, qua Magister data occasione, & culpa præcedente potest Nouitios castigare non iuridice, sed per modum correctionis, & mortificationis, vti pater suos filios corrigit nunc exaggerationibus, & reprehensionibus, nunc minus, aliquando funiculis, & verberationibus, interdum eos recludendo in camera loco carceris. Vide quæ dixi *cap.* 4. *de Nouitiatu q.* 62. *Lezana part.* 2. *cap.* 13. *num.* 48. *Donatus part.* 4. *tract.* 5. *q.* 8. *Rodriq. tom.* 1. *quæst.* 14. *art.* 11. *fine.*

Colligitur ex his Magistrum non posse processum for- 28
mare contra Nouitium, nec eum constringere in compedibus, nec formaliter carcerare, aut ei auferre Caputium, aut excommunicare, suspendere, aut interdicere, aut eiicere à religione, hi enim actus supponunt potestatem iurisdictionis, quæ non reperitur in Magistro, sed in solis superioribus eius, & Nouitiorum. Ita *Lezana par.* 2. *cap.* 13. *num.* 48. non possit eos excommunicare, contra *Donatum par.* 4. *tract.* 5. *q.* 9. Vbi dicit, posse cogere per censuras ad obseruationem eorum quæ spectant ad Nouitiatum, ex potestate delegationis Papæ. Sed id gratis asserit, cum & ipse in præced. q. dixerit, Magistrum carere potestate iurisdictionis, & habere tantum potestatem œconomiæ. Expellere Nouitios Magister non potest Donatus p. 4. c. 5. q. 10.

Quæres 10. An Magister extra locum Nouitiatus possit Nouitium errantem corrigere, & punire e. g. in Refectorio subiciendo Disciplinæ, vt aiunt, verberationis, genuflexionibus, abstractione victus, obsoniis &c.

Respond. Magister Nouitiorum in refectorio non de- 29
bet punire Nouitios sine licentia, & conscientia Prouincialis, aut Prioris, seu Guardiani præsentium in refectorio, nam licet habeat plenam, & absolutam potestatem circa institutionem Nouitiorum, ad quam spectat eorum punitio, tamen ea plenitudo, & absolutio, quæ arguit independentiam, referenda non est, & restringenda ad alios, quam ad superiores, qui habent potiorem potestatem super eosdem, vt colligitur ex textu verborum relato sub præcedenti quæstione. Et hoc insinuat *Donatus p.* 4. *tract.* 5. *q.* 10. *num.* 6. *qui tamen q.* 19. ait absolute extra Nouitiatum spectare ad superiorem. Obseruandum autem est, quod Nouitius in refectorio puniendus non est de defectibus commissis intra locum Nouitiatus, quando sunt occulti, quod de iis, quos committunt, extra Nouitiatum. Neque enim æquum est, vt defectus professis 30
ignotus, & occultus publica correctione emendetur. Ad propositum bene S. Augustinus relatus cap. Si peccaue- 31
rit 19. 2. q. 1. inquit: *Nam si solus nosti, quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor.* Et infra: *Corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus.* Et iterum. *Vbi contingit malum, ibi moriatur malum.* Deducitur ex illo Euangelij: *Si peccauit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum.* Correctio debet esse inter te, & ipsum solum id est secreta, si peccauit in te idest coram te tantum. Superiores ergo te neant memoria modum arguendi, & puniendi delicta, ne sint imprudentes in præiudicium honoris proximi. *Pirellus tom.* 2. *casu* 58.

Quæres 11. An possit licite Magister negare votum Nouitio petenti professionem, quia nouit præcise eius imperfectiones ex sacra Confessione, reddentes eum indignum professione.

Respond. Non potest, quia Nouitius iudicandus est 32
habilis, vel inhabilis ad professionem ex eius anteacta vita, & moribus notis professis humano modo, vt actus humani correspondeant actibus humanis, ex propria enim scientia, & notitia desumendum est iudicium habilitatis, seu inhabilitatis; sed nota homini ex con-

fessione non dicitur illa scire, & cognoscere humano modo, neque ex propria scientia ex cap. Si sacerdos 2. de
33 offic. ordin. vbi sacerdos audita in confessione dicitur scire vt Deus, non vt homo, ergo Magister, & confessarius non potest negare, nec dare suffragium ex notitia solius confessionis, quia in his non procedit vt Deus sed tantum vt homo. *Confirmatur*, quia Clem. VIII. in Bulla 26. inter eas Vrbani pariter VII. prohibet superioribus & confessariis, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Ita *Donatus p. 4. tract. 5. q. 16.* Vbi alios citat, ante illum *Vecch. disp. 12. dub. 4. Diana part. 7. tract. 11. res. 26.*

Quæres 12. An Magister negans suffragium digno, aut tribuens illud indigno peccet mortaliter.

34 Respond. Peccat mortaliter, quia vtrique præiudicium affert in re graui, vbi agitur de bono spirituali, quod consequi sperat Nouitius, à quo immerito retrahitur à refragatore, & de vtilitate Monasterij, quam consequi sperat ex professione Nouitij digni, & vtilis futuri religioni, quam non potest obtinere ex negatione voti. Pari contraria ratione per admissionem Nouitij indigni multum præiudicatur religioni, quæ ex inhabilitate eius multis incommodis subiacet. *Confirmatur*, quia Nouitius habilis, qui se bene gessit in fine probationis habet ius, vt recipiatur ad professionem sibi acquisitum ea ante acta vita infra annum probationis, ergo illi denegari non potest suffragium; ex allegatis per Rotam *coram Coccino decis. 215. numer. 14. apud Vecchium disp. 12. dub. 2.* Ita idem *Vecchius ibidem Donatus par. 4. tract. 5. q. 15. Peyrin. de Prelato q. 3. cap. 1. num. 112.* rem fuse docet, *Dixi cap 9. quæst. 19.* contra *Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 59.* Quia sicut retrocessio Nouitij est solum venialis, ita & expulsio per negationem voti est solum venialis. Sed lata est differentia, quia recedere est in libertate Nouitij, qui pro suo arbitrio potest cedere huic iuri se faciendi recipere ex probatione Nouitiatus, cui cedere non potest vocalis habens debitum recipiendi Nouitium idoneum probatum ex præcepto caritatis. Id esse peccatum mortale docent etiam *Miranda t. 1. q. 25. art. 12. concl. 1. Rebell. de obligat. par. 1. l. 4. q. 15. n. 5. Faustus l. 5. Thesaur. q. 214. Portellus in Nouitius n. 54. apud Peyr. cit. n. 112.*

Quæres 15. An Magister Nouitiorum possit irritare, commutare, & dispensare in votis Nouitiorum?

35 Respond. Non potest illa irritare, quia non habet potestatem dominatiuam super Nouitios, quorum vota nec irritare potest superior propter eandem rationem, quia ea potestas dominatiua acquiritur in religione solum professione emissa superioribus regularibus. Vota vero nec dispensare, nec commutare potest, cum careat potestate iurisdictionis, vt patet ex supradictis, vt probaui *resolut. 14. numer. 46. & 47.* Poterunt ergo soli superiores regulares Nouitiorum vota commutare, dispensare, vt probaui ibidem, & hic cap. 12. num. 36. Doctores citat *Diana resol. 71. de Regular. Pellizar. tract. 2. cap. 7. q. 16. num. 38. Palaus de Relig. essentia disp. 1. p. 21. numer. 3. Compend. Rodriquez resolut. 52. numer. 34. & Vecch. disp. 10. dub. 6. & num. 6.* aiunt isti duo, Magistrum Nouitiorum dispensare, & commutare vota, contra quos iam dictum fuit non posse, quia carent potestate iurisdictionis. Nihilominus si sint approbati ab ordina-
36 rio loci dico posse cum Nouitiis dispensare, & commutare vota, non quatenus Magistri, sed ex priuilegio, quod habent dispensandi, & commutandi vota quorumcumque ad se accedentium in sacramentali confessione, non enim Nouitij sunt deterioris conditionis secularium pœnitentium, sed longe melioris. Et sic intelligenda sunt, quæ dixi præcitata *resol. 14. n. 46. & 47. Donatus part. 4. tract. 5. q. 12. n. 5.*

Quæres 14. An Magister sit confessarius ordinarius Nouitiorum, itaut hoc ipso quod electus est canonice Magister acquirat hoc ius audiendi confessiones illorum?

Respondet. Magister ex vi constitutionis Clem. VIII. 37
stando in rigore verborum non est confessarius ordinarius Nouitiorum, sed tantum delegatus à superiore eligente illum in Magistrum, vt colligitur ex verbis illis: *Ipsi autem Magistro soli Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur.* Ergo si illi hæc cura committenda, & deleganda est, iam non est ordinaria, quæ residet in superiore, à quo communicatur Magistro vel expresse, vel implicite per electionem eius in Magistrum Nouitiorum; vt docui *cap. 4. de Nouitiatu quæst 65.*

Quæres 15. An Magister vt valeat audire confessiones Nouitiorum debeat esse approbatus etiam ab Episcopo?

Respond. Negatiue. *Tum quia*, quo ad receptionem 38
sacramenti Pœnitentiæ sunt sub omnimoda potestate superiorum regularium, qui deputant sacerdotes suos in Confessarios tam professorum, quam Nouitiorum independenter ab Episcopis, ergo non egent approbatione Episcopi. *Tum quia*, si hæc necessaria est, maxime ex cap. 15. sess. 23. Tridentini, quod tamen falsum est; quia in illo capite disponitur tantum de sacerdotibus audituris confessiones secularium, qui debent esse approbati ab Episcopis; ideo pro audiendis professis, & Nouitiis, qui non dicuntur seculares, non est necessaria Episcopalis approbatio. *Tum quia* in Clementina simpliciter dicitur, quod cura hæc spiritualis committatur Magistro, vbi non nominatur confessarius, ergo per commissionem factam à solo superiore regulari euadit Nouitiorum confessarius. Ita docui *cap. 4. de Nouitiatu q. 67. & dixi supra cap. 12. num. 12. ad 15. Pelliz. tract. secundo c. sexto num. 37*

Quæres 16. An Magister possit excipere confessiones eorum, qui nondum receperunt habitum religiosum qui scilicet aut sunt in Nouitiatu cum suo habitu antiquo, aut hodie, seu cras recipiendi sunt ad habitum venientes à seculo?

Resp. Affirmatiue, & probaui *sub cap. 12. hic q. 8* 39
num. 15.

Quæres 17. An Magister Nouitiorum possit hanc suam facultatem audiendi sacramentaliter Nouitios delegare alijs, vel saltem suo socio?

Respond. Negatiue, quia non est ordinarius, sed dele- 40
gatus, qui non potest subdelegare, nisi quando est dele-
gatus à Principe, *l. A Iudice S. C. de iudic. cap. Pastora-* 41
lis 28. cap. Quoniam 45. de offic. deleg. cap. Cum causam 62. de appell. Confirmatur ex Constit ipsius Clementis; subdit hæc verba: *Liceat tamen superiori etiam locali* 42
si ita expedire iudicauerit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum semel aut bis in anno eorundem Nouitiorum confessiones audire. Dicit, quod hæc delegatio fieri potest per superiores, ergo cum excludatur Magister, eo quod non est proprie superior, eam facultatem delegare non potest: *Per seipsum* potest id præstare superior ex vi huius constitutionis, sed re vera non expedit, ne pœnitens iuuenis rubore nimio oppressus animam suam aliquo sacrilego mendacio coinquinet, & loco confessionis confusionem faciat.

Hinc occurritur opinioni *Portelli, qui* 11. *Nouitius numer. 36.* ait Magistrum Nouitiorum posse licentiam
Nouitio dare, vt alteri confiteatur, sicut Parochus 43
potest dimittere suum parochianum ad alterum confessarium. Non enim est par ratio, cum Parochus sit ordinarius suarum ouium, Magister vero non est proprie Pastor, sed quasi mercenarius, & delegatus curæ Nouitiorum, quorum proprius ordinarius est superior etiam localis.

Quæres 18. An Nouitius quo ad sacramentum Pœnitentiæ ita sit subiectus Magistro suo, vt non possit licite, nec valide confiteri alteri saltem approbato ab Episcopo.

44 Respond. Ita est subiectus, vt si alteri confiteatur extra ordinem, nulliter sit absolutus. Probatur. Quia accedens ad alienum sacerdotem sine licentia proprij peccat mortaliter, & nullam facit confessionem, & irritam absolutionem, ex cap. omnis 12. de Pœnit. & remiss. ibi:
45 *Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absoluere, vel li-*
46 *gare.* Ex enim clausula *Non possit* reddit ipso iure, actum inutilem, & inducit formam substantialem *Tiraq. de lege Connub gl.4. Molina de primog. lib.2. cap. 11. n. 11. Gutierez in l. Nemo potest ff. de legat.1. num.145.* Priuat enim potentia agentem, *Gomez in cap. Vt animarum §. statuto, de constit. in 6. num.24. Sanchez lib 6. disp. 38.*
47 *num.20. & lib.6. cap. 4. num. 38.* Et ratio est, quia vt quis audiatur, & absoluatur ab alieno sacerdote duo sunt necessaria ad valorem absolutionis, vnum ex parte pœnitentis, vt si non est subditus fiat talis ex licentia proprij sacerdotis, per quam constituitur subditus iurisdictioni alieni sacerdotis, qui ex hoc fit illius proprius, ratione etiam cuius licentiæ communicatur potestas iurisdictionis sacerdoti electo, quando id potest fieri; alterum vero ex parte sacerdotis est vt habeat iurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam, his duobus positis licita, & valida est absolutio, hæc enim cum a sacerdote detur per modum iudicij, supradicta duo, subiectionem ex parte pœnitentis, & iurisdictionem ex parte sacerdotis supponit, inquit enim Apostolus ad Rom. cap. 14. 4.
48 *Tu qui es, qui iudicas alienum suum?* Iudicandus ergo debet esse subditus iudicis. Et in proposito nostro, Triden-
49 tinum sess.14. cap.7. *Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissi-*
50 *mum esse Synodus hac confirmat, nullius momenti absolutionem eam debere esse, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Est ergo certissimum, quod quis non potest licite, nec valide confiteri alieno sacerdoti, nisi de licentia proprij. Quare ex his inferendum est, Nouitium, qui pro proprio sacerdote habet superiorem, qui ei assignauit Magistrum, non posse nec licite, nec valide extraneo confiteri sine licentia. Pro hac sententia faciunt dicta *cap.12. numer.17. vbi citaui Peyrinum, Melfium, & Lezanam.*

Diana part. 3. resol. 4. de regul. probat, Nouitium posse confiteri cuilibet confessario approbato ab ordinario eo modo, quo confitentur seculares, citans pro se plures tum ibi, tum par. 4. tract. 4. resol. 5. Donatus par. 4. tract. 5. q. 20. Probant autem sic *Primo*, quia Nouitius est potius laicus, quam religiosus, ergo more laicorum habet libertatem confiteri cui vult. *Secundo*, adhuc retinet domicilium seculare, ergo confiteri potest iisdem confessariis, à quibus audiebatur in seculo ratione domicilij, quod non mutauit per ingressum religionis. *Tertio*, quod religiosi sint subiecti quo ad sacramentum præsertim Pœnitentiæ suis superioribus regularibus designantibus illis confessarios itidem regulares, id intelligitur de professis, non Nouitiis, quibus non imponitur huiusmodi onus, cum non teneantur obseruantiis regularibus. *Quarto*, demum decreta Clementis V I I I. de confessario regulari deputato Nouitiis non sunt præceptiua, sed consultiua tantum, vt ait Diana locis citatis.

51 Primo respondetur, Nouitium esse personam Ecclesiasticam, nullatenus laicam, cum in omnibus sit exemptus ratione personæ, & rei à foro laico, vt probaui c. 11. & 12. Magis participans de Ecclesiastico regulari, quam de seculari, vnde iure merito more professorum viuere debet, & confiteri deputato Magistro, seu aliis pro professis electis confessariis, æquum enim est, vt si gaudet priuilegiis fauorabilibus, sustineat etiam ea, quæ videntur onerosa iuxta eam regulam, qui sensit commodum, sentire etiam debet incommodum.

52 Secundo, per ingressum vale dixit mundo, quem dereliquit per ingressum, ac proinde sæculare domicilium deseruit, & regulare acquisiuit, cum quilibet Nouitius sumat habitum religionis cum animo profitendi, & perseuerandi in ea vsque ad mortem, consequenter intra religionem contraxit domicilium, vt probaui cum fere omnibus Doctoribus, cap. 11. n. 12. & c. 12. n. 9. Inualide ergo confitetur extra, cum careat subiectione ratione domicilij sæcularis, cui renuntiauit.

Nec dicas sola genuflexione coram confessario præsertim Regulari, quis fit subditus, nam Papa approbatione Episcopi confert iurisdictionem Sacerdoti regulari subiiciendo ei quoscunque fideles ad eum accedentes pro recipiendo Pœnitentiæ Sacramento, ergo Nouitius cum ipse sit fidelis Christi, & subditus Papæ, poterit libere confiteri cuicunque Sacerdoti approbato ab ordinario.

Quia respondetur, confessarios regulares eam qui- 53
dem potestatem recipere à Papa, sed cum moderatione, & dependentia à superioribus regularibus, qui eam limitant, vt non vtantur libere respectu sibi subditorum, sed secundum factam per ipsos limitationem. Immo ipse Summus Pontifex, vt in casu nostro apparet, dum præscripsit, vt superiores assignarent & committerent munus confessarij magistro, Nouitios exclusit à cœteris fidelibus.

Tertio respondetur, non solum professos, sed etiam 54
Nouitios quoad hoc Sacramentum esse sub dispositione superiorum regularium, dum Clemens V I I I. eis mandauit, vt quoad Sacramentum hoc subiiceret illos magistro, vel aliis Sacerdotibus ordinis. Etsi Nouitij non te- 55
nentur regularibus obseruantiis, tamen tenentur hac, quæ non est specialiter, & tantum regularis, sed simpliciter Ecclesiastica communis omnibus fidelibus, vt vnusquisque confiteatur suo sacerdoti.

Quarto demum respondetur illud decretum si non est 56
ex se præceptiuum, tale tamen est relatiue ad ius commune cap. Omnis 12. de Pœnitent. quod præcipit, vt vnusquisque confiteatur proprio sacerdoti, & non alieno propria libertate.

Colligitur ex his Nouitium confitentem libere extraneo confessario nullam recipere absolutionem tam ex parte sui, quam ex parte confessarij. Nam ex parte 57
sui peccat mortaliter dum accedit ad alienum confessarium, transgreditur enim legem Pontificiam in re graui, sicut & quilibet alius fidelis accedens ad alienum sacerdotem pro se non approbatum. Quod peccet proba- 58
tur, quia in sententia etiam aduersariorum talis Nouitius clam extra confitens eiiciendus est à religione, vt ex Molfesio, Coriolano, & Rodriquez docet ipse Diana resolut. 4. de Regulat. Nouitius autem non solet expelli ex mala actione, nisi propter crimen arguens peccatum mortale, ergo si potest reiici, quia confessus est extra, signum est, quod confiteri extra sine licentia est peccatum mortale, ac proinde nulla est confessio per eum facta in peccato mortali. Ex parte quoque ipsius sacerdotis extranei nulla est eius absolutio data Nouitio, quia respectu illius caret iurisdictione, quæ non exercetur nisi in subditum, qualis non est Nouitius, qui per seipsum non potest alteri se subiicere sed per superiorem suum est subiiciendus. Hinc est, quod *Donatus par. 4. tract. 5. quæst. 20. num. 5.* male locutus fuit, dum dixit, Nouitium valide quidem extra confiteri sed illicite, quia hi debent cauere omne scandalum, & custodire decreta Papæ, & suorum superiorum, sunt enim in religione, vt probentur, & cognoscantur obedire. Quæ verba arguunt ex eodem Donato peccatum mortale, quod tunc committit Nouitius, cum actu confitetur, ergo tamquam indispositus non absoluitur fructuose, nec valide.

CAPVT

CAPVT XVI.

De Admissione Nouitiorum ad professionem.

1 *Admissio tria dicit iudicium, consensum, & incorporationem profitentis.*
2 *Mali quoque recipiuntur ad religionem, sed non ad professionem.*
3 *Superioritatis actus est admittere ad professionem.*
4 *Iurisdictio proprie accepta in Ecclesia supponit saltem primam tonsuram.*
5 *Professio emissa ex admissione solius conuentus sine superiore non valet.*
6 *Incorporatio importat perpetuam permansionem, & retentionem Nouitij.*
7 *Iesuita quoque professione post biennium incorporantur.*
8 *Sed diuersimode ab aliis.*
9 *Superior localis de iure communi incorporat profitentem monasterio.*
10 *Potestas incorporandi est delegabilis etiam saeculari.*
11 *Papa omnes Nouitios recipere potest ad professionem.*
12 *Papa est Generalis, Prouincialis, & Prior Religiosorum.*
13 *Congregatio Cardinalium super Regulares non recipit ad professionem.*
14 *Receptio ad professionem est actus voluntatis gratiosa.*
15 *Protector, nec Legatus à latere recipiunt.*
16 *Episcopus recipit ad professionem sibi subiectos.*
17 *Consensus superioris, & Conuentus simul necessarius de iure communi.*
18 *Et ex statutis fere singulorum ordinum.*
19 *Consensus ad vtrumque spectat, incorporatio ad solum superiorem.*
20 *Generalis etiam contradicente conuentu non potest recipere ad professionem.*
21 *Maior pars conuentus debet consentire.*
22 *Inter eam connumeratur etiam superior.*
23 *Indicare Nouitium idoneum ad professionem spectat ad superiorem, & conuentum, in quo egit nouitiatum.*
24 *Nouitius, qui diuisit locum probationis à posteriori recipitur.*
25 *Consensus vltimus confirmat praecedentes.*
26 *Professio inde secuta valet.*
27 *Reprobatus, si recurrat ad alium conuentum debet renouitiare.*
28 *Consensus illicitus validus est, & facit ad professionem.*
29 *Licentia illicita adhuc est licentia.*
30 *Voluntas coacta adhuc voluntas est.*
31 *Consensus licet erroneus durat, donec reuocetur.*
32 *Statutum prohibens ab homine, vel à iure.*
33 *Capucinorum statutum non recipiendi laborantes morbo gallico.*
34 *Consensus praestitus contra decretum irritans est nullus.*
35 *Conditionalis consensus non valet ante euentum conditionis.*
36 *Taciturnitas non sufficit ad acceptationem Nouitij.*
37 *Consensus in Nouitium capitulariter praestandus est.*
38 *Consensus coactus valet.*
39 *Metus grauis non annullat contractus.*
40 *Libertas in profitendo de valore professionis.*
41 *Contractus metu graui initi valent, iure positiuo irriti.*
42 *Consensus admittentium praecedit tempore professionem.*
43 *Consensus conuentus habet se dispositiue, Nouitij efficienter.*
44 *Consensus praestandus est secreto.*
45 *Consensus in professionem non est electio.*
46 *Prohibitio simplex non irritat professionem.*
47 *Nisi quando habet decretum irritans.*
48 *Valor actus pendet à potestate, sine qua nihil est.*
49 *Caecus praestat consensum instructus de colore globulorum.*
50 *De contemptu agere non potest non vocatus.*
51 *Superior maior contradicente minore potest recipere professionem.*
52 *Superior maior casu repertus in conuentu Nouitiorum dat votum.*
53 *Sicut & qui de recenti est collocatus de familia.*
34 *Priuatus voce actiua non suffragatur.*
55 *Censuratus potest admittere ad professionem.*
56 *Iurisdictio proprie dicta fundatur in ordine.*
57 *Contractus initi ab excommunicato valent.*
58 *Reuocari potest ex causa consensus datus.*
59 *Remedio egent de nouo emergunt.*
60 *Determinare velle facere aliquid, non est facere.*
61 *Ius habet Nouitius ad professionem quaesitum per admissionem.*
62 *Reuocatio cum sit odiosa, & stricti iuris facienda est in terminis.*
63 *Negans suffragium digno, & dans indigno peccat mortaliter.*
64 *Monialibus applicantur praedicta.*
65 *Votorum paritas excludit Nouitium à professione.*

ADmissio tria dicit, iudicium, consensum, & recep- 1
tionem Nouitij ad professionem. Est autem iudicium circa idoneitatem, & sufficientiam Nouitij, quod fit ex obseruatis eius moribus in anno probationis in fine, dum ille iudicatur idoneus, vel non idoneus ad profitendum, quod totum dependet, & regulatur ex eius ante acta vita, tam in Nouitiatu, quam in saeculo, si enim discooperitur aliquod eius crimen in saeculo factum, esto infra annum probationis religiose se gesserit, ex hoc in libertate conuentus est iudicare istum ineptum religioni, nihilominus iudicium hoc regulariter accipitur à vita, & moribus cognitis infra annum probationis, quia accedens ad religionem dicitur se conuertere à mala vita ante acta ad vitam religiosam saeculum relinquendo, vnde
Sanctus Bernardus lib. 4. de Considerat. inquit: *Nos in* 2
Monasteriis omnes recipimus spe meliorandi. Dicit *omnes*, id est, tam malos, quam bonos, quia à saeculo venient ad religionem dicitur conuerti; cap. 3. 19. q. 3. Hoc iudicium sequitur consensus confirmatiuus illius per superiorem, & maiorem partem conuentus praestitus, consensus igitur confirmat iudicium factum super idoneitate ad profitendum, sicut è contra dissensus confirmat iudicium exactum super ineptitudinem, & expulsionem Nouitij indigni professione. Receptio demum Nouitij ad professionem est acceptatio, & approbatio, professionis lectae, & factae per Nouitium, qui auctoritate superioris recipientis incorporatur religioni, de qua receptione potissimum fit mentio in iure pluribus in locis, praesertim, *cap. Insinuante septimo. Qui cleric. cap. Porrectum* 13. *cap. 6. Ad Apostolicam de Regular.* Sed accedamus ad quaestiones.

Quaeres igitur Primo. An receptio Nouitiorum ad professionem, per quam incorporantur Monasterio, & Ordini sit actus iurisdictionis, an tantum superioritatis.

Respondetur. Non est necessarius actus iurisdictionis 3
saltem supponentis primam tonsuram, sed sufficit quod
fit actus superioritatis, & capitis Ordinis, vel monasterij. 4
Probatur ex differentia vtriusque, nam iurisdictio Ecclesiastica proprie, & presse acceptata supponit si non aliquem Ordinem, ad minus primam tonsuram, in sententia omnium,

nium, vbi agunt de censuris, *Suarez disputatio secunda de Censuris sect. tertia, num. undecimo, Sayrus lib. 1. de Censuris capite quinto, numero sexto* : & alij omnes. Superioritas vero Ecclesiasticam tantum supponit personam aliquo officio superioritatis constitutam, & sub se habentem subditos, quod dico propter quosdam superiores regulares, qui carentes etiam prima tonsura, habent sub se subditos, vt antiquitus Guardiani eligebantur Laici Fratres, qui recipiebant Nouitios ad professionem. Item Superiorissæ Monialium recipiunt Nouitias ad professionem, & tamen sunt incapaces iurisdictionis radicatæ in prima tonsura, ergo actus recipiendi Nouitios ad professionem, & eos incorporandi ad Monasterium, non est necessario actus iurisdictionis presse acceptæ, sed sufficit quod sit actus superioritatis. Confirmatur, *Tum quia,* receptio professionis est contractus inter Nouitium, & Superiorem factus, qui ea solo consensu amborum perficitur sine aliquo actu dependente ab ordine, seu a prima tonsura, aliter Laici non possent contrahere. *Tum quia,* receptio ad professionem delegari potest Laicis, vt probabo infra *n. 4. Ita Sanchez lib 5. c. 4. n. 78. ex eo Vecchius disp. 11. dub. 1. n. 1. Egoe. 3. de admissen. q. 1. contra Donatum par. 4. tract. 11. q. 24.* vbi tenet esse actum iurisdictionis, quod tamen sufficienter non probat cum nomen facultatis referatur non solum ad potestatem iurisdictionis, sed etiam superioritatis, aliter Abbatissa non posset recipere professionem monialium.

Quæres 2. An professio emissa à Nouitio præmissis iudicio, & consensu, sed non recepta à superiore aliquo sit valida.

5 Respondetur. Negatiue ex *cap. Insinuante 7. cap. Qui cleric. cap. Porrectum 13. cap. Ad Apostolicam 16. de Regul.* in quibus dicitur, quod accepietur ab Abbate, & Canonistæ subinferunt nullitatem professionis à Nouitio emissæ nullo acceptante superiore, & ratio est, quia, vt infra patebit cap. sequent. professio est contractus, qui initur inter Nouitium, & Superiorem, sed de substantia contractus est reciprocus consensus contrahentium in eundem actum gestum, quare cum duorum consensu quilibet contractus essentialiter perficiatur, *leg. 1. ff. de Pactis, leg. Consensu, ff. de Act. & Obligat.* necesse quoque est, vt professio emittatur more aliorum contractuum, per Nouitium, & acceptetur per superiorem. Ita *Azor. par. 1. lib. 12. c. 5. q. 3. Miranda tom. 1. q. 24. artic 3. Rodriquez tom. 3. quæst. 17. art. 12. Reginal. lib. 18. num. 385. Sanch. lib. 5. c. 4. n. 62. Vecch. disp. 12. dub. 2. n. 5. ex illis Barbosa ad cap. Porrectum 13. de regul. n 3.* vbi nec obstat cap. Consuluit, qui cler. dicens professionem emitti posse super altare, subintelligitur enim acceptante superiore, vt omnes Canonistæ ibi explicant, & tradunt præcitati. Vide *c. 18. q. 6.*

6 An autem hæc acceptatio, & incorporatio Nouitij Monasterio habeat locum in Societate Iesu? Videtur, quod non, quia huiusmodi actus tam ex parte Nouitij profitentis, quam ex parte superioris incorporantis importat perpetuitatem voti ex vtraque parte, itavt, professus debeat ex parte sua perpetuo manere in religione, & ex parte religionis teneatur superior illum perpetuo retinere, & alere, respectu cuius mutuæ obligationis professio dicitur solemnizari; Nouitij autem Societatis Iesu vota biennij non solemnizant, vnde nec recipiuntur per manus alicuius superioris ex eorum Constitutionibus.

7 Respondent *Sanchez lib. 5. c. 4. n. 63. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 3. c. 1. fine, & cap. 5. n. 8. & c. 7. initio, & ex illis Castropalaus disp. 2. de Suscept. Relig. p. 3.* ab hac incorporatione non excludi eorum Nouitios interpretantes cap. 4. part. 5. Constitut. ea biennij vota non recipi ab aliquo superiore Societatis in eo sensu, vt ea non acceptentur adeo quod religio obligetur professum retinere obligatum perpetuo ad ea vota seruanda; acceptare vero in consensu per manus Prælati, vt religiosum retineat, quamdiu ad gloriam Dei expediens esse iudicauerit, non autem fieri in manibus alicuius, vt ea perpetuo acceptet, & religiosum perpetuo retineat.

Differentia ergo est inter superiores aliorum ordinum, 8
& huius instituti, quod superiores aliorum professionem acceptant in perpetuatione voti cum obligatione professos alendi, & retinendi nisi dent causam expulsionis per eorum incorrigibilitatem, adeo quod expulsi, adhuc remanent religiosi. Receptio vero ex parte Societatis valde vtilis est, vt non obstante acceptatione professum ex causa iusta possint expellere, & dimittere ad seculum, ita quod dimissus absoluitur à votis ac si nunquam vouisset in ordine isto. Melior est conditio vnius contrahentis, quam alterius; & eorum votum non est perpetuum contra proprium est status religiosi.

Quæres 3. Ad quos superiores spectat recipere professionem Nouitiorum, & eos incorporare religioni, & Monasterio, cuius dicitur esse filius.

Respond. De iure communi spectat ad immediatum 9
superiorem conuentus, in quo Nouitius absoluit annum probationis, *cap. Sane 10. cap. Porrectum 13. cap. Ad Apostolicam 16. de Regul. cap. 1. de iis, quæ vi cap. Consuluit. 4 cap. Insinuante 7. Qui cler. vel vou. Ita Nauarr. consil. 37. de regul. n. 4. Peyrin. de subd. q. 1. cap. 26. §. 2. concl. 4. Sanchez lib 5. c. 4. n. 65. & 70. Pellizar. tract. 3. c. 3 n. 8* Ex regulis, & statutis præsertim ordinum Mendicantium id munus spectat ad maiores superiores Generalem, & Prouincialem, & exclusis superioribus immediatis, qui solum cum conuentu præstant consensum, & iudicium idoneitatis ad profitendum, de hoc patet in meo ordine cap. 9. vbi hæc facultas Generali, & Prouincialibus demandatur, consequenter sine vno ex his professio non valet.

Quæres 4. An hæc potestas recipiendi professionem Nouitij sit delegabilis.

Respond. Affirmatiue etiam mero Laico, & cap. 16. de 10
Regular. ibi: *Abbate per se, vel per alium professionem recipiente monasticam.* Quia cum hæc potestas sit ordinaria in superiore est delegabilis l. More 5. ff. de iurisd. omn. iud. Etiam laico, quia huic committi potest causa spiritualis non postulans iudicem Ecclesiasticum cap. 1. de Procur. Ita *Rodriquez tom. 3. quæst. 17. art. 2. Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 77.* Canon. *in cap. Porrectum 13. de regul. Diana alios citans resol. 70.* de Regul. *Miranda tom. 1. quæst. 24. art. 3. Peyr. de subd. quæst. 1. cap. 26. §. 2. conclus. 4. & melius de Prælato quæst. 3. capit. 1. num. 135.*

Quæres 5. An Pontifex Romanus solus propria auctoritate sine consilio, & consensu, immo inuitis Fratribus possit recipere ad professionem, & receptum incorporare religioni, nullis existentibus etiam requisitis.

Respond. Potest omnibus modis. Iure tamen ordina- 11
rio non reciperet, nisi habentes requisita, quia & si Princeps solutus sit legibus tamen vt det exemplum aliis suam legem solet seruare. Probatur, quia Papa est om- 12
nium religionum Generalis, Prouincialis, & Prior, cum ab eo omnes religiones tanquam à supremo superiore approbentur, vt notum est, & dixit *Sotus lib. 8. de inst. art. 1. ex eo Rodriquez. tom. 1. quæst. 22. art. 6. Sanchez lib. 4. c. 24. n. 20. Pelliz. tract. 3. c. 3. n. 4.*

Quæres 6. An S. C. Emin. Cardinalium deputata super Regulares possint Nouitios recipere ad professionem.

Respondet. Negatiue, quia Sixtus V. qui per suam 13
Bullam 74. incip. *Immensam,* eam Congregationem, quæ est vndecima, ex quinque Cardinalibus compositam, ordinauit solum circa causas fori externi cum præcisa etiam facultate religiosis transeundi nõ ad laxiorem, nec parem, sed strictiorem tantum ordinem, nulla facta mentione recipiendi Nouitios ad professionem. Confirmatur, quia ius recipiendi Nouitios ad habitum, & professionem est de iis, quæ pertinent ad actum gratiosæ voluntatis. Ita 14
Nauar. consil 37. de Regul §. Sexto ex eo Donatus par. 4. tract. 10. q. 11. Pelliz. tract. 3. c. 3. n. 5. Ego res. 57 q 3. n 7.

Quæres

Quæres 7. An Protector, & Legatus à latere recipere possint ad professionem.

15 Respond. Negatiue, quia isti habent rationem iudicis, non superioris cuius est recipere Nouitios, de quorum moribus notitiam habent; sed in receptione Nouitiorum admittentes non procedunt vt iudices, sed vt contrahentes obligationem ex dictis, ergo protector, & Legatus à latere non possunt recipere ad habitum, neque professionem, cum solum procedant vt iudices fori contentiosi: Ita dixi *c. 3. q. 4. & resol. 57. n. 8. & 9. Pellizar. tract. 3. c. 3. n. 6.* de Protectore. Protectoris ex vi vocis officium est defendere religiosos sibi commendatos ab iniuriis, molestiis, & grauaminibus. Vide *Peyrin. de Subd. q. 1. c. 18. §. 2. & 3.*

Quæres 8. An Episcopus possit recipere ad professionem Nouitios vtriusque sexus ordinum sibi subiectorum ac etiam exemptorum.

16 Respond. Potest respectu ordinum sibi subiectorum, non vero exemptorum. Probatur vtrumque quia recipere ad professionem spectat ad superiorem Nouitij eius Monasterij, in quo peregit Nouitiatum ex allegatis initio huius capitis sub n. 9. Ita *Nauar. consil. 40. de Regul. Rodriquez tom. 3. q. 11. cum suo Compend. resol. 101. n. 65. Sanchez lib. 4. c. 4. n. 74. Vecchius disp. 14. dub. 1. num. 21. quos citaui res. 57. n. 11.*

Dicta procedunt contra Episcopos, qui cumulatiue nunc habent potestatem super regulares cum eorum superioribus in paruis conuentibus, quia potestas Episcopis attributa super religiosos habitantes in paruis conuentibus est contentiosa tantum, non gratiosa, quæ requiritur in receptione Nouitiorum ad habitum, & professionem.

Quæres 9. An consensus tam superioris, quam conuentus saltem maioris partis sit necessarius ad validam professionem.

17 Resp. Vtriusque consensus est necessarius consolidans iudicium factum super idoneitate Nouitij apti ad profitendum. Sicut dissensus confirmat iudicium factum super ineptitudine. Et hoc verum est tam iure communi, vel speciali fere omnium religionum.

Primum de iure communi deducitur ex gl. c. 1. Non faciat habitus, *cap. Porrectum 13. de regul. & cap. fin. eod. in 6.* ibi Glos. *Alias de iure pertinet ad vtrunque.* Ita Nauar. *consil. 37. de regul. n. 4. Rodriq. tom. 3. q. 17. art. 7. Vecch. disp. 12. dub. 1. n. 9. Riccius par. 4. res. 244.*

Et quæ dixi hic sub c. 4. q. 19. de receptione Nouitiorum per communem consensum superioris, & conuentus, faciunt ad præsentem quæstionem de consensu vtriusque ad professionem.

18 Secundum esto de iure communi receptio Monachi spectaret ad solum superiorem, tamen ex consuetudine, & statutis omnium religionum nullus Nouitius licite, nec valide recipitur ad professionem, nisi de consensu superioris, & maioris partis conuentus, ob rationes adductas loco citato, & in meo ordine res clara est ex c. 9. Regulæ. Ita *Rodriq. tom. 3. q. 17. art. 7. cum suo Compend. resol. 101. n. 59. Miranda tom. 1. q. 24. art. 4. Sanch. lib. 5. c. 4. n. 65. Peyrin de subd. q. 1. c. 26. §. 2. vers. Verum quidem, Vecch. disp. 12. dub. 1. n. 10. cum aliis Barbosa ad cap. fin. de reg. in 6. n. 4. Pasq. q. 34.* Et id ita modo certum est, vt nefas sit de hac re dubitare.

Dices tamen, Tridentinum sess. 25. c. 16. in receptione Nouitiorum ad professionem loquitur de solo superiore, ibi: *Superiores Nouitios quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è monasterio eos eiciant* id est inhabiles. Ergo consensus conuentus non est necessarius; & id confirmatur ex cap. Ad Apostolicam 16. ibi: *Abbate per se, vel per alium professionem recipiente.*

19 Occurritur huic dictioni, quæ prædictis non aduersatur, quia in nostra responsione agitur de consensu confirmante iudicium idoneitatis Nouitiorum ad profitendum; in Tridentino vero, & iure communi sermo est de receptione ad professionem, quæ admittitur à solo superiore per se, vel per alium à se delegatum, receptio autem sequitur ad consensum, nullus enim recipitur ad legendam professionem, nisi prius superior, & maior pars conuentus consentiat vt Nouitius iudicatus idoneus recipiatur.

Colligitur hinc, superiorem, etiamsi sit Generalis, contradicente maiori parte conuentus, & è contra maiorem partem conuentus aduersante superiore, non posse Nouitium profiteri valide, quia ex præmissis necessarius est vtriusque consensus in id. Ita *Nauar. consil. 9. q. 1. num. 13. de constit. Rodriquez tom. 3. q. 17. art. 7. ex illo Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 68. Vecchius disp. 12. dub. 1. num. 11. Miranda tom. 1. q. 24. art. 4. Peyrinus de subd. q. 1. cap. 26. §. 2. Vers. Dico 2. Dico 3. Ego res. 57. q. 7. à n. 14. ad 20. Donatus p. 4. tract. 11. q. 30.* 20

Dixi, quod sufficit maior pars conuentus, quia gestum à maiori parte dicitur ab omnibus factum, *l. Quod maior 19. ff. ad municipal.* & de incolis, & dicto maioris partis statur, *l. Diem 32. §. si plures ff. de recept. arbitr.* & ad vniuersos refertur, quod fit per maiorem partem *l. 160. ff. de regul. iuris*, quia quod maius est in se continet, quod minus est, non è contra *S. Ioannes Chrysostomus homil. 3. in Matthaeum*, & in maiori summa continetur minor, *l. 1. §. Si stipulanti, ff. de verb. obligat.* Ita Nauar. *consil. 37. de Regul. n. 3. Francus in cap. fin. de regul. in 6. Vecchius disput. 12. dub. 1. n. 10. Sanchez lib. 5. c. 4. n. 69. & supra citati.* 21

Difficultas est, an in hac maiori parte connumeretur superior? Negat Sanchez cit. n. 69. Ad id ego respondi resolut. 57. n. 19. connumerari etiam superiorem, quando consensus quæritur secreto, quia tunc consensus præstatur per modũ vnius non differentiando inter superiorem, & subditos, vnde licet in hoc casu refragaretur Nouitio, adhuc consensus influeret in validam professionem. Quando igitur superior non vult ex causa legitima recipere Nouitium, debet antecedenter reclamare, & contradicere. 22

Quæres 10. Quando Nouitius in diuersis locis diuidit annum probationis, ad quemnam superiorem, & conuentum spectat iudicare illum idoneum ad professionem, & consensum præstare? Vide Pelliz. cap. 3. tract. 3. n. 16. & 22.

Respond. Certum est, quando Nouitius in vno tantum conuentu peregit Nouitiatum, ad superiorem, & familiam eiusdem conuentus spectare iudicium, & consensum fauore Nouitij. Quando autem Nouitiatus fuit diuisus, huiusmodi iudicium, & consensus non necessario petendus est à priori conuentu, sed sufficit, quod præstetur à superiore, & conuentu posteriori, in quo Nouitius absoluit annum probationis, etiamsi maiorem anni partem peregerit in priori conuentu, & vltra, adeo quod sufficit iudicium, & consensus posterioris tantum conuentus ad valorem professionis, etiam si bimestre tantum perfecerit in posteriori. Quod si Nouitius iuste reprobetur à priori conuentu, & in alio ex gratia recipiatur, debet denuo totum Nouitiatum peragere, aliter consensus præstitus, & inde secuta professio est nulla, *vide supra c. 5. quæst. 4.* 23

Prima pars, quod iudicium, & consensum præstare spectet ad eum conuentum, in quo totum peregit Nouitiatum certa est, quia huiusmodi iudicium de idoneitate ad profitendum pendet à vita, & moribus infra annum probationis, quæ à superiore, & religiosis, apud quos nouitiatum peregit, tantum cognosci possunt cap. Postquam 3. de elect. ergo ad hos solum spectat iudicium huiusmodi confirmandum per eorum consensum. *Rodriquez cum suo Compend. resol. 101. num. 59. Nauar. consil. 37. de Regul. Peyrin de subd. q. 1. c. 17. §. 2. concl. 4. quos citaui resol. 57. n. 25.*

Secunda pars de diuisione nouitiatus suadetur. *Tum quia*, ex eius conuersatione in posteriori conuentu sufficienter colligi potest eius idoneitas, vel inhabilitas. *Tum quia*, cum prior conuentus licentiando Nouitium ad posteriorem nihil opposuerit eidem censetur eius nouitiatum approbasse, quod confirmatur receptione 24

ceptione facta per secundum, quia vltimus consensus
25 præcedentes confirmat, l. Per fundum 1. ff. de seruit. rustic. præd. *Tum quia*, sicut Nouitius continuo non tenetur experiri, & probare omnes asperitates ordinis, ex communi cum *Sanchez. lib. 5. cap. 4. num. 28. & 32.* Ita neque conuentus cum continuo obseruare tenetur, ergo iudicium idoneitatis non mensuratur à continuatione obseruationis morum Nouitij, cum ad hanc rigorosam obseruationem non constringatur.

26 Tertia pars, quod valeat professio, licet non accesserit expressus consensus prioris conuentus, probatur, quia adsunt omnia requisita, & præsertim illud de iudicio, & consensu in habilitatem Nouitij iudicati idonei ad profitendum, in quo potest esse aliqua difficultas. Nam in hoc casu consensus taliter datus subsistit secundum substantiam, cum reuera fuerit actus voluntatis approbantis id, quod faciendum est à Nouitio, nempe futuram professionem. Quod si postea deficiat illi aliquod accidentale, vt quod à priori conuentu non petierint informationem de ante acta in eo vita Nouitij, non inficit consensum à posterioribus præstitum, sed tantum arguit aliquam eorum imprudentiam. *Confirmatur* id ex dicendis infra q. 11. num. 28. vbi probaui consensum conuentus, & superioris etiam illicitum valere in se, & in ordine ad professionem, ergo à fortiori in præsenti casu, in quo consensus non dicitur illicitus, nec prohibitus. Et per hæc intelligunt in hunc sensum, quæ de hac quæstione dixi *cap. 3. quæst. 55. & resol. 57. quæst. 9. numer. 26.* Quæ huic censuræ subiicio. Ad euitandas lites, & difficultates petatur iudicium, & consensus prioris conuentus super ante acta nouitij vita, id enim optimum erit, quia illud est perfectum, & integrum iudicium, quod plurium sententiis confirmatur, cap. Extra 5. dist. 64. & per ampliores homines perfecta veritas ampliatur, *l. fin.* C *de fideicom.* Ita docet *Pasqual. decis. 416.*

27 Quarta pars, quod iuste reprobatus debeat in alio loco renouitiare, probata fuit hic *cap. 10. quæst. 5. num. 8.* Ita Beia *part. 4. casu 29. §. Contraria.* Quod si inique fuerit reprobatus habet ipse ius ad se faciendum recipere recurrendo ad superiores, cum rite nouitiatum peregerit, si aliud non obstat.

Quæres 11. An consensus illicitus impediat valorem professionis? Potest autem contingere multis modis: *Primo*, quando coguntur consentire. *Secundo*, quando consentiunt, vt indignus recipiatur, ex defectu ipsius personæ, vt quia criminosus est, aut illegitimus, aut illiteratus. *Tertio* ex aliis defectibus sibi non culpabilibus, vt quia non habet ætatem, interrupit Nouitiatum, illum fecit extra locum deputatum.

28 Respond. Consensus ex dictis capitibus licet illicitus, & peccaminosus, quantum est ex parte sua non impedit valorem professionis. Probatur, quia non obstante actu illicito consensum qualificante adhuc ipse consensus in se validus est, ergo suum valoris effectum influit in professionem. Antecedens probatur, quia de substantia consensus est, quod sit actus voluntatis approbantis id, quod agendum est; quod deinde licite, vel illicite præstetur, non facit ad illius substantiam, cum huiusmodi sint qualitates extrinsecæ non ponentes, nec destruentes substantiam consensus, qui est ipsamet voluntas approbans, *leg. 2. §. Voluntatem, ff. solut. matrim. apud Gonzal. glos.*
29 *47. numer. 5. Secundo*, licentia illicita adhuc est licentia, *glos. 1. cap. Si qua 29. 27. quæst. 1.* hinc religiosus de licentia illicita retinens superflua non dicitur proprietarius. *Silu. Religio 6. quæst. 7. Graff part. 1 lib. 3. cap. 5. numer. 61.*
30 *Tertio*, voluntas coacta est illicita, & tamen adhuc voluntas est, *l. Si mulier 21. § Si metu ff. de eo, quod metus causa. Cap. Merito 1. 15. quæstio. 1. Rubeus tom. 8. decis. 26.*
31 *numer. 44. Quarto*, consensus erroneus valet, & censetur perdurare quousque remoueatur per verum, glos. v. Insciam capit. 1. de eo, qui duxit in matr. *Quinto*, receptio facta de nouitiis sine informationibus requisitis valet, & inde secuta professio, & tamen ea receptio, & consensus erant peccaminosa, quibus non præcesserunt requisitæ informationes. *Sexto*, consensus Monasterij in futuram professionem Nouitij impediti nullo iure irritatur, liceat prohibeatur simpliciter, secundum illud axioma in materia professionis, *cap. Ad Apostolicam 16. de Regul.* Multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent. *Septimo*, consensus præstitus in electione minus digni, omisso digniore, est peccaminosus, & illicitus ex iis, quæ tradunt Doctor. cum Sygism. dub. 32. de elect. ergo & consensus in professionem præstitus illicite. *Octauo*, consensus in Nouitium professurum non dirigitur in personam prout est infecta impedimentis, ex quibus sequitur nulla professio, sed in ipsum Nouitium ab illis præscindendo, quia consentientes volunt illum sibi in socium, non eius crimina, aut defectus. Dixi *resol. 57. num. 62.*

Dices, *ex parte sua*, consensum scilicet illicitum non impedire valorem professionis, sed ea impedimenta, quæ habent decretum irritans, propter quæ consensus dicitur illicitus quia non debebat præstari per superiorem, & conuentum in fauorem eius, qui impeditur ad profitendum.

Hoc responsum tenere deberent omnes, qui asserunt in ratificatione professionis inualidæ non requiri nouum consensum ex parte conuentus errantis in acceptatione Nouitiorum ad professionem. Et hi sunt *Lessius lib. 2. cap. 41. num. 67. Zenardus par. 2. cap. 26. numer. 12. Sanchez lib. 7. disput. 37. num. 64.* Eo quod alia ratio non videtur assignabilis nisi, quod prior ille consensus licet illicitus, fuerit validus. Nihilominus isti supponunt nullitatem consensus ex parte Religionis, & eum suppleri per Ecclesiam; de qua re dicam cum de Ratificatione professionis inualidæ verba fecero. cap. 21.

Quæres 12. An consensus conditionatus impediat valorem professionis si deficiat conditio? Exempl. si conuentus cum superiore protestentur se acceptare Nouitium, si caret morbo gallico, epileptico &c. & non caret,
sed est infectus morbo. Ista protestatio potest dupliciter 32
spectari, primo ab homine, cum superior, & conuentus in hoc conueniunt, quod non intendunt Nouitium tali morbo laborantem non acceptare; secundo à iure, cum Religio habet statutum cum decreto irritante consensum conuentus attentatus acceptare Nouitium contra expressum statutum. Tale Decretum habetur apud Capucinos,
quod refert Vecchius disput. 13. dub. 15. his verbis: *Qui* 33
elephantia, morbo caduco, aut alia infirmitate contagiosa afficitur, non recipiatur: Et si quis talis receptus fuerit, eo quod interrogatus talem infirmitatem manifestare noluerit declaratur, religionem ad eum retinendum minime velle esse obligatam. Habet decretum irritans professionem intuitu illius impedimenti, & consensus nulliter dati, vt colligitur ex eius extremis verbis.

Respond. Consensus taliter præstitus siue ab homine, 34
siue à iure, statuti prohibitus est nullus in seipso, vnde eadem nullitate inficitur professio attentata. Probatur, quia consensus huiusmodi resoluitur in dissensum, hoc est, nolo te acceptare, si laboras hoc morbo, ergo nullus est consensus fauore Nouitij, quando subsistit dissensus eius destructiuus. Confirmatur, quia consensus tunc subsistit, & validus est, quando ea causa est infirmitas, ergo existente morbo non subsistit consensus, qui per morbum impeditur exire in esse, consensus ergo conditionalis nullus est ante conditionis existentiam, *Glos. v. Præsumendum, capit. Per tuas 6. de Condit. appos.* Conditio autem hæc de immunitate à morbo nunquam verificari potest, cum reuera morbo infectus est Nouitius. *Vecchius disputat. 13 dub. 15. à numer. 4.* rem hanc multis probat, sed sufficiat hoc, quod Ordinis Capucinorum constitutio habet Decretum irritans attentatum consensum, & professionem. De hac re fuse egi *cap. 3. à num 8.* vbi probaui Religionem posse facere statutum cum Decreto irritante professionem, idem docet *Portellus par. 2. casu 27 num 7. Rodriquez tom. 3. quæst. 17. art. 9. Nauar co sil. 5. de Regul. n. 11. cum Suarez tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 12. n. 2. apud dictum Portellum.*

Quæres

Quæres 13. An taciturnitas habeatur pro consensu? Exem. grat. totus conuentus scit Nouitium expleuisse annum probationis, vnde coram superiore vidente maiori parte ille Nouitius legit professionem; vel incipit morari cum professis,& facere ea, quæ faciunt professi. Numquid huiusmodi taciturnitas habetur pro consensu sufficiente ad valorem professionis, si aliud ei non desit.

36 Respond. Taciturnitas non habetur pro consensu, in professione expressa, sed is necessarius est, vt expresse concipiatur, & præstetur etiam collegialiter, ac capitulariter. Probatur. *Tum quia*, professioni expressæ debet correspondere consensus expressus ex parte tam religionis, quam profitentis. *Tum quia*, conuentus debet præstare consensum per aliquem actum positiuum in ratione conuentus, & vnius corporis politici, quod fieri non potest, nisi per aliquos actus positiuos, & expressos quod cum præstari non possit per taciturnitatem, quæ excludit positiuam actus, ideo requiritur consensus formalis. *Tum quia*, huiusmodi consensus firmare debet iudicium de idoneitate Nouitij ad profitendum, ergo debet pendere ab aliquo actu positiuo. *Confirmatur*, quia matrimonium carnale non contrahitur per solam taciturnitatem, sed requiritur consensus vtriusque partis, verbis, nutibus, seu aliis actibus matrimonij factionem indicantibus, *cap. Licet, de sponsal. cap. fin. de Coniug. seru. Sanchez lib.* 2. *disput.* 30. & 31. ergo & in matrimonio spirituali professionis. Ita probatur *resolut.* 57. *quæst.* 23. *num.* 56. contra Scrof. *q.* 31. *in suis Solut. Moral.* & *Peyrinum de Subd. quæst.* 1. *cap.* 26. §. 2. *Vers. respondeo illud*, quibus adde *Vecchium disputat.* 32. *dub.* 1. *num.* 19. quia taciturnitas habetur pro consensu, quia tacens consentire videtur Reg. 43. in 6. & si enim tacens non fatetur, sed nec vtique negare videtur Reg. 44. in 6. Respondetur tamen, eas Regulas habere locum, vbi non requiritur consensus expressus, vt in casu præsenti, & non agitur de obligatione inducenda, ita allegata à *Sanch. lib.* 1. *disp.* 5. *n.* 5. *Glos. super priorem Reg. Thomasét. reg.* 253. & 290. Sed sicut professio nuncupatur expressa, ita & consensus expressus requiritur ex parte religionis, ne dicantur tanquam correlatiua iudicari ad imparia. Valebit ergo ea Regula respectu professionis tacitæ.

Quæres 14. An consensus ex parte conuentus, & superioris præstandus sit capitulariter per eos in vnum congregatos legitime.

37 Respond. Affirmatiue, quia consensus præstandus à pluribus alicuius communitatis producendus est per omnes in vnum simul congregatos, vt docent Canon. in cap. Cum omnes, de constitut. Ratio est, quia consensus est multorum in vnum sensum concurrentium, quod euenire non potest, nisi simul congregentur in locum vnum, aliter datus consensus non est Conuentus, & Capituli, sed singularis sententia, & sensus diuisus per plures sine vnitate. Confirmatur, quia res communes collegialiter, & communiter tractandæ sunt, & non in abscondito; sed receptio Nouitiorum est res communis tangens totum conuentum cum superiore, ergo Capitulariter tractanda est. Et licet doctrina hæc originem trahat ab electionibus, quæ capitulariter, & communiter fieri debent tamen hæc locum habent in quibuscumque materiis tangentibus rem communem pluribus, ex communi cum *Sylu.* 11. *Consensus quæstion. quarta, numero quinto. Angelus* 11. *eadem in fine*, qui dicunt aliter præstitum non valere, quia vnio est de forma substantiali, *Abbas in citata capite cum omnes numero quinta.* Ita *Vecchius disput.* 7. *dub.* 2. *num.* 8. *Sanchez lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 65. & 69. & alij communiter. Vide *Decis.* 35. *hic extensum numer.* 20.

Quæres 15. An consensus Fratrum coactus per superiorem producat veram professionem.

38 Respond. Consensus coactus per superiorem valet, licet ipse peccet; quando cogit ad receptionem inhabilis, non vero quando imperat, & cogit ad receptionem habilis.

Primum de valore consensus coacti probatur, quia voluntas coacta adhuc voluntas est, ac proinde verus consensus, vt dixi sub *quæst.* 11. *num.* 30. nam consensus præcisè est voluntas approbans ex Gonzal. loco citato allegato. Confirmatur, quia contractus metu graui initus 39
valet ex valore præstiti consensus vtrinque ex communiori sententia, quam tenet *Sanchez liber quartus, disputat. octaua, à numero quarto.* Quod procedit non solum de leui metu, sed etiam graui, & cadente in constantem virum, qualis est metus incussus à superiore subditis, sicut à patre filiis, *Peyrinus de Prælata q.* 3. *capit.* 1. *numer.* 80. Et ita docet *Suarez tom.* 3. *de relig. lib.* 6. *cap.* 4. *numer.* 19. *Palaus ex ipsa disput.* 2. *p.* 2. §. 2. *num.* 2. Quia talis irritatio ob metum incussum capitulo, vel superiori nullo iure cauetur.

Contrarium tenet *Lessius lib.* 2. *cap.* 41. *numer.* 61. quem sequitur *Danatus part.* 4. *tractat.* 11. *quæst.* 9. *n.* 3. Probant *Primo* argumento à matrimonio carnali, in quo consensus etiam vnius tantum contrahentium ex metu præstitus est nullus, ac proinde matrimonium. *Secundo*, quia æqualis conditionis debet esse vterque contrahens, sed professio est nulla ex nullitate consensus profitentis ex metu, ergo & ex parte conuentus, necessarius ergo est mutuus consensus liber vtrinque cum tamquam relatiua non sint iudicanda ad imparia. *Tertio*, vis, & metus ex sua natura habent annullare quoslibet contractus, ergo & hunc professionis. *Quarto*, in cap. Cum loco de sponsal dicitur, quod vbi metus, & coactio intercedit, ibi consensus non habet locum, ergo consensus conuentus, hic non est, nec inde valet professio, cum ex nihilo nihil fiat.

Primo respondetur non semper valere argumentum à matrimonio carnali ad spiritnale, sed tunc cum par est ratio, ex probatis cap. 3. numer. 18. Euerad. ab hoc loco numer. 9. & seq. refert 23. differentias. Est autem lata differentia inter consentientes, & profitentem ex metu, nam singulorum de conuentu nihil interest, sed tantum conuentus, qui obligatur ad professum retinendum, & consensum præstantes dicuntur præcise consensisse, vt profiteatur, ideo cum illis nullum vinculum inferatur, nec obligatio imponatur, qua Nouitius professione oneratur, ideo huius professio impeditur ex metu cadente in constantem virum, non illorum consensus, ex quo non grauantur. Deinde liber- 40
tas ad profitendum requiritur ex parte Nouitij *cap. Præsens* 4. 20. *quæst.* 3. *cap.* 1. *de iis, quæ metu, cap. Vidua* 4. *cap. Cum virum* 12. *cap. Cum simus* 14. *cap. Sicut is de Regul.* Ex parte vero admittentium nulla fit mentio in iure de libertate, ergo metus non tollit consensum, vbi à lege non præscribitur, nam, quod metus grauis inficiat consensum, & contractum, non est de iure naturæ, quia voluntas natura cogi non potest, sed
de iure tantum positiuo, ex allatis à Sanchez lib. 4 disp. 8. 41
n. 4. ideo in casu nostro professio tunc est nulla, quando Nouitio fuit incussus metus iniuste ad extorquendum votum, quia iuribus supradictis irritatur, non vero consensus admittentium ex metu graui, cum nulla mentio de
hoc fiat in iure. Præterea consensus admittentium præce- 42
dit per alterum diem, immo quandoque per plures, antequam Nouitius profiteat, in matrimonio autem vtriusque consensus simultaneus esse debet, Sanchez lib. 2.
disp 32. saltem simultate morali. Adde etiam, quod con- 43
sensus admittentium se habet dispositiue ad professionem, Nouitij vero efficienter, principaliter, & per seipsum producit professionem: contrahentes vero in matrimonio sunt causæ ambæ principales, & immediatæ dantes esse matrimonio, & ideo mirum non est, si metus grauis inficit vtriusque consensum, qui vnus est æque primo producens matrimonij contractum.

Et ex his patet responsio ad sequentia argumenta, nam *Secundo* respondetur, illos consensus esse inæquales diuersimodè ex imparitate concurrendi ad valorem professionis, nam consensus admittentium se habet dispositiue, profitentis vero effectiue, & principaliter, &

successiue non simul influunt in professionem. *Ad Tertium*, supra patet responsio, metum non annullare de iure naturæ contractus, sed tantum iure positiuo; professio autem ex parte admittentium metu cadente in constantem virum nullo iure irritatur. *Ad quartum*, vbi est metus, & coactio grauis deficit consensus postulans libertatem, non vero simpliciter voluntas, cum voluntas coacta adhuc sit voluntas, matrimonium autem carnale, sicut & spirituale professionis postulat præcise libertatem ex parte principaliter contrahentium, admittentes autem ad professionem soluni dispositiuè concurrunt, ideo eam libertatem, se solum voluntarium consensum præstare debent.

Secundum de peccato cogentis conuentum ad præstandum consensum fauore indigni, probatur, quia nemo cogendus est ad malum, nam recipere indignum est peccatū mortale, vt probatur infra q. 15. Vnde Fratres non debent obedire superiori, qui talia præcipere non potest, sed alacriter se illi opponere debent.

Tertium de superiore cogente ad recipiendum dignum, probatur, quia iuste præcipit ergo omnino eidem obediendum. Confirmatur, quia Tridentinum sess. 25. c. 16. ait, quod superiores recipiant ad professionem eos Nouitios, quos habiles inuenerunt, aliter sit eis iniuria.

Quæres 16. An acceptatio nouitiorum ad professionem sit secreto facienda.

44 ℟. Solet communiter in omnibus fere religionibus secreto fieri per globulos, & hoc prudenter, vt vnusquisque libere suffragari, vel refragari possit iuxta donum sibi à Deo suggestum. Ita Vecch. disp. 12. dub. 6. Et ita seruatur in mea religione. Quod si quandoque suffragium detur ore tenus in fauorem nouitij digni non viciatur receptio, quia secretudo non est substantiale botum suffragiorum, sicut in electione, qualis non est consensus in nouitium, vt

45 dicit Leo X. in quadam Bulla fauore Dominicanorum, de qua Vecchius citatus, nam electio est assumptio vnius ex pluribus ad aliquam dignitatem, vel officium, electio vero nouitij est assumptio eius præcise sine relatione aliorū, non ad officium, sed ad subiectionem, & seruitudinem. Receptio igitur Nouitij ad professionem non est propne electio. Ita dictus Vecch. & Portell. par. 1. casu 9. n. 3. Ego resol. 57. n. 59.

Quæres 17. An, & quomodo superior maior possit prohibere acceptationem Nouitiorum ad habitum, & professionem, etiam cum decreto irritante.

46 ℟. Superior simpliciter prohibendo acceptionem talium nouitiorum ad professionem, valet præstitus consensus, & inde secuta professio; si vero apponat decretum irritans huiusmodi attentatum consensum supposita iusta causa prohibitionis, nullus est consensus præstitus, & ea eo secuta professio, quam superior inferior, & conuentus alias habent ius admittendi Nouitios tam ad habitum, & professionem.

Primum de simplici prohibitione, quæ professioni non obstat, probatur ex illo axiomate in hac materia registrato in *cap. Ad Apostolic. 16. de regul.* multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent. Ita *Portell. par. 1. cas. 9. n. 8. Pelliz. c. 3. tract. 3. num. 13.*

47 Secundum de decreto irritante probatur, quia decretum huiusmodi tollit potestatis vires ab iis, qui alias possunt, ac proinde gestum dicitur nulliter factum, valor enim

48 actus pendet à potestate agentis, *cap. Cum super 33. de offic. deleg.* & actus contra defectu potestatis, *l. Nullo, ff. de acquir. hered. Hend. lib. 1. consil. 27. n. 6. Surd. lib. 3. consil. 301. n. 29. Ita Sanch. lib. 5. c. 4. n. 71. Peyrin. de Subd. q. 1. c. 26. §. 2. concl. 5. Beia par. 4. cas. 31. Rodriq. cum suo Compend. resol. 101. n. 61.* decretum huiusmodi professionem irritantem ex infirmata potestate admittentium proposui *c. 5. n. 8. 9. 12. 14. 15. & 31. Pell. tr. 3. c. 5. n. 14. Palaus disp. 2. de Relig. p. 3. n. 5.*

Quæres 18. An cæcus penitus det suum votum pro receptione Nouitiorum? Ratio dubitandi est, quia cæcus non iudicat de colore, ac proinde nescit discernere inter fabam albam, & nigram.

℟. Dare potest, quia potest eligere, Sygism. dub. 89. n. 12. §. cæterum, Lauor. tit. 4. c. 19. n. 79. ergo & acceptare nouitium, maioris enim considerationis est actus electionis, quam acceptationis. Ratio dubitandi tollitur, quia licet cæcus non iudicet de colore immediate per suum oculum, iudicare tamen potest per alterum, qui illum instruat de colore globulorum. 49

Quæres 19. An Frater de familia loci Nouitiatus contemptus, quia non fuit vocatus ad acceptationem Nouitij possit agere ad rescindendum contractum professionis, sicut agere potest ad rescindendum electionem, ad quam non fuit vocatus.

Resp. Negatiue, quia professio alias valida nullatenus rescindi potest, cum sit ea sua natura, sicut matrimonium carnale indissolubilis, vt probatur infra in c. 18. De Professione. Electio autem ex contemptu rescindi potest, Canonistæ in cap. Quod sicut 28. de elect. hæc enim licet inducat electum in dignitatem de se perpetuam, rescindi tamen potest, quia in persona non dicit perpetuitatem, sicut professio in profitente, à quo status religiosi auferri non potest, cum Deo maneat perpetuo obligatus. 50

Quæres 20. An conuentu consentiente, sed superiore locali dissentiente, possit Prouincialis, vel Generalis præstare suum consensum, & sic recipere Nouitium ad professionem.

Resp. Affirmatiue, quia potestas, quam habet prælatus localis, residet etiam in superiore maiore independenter ab illo, ergo loco eius potest superior maior supplere hoc requisitum, quod superior, & conuentus admittunt Nouitium ad professionem. Confirmatur, quia præsente Episcopo in defectum Parochi tenet matrimonium carnale, ex c. 1. sess. 24. ergo & per consensum maioris superioris tenet professio nonobstante contradictione inferioris, qui se habet vt subditus in tali casu, non enim inferior habet potestatem super suum superiorem, nec exercitium eius potestatis impedire potest. Dixi resol. 57. n. 42. Quod si ambo contradicant, nec Generalis, nec Prouincialis valide recipiunt Nouitium etiam cum consensu sui conuentus, quia non possunt iudicare de idoneitate nouitij cum quo non fuit conuersati, nam iudicium spectat ad conuentum nouitiatus, vt *docui capitul. 3. quæst. 20. me citato Pelliz. tract. 3. cap. 3. num. 16.* Subiungit aliqua quæ non faciunt ad rem, ideo non respondeo. 51

Quæres 21. An superiores maiores, & Visitatores, qui in omnibus negotiis suæ Prouinciæ, & Generalis per totum ordinem, casu reperti in conuentu, vbi nouitius acceptandus est, numquid ipsi dare possunt votum de idoneitate Nouitij, de cuius vita, & moribus notitiam non habent, quia ibi non habitant.

Respond. Affirmatiue, quia omnis potestas dispersa in inferioribus reperitur ampliori modo in superioribus, quibus inferiores subsunt; sed inferiores immediati prælati suorum conuentuum possunt suos nouitios approbare ad professionem, ergo maiores eorum superiores idem præstare possunt. Nec obstat, quod non cognoscunt vitam, & mores nouitiorum, ea eo, quod cum illis non habitant in eodem conuentu, quia sufficit, quod possint informari ab aliis, sicut in capitulo præsertim Generali multi ex vocalibus ab aliis instructi de vita, moribus, & sufficientia propositorum pro eligendis tuta conscientia suffragantur fauore eorum, quos nunquam cognouerunt de facie, visu, & opere. *Confirmatur* ex dictis, præced. responsione, si enim potest acceptare nouitium contradicente locali tantum superiore, à fortiori eodem consentiente. Ita docet *Portellus par. 1. c. 11. quem citaui resol. 57. n. 48.* 52

Quæres 22. An non superior postremis diebus, quibus nouitius admittendus est ad professionem, suffragari possit sicut facit superior casu repertus.

Resp. Affirmatiue, quia collocatus de familia in conuentu Nouitiatus statim acquirit ius, quo vti possunt alij de familia multo tempore ante constituti, est enim membrum, & pars illius corporis politici, ideo omnibus iuribus, quibus alij gaudent, fruitur. Ergo cum illis potest suffragari, 53

ſuffragari, ac ſi antea fuiſſet de familia, accepta inſtructione ab alijs de eius idoneitate.

Quæres 23. An priuatus voce præſertim actiua poſſit acceptare nouitium ad profeſſionem?

54 Reſpond. Priuatus voce paſſiua non impeditur, ſed
tantum actiua, nam priuatus voce actiua non poteſt ſuf-
fragari capitulariter, & collegialiter, *gloſ.* 11. *Imbi Clem.*
1. de Regul. cum Nauar. conſil 6. de Verb. ſignific. Rodriquez
tom. 2. quæſt. 56. artic. 1. §. Circa: Sed receptio nouitiorum
fit capitulariter ex probatis *quæſtio.* 33. Ita tenent *Graff.*
tom. 2. conſil 2. diffic. 1. num. 11. Vecchius diſp. 12. dub. 5.
Peyrin. de Prælato quæſt. 3. cap. 1. num. 115. In ordine Mi-
norum extat ſtatutum, quod priuati voce poſſint dare
ſuffragium nouitio.

Quæres 24. An excommunicatus, ſuſpenſus, & interdictus poſſint acceptare nouitium ad profeſſionem?

55 Reſpond. Nulla ex his cenſuris impedit valorem pro-
feſſionis etiamſi cenſuratus ſit denuntiatus, quia cenſu-
ratus priuatur vſu iuriſdictionis ſpiritualis fundatæ in cle-
ricali tonſura, non autem vſu ſuperioritatis, vt docent
omnes agentes de excommunicatione *cum Bonac. quæſt. 2.*
de excom. par. 5. Vbi excommunicatus denuntiatus pri-
uatur vſu iuriſdictionis proprie dictæ qualis eſt ea, quæ
56 pendet ad ordine præciſe, vt dicit, *Sayr. l. 2. c. 6. qui lib. 4.*
cap. 3. n. 20. Cum autem aſſerit iuriſdictionem proprie di-
ctam fundari in ordine; ſed admiſſio nouitij ad profeſſio-
nem non eſt actus iuriſdictionis, ſed tantum ſuperiori-
tatis, ex probatis hic quæſt. 1. *Confirmatur*, tum quia ex-
communicatus denuntiatus valide profitetur, vt dicam
57 ſuo loco, ergo & valide acceptatur. *Tum quia*, contrahen-
tes denuntiati valide contractus ineunt ex communi Say-
rus l. 2. c. 9. n. 11. Sed profeſſio eſt de genere contractuum,
vt patebit ſuo loco, ergo valet admiſſa per ſuperiorem
denuntiatum. Ita *Sanchez lib. 5. c. 4. n. 78. Vecchius diſp.*
12. dub. 1. n. 3. Bonac. de clauſ. quæſt. 2. p. 10. diff. 2. n. 7. Lay-
man lib. 1. tract. 5. cap. 2. num. 13. §. 4. Palaus diſputat. 2.
de ſuſceptione religioſi ſtatus p. 3. n. 4. Pelliz. c. 3. tract. 3.
n. 25. Portellus par. 1. caſu 9. n. 3.

Quæres 25. An conſenſus datus reuocari poſſit ante profeſſionem?

58 Reſpond. Poteſt reuocari noua ſuperueniente cauſa
graui, quia approbatum ſemel non amplius reprobari po-
teſt, *Reg. 21. in 6.* niſi noua ſuperueniat cauſa, vt ait
gloſ. ſuper dictam Regulam, quæ enim de nouo emer-
59 gunt, nouo indigent auxilio, *lib. De ætate 12. §. Ex*
cauſa, ff. de interrog. act. & noua res nouum conſilium,
& remedium poſtulat, *l. 1. ff. de inſpect. ventr.* Confir-
matur, quia poſſunt reuocari ſponſalia ſuperueniente
iuſta cauſa antequam contrahatur matrimonium, *San-*
chez lib. 1. diſputat. 62. numer. 3. Ergo & acceptatio no-
uitij ad profitendum, ſicut enim ſponſalia ſunt prępara-
tio ad matrimonium, ita acceptatio diſponit ad profeſ-
ſionem. Ita docet *Vecchius diſp. 12. dub. 7. vbi num. 5.* ex
Crouſers proponit in hac quæſtione ſequentem difficul-
tatem.

Titius finito probationis anno admiſſus fuit ad profitendum Scrutinio facto. Sed antequam profiteretur Fratres nonnulli priuatim diſcurrentes dixerunt non eſſe recipiendum, quia in priori Scrutinio non fuit facta ſufficiens diſcuſſio morum eius, vnde omnes cum Guardiano ſimul conuenerunt, vt ſecretum fieret ſcrutinium, vtrum de nouo oporteret colligi ſuffragia Fratrum pro admiſſione Titij, vel eius dimiſſione, & in eo concluſerunt de nouo colligenda eſſe ſuffragia pro admiſſione, vel dimiſſione nouitij. Guardianus fauens nouitio, quem noluit exponere periculo, commendauit Commiſſario Generali, qui ratam habens priorem admiſſionem, ordinauit Guardiano, qui eum admittit ad profeſſionem Dubitatum fuit, an eius profeſſio tenet?

Reſpondit Leſſius ore tenus valere, quia illa prior acceptatio non fuit reuocata per illud ſecundum ſcrutinium, in quo ſolum concluſum fuit, deueniendum eſſe ad aliam diſquiſitionem, an eſſet admittendus, vel dimittendus?

Præfatus Crouſers dicit nullam profeſſionem, quia
per illud ſcrutinium reuocatus fuit prior conſenſus. Sed
reuera errat, quia illud ſecundum ſcrutinium terminatum
fuit concluſione, vt de nouo quæreretur an eſſet admit-
tendus, vel dimittendus, noua vero inquiſitio ſuper
eius idoneitate facta non fuit, vt ſupponitur in caſu, er-
go adhuc ſubſiſtit prior admiſſio, quæ reuera non fuit
reuocata, quia determinare velle facere aliquid, non eſt 60
illud facere, ſed tantum animum ſuum declarare circa
faciendum, *ex cap. 3. de Voto Nauar. conſil. fin. de teſtam.*
Differentia vero, quam ponit inter ſcrutinium electionis,
& admiſſionis, quod per illud acquiratur ius electo, ita
quod variare non poſſint, per hoc vero admiſſionis nul-
lum ius acquiri nouitio ad profitendum. Falſa eſt, nam 61
vtrinque acquiritur ius, adeo quod variare non poſſunt,
niſi ſuperueniat noua cauſa, & de electione clarum eſt
ex cap. Nulli 6. de elect. in 6. vbi Barboſa doctores citat
num. 2. De admiſſione patet non ſolum ex ſcrutinio, ſed
etiam ex anno nouitiatus ex ſeſſ. 25. cap. 16. vbi dicitur,
quod finito probationis anno habiles recipiantur ad pro-
feſſionem.

Vecchius vero probat nullitatem dictæ profeſſionis.
Tum quia concluſio inquirendi de nouo, an Titius ſit ad-
mittendus, vel dimittendus continet ablatiuum abſolu-
tum, & ſic conditionem ſignificantem priorem conſen-
ſum eſſe ſuſpendendum. Tum quia hæc concluſio requi-
rens nouum ſcrutinium reſtringit, & irritat primum.
Tum quia conſenſus Fratrum debet durare vſque ad ho-
ram profeſſionis, ſed mutatus fuit in alium de nouo exi-
gendum, ergo eius defectu nulla fuit profeſſio. Per hæc
tria argumenta nullo modo probatur mutatio, & reuo-
catio prioris admiſſionis, dum ſolum probant priorem
admiſſionem eſſe reuocandam inquirendo de nouo an ſit
admittendus, vel dimittendus. *Ad primum*, dico in eo
ſcrutinio de inquirendo denuo nulla apparet conditio
ſuſpenſiua prioris admiſſionis, ſed remanet intacta, &
pura ſicut ante, donec reuocetur per eam nouam inqui-
ſitionem, quæ poſtea facta non fuit. *Ad ſecundum*,
illa concluſio non reſtrinxit, non irritauit priorem ad-
miſſionem, quia in eius expreſſione non fuit appoſita
reuocatio, neque proteſtatio, neque appellatio, ne reci-
peretur nouitius ad profeſſionem, ſed præmitteretur di-
cta inquiſitio, quæ tamen non fuit præmiſſa. *Ad tertium*
dico durasse antiquum conſenſum, nec mutatum per 62
nouum nondum factum, reuocatio enim cum ſit odioſa,
& ſtricti iuris, *cap. 1. de conſtit. in 6. Tambur. tom. 2. diſ-*
putat. 2. quæſt. 17. num. 3. nunquam cenſetur reuocata
niſi de ea conſtet in ſuis terminis, exigit enim eam ſo-
lemnitatem, quam res poſtulat in ſui confectione, *Dec.*
in capit. Cum omnis, de conſtit. numer. 31. Quare con-
ſenſus præſtitus fauore nouitij ad profitendum nunquam
dicitur reuocatus, niſi de eo fiat mentio in terminis ex-
primentibus deſtructionem prioris admiſsionis, vt in
noſtro caſu contigiſſet, ſi in illo ſcrutinio concludentes
nouam inquiſitionem de eo dimittendo, vel non dimit-
tendo, expreſsiſſent prioris reuocationem, aut ſi eam
nouam inquiſitionem feciſſent, & declaraſſent eum eſſe
indignum profeſsione, & cum nihil horum fecerint,
viguit ſemper prior admiſsio, ac proinde tenuit ea
profeſsio ſecundum Leſsium contra Crouſers, & Vec-
chium.

Quæres 26. An negans ſuffragium digno, vel dans indigno peccet mortaliter?

Reſpond. Affirmatiue *capit. præced. 15. quæſtio. 12.* 63
numer. 34. Ex communi Doctorum ibi citatorum, qui-
bus adde *Dianam reſolut. 19. de Regul. Portellum p. 1.*
caſu 5.

Quæres 27. An hactenus dicta de Admiſsione nouitiorum ad profeſsionem locum habeant in nouitiatus monialibus?

Reſpond. Affirmatiue, quia ſunt communia vtrinque, 64
& applicantur ſine vlla difficultate, nam illæ debent ad-
mitti per ſuos ſuperiores Prælatos regulares, vel Epiſco-
pos ſuos cũ cõſenſu Abbatiſſæ, & maioris partis cõuentus.

Ita *Lapus allegat. 32. initio, Rodriquez tom. 3. quæst. 17. art. 7.*

Quæres 28. An suffragiis paribus extantibus sit nouitius admittendus ad professionem, an repellendus.

65 Respond. In rigore videtur repellendus, quia in omnibus actibus legitimis vbi non est maior pars ibi nihil concluditur fauorabiliter, in casu præsenti non apparet maior pars, ergo videtur repellendus. Confirmatur, quia in re communi potior est ratio prohibentis, Reg. 56. in 6. Riccius part. 3. resol. 530. Tenet, esse admittendum, quia fauores sunt ampliandi, & propterea in dubio, quis debet admitti ad professionem, vt in terminis citat *Bald. vol. 2. consil. 83. Iason cons. 120. vol. 4. Calcsat. resp. 91. & 725.* Sicut in dubio debet admitti quis in collegio, *Anna Sing. 617.* Sicut quoque admittitur nobilis ad sedile, in paritate votorum, *Franc. decis. 2. n. 28. decis. 107. num. 8. Menoch. vol. 3. cons. 227. n. 9.*

CAPVT XVII.

De impedimentis Professionis.

1 *Professio, & matrimonium in multis comparantur.*
2 *Quid sit impedimentum in materia professionis.*
3 *Impedimenta iure natura numerantur.*
4 *Puer quando capax vsus rationis.*
5 *Pubertas quid.*
6 *Dissensus impedit professionem.*
7 *Promittens se obligat.*
8 *Nouitiatus non consentit, sed experientia probatur.*
9 *Impedimenta iure diuino infidelitas, & hæresis.*
10 *Impedimenta iure Ecclesiastico excludentia à professione.*
11 *De impedimentis singularum Religionum.*
12 *Impedimentum prohibens tantum, & dirimens quid.*
13 *Impedimentum dirimens quod habet decretum irritans.*
14 *Prohibitio sine decreto non irritat factum.*
15 *Impedimenta dirimentia professionem referuntur.*
16 *Impedimenta ad perpetuum, & ad tempus quænam.*
17 *Impedimentum perpetuum vnicum est.*
18 *Defectus loci designati est impedimentum ad tempus.*
19 *Decreta Clementis VIII. de conuentibus designandis exponuntur.*

1 SAcra Professio in multis assimilatur matrimonio, nam sicut hoc præcedunt sponsalia, quæ illius sunt futura promissio, & si quando matrimonium attentatum est nullum, quia contractum fuit prohibente, & dirimente aliquo eius impedimento, mediante ratificatione per nouum consensum, impedimento remoto de inualido fit validum. Ita Professio, quæ ideo in similitudine eius vocatur matrimonium spirituale, quo Nouitius nubit Christo Domino in æternum, sequitur, nouitiatum, qui quasi sponsalia vocantur in eo, quod religionem ingrediens, se præparat infra annum probationis ad profitendum tempore debito, & si quandoque professio nulliter attentatur ob aliquod impedimentum dirimens, remedio ratificationis per nouum nouitij consensum conualidari. Hic agendum est de impedimentis ipsius matrimonij, in multis enim conuenientiam habent.

Quæres igitur 1. Quid sit impedimentum in materia professionis.

2 Respond. Impedimentum est obstaculum prohibens emissionem professionis inductum iure naturæ, vel diuino, aut lege pontificia, vel statutis religionis ad commune eius bonum. De hac materia præter *Sanchez lib. 7. disputat 37. & Donatum me resol. 8. à numer. 4. ad 55. citantem part 4. tract. 8 q. 3.* nullus alius ea professo tractat. Lezanam 11. Professio n. 20.

Quæres 2. Quænam sint impedimenta prohibentia professionem iure naturæ.

3 Respond. Sunt carentia vsus rationis amentis, & dissensus, seu fictus consensus. Hæc tria prohibent, & dirimunt professionem, quæ contingere non potest, nisi per vsum rationis, & voluntatis consentientis, & se obligantis religioni. Primum igitur impedimentum est carentis rationis, qua non vtuntur infantes infra septennium, sed tantum post incipiunt esse capaces doli, cum pubertati sunt proximi, pubertas autem incipit in masculo ab anno decimoquinto, in fœminis ab anno decimotertio, *Instit. Quibus modis tutela fin. §. Pubertatem,* proximi vero pubertati dicuntur, qui ab ea distant per sex menses, *Canonista in capit. Continebatur de Despons. impub.* Pueri igitur post septennium incipiunt vti ratione sed imperfecta, quam paulatim perficiunt, adeo quod post supradictum tempus se obligare possunt, consequenter vota emittere valent, vnde ex iure communi antiquo puer in anno decimoquarto recipiebat habitum probationis, & initio decimiquinti emittebat professionem; iure vero nono Tridentini professionis ætas dilata est post annum sextumdecimum ætatis, vt professurus maturius agat ex plena deliberatione, & iudicio rationis perfecto. De hoc impedimento ex ætate dixi hic cap. 7. 4 5

Amentia secundum impedimentum inficit probationem, & professionem, quia Nouitius eo tempore ignorat quid agat, vt vtrunque autem necessarius est rationis vsus, quo cum ille careat in neutrum consensum præstare potest. De hoc impedimento amentiæ, & stultitiæ, ac furiositatis egi, *cap 3. num. 40. ad 54.*

Dissensus, seu fictus consensus est tertium impedimentum professionis, quæ ex suis intrinsecis importat obligationem, cui opponitur dissensus, & fictus consensus excludens obligationem, qui enim verbaliter profitetur excludendo obligationem inutiliter, & peccaminose agit, & vere non est professus. Ita omnes cum *Azor. part. 1. lib. 12. c. 5. dub. 7. Lezana par. 1. c. 2. n. 27. Pellizar. tract. 3. c. 1. n. 42. Sanch. lib. 4. c. 1. à n. 25.* qui docent sufficere habere intentionem promittendi ad quam necessario sequitur obligatio, immo est ipsamet obligatio, implicat enim promissio sine obligatione. Et quamuis in anno probationis ingressus fiat de consensu vtriusque partis de necessitate nouitiatus ex dictis *cap. 6. q. 9.* tamen ægre ferens illum annum adhuc Nouitius formaliter probatur, quia probatio solo experimento eget, de qua re ibidem num. 60. 6 7 8

Quæres 3. Quænam sint impedimento de iure Diuino excludentia à religione, & professione.

Respond. Sunt duo Infidelitas, & Hæresis, & deducitur ex 2. ad Corint. c. 6. 15. *Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infidelis?* Nullus ergo potest esse contractus spiritualis inter Sponsam Christi cum Hæreticis, nec cum Infidelibus; carentes igitur baptismo vti sunt Infideles, atque Hæretici, qui licet habeant baptismum carent tamen fide, sunt incapaces religionis, & professionis, quamdiu tales sunt. Hoc impedimentum respectu matrimonij vocatur *Disparitas cultus,* quod vocabulum ad hæc duo impedimenta religionis extendi potest, cum in re ambo sint idem, licet in aliis differant. De impedimento Infidelitatis egi sub *c. 3. n. 34. de alio Hæresis, ibid. 57. vbi de aliis.* 9

Quæres 4. Quænam sint impedimenta excludentia à religione de iure Ecclesiastico.

Resp. Sunt multa huiusmodi impedimenta, de quibus sigillatim dixi cap. 5. de habilibus, & inhabilibus, seu indignis ad religionem. Lector illuc recurrat, quia non expedit ibi dicta hic rescribere. 10

Quæres 5. Quænam sint impedimenta à singulis religionibus inducta.

Respond. Vnusquisque consulat constitutiones sui, vel alterius Ordinis, & ea inueniet. Vnum pro Capucinis recensui *c. 5. n. 8. & c. 16. num. 35.* morbo contagioso impediente, & dirimente professionem attentatam originato ex defectu consensus. In meo Ordine sunt impedimenta partim prohibentia, partim dirimentia ex c. 8 Reg. de quibus egi *eod. c. 5. q. 63. à n. 160.* illud remitto Lectorem. 11

Ex

Ex his manet explicata definitio impedimentorum, & eorum distinctionem secundum causam efficientem, & productiuam illorum. Alia remanent videnda, nimirum alia esse simpliciter prohibentia sine decreto irritante, alia cum decreto irritante, quæ & dirimentia appellantur. Alia sunt perpetua, alia ad certum tempus durant.

Quæres 6. Quid sit impedimentum prohibens tantum, eo quid etiam dirimens probationem, & professionem?

12 Respond. Impedimentum prohibens tantum est illud, quod adiunctum non habet decretum irritans nec expresse, nec virtualiter destructiuum professionis. Impedimentum vero dirimens est illud, quod habet coniunctum tale decretum. Igitur vnum cognoscitur per aliud, vt quæ contraria sunt, vnde prohibens tantum non vitiat actum contra prohibitionem factum, ex illo communi axiomate: *Multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent registrato in materia professionis. cap. Ad Apostolicam 16 de Regul.* Dirimens vero vitiat actum contra se factum, quia decretum irritans personam prohibitam ad agendum inhabilitat, hoc est est, et aufert omnino facultatem, & potestatem ad agendum efficaciter, vnde dicitur inficere titulum, & possessionem ex communi Doctorum, quos citant c.5.à n.59 Igitur ex simplici prohibitione sequitur valida professio quia per eam non inhabilitatur Nouitius agendum. Ex prohibitione vero dirimente sequitur nullitas professionis ex inhabilitatione Nouitij ad eam faciendam.

13 Certum autem est impedimentum prohibitiuum professionis dici dirimens quando expresse habet adiunctum decretum irritans. Do exemplum in conuentu non designato pro Nouitiatu ex Bulla Clemen.VIII. illis verbis. *Receptiones vero, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decreta admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcunque effectum, ex nunc decernit, & declarat.* Quæcumque ergo verba indicantia inualiditatem, & nullitatem actus, indicant decretum irritans, sicut similes locutiones: *Nullius sit roboris, virtutis, firmitatis, careat viribus, &c. Si secus factum fuerit sit inane, inutile nullius momenti, &c.* De quibus Doctores, quos citat Barbosa claus.40.n.39.ad 46.

Sequentia autem verba continent decretum irritans implicite, & virtualiter, nempe *Nullatenus fiat*, glos.t 2. eod.*de seq possess Gonzal. Reg 67. n.65. Barbos.ead. dict. dict.192. num 4 & 5. Theod. Rubeus circa decis.* Cassad. *fol.182. col.2. Alioquin* habet vim decreti, & actum irritat, *Crescent. decis.18.num 3.de prabend ex* Feline, *& ex illis Gonzal glos. 67. num.66.* Omnino *ex Lamberto de Iurepatron.lib.1.par.1.quæst.7.art.30 numer. 19. Olcasebio Pedem decis.165.num 14. cum aliis apud Barbos. dict. hac num.* 15. Nullo modo *ex Gratian.decis. March. 51. num.18.* Pœnitus, *Nauarr.consil.95.de Sim. Sanch. lib.8.disp.21. numer.36.75 & 76.* Prorsus idem importat ex allegatis a *Barbosa ead.dict. Frustra fiat, Gomez primo Var. cap.4. num.4 Tiraquel. in leg. Si vnquam de reuocat.donat.* 11. *Reuertatur.* Nequaquam fiat, *Iason in prima lect C.de Summa Trinit. Lucas Floranus de casibus reseruat. cap.4. 6.6.num.9.* Nihil fiat, *Baldus, & Aretinus in leg. fin.ff.de liberis, & post.* De quibus, & aliis late dixi *contr.38.* per totam de hac re, & de forma substantiali.

Quæres 7. An prohibitio sine decreto expresso, vel implicito irritet receptionem habitus, vel professionis?

14 Respond. Negatiue, & hoc à pari de matrimonio carnali, nam hoc nunquam intelligitur irritum ex prohibitione, nisi contineat decretum irritans expresse, vel implicite, secundum Sanchez lib.7.disp.2. ergo neque professio; & ita arguit Sanch.lib.5.c.4 n.3.

Quæres 8. Quænam sunt impedimenta dirimentia professionem?

15 Respond. Sunt sequentia. *Primo*, ea tria, quæ expressimus sub quæst,2. de carentia vsus rationis, de amentia, & dissensu, & sub quæst.3, de Infidelitate, & Haresi. *Secundo*, defectus Nouitiatus, de quo sub cap.6. *Tertio*, interruptio Nouitiatus, de quo cap.8. *Quarto*, defectus conuentus designati, de quo cap.5. *Quinto*, defectus ætatis, de qua capit.7. *Sexto*, defectus potestatis in recipiente, de quo cap.6 *Septimo*, defectus consensus familiæ, de quo ibidem. *Octauo*, defectus delationis habitus in anno probationis, de quo cap.14. Sunt alia impedimenta, quæ suis locis explicabuntur.

Quæres 9. Quid sit impedimentum perpetuum, & ad tempus, & quænam sint?

16 Respond. Impedimentum perpetuum est illud, quod inhabilitat personam, quæ nunquam valide profiteri potest, nec professionem attentatam ratificare, & conualidare, quia inhabilitas est perpetua. Ad tempus vero impedimentum est illud, quod prohibet professionem, & si sit dirimens prohibet efficaciter non solum professionem, sed etiam eius ratificationem, dum illud durat, nam impedimentum dirimens personam facit inhabilem ad agendum, dum ligatur impedimento, iuxta superius dicta. Ita *Sanch.lib 7. dispu. 37. quæstio. 4. à numer. 30. Donatus par.4.tract.8. quæst.3. Ego in Libello de Profess. cap. 6. quæst.19.& cap.7.quæst.16. Item resol.8.per totam, & controuer.32.à n.29.*

17 Impedimenta perpetua sunt sequentia. *Primo*, diuersitas sexus, nam vir inhabilis est profiteri inter moniales, & è contra, de qua re cap.3. num.56. *Secundo*, ex Bulla Syxti V. 71. in B. N. olim erant perpetuo impediti illegitimi, criminosi certis delictis, decoctores, ratiocinijs reddendis obnoxij, sed postea Clem. VIII. in sua Bulla, de qua hic *cap.4.quæst.*14.& 15. sustulit huiusmodi inhabilitatem, adeo quod eorum professio nostris temporibus valida est. De prædictis criminosis dixi *cap.3.q.26, ad 30.Tertio*, ius coniugale est perpetuum impedimentum, reclamans contra professum coniugem, cap.3.quæst. 37. num. 111. Alia impedimenta perpetuo dirimentia præ intellectu non habeo. Itaque vnicum remanebit, nempe diuersitas sexus; cætera autem dirimentia non sunt perpetua, quia continuo personam non inhabilitant, sed tantum pro eo tempore, quo durat. Ex. gr. Ætas minor septemdecim annorum; ita inhabilitat Nouitium, vt non possit profiteri, nec professionem attentatam ratificare nisi postquam expleuerit sexdecim annos.

18 Fuit olim non leuis controuersia inter D. Franciscum Micænum I.V.P. Tamisinum Vicarium Generalem Brixiensem, & me circa impedimentum eorum Nouitiorum, qui prohibentur profiteri, non præmisso Nouitiatu in conuentu designato à Sede Apostolica, ipso asserente illud esse impedimentum perpetuum, quod ego semper indicaui impedimentum ad tempus, durante scilicet anno probationis. quod multis probaui *resol. 8 initio, & contr.48 à n 16.* Id autem asseruit, vt se defenderet à S, Congr. quæ illum increpauerat, quia passim dimittebat religiosos nulliter professos defectu loci Nouitiatus, nulla seruata forma Tridentini de Reclamatione, occasione Breuis Vrbani VIII. in quo incip. *Religiosos viros*, 5. in Append. Bullar. hortabantur ad renouandam professionem inualidam, ipse vero D.Vicarius eosdem dimittebat persuadendo eis, se non posse remanere tuta conscientia in religione, quia hoc impedimentum vti perpetuum eos arcebat à religione, & pro se habuit fauorem Coccinum Doctissimum Auditorem Rotæ, sed immerito, quia ex ipso Breui patet, hoc impedimentum religiosos perpetuo non arcere à religione, dum è contra Summus Pontifex eos exhortatur ad profitendum. Vnde postea idem Pontifex per alium Decretum, quod Ego extendi initio dictæ resolut.8. prohibuit, ne quis dimitteret huiusmodi nulliter professos defectu loci designati, reseruando sibi hanc causam. Quare omnino certum est, tale impedimentum esse præcise ad tempus, & durare solum pro anno probationis, & non vltra, vt multis probaui loco citato, & ita tenet *Donat.par.4 tract.8 quæst.3. num.15. & 14.qui n.18.* ait, impedimentum illud dici perpetuum, quod supponit defectũ intrinsecum in persona, vt patet in viris inhabilibus ad profitendum inter moniales. Displicet

tamen dum num. 19. Concludit, Vrbanum VIII. suo proprio motu inhabiles ex Decretis Clementis ad ratificandas professiones nullas, habiles declarasse Quia in
19 Decretis Clementis nulla est huiusmodi inhabilitas perpetua, sed tantum ad tempus, illis verbis: *Receptiones vero, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint nullas, & irritas esse ad quemcumque effectum ex nunc decernit, & declarat.* Nullum exprimitur verbum indicans inhabilitatem perpetuam, ergo est impedimentum tantum ad tempus. Nec antecedentia verba hæc: *Quinimmo contra primam prohibitionem sanctitatis suæ receptos, etiamsi imperfectum habitum, aut sine Caputio gerant, post præsentis Decreti in Romana Curia publicationem omnino eiicere debeant.* Continent perpetuum impedimentum, cum per illa præcipiatur expulsio receptorum ante designationem Nouitiatuum, & sermo sit tantum de illis, qui nondum professerunt; ergo de nulliter professis defectu loci designati non sunt intelligenda prædicta, cum sint odiosa, ac proinde restringenda. Præterea Papa mandauit expelli indutos contra formam primi Decreti dati 1596. quod continebat prohibitionem recipiendi ad habitum, & professionem Nouitios, donec designarentur conuentus pro Nouitiis, non vero receptos post publicationem secundi Decreti dati 1599. ideo Donatus in hoc cum Micæno errarunt asserentes habitu indutos post secundum Decretum esse expellendos, eo quod continet perpetuum inhabilitatis impedimentum, de quo in eo fit mentio, sed respectu receptorum contra primum Decretum. Probaui c. 21. quæst. 16. Decretum huiusmodi irritans sublatum ex parte acceptantium.

CAPVT XVIII.

De Professione ex tribus Votis.

1 *Professio multis nominibus vocatur*
2 *Argumentum à matrimonio ad professionem infra quæst. 27.*
3 *Professio late describitur.*
4 *Est dedicatio sui, & rerum in holocaustum.*
5 *Votum soli Deo fit, homine recipiente.*
6 *Libertas necessaria ad valorem professionis. 29.*
7 *Deus spernit coacta seruitia.*
8 *Deus voluntarium militem sibi eligit.*
9 Profiteor *dicit voluntariam promissionem.*
10 *Nouitiatus validus quinque petit.*
11 *Vota tria sunt essentia intrinseca professionis.*
12 *Experientia fit in eo Ordine ubi professio emittitur.*
13 *Religio nulla est sine approbatione Apostolica.*
14 *Superiore recipitur professio.*
15 *De conditionibus ad valorem professionis.*
16 *Formam certam verborum non postulat.*
17 *Sacramentum non est.*
18 *Martyrium non excedit.*
19 *Sacrificium non est.*
20 *Super altare ponitur carta professionis.*
21 *Beneficium non est.*
22 *Testamenti rationem habet.*
23 *Contractus est professio.*
24 *Perpetuitas est de ratione professionis.*
25 *In communi facta non valet.*
26 *Procuratore emitti potest.*
27 *Professio sine animo se obligandi valet.*
28 *Promissio essentialiter includit obligationem.*
29 *Libertas de essentia professionis 6.*
30 *Libertas maior, quam in matrimonio.*
31 *Dubia resoluitur valida.*
32 *Summa est ratio, quæ stat pro religione.*
33 *Differri potest post annum probationis.*
34 *Papæ auctoritas in professione intelligitur reseruata.*
35 *Valida professio destruitur in duobus casibus.*
36 *Ad tempus nulla professio.*
37 *Filium habere ad tempus est contra mores.*
38 *Strictior professio induci non potest.*
39 *Mortaliter non peccat proficiens in mortali.*
40 *Tempore quouis professio fieri potest.*
41 *Error, & deceptio duplex.*
42 *Error facta contra substantiam est nulla.*
43 *Baptizatus minime nulliter proficit.*
44 *Defunctus resuscitatus eget noua professione.*
45 *Excommunicati professio tenet.*
46 *Recipere ad professionem non est actus iurisdictionis.*
47 *Excommunicati contractus, & matrimonium valent.*
48 *Excommunicati rescriptum à Papa nullum est.*
49 *Excommunicatus profitens peccat.*
50 *Matrimonij, & Professionis paritates referuntur.*
51 *Matrimonij, & Professionis disparitates recensentur.*
52 *Amentis, & furiosi nulla professio.*
53 *Hermaphroditus incapax professionis.*
54 *Serui professio nulla.*
55 *Coniugatorum.*
56 *Catecumenorum.*
57 *Ebriorum.*
58 *Illiteratorum.*
59 *Cæcorum, surdorum, & mutorum.*
60 *Infirmorum.*
61 *Infamis.*
62 *Histrionum, mimorum.*
63 *Irregularis tenet.*
64 *Bigami valet.*
65 *Confirmati sacramento,*
66 *Illegitimorum.*
67 *Criminosorum.*
68 *Debitorum.*
69 *Sponsorum professio valet.*
70 *Stuprator virginis.*
71 *Militis professio.*
72 *Filiorum viuentibus parentibus.*
73 *Episcoporum.*
74 *Cardinalium, & aliorum.*
75 *Parochorum*
76 *Professio non pendet.*
77 *Sub conditione emissa quando valeat.*
78 *Consensus prior sub conditione durat.*
79 *Consensus duplex absolutus, & conditionatus,*
80 *Quæ tamen pendente non possit resilire.*
81 *Matrimonium valet contractum pendente professione.*
82 *Retrotrahitur professio ad initium consensus.*
83 *Professio cum reseruatione testandi valet.*
84 *Reseruatio proprij irritat professionem.*
85 *Extra conuentum designatum emitti potest.*
86 *Dolus dans causam non irritat professionem.*
87 *Simoniaca valet.*
88 *Loco in quolibet valide emittitur.*
89 *Monialibus applicantur dicta de viris.*
90 *Nouitia ab Episcopo non examinata valide profitetur.*
91 *Vnico voto expresso aliis non exclusis valet.*
92 *Indiuisibilis est essentia cuiuslibet rei.*
93 *Minimus inualide profitetur subticendo votum Quadragesimale.*
94 *Ætatis 18. annorum defectus non vitiat professionem.*
95 *Puella erumpens in virum nulliter professa inter moniales.*
96 *Transeuntium ad secunda vota professio.*
97 *Calore iracundiæ facta tenet.*
98 *Carnes comedi putans inualide profitetur.*
99 *Sine habitu valet emissa.*
100 *Filij professio valet, vbi est pater professus.*
101 *Professio valida quando repetenda.*
102 *Professio obligat secundum præsentem obseruationem.*
103 *Consuetudo derogat præceptis Regulæ, & accidentibus Paupertatis.*
104 *Modus votorum accidentalis.*
105 *Constitutiones Clementinæ confirmata communiter, non specifice.*

106 *Metia*

106 *Monialibus hæc applicantur.*
107 *Quotuplex professio*
108 *De requisitis ad professionem tacitam.*
109 *In illis casibus, in quibus expressa est nulla, etiam tacita.*
110 *Ordinum susceptio infert professionem tacitam.*
111 *Testibus præsentibus facienda est professio.*
112 *Probatur negata professio*
113 *Testes de auditu a immaculati probant.*
114 *Testibus probatur nullitas professionis.*
115 *Scribitur professio in libro peculiari.*
116 *Cingulum militare in ordine Hierosolymitano.*
117 Necessarium *importat formam essentialem.*
118 *Gradus professionis sunt tres in eo ordine, & non alij.*
119 *Nec quis dispensari potest pro alio gradu.*
120 *Miles prius debet esse, quam profiteatur.*
121 *Subordinans non sortitur suum effectum nisi precedat subordinatum.*
122 *Non scriptus arguit non esse professum.*
123 *Forma in dubio est sub cautelis.*
124 *Clericatus non supponitur in profitendo inter clericos.*
125 *Maior est defectus nobilitatis, quam Cinguli.*
126 *Professio ignobilis nulla est.*
127 *Cingulum expunctum à Pontificali.*
128 *Leuissima causa professionem annullat.*
129 *Cingulum est causa gravis.*
130 *Professio facta probatur voce, & fama plurium.*
131 *Professio conditionata, si me elegis in Prouincialem cones.*

NOmen *Professionis* variis modis accipitur, denominaturque in iure, omissa autem eius acceptione pro exercitio alicuius officij, vocatur *primo* Tonsura, quia apud quasdam religiones Nouitiis professuris tondentur capilli, *c. Agatha* 17. 27. *quæst.* 1. *cap. Constituit* 49. 16. *quæst.* 7. *cap. Monasteriis* 6. 19. *quæst* 3. *& alibi*, & colligitur Act. 18. numer. 18. *Qui sibi totonderat in Cenchris caput.* Erat enim iste religiosus. *Secundo* dicitur habitus religionis, *cap. Ad nostram*, *cap. Super eo*, *cap. cum virum*, *cap. Consulti*, *cap. Statuimus de Regular.* & quia per eum inducitur professio tacita vocatur habitus professorum ad distinctionem habitus Nouitiorum, *cap* 3. *de Regul. in* 6. habitus monachalis *cap. cum simus*, *cap. Sicut*, *cap. Ex parte*, *de Reg.* Vestis religiosa *cap.* 1. 20. *quæst.* 1. Indui cuculla est profiteri, *cap. Præsens* 4. 20 *quæst.* 3. Respectu monialium vocatur habitus virginitatis *c. cum virum*, *de Regular.* Velamen respectu fœminarum *cap Illud* 20. *quæst.* 1. *Tertio* nuncupatur votum *cap. Porrectum*, *cap. Significatum*, *de Regul. cap. Qui post eod in* 6. *cap. vn de voto in* 6. Quia quis non potest assequi statum religiosum nisi per votum Deo factum in manibus superioris. *Quarto* vocatur propositum, *cap.* 3. 16. *quæst.* 1. *cap.* 1. 19. *quæst* 3. *cap. quod Deo* 35. *quæst.* 5. *cap* 1. *Veniens* 19. *de* Regul Et sumitur pro ipsa promissione solemni. *Quinto* dicitur creatio monachorum *cap. fin. de Regul. in* 6. quia Nouitius per professionem moritur mundo, & per spiritualem creationem incipit viuere Deo. *Sexto* dicitur vita regularis, *cap. Veniens de Regular.* Quia Nouitius per professionem incipit viuere vitam regularem ex obligatione. *Septimo* vocatur obseruantia regularis *cap Scriptura*, *de Voto*, quia per votum obligatur eam obseruare. *Octauo* appellatur promissio obedientiæ, *cap. Consuluit*, *qui cler.* Non quia hæc sola sufficiat ad constituendum aliquem religiosum, & professum, sed quia inter tria vota religionis hæc præstantior, & principalis continens alia duo, quæ ab ea præcipiuntur, & regulantur. *Nono* dicitur benedictio, quæ datur virginibus, quando velantur, *cap. cum virum*, *de Regular.* & quia habitus professorum benedicitur, non Nouitiorum apud aliquas religiones. *Decimo* nuncupatur Ingressus in religionem, *cap. Quia ingredientibus* 19. *quæst.* 1. *cap. Si qua mulier*, *ead. cap. Si quis irregratus* 17. *quæst.* 2. *Auth. Ingressi*, *Auth. Si qua mulier.* C. de Sacros. *Eccles ibi Doct. citati à Barbosa super Auth Ingressi*, *numer.* 3. *Gutierr. lib.* 2. *Canonic. cap.* 1. *numer.* 20. *Peregrin lib.* 6. *Variar. numer* 69. *Petrus* Cened. *pract.* & Canon. *libr.* 1. *quæst.* 6. *numer.* 17. *Sanchez lib.* 5. *cap.* 5. *numer.* 12. *Vndecimo* dicitur traditio in manibus superioris *cap.* 1. 17. *quæst.* 2. nam quando Nouitius profitetur proprias manus iunctas habet inter manus Abbatis professionem acceptantis. *Duodecimo* dicitur fuga à seculo, *cap.* Cum *illorum*, *de sent. excom.* *Decimotertio* nuncupatur matrimonium spirituale ad differentiã matrimonij carnalis, sicut enim in hoc contrahentes se inuicem obligant mutua traditione corporũ, ita & in illo professionis profitens, & religio reciproca obligatione se constringunt. Vnde valet argumentari à matrimonio carnali ad spirituale professionis, & è contra à spirituali ad 2
carnale, *ex c. Hoc vero* 9 *c. Quæ* 10 27. *q.* 1. *Nauar. consil.* 4. *de offic. ordinar. Vecch. disp.* 12. *dub.* 1. *num* 6. Vbi alij citantur.

Vt autem teneat argumentum ab vno ad aliud, necesse est, vt vtriusque par sit ratio, & in iure aliter non sit cautum. Exemplum sit. Furiosus mente captus, & amens non possunt nubere carnaliter *c. Dilectus de spons.* Ergo neque spiritualiter, *cap. Sicut tenor. de Regular.* In vtroque enim casu necessarius est vsus rationis, sine quo neutrum matrimonium contrahi non potest. Pariter sicut matrimonium metu graui contractum non valet, *cap. Cum locum locum de sponsal.* Ita professio coacte facta non tenet, *cap.* 2. *cap. cum dilectus, de iis, quæ vi.* Vide Euer. *in hoc loco*: *Thomasetum Reg.* 51. *Barbosam. Vaz. lit. A. numer.* 188. *Barbosam loco* 70. *dicam latius infra quæst.* 27.

Quærendum in primis est quid sit Professio.

Respondetur Professio religiosa est promissio solemnis, & dedicatio sui ipsius Deo libere à Nouitio post an- 3
num probationis legitime peractum, in loco deputato, facta de tribus substantialibus votis Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis in religione experta approbata à sede Apostolica, recepta a superiore cum consensu sui capituli eiusdem ordinis habente potestatem incorporandi Nouitium eidem suę religionis. Hęc definitio, seu descriptio professionis explicanda per nos est, vt inde quamplures proponendæ difficultates resolui possint.

Primo dixi, quod professio est *promissio*, quia per hanc promissionem necesse est, quod nouitius se Deo obli- 4
get seruire in religione, & cum professio sit species voti, necessario tanquam suum genus includit in se rationem promissionis, quæ ita appellatur *in cap. Consaldus* 17. *quæst.* 2.

Secundo hæc promissio vocatur *Solemnis* ex duplici
capite, *Primo*, quia non priuatim, nec in occulto fit, 5
sed publice; & coram superiore, & testibus emittitur cum quibusdam ritibus, & ceremoniis ab Ecclesia institutis. *Secundo*, quia hæc solemnitas consistit in traditione sui ipsius Deo, & mutua acceptatione perpetuitatis votorum, ex qua sequitur triplex inhabilitas in professo ad matrimonium, & ad bonorum proprietatis acquisitionem, & ex parte religionis, quæ non potest eum liberum dimittere à professione, & statu religioso. *De* hac solemnitate plura dixi *hic c.* 1. *quæst.* 15. 16. 17. 18. vbi docui, quo tempore Ecclesia introduxerit huiusmodi solemnitatem inducentem prædictas inhabilitates.

Tertio; professionem nouitius seipsum Deo dicat, dum
volantatem suam Deo offert in manibus superioris, se 6
priuando etiam iure contrahendi matrimonium, & abstinendi à quouis actu luxurioso mente & corpore, abdicando à se quodcunque bonum temporale, vt Deo liberius seruire possit. Merito igitur professio appellatur dedicatio sui ipsius in holocaustum Deo. De hac dedicatione habes *Auth. Ingress. C. de Sacros. Eccles.* Et aliam de Monachis §. *Si quis.*

5 Quar o pr fessio fit Deo, quia de ratione cuiuslibet voti est, vt fiat Deo, est enim cultus latriæ ei soli debitus, vnde in formis professionum singularum religionum exprimuntur huiusmodi verba: *Ego N voueo, & promitto Deo &c.* Formas Professionis cuiuslibet fere religiosus registrani sub resol. 92.

6 Quinto dixi hanc promissionem debere esse liberam, quia libertas plena ita est necessaria ad valorem professionis, vt sine ea omnino sit nulla, inualida in sententia omnium, nullo discrepante, *ex cap. Præsens 4. 20. q. 3. cap. 1. de iis, quæ metu. cap. Vidua si sponte 4 cap. cum virum 15.* ibi: *Quia liberum habet arbitrium in electione propositi.* Cap. cum simus 14. Vbi habitum retinere nolens libere dimittitur. Cap. Sicut 15. ibi: *Spontanea voluntate professionem fecerit.* De Regul. Ratio est, quia professio est actus voluntatius, qui libere fieri debet, maxime
erga Deum, qui coacta seruitia spernit *Cap. Iam vero 23.*
7 *q. 3.* Voluntarium enim militem Deus sibi eligit, *cap. Non*
8 *est 10. 13. q. 1.* Debet ergo professio voluntarie emitti à
nouitio. Hoc enim indicat verbum *Profitetur*, quod signi-
9 ficat voluntariam pollicitationem teste Calepino ex
Seruio.

10 Sexto dixi, hanc promissionem fieri à Nouitio post annum probationis legitime peractum in loco deputato, vt enim nouitius valide profiteatur quinque ei sunt necessaria, nouitiatus, eius integritas, gestatio habitus, in loco deputato, & acceptatio eius, quorum vno deficiente, nulla sequitur professio. Primum de Nouitiatu, & secundum de eius integritate constat *ex cap. 6. supra.* Tertium de gestatione habitus patet *hic cap. 14.* Quartum de loco deputato habetur sub cap. 5. Quintum denique habetur *cap. 4. qu. 19. 20. 21.* Vlterius infra etiam magis constabit.

11 Septimo dixi, necessarium esse, vt promissio includat obligationem sub tribus votis, aliter professio nulla est, huiusmodi obligatio colligitur *ex cap. cum ad monasterium, de Regul. cap. Monachi, de statu monach. Clem. 1. de relig. domibus, ex D. Thoma 2. 2. q. 186. art. 6.* Hæc autem tria vota sunt de substantia, & essentia status religiosi, & communia omnibus religiosis ab ineunte Ecclesia, de communi cum D. Thoma loco citato, *Scoto in 4. dist. 38. Nauar. com. 1. de Regul. n. 17. §. 23. & 34. Consil. 15 de Regul. Sanchez lib. 7. disp. 23. num. 8. & 9. item lib. 8. disp. 8. num. 12. & lib 3. cap. 1. num. 16. Bellarm. libr. 2. de Monachis cap. 9 & cap 20. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 2. c. fin. Rodriquez tom. 3. quæst. 48. art. 1. cum suo Compend. resol. 123. num. 2. Miranda tom. 1. q. 1. art. 4. Palaus par. 3. tract. 16. disp. 1. p. 1. & disp. 2. p. 1. num. 2. Rota decis. 333. apud Rubeum tom. 8. n. 1.*

12 Octauo dixi, quod nouitius debet experiri in ea religione, quam intendit profiteri, & non alia, vt colligitur *Ex cap. Ad Apostolicam de Regul. & ex cap. 13. sess. 25.* Absurdum enim est, & vanum experiri austeritates vnius ordinis, & in alio profiteri, cum experientia ordinetur præcise ad eam regularem obseruantiam, quam nouitius intendit profiteri. Hinc fit, quod transeunti ad secunda vota necessarium est præmittere secundæ professioni annum probationis, cum primus nouitiatus restrictus fuerit ad tenorem primæ professionis.

13 Nono, vt professio teneat emitti debet in Religione approbata à Sede Apostolica, omnes autem religiones nunc subsistentes dicontur approbatæ à Sede Apostolica, & nulla potest de nouo institui sine huiusmodi approbatione, *cap. fin. de Relig. domibus cap Vn. eod. in 6.* Dixi *resol. 86. num 248.* de antiqua approbatione etiam per Episcopos; & fusius *hic c. 1. q. 19. à n. 134.* Vbi probaui, nullam consistere posse religionem sine approbatione Pontificia per se, vel per Episcopos, & multo minus valere potest professio religiosa, si non fiat in religione approbata.

14 Decimo dixi, professionem, vt valeat, recipiendam esse per superiorem non quemcumque, sed qui sit eiusdem Ordinis, & qui habeat potestatem incorporandi, non enim omnes superiores eam facultatem habent, in meo Ordine, solus Generalis, & Prouincialis hanc potestatem habent, & non alij, nisi eisdem per illos committatur. Quod fiat In manibus superioris habetur *cap Insinuante 7. qui cleric. cap. Porrectum 13. cap. Ad Apostolicam 16. de Regul. Paulus Rubeus ad decis. 431. n. 120. tom. 3.* Recipitur ergo habitus, & professio de manu superioris potentis incorporare, aliter facta non valet, quia nemo per seipsum potest facere se membrum, & partem alicuius Congregationis, & Collegij, sed de manu superioris coaptandus est. Ita *Rodriquez tom. 3. quæst. 17. art. 12. Miranda tom. 1. q. 24. art. 3. Peyrin. de Subd. quæst. 1. cap 26. §. 2. initio,* vbi multos citat, *Sanch. lib. 5. cap. 4. n. 62. Tambur. par. 3. disp. 6. quæst. 14.* Hæc sunt spectantia ad declarationem dictæ definitionis.

Quæret 2. Quot conditiones necessariæ sunt ad valorem professionis?

Respond. Sequentes conditiones requiruntur ad valorem professionis, & enumerantur vndecim à *Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 16. quæ registrantur hic, Sanch. lib. 5. cap. 3. n. 14. Vecch. disp. 13. dub. 1.* 15

Prima est, quod Nouitius legitime receptus per annum integrum mathematice spectatum permanserit in probatione in conuentu deputato per Sedem Apostolicam. Hæc conditio deducitur ex dictis in declar. 6. recurrere ad loca ibi cit.

Secunda est debita ætas sexdecim annorum completorum de momento ad momentum, ex textu expresso sub capit. 13. sess. 25. de qua fuse egi, capit. 7. hic per totum.

Tertia est Nouitij obligatio facta Deo & Religioni, cui perpetuo inseruire promittere debet, nam perpetuitas est de ratione religiosi status, ac proinde professionis, per quam Nouitius constituitur in eo statu, de qua perpetuitate dixi hic c. 1. n. 64. Quod si Nouitius ore aperto profiteatur, sed sine animo se obligandi, quamuis in foro conscientiæ non teneatur, quia professio fuit nulla, tamen in foro externo debet facere, & obseruare, quæ faciunt professi ad euitandum scandalum, cum pro professo habeatur, nec illi credendum est, quia illi obstat manifesta professio facta. Non est ergo valide professus ex natura facti, cum caruerit voluntate se obligandi, & quidem expressa per nolitionem volendi se obligare, ea enim nolitio omnino futuram obligationem impedit, ne exeat in actum. Ita *Nauarr. consil. 15. de Regul. Lessius lib. 2. c. 41. d. 60. Vecch. disp. 13. dub. 2. n. 13. ex eis Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 16. n. 4.*

Quarta dicta obligatio referri debet in promissione, & Voto Paupertatis, Castitatis, & obedientiæ, in quibus consistit primaria essentia Religionis, & Professionis, vt dixi declar. 7. Adeo quod expressio vnius Voti cum formali exclusione aliorum nullam inducit professionem, quia cum in illis tribus simul sumptis consistat essentia Religionis, & Professionis, vt dixi, deficiente vno illorum deficit tota essentia, eo quod rerum essentiæ consistunt in indiuisibili, itaut destructo aliquo illius tota corruat, *leg. Iulianus 9. §. Si quis, ff. ad exhibend.* omissio enim formæ vitiat actum. *Rubeus tom. 4. decis. 541. n. 38.*

Quinta est libertas ex parte ipsius nouitij, qui ad eam cogendus non est, iuxta dicta declar. 5.

Sexta est, quod sit ipse liber. i. non seruus, aut Episcopus, illorum enim professio sine consensu domini, & Papæ est nulla. De seruo dixi, *c. 3. n. 117. ad 127. & c. 6. n. 6. & 59.* De Episcopo, *c. 3. n. 149.* Iterum infra *q. 30. de Seruo, & q. 48. de Episcopo.*

Septima est, vt professionem suam nouitius ordinet ad bonum finem, si enim voueat cum conditione destruente substantiam status religiosi nulla est professio, vt dicam suo loco cum agam de professione sub conditione emissa infra *q. 32.*

Octaua est, vt vir inter viros professionem emittat, & fœmina inter fœminas profiteatur, diuersitas enim sexus impedit, ne professio valida sequatur infra *q. 29 & 64.*

Noua est ex parte superioris, qui debet præter consensum, quo Nouitium iudicauit idoneum ad profitendum, profitentem

profitentem recipere, & facere membrum, partem religionis, & incorporare eum cum alijs, ex dictis sub *declar.* 10. *& hic c.* 16.

Decima est, vt præmittatur consensus maioris saltem partis conuentus indicantis illum aptum ad professionem. De quo nonnulla dixi *cap.* 4. *à num.* 13. *ad* 18. *& seq. & cap.* 5. *num.* 22. in ordine ad dandum habitum probationis, ad professionem, aliquid, sed fusius dixi supra cap. 6. hic.

Vndecima conditio, & vltima est, vt professio emittatur in religione approbata à Sede Apost. aliter nulla est, ex decl. 9.

Quæres 3. An professio requirat certam formam determinatam ad sui valorem.

16 Respond. Ad valide profitendum non est necessaria certa forma verborum, sed sufficiunt quæcunque verba, modo exprimant id, quod essentialiter constituit professum. Ratio est, quia licet vnaquæque religio præscribat formam verborum, quæ legere Nouitius debet in profitendo, tamen satisfacit si alijs verbis idem significantibus vtatur, quia mutatio accidentalis non vitiat actum sicut facit substantialis, minime enim mutatur substantia rei, & veritatis mutatione nominum, & verborum, *leg. Ridiculis, §. Labeo, ff. de Auro, & arg. legat.* Ita Abbas in *cap. Porrectum* 8. *de regul. n.* 13. *Sanch. lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 4. *Palaus disp.* 2. *p.* 1. *n.* 1. Qui limitant, nisi religio præscribat certam formam seruandam cum expresso decreto irritante professionem factam sine lectione præscriptæ formæ. Nec dicas, professionem esse nullam, nisi legatur præscripta forma ex eo quod forma non seruata vitiatur actus, quia respondetur hic nomen formæ sumi accidentaliter, & pro regula, & norma profitendi, non pro substantia ipsius professionis.

Quæres 4. An professio sit Sacramentum? Videtur quod sic, quia remittit peccata, quod est proprium Sacramentorum; vnde S. Hieronym. *Epist.* 8. *&* 25. *atque D. Bernard. lib. de Precept.* eam appellant secundum baptisma.

17 Respond. Non esse Sacramentum. *Tum quia*, inter ea non numeratur, dicitur vero secundum baptisma per quandam similitudinem, quia sicut per primum baptisma homo dicitur regenerari Deo, ita per professionem mundo mortuus dicitur Deo renascere, & viuere *cap.* 8. 16. *q.* 1. *Tum quia*, Sacramenta ex opere operato remittunt culpam, non sic professio, licet habeat adiunctam Indulgentiam, & remissionem peccatorum, vt dixi *cap.* 12. *num.* 39.

An autem sine Indulgentia remittat pœnas peccatorum? Vtique ex opere operantis, quia est actus heroicus, & excellentissimus cui correspondet satisfactio omnium pœnarum. Vide *D. Thom.* 2. 2. *q. fin. ar.* 3. *Rodriq. tom.* 2. *quæst.* 87. *art.* 1. *cum suo Compend. resol.* 77. *num.* 7.

Quæres 5. An sit excellentior, & maior Martyrio.

18 Respond. Est actus excellentissimus, non autem præstantior martyrio. Probatur, quia licet professio sit opus præstantissimum, per illud enim homo non solum sua, sed etiam semetipsum relinquit, dum se subijcit voluntati alterius, quod valde laboriosum esse dicit Beatus Gregorius homil. 32. in Euangel. non ideo tamen se subijcit cruciatibus, & morti propter Christum, vt facit Martyr quod præ cæteris actibus heroicis excellentissimum est. *Confirmatur*, quia per Martyrium patiens acquirit remissionem culpæ, & pœnæ dignus laureola, in qua relucet decus cicatricum, & passionis suæ, ex communi Doctorum apud *Bellarm. de Baptismo cap.* 6. *Regin. lib.* 27. *n.* 3. *Medinam C. de Pænit. q.* 2. *Sotum in* 4. *distinct.* 49. *q.* 5. *artic.* 4. Quæ non lucratur Nouitius profitendo.

Quæres 6. An professio sit Sacrificium.

19 Sacrificium reuera non est, quia in ea non reperiuntur quinque constituentia Sacrificium. *Primo*, necessarius est minister sacrificans, qui debet esse Sacerdos; profitens autem, & recipiens professionem necessario non est sacerdos, vt clarum est. *Secundo*, ex parte materiæ requiritur aliqua res sensibilis animata, vel inanimata; respectu huius nouitius est quidem res sensibilis, & animata Deo se offerens, sed in alijs deficiens non potest eius professio dici sacrificium. *Tertio*, ex parte formæ requiritur, vt materia occidatur, si est animata, vel inanimis aliter mutetur; Nouitius autem qui profitetur non occiditur, nec mutatur, sed manet idem homo, qui erat ante. *Quarto*, ex parte finis requiritur, vt sacrificium referatur ad honorem Dei, illud enim est signum sensibile externum, quo significamus, & protestamur interne, & externe diuinam excellentiam, cui nostram seruitutem subijcimus. Professio vero protestatur tantum renuntiationem rerum, & propriæ voluntatis cum subiectione ad Deum, immediate ergo non refertur ad excellentiam Diuinam, sicut sacrificium. *Quintò demum*, 20
requiritur locus scilicet Altare consecratum, sine isto autem fit professio, licet quandoque fiat ad Altare, & super Altare, cap. Consuluit 4. Qui cleric. vel monach. ibi: *Aut super Altare professa est*. Idest coram Altare, superior enim in bradella Altaris sedens solet recipere Nouitiorum professionem. In Regula Sancti Benedicti c. 58. dicitur, quod scriptam professionem à se factam ponat super Altare. Vide hæc quinque requisita ad sacrificium apud *Becanum cap.* 25. *de Sacrament. part.* 1. *quæst.* 2.

Quæres 7. An professio sit beneficium Ecclesiasticum.

Respond. Negatiue, quia professione acquiritur subiectio, & renuntiatur omnibus iuribus, & fructibus; beneficium autem est ius percipiendi fructus. Ita Sanchez lib. 5. c. 4. n. 36. & 38. 21

Quæres 7. An habeat rationem testamenti.

Respond. Affirmatiue, nam sicut testator disponendo de suis bonis, illa vult esse alterius post eius mortem, est enim testamentum voluntatis nostræ iusta sententia, de eo, quod quis vult post mortem fieri cum hæredis institutione, leg. 1. ff. de Testam. Ita Nouitius professione vult de iure, quod omnia sua bona transeant in religionem, ac si formaliter testatus fuisset; & sicut morte naturali bona transeunt ad hæredes testatoris, ita morte ciuili per professionem bona Nouitij, de quibus non disposuit transeunt in Monasterium, cui acquiruntur. 22

Quæres 9. An professio habeat rationem contractus.

Respond. Affirmatiue, quia professio sicut contractus parit vtrinque obligationem, nam Nouitius per eam se perpetuo tradit, & obligat religioni inseruire, & in ea perseuerare vsque ad mortem: & è contra religio eum acceptat cum obligatione perpetua illum retinendi, & alendi. Confirmatur, quia talis est effectus solemnitatis, vt probaui c. 1. *à num.* 99. *ad* 133. quæ includitur in essentia professionis. Ita omnes cum *Nau. cons.* 26. *de Regul. Rodriq. tom.* 3. *quæst.* 15. *art.* 2. *§. Circa eandem, Sanchez lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 62. *Azor. par.* 1. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæst.* 5. 23

Quæres 10. An de ratione professionis sit perpetuitas vsque ad mortem.

Respond. Affirmatiue, probatur. *Tum quia*, professione Nouitius ponitur in statu, quo debet tendere ad perfectionem; status autem importat immobilitatem, & perpetuitatem ex D. Thom. 2. 2. q. 183. art. 1. *Tum quia*, ex ratione solemnitatis eam perpetuitatem importat, vt dixi præced. quæst. 9. *Tum quia*, in hoc comparatur matrimonio Carnali, quod est indissolubile, & perpetuum. *Tum quia*, per hoc ab aliquibus vocatur quasi character indelebilis, *Cardin. in cap. fin. de Regul. quæst.* 1. *ex Nauar comment.* 2. *de Regular. n.* 33. *§. Sed est. Tum quia*, in omnibus fere formis professionis exprimitur huiusmodi perpetuitas concepta similibus verbis: *Donec vixero, Vsque ad mortem. Toto tempore vitæ meæ, &c.* Ita *cap. Vidua* 16. 20. *q.* 1. ibi: *Et hoc perenniter inuiolate seruare Azor. par.* 1. *lib.* 12. *c.* 5. *q.* 2. *Palaus part.* 3, *tract.* 16. *p.* 1. *initio, Sanch. lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 18. dum dicunt, vota debere 24

esse

esse perpetua. Vide supra *cap.1.quæst.8.& 9. Dixi resol. 57.num 65.*

Quæres 11. An professio facta in communi, & non pro aliqua determinata Religione valeat?

25 Respond. Nulla est, quia vt valeat professio debet fieri in aliqua approbata Religione, ex *c.Vn.de Voto in 6. & cap Vn.de Relig. domibus in 6.* Debet enim emitti in aliqua ex approbatis a Sede Apostolica ex citatis iuribus, *& cap. fin. eod.* Sed Religio in communi non est dabilis, vnde omnis Religio approbatur in particulari, ergo facta in communi non tenet. Confirmatur, quia non est assignabilis superior, qui talem professionem acceptet, ergo sic emissa non valet ex defectu recipientis, & Religiosus in genere, quæ est ens rationis. Ita *Pelliz. tract. 3.c.1.n.22.Sanch.lib.7.disp.23.n.22.*

Quæres 12. An Nouitius per alium emittere possit professionem?

26 Respond. Affirmatiue. *Tum quia,* id omne potest fieri per procuratorem, quod non prohibetur, *cap. Potest, de Regul iur.in 6.* Sed id nullibi prohibetur iure communi, ergo. *Tum quia,* matrimonium contrahi potest per procuratorem, cap.fin. de procur.in 6.ergo & professio. Ita *Rodriq.tom.3.q.17.art.13.cum suo* Compend. *resolut.* 101. *num.65.Sanch.lib.5.c.3. num.7.Mirand. tom.1. quæst.24. art.1.Pelliz.tract.3. cap.1.n.29. Donatus par.4. tract.10. quæst.3.* contra glos. *cap. Sciendum 37. 27. quæst.1. Ego resolut.57.quæst.31. num.133.* Necesse autem est, quod procurator habeat speciale mandatum ad hoc à Nouitio, & quod Nouitius illud non reuocauerit, siue sciat ille, siue non reuocationem, & per seipsum nomine Nouitij emittat professionem, nisi habeat facultatem subdelegandi expressam, ita præcitati. Mandato executo non potest Nouitius exilire nec refutare factam professionem per Procuratorem, quia ipso iure remanet ligatus Religione. Ita præcitati.

Quæres 13. An profitens serio promittendo, sed non habens intentionem se obligandi, & manendi in Religione, valide sit professus?

27 Respond. Qui serio promittit, licet non habeat animum se obligandi, & manendi, valide professus est, sicut ille, qui habet animum se obligandi, sed non adimplendi, & seruandi ea, quæ præscripta sunt in Regula, quam profecit. Non valet professio eius, qui putat, vel ignorat votum professionis habere adiunctam obligationem. Qui fingit professionem emittere non habens animum profitendi nullam facit professionem, & peccat mortaliter.

28 Prima pars, quod sit valida professio eius, qui serio promisit sine animo se obligandi, & manendi in Religione, probatur, quia vera promissio essentialiter, & intrinsece includit obligationem seruandi ea quæ promittunt, standum enim est promissis cap.1. & cap.3. de Pactis. *Confirmatur,* quia obligatio oritur ex promissione, sicut lumen à sole, madefactio ab aqua, calor ab igne. Ita *Lezana par.1.c.2 n.27.Pellizar.tract.3.c.1.n.42.Peyrin. de Prælato q.3.c.1.n.137.*contra *Sanchez l.4.c.1.n.27. & alios ab eo citatos.*

Secunda pars, quod teneat professio eius, qui se obligauit, sed sine intentione adimplendi, probatur. *Tum quia,* executio voti sequitur ex natura ipsius obligationis, cum standum sit promissis ex dictis mox. *Tum quia,* obseruatio Regulæ non est de substantia professionis, sed effectus consequens ad illam, ex eo enim quod quis professus est, tenetur seruare Regulam, ergo tenet professio sic emissa, cum posterius, & consequens non possit impedire valorem sui prioris. *Tum quia,* animus non exequendi votum supponit valorem voti pro aliqua temporis differentia, executio enim refertur ad aliquod verum esse. *Tum quia,* vnus animus non tollit alium cum sint circa diuersa, cuiusmodi sunt animus promissionis, & voluntas non exequendi promissum, tanquam circa causam, & effectum. Ita *Nauar.cap.*15. *numer.*59. *& consil. 46 de Regul num.3.Sanchez lib.4 cap.1.num.23. Peyrin. de Prælato quæstio.3. cap. 1. numer. 137.* contra Valentiam.

Tertia pars, quod nulla sit professio eius, qui credebat, vel ignorabat professionem habere adiunctam obligationem probatur, quia ad valorem professionis necessarius est consensus, qui illi est intrinsecus, sed ignorans, & errans caret voluntate, & consensu obligationis, *leg.Si per errorem 15.ff.de iur.om.iud.l.Nihil 117.ff.de reg.iur.* vnde nec dicitur approbare actum, quem ignorat. Ita *Sanch. l.4.c.1.num.26.* Sed iste casus est magis speculatiuus, quam practicus; nec videtur habilis talis error, & ignorantia eorum, quæ nouitius tenetur scire, & Magister nouitiorum debet eum instruere antequam profiteatur.

Quarta pars, quod fingens profiteri non proficiat, de se patet, quia ad vere profitendum necessarius in primis est consensus realis, qui deficit. Ita omnes cum *Sanchez lib.4.cap.1.num.24.* Cum aliis præcitatis. Tenetur tamen obseruare Regulam ad euitandum scandalum, quia habetur pro professo in foro externo. Et peccauit mortaliter sic profitendo, ob magnam irreuerentiam Deo factam, & quia in ipsa prolatione verborum habet animum non seruandi ea, ad quæ alias teneretur sub mortali. Ita Caietanus 11. *Votum cap.3. initio. Ego cap.2. de Profitente q.11.*

Quæres 14. An libertas sit essentialis professioni, itaut nulla sit facta sine libertate?

Respond. Affirmatiue, & colligitur *ex cap. Præsens 4. 20.q.3.c.1.de iis quæ vi. Cap. Vidua 4. cap. Cum virum 12.cap. Cum scimus 14.c.Sicut 15. de Regular.* Et probaui *hic quæst.1.sub §.Quinto,* Ita Suar. *tom.4. de Relig. tract. 10.lib.3.c.6.num.6. ex eo Palaus disp.2.par.2.§.2.num.1.* 29
Professio autem requirit maiorem libertatem, quam matrimonium, cum sit vinculum perfectissimum, & difficilius illo, quod appetitui naturali conforme est. *Sanchez lib.1.disp.39.num.5. Portellus part.1. casu 9. num.2.* Ratio est, quia professio sine consensu libero existere non potest, cum illius sit causa productiua. De professione ex metu agam in proprio capite, cum longiorem postulet discursum. 30

Quæres 15. Quando constat de professione emissa, & dubitatur super eius valore quid resoluendum?

Respond. Præmittenda est diligens discussio super dubio, quo adhuc pendente resoluendum est pro religione contra professum, nimirum valere professionem, quod probatur eo axiomate, quod melior est conditio possidentis *l.Si debitor 10. ff de pignor.* etiam in pari causa, *l. Si seruum §.Sequitur 91.de verb.obligat.& Reg.63. in 6. ex allegatis à Barbosa axiom.182.num.5.* Sed posita lectione professionis religio incipit esse in possessione professi, ergo censendus est vere professus Confirmatur, quia in dubio pro religione iudicandum est, nam summa est ratio, quæ pro religione facit, *l.Sunt personæ 43.ff.de relig.* Ita *Glos.11.contra dixisse cap. Cum iuram 12. de Regul. Buratus decis.39.hic num 34.* Nauar. *consil.13.num.10.Gratian.cap.413. num.17. Seraph. decis.1361. fine, Sanchez lib.7. disputat.37.n.12.Peyrin.de Prælato q.3 c.1. n.140. Decisio 36.in fine limitat.* Et in decis.45.extensa in calce huius operis dicitur nulla, quando dubium versatur circa præstationem consensus, vt in fine dictæ decisionis. 31 32

Quæres 16. An professio probationis anno finito differri possit? Ratio dubitandi est, quia in Trident. sess. 25. c.16.dicitur, quod finito probationis anno superiores admittant ad professionem Nouitios, vel eos eiiciant, ergo non possunt amplius eos retinere.

Respond. Nouitij finito probationis anno inuenti habiles admittendi sunt ad professionem, si vero eis aliquid desit, tempus professionis ex causa differri potest ad aliquot menses, vt interim expediantur causæ talis dilationis; & ita intelligendus est textus Tridentini, vt fertur, S.C.declarasse, etiam ad sex menses. Ita Compend. *Rodriquez resol.101. num.62. Riccius par.4. resol.254. Peyrin.de Prælato q.3.cap.1. numer.102. Diana resol.118. de Regul.Donatus par.4.tract.9.quæst.18.Pasq ad Francum p.1.n.43.* 33

Quæres 17. An in professione intelligatur reseruata auctoritas Romani Pontificis?

Respond.

34 Respond. Affirmatiue, quia eius suprema est potestas super omnes Ecclesiasticos, & cum approbet omnes religiones, consequens est, quod sibi subiiciat suæ auctoritati quoslibet religiosos. Et ita docet *glos.* 11. *Professi cap. Deus quæst.* 11. *de vita, & hon.* Intelligit autem quod ad solemnitates, secus tamen in iis, quæ sunt de substantia ordinis, ex cap. Cum ad monasterium de statu regul. vbi extremis verbis dicitur, quod Papa indulgere non potest licentiam super votis substantialibus. Sed posse docui supra hic *cap.* 1. *quæst.* 40. *num.* 250. *& Barbosa super dictum c. Cum ad monasterium n.* 13. Refert pro affirmatiua plusquam 40. Doctor.

Quæres 18. An professio valida in aliquo casu destruatur? Ratio dubitandi est, quia de sua natura est perpetua, vt probaui hic q. 10.

35 Respond. In duobus. *Primo*, quando fit Papa, in eo enim absoluuntur vota obedientiæ, quia nulli subiectus nec actu nec habitu: & paupertatis, quia tunc habet dominium rerum omnium Ecclesiasticarum, *Abbas in cap. Constitutus, de relig. domibus num.* 15. *Parisius lib.* 2. *q.* 4. *n.* 34. De qua re fuse egi Contron. 15. quæst. 7. *Secundo* quando dispensatur vt vxorem ducat, tunc enim de religioso fit non religiosus, prout dixi eadem *Contron.* 9. *n.* 66. Et ex his patet ad rationem dubitandi, nam verum est, quod quantum est ex natura ipsius solemnis voti, & parte professi perpetuo remanet religiosus in cæteris.

Quæres 19. An Nouitius profiteri valide possit ad tempus limitatum e.g. ad viginti annos?

36 Respond. Professio taliter emissa nulla est. *Tum quia*, matrimonium ad tempus contractum nullum est, ergo & professio. Antecedens est D. August. relati cap. Solet 6. 32. quæst. 2 *Tum quia*, professio ea se perpetuo obligat ex quæst. 10. hic, ergo non potest fieri ad tempus. *Tum quia*, non conuenit moribus nostris temporalem habere filium, inquit, *l. Si tibi* 34. *ff. de adoption.* Sed professione

37 Nouitius fit filius adoptiuus religionis. Tum quia clausura, & stabilitas inclusa in professione est perpetua *ex c. Sicut* 13. *de iureiur.* Ergo & professio. Ita docui *Resol.* 57. *num.* 63.

Quæres 20. An strictior professio induci possit? E g. vt Tertiarij profiteantur primam Regulam. Quod est etiam quærere, an Papa possit cogere religiosos Regulæ laxioris profiteri Regulam alterius ordinis strictioris? V. g. vt Seruita fiat Minimus, vt Iesuita fiat Cartusianus

38 Respond. Id fieri non posse, probatur *Tum quia*, nemo cogitur vouere, virginitas enim suaderi potest, non præcipi, *cap. Integritas* 13. 32. *quæst.* 1. Quia est res magis voti, quam præcepti, vnde glos. 11. Voti, ait, quod religiosi non possunt compelli ad vitam strictiorem. *Tum quia*, nemo inuitus cogitur crescere, *cap Gesta* 2. *dist.* 74. Nec Deus eligit sibi militem nisi voluntarium *cap. Non est* 10. 15. *quæst.* 1. Tum quia pater non potest cogere filium ad profitendum, cap. Præsens 4. 20. quæst. 1. ergo minus Papa, quia filius est magis subiectus patri, quam Papæ. *Tum quia*, votum coactum non tenet, cum de ratione eius sit libertas, quæ per coactionem læditur. Ita enim multis *Sanchez lib.* 6. *c.* 2. *num.* 22. *Nauar. consil.* 16. *de Regul.*

Quæres 21. An proficiens in peccato mortali peccet mortaliter?

39 Respond. Negatiue. *Tum quia*, per eam nullum recipit sacramentum. Tum quia emittens alia vota non peccat. *Tum quia*, audiens missam, & alia diuina officia non peccat. *Tum quia*, licet obicem ponat Indulgentiæ, quam lucrari potest, non tamen peccat, quia non tenetur eam sumere.

Quæres 22. An quouis tempore sit licitum professionem facere?

40 Respond. Affirmatiue, quia nullo iure assignatur tempus determinatum, vt fiat tali die, tali hora, mane, vel vesperi, de die, an de nocte. Ita *Pellizar. tract.* 3. *cap* 1. *num.* 34. Contra Nauarr. qui consil. 44. de Regul. ait professionem post cœnam emissam male fuisse, & peccasse mortaliter, eo quod etiam emissa fuit infra annum probationis, eum autem impugnat *Naldus* 11. *Professio num.* 11.

Quæres 23. An professio per errorem, aut deceptionem emissa sit vada? Præmitto, deceptionem, & errorem contingere posse super substantialia eius e. g. si quis putet profiteri in religione Minorum, & profitetur in ordine Minimorum; vel non esse obligatum in perpetuum; vel non priuari dominio rerum &c. qui errores immediate 41
sunt ad destructionem substantiæ Regulæ, seu status religiosi. Cum autem Nouitius præsumatur super his instructus videntur exempla esse potius speculatiua, quam practica. Error vero accidentalis contingit circa ea, quæ naturam professionis non destruit. Super his vide *Sotum l.* 7. *de iust.* *Sayr. lib.* 6. *Clauis c.* 9. *n.* 4. *cum aliis Vecchius disp.* 13. *dub.* 13.

Respond. Professio emissa ex errore, deceptione, seu 42
dolo circa substantialia est nulla, tenet vero, quando error est circa accidentalia.

Primum probatur, quia error impedit consensum; & libertatem, *l. si per errorem* 13. *ff. de iurisd. om. iud.* Deceptio, & dolus excludunt voluntatem decepti, *l.* 1. *ff. de dolo*, vnde non fit dolus volenti, & scienti, *l. Nemo ff. de reg. iur. l. Cum donationis, de transact.* Ergo nulla professio. *Confirmatur*, quia matrimonium ex errore substantiali nullum est, *Sanch. lib.* 7. *disp.* 18. *num.* 18. Ergo & professio. Ita Lessius *lib* 2. *cap* 40. *n.* 12. *Sanch libr.* 10. *disp* 9. *n.* 21. *ex illis Vecchius disp.* 13. *dub.* 13. *n.* 5. *Castropalaus disp.* 2. *p.* 2. §. 2. *n.* 3.

Secundum probatur, quia error, & deceptio circa accidentalia non tollit consensum, nec destruitur essentia professionis, quæ sine illis accidentibus subsistere potest, cum illius non sint destructiua, sicut quando error, & dolus est circa substantialia, vnde in cap. Ex parte 15. de conuers. coniugat. professio ex falsa causa accidentali tenet. *& ex cap. Veniens* 16. *eod.* tenet professio facta ex dolo accidentalis causæ. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *n.* 12. *Bonac de legibus disp.* 4 *quæst.* 2. *p.* 3. §. 2. *n.* 4. *& præcitati cum Vecchio disp.* 13. *dub.* 13. *n.* 4. *Sanchez l b.* 10. *disp.* 9. *n.* 20. *cum aliis.*

Quæres 24. An non baptizatus sit validè professus?

Respond. Negatiue, Probatur quia, omnis religio sumpsit exordium a Christo Domino, ergo qui non est sepul- 43
tus cum Christo per baptismum non potest esse religiosus; baptismus enim non solum est basis, & fundamentum reliquorum sacramentorum, quæ sine illo subsistere non possunt, *cap Veniens, de presbitero non baptiz.* à fortiori nequeunt subsistere reliqua spiritualia, quæ sunt inferioris conditionis, quam sacramenta, *Confirmatur*, quia matrimonium à non baptizato contractum non valet ex impedimento cultus disparitatis *ex Sanch. lib.* 7. *disp.* 71. Ergo nec professio. Ita *Portellus par.* 1. *casu* 28. *num.* 19. Circumfertur quædam declaratio S. Congreg. quod valeat professio ex Marzilla apud dictum *Portellum, & Vecchium disp.* 13. *dub* 1. *in fine, ex doctrina Abbatis super c.* 1. *de presbitero non baptiz.* Sed ibi potius confirmat nostrum responsum, dum dicit per baptizatum non solemnizari votum susceptione ordinum, qui sunt irriti, ergo nec professione solemnizatur, cum sit irrita. In dubio autem Baptismi si rebaptizatur, non potest recedere à religione; sed debet remanere, quia constat de obligatione, *Quintana de Baptismo sing.* 12.

Dubitatur hic primo, an percutiens in baptizatum nulliter professum sit reus excommunicationis? *Secundo*, an teneatur reficere nouitiatum?

Ad primum respondetur affirmatiue, quia ius gaudendi priuilegio canonis acquiritur assumptione habitus, vt patet in Nouitio. Et ita docui *Resol.* 28. *q.* 40. *n.* 25. *& ex me Donatus par.* 4 *tract.* 14. *q.* 10.

Ad secundum, non tenetur renouitiare, sicut qui dicitur ratificare professionem, quia nouitiatus experientiâ perficitur, non ex suppositione baptismi, quod nihil confert ad experientiam, cuius capax est homo quatenus homo habens vsum rationis.

Quæres 25. An religiosus defunctus si reuiuiscat sit adhuc

adhuc professus, & non egeat professione si vult rema-
nere cum professis? Ratio dubitandi est, quia monacha-
tus est indelebilis secundum *Cardin. in cap. fin. de Regul.*
quæst. 1. ex eo Nauar. Com. 2. de Regul. num. 55. §. sed est
dubium.
44 Respond. Indigere noua professione, quia prior pro-
fessio morte extincta est, solent enim professiones emitti
vsque ad mortem. Et facit illud axioma: *Mors omnia so-*
luit. Ergo & professionem, quicquid enim personæ co-
hæret morte finitur, l. Sicut §. Morte 3. ff. quibus modis
fruct. amitt. *Confirmatur*, quia matrimonium morte extin-
guitur, *Apost. 1. Corinth. cap. 7. 39. l. Si cum ante 7. C. de*
donat. ante nupt. Ergo & professio. Ita Angelus 11.
Mors 3. Silu. Tabiena ibidem, Sanchez lib. 4. c. 14. n. 41.
Contra Ioannem Andr. *in cap. Fraternitatis de Frigid. &*
Graff. in Addit. ad par. 2. instit num. 8. Quia votum fit
Deo, qui nunquam moritur, & est quasi character indele-
bilis. Sed hæc non obstant, quia licet votum Deo fiat, non
tamen in æternum, sed tantum durante vita hominis, &
non habet rationem characteris, quia non imprimitur in
anima, licet ei adhæreat amissibiliter ad tempus.
Quæres 26. An professio excommunicati teneat.
45 Respond. Affirmatiue siue sit toleratus, siue denuntia-
tus, quia is est actus priuatus à nulla iurisdictione pen-
dens, sicut cætera vota, quæ ab excommunicatis facta
46 tenent, *Sayr. lib. 2. de cens. c. 9. num. 13.* Non est benefi-
cium ex dictis quæst. 7. hic, ergo nihil impedit eius pro-
fessionem. *Confirmatur*, Tum quia contractus cum ex-
communicato tolerato valet, ex eodem Sayr. num. 11.
ergo & professio, quæ contractus est. *Tum quia*, tenet
47 matrimonium, ex eodem num. 15. Ita *ex cap. Cum illo-*
rum 32. de sent. excom. vbi Barbosa citat communem Do-
ctorum, cum Sanchez lib. 5. capit. 4. numer. 36. Nauar.
comment. 4. numer. 25. §. Quarto Rodriquez tom. 2. quæst.
62. art. 15. Portellus par. 1. casu 9. numer. 3. Bonac. p. 3. de
excommun. numer. 2. Quod si excommunicatus vigore
48 Rescripti Apostolici professionem excitat, quam aliter
edere non potest, inualide profitetur, quia nullum est
rescriptum ab excommunicato obtentum ex cap. 1. de
de rescrip. in 6. nisi in Rescripto fiat mentio de absolu-
tione, vt modo fieri solet. Ita *Calderin. consil. 12. de Re-*
gul. & consil. 4. de Rescript. Socinus in cap. Sacris, de sent.
excom. num. 174. Vecchius disp. 5. dub. 2. num. 3. Quia va-
lor professionis fundatur in Rescripto, sine quo facta non
49 tenuisset. Nouitius excommunicatus etiam non denun-
tiatus peccat mortaliter, quando cum lectione professio-
nis à superiore miscentur orationes de more. Recipiens
vero professionem nondum denuntiati non peccat, cum
illum vitare non teneatur. Ita Sanchez cum aliis, quibus
adde *Palaum disp. 2. p. 2. §. fin. n. 3. Faustum l. 5. Thes. quæst.*
204. Donatum p. 4. tract. 11. q. 23.
Quæres 27. An valeat argumentum à matrimonio ad
professionem?
50 Respond. Affirmatiue, vbi par reperitur ratio, quia
parium idem est iudicium, & vbi eadem est ratio, ibi ea-
dem iuris dispositio, ex vulgatis iuribus. Argumentum
huiusmodi desumitur, *ex cap. Viduas 2. cap. Nec aliquo*
4. cap. Quod si 5. cap. Hæ vero 9. cap. Quæ Christo 10.
27. quæst. 1. In quibus locis Summus Pontifex arguit à
matrimonio carnali ad spirituale professionis. Referam
nonnulla exempla in hoc opere dispersa. *Primo* Matri-
monium carnale nunquam intelligitur irritum ex prohi-
bitione carente decreto irritante, ergo nec professio
cap. 3. numer. 17. & 18. *Secundo*, dos sequitur mulie-
rem ad secunda vota transeuntem, ergo & monialem ad
secundum monasterium, cap. 13. num. 102. *Tertio*, reli-
ctum pro matrimonio Carnali debetur ingredienti reli-
gionem, cap. 13. num. 117. & num. 126. Legatum cleri-
co debetur facto religioso. *Quarto*, matrimonium, &
professio in multis comparantur, cap. 17. Vbi sine de-
creto irritante matrimonium nunquam irritum dicitur ex
quacunque prohibitione, ergo nec professio num. 14.
Quinto, matrimonium contrahitur per procuratorem,
ergo & professio hic quæst. 12. *Sexto*, sicut prohibetur
donatio inter virum, & vxorem, ita & inter Nouitium,
& Religionem, hic cap. 13. quæst. 19. num. 41. *Septimo*,
non potest contrahi matrimonium ad tempus, ergo nec
professio, hic quæst. 10. & 19. *Octauo*, institui non potest
matrimonium ad tempus, ergo nec Religio cap. 1. n. 66.
Nono, matrimonium errore personæ celebratum est nul-
lum, ergo & professio cum tali errore facta, hic quæst. 23.
Decimo, matrimonium debaptizati non valet, ergo nec
professio, hic quæst. 24. *Vndecimo*, matrimonium morte
soluitur, ergo & professio, hic quæst. 25. *Duodecimo*, ma-
trimonium excommunicati tenet, ergo professio, hic q.
26. *Decimotertio*, furiosus & demens sunt inepti ad ma-
trimonium, ergo & Nouitius infra quæst. 28. *Decimo-*
quarto, virgo tradenda nuptui dotanda est, *leg. Qui libe-*
ros, ff de Ritu Nupt. & leg. fin. C. de Dotis promiss. ergo
& volens ingredi Religionem. *Decimoquinto*, seruus in-
ualide nubit, ergo & nulliter profitetur, infra quæst. 30.
Decimosexto, ebrius non potest inire matrimonium, ergo
nec profiteri, hic quæst. 32. *Decimoseptimo*, non confir-
mati Sacramento Matrimonium tenet, ergo & professio
infra quæst. 40. *Decimooctauo*, filius familias valide con-
trahit matrimonium, parentibus in extrema necessitate
existentibus, ergo & valide profitetur, hic quæst. 47.
Decimonono, conditio irritat matrimonium, quando eius
essentiæ est contraria, ergo & professionem, infra quæst.
52. *Vigesimo*, matrimonium sub conditione si Papa dis-
pensauerit, contractum, firmatur dispensatione posita,
sine nouo consensu, ergo & professio, infra quæst. 52.
num. *Vigesimoprimo*, sicut sponsalia dirimuntur per sub-
sequens matrimonium cum alia persona, ita professio con-
ditionata dirimitur per matrimonium antequam conditio
existat, infra quæst. 52. *Vigesimosecundo*, testes cuiuscum-
que conditionis sufficiunt ad assistendum matrimonio,
ergo & ad professionem, infra quæst. 75. *Vigesimotertio*,
nullitas matrimonij probatur per testes idoneos, ergo &
nullitas professionis, infra quæstio. 76. *Vigesimoquarto*,
vtrumque postulat libertatem, sed maiorem professio su-
pra num. 30. *Vigesimoquinto*, metus grauis ad hoc iniu-
stus irritat matrimonium, ergo & professionem, cap. 19.
quæst. 1. *Vigesimosexto*, metus iuste incussus non vitiat
matrimonium, ergo nec professionem cap. 19. quæst. 1.
Vigesimoseptimo, nullum est matrimonium in vtroque
foro ex metu iniusta incusso, ergo & professio c. 19. q. 1.
Vigesimooctauo, Matrimonium inter solutos prolem legi-
timat, ergo & professio legitimat per se tamen, quoad
Ordines. Cap. 20 n. 19. *Vigesimonono*, Matrimonium nul-
lum tale est in vtroque foro, ergo & professio, cap. 21.
§. Præmisso 4. *Trigesimo*, matrimonium nullum est tale
in vtroque foro, ergo & professio, c. 21. n. 4. *Trigesimo-*
primo, matrimonium non solum verbis, sed etiam signis,
factis, & nutibus contrahitur, ergo & professio cap. 21.
num. 8. *Trigesimosecundo*, ignorans impedimentum ma-
trimonij illud nunquam validat, ergo neque ratificat pro-
fessionem, qui eius impedimentum ignorat, cap. 21. num.
28. *Trigesimotertio*, ad probandam nullitatem matrimo-
nij necessarij sunt testes idonei, ergo & in professione,
c. 22. n. 33.
Fallit autem *Primo*, cum est dispar ratio, vnde matri- 51
monium confert gratiam ex opere operato, quatenus Sa-
cramentum est, non quo est contractus, professio autem
solum ex opere operantis confert remissionem pœnarum,
quia non est Sacramentum. *Secundo*, cum in iure ali-
ter disponitur, vnde puer cœpta pubertate init matri-
monium, Nouitius vero ex finita iure antiquo, num
vero ex Tridentino post sexdecim annos completos.
Tertio, non procedit in odium tertij, *Ioseph Sesse Arra-*
gon decis. 45. num. 51. & decis. 171. num. 1. cum aliis Bar-
bosa loco 70. *Quarto*, in statutis Vrbis, non valet argu-
mentum à matrimonio ad professionem, vt de fructibus
Dotis à monialibus petitis, & non debitis dixit Seraphin.
decis. 317. quia statutum intelligendum est ad literam.
Rub. ad Statuta Vrbis numer. 6. *Quinto*, valet matri-
monium ab Hermaphrodito contractum, non autem
professio, ob disparitatem adductam quæst. 29. *Sexto*,
valet

valet matrimonium cœci, surdi, & muti simul, sed non professio, ex cap.3.q.15.n.63. *Septimo*, matrimonium est nullum sine testibus, valet vero professio, infra quæst.74. *Octavo*, olim matrimonium nullum resoluebatur in sponsalia, non vero professio in votum Castitatis cap 20.n.11. *Nono*, in matrimonio non potest suppleri consensus, sicut in ratificatione professionis suppletur legaliter consensus monasterij, vt dixi c.21.n.39.

Quæres 28. An professio amentis, & furiosi valeat? Vide, quæ latius dixi *c.3.q.9 à n.40. & seq.*

52 Respond. Amentes, & furiosi, dum laborant dementia, & carent vsu rationis nullatenus valide profiteri possunt. Tum quia ad valorem professionis intrinsece, & primo necessarius est vsus rationis, vt professurus sciat quid sit facturus, & in illud consentiat; fatuus autem, & furiosus carent vsu rationis, ac proinde ignorant quid faciant, nec consensum præstare possunt ex carentia vsus rationis, *leg. 42. ff. de reg. iur.* vbi dicitur carere voluntate, idest eius vsu, & consensu, vnde non dicitur sibi acquirere voluntate sua, sed voluntate legis, vel alterius cum iussu Curatoris, *leg. Amissum 62. § in libro, ff. de acquirend. vel omittend. heredit.* habetur ergo pro non consentiente, & absente, *leg. 2. § furiosus, ff. de iure Codicill.* & quod dicitur de furioso intelligendum est etiam de amente, æquiparantur enim in iure, cum ambo careant vsu rationis. Ergo eorum professio est nulla. Confirmatur, quia amens, & furiosus prohibentur contrahere matrimonium, & attentatum est nullum, quia nesciunt quid faciunt, *leg. Parte octaua, ff de iis, qui sui, vel alieni capite Dilectus, de Sponsalibus.* Ergo nec profiteri. Ita omnes in *capite Sicut tenor 15. de Regul. Miranda tomo primo, quæst. 17. articul. 5. conclus. 3. Azorius parte prima, lib. 12. cap. 2. quæst. 23. Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 53. Barbosa ad dictum cap. numero secundo. Est in terminis decis. 107. volum. 2. Nouis. Diuers. quam extendi in calce huius operis sub num. 18.*

Quæres 29. An valeat professio Hermaphroditi in eo Ordine, vbi prævalet sexus? Dixi latius cap.3.quæst.12.à n.57.ad 59.

53 Respond. Negatiue, quia mixtio sexus facit inhabilem personam, & est seminarium luxuriæ tam actiue, quam passiue destructiuum Continentiæ, & Castitatis, atque hoc dictat ius naturale. Ita *Peyrinus de Prælato quæst. 3. cap. 1. numer. 59. Tamburr. 3. disputat. sexta, quæst. tertia, numer. 21. Portellus 11. Nouitius numer. 23. Ego Resolut. 57. numer. 77. Vericellus de Missionibus tit. 14. quæstion. 196. dub. 8. numer. 61. Contra Sanchez lib. quinto, capit. 4. numer. 41. & alios*, quos citaui loco prædicto.

Dices, valet matrimonium ex *Sanchez lib. septim. disput. 106. Bonac. de Matrimon. quæst. 3. p. 14. numer. 26.* ergo & professio.

Respondetur, esse disparem rationem quia finis matrimonij præter prolem est etiam expletio libidinis, quibus mixtio sexus non aduersatur, sicut contrariatur continentiæ, & castitati, cum sit proxima causa incontinentiæ religiosis.

Quæres 30. An, & quomodo teneat professio seruorum? Vide sub *capite tertio, quæst. 42. à n. 117. ad 127.* de eorum ingressu, nouitiatu, & professione, & *cap. 6. q. 23. n. 59.* de eius probatione.

54 Respondetur, Professio serui contradicente domino nulla est, sicut & eo ignorante inualida est, post triennium vero tenet, nec amplius eam reuocare potest, & hoc triennium incipit currere à die ingressus, non à die scientiæ. Eam satis probaui loco citato. Ita tenent *Sanchez lib. quint. capite quarto, numer. 49. Bonac. de Clausur. q. 2. p. 10. difficult. 2. § quarto, n. tertio. Donatus parte quarta, tractatu tertio, quæst. 14. Castropalaus disputatio. secunda, p. 2 § tertio*, vbi dicit, professionem factam infra illud triennium sine consensu domini valere, ac proinde teneri perseuerare in Religione, & non teneri ad sæculum, cum *Suarez, Lopez. & Sylu.* contra *Paludanum, Azorium, Lessium, & Sanchez*, probaui illi, quia nullo iure est irrita, non naturali, quia omnia vitia iure naturæ valent; & ea dominus non potest irritare, sed solum impedire vsum sibi præiudicialem. Non positiuè, quia ex cap. Si quis incognitus, potius deducitur valere. Sed loco citato prædictis respondi, vtroque iure esse nullam professionem. Quibus adde votum à domino irritari simpliciter, & non tantum eius vsum, cum irritare sit in totum eradicare rem irritam factam, & eius vires eneruare, & attentatum destruere in totum. Confirmantur prædicta, quia matrimonium serui non tenet, vt constat ex impedimento seruitutis, quod vocatur conditio, ergo neque eius professio.

Quæres 31. An, & quomodo teneat professio coniugatorum? Vide c.3.q.35.à n.105.ad 117.

55 Respond. Vt valeat professio vnius coniugis sufficit licentia alterius, saltem præsumpta, quod non contradicat, quando commode contradicere potest, vnde dissimulatio sufficit, quod si contradicat nunquam professio conualescit, quia est perpetuum impedimentum. Hæc ibidem probata manent.

Quæres 32. An Catechumenus possit profiteri in Religione?

56 Respond. Negatiue, quia caret baptismo necessario ad valorem professionis, de quo supra hîc *quæst. 24. & cap. 3. q. 6.*

Quæres 33. An ebrij professio valeat? Vide c.3.q.10. numer.55.

57 Respond. Lecta professio per existentem actu in ebrietate nulla est, quia cum careat vsu rationis, reuera non potest consentire in professionem, nec super eam deliberare. *Confirmatur*, quia non potest contrahere matrimonium, & si ante inebriationem habuerit voluntatem contrahendi, *Sanchez lib. prim. disputat. 8. num. 19. & 20.* ergo nec profiteri.

Quæres 34. An illiterati professio valeat? Vide cap.3. quæst.13.

58 Respond. Semper valere, quia nullibi reperitur hunc defectum irritare professionem etiam emissam in num. clericorum, quamuis dicatur inhabilis ad exercitium Chori. *Confirmatur*, quia illiteratus recipit characterem Ordinis, ad quem promouetur, ex *glos. v. Illiteratus cap. 1. distinct. 36.* ergo & schema professionis.

Quæres 35. An valeat professio cœci, surdi, & muti? Vide c.3 q.15.

59 Respond. Patiens simul illos tres defectus præsertim à natura proficere valide non potest, quia percipere non potest statum Religiosum, ac proinde nec in illum consentire. Cœcus tantum, & surdus tantum sunt capaces professionis, ad quam se obligare possunt. Mutus vero non potest valide profiteri, vbi necessario expressis verbis profitendum est. Vide ibidem.

Quæres 36. De professione infirmi?

60 Respond. Infirmi professio iure communi non prohibetur, sed permittitur, capit. Sicut tenor 15. de Regul. Continua tamen febris cogens comedere carnes, & lacticinia inhabilem facit ad professionem eius Ordinis, vbi illorum comestio prohibetur. Probaui hæc *cap. 3. quæst. 16. & 17.*

Quæres 37. An infamis professio sit valida?

61 Respond. Affirmatiue, quia nullibi interdicitur eum Decreto irritante, ergo emissa valet. Ita probaui *c. 3. q. 18. & resolut. 57. n. 143.*

Quæres 38. An professio histrionum, lenonum, & similium valeat?

62 Respond. Affirmatiue, quia nullibi prohibetur. Dixi c.3.q.19.

Quæres 39. An irregularis valide profiteatur?

63 Respond. Affirmatiue, quia nullibi prohibetur, immo per eam tollitur irregularitas ex defectu natalium ad recipiendos ordines, quod signum est eam valere cap. 3. quæst.20.

Quæres 40. An bigami professio valeat?

64 Respond. Valet, quia non arcetur à Religione, ergo nec à professione c.3.n.70.

Quæres 40. An nondum confirmatus Sacramento Christmatis valide profiteatur?

65 Respond. Affirmatiue, quia nullo iure prohibetur, & sicut valet matrimonium, ita & professio. Dixi c. 3. q. 23. num. 73.

Quæres 41. An valeat professio illegitimi?

66 Respond. Valet, etiam professio illius cuius pater viuit in eadem Religione, iuxta ea, quæ dixi eod. cap. 3. q. 26. Nam Clemens VIII. omnes, quos inhabilitauit Sixtus V. fecit capaces professionis.

Quæres 42. An criminosi iuxta Bullam Sixti V. valide modo profiteantur.

67 Resp. Affirmatiue ex dictis eod. c. 3. q. 27.

Quæres 43. An obnoxij ratiociniis, & debitis valide profiteantur?

68 Resp. Sic, quia inhabilitatem positam per Sixtum V. sustulit Clemens VIII. c 3. q. 28. & 29.

Quæres 44. An sponsi professio valeat?

69 Resp. Sic, licet enim per sponsalia impediatur ingressus, non tamen irritatur secuta professio, quæ infringit, & soluit sponsalia, ea eodem c. 3. q. 30.

Quæres 45. An stuprator virginis valide profiteatur?

70 Respond. Affirmatiue, quia nullo iure cauetur eius irritatio, licet prohibeatur ingredi, quia obligatur ducere stupratam, aut, dotare eam, tamen per hoc non impeditur efficaciter eius professio. Vide dicta eodem cap. 3. q. 38. num 99.

Quæres 46. An militis professio teneat?

71 Resp. Sic, quia non prohibentur ingredi, quando volunt conuerti, *cap. Monasteriis 6. 19. quæst. 3. cap. 3. supra q. 45. n. 132.*

Quæres 47. An teneat professio filiorum, parentibus eorum existentibus in necessitate?

72 Respond. Professio semper valet, non obstante quauis necessitate, quia nulla Lex irritat huiusmodi professionem. Confirmatur, quia sicut necessitas parentum non irritat matrimonium, ita neque professionem. Ita *Nauarr. consil 26. Lessius lib 2. cap. 41. num. 34. Sanchez lib. 4. cap. 20 num. 10. Suarez tom. 3. de Relig. lib 6. cap 9. numer. 1. ex illis Palaus disput. 2. p. 2. §. 6.* Vide alia supra *quæst. 46. à n. 133. ad 145.*

Quæres 48. An professio facta per Episcopum teneat?

73 Respond. Professio Episcopi consecrati oues habentia sub se non valet, nisi facta de licentia Papæ. Professio vero eius, qui renuntiauit officio tenet facta etiam sine licentia. Probatur, quia caret libertate volandi ad Religionem, ex *cap. Nisi cum pridem 10. de Renunt. cap. Licet 18. de Regular.* consequenter sine licentia Episcopus præstare non potest consensum in professionem. *Confirmatur*, quia actus factus sine licentia requisita est nullus, *Authem. Licentia*, C. *de Episcop. & Cleric. leg. Si quis mihi bona, §. Iussum, ff. de acquirend. heredit. ex Sanchez lib. 3. disputat. 35. numer. 18.* Licentia enim importat facultatem rationi consonam, *Bartol. in leg. Alio, ff. de Aliment. & cibar. numer. 8. Menoch. lib. 1. de Arbitr. quæst. 8. numer. 45.* Præterea sicut resignatio Episcopatus facta sine licentia Papæ est nulla ex *cap. Admonet 4. & cap. Nisi citat. de Renunt. Nauar. consil 2. de Renunt. Pars. lib. 7. quæst. 1. à num. 9.* Ita & professio omissa sine eiusdem licentia, non enim licentiæ defectus est minus efficax in vno casu, quam in alio. Ita *Donatus, quem citaui cap. 3. q. 55. à n. 150. & dixi cap. 2. de Profitente q. 66. Valentia 2. 2. disp. 10. q. 3. p. 4 §. Tertius*, contra *Suarez tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 8. n. 7. & ex eo Palaus disp. 2. p. 2. §. 5. n. 2. §. Ceterum.*

Quæres 49. An professio Cardinalium, Abbatum, & aliorum Prælatorum curam animarum actu habentium, facta per illos sine licentia Papæ valeat?

74 Respond. Valet, iuxta dicta præcitato cap. 3. quæst. 56. & 57.

Quæres 50. An Parochi professio emissa inconsulto Episcopo valeat?

75 Respond. Affirmatiue, etiam Episcopo contradicente, *ex cap. 2. 19. quæst. 2.* quia transit à statu imperfecto ad perfectum secundum *D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 7.* Et hæc est differentia inter Episcopum, & Parochum, quod illi incongruum est descendere, ideo ad eam incongruitatem tollendam necessaria est Papæ licentia, qua non indiget Parochus, quia ascendit.

Quæres 51. An professio pendere possit, in eo scilicet quod emissa non sit valida, nac inualida, sed indifferens ad esse, & non esse propter aliquid euenturum?

76 Respond. Non potest pendare, sed statim aut valet, aut inualida est, quia cum pure, & absolute fiat, tunc recipit suum valorem, si adsunt omnia requisita, vel valore caret, si aliquid ab eius valore deficit. Confirmatur, quia sacramenta cum absolute conferantur, tunc cum dantur sortiuntur suum existere, vel nihil sunt, ergo idem dicendum de professione, quæ absolute emittitur. Ita *Nauar. consil. 31. num. 5. §. Quinto, ex eo Sanch. lib. 7. disp. 34. n. 16.*

Quæres 52. An professio sub conditione emitti possit?

77 Resp. Professio emissa sub conditione contraria substantiæ ipsius ipso iure est nulla; emissa vero sub conditione non contraria licet ante euentum conditionis sit pariter nulla, tamen ea adueniente non tenetur consentire denuo in eam, durante priori consensu, nec ante ab ea resilire potest redeundo ad seculum, si tamen ducat vxorem, tenet matrimonium.

Prima pars, de nulla professione ex conditione contraria substantiæ illius, probatur, quia conditio destruit naturam professionis, cui additur. Confirmatur, quia similis conditio destruit matrimonium, cui adiicitur, *cap. fin. de condit. appos.* Ergo & professionem. Quare nulla est professio eius, qui profitetur sub conditione retinendi sibi aliquid, etiam vsum rei independenter à superiore, vel manendi in propria domo, vel non obediendi superiori, vel ducendi vxorem, &c. Ita *Nauar. consil. 10. de Regul. consil. 14. de statu monach. Rodriquez tom. 3. quæst. 17. art. 6. Sanchez lib. 5. c. 4 numer. 92.*

Secunda pars, de emissa sub conditione non contraria essentiæ professionis, pariter inualida, probatur, quia vt dixi præced. q. 51. emissa professio non potest pendere, sed statim aut est valida, aut inualida, cuiusmodi est professio conditionata, quæ non existit, nisi per purificationem, & euentum conditionis, de cuius natura est, nihil ponere in esse dum pendet, *l. cum ad præsens 37. ff reb. cred l. Si quis 8. ff. Si quis omissa causa testam l. cedere 213. ff. de verb. signifi.* Quare legens professionem sub conditione, si pater conuentus erit, si mater incolumem peperit mihi fratrem; si non morietur hoc mense soror mea, si Papa dispensabit, si Generalis ratam habebit meam professionem; si Abbas tanget digito cœlum; si frater meus occidet meum inimicum. Similes ergo conditiones siue honestæ, siue impossibiles, aut turpes statim existentiam non tribuunt professioni, sed tunc, quando existet conditio honesta, aut turpis, nunquam vero quando est impossibilis, quia nunquam existet. Pariter si conditio sit de præsenti, vel de præterito, ac proinde iam purificata, vel existens de præsenti, vel præterito ipso iure subsistit professio dum legitur, ea differentia, quia conditiones de præterito, aut præsenti non suspendant proprie actum, *l. ex cit. l. 37. l. In conditionibus 17. § Hac scriptura ff de condit & dem. l Continuo 100. ff de verb. obligat. Instit. de verb. obligat. §. Conditiones.* Ratio communis est, quia Nouitius in tantum intendit se obligare, & velle professionem subsistere, in quantum existit ipsa conditio, ergo tunc incipit valere professio, cum incipit existere conditio, ac proinde professio cum conditione de præterito, & præsenti ex nunc incipit valere, sub conditione vero de futuro non tunc cum legitur, sed tunc cum incipiet existere conditio, consequenter cum impossibilis conditio nunquam existat, nunquam professio valebit per illum primum consensum præstitum sub conditione. De hac re vide *Sanchez lib. 4. cap. 23.* vbi de voto simplici conditionato, cuius dicta applicantur voto solenni professionis, *ex eodem lib. 5. c. 4. num. 87.*

Tertia

78 Tertia pars, posita existentia conditionis, tunc incipit valere professio, sine alio nouo consensu in eam, probatur, quia prior consensus in lectione professionis præstitus perseuerat in esse, dum per actum contrarium, & dissensum non destruitur, quia voluntas *lib. 4. ff. Locati, cap. si gratiose, de rescrip. in 6.* semel posita semper præsumitur manere nisi contrarium probetur, *ex cap. 3. de baptismo, iuncta gl. 11. Perdurare*, etiam ex longo temporis interuallo, *Aretin. in l. Tuin, §. idem respondi ff. de verb. oblig. ex Papponio consil. 3 num. 16.* maxime cum nulla mutationis causa appareat, *Stephan. Gratian. Marchia decis. 43 num. 23.* Quod verum quoque est de voluntate erronea, donec remoueatur per veram, vt dixi *hic cap. 16. num. 31.* Quare si Nouitius post lectam professionem sub conditione prosequatur viuere sub obedientia superioris, conditione purificata, dicitur vndequaque valide professus, esto de nouo consensum non præstiterit. Confirmatur, quia matrimonium conditionatum contractum etiam inter inhabiles, si Papa dispensauerit, incipit valere posita dispensatione sine alio consensu nouo, Sanchez lib. 5 disp. 8. num. 10. ergo & professio valet sine nouo consensu, quia non profitetur pro tunc, sed pro nunc, cum existit conditio antiquus enim consensus perficitur. Ita *Sanchez lib. 5. capit. 4. num. 88.* Se remittens ad supradicta de matrimonio.

Dices primo, ille consensus non potuit ab initio legitime præstari, eo quod extrema erant inhabilia, ergo nouus præstandus est. Secundo, sicut ad matrimonium requiritur consensus de præsenti inter personas habiles, & legitimas, solum enim istæ sunt capaces recipiendi Sacramentum matrimonij; sed tempore contractus fuit consensus inter personas inhabiles, ergo non tenuit nec proinde perficitur matrimonium, nec professio, nisi nouo superueniente consensu.

Respondeo ad vtrumque simul, esto personæ initio sint inhabiles, & non legitimæ, tamen consensus per eas præstitus tenet, & tempore debito producit suum effectum subsistentiæ in matrimonio, & professione, veri-
79 ficata conditione. Nam consensu duplex esse potest, absolutus, & relatiuus, siue conditionatus, vterque autem in eo conuenit, quod est actus, & exercitium voluntatis volentis matrimonium carnale, & spirituale, sed modo differenti, nam promissio absoluta hic & nunc cum profertur sortitur suum effectum completum, cum ab alio non dependeat, conditionata vero inchoatur hic, & nunc, sed tunc non perficitur: nec suum sortitur effectum sed tunc cum existit conditio, à qua vltimo perficitur, & personæ antecedenter inhabiles fiunt habiles per existentiam conditionis perficientis priorem consensum ab initio præstitum, ita quod mixtio existentiæ conditionis, & consensus dat esse vtrique contractui.

80 Quarta pars, quod non possit resilire à sua promissione, dum pendet conditio, probatur, quia Nouitius tenetur procurare, vel expectare tempus, quo adimplebitur conditio, nec potest illi ponere obicem, & impedimentum, quantum est ex parte sua, & quando est in eius potestate statim adimplere eam debet, *l. Hæc conditio 29. ff. de condit. & dem.* Ita *Sanch. lib. 4. cap. 23. num. 28.* De voto conditionato ingrediendi religionem, à fortiori de professione conditionata.

81 Quinta pars, quod valeat matrimonium, initum pendente conditione, probatur, quia licet Nouitius peccet, vt dictum fuit, ponendo obicem, nullum tamen adhuc habet impedimentum dirimens matrimonium, cum præstitus consensus in professionem suum vltimum effectum non sortiatur producendi in esse professionem, ergo cum hæc nondum existat impedire non potest valorem matrimonij. *Confirmatur*, quia huiusmodi consensus conditionatus in professionem se habet aliquo modo sicut consensus in sponsalia, quæ non possunt dirimere sequens matrimonium cum alia persona, immo ipsum matrimonium sponsalia dirimit, *Sanchez lib. 1. disp. 48* Ergo superueniens matrimonium validum est, & infringitur præcedens consensus conditionatus circa professionem. Ita Sanch. lib. 5. c. 4. n. 89.

Quæri potest, an conditione existente in suo complemento, ex ea, & consensu priore professio exurgens retrotrahatur ad tempus præstiti consensus? 82

Responsio est affirmatiua, quia conditio ex sua natura trahitur retro, *Bolognetus in lib. Si is qui ff. de vsucap. num. 305. Angel. in lib. fin. ff. de vulgar. & pupill. Bart. in cit. lege de vsucap. n. 47. cum aliis Marta p. 4. casu 95. n. 10. ad 14.*

Quæres 53. An valeat professio eius, qui sibi reseruauit ius testandi de aliquibus bonis suis?

Respond. Affirmatiue, quia huiusmodi reseruatio 83 non est contra substantiam professionis, cum non destruat votum paupertatis, sed potius illud constituat, dum per illam reseruationem intendit rem à se abdicatam per propositum testandi, & tempore suo adiicit factum proposito. Confirmatur, quia potest quis de rebus alienis testari de licentia domini, lib. sicut ff. quibus modis pignus §. Venditionis; sed dum Nouitius profitetur protestando de tali dispositione per testamentum, censetur velle testari de re aliena, nimirum conuentus, de licentia superioris, dum non contradixit. Dico *de re aliena, nimirum conuentus*, quia professione omnia bona Nouitij monasterio acquiruntur. Ita docet *Bald. in cap. In præsentia, de probat. numer. 38. relatus à Sanchez lib. 7. capit. 8. numer. 19.* Sed non secutus. Valere eam professionem respondit *S. C. apud Barbosam lib. 1. de iure eccl. cap. 42. num. 207.* An vero teneat reseruatio, nihil dicit.

Quæres 54. An professio cum reseruatione proprij teneat.

Respond. Negatiue, quia est conditio directe destru- 84 ctiua substantiæ professionis quoad votum paupertatis, non enim simul stare possunt paupertas, & proprietas, cum illa sit abdicatio huius, vnum enim destruit aliud. Ita *Alciatus in lib. 1. §. Sed si mihi ff. de verb. obligat. Decius ad capit. Cum M. de constit. num. 69. Glos. 11. Administrationem cap. 2. de statu monach. glos. 11. Ut in domo cap. fin. Qui clerici. Donatus part. 4. tract. 11. quæst. 18. num. 6. Miranda tom. 1. quæst. 28. art. 2. Rodriquez tom. 3. quæst. 17. art. 6.* Nullus contradicit. *Ego resol. 56. num. 66. Rota decis. 1. apud Dianam par. 9. §. primo.*

Quæres 55. An professio de necessitate sui valoris emittenda sit in loco, vbi præmissus fuit nouitiatus in conuentu designato?

Resp. Non esse id necessarium, sed emitti posse etiam 85 in alio conuentu licet non designato, quia Summus Pontifex Clemens VIII. conuentus designauit non in ordine ad receptionem habitus, & professionis, qui sunt actus transitorij, sed in ordine ad annum probationis, mandauit enim, vt Nouitij probentur in locis designatis, vnde Vrbanus VIII. suo Breui incip. *Religiosos viros.* Præmisit titulum his verbis: *Super professionibus per Regulares emissis non factis in locis designatis Nouitiatu.* Non præscripsit hoc modo. *Super professionibus per Regulares emissis in locis non designatis pro Nouitiatu.* Confirmatur, quia receptio ad habitum, & professionem sunt duo extrema extra Nouitiatum, qui consistit in probatione, & experimento, receptio autem vt quæ transit nullum dat experimentum. Ita docui *cap. 4. de Nouitiatu q. 24. resolut. 8. n. 19. & 50. & Resol. 54. instit. & n. 218.* approbat *Pellix tract. 3. c. 3. n. 17. & 18.* sequitur *Donatus par. 4. tr. 10. q. 7.*

Quæres 56. An dolus irritet professionem, cui dedit causam?

Respond. Tenet, quia profitens habet enixam vo- 86 luntatem profitendi, ergo dolus professionem irritare non potest. Ita aliis citatis *Sanchez lib. 10. disput. 9. num. 20. ex cap. fin. 20. q. 3. & cap. 14. de conuers. coniugat. Rodriquez cum suo Compend. resolut. 101. num. 61. Ego resol. 128.*

Quæres 57. An professio Simoniace emissa teneat?

87 Respond. Affirmatiue, quia simonia non aduersatur substantiæ professionis, neque ipsa est beneficium, *ex hoc cap. quæst.7.* neque est actus electionis *cap.16.numer.45.* Confirmatur, quia neutram partem facit inhabilem ad hunc contractum, licet spiritualem. Ita *Rodriquez tom.3.quæst.63.art.3. Sanchez lib.5.cap.4.num.39. Tamburr.tom.3.disputat.6.quæst.20.num.3. Ego cap.1.de professione quæst.41.& resol.57.num.152.* De simonia in hoc casu egi, *hic cap.4.num.60. ad 71.* Ius autem habet, vt alatur à monasterio, cui seruit, quia contractus professionis, quo conuentus se obligauit ad alendum, subsistit, quicquid aliqui in contrarium dicant.

Quæres 58. An professio in quolibet loco emitti possit?

88 Respond. Affirmatiue, nisi locus designetur, quia tunc seruandus est ad tenorem constitutionis. Ratio est, quia locus est extra rationem professionis, quæ à loco non dependet. Ita *Glos.cap. Porrectum 13. de Regul. Abbas numer.7. Rodriq. tom.3.quæst.39. art.8. fine, Sanch.lib.5. c.3.num.32.*

Quæres 59. An resoluta pro Nouitiorum professionibus locum habeant respectu monialium?

89 Respond. Affirmatiue, quia professio personarum vtriusque sexus pari passu currit, arg. cap.15. sess.25. *In quacunque religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum completum &c.* Sub eadem lege debent profiteri, ergo eisdem modis, & circumstantiis, nisi sexus obstet, vel aliud iure statuatur.

Quæres 60. An valeat professio Nouitiæ absque præuio examine Episcopi?

90 Respond. Valet, nam Tridentinum cap.17. sess.25. *Decernit, vt si puella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, &c.* Nullum addens decretum irritans, aut prohibitionem efficacem, ergo valet. Confirmatur, quia per hoc Abbatissa, & conuentus non perdunt suam potestatem recipiendi Nouitiam ad professionem, nec ipsa euadit inhabilis ad profitendum. Ita *Sanchez libr.5. cap.4. numer. 84. apud Portellum tom. 1. casu 64. Pellizar.c.3.de Monial. sect.2.n.3. Tamb.de iure Abbatiss.disp 6.q.3.n.6.*

Quæres 61. An valeat professio, in qua Nouitius mentionem facit de vnico ex tribus votis tantum?

91 Respond. Semper valere professionem lectam ad formam præscriptam in singulis religionibus, etsi de tribus votis nulla fiat mentio, aut de vno tantum, quando Nouitius expresse illa non excludit, in quo casu professio est nulla.

Primum, quod valeat professio licet in ea nullum exprimatur votum, vel alterum tantum ad formam Religionis, probatur, quia dum Nouitius vouet, & promittit, se Regulam seruaturum implicite vouet seruare tria vota, quæ in Regula sunt præscripta. Confirmatur, quia qui tacite profitetur receptione habitus professorum, vel exercitio alicuius actus, qui solis professis competit, validam agit professionem quamuis in ea nullam mentionem fecerit de tribus votis, ergo idem dicendum est de professione expressa, cum enim Nouitius expresse dicit, Voueo, & facio professionem in hoc ordine, se constituit, & collocat in statu religioso, à quo non potest recedere. Procedunt hæc licet Religio habeat propriam formam profitendi, dummodo aliqua constitutione cautum non sit, ne valeat professio, nisi fiat lectione formæ præscriptæ, tunc enim omissio eius formæ vitiat professionem. Nulla autem forma datur, quæ saltem non exprimat votum obedientiæ, vt obseruaui resol.93. vbi quamplures registraui formas omnium fere ordinum.

Secundum de expressione vnius tantum voti probatur, quia Nouitij ordinum S. Benedicti Cassinensis, Camaldulensium, Basilianorum, Cisterciensium, & Prædicatorum, professione fiunt vere religiosi, & tamen in lectione formæ eorum exprimitur tantum votum obedientiæ, ergo hoc tantum sufficit ad validam professionem. Confirmatur, quia sub voto obedientiæ reliqua duo comprehenduntur, obedientia enim est regulatiua aliorum.

Tertium, quod exclusio aliorum duorum, vel alterius 92
reddat professionem nullam, probatur, quia essentia cuiuslibet rei consistit in indiuisibili, itaut si quod minimum auferatur, res ex ea constans non amplius sit, nec de non esse reduci possit ad esse, si in eius productione tota essentia non concurrat, vt exemplo patet in numeris, nam centum produci non potest, si non ponantur centum vnitates, defectu enim vnius centum reduci non potest, & si à redacta detrahat vnicam vnitatem, centum amplius non est; sed essentia prima, & intrinseca professionis constitutiua consistit in tribus Obedientia, Paupertate, & Castitate, in sententia omnium, nemine discrepante, ergo professio exire non potest in esse, si vnum ex illis votis desit. Ita *Sanchez lib.7. disputat.25. numer. 8.9. & 21. & lib.5. capit.4. num. 85. Miranda tom.1.quæst.24.artic.6.Pelliz. tractat. 3. capit.1. num.71. Donatus part.quarta tract.10.q.8. Rota vol 2. decis.216. numer.16.*

Quæres 62. An valeat professio, in qua Minimus tribus votis non adiungit quartum de vita Quadragesimali, & Iesuita illud de obedientia Papæ?

Respond. Non valere, quia cum prædicta vota sint so- 93
lemnia deficit professioni aliquid substantiale, ideo remanet inualida. Ita Pelliz.tract.3.c.1.n.73.

Quæres 63. An professio emissa contra statutum requirens decem octo annos sit nulla?

Respond. Valet, quando statutum non continet decre- 94
tum irritans, quod probaui *hic c.7.q.10.*

Quæres 64. An puella professa si erumpat in virum, ita quod appareat solum masculum, valide dicatur professa?

Respond. Nulla est eius professio reijciendæ à claustro, 95
ne moniales fiant matres. Ratio est, quia diuersitas sexus impedit, & dirimit professionem, cum sit proximum periculum incontinentiæ, ac proinde destructiuum voti castitatis, ex probatis hic *cap.3. numer. 56. & cap. 17. numer.17.* Vbi dixi, illud esse impedimentum perpetuum, ergo professio viri inter fœminas nulla est. Confirmatur, quia sicut matrimonium inter fœminam fictam, & virum non subsistit, esto ab initio sui ortus vsque ad eruptionem viri apparuerit semper fœmina, quia matrimonium essentialiter est coniunctio duarum personarum diuersi sexus ordinata ad prolem, ergo nec professio inter personas diuersi sexus, quæ ab initio apparebant eiusdem sexus, à quo initium habuit professio tanquam à radice falsa, & ficta. Nec quis dicat, tempore professionis fuisse reuera fœminam, ac proinde tenuisse professionem cum personis eiusdem sexus. Quia respondetur, reuera fœminam non fuisse, nisi apparenter erumpentem in virum, vt constat ex virili membro innato, quod manebat absconditum, vt non posset cognosci illius sexus. Ita docui *capit.7. de reclamat. in fine, & tenet Donatus part. quarta tractat. 12. quæst.35. Sanchez lib. 5. cap.4.num.40.cum eo Nauar.consil.47. de Regul.* dum dicunt, nullam esse professionem factam inter personas diuersi sexus. Late *Vericellus tit. 14. de Missionib quæst. 597.dub.14.*

In contrarium sunt Comitulus apud Donatum, & alij apud *Sanchez precitatos, & Compend Rodriquez resol. 501.num.86.& Portellus in terminis V. Professio hermaphroditi,* vbi rem fuse tractat, & contendit valere professionem, sed ex dictis corruunt dicta illorum.

Reijciendus ergo est à clausura monialium, constito de sexu masculino, ne oues corrumpat, & crescere faciat, nullo ordine seruato à Tridentino requisito in dimissione eorum, quorum professio est nulla, quia in cap.19. sess.25. sermo est de nulliter professis respectu impedimentorum ad tempus; hoc autem est impedimentum perpetuum ex dictis.

Quæres 65. de professione transeuntium ab vna religione ad alteram?

Respond.

96 12. Ad hoc vt valeat professio transeuntium ad secunda vota requiruntur quinque conditiones. *Prima est*, vt non sit prohibitus transitus vel iure pontificio, vel ordinis statuto. *Secunda*, vt transitus fiat zelo melioris vitæ, non ex leuitate, odio, contemptu, vel alio malo fine, nec sit in detrimentum prioris religionis. *Tertia*, vt transitus fiat ad perfectiorem religionem. *Quarta*, vt petatur licentia transeundi. Hæ conditiones colliguntur *ex cap.1.2.& 3.19. quæstio.3. cap. Non est 7. cap. Sane 20. cap. Significatum 11. & fusius cap. Licet 18. de Regul. Sanch. lib. 6. cap. 7.* Per totum rem optime exponit.

Prima igitur conditio, quod religiosus non prohibeatur, vnde cum extet prohibitio Clem. *Viam ambitiosa*, de Regular. cum decreto irritante contra Mendicantes, qui non possunt transire ad non Mendicantes nisi cum licentia à Papa obtenta, & excepta Cartusiana, attentatos transitus, & professio non valebit. Ita Sanchez libr. 6. cap.7. numer. 88. In meo ordine talis transitus prohibetur à Iulio II. Bulla CXC. ex Archiuio nostro Bullarum impresso anno 1658. Parmæ, his verbis: *Quodque dicti Fratres Tertij Ordinis ad alium ordinem etiam Mendicantium sub excommunicationis latæ sententiæ pœna transire non possint, nisi prius petita licentia à Visitatore Generali, seu eius Vicario Prouinciali, &c.* Caret decreto irritante, necessaria tamen est licentia, aliter professio non tenet, etiam si fiat transitus ad strictiorem, vt patebit infra sub quarta conditione.

Secundæ conditionis defectu valet professio emissa, quia votum in melius, & perfectius commutatur, quod est Deo gratius, licet displiceat modus transeundi. Confirmatur, quia finis minus legitimus nõ influit in destructionem professionis, sed in modum transeundi. Ita *Bonac. de clauf. quæstio.2. p 9. §.3. difficult. 1. numer. 7. §. Idem probabiliter*, & subiungit procedere dictum, licet superiori sit nota leuitas transeuntis, quæ compensatur per melius bonum professionis in arctiori religione. Ego *cap 2. de profitente quæst.72.§. Quando, Donatus par.2. tractat.5. quæst.8.* contra Sanchez *lib.6. cap.7. num.89. & 91.* Pariter transitus de licentia cum detrimento conuentus prioris valet eum professione, & superior, qui dedit licentiam sibi imputet. Ita Canonistæ in *cap. Licet cum Sanchez n.92.*

Tertia conditio est, vt transitus fiat ad perfectiorem religionem, nam si fiat ad æqualem, vel laxiorem cum sola licentia superioris regularis, transitus, & professio est nulla, & inualida, quia non potest licentiam dare nisi ad arctiorem, *c. Licet 18. de regul.*

Quarta igitur conditio necessaria ad valorem professionis est, vt transiturus petat licentiam, licet non obtineat, quando transit ad strictiorem, quando vero transit ad æqualem, vel laxiorem necessaria est licentia Papæ.

Primum de licentia superioris petenda, non necessario obtinenda patet ex dicto capite Licet 18. vbi dicitur, quod ea concedenda est, quando constat de zelo sanctioris vitæ, aliter peccat mortaliter superior eam negando cupienti transire. *Miranda tom. 1. quæst. 31. articul.6. conclus. 1. cum aliis Barbosa ad dictum capit. numer. 16. Ita Nauar. consil. 52. de Regul. Lessius lib. 2. capit.41. numer. 101. ex illis, & aliis Sanchez libr. 6. capit.7. numer. 32. & 35. Bonacina quæst.2 clauf. p.9.§. 3. difficult.1 numer.6. qui numer.7.* Ait valere professionem eius, qui non petiit licentiam, quia in cap. Licet, mandatur non esse molestandum transeuntem petita licentia, quia bona fide transiit. *Secundo*, quia multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent. *Tertio*, quia professus habet ius naturæ transeundi ad perfectiorem, licet peccet in modo transeundi ex Doctoribus ab eo allegatis. *Sed contra est*, quia gestum sine licentia requisita est nullum, ea probatis supra sub numero sexagesimotertio. Et ad eius primam rationem dico, ideo non esse molestandum, quia non tenebatur expectare eius licentiam petitam, quam superior illi negauerat. *Ad secundum*, procedere axioma in simplici prohibitione, quando alias id non præscribitur tanquam forma, vt hic licentia transeundi. *Ad tertium*, nego iure naturæ habere ius transeundi, quia per primam professionem se obligauit, & tradidit superiori, ideo ab eo debet petere licentiam, vt se eximat ab eius dominio, & sic cessit iuri suo, quod antea habebat. Vide Decisionem vigesimamnonam in calce quæ agit de hoc transitu.

Secundum de licentia obtinenda à Papa, quando fit transitus ad æqualem, vel laxiorem, aliter professio est nulla, probatur *Tum quia* superiores regulares hanc licentiam dare non possunt ad laxiorem sess.25. cap. 19. *Tum quia*, qui se totum tradidit vni, non potest se alteri offerre, nisi de licentia eius, cui se subiecit, aut eiusdem superioris; sed per primam professionem se totum tradidit priori religioni, ergo non potest se tradere alteri per secunda vota. *Tum quia*, nemo propria auctoritate maius, & perfectius votum commutare potest in minus, sed opus est auctoritate superioris, qui in casu præsenti est Papa; neque commutare in æquale secundum probabiliorem opinionem, de qua *Sanchez libr. quarto capit. quadragesimonono quæstio. secunda numer. duodecimo.* De commutatione æqualis in æquale expedienda superioris, & à fortiori, quando facienda est in minus. Sed professio arctioris ordinis censetur maior, & perfectior, quam alterius religionis laxioris, ergo necessaria est licentia Pontificis. Confirmatur, quia professio est de genere contractuum, qui rescindi non possunt, nisi auctoritate superioris vtriusque contrahentis, quando ipsi contrahentes non possunt illum rescindere, sed nec professus, nec religio professionem annullare possunt, ergo necessaria est licentia superioris. *Sanchez lib. sexto capit. septimo numer. sexagesimoquarto.* Quando non adest legitima causa transeundi, vel est dubia numer. 65. Loquendo de transitu ad æqualem; si vero subsit causa putat posse superiorem cum consensu maioris partis conuentus numer.66. Ad transeundum vero ad laxiorem nulla existente causa solus Papa dat licentiam, cum causa vero etiam superior regularis, *ex numer. 67. & 68.* Prædicta à Doctoribus communiter dicuntur, quos præter Sanchez citat *Barbosa ad capit. Licet 48. de Regul. numer. 11.12. & 13. Donatus part. secunda tractat. 5. quæst. 24. & 25.* Nihilominus argumenta adducta simpliciter probant pro quolibet transitu, siue ad æqualem, siue ad laxiorem. Et confirmatur, quia certum est, quod Congregatio Eminentissimorum Cardinalium præfecta Regularibus habet ampliorem potestatem, quam habeant ipsi Prælati, & superiores regulares; sed Sacræ Congregationi Summus Pontifex Sixtus Quintus illius institutor concessit facultatem licentiandi professos tantum ad religionem strictiorem, vt etiam notant hic cap. 16. numer. 13. non autem ad æqualem, aut laxiorem, vt expresse dicitur in Bulla erectionis huius Congregationis, ergo minus possunt superiores regulares licentiare ad æqualem, vel laxiorem; spectat ergo id ad Pontificem Romanum. Adde, quod Vrbanus VIII. in Decretis de Eiectis ita decreuit: *Deinde vt apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem religionem transire, nisi prius superiori legitime constiterit, eam religionem esse paratam illum recipere, qui licentiam petit, tumque regularis recta se transferat ad arctiorem.* Dum autem Papa non præscribit modum transeundi ad æqualem, vel laxiorem, sed tantum ad arctiorem, per hoc insinuat, non esse in potestate superiorum dimittere ad æqualem, vel laxiorem. Demum omnes fere religiones obtinuerũt priuilegium, ne professi transirent ad alium ordinem, ergo superiores regulares prohibentur licentiare suos subditos transire interdictos. Vide resol.29. quæst.10.

Dubitatur *primo*, ad quem superiorem regularem spectet dimittere ad strictiorem, ad localem nè, an ad Prouincialem, vel Generalem? *Secundo*, an transiens debeat

præmittere integrum nouitiatum, & quidem in loco deputato? *Tertio*, an dum est in probatione apud secundam religionem, cessent obligationes prioris professionis. *Quarto*, an aliquid acquirat secundæ religioni? *Quinto*, quænam sint causæ legitimæ transeundi?

Primo respondetur de iure communi non excludi superiorem localem, tamen de iure speciali id munus videtur spectare ad superiores maiores Prouincialem, & Generalem. Ita Rodriquez *tom. 3. q. 52. art. 5. cum suo Compend. resol.* 123. *n.* 57. In meo ordine spectat ad maiores, vt supra dixi, alij volunt esse munus superioris localis quos recenset *Sanchez lib. 6. c. 7. n. 59.* cum quibus Barbosa ad dictum cap. Licet, n. 10. Sed praxis docet, id spectare ad maiores. Quod aiunt, licentiare ad æqualem, vel laxiorem ex iusta causa spectare ad maiores cum consensu capituli, id nullibi probatur, esto etiam ad ipsos spectaret.

Secundo, præmittendus est integer Nouitiatus ex probatis hic *capit. 6. numer.* 14. Alios Doctores citat *Barbosa ad hoc cap. Licet, numer.* 25. Nouitiatum autem vbique præmittere potest etiam extra conuentum designatum, hic supra capit. 5. numer. 44. & resol. 29. quæst. 17.

Tertio, infra annum probationis suspenduntur illæ obligationes, quas contraxit in priori religione, quæ per subsequentem professionem cessant, quando aduersantur posteriori instituto, secundum quod viuere debet, cum debeat se conformare communitati religiosorum. Ita probaui *cap. 2. de profitente quæst. 72. §. Tertio. Vide Sanchez lib. 6. c. 7. n. 87. Suarez tom. secundo de Relig. lib. 6. de Voto cap. tertio.*

Quarto, dum est Nouitius in secunda acquirit primæ religioni, si est capax, cum adhoc dicatur eius religiosus, & filius, alias quæruntur venientibus ab intestato, vt probaui c. 13. q. 51. num. 96. post professionem acquirit secundo ordini. De aliis bonis vide *Ibidem quæst.* 40. & 55. Vide *Barbosam ad dictum cap. Licet numer. vigesimonono.*

Quinto, causæ legitimæ transeundi sunt sequentes *Prima*, zelus melioris frugis, & obseruantiæ, bonum enim est votum suum in melius commutare, non enim infringit votum, qui illud in melius commutat, *capit. Peruenit 3. de iureiur.* Et hæc causa facit pro transitu ad arctiorem, nam ad laxiorem, & æqualem transiturus talem causam allegare non potest, cum non melioretur. Pro transitu ergo ad laxiorem, & æqualem aliæ sunt assignandæ causæ: *Secunda* igitur est infirmitas, seu debilitas, qua non potest seruire, Silu. 11. Religio 4. quæst. 1. & a *Tertia* est mala temperies aëris, quando vnicus est conuentus, Rodriquez tom. 3. quæstio. 52. articul. 9. Ego resolut. 29. numer. 55. *Quarta*, vigens necessitas parentum, quibus succurrere non potest in prima religione, Ego dicta resolut. 29. num. 55. *Quinta*, ignorantia rigoris Regulæ professæ, *Corduba super capit.* 2. *Regula Minorum quæstio.* 16. *Sexta* demum passiuum odium in prima religione contractum, & insupportabile. Ita *Donatus par. 2. tract. 5. quæstio.* 21. Sed secunda præsertim practicatur, & quarta de necessitate parentum.

Quæres 66. An calore iracundiæ emissa professio valeat?

97 Respond. Affirmatiue, nisi animi passio tanta sit, vt nesciat quod facit, iuxta illud: *Ira impedit animum, ne possit cernere verum.* Ita Sanchez *lib. 4 cap. 1. n. 2. Nauar. com. 2. de Regul. n. 67. §. Addo* 13. Oppositum sentientes refert *Sanchez l. 1. disp. 8 n. 3. §. Quidam.* Sed intelligendi sunt, quando iracundiæ furor tantum est, vt priuet vsu rationis furibundum. Sed satis, quia casus magis est speculatiuus, quam practicus.

Quæres 67. An valeat professio eius, qui putabat se comedere posse carnes post professionem?

98 Respond. Non valet, si tali animo affectus esset, quod non vouisset, si talem prohibitionem prænouisset, quia hic error æquiparatur substantiali, & in Ordine Minimorum pro tali reputandus est, & etiam respectu Cartusianorum. Ita *Sanch. l. 4. c. 2. n. 11. Vecchius disp. 13. dub. 13. initio.*

Quæres 68. An valeat professio emissa sine habitu gestato tamen infra annum probationis?

Respond. Valet, vt probaui c. 14. n. 5. 99

Quæres 69. An valeat professio patris, & filij, atque fratrum in eodem conuentu?

Respond. Valere de iure communi, etiamsi filius eius 100
sit illegitimus, ratio est quia iure communi talium professio non prohibetur. De filio illegitimo, cuius pater est professus dixi *cap. 3. quæst. 46. & hic quæst. 41. & cap. 2. de Profitente quæstio. 56. vbi probaui ex cap. Ad abolendum, de filiis Presbyter. iuncta glos.* 11. *In Secularibus*, prohiberi institutionem filiorum illegitimorum in Ecclesia Sæculari, vbi seruit pater eius, de religioso vero nihil tale dicitur, ideo institui potest, hoc est, recipi ad professionem.

Quæres 70. An professio valida in aliquo casu sit repetenda?

Respond. Nullum inuenio casum, præter duos, in quo 101
repetenda sit professio, quando ab initio valida est, frustratoria enim est huiusmodi repetitio, dum nullum producit effectum, quem non haberet ante, neque enim multiplicanda sunt entia sine necessitate. Si quis vero repetat ex sua deuotione, vt magis confirmet, & roboret promissionem Deo factam, rem eidem Domino gratam facit pro anima sua. Demum dum transit ad secunda vota dici potest repeti professionem non tamen eandem, sed diuersam ex diuersitate Religionis. Quare eiectus missus ad triremes, licentiatus ad Ecclesiam Sæcularem, & Episcopatum rediens ad claustra recipitur sine professione, quia vetus, & antiqua semper tenuit. De eiectis, & expulsis egi *Contron. 8. per totum.* De Episcopis *Contron.* 15. *num.* 70. & 84. De Condemnatis ad triremes, ibidem *num.* 69. & 77. Duo autem casus sunt, primus, quando Papa abdicat Papatum, & reuertitur ad claustrum, vt docui *controuer.* 15. *quæst.* 7. secundus, quando vxoratus redit ad claustrum, ibidem *quæst.* 7. quia in his duobus extincta fuit prior professio.

Quæres 71. Quomodo professio obliget voventem? An secundum antiquum statum, & obseruantiam à fundatore introductam? An vero secundum consuetudinem à posteris inductam?

Respond. Professio obligat secundum eum statum, quo 102
obseruatur à professis, & ab ipso Nouitio tunc temporis, & non secundum obseruantiam antiquam fundatoris. Probatur, quia Nouitius intendit se obligare ad obseruationem Regulæ in futurum, eo modo, quo eam obseruauit ante professionem; sed ante obseruauit Regulam vsitatam suo tempore, & non tempore fundatoris, ergo promittit eius obseruationem secundum præsentem vsum. Confirmatur, quia consuetudo legitime præscripta relaxat Regulam, quoad ea, quæ sunt extra vota substantialia, itaut professus non peccet eam in eis non obseruando, vt docui *cap. 2. hic quæst.* 12. & tenent 103
Nauar. c. 12. num 50. Lopez cap. 4. Instruct. concl. 2. T. pia in Authent. Ingressi, 11. Ipso ingressu cap. 1. n. 64 & 65. C. de Sacrosanct. Eccles. Rodriquez tom. 2. Summa cap. 95. fine, ex illis Sanchez lib. 6. cap 2. num. 16. Peyrin. de Subdit. quæstio. 1. § 4 concl. 3. vbi citat Panormitanum in cap. Super eo, de Regul. num. 6. Salas de Legibus tractat. 14. disputat. 8. section. 12. num 62. Compend. Rodriquez resolut. 34. num. 2. Diana multis citatis par. 11. tract. 15. resolut. 8.

Nota autem, quod in voto paupertatis duo spectantur, 104
eius substantia, quæ est abdicatio proprietatis, in hoc consuetudo nihil omnino potest inducere, quod professus possideat, tractet, aut aliquid agat tanquam proprietarius. Secundo modus, & circumstantia, quibus obseruari potest votum Paupertatis, nam habere peculium, expendere illud propriis manibus, possidere libellum, & similia exercere de licentia superioris non est facere contra votum paupertatis, quod præcise consistit in abdicatione proprietatis, sed contra aliquam eius circunstantiam,

tiam, quæ in omnibus non prohibetur, sed tantum in prima regula Sanct. Francisci; & consuetudo potest derogare iis circumstantiis, vt docent præcitati, in specie *Sanchez lib. 6. capit. 2. n. 19.* quia licet tendant ad perfectionem voti, sunt tamen extra eius essentiam, & sine illis subsistere potest, *Lezana part. 2. c. 7 n. 17. cum Azor. lib. 13. c. 11. q. 16. & Corduba in cap. 2. Regula quæst. 16.* agentibus de aliis præceptis extra substantiam votorum, cum quibus late *Illuminatus Merronus in suo Opusculo, Biga duas vehens controuersias Bergomi 1651. sub initium.* Pro meo Ordine egi de hac re, *Dub. Regul. 155. Manuscripto.*

Viget argumentum, & quidem efficax, quia esto constitutiones Clement. VIII. de Reformatione ad normam Concilij contraria consuetudine fuissent abrogatæ, tamen pro illis extat confirmatio, & innouatio facta ab Vrbano VIII. per suam Bullam 26. incipiend. *Sacra Congregatio*, de electis, anno 1624. & quotidie inculcatur autibus regulatium Reformatio ad præscriptū Regulæ, ergo consuetudo ab illis prætensa nullius est momenti, præsertim cum debeat introduci de consensu Summi Pontificis.

105 ℞. Confirmationem, & innouationem factam per Vrbanum VIII. cum sit in forma communi, reliquisse Constitutiones Clementis in suo statu, quo erant antequam publicaretur confirmatio, nam certum est, confirmationem in forma communi nihil tribuere confirmato, quando non subsistit, ex allegatis à *Barbos. ad c. 7. de confirmat. n. 3.* huiusmodi autem confirmationem esse communem patet ex eo, quia non inseritur in Bulla de electis, sed tantum illi adiungitur; confirmatio autem habens insertum tenorem rei confirmatæ dicitur facta in forma specifica, quæ inualidam alias corroborat, & ei tribuit subsistentiam, & valorem ex Iuribus, & Doctoribus citatis ab eodem *Barbos. ad cap. 4. eodem n. 13. & 18.* Adde, quod non omnes confirmantur, sed tantum illæ, quæ pertinent ad Nouitiorum educationem, vt id patet expresse ibidem. Nec viget, quod consuetudo debeat introduci de consensu Principis, quia sufficit consensus legalis ex cap. fin. de consuetudin. Ita docent. *Sanchez, Suarez, Castropalaus cum aliis apud Dianam par. 6. resolut. 13. de Consuetud.* Quod si dicas, in eadem Bulla §. 14. derogari consuetudinibus etiam immemorabilibus; Respondetur, eam clausulam loqui tantum respectu Decretorum de electis, in quam finit ipsa Bulla; nequaquam esse extendendam ad Clementinam, quæ in Decretis suis de Reformatione nullum apposuit obstaculum, ideo neque hoc obstans consuetudini expressū in Decretis de Electis extendendū est ad decreta Reformationis. Adde, quod in reformatione nouissima per Innocentium Decimum inducta professi non fuerunt coacti se reformare, sed tantum eam præscripsit Pontifex in conuentibus Nouitiorum, per hoc insinuant, quod professi viuere possunt in bona conscientia secundum consuetudinem præsentem, quæ speciem firmitatis accipit à natura, & experientia, quæ rerum magistra est. Immo professi in conuentibus Nouitiatuum sub titulo Reformatorum, prosequuntur visum viuendi suorum maiorum, vt audio à multis, ex quo patet, Reformationem non fuisse receptam.

Quæres 72. An dicta de masculis transeuntibus ad secunda vota locum habeant in monialibus.

106 Respond. Affirmatiue, vnde transeuntes ad æqualem, vel laxiorem, immo ad strictiorem est necessaria auctoritas Pontificis, Barbos. ad cap. 1. 20. quæst. 4. debet præmittere Nouitiatum, & tandem proficere. *Ita Federic. de Senis consil. 1. Rota part. 2. Recent. decis. 115. n. 8. Rub. par. 3. singul. 11.*

Quæres 73. Quotuplex sit professio.

107 Respond. Duplex expressa, quæ fit prolatione verborum legendo præscriptam formam in qualibet Religione. Decis. 195. numer. 11. apud Rub. tom. 3. Tacita vero inducitur per factum, quod solis professis proprium est, & consistit in duobus, in delatione habitus professorum, in exercitio actuum solis professis competentium, degendo intra monasterium, ex decis. 41. extensa hic in calce Operis. De hac fuse *Sanchez lib. 5. cap. 3. à n. 13. Ego cap. 1. extra à quæst. 14.* Sed quia parum est in visu, paucis me expediam; referendo solum ea, quæ sunt necessaria ad eius valorem, quoniam de ea plura quoque dixi controuer. 20. ad quam remitto Lectorem; hic repetitis, quæ faciunt ad eius valorem tantum.

Quæres 74. Quot conditiones requirantur, vt professio tacita valeat.

Respond. Tot necessariæ sunt, quot requiruntur ad 108 professionem expressam, & sunt sequentes. *Prima*, vt fiat de consensu superioris, & conuentus. *Secunda*, est libertas. *Tertia*, vt fiat cum scientia, quod actus illi inducant professionem. *Quarta*, vt per illos actus animum habeat profitendi. *Quinta*, vt habeat legitimam ætatem.

Prima conditio de consensu superioris, & conuentus patet ex dictis *cap. 16. per totum*, vbi probaui, ad expressam requiri expressum consensum, qui ad tacitam est optimus, non tamen necessarius, quia sufficit tacitus consistens in conniuentia, & patientia superioris, & conuentus, dum potentes contradicere, & non contradicunt. Ita *Rodriquez tom. 3. quæst. 17. art. 1. Miranda tom. 1. quæst. 24. art. 7. Vecchius disp. 13. dub. 8. cum aliis Sanchez lib. 5. cap. 3. numer. 14. Donatus part. 4. tralbat. 10. q. 20.*

Secunda est, vt libere fiant illi actus, per quos intendit profiteri, libertas enim est necessaria ad valorem professionis, vt probaui hic supra quæst. 14. Vnde metus grauis sicut annullat expressam, à fortiori tacitam, quæ debilior est in suo esse. De metu dicam infra sequenti capite. Ita *Sanchez lib. 5. c. 3. 15. de communi cum præcitatis.*

Tertia est, vt Nouitius sciat, se per illos actus incurrere professionem tacitam, cum enim professio tacita sit promissio deliberata, & voluntaria, necesse est, quod sciat, quod operari possint illi actus, aliter id ignorans non dicitur profiteri. Ita præcitati omnes cum *Sanchez n. 16. Barbosa ad cap. 1. de Regul. in 6.* Quare de hac re edocendus est à superiore, aliter admissus ad huiusmodi actus non eruditus etiam ab eodem superiore, & conuentu, ipse vero ignoret se per exercitium horum actuum incurrere professionem; nulla facit professionem.

Quarta est, vt cum exercitio horum actuum habeat animum profitendi, sicut enim non habens animum emittendi professionem expressam non profitetur ex probatis hic q. 13. Ita multo minus profitetur tacite carens voluntate profitendi. Idem dic, quando se habet negatiue, quia & tunc caret animo profitendi, de communi apud eosdem cum *Sanchez lib. 17.*

Quinta, debet habere ætatem requisitam in Tridentino, nempe sexdecim annos expletos, vt dixi hic *cap. 7. quæst. 2.* Præterea debet præmisisse annum probationis, & quidem in conuentu designato, iuxta suis locis dicta.

Deducitur ex his, in omnibus illis casibus, in quibus 109 vna est inualida, altera quoque est nulla, cum eisdem conditionibus ambæ regulentur, & hoc insinuat Sanchez lib. 5. cap. 3. num. 18. Est tamen exceptio aliqua, nam metus reuerentialis annullat professionem tacitam, non vero expressam, vt notatur in *Decis. 579. numer. 5. part. 1. apud Vecchium disput. 13. dub. 8. num. 14. Rubeus tom. 3. decis. 195. n. 19.*

Quod si Nouitius admissus ad actus professorum, vel ad habitum illorum, & ipse sagax protestetur se per huiusmodi admissionem non intendere profiteri, neque velle per illos incurrere professionem, valet protestatio, & non sit reuera professus, quia ea protestatio illi vtilis est nec contraria facto, cum per eam declaret, animum suum esse non profiteri, licet faciat illos actus, qui etiam fiunt à professis, & non dicuntur profiteri. Ita *Barbar. lib. 2. consil. 59. Decianus lib. 3. consil. 18. num. 5. ex decis 397. apud Rub. tom. 2.* vbi citantur aliæ Decisiones, *tom. 1. decis. 195. n. 18. vbi num. 21.* dicitur, suscipientem Ordines cum protestatione, se nolle per id obligari ad 110 Religionem: aliter præsumitur tacite professus, maxime ordinatus ad titulum paupertatis, *Lezana 11. Professio n. 4.*

Quæres 75. An professio sit facienda coram testibus.

111 Respond. Affirmatiue, & quicunque etiam minus idonei sufficiunt, & licet non rogati modo sint præsentes ad factum, & illud intelligant, emissa sine illis valet.

Primum de testibus ad minus duobus probatur tum *c.4. 20. q. 2. & c. Nuper 51. de Testibus, & Clem. VIII. in Institut. Nouit.* ibi: *Nouitius professum propria manu, duo testes, qui præsentes fuerint subscribant.* De quibus late dixi controu. 5. q. 16. Scotus in 4. distinct. 38. quæst. vn. lit. A.

Secundum, quod quilibet sufficiant, probant ibidem, quia cum iura petunt testes omni exceptione maiores, & integros, seu legitimos illos exprimunt cum suis qualitatibus, sed in prædictis iuribus exiguntur simpliciter testes, ergo quilibet sufficiunt. *Confirmatur*, quia quilibet sufficiunt ad assistendum matrimonio, *Sanchez lib. 3. disputat. 41. num. 5.* Nec necessario debent esse rogati, quia ad matrimonium tales non requiruntur, *Nauarr. consil. 11. de Clandest. desponſ.* ergo nec ad professionem. Etiam professi eiusdem Ordinis possunt esse testes, ex *Abbate, Baldo, & Felino apud Mascardum concl. 124. fine. Ego resol. 57. q. 39.*

Tertium, quod emissa sine illis valeat, probatur, quia adhibentur ad occurrendum neganti illam, non vero vt inducat valorem eius, & hæc est differentia inter ipsam, & matrimonium nullum sine illis quia Decretum irritans habet illud, non hæc, dixi *Resol. 57. quæst. 31.* Vide infra *decis. 40 ex collectis.*

Quæres 76. Quomodo probanda est professio, quando negatur.

112 Resp. Probanda est per illos testes, qui fuerint præsentes, si haberi possunt; si desunt per alios, qui interfuerunt casu, vel consilio, & quidem cum iuramento, ex præcitato *cap. Nuper 51. de Testibus.* Ex ingressu autem non probatur professio, aliter omnis Nouitius per annum probationis argueret suam professionem, quod falsum est; ab ingressu ergo non infertur ad professionem, *Abbas in cap Nuper 51. de Testibus, aliis allegatis, Rota apud Rubeum tom. 3. decis. 295. n. 9 & 10.*

113 Testes de audito cum aliis adminiculis probant tempus emissæ professionis. Ita *Cyriacus controuer. 271. n. 10. vbi pro se citat Rotam par. 3. diuersor. decis. 119.* Subdens hoc esse regulare in omnibus actibus, vt testes de audito probent, adiunctis aliis adminiculis, *numer. 12 ex Imola in cap. Præterea 27. de Testibus.* Testis vero de audito cum sola fama de præsenti, & post moram litem non probat, *cap. 9. par. 1. decis. 9. Ludouis. decis. 381. num. 2. & num 3.* ait deponentem de loco professionis relatiue, non probare.

Quæres 77. An nullitas professionis per quoslibet testes, cuiuscumque sint conditionis probari possit.

114 Respond. Debent esse legitimi, & integri, & concordes circa probationem impedimenti dirimentis professionem, quales sunt etiam Laici, mulieres, & de domo reclamantis; & qui metum incussit sufficienter etiam solus probat nullitatem professionis.

Primum de integritate testium probatur, quia agitur de re graui, vt pote de Religione, pro qua summa debet esse ratio. *Confirmatur*, quia nullitas matrimonij probanda est per testes idoneos, *cap. 1. de Consang. Sanchez lib. 1. disp. 45. n. 30.* Ergo & professionis nullitas.

Secundum, de concordia ostenditur, quia cum in hac probatione non sufficiat vnus testis, qualis est quilibet singularis, nunquam probaretur impedimentum per duos testes, si ambo deponerent de duobus impedimentis diuersis, cum deberent deponere de eodem singulari impedimento. *Confirmatur*, quia impedimentum matrimonij probatur per contestes, sicut & impedimentum electionis, *cap. 24. & 32. de Testibus*, ergo & professionis.

Non est autem necesse probare concordiam loci, & temporis, quia impedimentum non pendet à loco, & tempore, quæ professionem non inficiunt, sed impedimentum secundum se spectatum.

Tertium de Laicis, Fœminis, & domesticis testibus idoneis probatur, quia Laici reiiciuntur in causis criminalibus, non in ciuilibus, *cap. Nullus 2. cap. Laico 3. 2. q. 7.* cum Doctoribus à me allegatis, *controu. 3. quæst. 9. num. 57.* admittuntur tamen in casibus difficilis probationis in defectum aliorum testium. Confirmatur, quia impedimenta matrimonij ad dissoluendum, & declarandum nullum matrimonium probantur per testes mulieres, & domesticos, ex *Sanchez lib. 2. disp. 45. n. 30. & 31.* Immo & Fratres de eodem conuentu, & ordine idonei sunt, sicut accipiuntur ad probandam eius existentiam, ita & ad ostendendam eius inualiditatem. Vide infra decis. 16.

Quartum, quod qui metum incussit sufficienter probet nullitatem, ostenditur, ex *cap. Præsens 4. 20 quæst. 3. iuncta glos. 11. Patris*, vbi nullitas professionis proueniens ex metu probatur per testimonium patris, qui metum incussit. Rem hanc fusius probaui *controuer. 5 q. 13. num. 60.*

Quæres 78. An professio in scriptis redigenda sit.

Respond. Affirmatiue, ex *cap. Vidua 16. 20. quæst. 1.* 115
Non quia sit necessaria scriptura, (ait glos.) sed vt obuiet contradicenti, & cap. Omnes 36. 27. quæst. 1; quam Clemens VIII. innouauit his verbis: *Superior cuiuslibet conuentus, in quo Nouitiatus fuerit constitutus particularem librum habeat, in quo vniuscuiusque Nouitij professio registretur, illamque Nouitius professus propria manu, & duo testes, qui præsentes fuerint, subscribant. Conuersus vero literarum ignarus professus in eorundem testium, qui se subscripserunt, præsentia propria manu signum Crucis apponat. Asseruetur que liber, & custodiatur in Archiuio, vbi Scriptura ad Monasterium, seu Conuentum pertinentes reponi consueuerunt.*

Hæc omnia suot clara explicatione non indigentia. Ita Canonistæ in *cap. Nuper 51. de Testibus Vincent. de Franchis decis. 384. num. 2.* Probatur etiam testibus in defectum scripturæ, *Hondcd. lib. 2. consil. 76. num. 29. Caualer. decis. 271. num. 3. Ciarlin. cap. 108. initio; & dixi præcedenti quæstione Sanchez lib. 5. cap. 3. num. 18. Donatus par. 4. tract. 10. quæst. 24. Ego resolut. 54. quæst. 65. num. 178.* vbi probaui, librum non esse transferendum de loco ad locum. *resolut. 57. q. 39. num. 86.* de eadem scriptum, *resolut. 69. numer. 51. & cap. 6. extra quæst. 14. Vecch. disput. 13. dub. 2. n. 3. Vide Gratian. c. 640.*

Quæres 79. An omissio Cinguli per Nouitios Hierosolymitanos Equites irritet professionem illorum? Difficultas hæc est noua excitata occasione Illustrissimi Marchion. Petri Corsini Florentini, qui ex Rescripto Pontificio Romæ professionem emisit, sed non fuit præcinctus Cingulo Militari ad præscriptum Statuti sui Ordinis tenoris sequentis: *Prima, che piglij l'Habito, è faccia la Professione, è necessarie, che sia ornato del Cingolo della Militia, è pero sè d'alcun Prencipe Cattolico, ouero da altro, che habbia autorità di concedere il grado di Caualeria, non haurà ottenute gli Ornamenti della Militia, dal Fratello Caualiere dell'Ordine Nostro, che riceuerà la sua Professione, ouero d'alcun'altro Fratello Caualiere dell'istessa Militia riceua gli Ornamenti secondo la consuetudine, che si osserua nel conceder si la Militia, & finalmente con l'Ordine subdetto faccia la Professione.* Ex Statuto secundo, titul. 2. de receptione Fratrum. 116

Pro affirmatiua, nempe omissionem Cinguli vitiare Professionem, sunt infrascripti Doctores; Hercules Ronconius, B. Menasius, Antonius Diana, Augustinus de Bellis, C. R. Nicolaus Baldellus, Societ. Iesu, Raphael Auersus C. Minor, Iacobus Pensa, Philippus Gratianus pariter Clerici Minores, Torquatus Cuppis Iesuita, cum aliis. Pro negatiua sunt multi alij omnium fere Ordinum, & Doctores Sæculares. Et tandem Rota in eadem causa, *Mileuitana Nullitatis Professionis Veneris 10. Decembris 1649.* coram Royas decidit, tenuisse professionem non obstante omissione Cinguli, quia non est de substantia professionis. Vnde Marchio eo remedio destitutus protulit in medium, & probauit, se profecisse

per

pet metum, & vim atque ira pro eo emanauit alia decisio coram *D. Tarraconen. die Lunæ 13. Ianuar. 1653.*

Nihilominus liceat mihi permanere in mea opinione cum præc. Doctor. quam probaui resol. 100. à n. 38. Repetn ibi dicta Summaric.

117 Primo Statutum supra extensum continet formam substantialem, qualis est ea, in qua additur necessitas faciendi aliquid ex Iuribus, & Doctoribus ibi citatis hinc autem statuto additur necessitas Cinguli, ex illis verbis: *E necessarie*, quod verbum non improprie pro consilio, aut honestate accipiendum est, sed proprie prout importat obligationem etiã rigorosam, vt colligitur ex stat. 3. tit. 1. de reg. ibi: *La transgressione delle cose, che nella* Regola *si contengano, obligu l'anima, & il corpo.* Et sicut verbum prædictum rigorose sumitur in stat. 17. tit. 2. de recept. Fratr. ita & in casu præsenti. *Confirmatur*, id ex allegatis Doctoribus à *Diana in hac causa* §. *Probatur* 3. vbi dicit, quod forma data præter ius commune, per quam mandatur fieri aliquid certo modo, est essentialis, seu necessario seruanda ad valorem rei.

118 Secundum argumentum desumitur à prima ordinatione sub tit. 2. de Recep. Fratr. ibi: *Mandantes de cætero, ne tam in conuentu, quam extra conuentum aliquis ad Habitum Nostrum suscipiendum. alio quocumque modo, gradu, seu denominatione admittatur, nisi in tribus distinctis gradibus declaratis in Statut. 2. 29. & 30. de Recept. Fratrum factis, & exhibitis probationibus* Nobilitatis, *& Legitimatis respectiue bonis, & validis, iuxta dictorum, & vniuersam aliorum Statutorum normam, & tenorem. Decernentes quodcumque secus faciendum, ita nullum fore, vt semper de inualiditate professionis impugnari possit, &c.* Hoc Decretum irritans expressum in hac ordinatione afficit præfatum statutum de Cingulo, cum in eo æquater disponatur de gradibus, & cingulo, si ergo professio est nulla, facta extra tres gradus, inualida quoque erit emissa extra Cingulum, cum gradus Militia equestris non detur sine Cingulo dicti gradus expressiuo.

119 Tertium argumentum accipitur ex ordinat. 8. *Item inhærentes dispositioni Statuti 21. de Recept.* Fratr. *statuerunt, quod nemo in gradu* Militum, *aut Cappellanorum, vel Seruientium armorum ex quacumque etiam vrgente causa, vel fauore dispensari possit ad suscipiendum Habitum, extra Conuentum; Quinimmo omnes obnoxij existant prius hic in Conuentu annum probationis Statutum peragere, & deinde etiam Habitum in* Conuentu *seruatis seruandis suscipere, atque expressam regularem professionem emittere, declarantes semper irritum, & nullius valoris contra dicti Statuti, & præsentis declarationis dispositionem, dispensatum, vel factum fuerit.* Decretum hoc irritans cadit super professionem emissam non seruatis seruandis, inter autem seruanda est vsus Cinguli, ergo nulla est professio ex eius omissione.

120 Quartum argumentum est, quia nouitius non potest proficere in gradu Militis, nisi prius miles, qui creatur per Cingulum, quod vocatur eius caracter, *cap. Siquis 4. distinct. 50.* Miles ergo constituitur per Cingulum, *Leg. Filius familias, ff. de Milit. testamen. Doctor. in leg. penul. ff. ex quibus causis maior.* Confirmatur, quia professio facta in gradu extraneo est nulla *ex præced. ordin.* extensa in argumen. 2. Nouitius autem non præcinctus non dicitur profiteri in gradu militari, quando caret Cingulo.

121 Quintum accipitur ab subordinatione essentiali vnius ad aliud, nam subordinans non sortitur suum effectum, nisi præcesserit subordinatum, vnde sicut quis non potest valide profiteri, nisi præmiserit Nouitiatum; nec recipere ordines sacros, nisi præmiserit baptismum; nec beneficium, nisi fuerit prius clericus: nec ducere matrimonium, nisi baptizatus, &c. Itaque neque valide profiteri in gradu Militis, qui non fuit Miles præcinctus.

122 Sextum deducitur ex negatiua Albi, nam Vicecancellarius pro professis non registrat in libro, qui non fuerunt præcincti. Et fratres huius Ordinis vnanimiter non habent pro vero professo illum Nouitium, qui non fuit præcinctus, ante professionem.

Demum in dubio an forma sit substantialis, an accidentalis, 123 resoluendum est, esse substantialem, ex allegatis à Barbosa Axiom. 100. Vide reliqua in dicta resol. 100. fusius tractata.

Angelus Maria Vericellus professione Theatinus, doctrina eximius in suo Opere quæstionum Moralium, & Legalium tract. 8. quæst. 36. allatis supradictis argumentis, & alijs, sequitur partem negatiuam, nimirum omissionem Cinguli non irritare professionem, & multis probat.

Primo, quia in ordinat. 2. qua nititur nostrum secundum argumentum, irritatur professio facta extra vnum ex illis tribus gradibus Militis, Capellani, & Seruientis, & licet omittatur cæremonia Cinguli adhuc professio dicitur facta in gradu Militari, quia recipiens, & receptus habent expressam voluntatem, quod professio fieret in gradu militari, aliud enim est creari Militem, & aliud profiteri in eo gradu, potest enim quis fieri miles ab aliquo Principe, & non recipi ad professionem defectu nobilitatis in gradu militari: sed tantum in gradu Seruientis, ergo formalis admissio in gradu militari est sola voluntas profitendi, & recipiendi in eodem gradu, quæ voluntas alijs signis explicatur, & non sola cæremonia Cinguli. Confirmat à pari; quia clericatus non prærequiritur in profitente gradu clericali, & professurus in Societate in gradu Coadiutorum debet esse Sacerdos, & tamen valet professio facta à nondum sacerdote.

Contra est, quia in ea ordinatione decretum irritans afficit professionem factam etiam contra statutum secundum de Cingulo, vt ibidem probaui. Et præterea non sufficit expressa voluntas recipiendi Nouitium ad professionem in gradu militari, dum Nouitius non disponitur ad talem gradum per Cingulum requisitum à secundo statuto, neque enim sufficit voluntas, vbi facto opus est. Et quamuis diuersa sint fieri militem, & profiteri in gradu militari, tamen cum posterius non possit esse sine suo priori, vtique vero hoc sine illo, ideo ex milite non necessario sequitur professio in gradu militari, vtique vero gradus militaris ex cingulo supponitur ad professionem in eodem gradu. Ad exemplum clericatus 124 respondeo hunc non præsupponi in Religionibus sicut supponitur cingulum in hac professione. Similiter sacerdotium non prærequiritur tanquam aliquid necessarium ad valorem professionis. Adde, quod cingulum magnam habet conuenientiam cum gradu militari, ab eo enim denominatur. Sacerdotium vero cum gradu Coadiutorum nullam habet similitudinem. Deinde Nouitij profitentes in gradu clericorum ante professionem habent clericatum ipso ingressu in Nouitiatum. Quod vero habeant primam tonsuram nullibi præscribitur, ideo cum diuersimode se habeant, ab vno ad aliud non infertur.

Secundo dicit, statutum secundum carere decreto irritante, ideo omissio cinguli non arguit formam substantialem.

Contra est, quia ex argumento primo probaui, cingulum esse de forma substantiali, quæ includit semper Decretum irritans.

Tertio dicit, quod maior est defectus Nobilitatis, quam 125 cinguli: sed tenet professio facta ab ignobili cum falsa probatione nobilitatis, sed reducenda ad gradum proportionabilem, vt in Statut. 24. & 25.

Contra est, quia professio ignobilis in gradu militari 126 est nulla, vt probaui ea *resol.* 100. *num.* 24. Et id patet ex prima ordinat. supra allata in 2. argumen. vbi expresse dicitur, quod professio ignobilis semper impugnari potest, & cogi ad deponendum habitum.

Quarto, masculinus sexus magis necessarius est ad profitendum inter masculos, quam cingi in hac Religione; sed fœmina dissimulato proprio sexu valide profitetur inter viros, immo Professa inter Moniales erumpens in virum tenetur ad Religionem ex quibus-

dam

dam Doctoribus, ergo à fortiori tenet professio in gradu militari sine cingulo.

Contra est, quia hic supra probaui sub num. 53. & 95. defectum sexus vitiare professionem, cum sit proxima causa destructiua voti castitatis, sine quo professio non subsistit.

Quinto, si professio valet emissa sine habitu, ergo à fortiori omissa sine cingulo.

Contra est, quia licet habitus non faciat monachum, & valeat professio sine illius sumptione, vt ego etiam probaui, hic supra sub numer. 99. tamen nulla est professio, si infra annum probationis non fuit gestatus à Nouitio ex probatis hic *c.6.n.28. ad 35. & c.14.n.2.* ergo similiter professio nulla est eius, cui præcinctum non fuit cingulum.

127 Sexto, in antiquo Pontificali Romano præscribebatur datio cinguli sublata à Clem. VIII. in reformatione eiusdem Pontificalis, quod signum est collationem cinguli esse requisitum accidentale.

Contra est, quia Clem. VIII. non sustulit peculiaria statuta super hoc, dum dicit, quod professiones Nouitiorum Equitum recipiantur, *secundum illius Ordinis statuta*, ergo cum præcinctione cinguli, vt multis probaui dicta resol.100.num.63. Nec expunctio verborum Cinguli à Pontificali arguit expunctionem à Statutis huius Ordinis, sed Papa, ideo ea verba sustulit, quia intendebat dare regulam, & normam generalem omnibus Ordinibus Militaribus, inter quos aliqui dictum Cingulum non præscribunt; ideo expediebat illud non præscribere aliis, sed præterire, ne obligarentur illud solemniter recipere illi, quibus ea statutis non requirebatur.

128 Septimo, ex leuissima causa non est irritanda professio facta Deo, tale est Cingulum in hac Religione consuetudine inductum, quod videtur potius corruptela, quam consuetudo, ideo sine Cingulo valet professio. Sacri enim Canones nunquam annullarunt professionem nisi ex grauissima causa, qualis est minime cinguli omissio. Et in octauo argumento conatur probare leuitatem huius Cinguli, & esse formam accidentalem.

129 Contra est, quia est res grauis, cum sit signum Equestris dignitatis, & distinguat gradum militarem ab aliis duobus, & miles exauthoratur ablatione Cinguli, quod illi est magnum dedecus, & infamia, ergo illius accinctio est magnus honor, & decus, ergo non est quid leue, sed magnæ æstimationis, & honoris, & id probaui citata *resolut.* 100. *numer.* 50. decem argumentis. Adde professionem tacitam incurri, quando recipitur habitus professorum in aliquo licet minimo distinctus ab habitu Nouitiorum, ex *capite primo de Regul. in sexto, iuncta glos.* 11. *Dissimilitudine, ibi*: patenti in colore, scissura, vel forma, si extabat hæc differentia, non incurrebatur, sed impediebatur professio, cur & non potest eam impedire omissio Cinguli, quod est quid magis considerabile, quam scissura, vel color, aut forma habitus.

Ad primum nostrum argumentum respondet sub §. Ad quintum. Verbum necesse importare quidem obligationem sed non semper formam substantialem, quia in Stat. 17. dicitur necesse esse probare nobilitatem, ac si probetur per falsos testes, adhuc valet professio in gradu proportionabili.

Respondi ad eius tertium argumentum, nullam esse talem professionem, neque enim voluntas nostra operatur vltra suam intentionem, qui enim intendit profiteri in gradu militari non vult professionem in gradu Seruientis, cupit enim esse dominus, non seruus, vnde si non vult manere, potest tanquam vere non professus recedere.

Ad sextum nostrum, octauum apud ipsum respondet; ideo non fuisse registratum in Albo, quia id illi accidit in pœnam, cum potuisset accipere Cingulum, quod sua culpa neglexit.

Respondi ibidem, defectum registrationis non esse in pœnam, sed in signum nullitatis professionis; est enim incongruum, & irrationabile vere professum non arrolare eum aliis. Et quia secundum Vencellum Cingulum militiæ accipi potest etiam post professionem, admonendus erat de illius receptione, & non recipiens erat puniendus alio modo.

Quæres 80. An professio probari possit per testes de auditu, & de publica voce, & fama.

Resp. Affirmatiue quando aliunde de ea constare non potest, & hoc tam pro eius fauore, quam pro nullitate, vt Rota vol.3. Diuers. decis.119. resoluit de quadam Beatrice, quæ profecit nulliter infra annum probationis, vt ibidem probatur ex auditu plurium testium. Sed modo aliter probatur, nimirum per exhibitionem libri professorum ad constitutiones Clementis VIII. 130

Quæres 81. An teneat sequens professio: *Ego faciam professionem, si tu me elegeris in Prouincialem.* Quidam reclamauit post quinquennium sine rescripto Apostolico coram ordinario, & superiore monasterij, & obtinuit sententiam nullitatis suæ professionis, eo quod eam fecerat præmisso quidem nouitiatu, sed extra conuentum designatum, & dimissus fuit ad sæculum, in quo per multos annos stetit, demum pœnitentia ductus obtinuit licentiam, & gratiam à S. Congr. reuertendi, cum omnibus iuribus, & prærogatiuis, ac voce actiua, & passiua, ac si nunquam exisset, modo reuertitur, & profitetur cum dicta conditione, cui superior annuit, sed non stetit promissis, quia alter electus fuit in Prouincialem. Numquid tenuit dicta professio taliter emissa.

Respond. Tenuit, *Tum quia*, ea conditio vti indiscreta habetur pro non adiecta, cum quo non debeat quærere simul statum discipuli, & magistri, nec quis simul optare subiectionem, & superioritatem. *Tum quia*, ea conditio non est contra substantiam votorum, vt votum est, & si quæ esset difficultas, ea penderet à voto obedientiæ, quia vellet intrare vt superior, & sic non vt subditus obediens, sed vt superior præcipiens; sed id non obstat, quia ingreditur prius vt subditus, vt postea fiat superior; & id manifestum est in eo, qui de iure profitetur, vt sit Prælatus, & superior in religione aliqua, iuxta quod dixi sub c.6.q.17.n.41. Superior autem se imprudenter egit ex promissione, quæ nullius fuit efficaciæ, & ideo eum non obligauit. 131

CAPVT XIX.

De Professione coacta.

1 *Metus est perturbatio animi causata ex apprehensione mali instantis.*
2 *Metus prouenit vel à causa libera, vel à naturali.*
3 *A libera inferri potest metus iuste, vel iniuste.*
4 *Metus alius cadit in constantem virum, alius non.*
5 *Metus grauis cogit eligere minus malum, vt euitetur maius.*
6 *Grauitas ex natura obiecti, ex conditione personæ, & ex obligatione præcepti.*
7 *Metus leuis in homine spectatur grauis in fœmina.*
8 *Electio peccati etiam venialis est maius malum ad euitandum minus.*
9 *In contractibus maius malum spectatur in seipso* 11.
10 *Conditiones quatuor requiruntur ad metum grauem.*
11 *Malum maius spectatur ratione obiecti, non ratione subiecti.* 9.
12 *Minitans malum debet posse illud exequi.*
13 *Malum probabiliter imminere debet, vt timeatur.*
14 *Neque possit facile superari.*
15 *Actus metu factus est simpliciter voluntarius, secundum quid inuoluntarius.*
16 *Voluntas coacta voluntas est.*

17 *Non*

17 *Non tamen liber appellatur, sed coactus.*
18 *Libertas quid sit.*
19 *Suspicio metus æquiparatur metui.*
20 *In dubio iudicis est pronuntiare an sit grauis, vel leuis.*
21 *Metus præcedit executionem mali.*
22 *Contractus non requirentes plenam libertatem valent ex metu initi.*
23 *Requirentes vero libertatem sunt nulli ex metu facti.*
24 *Matrimonium metu graui iniusto factum est nullum etiam iure naturæ.*
25 *Amor non potest esse vbi reperitur metus.*
26 *Numerantur mala inferentia metum grauem.*
27 *Reuerentialis timor cum asperitate est grauis metus.*
28 *Metus semper præsumitur in subditis.*
29 *Nomine superiorum, à quibus oritur timor reuerentialis quinam sint.*
30 *Preces importunæ sæpius repetitæ sunt metus grauis.*
31 *Metus grauis non excusat à peccato in malis intrinsece.*
32 *A pœnis quomodo excuset.*
33 *Probatur metus. quia non præsumitur.*
34 *Per testes singulares.*
35 *Per indicia, & coniecturas.*
36 *Per protestationes.*
37 *Ex auditu etiam alieno.*
38 *Lachrimæ in actu contractus probant metum.*
39 *Metus non probatur, nisi probata illius causa.*
40 *Metus tandiu durat, quandiu persona inferens illum.*
41 *Purgatur metus multis modis.*
42 *Permansione in conuentu post mortem minantis purgatur metus.*
45 *Lætitia, & gaudij signa in professione metum non purgant.*
44 *Professio nulla ex metu iniusto, & graui.*
45 *In vtroque foro.*
46 *Professio ex metu iuste iniusto valet.*
47 *Professio ex metu leui valet.*
48 *Professio ex metu nulla iure naturæ.*
49 *Professio ex metu naturali valet.*
50 *Animum habens se obligandi adhuc inualide profitetur.*
51 *Metus initio ingressus illatus sufficit ad nullitatem professionis.*
52 *Minor metus in fœmina, & puero sufficit ad irritandam professionem.*
53 *Suspicio metus non irritat.*
54 *Reuerentialis metus solus irritat.*
55 *Preces importunæ sæpius inculcatæ irritant.*
56 *Blanditiæ parentum non irritant professionem.*
57 *Nouitius metu factus tenet.*
58 *Metus illatus admittentibus non vitiat professionem.*
59 *Negatio mariti nouellæ non vitiat eius professionem.*
60 *Volo te priuare hereditate inficit.*
61 *Nolo tibi dare maritum, ingredere non vitiat.*
62 *Nullitas professionis ex metu quomodo probetur.*
63 *Gaudium est animi affectio concepta ex opinione alicuius boni præsentis.*
64 *Gaudium in professione non excludit metum.*
65 *Cogens puellam ad ingressum, & professionem est excommunicatus.*
66 *Non peccat metu profitens.*

1 DE Professione per vim, & metum factam acturus arbitror, esse necessarium præmittere quid, & quotuplex sit Metus, vt ex eius cognitione resolui possint quæstiones proponendæ.

Metus autem est instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio, *ex l. 1. ff de eo, quod metus*. Est ergo perturbatio animi causata ex apprehensione mali, quod probabiliter imminet timenti. Dico *probabiliter* quia vanus timor, & imaginarius non constituit verum metum, debet ergo instare, & esse præsens malum, quod timetur, vel eius imminere periculum ex l. 6. *Metum autem præsentem accipere debemus, non suspicionem eius inferendi.* Debet enim homo aliquid eius experiri, vt dicatur metus incisse, & primo verbis comminatur, & demum factis expetitur.

Diuiditur autem in metum prouenientem à causa li- 2
bera, & extrinseca, quæ est solus homo minitans malum
metuenti, & in prouenientem à causa naturali, seu intrin-
seca, & alia quacunque carente ratione, vt ab infirmitate,
à naufragio, à feris &c. Et de hoc metu non est hic ser- 3
mo, sed tantum de metu illato ab homine, à quo dupliciter
inferri potest, vel iuste, vt cum quis minatur iuridice, &
rationabiliter mortem alicui nisi ingrediatur monaste-
rium, aut ducat stupratam à se &c. Et is metus cum iuste
incutiatur ab habente facultatem actum non potest vitia-
re, nec hunc metum passurus tueri iuridice potest, sed
obedire tenetur, cum iuste incutiatur. Ita *Angelus* 11.
eodem n. 50. sequitur *Silu. n. 6. Azor. lib. 1. c. 10. q. 13. cum
aliis infra citandis*, cum dicemus sub q. 1. valere profes-
sionem eius, qui cogitur propter adulterium commissum
profiteri in pœnam. *Palaus par. 1. tract. 2. disp. 5. p. 41.*

Diuiditur secundo metus proueniens à causa libera in 4
metum grauem dictum iustum, probabilem, & cadentem
in virum constantem, atque in leuem, ac proinde iniu-
stum, improbabilem, & à viro constante alienum. Voca-
tur autem grauis, quia prouenit à graui malo; dicitur ve-
ro iustus, & probabilis, quia operans contra leges excu-
satur, vt non dicatur iniuste, & culpabiliter egisse. Dici-
tur cadere in virum adhuc constantem, quia per hoc
eligit minus malum vt effugiat maius, suam constantiam
non dicitur perdere, & fieri inconstans, cum prudentia
ratione agente recte suadeat minus malum, vt euitet ma-
ius. E contra vero metus leuis dicitur cadere in hominem
inconstantem dum timet malum parui momenti, & hunc
metum leges reprobant.

Grauis igitur metus est ille, qui cogit metuentem eli- 5
gere minus malum ad euitandum maius probabiliter im-
minens; vt si quis eligat omissionem missæ, vt effugiat
mortem sibi proximam probabiliter. Leuis è contra est
ille, qui cogit eligere maius malum ad euitandum minus.
V. G. si fœmina eligat adulterium, vt effugiat mortem. Si
quis eligat peccare mortaliter, ne occidatur, ne sua bona
amittat. Grauitas autem mali pensanda est non solum ex 6
natura ipsius rei, sed etiam primo ex conditione per-
sonæ, nam metus censetur maior in fœmina, & in puero,
qui minor iudicaretur in masculo, & in viro, qui ergo in
homine existimatur leuis, in fœmina reputatur grauis, quia
hæc est minus constans, quam vir. Secundo mensuranda
est grauitas mali ab obligatione legis, & à periculo immi-
nente, comparando ad inuicem quodnam ea duobus præ-
ceptis magis vrgeat, & vnum periculum cum alio, ex
quibus & aliis colligitur quodnam ea malis propositis sit
grauius. De fœmina fere omnes docent *cum Sanchez* 7
lib. 4. disp 3. Palao par. 1. tract. 2. disp. 1. p. 7. num. 10.
Metum in fœmina, & in puero reputatum grauem, in vi-
ro censeri leuem, & non cadentem in virum constantem,
Pontius lib. 4. c. 3. n. 10. Decis. 36. hic n 19.

Prædicta procedunt, licet quis eligeret etiam peccatum 8
veniale, vt aliud malum etiam mortis euitaret, vt si men-
tiretur, vt mortem euaderet, nam doctores communiter
dicunt, hunc metum esse leuem, non grauem, cum eli-
gat maius malum, vt minus euitet, quod non est constan-
tis, & prudentis viri anteponere vitam temporalem spiri-
tuali. Ita *Sanchez lib. 4. disp. 2.* Qui in ordine ad contra- 9
ctus ait, metum cadentum in constantem virum, requi-
rere ex parte subiecti electionem minoris mali, vt liber
sit à culpa, id tamen non requiri ex parte obiecti, ad
eum effectum, vt contractus valeant irritari, & rescindi.
Itaque metus grauis, & cadens in constantem virum in
ordine ad contractus, ac proinde etiam professionem est
timor alicuius mali, quod in se spectatum graue, & valde
præiudiciale est. Quæ autem sint hæc mala dicam infra.

De hoc autem metu graui quæruntur plura *Primo*, quot conditiones sunt necessariæ, vt metus dicatur grauis? *Secundo*, an causet inuoluntarium? *Tertio*. an suspicio metus æquiparetur metui? *Quarto*, an in dubio iudicandus

eandus sit leuis? *Quinto*, an metus necessario adiunctam habeat pœnam, an sufficiat timor, ne inferatur? *Sexto*, an quo iure contractus faciat inualidos; *Septimo*, quænam sint mala inferentia metum grauem? *Octauo*, An excuset à peccato? *Nono*, an excuset à pœna *Decimo*, quomodo probetur.

10 Primo respondetur, quatuor conditiones esse necessarias ad constituendum metum grauem. *Prima*, vt malum quod timetur graue sit. *Secunda*, quod incutiens sit potens ad inferendum malum. *Tertia*, quod probabiliter timeatur. *Quarta*, quod patiens non possit facile illi resistere.

11 Prima igitur conditio est, vt malum timendum in se spectatum tale sit, & non semper cum relatione ad aliud malum, quod minus sit, loquendo in ordine ad contractus, consideratur enim in seipso, in quantum prudenter iudicatur sufficiens ad faciendum aliquid, quod non fieret, si metus abesset. Graue igitur denominatur ab obiecto, non ab imaginatione, & apprehensione patientis, qui aliquando pro graui malo apprehendit, quod est leue, cum sit vnus alio timidior, & leuis cordis, *Lessius lib. 2. c. 17. n. 45. ex eo Palaus part. 1. tract. 2. disp. p. 7. n. 11.*

12 Secunda est, quod malum minitans sit potens ad illud inferendum, alias vane timetur ille, qui non potest nocere; non est autem necessarium, quod minitans sit alias solitus ad malum inferendum, quia ea minitatione probabiliter credi potest, illum executurum esse malum, quod dixit se facturum, à fortiori si cum armis terreat. Ita *Palaus p. 1. tract. 2. disput. 1. p. 7. n. 9. Sanchez lib. 4. disp. 5. num. 5.*

13 Tertia est, quod probabiliter timeatur, tunc autem reuera timendus est *Primo*, quando armatus minitatur malum, l. 3. §. Qui armati, ff. de vi armata, ibi: sufficit enim terror armorum, *vt videantur armis deiecisse. Secundo*, quando minitans interesse habet in negotio, id enim euidens argumentum est, executurum esse malum, nisi patiens obediat. *Tertio*, etiam simplex minitatio arguit probabiliter executionem mali timendi, verba enim inuenta sunt, vt non per ea homines se fallant, sed vt eis quisque in alterius notitiam suas cogitationes proferat, *ex D. August. relato cap. 15. autem 4. 22. quæst. 1.* vis enim in verbis facienda est, *glos. V. Non dixit cap. Ita ergo 5. 22. quæst. 1.* Consequenter patiens reuera probabiliter id credere potest, & à fortiori si sæpius incutiat timorem, vt extorqueat, quod cupit habere, seu obtinere.

14 Quarta est, vt non valeat euitare periculum, nam si difficultatem superare potest facile, nulla est ratio timendi, consequenter metus non est iustus, nec dicitur cadere in virum constantem, sed in hominem vecordem, vilem, & imprudentem. De his conditionibus agunt *Sanchez lib. 4. disputat. 1. numer.* 10. requirens quinque conditiones; *Castropalaus part. 1. tract. 2. disputat. 1. p. 7.* ponit tres; *Bassaus Capucinus* registrat quinque quæ omnes copulantur in prædictis quatuor, sic distinctis ad maiorem claritatem.

15 Secundo dubio respondetur, actum per vim factum esse simpliciter voluntarium, secundum quid inuoluntarium, nullatenus vero liberum. Primum docetur ab omnibus cum *Diu. Thoma 1. 2. quæst. 6. art. 6.* Quia voluntarium est ab intrinseco principio cognoscente singula, in quibus est actio, scit enim se illud facere, & vult facere, vt euitet illud malum sibi comminatum ægre tamen, & displicentia agit, per quod libenter, & libere non dicitur agere. *Confirmatur*, quia voluntas coacta adhuc voluntas est. *l. Si mulier 21. §. si metu ff. de eo, quod metus capit. 1. 15. quæst. 5.*

16 Quod igitur fit per metum est simpliciter voluntarium, quia elicitur à principio intrinseco volente, & secundum quid inuoluntarium, quia nollet elicere talem actum, vnde *Baldus in quodam consil. par. 2. n. 13. impresso ante Rubr. C. Si quis, aliusque testari prohibet.* dicit, quod metu factum habet tantum in superficie volitionem, & in medulla nolitionem, nollet simpliciter facere, sed facit, vt euitet maius incommodum. *Secundum* 17
quod metus excludat liberum cadens in constantem virum, constat ex eo, quod libere illud dicitur fieri, quod ita fit, vt in eius fuerit potestate non facere, libere enim id dicitur factum quod antequam fieret erat indifferens ad fieri, & non fieri à potentia libera, nemine illam cogente, nec impellente ad agendum, ergo metu factum non dicitur libere factum, dum gestum fuit principio extrinseco determinante, & impellente ad agendum. Confirmatur per l. 4. ff. de statu hominum, 18
vbi libertas definitur facultas naturalis eius, quod cuique facere libet, nisi vi, aut iure prohibeatur, per metum autem, quæ vis est, impulsus, vel prohibitus, liber non est ad agendum, vel non agendum sed cogitur facere, vel desistere, ac proinde non læto animo, nec libenter se habet, sed ægre, cum incommodo, & molestia operatur. Quod metus grauis tollat libertatem ab actu facto docent omnes, Angelus V. Metus num. 7. cum aliis locis citatis, & colligitur ex allata definitione libertatis.

Tertio, suspicio metus æquiparatur metui ex l. Nouissime 7. ff. Quod falso tutore, ibi: *Aut metuens, ne compelleretur*, Mascardus *concl. 1054. num. 49. Gregor XV decis. 374. numer. 18. Bald. in l. fin. C. de iure delib. num. septimo Peyrin. in Formul. lit. P. capit. octauo n. 10. Sanchez lib. 4. disp. 1. n. 17.* 19

Quarto, in dubio an metus sit grauis, an leuis, id relinquitur arbitrio iudicis resoluentis ex inspectione qualitatis mali, quod metuetur, ab eo enim cognoscitur, qui metus sit leuis, qui grauis, id constabit infra sub resol. Septimi dubij. Ad hoc Doctores citat *Sanchez lib. 4. disput. 5. initio.* 20

Quinto dubio respondetur ad metum inferendum non 21
est necesse, quod malum simul patiatur dum metus incutitur, quia metus non est passio mali, sed trepidatio mentis, ne malum incurratur imminens, præcedunt ergo minæ, seu illius suspicio ex aliis signis præcedentibus, antequam sentiatur malum. Si enim metus inciperet ab experientia, & passione iam non esset metus, sed damnum illatum antecedenter ad metum, quando non fuit præuisum. *Sanchez lib. 4. disp. 1. n. 16. & 17.*

Sexto respondetur, veriorem sententiam esse, contra- 22
ctus non postulantes plenum voluntarium, hoc est, libertatem ad sui perfectionem, non esse irritos, sed valere, posse tamen rescindi actione de eo, quod metus causa attenta iniuria facta coacta ad contrahendum. Ita *Sanch. lib 4. disp. 8. num. 4. Pontius lib. 4. cap. 7.* Loquendo de onerosis, nam putat donationem præced. cap. esse nullam iure naturæ, *Castropal. part. 1. disp. 1. tract. 2. p. 9.* vocat communem sententiam.

Contractus vero ad sui valorem, perfectionem postu- 23
lantes libertatem celebrati per metum cadentem in virum constantem sunt nulli ad minus iure Ecclesiastico, quia deest libertas perficiens consensum. Vnde omnes fere Theologi *in 4. distinct. 29.* Dicunt matrimonium esse nullum non solum iure Ecclesiastico *capit. Cum locum 14. capit. Veniens 15. de sponsal. cap. Significauit 2. de eo, qui duxit in matrimon.* Quos textus citat Scotus ibidem §. De secundo, verum etiam iure naturali, & diuino, & illo Genes. 2. 24. *Adherebit vxori sua*, inquit 24
Scotus, *sed non adheret quis illi, quod inuito tenet*, & cap. 24. 57. de matrimonio ineundo ab Isaac cum Rebecca prius explorata fuit voluntas puellæ, an vellet nubere cum Isaac, & respondit velle, supponitur ergo libera voluntas ad contrahendum matrimonium, quod cum sit ordinatum primario ad generationem prolis, non videtur posse hic finis obtineri, nisi ad inuicem coniunganiur ex mutuo amore, qui non habet locum, vbi metus reperitur. Ita *Pontius lib. 4 cap. 14.* 25
numer. 14. Vocans hanc communem sententiam, contra aliam communem asserentem cum *Sanchez libr. 4. disputat. 12. numer.* 18. Esse irritum solum iure Ecclesiastico, quem sequitur *Auersa q. 4 de matrim. sect. 2. Palaus par. 1. tract. 2. disp. 1. p. 9. n. 5.*

Sed

Sed quænam ad sui valorem petunt libertatem à coactione? Plura sunt, de quibus *Castrop part. 1. tract. 2. disput. 1. p. 9. à n. 2. Azor. part. 1. lib. 1. cap. 10. q. 7. Megalius 2. 2. lib. 2. c. 5. n. 212.*

26 Septimo, mala inferentia metum grauem sunt plura, recenseo ex *Sanch. lib. 4. disp. 5. Castropalaus part. 1. tractat. 2. disp. 1. part. 7. n. 2. Pontius lib. 4. c. 4. n. 3.* Sunt autem sequentia.

Mors comminata arguit grauem metum, *l. Nec timorem 7 ff. de eo, quod metus cap. Cum dilectus 6. eod.*

Mutilatio alicuius membri, ex dicta *l. 7. & cap. Si quis abscesderit 1. dist. 55.* Est enim quædam partialis mors.

Verberatio grauis, ex cit. c. 6. & pariter corporis cruciatus, vt tortura, & similia.

Armorum vsus metus grauis est, *ex l. 3. ff. de vi, & vi arm. Mascard. concl. 1456. n. 20. Guttier. consil. 77. Tuschus lit. M. concl. 215. num. 6. Farinac. in fragm. par. 2. 11. Metus numer. 87. ex illis Giurba consil. 28. numer. 20.* Licet illis non vtatur, sed ea dimittat ex præcitatis.

Seruitutis timor *ex l. Ego puto 4. l. Isti quidem 8. ead.* Item & timor perdendi instrumentum libertatis ex eadem l. 8.

Captiuitatis timor, ea enim est quædam species seruitutis, captiuus enim redigitur in seruitutem, *Scotus in 4. dist. 29. §. De primo.*

Exilium infert grauem metum, ex Soto, & Palatio apud *Sanchez lib. 4. disp. 5. n. 8.*

Carcer iniustus *ex l. Nec timorem 7. l. Qui in carcerem 22. ead. Scotus loco citato*, intellige de duro carcere, & diuturno, *ex Sanchez. n. 9. §. Melius. Vide Rubeum tom. 1. decis. 300. n. 18. decis. 26. à n. 36.*

Status amissionis ex l. Isti quidem 8. eodem ex Diu. Thoma in 4. dist. 29. artic. 2. ad secundum.

Honoris perdendi metus grauis est, quando timetur ab homine pestiferæ linguæ, & nimium dicace, magis enim æstimatur, quam mors.

Stupri comminatio tam in puero, quam in muliere, *l. Isti adem 8. eod. Scotus cum D. Thoma ead. dist. 29 Sanch. n. 12. §. Caterum.* Idem putat de muliere honesta.

Infamiæ metus grauis est, quando deprehensus in delicto ab aliquo minitatur de manifestatione, tam infamia iuris, quam facti, quando facile occurri non potest, *ex l. Nec timorem 7. eod. Sanch. lib. 4. disp. 5. n. 14 & 55.*

Excommunicationis metus grauis est quando est iniusta *ex c. 5. 11. quæst. 3.* Vbi dicitur, quod siue iusta, siue iniusta semper est timenda; si vero iuste infligatur non incutit timorem cadentem in constantem virum, sed in imprudentem, qui poterat illam euitare obediendo, vnde sibi imputet; quod etiam dicendum est de eadem iniustè fulminata, si poterat reus occurrere, aliter dicitur iustus metus. *Sanchez lib. 4. disput. 5. n. 57. Pontius lib. 4. cap. 4. numer. 7. Palaus pars. prima tractat. 2. disp. 5. part. 7. n. 4. §. Dicendum Barb. ad cap. 3. de iis qua vi, n. 3.*

Amissionis etiam maioris partis bonorum siue diuitis, siue pauperis timor reputatur cadere in constantem virum, *ex cap. 1. de restitut. spoliat. in 6.* Quia vri graue damnum æquiparatur morti, inops enim effectus appropinquatus morti. *Sanchez lib 4 disp. 5. n. 22. Rota apud Dianam par. 9. decis. 1. §. 2.*

27 Reuerentialis timor etiam sine minis, modo habeat adiunctam in incutiente asperitatem vultus, rigidam tractationem, seu exprobationem, dicitur cadere in constantem virum, nam tunc timere est actus viri prudentis, & constantis ex l. 4. ff. de regul. iur. *Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel Domini.* Quando scilicet agit aliquid cum molestia, & damno suo, non dicitur velle libere, sed cogi. Ita *Nauar. consil. 10. de his, qua vi, Menoch. de arbitr. lib. 2. casu 136. numer. 2. Lessius lib. 3. de iust. cap. 17. numer. 35. ex illis Palaus part. 1.*
28 *tract. 2. disput. 1. p. 7. numer. 6.* Vnde metus semper præsumitur in subditis, *Bursat. consil. 127. numer. 25. ex illo Rubeus tom. 1 decis 616 num. 3.* Confirmatur, si reuerentia sine minis non infert metum grauem, ergo nulla differentia inter metum causatum in non subditum, in quo non spectatur reuerentia, & inter illum, qui causatur in subditum, in vtroque enim casu ponuntur à contraria sententia minæ, ex quo reuerentia nimia, & intolerabilis per se non sufficit, timor ergo in omni casu proueniet ex minis, & sic frustra tribuitur reuerentiæ. *Sanchez lib. 4. disputat. 6. Auersa quæst. 4. de matrim. sect. 5.* Tenent timorem reuerentialem sine minis, non cadere in constantem virum. Vide eorum rationes, quibus occurri potest respondendo illas probare, timorem reuerentialem coniunctum solum cum quodam rubore, & verecundia non cadere in virum constantem, cum sit leuis, & parui momenti, qualis non est ille, quem superior incutit in subditum, quem toruis oculis despicit, non alloquitur, non vocat in consortium, monstrat se illi asperum, de illo obloquitur, & non amplius se illi monstrat, vt ante faciebat. *Vide infra n. 54.*

Nomine autem superioris, cui debetur reuerentia, est in primis pater, mater, auus, tutor, curator, frater maior, & patruus, item Dominus erga seruum, superior e potestate, vt Princeps, Magistratus, Prælatus, & huiu generis, vt Notauit *Auersa citat. quæstion. 4. sect. 5. initio. Sanchez lib 4. disput. 6. quæst. 4. numer. 24.* Nam huiusmodi reuerentia fundatur in subiectione, quam habet subiectus, & minor erga suum superiorem, & maiorem, cui contradicere erubescit.

Preces importunæ sæpius repetitæ à præfatis personis, 30
quibus impetitur subditus, causant metum, grauem, & cadentem in virum constantem, quia maximum tædium est sufferre huiusmodi preces sæpius inculcatas in conspectu eorum, cum quibus solemus habitare, aut conuersari. Ita *Sanchez lib. 4. disputat. 7. num. 7. Lessius lib. 2. cap. 17. Castropalaus part. 1. tractat. 2. disput. 1. p. 7. num. 7. Auersa quæst. 4. sect. 5. §. Aliud quoque*, qui docent, respectu aliorum preces importunas non cogere, sed leuem tantum inducere timorem spernendum. *Vide decision. 36. hic extensum n. 9.*

Octauo dubio respondetur, metum grauem excusare à 31
peccato circa ea, quæ de se non sunt mala, sed quia prohibita, non vero respectu eorum, quæ sunt de se, & intrinsece mala. Ratio est, quia hæc nulla ratione cohonestari possunt sicut illa, ad quæ leges non obligant cũ tanto rigore mortis scilicet, aut magni damni, sicut lex naturalis respectu eorum, quæ intrinseca mala sunt, vt odium Dei, idololatria, mendacium, fornicatio, mollities, & alia, de quibus *Palaus part. 5. tract. 2. disp. 1. q. 13. per totum Sanchez lib. 1. c. 18.*

Nono dubio, an excuset à pœna metus cadens in con- 32
stantem virum? Respondetur, quoad pœnam excommunicationis metum ab ea excusare, quandocumque excusat à peccato mortali, quia ea non incorritur nisi propter mortale, sed excusatur tunc non propter metum, sed propterea quia non peccauit mortaliter, ideo hic aliter non incidere in excommunicationem, quia non fuit contumax, ad eam enim incurrendam requiritur contumacia cap. 1. ibi. *Contumacia vitium reprimatur*, de except. in 6. cap. Quisquis 2. quæst. 6. Nauarr. cap. 27. num. 9. Quæ non reperitur, vbi inuenitur metus. Ab aliis vero pœnis ordinariis metus excusat non tamen ab extraordinariis, *Tiraquell de pœnis temper. caus. 36. à numer 3. Farinac. in praxi crimin. part. 2. q. 97. num. 23.* Quia sicut attenuat culpam *ex cap. Sacris 5. de iis qua vi.* Ita conueniens est vt minuat pœnam de ordinaria in extraordinariam, eo quod pœna culpæ debeat commensurari.

Decimo quomodo probetur metus? Certum in primis 33
est, metum non præsumi, & quia est de genere malorum, quæ non præsumuntur, *l. Metum 51. ff. pro soc. cap. 2. de reg. iur.* Et quia est quid facti, ideo probandum ab allegante, *cap. 1. de constitut. in 6. Nauarr. consil. 42. de Regul. num. 9. Sanchez lib 7. capit. quinto numer. 65.* Ita Mascardus *concl. 1054. initio, Barbosa ad capit. prima de* iis,

iis, quæ vi num.7. Connumcratur autem inter ea, quæ sunt difficilis probationis, *Alexand. vol.5. consil.156. initio, Paris. volum. quarto consil.55. & 64. Gregor. XV. decis.326. n.2. apud Rubeum tom.7. decis.115. n.13. Mascard. concl.1055. n.2. ideo.*

34 Probatur primo per testes etiam singulares, *Menoch. lib.3. de præsumpt. quæst.126. num.31. Flamin. lib.13. de Resignat. quæst.1. num.85. Surd. consil.395. num. 26. allegati à Barbos. ad cap. 4. de testibus numer.58. Buratus decis. 39. hic extensa numer. a. & 17.* An autem magis credendum sit duobus affirmantibus, quam mille negantibus? Affirmantibus, si deponant in metu indiuiduo, nam affirmant de aliquo, quod sensibus patet, negantes, vero metum deponunt de aliquo, quod in mente tantum consistit, quod improbabile est. Ita *Alciatus Reg.3. de præsumpt.7. num.5. Bursatus consil. 72. n. 48. cum aliis Castropalaus part.1. tractat. 2. disput. 1. p.14. num. 8.* etiam in causa professionis, *Ludouis. decis. 356. num. quadragesimoseptimo cum aliis* Ciarlin. *cap. 108. num.43.*

35 Secundo metus probatur per indicia, & coniecturas, *Mascardus concl.1055. num.2. Seraph. decis.771. num.1. & 2. Gregor. XV. decis.26. n.3. Rubeus tom.5. decis.315. num.1.*

36 Tertio per præcedentes protestationes, *Calder. consil. 1. de iis, quæ vi Natta consil. 451. num. a1. Hinder. lib.1. consil.23. num.a1. ex illis Rubeus tom. 1. decis.500. n.1.* Vbi de Carceratione iniusta inferente metũ grauem.

37 Quarto metus probatur non solum ex auditu immediato comminantis, verum etiam ex alieno auditu, *Alex. lib.3. consil.99. n. 3. & 4.* Farinac. *de testibus quæst. 69. num.67. ex illis Ciarlin. capit.108. num.46.* In causa professionis, maximè per vicinos, qui præsumuntur scire facta suorum viciniorum, ea allegans ab eodem, & cum sit difficilis probationis, & probetur per singulares testes, ergo & ex auditu non solum proprio, sed etiam alieno. Non probatur vero, quando testes deponunt de auditu accepto à passo metum, *Bald. lib. 4. consil. 406. Alex. lib. 6. consil.112. num. 13. Dec. consil. 81. num. 3. apud Rubeum tom.2. decis.666. num.4.* Quia probatio hæc refunditur in personam interesse habentem, à qua tantum cognitionem habent de metu, quibus ideo non est credendum.

38 Quinto, lachrymę probant metum profluentes ante, vel post actum celebrationis contractus, *Farinac. decis.779. posthum. part. 1. numer. 5. Menochius lib. 3. præsumpt. quæst. 126. numer. 17. Ludouis. decis. 326. num. 40. 41. & 42. ex illis* Ciarlin. *cap.108. num. 54.* In causa professionis.

39 Notandum autem est, quod metus non censetur probatus per simplicem assertionem, quod persona metum fuit passa, sed præterea allegandа est, & probanda causa, hoc est, malum comminatum patienti, qua probata est probatus metus, *ex Barbat. lib.1. consil. 60. num. 3. ex illis Ciarlin. cap.108. num.58. Rubeus tom.8. decis.40. num.5.* Vbi metus non probatur, nisi allegetur causa metus, vt cruciatus carceris, mortis, priuationis hæreditatis, &c. Metus autem non inducitur ex causa valde remota, vt ibidem subiungitur.

40 Durat autem metus donec viuit persona, quæ illum incussit. Ita omnes *cum glos. fin. cap.1. de iis, quæ vi. Decius consil.119. num.7. consil. 468. num.5. Pedemont. decis. 372. num 11. cum aliis Rubeus tom. 5. decis. 315. num. 12.* Durante eadem metus causa, *ex Gregor. XV. decis.391. num.2. cum aliis idem Rubeus tom.7. decis.172. num. quadragesimotertio.* Quia non censetur constitutus in plena libertate, *Bartol. in leg.2. C. de eo, quod metus, num.7. Innocent. in cap. Accedens, de conuers. Coniugat. Seraphin. decis.771. num.8.* & in terminis *decis. 1166. extensa hic sub decis.8. Idem Rubeus eodem tom.7. decis. 115. num.14.* præsumitur durare metus, dum viget adhuc causa. *Rolandus lib. 1. consil. 2. num. 87. Calderin. consil 1. eodem Mars. sil. sing.125. cum aliis idem Rubeus tom.8. decis.201. num.7. Melius tom. 2. decis. 179. in terminis.* Durat metus dum præest superior, vel iudex, qui incussit metum, Abbas, & Imola in cap. 1. eodem Graff. lib.2. de Arbitr. cap. 39. num. 5. *de hac re late in decis.5. extensa in calce huius Operis.*

Purgatus vero dicitur metus, & euanuisse, quando patiens facit aliquem actum sponte, libere, & ex 41
sua voluntate à nemine requisitus, vel persuasus, & cum cessat omnis causa habet totalem libertatem. Ita *Alex. lib.3. consil.98. num.4. & consil.99. num. 8. Natta lib. 1. consil.451. num.15. Roland. lib.1. consil. 2. num.86. cum aliis Rubeus tom. 1. decis.500. num. a.* Metus cense- 42
tur purgatus per delationem habitus, per mansionem, & perseuerantiam in monasterio post mortem incutientis metum. Et quando præsumitur purgatus per actus contrarios, requiritur, quod illi actus, per quos inducitur purgatio metus, non referantur ad aliam causam, quam ad purgationem metus, aliter metus non dicitur purgatus ex allegatis per Rub. tom. 2. decis. 397. num. 3. & 5. vnde excarceratus cum noua obligatione non dicitur purgasse metum ex eodem *Rubeo tom.4. decis. 702. num. 13.* Metus non censetur purgatus ex eo, quod cessat causa metus, si ignorauerit cessationem causæ, sola enim quiescentia metus passi non sufficit ad purgandum metum nisi interueniant actus positiui contrarij, nec per eam probatur, nisi metum passus sciuerit, actum à se factum posse impugnari vti nullum; nec metus est purgatus per ratificationem factam in loco non tuto passo, ex eodem *Rubeo tom.2. decis. 179. per totam de* professione. Censetur metus purgatus per mansione multorum mensium sine professione, *decis.1. apud Tambur. de iure Abbatiss. num.2. & 3.* Signa le- 43
titiæ, & iucunditatis non purgant metum, durante eius causa, *decis.5. apud eundem num.6. extensum hic sub decis.32.* in reliquis vide *Mascardum conclus. 1054. & 1055. Castrum Palaum part. 1. tract. a. disp.1. p.14.* Hi præmissis de more accedendum est ad quæstiones.

Quæres igitur Primo. An metus grauis, & in constantem virum cadens irritet professionem.

Respond. Metus grauis incussus ab homine iniuste ad 44
extorquendum votum irritat professionem non solum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ; metus vero leuis professionem non annullat, sed sinit valere.

Primà pars, quod metus grauis iniustus annullet professionem, probatur, quia libertas est de ratione valoris professionis, ex probatis præcedenti *cap. 16. numer. 40. cap.18. n.6. & 29.* & quidem maior in professione, quam in matrimonio, ibidem num. 31. sed metus tollit libertatem, ex probatis hic numer. 17. ergo infringit professionem. *Confirmatur*, quia metus grauis iniustus irritat matrimonium, ex allegatis hic num. 24. à fortiori professionem. Ita *cap. Præsens 4. 20. q. 1. cap. Sicut 9. cap. Illud 10. 20. quæst.1. cap.1. de iis, quæ vi. Graff. tom. 1. consil.1. de Regul. Nauar. consil. 8. & 9. de iis, quæ vi. Peyrin. de Prælate quæst. 5. cap. 1. numer. 18. Tambur. tom. 3. disput.6. quæst.16. numer.8. Sanchez lib.4. cap. 5. num.9. Suarez tom.3. de relig. lib.6. cap.4. num. 6. Vecchius disp.13. dub.18. num. 7.* & alij omnes nullo contradicente, cum *Nauar. consil.7. & 8. de iis, quæ vi. Ciarlin. c.105. n.50.*

Secunda pars de annullatione etiam pro foro conscien- 45
tiæ probatur, quia vterque forus conueniunt, quando externus non fundatur in præsumptione, quæ in hoc casu non cadit, ex allegatis à *Sayr. in Claui lib.1. cap.13. numer.24. Nauar. in cap. Si quis autem, num.36. de Pœniten. Sanchez lib.1. capit. 10. num. 11.* vtriusque enim fori idem iudicium, ergo respectu vtriusque professio vere nulla est. Confirmatur, quia est de iure non tantum Ecclesiastico, sed etiam Naturæ, & Diuino, quod metus vitiet professionem, vt probatur sequenti quæstione, ergo talis est in vtroque foro. Deinde nullum est matrimonium in vtroque foro, *Sanchez lib.4. disput.12. num.18.* ergo & professio. Ita *Nauar. consil. 2. num. 3. & 4. & consil.3. de iis, quæ vi num.9.* expressius *consil.7. eod. consil.9. eod. n.2.*

Tertia

46 Tertia pars, quod metus iuste incussus non vitiat professionem, probatur, quia lex, & iustitia nulli metum inferunt, sed tantum electionem exhibent pœnæ debitæ delicto, aut ingressus religionis. *Confirmatur*, quia metus iuste incussus non vitiat matrimonium, ex *Sanchez lib. 4. disput. 13. num. 5.* ergo nec professionem. *Ita Lessius lib. 2. cap. 40. num. 54. Nauar. consil. 9. de iis, quæ vi. Sanch. lib. 4. c. 3. n. 21. Vecch. disp. 13. dub. 12. n. 15.*

47 Quarta pars, quod leuis metus non vitiat professionem, probatur, quia in nullo fere lædit libertatem Nouitij, vnde leuis metus dicitur vanus, & in consideratione non habetur, *Leg. Metum 6. ff. de eo, quod metus, cum aliis Sanchez lib. 4. disp. 17. §. Secundo, & lib. 10. disput. 18. num. 10.* Confirmatur, quia non irritat matrimonium, *Sanchez lib. 4. disput. 17. num. 5.* Ita omnes præcitati, & *lib. 4. c. 3. n. 24.*

Quæres 2. Quo iure sit irrita professio, & metu graui facta.

48 Respond. Iure Naturæ, & Diuino, Iure Ecclesiastico confirmato. Probatur, 2. Cor. 3. 17. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*, ille autem reperitur in Nouitio dum se Deo offert in professione, ergo libere debet se dedicare Deo, iuxta illud Psalm. 53. 8. *Voluntarie sacrificabo tibi*, quæ sententia cap. Præsens 4. 20. quæst. 3. extenditur ad professionem. Item ad Galat. 5. 13. *In libertate vocati estis*, qui enim Deo seruiunt professione religionis liberi vocati sunt, quia Deo seruire regnare est, vt dixit Sixtus Quintus in Bulla, *cum de omnibus*, ad rem hanc de professione Religiosorum. *Confirmatur*, tum quia inutile est Deo præstare coacta seruitia, *cap. Illud. 10. 20. quæst. 1.* Tum quia Deus sibi voluntarium militem elegit, *c. 10. 15 quæst. 1.* Tum quia coacta seruitia Deus spernit, *cap. Iam vero 23. q. 3.* Ratione quoque probatur quia in *cap. Præsens 4. 20. quæst. 3.* & aliis præcitatis supra quæst. 1. sub prima parte, supponitur aliunde irritatio, nempe à iure Diuino, dum in illis textibus allegatur Diuina auctoritas. Demum, matrimonium metu contractum est nullum iure Naturæ, & positiuo secundum *Pontium lib. 4. cap. 14. num. 4.* ergo & professio. Ita *Sotus lib. 7. de Iust. quæst. 2. art. 1. ad 2. & lib. 8. quæst. 1. articul. 7. apud Sanchez lib 4. cap. 3. num. 8.* vbi tenet, solum de iure Ecclesiastico esse nullum *Donatus part. 4. tract. 21. quæst. 3.* pro nostra citat *Sotum, & Scotum in 4. dist. 29.* alios contra se citat *Lessius lib. 2. c 40. num. 17.* oppositum docui *controu. 23. q. 5.* tamen præsens magis nunc mihi placet.

Quæres 3. An metus à causa intrinseca, seu naturali incussus, vt ab infirmitate, naufragio, ab animalibus, &c. vitiet professionem, quam non fecisset, si tale periculum non occurrisset.

49 Respond. Valet professio, quia sic timenti malum ius non infertur, nec iniuria quibus auferatur libertas, sed sponte se offert ad vouendum & profitendum. *Confirmatur*, tum ea illo Psalm. 65. *Reddam vota mea, quæ locutum est os meum in tribulatione mea* Ita *Sayr. in Claui lib. 6. cap. 4. num. 11. & 14. Azor. lib. 12. c. 5. q. 9. Vecchius disp. 13. dub. 12. numer. 14. Ego controuer. 33. quæstion. 4.*

Quæres 4. Quid si haberet animum se obligandi non obstante metu graui iniuste illato.

50 Resp. Adhuc nulla est professio, quia talem animum ius pro nullo habet, & vere videtur casus implicare, quod velim me sponte obligare, & ex alio capite cogat, ergo obligatio tenera libera non est. Ita *Sanch. lib. 4. c. 3. n. 13. Ego controu. 33. q. 6.*

Quæres 5. An ad impediendum valorem professionis sufficiat metus illatus initio Nouitiatus.

51 Respond. Affirmatiue, probatur. Tum quia initium metus respicit, & inficit, omnes actus subsequentes, cum ab eo dependeant. Tum quia durante causa, quæ metum intulit, præsumitur metum durare, ea probatis supra sub num. Ita *Seraphin. decis. 873. n. 3.* & magis ample *decis. 1166. per totam, Lud. decis. 492. numer. 3. decis. 175. part. 1. recent. & part. 2. decis. 705. cum illis Vecchius disput. 13. dub. 12. numer. 8.*

Quæres 6. An minor metus in fœmina, & constituto in minori ætate, quam in viro, & maiore sufficiat ad irritandam professionem.

52 Respond. Affirmatiue, ratio est, quia metus perturbat mentem hominis, & animum eius, ergo eo minor metus sufficit, quo animus, & mens est infirmior, & debilior, atque inconstantior; sed in fœmina, & in minoribus mens, & animus sunt imbecilliores, & infirmiores, vt experientia constat, quam in masculis & maioribus, vt patet ex conditione sexus, & ætatis; nam fœmina facile mutatur, & cor habet inconstans, *cap. Forus 10. de Verb. signific.* est quoque debilioris intellectus, cum magis ignoret, quam masculus, *Iason in leg. Si qui, ff. de iure om. vid. Alex. in leg. 15. qui putat, ff. de acquirend. heredit. num. 7. Natta consil. 140. num. 11. Marc. Anton. lib. 2. resolut. 11. num. 21.* De minori ætate constat ex minori vsu, & praxi circa agibilia. Ita *Sayr. in Claui lib. 6. cap. 4. numer. 18. Portellus V. Professio numer. 12. & part. 1. casu 9. & part. 3. casu 33. n. 3. & dixi controuer. 33. q. 14. & hic supra.*

Quæres 7. An suspicio metus irritet professionem.

53 Resp. Negatiue. Tum quia in præcitatis iuribus sub prima quæstione fit mentio de metu irritante professionem non autem de eius suspicione. Tum quia suspicio metus non irritat contractus, nec alios actus, quamuis aliquando habeatur pro metu, ergo nec professionem.

Quæres 8. An metus reuerentialis sine minis, sine precibus, solus irritet professionem. A quibus inferatur, dixi hic sub num. 29.

54 Respond. Sanchez lib. 4. disput. 6. num. 18. negat. *Tum quia*, non aufert libertatem. *Tum quia*, in capit. Puellæ 20. quæst. 1. præter imperium consideratur etiam coacta. *Tum quia*, in capit. Præsens 20. quæst. 3. præter paternam reuerentiam Papa requirit ad declarandam professionem nullam, vt constet, Nouitium nunquam consensisse, ergo timor reuerentialis non aufert consensum necessarium ad profitendum. *Tum quia*, in cap. fin. Qui cleric. dicitur valuisse professionem emissam præcepto regio, aut paterno. Cum Sanchez multi sentiunt, *Vecch. disput. 13 dub. 12. quæst. 14. Rota decis. 195. tom. 4. apud Robertum* dicit, non sufficere purum timorem reuerentialem ad expressam professionem, vtique ad tacitam.

Contrarium tenent *Portellus V. Professio numer. 12. Pontius lib. 4. cap. 11. num. 15. & 16. Rodriquez compend. resolut. 101. num. 78. & cum illis Diana resol. 92. de dub. Regular. Ciarlin. cap. 108. num. 33. plures alios refert, quos retuli controuer. 33. quæst. 9.* vbi tenui cum Sanchez. Censeo autem hanc opinionem valde probabilem, quia timor patris est valde magnus, & cum seueritate vultus certe tantam vim habet, quantam habent minæ, quæ sunt coniunctæ cum metu, quem indicant iuxta ea, quæ supra dixi hic sub *n. 27.* Vide *decis. 14. apud Dianam part. 61.*

Vnde cap. Puellæ huic sententiæ non obstat, cum loquatur præcise de formali coactione, nihil dicendo de timore reuerentiali, textus autem vtitur verbo *coacta parentum imperio*, quia coactio facta à superiore subdito, semper est cum imperio ad differentiam coactionis illatæ ab extraneo, & non superiore. Ad cap. Præsens, respondetur, ex eo constare patris voluntatem fuisse, & esse, vt fieret religiosus, & filius semper contradixit, nulla facta mentione de minis, ergo solus timor paternus impedit verum consensum liberum in professionem, nec verum est, quod supponatur consensus in eo textu, cum clare constet, filium semper dissensisse. *Ad cap. fin. Qui cleric.* respondetur, quod tenuit professio, non ex timore reuerentiali, sed quia *Coactio fuit vel nulla, vel modica*, vt ibidem clare patet. Timor ergo patris cum seueritate vultus sine minis sufficit ad irritandam professionem.

Quæres 9. An preces importunæ patris irritent professionem.

55 Respond. Affirmatiue sæpius repetitæ quia æquiparantur metui graui ex allegatis a *Megalio* 2.2. *lib.* 2. *c.* 5. *num.* 216. preces enim superioris habent vim præcepti ea allegatis ab eodem *consil.* 44. *num* 6. Ita *Sanchez. lib.* 4. *disp.* 7. *n.* 7. *Vecch. disp.* 13. *dub.* 12. *num.* 20. *Ego controuer.* 35. *q.* 11.

Quæres 10. An blanditiæ parentum irritent professionem.

56 Resp. Negatiue, cum illæ potius augeant voluntarium, quam minuant, ergo non cógunt, cui offeruntur. Confirmatur, quia secundum *Sanct. Bonauent. in* 4. *distinct.* 29. *quæst.* 1. *artic.* 8. metum non inducunt, ergo non impediunt valorem professionis. Ita *Angelus V. Religiosus n* 23. *Syln.* 3. *quæst.* 12. *cum Vecch. disput.* 13. *dub.* 12. *num.* 21.

Quæres 11. An Nouitiatus metu graui factus vitietur.

57 Resp. Tenet Nouitiatus, quia eius valor fundatur in experientia obseruantiæ Regularis ex parte Nouitij, & morum eius ea parte Conuentus, nam obseruantia est aliquid asperum, quod enim ægre fit, ex se habet adiunctum aliquid inuoluntarij, ideo à metu impediri non potest, consistit enim in exercitio austeritatis vitæ Regularis. Ita dixi *controu.* 33. *q.* 20. *& hic c.* 6. *n* 58.

Quæres 12. An metus ex parte superioris, & subditorum vitiet professionem.

58 Resp. Negatiue, quia non est necessaria libertas, sed sufficit quæcumque voluntas, ergo etiam coacta, vt probaui cap. 16. quæst. 15. Confirmatur, quia nullibi in iure requiritur libertas, ex parte admittentium, sicut exprimitur ea parte vouentis, qui non est cogendus assumere statum perpetuum contra suam libertatem. Ita *Suarez. tom.* 3. *de relig. lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 21. *Vecchius disp.* 13. *dub.* 12. *num.* 13. Contra *Lessium lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 60. §. *Quinto, & Peyrinum de Prælate q.* 3. *c.* 1. *n.* 81. Quia professio est contractus, qui non debet claudicare; & confirmatur, quia in matrimonio vtrinque libertas est necessaria inter contrahentes, ergo & inter profitentem, & acceptantem.

Respondetur, ex eo, quod professio est contractus, non sequi nullitatem ex metu graui, sed quatenus præcise est votum, nam contractus in ratione contractus valet ex metu initus ex communi, & in eius sententia *lib.* 2. *c.* 17. *num.* 36. In matrimonio carnali vtrinque necessaria est libertas, quia mutuus consensus in idem obsequium traditionis corporum tendit, ex quo duo sunt vnum in carne vna; consensus vero profitentis immediate tendit in votum, cui dat esse, consensus autem Religionis consistit in acceptatione voti iam emissi cum obligatione alendi Nouitium professum, vt dixi *controuer.* 35. *q.* 17. *& supra cap.* 16. *quæst.* 15. vbi aliis modis respondi ad argumenta. Nec claudicat professio, cum vtrinque adsit proportionata obligatio.

Quæres 13. An dicens puellæ, nolo tibi dare maritum, & ideo religionem ingredere, vel maneas innupta, si ex hoc ingrediatur, teneat professio.

59 Respond. Tenet professio, quia vbi est electionis facultas, ibi non est coactio, nam non impellitur ad ingressum Religionis, sed illi offertur duplex status virginitatis in Sæculo, vel in religione, ac proinde relinquitur in sua libertate.

Quæres 14. An minitans, volo te priuare hæreditate, vel expellere extra domum, si non ingredieris religionem; inticiat grauem metum.

60 Respond. Affirmatiue, ac proinde nullam esse professionem in puella, seu puero. De priuatione hæreditatis dixi *resolut.* 57. *initio*, *& hic sub num.* 26. De eiectione probatur ex eo, quod est maius malum, quam priuari hæreditate, cum huic malo superaddatur, qui enim eiicitur partem non habet cum eiiciente, sed ab eo separatur, & quo ad bona, & quo ad habitationem & sic cogitur redigi in seruitutem; metus autem seruitutis est grauis, ex probatis sub *n.* 26. Adde quod est coniunctus cum timore reuerentiali, cum talis comminatio proueniat à consanguineis. Ita respondi *controuer.* 33. *quæstion.* 26.

Quæres 15. An puella ingrediens & professionem emittens ex eo, quod pater sibi dixit, nolo tibi dare maritum ingredere religionem, valide sit professa.

61 Respond. Affirmatiue; quia poterat eam difficultatem superare, nubendo propria auctoritate, in hoc enim est sui iuris vt plane constat. Metus autem, qui superari potest, non cadit in constantem virum, ex allatis sub *n.* 14. *Confirmatur*, quia pater eam non cogit ad religionem, sed tantum declarat animum suum nolle eam tradere nuptui. Et faciunt dicta hic sub quæst. 12. continet enim iste casus tacite alternatiuam manendi innuptam, vel ingrediendi ordinem.

Quæres 16. An, & quomodo probetur metus ab eo, qui prætendit ex eo nullitatem suæ professionis? De probatione metus, dixi hic sub n. 33. & de aliis impedimentis, hic *c.* 18. *q.* 77. *n.* 114.

62 Resp. Sunt necessarij duo testes integri deponentes de metu graui, & reddentes rationem de malo comminato, in quo debent concordare, licet concordia non sit necessaria in loco, & tempore; & bene probatur etiam ex alieno auditu vicinorum.

Primum, quod sint necessarij duo testes ingredi. probatur, tum quia summa est ratio, quæ stat pro religione, hæc enim est in possessione professi, ideo spolianda non est suo iure, nisi legitime nullitas professionis fuerit probata. Tum in reclamatione regulariter non solum de præiudicio religionis, à qua professus, qui ad eam se obligauit, eximere se prætendit, verum etiam agitur de damno, quod passuri sunt eius consanguinei, si dimittatur reclamans ad sæculum, ideo nullitatis veritas probanda est. Dixi præced. *c.* 18. *q.* 77.

Secundum de reddenda ratione probaui hic sub n. 39.

Tertium, non esse necessarium, quod concordent in tépore, & loco, sed sufficere, quod in hoc sint singulares, probaui sub n. 34. Et ita docent *Ludouis. decis.* 326. *n.* 47. *Farin. decis.* 779. *Posth. n.* 4 *Ciarlin. c.* 108 *n.* 43.

Quartum de probatione per alienum auditum probaui supra hic sub *n.* 37. *Ciarlin. dicto c.* 108. *n.* 47. *Ego controuer.* 33. *q.* 19. *&* 30.

Quæres 17. An metus excludatur probatione lætitiæ,
& gaudij in emittenda professione, adeo quod iudicanda
sit valida? Ratio dubitandi est, quia gaudium, & læti- 63
tia est animi affectio concepta ea opinione alicuius boni præsentis, ex *D. Thom.* 2. 2. *q.* 18. metus vero est trepidatio animi alicuius mali imminentis, ergo cum vnum excludat aliud, si Nouitius cum gaudio emisit professionem, sine metu tunc profecit, ac proinde valide.

64 Respond. per hoc non probatur exclusio metus, quia illud gaudium referri quidem potest in actum professionis ratione suæ bonitatis, non vero in causam professionis productiuam, quæ sicut affecta est metu, ita & actum professionis inficit, vnde actus læto animo factus, ne videatur vilis persona in conspectu aliorum, adhuc censetur meticulosus in radice mali comminati, vt inquiunt *Alex. lib.* 3. *consil* 99. *n.* 10. *Tuschus lit. M. concl.* 224. *n.* 13. *Pacian. lib.* 1. *de probat. c.* 50. *n.* 13. cum aliis in terminis nostris, *Ciarlin. c.* 108. *n.* 66. *Tambur. de Iure Abbatiss. decis.* 5. *n.* 6.

Quæres 18. An cogens puellam, vel puerum ad religionem incurrat excommunicationem, vel aliam pœnam.

65 Respond. Cogens graui metu puellam, seu mulierem quamcumque ad ingressum, seu professionem, effectu secuto, est ipso iure reus excommunicationis non reseruatæ. In eandem incidunt consilium, vel fauorem dantes, & pariter præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interponentes. Masculos cogentes nullam incurrunt pœnam. Ita Tridentinum sess. 25. c. 18. exceptis casibus iure permissis.

Prima pars, de cogentibus comprehendit omnes exceptis Regibus, & Imperatore, *Portellus V. Moniales nummer.* 6. includit parentes, *Mirand. tom.* 2. *quæst.* 17. *art.* 4. *cum aliis Barbos. ad hoc cap. n.* 2. *&* 3.

Qui

Qui formaliter non incutiant metum, sed tantum puellæ exponunt, se ei dotem conuenientem dare non posse, aut similem causam eidem declarant, excusantur, quia metus non dicitur incussus, sed tantum à muliere conceptus, intellige modo in totum consistat in persuasione, & inductione ad ingressum religionis sine minis, & malis tractationibus. *Portellus* 11. *Monialis* 12. *Compend. resolut.* 101 *n.* 80. *cum aliis Barbos. n.* 4.

Secunda de graui metu necessario ad excommunicationem patet quia metus leuis non habetur in consideratione, sed tantum grauis leg. Metum 6. eod. vnde intelligendum est de vi coactiua ex tenore vocaboli, *Si coegerint*, non de vi inductiua, vt est leuis metus. Ita *Sanch. lib.*4.*c.*4.*n.*4. *Portellus* 11. *Monialis in Addit.n.* 8 *Barb. num.* 5.

Tertia de ingressu vtroque ad probationem, & professionem probatur ex euidentia textus, ibi: *Ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad emittendam professionem.* Explicat textus, quod intelligat per ingressum, nimirum ad probationem, & professionem tempore debito, quilibet ergo ex his duobus actibus inducit excommunicationem, secuto effectu receptionis scilicet habitus, & professionis. Ita præcitat. *Nauar. consil.* 5. *de regul.* Mirand. *tom.* 1. *contr.* 17. *art.* 4. *concl.* 2.

Excluditur ergo ab hac censura cogens ad ingressum causa educationis. *Portell. in Addit. n.* 14. *Compend. resol.* 101.*n.* 79. *Barbosa num.* 8.

Quarta de fautoribus, & aliis clara est ex verbis Tridentini, de qua re, *Portell.n.*17. *Compend. n.*31. *Bonac. de Censur. disp.*2.*q.*6. *p.*2.

Quinta pars, de pueris probatur, quia censuræ latæ contra cogentes fœminas non comprehendunt cogentes masculos in pœnalibus enim non fit extensio de sexu ad sexum, *Portell.n.*7. *Barbos. n.*6.

Casus à iure excepti sunt, quando cogitur fœmina ad ingressum ratione delicti, vel ad custodiendam pudicitiam seu ex alia iusta causa, vt cum in domo remanet masculus sine fœminis maioribus. Ita præcitati.

Quæres 19. An ex metu proficiens peccet.

66 Resp. Negatiue, quia ægre voueos habet iustam causam non vouendi quoties iniuste cogitur, vnde neque ad illius obseruationem tenetur.

CAPVT XX.

De Effectibus, & Priuilegiis Professionis.

1 *Nihil quod est, aliquid operatur.*
2 *Nulla professio ex quouis capite nullum producit effectum.*
3 *Tridentinum sess.* 25. *cap.* 15. *exponitur.*
4 *Quod nihil est ex se aliquid non producit, sed id est à lege, quod inde resultat.*
5 *Actus, qui non valet, vt agitur, valeat vt fieri potest* 11.
6 *Profitens nihil aliud intendit nisi solemnem professionem.*
7 *Nulliter professus potest fugere, præciso scandalo.*
8 *Professio nulla talis est in vtroque foro.*
9 *Egressus ex nullitate professionis ducere potest vxorē.*
10 *Castitatis obligationem professio inualida non producit.*
11 *Actus si non valet vt fit, valeat vt valere potest; exponitur.*
12 *Nulliter professus ex hoc nullo tenetur voto Castitatis.*
13 *Status professione firmatur in perfectiorem, & perpetuum.*
14 *Nouitiatus est status dubius.*
15 *Mortuus mundo dicitur professus.*
16 *Mors alia naturalis, alia ciuilis.*
17 *Monachus non habetur pro mortuo, nisi in casibus iure expressis.*
18 *Mortuus dicitur respectu omnium actuum, qui dederant statum religiosum.*
19 *Legitimat professio ad ordines, sicut matrimonium filios.*
20 *Dispensatus in vno ordine, non in alio ad quem transit.*
21 *Irregularitas non tollitur professione.*
22 *Illegitimus professione non legitimatur ad dignitates.*
23 *Bona omnia, de quibus non disposuit, fiunt monasterij.*
24 *Dominio superioris fit non amplius subiectus.*
25 *Alimentare tenetur religio suum professum.*
26 *Abundantia vbi non est, ibi non est obseruantia.*
27 *Alimenta debentur litiganti.*
28 *Abbati querelato obediendum.*
29 *Alimenta non debentur expulso litiganti ingressum.*
30 *Minor ætate fit maior professione in aliquibus.*
31 *Matrimonium ratum soluitur professione, non consummatum.*
32 *Filius eximitur a patria potestate per professionem.*
33 *Eximitur etiam patre professo.*
34 *Testis professione fit habilis.*
35 *Capax beneficiorum remanet professione.*
36 *Beneficium vacat non pensio.*
37 *Peccatorum pœnæ omnes remittuntur.*
38 *Baptisma secundum vocatur professio.*
39 *Indulgentia professione acquiritur.*
40 *Vota quæcumque absorbentur à solemni.*
41 *Iuramenta quoque extinguuntur.*
42 *Exhæredari non potest filius professus.*
43 *Possidetur professus à religione.*
44 *Sanguinis, & nobilitatis iura transeunt cum professione.*
45 *Succedit professione parentibus.*
46 *Statutum vt bona non transeant cum professo est iniquum.*
47 *Ducatus, Papatus, &c. desinunt professione.*
48 *Doctoratus remanet in professo.*
49 *Iniuriam professo factam prosequitur superior.*
50 *Priuilegio Canonis, & fori gaudet.*
51 *Religiosus magis subditur, quam vxor, & seruus.*
52 *Testandi ius professione perditur.*
53 *Ciues sunt vbi manent.*
54 *Professio in laxiorem tollit votum ad strictiorem.*
55 *Filiorum duodecim exemptio non perditur per professionem vnius illorum.*
56 *Irritandi vota ius tribuit professio.*
57 *Electionis ius actiuum, & passiuum professione acquiritur.*
58 *Tridentinum de electionibus per constitutos in sacris exponitur.*
59 *Laici, inter Mendicantes habent votum actiuum.*
60 *Collegiata non sunt Ecclesiæ Regulares sed Conuentuales.*
61 *Clerici nondum in sacris vocem actiuam habent.*
62 *Præcedentiæ ius professione acquiritur.*
63 *Capitis diminutio quid, & quotuplex.*
64 *Professione non fit diminutio Capitis.*
65 *Ordines recipiendi ius professione acquiritur.*
66 *Ordinum receptio sine protestatione inducit professionem tacitam.*
67 *Sciens nullitatem eius peccat mortaliter suscipiens ordines.*
68 *Papæ ex voto professus debet obedire.*
69 *Non Sacræ Congregationi.*
70 *Debitor professione non liberatur.*
71 *Transeundi ad strictiorem ius sibi retinet.*
72 *Priuilegia Nouitiorum sunt ipsorum professorum.*
73 *Non legitimatur ad successionem illegitimus.*
74 *Societas Officiorum, professione non extinguitur.*

NVlla res otiosa esse debet in rerum natura, sed vnaquæque operari debet iuxta conditionem sibi ab agente inditam & proprios producere effectos. Professio suis non caret effectibus, sed illos producit suæ naturæ proportionatos. De his agit *Sanchez* sub nomine priuilegiorum, *lib.*5. *cap.* 5. *Graff. part.*1. *lib.* 3. *cap.* 5. *Pellizar.*

Pellizar. tract. 3. c. 5. Ego in Libello de Professione Reg. c. 5. & controuer. 16. Eosdem, & alios plenius hoc referam
prout memoriæ occurrent.

Notandum autem est, quod inter illos aliqui sunt po-
sitiui, & lucratiui, atque vtiles professo, & solent vocari
priuilegia, ex. gr. Priuilegium Canonis, & fori, &c.
Alij non vtiles, sed priuatiui eorum, quæ statui religioso
sunt disconuenientes, vt capacitas contrahendi, testan-
di, ducendi vxorem, &c. His enim professio priuat reli-
giosum, quia dedecent eorum statum. De his promiscue
agendum est, prout Deus dabit eloquium sermo suo, in
sequentibus quæstionibus.

1 Quæres igitur Primo. De professione nulla, an ali-
quem producat effectum? Et videtur, quod sic, *Tum quia*
quod nullum est, potest esse causa alicuius. glos. 1. cap. Si
Sacerdos 10. 16. q. 3. vbi nulla sententia, & titulus co-
loratus, qui nihil sunt, dant causam præscribendi. *Tum
quia*, nullitas actus non facit immunem à pœna illum,
qui male agit, *cap. Statuimus 3. de Sentent. Excommu-
nic. in 6. Tum quia, ex cap. Vn. in 6.* Sponsalia irrita in-
ducunt impedimentum publicæ honestatis. Ex quibus
& aliis deducitur, id quod nullum est posse producere
aliquem effectum, ac proinde ex nihilo aliquid fieri,
consequenter nullam professionem posse aliquem effe-
ctum producere. Et id *confirmatur*, quia ex *cap. 2. & 3.
de regul. in 6.* professio emissa inter Mendicantes infra
annum probationis est nulla, & tamen producit obliga-
tionem ingrediendi aliam religionem. Pariter professio
emissa à coniuge sine licentia alterius est nulla, nihilo-
minus producit simplex votum Castitatis, ex quo non
valuit solemne, vnde ab vxore reuocatus debet cum ea
manere, qua mortua non tenetur redire ad monasterium
ob nullitatem professionis, non ideo potest aliam vxorem
ducere, quia vouit non exigere debitum carnis, ita *c. 3. &
12. de Conuers. Coniug.* in his ergo casibus professio nulla
producit illos effectus. His non obstantibus.

2 Respond. Professio nulla nullum producit effectum, sed
nouitium ita professum relinquit in sua libertate, sicut
erat ante, quam ingrederetur religionem, & si non vult
ratificare professionem implorato officio iudicis potest tu-
ta conscientia redire ad Sæculum.

Primum, quod professio inualida nullum producat ef-
fectum in professo, probatur ex communi ratione, quod
non entis nullæ sunt passiones, & effectus, quia ex nihilo,
nihil fit 1. Physic. text. 34. Et ita in Tridentino Decre-
3 tum fuit sess. 25. cap. 15. *In quacunque religione, tam Vi-
rorum, quam Mulierum professio non fiat ante decimum-
sextum annum expletum, nec qui minore tempore, quam
per annum post susceptum Habitum in probatione steterit,
ad professionem admittatur. Professio autem antea facta
sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regu-
la, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut ad alios
quoscunque effectus.* Quamuis hic irritetur professio in tri-
bus casibus; primò, facta ante expletionem decimisexti
anni; secundo, infra annum probationis; tertio, sine de-
latione Habitus, ac proinde certum sit, quod nemo nega-
re debet, professionem nullam ex illis causis, nullo modo
obligare taliter professum, tamen in quibuscunque aliis
etiam casibus nullitatis professio inualida, ita infirma
penitus est, ex hoc eodem decreto, vt nullum omnino ef-
fectum producere possit, quia Tridentinum non excludit
alios casus, dum enim fecit decretum Irritans comprehen-
dit quoscunque effectus quos alias professionis nullitas
producere potuisset, ex illis postremis verbis: *Aut ad
alios quoscunque effectus.* Et ita insinuat *Donatus par. 4.
tract. 11. quæst. 39.* De professione facta infra annum pro-
bationis, quæ nullam inducit obligationem, docent tre-
decim Doctores citati à *Pasq. in Addit. ad Franc. par. 1.
num.* 25.

4 Ad rationes dubitandi respondetur ad primam, & se-
cundam, quod nihil est producere aliquem effectum, quan-
do legislator ita disponit, quia id tunc pendet immediate
ab eius voluntate, & potestate, non quod ille actus nullus
de se producat aliquid, vnde nullitas sententiæ de se non
producit præscriptionem, nec pœnam in transgressionem,
sed oritur ex potestate legislatoris, & ex culpa transgres-
soris.

Ad tertium argumentum de professione inter Mendi-
cantes infra annum probationis nulla, respondetur, in illis
duobus capitibus sermonem esse de tacite professo, cuius
professionem Papa vult valere respectu religionis, quia
præsumit sic professum habuisse voluntatem se obligandi
in genere, & ideo is effectus pendet immediate ab eius
voluntate, non ab aliqua professionis nullitate. Et tan-
dem qualiscunque sit huiusmodi obligatio modo nulla
est, vt patet ex illis verbis Tridentini: *Nullamque indu-
cat obligationem ad alicuius Regula, vel Religionis, vel or-
dinis obseruationem.*

Sanchez lib. 5. c. 4. n. 104. Suar. de relig. tom. 3. lib. 7.
cap. 2. n. 5. asserunt professionem nullam, extra defectus
ætatis, & nouitiatus iuxta prædictum Tridentini caput;
ratione voti solemnis valere in vim voti simplicis religio-
nis, de intrando scilicet in aliquam religionem, quod Sua-
rez limitat talem vim non habere, quando est nulla ex de-
fectu iuris naturalis, ob non præstitum consensum libe-
rum ob metum, vtique vero quando est nulla ob defe-
ctum iuris positiui. Et vocant communissimam sententiam
ea ratione ducti, quod si actus non valet eo modo quo
fit, valeat eo modo, quo valere potest, prolata in causa ma-
trimonij *Cap. vn. de despons. impub. in 6. §.* Idem quoque 5
quod si non valuit vt matrimonium tenuit vt sponsalia,
sic pari ratione, si votum non tenuit vt solemne, valuit
vt simplex, & id deciditur præcitatis textib. *c. 3. & 12.
de conuers. coniug.* vt supra dictum fuit.

Prædicta ergo intelligo, quando Nouitius habuit ex-
pressam voluntatem taliter se obligandi ad votum sim-
plex; quando solemne non tenuit, nam cum votum
quodcunque sit deliberata promissio Deo facta, tantum
se obligauit, quantum deliberauit; quilibet autem No- 6
uitius in sua professione se intendit obligare ad votum
solemne, quod in lectione professionis facit, ergo non
intendit vltra se obligare ad votum simplex, dum enim
deliberat perseuerare in religione, quod eueniit professio-
ne, non habet intentionem, nisi obligandi se ad votum
solemne, non autem ad simplex. quod religiosum non fa-
cit. Et ita intelligit scriptum Sanchez n. 105.

Quod spectat ad cap. 3. & 12. de conuers. coniug. res-
pondetur, in illis præsumi; vxoratum præmisisse votum
simplex castitatis, & postea transisse ad religionem, &
profecisse sine licentia vxoris, & cum eius professio fue-
rit nulla, reuocatum ab vxore, non potuisse licite post
mortem eius ducere aliam vxorem, obstante illo simplici
voto non petendi debitum coniugale. *Promisit intrando
monasterium se non exacturum carnis debitum, quod erat
in potestate ipsius.* Verbum illud *intrando* refertur ad in-
gressum probationis, non professionis. De prædictis
duobus capitibus plura, *Sanchez lib. 7. disp. 34. per totam,*
Vbi n. 10. ait, talem professionem non habere rationem
voti simplicis

Secundum, quod nulliter professus, si non vult eam
professionem ratificare, possit tuta conscientia exire
probata nullitate, probatur, quia quod de iure non est
sortitum suum effectum; nullum præstat impedimentum, 7
liber, ergo est ad ingressum, adeo quod professio nulla ho-
minem relinquit in sua libertate exeundi, vel remanendi
sicut erat tempore Nouitiatus: immo & fugere, si non
potest probare nullitatem, si id facere potest sine scan-
dalo, cum professio nulla talis sit in vtroque foro. Ita 8
*Nauarr. tom. 4. de regul. num. pen. & consil. 89. de Regul.
num. 6. & 7. ex eo Sanch. lib. 1. disp. 39. num. 11. & lib. 4.
disp. 15. n. 5. & lib. 7. disp. 37. n. 11.*

Diana part. 6. resol 41. ad dubium sibi propositum de
quodam religioso, qui ex causa annullauit suam profes-
sionem, postea matrimonium inire volebat, an licite id
facere posset? Respondit negatiue, quia cognita etiam
nullitate suæ professionis non remanet liber à voto
castitatis, ac proinde eum non posse contrahere ma-
trimonium, vt patet *ex cap. Placet 12. de conuers. coniug.*

Nam

Nam cum castitas sit annexa essentialiter statui religioso,
sequitur facientem professionem emittere per se votum
castitatis, quod si non valeat vt solemne, valebit vt sim-
plex, quod impedit contractionem matrimonij, & citat
pro se *Sanchez lib.7.disputat.27.num.13.Tiberium Instr.
ordin. cap.51. quæst. 80.* Et confirmari id potest ex illo
communi axiomate, si non valet, quoad ago, valeat vt
valere potest. Non valuit vt votum solemne, tenebit vt
simplex, cum nulla obstet prohibitio, nec impedimentum.
Addo pro ipso, quod Sanchez lib.5.cap.4.num.104.ait,
communissimam esse sententiam, professionem nullam
habere vim voti simplicis, excipiendo professionem nul-
lam ex defectu ætatis, & Nouitiatus ex Tridentino sess.
25. cap. 15. iuxta superius dicta. Et etiam ex defectu
loci non designati pro nouitiatu, vt colligitur ex Decre-
to 2. Clem. VIII. ibi: *Receptiones vero. & professiones
nullas esse, & irritas esse ad quemcunque effectum.* Ergo
& ad obligandum professum nullitet ad simplex votum.
Sed his non obstantibus.

Superius vt dixi, professionem nullam ad nihil obliga-
9 re, vnde ille religiosus, non obstante responso Dianæ,
poterat licite nubere. Et ratio ab eo allata ex cap. Placet,
nullius est momenti, quia non sumus in casu, de quo ibi.
Deinde in illis capitibus, non dicitur absolute, quod vo-
tum si non tenuit solemniter, valere simpliciter, sed Pa-
pa præsumit talem habuisse intentionem illum coniu-
gem, vnde *Sanchez lib.7. disp.31.num.3. inquit*, profes-
sionem irritam faciens, vt maneat voto simplici ligatus,
desiderari intentionem obligandi se independenter à va-
10 lore professionis. Quare professio nulla quantum ex se
est, non producit obligationem voti castitatis, nisi ipse-
met sic proficiens intendat se obligare, quia votum sim-
plex nulla ratione ex se sequitur ad professionem, & data
eius nullitate nec sequi potest, si intenderet sequi depen-
denter ab ea, quia principali non existente corruit acces-
sorium, quod tunc esset tale simplex castitatis votum.
11 Ad illud dictum respondeo non valere, quando actus
consequens dependet à nostra voluntate, sicut dependet
prior, *ita Staibanus consil. 44. num.7. Pasqual. in 10 mi-
nis quæst. 23. num. 13.* Ait, illud non procedere, quan-
do actus est nullus defectu formæ, quia tunc totaliter
corruit. Præterea non est simile de contractu nullo ma-
trimonij, quod olim resoluebatur in sponsalia, quia matri-
monium illa supponit, à quibus fit transitus ad illud, pro-
fessio autem nullo modo supponit votum simplex castita-
tis, neque ab hoc fit transitus ad professionem, vt palam
est intelligenti, ergo ab vno ad aliud argui non potest, me-
diante illo axiomate.
12 Pasqualigus ergo ea quæst. 23. proponit difficultatem,
an nulliter professus teneatur voto simplici castitatis? Re-
spondet negatiue, quia votum non habet vim obligandi,
nisi ex intentione vouentis, qui autem ingreditur reli-
gionem habet intentionem vouendi non quolibet modo,
sed tantum solemniter, vt fiat religiosus, ergo cum per
limitatam, & qualificatam intentionem excluserit vo-
tum simplex, illud Deo non promisit, sed tantum solem-
ne. Confirmatur, quia essentia cuiuslibet rei consistit
in indiuisibili, adeo quod si illi desit particula, quam-
tumuis minima, totum omnino, & totaliter pereat, ex
communi, ergo si votum professionis nullum, in totum
perit, ac proinde non potest remanere in ratione voti
simplicis, cum simplicitas ad illud sequatur. Alia affert
argumenta, & pro hac sententia verissima citat duodecim
Doctores, contra Dianam præcitatum, pro quo citat sep-
tem. Vide *Comr.16.q.5. Caramuel in sua Theolog. fundam.
fund.51.*

Quæres 2. An professione Nouitius mutet statum,
in quo erat antea?
13 Respond. Affirmatiue, nam de laico fit Nouitius, &
de Nouitio fit perfecte religiosus ponendo se per pro-
fessionem in statu firmo, & perpetuo, qui nuncupatur
regularis, seu religiosus. Status Nouitiatus est status du-
14 bius, & medius inter laicalem, & regularem, dum per
motum propriæ libertatis redire potest ad seculum, vel
prosequi, & transire ad statum religionis professione fir-
mandum. Nouitiatus ergo est status dubius ex allata ra-
tione, vt notauit *Glos.11. Conferendum cap. 4. de Regul.
in 6.* Professio vero producit statum firmum, stabile, &
perpetuum, ac proinde professus dicitur mutare statum.
Ita omnes cum *Baldo in capit. Cum magistrum §. In
glossa, de elect. Tambur. tom. 2. disput. 25. quæstione 1.
num.274.*

Quæres 3. An professio Nouitium constituat mor-
tuum in seculo?

Respond. Religiosus dicitur mundo mortuus, & Chri- 15
sto viuere. Expresse *cap. Placet 8.16.quæst.1.* Mors au-
tem duplex est, vna naturalis, qua anima à corpore se- 16
paratur, altera ciuilis, quæ non separat animam à cor-
pore, sed tantum impedit, ne homo aliquid agere valeat,
ac si esset mortuus, qui nihil agere potest, cum amplius
non sit. Mors ergo ciuilis quoad quosdam effectus æqui-
paratur morti naturali, quales sunt illi, qui non sunt
compossibiles cum statu religioso, cui aduersantur, sic
eius professione dictante, & effectus huiusmodi, quos
professus facere prohibetur, sunt prohibitiui, e. g. vt ca-
reat proprietate, & dominio rerum ex voto Paupertatis;
vt non possit ducere vxorem, obstante voto Castitatis; vt
careat velle, & nolle, aduersante voto Obedientiæ, qua
propriam voluntatem professione subiugauit imperio vo-
luntatis. De singulis ampliori sermone dicetur infra in
suis locis. Monachus autem non habetur pro mortuo nisi 17
in casibus à iure expressis, vt dicunt omnes cum *Alex.
lib.2. consil.139.num.4. Oldrad.consil. 284.num.4. Rota
par.2.Recent. decis.543.num.3. Vecch disputat.13.dub.9.*
Vnde professione testamentum non sortitur suum effe-
ctum, quia in hoc mors ciuilis, non æquiparatur morti
naturali, qua testamentum firmatur, nisi in religione ca-
paci, in qua cum monasterium repræsentet personam
professi, cum eo dicitur ciuiliter, & naturaliter viuere
quoad hoc, vt nondum testamentum sortiatur suum ef-
fectum; in religione vero incapaci, quia monasterium
non potest repræsentare professum, cum ambo sint mor-
tui ciuiliter, in quo æquiparantur morti naturali, ideo
testamentum exercetur, idest, bona testamenta relicta
secuta professione transeunt ad hæredes testamentarios.
Sanchez lib.7.cap.3.num.14.ad 69. Certa ergo regula di- 18
citur, professum dici mortuum respectu omnium illorum
actuum, qui pugnant cum professione regulari. Doctores
super hoc axiomate: *Monachus est mundo mortuus* citat
Barbosa *in l. Deo nobis C. de Episcopis, & de Appell. verb.
Appellat.157.*

Quæres 4. An professio legitimet nouitium, sicut fa-
cit matrimonium? Seu an tollat defectus natalium?
infra q.39.

Respond. Affirmatiue ex parte, nam de matrimonio 19
constat expresse cap. Tanta 6. Qui filij sint legit. legitur:
legitimantis prolem præcedentem inter solutos tantum. De
professione vero nulla legitimatio alia habetur, nisi quod
dispensatur quoad receptionem ordinum etiam sacro-
rum nullatenus autem ad prælationes, vt dicitur expresse
cap.1.dist.56.& cap.1 de filiis presbiter. Procedit primo,
ex quouis coitu sit natus, vt patet ex titulo, & ex textu,
vbi fit mentio de filiis presbiterorum. Procedit 2. tam in
ordinibus minoribus, quam in maioribus ibi: *Ad sacros
ordines*, si ad maiores, qui dicuntur sacri, à fortiori ad
minores. Procedit 3. etiam quoad vsum susceptorum
in seculo, quia dispensati ad recipiendum censentur li-
berati à prohibitione vsus eorum. De hoc effectu om-
nes cum *Sanch.lib.5.c.5.n.9. Miranda tom.1.q.25.ar.10.
Vecch disp.13.dub.6. Rodriquez tom.1.q.13.art.4. cum sua
Compend. resol.52.n.40. cum aliis Barbosa ad hoc c.1 de
filiis presbiter.n.2. Castropalaus par.3.tr.16.disp.2.p.8 n.
8. Donatus par.4.tr.5.q.6.* Non obstante Bulla Sixti V. cō-
tra illegitimos, quam postea Gregor. XIV. & Clem. VIII.
quod ad hoc, & valorem professionis reduxit ad ius com-
mune, vt dicunt præcitati. Ego c.5. extra q.10. Postremum,
quod etiam Nouitij dicuntur legitimati ad ordines tenet
Rodriquez cit. contra *Sanch.cit.n.11.*

Oo 4 An

An autem nulliter professus ad seculum reuersus vtatur hoc priuilegio? Negaui cap. 7. de Reclamat. quæst. 35. Quia nulla professio ex quæstio. 1. nullum producit 20 effectum. Confirmatur, quia dispensatus à suo superiore, si transeat ad secunda vota, non gaudet amplius ea dispensatione, quia censetur gratia facta pro suo ordine *ex Rodriquez tom. 1. quæst. 13. art. 13.* Ergo multo minus prodest reuerso ad seculum.

Quæres 5. An professio tollat omnem irregularitatem?

21 Resp. Nullam tolli irregularitatem, præter modo dictum defectum natalium. Quia hoc priuilegium non reperitur iure concessum. Ita *Sanchez l. 5 c. 5. num. 9. Nauar. com. c. de Regul. n. 60. Rodr. tom. 1. q. 13. artic. 5.*

Quæres 6. An professione illegitimus fiat habilis sine alia dispensatione ad prælaturas, & dignitates?

22 Resp. Negatiue, nam c. 1. de filiis præsbiteror. excipit promotionem ad Prælaturas. Vnde illegitimè dispensantur per superiores Regulares ad formam constitutionis incip. *Circumspecta* 3. Gregorij XIV. de qua Lezena *part. 1. c. 18. n. 60.* De illegitimis egi *c. 3. n. 78. ad 92.* Vbi de hac re.

Quæres 7. An professione omnia bona Nouitij, de quibus non disposuit, cum ipso transeat in dominium Monasterij, & in eo incorporentur cum cæteris bonis?

23 Resp. Affirmatiue. Et id probaui *initio c. 11. n. 49. & c. 13. n. 5. &* 1 c c. Vbi retuli textus cleros iuris ciuilis. *Ciriacus controu. 243. n. 62. vbi alios citat.*

Quæres 8. An professione nouitius ita constituatur sub iure, & dominio superiorum, & monasterij, vt amplius non sit sui iuris?

24 Respond. Affirmatiue, quia professione virtute voti obedientiæ se submittit religioni in omnibus, quæ præscribuntur in Regula, & constitutionibus, ita quod amplius non habet velle, neque nolle. Ita omnes cum *Lessio lib. c. c. 41. dub. 8. n. 67. Castropal. p. 2. tract. 16. disp. 1. p. 8. num. 1.*

Quæres 9. An nouitius professione acquirat ius, vt à monasterio eletur?

25 Respond. Affirmatiue, dum enim professione religiosus se obliget perpetuo religioni inseruire, vice versa religio tenetur illi correspondere de alimentis, non enim est inferioris conditionis seruo, cui à Domino alimenta debentur. Ita omnes cum supracitans *Peyrin. de subd. quæstio. c. cap. 2. §. 4. & de Prælato quæstio. 1. cap. 5. numer. 59. Donatus par. 4. tractat. 10. quæstio. 7. numer. 9.* Pellix. *tract. 3. cap. 6. numer. 16. Rota apud Tambur. decis. 26. fine.* Et quidem abundanter, iuxta illud commune dicitur. *Vbi non est abundantia, non est obseruantia.* S. Bernardo adscriptum *à Perez in* Reg. 5. *Benedicti cap. 32.* 26 *numer.* 7. Procedit, licet nulliter sit professus, quia dum seruit altari, de altari viuere debet, quicquid dicat Nauarr. com. 4. de Regul. *numer.* 25. §. Quarto de inualide professo ex causis simoniæ, aut excommunicationis, qui victum non recipit ante absolutionem, & dispensationem, quia præfati non recipiunt fructus suorum beneficiorum. Nam professio beneficium non est *capit.* 18. *numer.* 7. & professio excommunicati etiam denuntiati 27 valet, ex eod. *capit. numer.* 45. Et simoniaci ibidem numer 87. Et id verum est ex debito iustitiæ fundato in professione, quatenus habet rationem contractus ex dictis *capit.* 18. *numer.* 23. Quando autem actu non seruiuit, sed Apostata fuit, non debentur alimenta, quæ tantum dantur intuitu religiosæ seruitutis in claustris, vel extra seruientibus de licentia superioris, quando seruitus redundat in vtilitatem monasterij. Et ita explicandus est, *Peyrin. de Prælato quæstio. 1. capit. 5. numer. 60.* Aliter male dicit, quia seruituti correspondet victus, & apostasiæ punitio, & non detractio victus necessarij. Sed dicto litiganti contra superiorem, non habenti annuos redditus, quando nullitas professionis est in causa, vel contra Abbatem agit pro monasterio, debentur alimen- 28 ta, & expensæ *ex capit. Ex parte* 11. de accus. pariter, & Abbati necessariæ tantum, interim ei obediendum est, ex allatis *Sanchez lib. 6. cap. 12. à num.* 20. *Barbosa super dictum cap.* Alimenta non debentur expulso, si vult 29 agere, vt restituatur tanquam iniuste expulso, quia non amplius est in possessione monachatus per notata *à Baldo in l. Si neget ff. de alien. iud. Abbas in cap si quis, de foro compet. Afflict. decis. decima.*

Quæres 10. An professione religiosus ætate minor, reputetur maior?

Respond. Reputatur maior, *gl. v. Videtur, fine, cap. Illud* 20. co. *q. 1. Glos. v. Quamuis, cap. Ex parte 14. de restitut. spoliat.* Vbi dicunt, professum censeri maiorem in rebus spiritualibus, quia in illis non censetur læses, ideo non restituitur, si reclamat contra nullitatem professionis. Sed in contrarium est Tridentinum sess. 25. c. 19. Vide super dictum c. 13. *Barbosam n. 4. Sanchez lib. 7. disp. 37. n. 11. circa finem.* 30

Quæres 11. An professio dirimat matrimonium? Fuse dixi contr. 16. n. 20. ad 25.

Respond. Certum est, præcedentem professionem irritare sequens ad eum matrimonium; præcedens vero matrimonium ratum, & nondum consummatum irritatur per sequentem professionem, altero coniuge etiam inuito; nequaquam vero iam consummatum, licet de licentia alterius valida sit professio. 31

Primum, quod solemnitas voti irritet subsequens matrimonium attentatum, determinatur *Cap. Vn. de voto in 6. Et sess. 24. can 9.* De fide definitur. Ratio est, quia ex statuto Ecclesiæ inducta solemnitas inhabilitauit valide professum ad contrahendum. Et huiusmodi definitio fuit necessaria, propter modernos hæreticos, qui in contrarium errantes per luxuriam de medio statum religionis tollere volebant.

Secundum de irritatione matrimonij ratum tant est definitum eadem sess. cap. 6. his verbis: S*i quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit.* De hoc plura noteui capit. 3. hic numer. 100.

Tertium, quod consummatum non dirimatur per superuenientem professionem etiam de licentia alterius coniugis, probatur, tum quia nullibi irritatio hæc ab Ecclesia inducitur. Tum quia sic professus de licentia alterius ex officio iudicis reuocari potest ob periculum incontinentiæ, quando remanens in seculo non emisit votum castitatis, *ex capit. 1. de conuers. coniugat.* Vt docent omnes cum *Castropal par. 3. tract. 16. disputat. 2. p. 2. §. 3. numer. 9. §. Verum Sanch. lib. 7. disput. 33. numer. 6.* De professione coniug. plura dixi *hic c. 3. à q. 32. & num. 100. ad 117.*

Quæres 12. An professione religiosus eximatur à patria potestate?

Respond. Liberatur à patria potestate, quia professione subiicitur potestati superioris regularis, intellige respectu eorum, quæ illi præiudicare non possunt: Ita *Sanchez lib. 5. c. 5. n. 19 Rodr. tom. 2. q. 77. art. 6.* Megal. 1. 2. *lib. 2. cap. 6. n. 6. Donatus part. 4. tract. 10. quæst. 7. n. 6.* alios citat Barbos. ed cap. Per venerabilem 13. Qui filij sint legitimi n. 16. 32

Quæres 13. An patre religioso filius eximatur ab eius potestate?

Respond. Sic, quia profitens transit in potestatem superioris, & sic sui iuris non amplius est, ac proinde filium non amplius habet sub sua potestate, ea ratione, quia ille non videtur habere in sua potestate, qui non est suæ potestatis, ex l. Sic eueniet c 1. ff. ad legem Iul. de Adulter. Ita *Couar. capit. 2. de testam. numer. 8. Molina tom. 1. de iust. disputat. 229. ex illis Sanchez lib. 4. cap. 35. numer. 44.* Nouitiatus autem non sufficit, quia nondum dicitur esse irreuocabiliter sub potestate Prælati. 33

Quæres 14. An inhabilis ad testificandum professione fiat habilis?

Respond. Affirmatiue secundum Sanchez lib. 5. cap. 5. num. 27. per Auth. de Monachis collat. primo ibi: *Vt quidem omnem humanam maculam detergat.* Sed aliqui dicunt 34

ibi

ibi sermonem esse de macula peccati, vt ibi interpretatur *glos. v. Maculam, vt notat ipse Sanchez iusto sub n. 2. de qua ro Barbosa ad c. Cum deputati 16. de iudic. Dixi fuse contr. 3. q. 30. & contr. 5. q. 10.*

Quæres 15. An professio tollat capacitatem in ordine ad beneficia?

35 Respond. Non tollit, quia beneficiarius ratione beneficij non est proprietarius, sed tantum vsufructuarius, glos. v. Præbendam *Cap. Alienationes 56. 12. quæstio. 2. Glos. v. Obitus cap. fin. de pecul. cler.* Quod non repugnat voto Paupertatis, quod est abdicatio proprietatis, non vsusfructus, ergo professione religiosus non est incapax beneficij, quodcunque illud sit, etiam simplex ex allata ratione. Confirmatur *ex cap. In parochia 16. q. 1. & cap. Quod Dei timorem, de statu monach.* Vnde in forma professionis Canonici Regulares Lateranenses promittunt, se beneficia curata, & non curata non recipere independenter à suo superiore.

Verum quidem est, quod ea contraria consuetudine, abundantia clericorum secularium beneficia modo nullis Regularibus conceduntur, exceptis canonicis Regularibus Lateranensibus, vnde modo sunt facti incapaces propter inductam consuetudinem, non enim indigent, cum ex titulo Paupertatis viuant intra claustra. Vide quæ dixi *Contr. 16. initio Sanchez plura lib. 7. c. 29. per totum.*

Quæres 16. An professione vacent beneficia, & pensiones, quæ habebat Nouitius?

36 Resp. Vacat beneficium secuta professione, de communi Doctorum super *cap. 4. de Regul in 6. vbi Barbos. num. 6.* Quamplures citat in hanc sententiam. *Ludouis. decis. 382.* Non vacare pensiones docui in eadem *Controu. 16. à n. 10. cum Sanchez lib. 7. cap. 29. n. 8.* Nam pensiones in odiosis non veniunt sub nomine beneficiorum, sed more vsufructus transeunt cum professo, quorum fructus vtitur de licentia sui superioris.

Quæres 17. An professione Nouitius acquirat remissionem omnium peccatorum, & indulgentiam plenariam?

37 Resp. Professio producit in religioso canonice professo, & existenti in gratia remissionem omnium peccatorum non quoad culpam, quia iam eorum culpa supponitur ablata per Pœnitentiam, sed quoad eorum pœnam in Purgatorio soluendam, & præterea sic profitens lucratur Indulgentiam Plenariam.

Primum de remissione omnium pœnarum est communis Sanctorum Patrum, quorum *Sanct. Hieronymus Epist. 8. & 25. & S. Bernardus ad finem libri de Præceptis, & dispens. cum aliis relatis à Sanchez lib. 5. cap. 5.*
38 *numer. 2.* Vocant professionem secundum baptisma, in eo sensu, quod sicut homo per baptismum renascitur Christo abrenuntiando diaboli pompis, cum remissione omnium pœnarum ei debitarum ita facta professione religiosus Christo renascitur mundo mortuus abrenuntiatione rerum huius seculi, consecutione remissionis omnium pœnarum, quas soluere debuisset in Purgatorio. Ratio est, quia professio est opus excellentissimum excedens quoscunque alios actus humanæ vitæ, cum Nouitius professione non solum bona externa, verum etiam interna, & seipsum relinquat, dum se & quicquid habet Deo dicat, & offert in holocaustum, huiusmodi ergo pœnarum condonatio prouenit ea dignitate, & præstantia Excellentissimi, & Eminentissimi actus professionis. Ita omnes cum eodem *Sanchez lib. 5. cap. 5. numer 2.* negans eum effectum in renouatione eiusdem *numer. 5. Layman lib 4 cap. 10. tract. 5. num. 2. quem citat, & sequitur Palaus part. 3. dict. 16 disp. 2. p. 8. num. 3. fine,* modo peccata non fuerint nimis grauia inquit. Procedit hoc etiam in professione transeuntium etiam ad laxiorem, ibidem Sanch. Adde tu, & in ratificatione eiusdem alias inualidæ, quia reuera est proprie professio tam transeuntium, quam ratificantium. Tangit *Donatus par 4. tr. 10. quæst. 7. initio. Barb ad cap. Scriptura, de voto, in fine.*

Secundum de Indulgentia concessa à Paulo V. retuli sub c. 12. q. 17. Vide ibi.

Remanet difficultas, qua ratione Paulus V. Indulgentiam Plenariam concessit profitentibus, si ipsamet professio remittit omnes pœnas pro culpis delens debitas? De concessione Indulgentiæ, constat, ergo dubitari potest de hoc effectu professionis, si enim vnum sufficit, alterum superuacaneum videtur, non enim idem effectus à duabus causis totalibus prouenire potest, secundum. *Diu. Thomam, & Scotum citatos à Suar. disp. 26. sect. 4. & seq.* 39

Respondetur, id non esse superuacaneum, nec eundem effectum ab eadem causa prouenire, quia si vna non operatur, potest altera suum causare effectum, neque enim is effectus expresse habetur ex Sacra Scriptura, neque ex Christi traditione, sed Patres id pie credunt propter excellentiam huiusmodi actus. Nec inconuenit, quod idem effectus proueniat à duabus causis totalibus non solum diuersi ordinis, vt communiter conceditur, sed etiam eiusdem ordinis, vt multi sustinent apud eundem Suarez. In caso autem præsenti, causæ professionis, & Thesauri Ecclesiastici Indulgentiarum sunt diuersi ordinis, vt patet; nam Indulgentia operatur ea applicatione satisfactionis Christi, & Sanctorum facta per Romanum Pontificem eam extrahentem ex Thesauro Ecclesiæ, Professio vero remittit peccata ex vi, & merito ipsius excellentissimi actus profitentis.

Quæres 18. An vota, & iuramenta professione extinguantur?

Respond. Affirmatiue, quoad vota ex cap. Scripturæ 40
4. de Voto, quia temporale obsequium mutatur in perpetuum, & votum non infringit, qui illud in melius commutat, omnia autem vota simplicia quid minus sunt respectu solemnis, ideo illa in hoc absorbentur. Procedit siue sint personalia, siue realia siue mixta, cum hæc longe minora sint solemni. Ita *Miranda tom. 1. quæstio. 25. artic. 5.* Compend. *resol. 140. numer. 6. Vecchius disputat. 13. dub. 4. cum multis aliis Ego cap. 12. numer. 38. Barb ad dictum cap. 4. de Voto numer. 2. Sanchez lib 5. cap. 5. numer. 36. ad 44.* Non solum de votis factis in seculo, sed etiam in nouitiatu, immo & post professionem, si transeat ad secunda vota etiam laxiora, quia secunda professio est vere votum solemne sicut prima ex eodem Sanchez n. 40. Et cum hæc extinctio votorum in commutationem voti solemnis non pendeat à voluntate profitentis extinguentis, vel nolentis ea extingui, adhuc transeunt, quia hæc commutatio procedit à professione ex vi iuris ipsius naturalis, & Ecclesiastici, vt notat *Sanchez lib. 5. c. 5. n. 38. & 41.*

Quo ad iuramenta idem dicendum ea extingui pro- 41
fessione solemni, cum nullum Deo fiat iuramentum, quin inuoluat rationem voti, eo quod & ipsum sit promissio relata in Deum. Confirmatur ea doctrina Mir*anda tom. 1. quæst. 25. artic. 6.* vbi probat *ex D. Thoma 2. 2. quæst. 89. artic. 8.* Maiorem esse obligationem voti, quam iuramenti, illo enim semper Deo obligamur ea fidelitate, quam Deo debemus, non sic ex iuramento; si ergo maior obligatio transit in votum solemne, à fortiori minor, quæ est in iuramento. Procedit hoc, nisi res promissa per iuramentum ab homine fuerit acceptata, hoc enim non transit in præiudicium hominis, cui votum solemne non debet præiudicare. Ita *Angelus v. Votum 4. num. 5. Silu. votum 4. q. 7. dicto 4. cum aliis Sanchez lib. 5. cap. 5. num. 45.* Expulsus à religione adhuc liber manet ab illis, quia per solemnem professionem ea non fuerunt suspensa, sed extincta, quæ non reuiuiscunt per eiectionem quia adhuc remanet religiosus, sicut ante. *Compend. Rodriq citata Resol. 140. n. 6. § Quod si.*

Quæres 19. An professione acquiratur ius vt non possit filius à patre exhæredari propter ingratitudinem, & ex aliis causis exhæredationis?

Respond. Affirmatiue, adeo quod ex nulla causa filius 42
professus exhæredari possit à patre. Ita colligitur ex l. Deo nobis 4. C. de Episcopis, & cleric. §. Hoc etiam. *Non liceat parentibus eosdem, vel easdem, quocunque modo*

modo abstrahere, intellige à religione, *vel propter hanc tantummodo causam, quasi ingratum, vel ingratam à sua hereditate, vel successione repellere, sed necesse sit eis omni modo, cum vltimam voluntatem suam, siue per scripturam, siue alio legitimo modo perficiant, quartam quidem portionem, secundum leges nostras eis relinquere. Sin autem & amplius voluerint eis largiri, hoc eorum voluntati concedimus. Sin vero vltimam voluntatem parentes neque testamento, neque alio vltimo elogio declarasse monstrati fuerint, omnem parentum substantiam heredes, quibus ab intestato competit, secundum leges nostras sibi defendant, nullo eis impedimento ex sanctimoniali conuersatione generando, siue soli, siue cum aliis vocentur ad successionem.* Item in Auth. de Sanctiss. Episc. §. Nullam, disponitur ita. *Nullam vero licentiam damus, aut parentibus filios, aut filiis parentes secularem vitam sectantes, & relinquentes velut ingratos à sua excludere hereditate, monasterium, aut monasticam vitam subsecutos.* Et in Nouella constit. 115. sub numer. ccccLxxxix. idem repetitur his verbis: *Non liceat parentibus suos liberos, vel liberis parentes ab hereditate sua repellere monachos factos, quamuis dum laici fuerunt, in causam ingratitudinis inciderint.* Coincidunt in eandem sententiam expositam ab Imperatore Iustiniano imperante ab anno 527. ad fauorem religionis præcipiente, ne parentes ad religionem transeuntes filios possint exhæredare ex causa ingratitudinis contractæ contra patrem ante ingressum, & professionem, quam postremam *Gratianus registrat sub cap.* 10. 19. *quæst.* 3. Procedit respectu cuiuscunque causæ exhæredationis, etiam quæ principaliter respicit læsionem patris, quamcunque enim professio tollit. Ita *Panorm. vol.* 2. *consil.* 27. *numer.* 2. *Silu. religio* 6. *cap.* 2. *ad finem. Duard. lib.* 2. *Bulla can.* 15. *q.* 17. *n.* 7. *Merlin. de legitima lib.* 4. *tit.* 1. *q.* 7. *num.* 3. *Barbosa super dictum c.* 10. 19. *q.* 3. *num.* 1. *Sanchez lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 32. *Compend. resol.* 72. *num.* 1. Volui ad verbum referre supradictas sententias, quæ ab aliquibus negantur, vt videre est apud dictum *Sanchez num.* 31.

Quæres 20. An professione religio, & superior acquirat ius, & professionem super professum?

43 Respond. Affirmatiue, quia promittendo obedientiam se constituit sub professione eius, cui illam spopondit. Quod si aufugiat adhuc dicitur esse sub possessione sui superioris, sub quo continuatur possessio, & non amittitur, licet transient ad secunda vota, dummodo à suo superiore sollicite requiratur, aliter negligens eius recuperationem amittit possessionem. Hæc docentur *à Rota decis.* 365. *tom.* 3. *apud Rubeum.*

Quæres 21. An cum professo transeant iura suitatis, & nobilitatis?

44 Respond. Affirmatiue, quia iura sanguinis, & nobilitatis sunt naturalia, ac proinde immutabilia, *l. Ius agnationis* 35. *ff. de pactis*, quia iura sanguinis nullo iure ciuili dirimi possunt, *l.* 8. *de reg. iur. Ita Nauar. quæstio.* 3. *de Reddit. menit.* 21. *Rodriquez tom.* 2. *quæst.* 78. *art.* 12. 6. *Nec minus Sanch lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 13. *Vecch. disp.* 13. *dub.* 9. *Peyrin. de Prælato q.* 2. *cap.* 2. *num.* 56. Vbi multa ad hoc congerit. Nobilitas tamen non attenditur in officiis, & dignitatibus, sed merita personæ, *Glos. v. Absque personarum delecta cap. Ea quæ, de statu monach.* quia professio omnes æquales facit, vt ibi dicitur. *Decius in cap. cum adeo, de rescrip. n.* 17. *cap. Venerabiles* 37. §. *Nos igitur, de prebend.* ibi: *Non enim electio muneris quæritur in successione generis, sed in perfectione vitæ*, de qua re idem Peyr. n. 57. Ego plura *res.* 56. *n.* 23. *& seq.* vbi probaui melius esse recipere plebeos, quam nobiles.

45 Colligitur hinc cum professus non perdat iura sanguinis, succedere in bonis suorum tam ex testamento, quam ab intestato, vt patet ex allegatis iuribus *hic q.* 19. *& c.* 13. *initio*, vbi alias leges retuli.

46 Hinc deducitur iniqua esse quorundam statuta excludentes professos à successionibus siue directe, siue indirecte, ob defectum iurisdictionis, qua carent Laicales Magistratus in Ecclesiasticas personas. Vnde tale Statutum in Ciuitate Ferrariæ extans Pontifex Romanus expunxit, vt notat *Megal. t.* 2. *lib.* 2. *capit.* 27. *numer.* 37.

Quæres 22. An professione tollantur omnia officia, quæ habebat ingressus Religionem?

Respond. Perdit incompossibilia cum statu religioso, 47
vt sunt Laicæ dignitates, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Papatus, Imperium, Episcopatus, &c. Ita *Glos. v. Dignitate cap. Scripsit* 26. 27. *quæst.* 2. *&* 11. *Comite capit. Præsens* 4. 20. *quæst.* 3. Ita *Tiraquell. de Nobilit. cap.* 26. *num.* 3. *Gulielm. Benedictus in cap. Raynutius num.* 232. *Graff. par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *numer.* 94. *Sanchez lib.* 7. *capit.* 12. *num.* 13. *ex illis Peyrin. de Prælato q.* 1. *c.* 2. *numer.* 58.

Dixi incompossibilia, quia gradus, & honores, qui 48
etiam ipsis professis conferuntur, vt Doctoratus non solum in Theologia, sed etiam in Iure Canonico, immo & Ciuili conseruantur, cum suis emolumentis, & iuribus ingrediendi collegium sicut ante, præcise tamen pro laureandis, & approbandis, vel reprobandis constitutionibus Collegij, quia hæc non pugnat cum statu regulari. Et id persuadetur, si enim bona temporalia professione transeunt, quæ magis videntur pugnare cum voto Paupertatis, quare non debent transire cum gradibus, & honoribus, quæ sunt bona incorporalia non disconuenientia religiosis. *Confirmatur* id, quia gradus Doctoratus conseruatur in religione ex adductis à *Vecchio disput.* 13. *dub.* 9. *num.* 4. vbi ait ex *decis.* 1331. *Seraphin. num.* 4. *&* 11. in sæculo habentem ius legitimandi id secum deferre in religionem, & de licentia superioris sui rite, & valide legitimare, licet sit Frater Minor. Pariter Sacerdos sæcularis confessarius factus religiosus illud munus non perdit, vt docui *cap.* 12. *numer.* 62. Vnde Marcellus Megalius Squilacensis vocatur in Religione Clericorum Regularium Theatinorum Doctor vtriusque iuris à suo Generali in approbatione libri eius Consiliorum, quem gradum in sæculo obtinuerat, & in Religione conseruabat. Sic quoque nuncupatur Angelus Maria Vericellus in suis Operibus eiusdem Ordinis professor. Ita quoque Iacobus Graffis Abbas Casinensis se inscribit iuris vtriusque Doctor. Professio enim titulos honorificos non mortificat, sed exaltat, conseruat, & magnificat.

Quæres 23. An professus amittat ius prosequendi iniuriam sibi factam?

Respond. Non amittit, sed agit actione iniuriarum 49
non per se, sed per suum superiorem, non obstante etiam remissione facta ab iniuriato, superior contra iniuriantem agere potest, quia iniuria censetur facta monasterio, quam vindicare tenetur superior, *Argument. leg.* 1. *ff. de Iniur.* vbi iniuria facta filiis, seruis, & de familia censetur facta patrifamilias, qualis etiam est superior regularis. Ita *Glos. v. possidere cap. Non dicatis* 9. 12. *q.* 1. *Glos. in cap. Parochianos* 9. *de Sent. excommun.* 11. *in monachos, Nauar. comment.* 2. *de Regular. numer.* 64. *Farinac. in praxi Criminal. par.* 1. *numer.* 105. *Molin. tom.* 4. *tractat.* 3. *disput.* 2. *num.* 7. Si superior eam remiserit, iniuriatus non potest agere, *Glos.* 11. *Passus c. Cum illorum* 32. *de Sentent. excommunic. Belasius in suo Promptuario v. Iniuria numer.* 2.

Quæres 24. An professione acquiratur priuilegium vtriusque fori.

Respond. Priuilegium Canonis, vt excommunicati 50
sint eorum percussores acquiritur ipso ingressu receptione Habitus probationis, vt docui *cap.* 12. *quæstio.* 1. Priuilegium fori, tam in Criminalibus, quam in Ciuilibus quoque acquiritur ab ipso ingressu probationis, per quem desinunt esse sub potestate Laicali, aut Episcopali, quo ad personam, & res suas incipiendo esse subiectis superioribus regularibus, vt docui *cap.* 11. *per totum.* A fortiori hæc priuilegia eisdem competunt post professionem, vt sint exempti non solum à Laicis potestatibus, & quo ad personas suas, & quo ad bona quæcunque monasteriorum, locorum, & quæ ad eorum sunt proprium vsum, sed etiam à iurisdictione Episcopi. Et eorum

exemptio

exemptio à prædictis, ita clara est, vt nulla egeat probatione. *Portellus v. Exemptio, Donatus par.2. tract.13. quæst.23.num.5.*

*De exemptione ab Episcopis multa præfatus *Donatus, Tamburrin.tom.2. disp.15. Lezana par.1. cap.11. Rodriquez tom.2. quæst. 63. cum sue Compend. resolut. 63. à num.54.*

De exemptione à Laicis, *Suarez lib.5.de Legibus cap. 34. Compend. Rodriq. citat. resolut.63.num 1. & sequen. Nauar.in cap. Nouit notat.6. de* Iudic. *Couar.1. practic. 31. Abbas in cap. Qualiter de Iudic.*Canonista *super cap. Non dubium 5.de Sentent.excommun. vbi* Barbosa, *Doctores citat. & Resolut.54 q.27.*

Quæres 25. An professio magis subiiciat religiosum superiori, quam matrimonium vxorem marito, & seruitus seruum domino suo?

51 Respond. Affirmatiue, quia magis ligat professio, quam matrimonium, & seruitus, quæ non habent in suo ligamine adiunctum obedientiæ votum, sicut professio, per quam propriam voluntatem imperio superioris sobiecit, non sic vxor, marito, nec seruus domino, quibus obedire tenentur ex natura ipsius subiectionis. Ita de vxore minus subiecta viro, quam monachus suo Abbati, *Glos v.Concesserat, cap. Noluit 16.33.quæst.3.* De Seruo, *Nauar.consil.14. de Statu Monach. num.11. argum. cap. Multos distinct.54.*

Quæres 26. An professione perdatur ius testandi?

52 Respond. Affirmatiue, ex *cap.13.* vbi de hac re multa dixi.

Quæres 27. An professione acquiratur ciuilitas loci, vbi manet?

53 Respond. Affirmatiue, quia sunt partes, & membra Communitatis, loci, & Ciuitatis, quoad fauores, vbi actu de familia manent. Ita *Velaschius decis.* 100. *Grassus de Effect. Cleric. in Prælud. à num. 369. Lucerna Regular. §1.* Ieiunia, *Ego resolut.85. num.61, Nauar.comment.2. de Regular. numer.63.§ Nunc Megal.consil.95. n.3. quos citaui c.3.de Effectib.profess.q.47.*

Quæres 28. An professione in laxiori tollatur votum ad strictiorem?

54 Respond. Affirmatiue, quia votum solemne absorbet quodcunque simplex. Ita expresse *cap. Qui 5. de Regular.in 6. Nauar. consil 6.* de Voto, *Sayr. in* Claui *lib.6. cap.9.numer.14.Sanchez lib.4.cap.16.numer.16. Vechius disput.50.dub.1. cum aliis Barbosa ad dictum caput.* Procedit etiam si profiteantur apud Canonicos Regulares Lateranenses ex priuilegio Sixti IV. in eorum lib. Priuilegiorum, incip. *Dum ad vniuersos*, fol.357.

Quæres 29. An professione vnius ex duodecim filiis patre eorum mortuo, cæteri manentes in sæculo perdant exemptionem?

55 Respond. Negatiue, *Tum quia*, sufficit vt pater simul habuerit aliquando viuentes duodecim filios, *Iason in leg. Si quis heredem*, C. *de* Institut. *& Subst itut.* relatus à *Grassio par.2.lib.3.cap.5. numer.34. in Additam.* Neque enim filius per professionem in hoc moritur mundo, sed adhuc viuit, quia eius ingressus non debet nocere aliis fratribus, ideo non perdunt exemptionem, vt docui *cap. 5.de Effectib.* Profess. *quæst.* 20. Et id supponit *Carena resolut.* 189. explicans constitutionem Ducatus Mediolani huius tenoris: *Hæc immunitas etiam post mortem patris perseuerat, vbi, & donec ipsi omnes duodecim liberi superstites fuerint, & in communione viuant.* Citans *Raudensem de Analogis cap.22.numer.148.* Bellonum Papien. *lib.2.de iis, qua incontinenti, &* alios explicantes illud viuere in communione, licet aliquis eorum professus sit, & religio partem donatam procuret, fratres adhuc dicuntur viuere in communione, quia nullus eorum prouocauit ad diuisionem communionis, non professus, sed religio vtque successit in eius bona.

Quæres 30. An professio superioris det ius Irritandi vota professorum?

56 Respond. Affirmatiue, etenim per obedientiam à Nouitio præstitam superior acquirit dominium super personam professi, ratione enim religiosorum vota superior irritare potest, non Nouitiorum, vt docui *cap.12. num. 38. Sanchez lib. cap.33. num.2. Rodriquez tom.1. q.25. artic.5.Portell.v. Votum n.32. Miranda tom.2.q 32. art. 4.Lezana tom.1.cap.8.n.47. Peyrin. de Prælato q.3.c.3. n.7. & 8.*

Quæres 31. An professione acquiratur ius actiuum, & passiuum ad dignitates, & officia in religione?

57 Respond. Dat vtrunque ius professio expressa, tacita vero solum ius actiuum, vt expresse colligitur ex *cap. Nullus 28. de Elect.in 6.* vbi ad Abbatiam, vel Prælaturam sui Ordinis solus expresse professus eligitur, & *cap. Ex eo 32.eodem.* Ne intersint electionibus nondum professi expresse, vel tacite, intellige ad eligendum, ne aduersetur is textus præcedenti, vt notat ibi *glos.v. expresse*, & clare colligitur ex *cap. Indemnitatibus 43.eodem*, vbi de monialibus, quæ non eligunt, nisi sint expresse, vel tacite professæ. Ita *Suarez de Relig.tom.4. tract.8.lib. 2.cap.4.n.2. Sigism. dub.90.num.2. & 3. alios citat Barbos. ad hoc cap.Ex eo 32.num.7. ipse Barbos.lib.2. de* Iure *Eccles.cap.19.num.50.*

Dices, Laici conuersi profitentur sicut Clerici, vt notum est inter Mendicantes, & tamen illi non intersunt electionibus cum istis, ex citato *cap.Ex eo 32.§.In Ecclesiis, de Elect.in 6.Clemen.2. de ætate*, ergo professio non dat ius eligendi omnibus professis. Et id confirmatur per 58 Tridentinum sess.22. cap.4. vbi decernitur, Regulares non existentes in sacris, non habere vocem in electionibus etiam si hoc ab aliis libere concessum fuerit.

59 Respond. In aliquibus Religionibus præsertim Mendicantium, Laicos professos habere vocem actiuam in negotiis Monasterij, & etiam in electionibus, in quibus dant suum votum pro electione. Ita seruatur in nostra, in qua illi non arcentur, sed ea probata, & immemorabili consuetudine suffragantur, & in multis aliis. *Rodriquez tom.2.quæst.51.art.5.fine, Sigismund. dub. 91. Ego resol. 26. numer.80. & resolut.53.quæst.16.numer.83.* Et Tridentinum cum cæteris textibus non loqui de regularibus Bellarminus testatur non comprehendere Mendicantes prout refert *Donatus par.3.tract.4.quæst.6. numer.* 10. & 60 ratio potest esse, quia Ecclesiæ Regularium Mendicantium non sunt Collegiatæ, sed Conuentuales, ex allatis à *Diana part.2. tract.14. resolut.76. & par. 10. tract.12. resolut.40. Rodriquez tom.1.q.43. art. 12. cum suo Compend.resol.25.num.10. ex illis Quartus* Theatinus *in Missale par.2.tit.3.sect.2.dub.4.* Clementina autem, & Tridentinum loquuntur de Collegiatis Sæcularibus, & Regularibus, cuiusmodi sunt Ecclesiæ Canonicorum Regularium, non Mendicantium.

61 Dicta de religiosis Laicis à fortiori intelligenda sunt de professis in numero Clericorum, quamuis nondum sint ordinati, sunt enim in gradu magis honorabili, quam Laici, qui constituuntur in infimo, & ideo illi intersunt non solum negotiis domus, sed etiam electionibus conuentualibus monasteriorum, quæ reguntur democratia, in qua omnes professi sine discrimine suorum graduum admittuntur, non autem in Capitulum Prouincialibus, aut Generalibus, quæ gubernantur, & diriguntur regimine aristocratico, conuenientes tantum, & interessentes constituti in ordinibus sacris.

Quæres 32. An professione acquiratur ius ad præcedentiam?

62 Respond. Affirmatiue, ea enim est titulus, quo vnus religiosus alteri præponitur in eadem religione, nam professione euadit pars, & membrum illius corporis religionis, cuius Regulam Nouitius professus fuit, vnde cum cæteris eodem iure censendus est. Ita docui *cap.5. extra de Effectibus Profess. quæst. 49. & in* Theatro *præcedent. numer. 433. quæst. 140.* Procedit hoc etiam in eo, qui bona fide profecit, licet inualide, retinet enim ius acquisitum præcedendi loco, & datione vocis, sunt enim hæc modici præiudicij, ex *Nauar.consil.27.de* Regular. *in fine, ex eo Sanchez lib.7. disput.37. num. 68. ex illis Pellizar. tract.3.cap.1.q.20. num.50. Ego loco citato q.144. n.400.*

Vecch.

Vecch.disp.14.dub.8.num.2. Suarez tom.3.d Relig. lib.7. cap.1.num.34.Rodriquez tom.3.q.17.art.-.fine, Seraphin. decis.1361.num.5 ex illis Peyrin.*quaest.-.cap.1. num.152.* qui in suo ordine id absolute non amittit cum genitura non sit res parui momenti, nam ultimi Collegæ, & primi seniores nonnollis gaudent priuilegiis, qoibus non vtuntur probati inualide professi, in hoc verum dicit, sed tenera præcedere loco, a suffragio tantum est res parui momenti.

Quæres 33. An Nouitius professione patiatur diminutionem capitis. Est autem capitis minutio prioris status

63 mutatio facta nominis interueniente ex Institut. de Capitis diminutione, quæ est triplex. Maxima, qua amittitur libertas, ciuitas, & familia, vt cum quis cogitur ad seruitutem, vel ingratus condemnatur, aut patitur se venundari. Media, qua libertate retenta reliqua per deportationem perduntur. Minima, qua amittitur familia cæteris retentis.

64 Respond. Professione non inducitur capitis diminutio. Probatur, quia capitis diminutio est pœna inuoluntarie passa ab homine ex suo delicto, sed ex professione nulla sequitur pœna, ergo nec capitis diminutio; Confirmatur, quia professus ciuitatem, familiam, & libertatem suam retinet in voluntate sui superioris, cui promittit obedientiam, non seruitutem captiuitatis. Demum mutatio diminutionis fit in deterius, professione vero Nouitius de Laico fit Ecclesiasticus, qui est status perfectior. Ita *Rodriquez tom.2. quest.77. art.6. Sanchez lib.7. cap.3.n. 34. Ciriacus in exposit. Nouella quinta.* Quod retineat ciuilitatem probaui hic quæst.27. & iura sanguinis, seu familiæ quæst 21.

Quæres 34. An professione acquiratur ius ad recipiendos ordines minores, & maiores?

65 Respond. Affirmatiue, quia in numero clericorum profitetur ad eum finem, vt de licentia superiorum debitis temporibus possit recipere ordines, vt Ecclesiæ regulari seruire possit. Confirmatur, quia etiam Nouitij, vt probaui hic *capit. 15. à num. 40. ad* 48. sunt capaces, à fortiori professi.

66 Nota, quod inualide professus recipiens ordines sine protestatione, quod non intendit incurrere tacitam professionem, nec inualidam ratificare, præsumitur tacite professus ex allatis hic c.18.n.110.

67 Aduerte præterea, quod sciens nullitatem suæ professionis, & recipiens aliquem ex ordinibus sacris sine titulo peccat mortaliter. *Rodriquez tom.4 Summe in Addit.cap. 65. numer. 10. cum suo* Compend. *resolut.106. numer.25. Fortell. v. Ordo sacer num.8. ex illis Diana resolut. 213. de dubiis Regular.*

Quæres 35. An professione religiosus ex vi voti teneatur obedire Papæ, & Sacræ Congregationi eius superioribus, quibus expresse, nec tacite promisit obedientiam expressam in forma professionis?

68 Respond. Omnes Affirmatiue, quia cum Pontifex Romanus approbet omnes Religiones, & dicatur Generalis, superior Localis, ac Prouincialis omnium Religionum videtur votum professionis & obedientiæ illi fieri, cum in professione facienda dicatur reseruata auctoritas Pontificia. Ita *Sanch lib.6. cap.1.num.8. Nauar. cap.12. numer.76. Suarez tom.3.de* Relig. *lib.10. cap.11. num.15. Palaus tractat.16. disput.4.p.2. num.4. Peyrin. de Pralato quast.3.cap.3. numer.26.* Tamen nonnulli de hac re dubitarunt, asserentes religiosos, qui id expresse non fecerunt, nec Regula eos obligat, non teneri vinculo voti Obedientiæ obedire Pontifici, quoad concernentia eorum Regulam, sed tantum subiici eidem eo modo, quo cæteri fideles, quia nemo in sua professione id aduertit, neque formæ professionum, in quibus fit tantum mentio de superioribus professis eiusdem ordinis, de obedientia ex voto, erga Romanum Pontificem nullam faciunt mentionem.

69 Quod spectat ad Sacram Congregationem, dico non teneri professos ex vinculo voti annexo obedientiæ voto obedire eidem S. Congr. quia Sixtus V. eos cum hoc speciali onere non subiecit, quicquid dicat *Thomas à Iesu tractat.3. de Visitat.*Regular.*cap.17.num.7. & ex eo Lezana par.1.cap.4.n 31.ex illis* Belasius *in suo Promptuario v.Congregatio Cardinalium num.1.*

Quæres 36. An professione intelligantur remissa debita in sæculo contracta. Ratio dubitandi est, quia per votum Paupertatis cum abdicat à se proprietatem bonorum factus est impotens debitor ad soluendum, ergo professione manet à debitis solutus.

Respond. Si non habet in bonis religionem ingrediendo non liberatur, quando eidem professo aliquid relinquitur, de quo satisfacere debet, aliter non tenetur ad restitutionem, quia ad impossibile nemo tenetur; in casu acquisitionis, bona acquisita debentur potius creditori, quam monasterio, quia hic concurrunt duo iura, vnum naturale, solutio debitorum, aliud positiuum acquirendi Religioni, acquisitio enim huiusmodi in tantum respicit monasterium, in quantum in eo reperitur ille professus, qui cum habeat eam obligationem eidem satisfacere debet, ne monasteriũ locupletetur cum aliena iactura. *Diana resolut. 41. de* Regular. refert duas opiniones, prima liberat ingredientem à solutione, dum nihil habet quo soluat; secunda tenet, non posse ingredi, nisi prius satisfaciat, dum breui tempore sperat mediante sua industria satisfacere, ita cum aliis *Sanchez lib.4. c.19. n.8.*qui breue tempus dicit biennium. 70

Quæres 37. An professione religiosus sibi conseruet ius, & libertatem transeundi ad secunda vota?

Respond. Professus non perdit ius transeundi ad secunda vota strictiora, quia esto per votum Obedientiæ propriam voluntatem subiiciat superiori, ex quo caret velle, & nolle, id tamen intelligitur in ordine ad ea, quæ spectant ad obseruationem Regulæ, quæ non continet exclusionem transitus ad secunda vota strictiora, vnde votum transeundi ad strictiorem à superiori irritari non potest, quia in hoc non intelligitur reseruata potestas dominatiua superioris. Ita *Sanch. lib. 4. cap.33. per totum. Confirmatur*, quia professio in laxiori non debet esse impeditiua maioris boni, quod est transire ad strictiorem. 71

Quæres 38. An priuilegia Nouitiorum, de quibus dictum fuit hic sub *cap.*12. professione transeant cum religiosis?

Respond. Affirmatiue, quia illis gaudent intuitu professorum, ergo à fortiori radicantur in eisdem professis ratione professionis. Ac proinde illa, quibus gaudent ratione status præcise Nouitiatus, non transeunt cum eisdem post professionem. Nam Nouitius habet priuilegium Indulgentiæ Plenariæ in receptione Habitus, libertatis reuertendi ad sæculum, ducendi vxorem, &c. 72

Quæres 39. An illegitimus professione habilitetur ad successionem?

Respond. Illegitimus professione non euadit legitimus, quo ad effectum successionis, quia id nullo iure cauetur. Ita *Socin. consil.48.numer.18. & 19. lib. 4. Berous 169. num. 29. lib. 2. Gulielmus de Benedict. in cap.* Raynutius *v.Uxorem nomine Andelasiam part.1. numer.100.* Roderic. *Suar. allegat.25.* Couar. *in Epitome* Decretal. *part.2. cap.8. §.7. numer.4.* & tenuit Rota coram Manica *decis. 32. numer. 4. & ex illis* Buratus *decis. 572. prope finem.* 73

Quæres 40. An professione finiatur societas officiorum?

Respond. Negatiue, quia mors deducta ab homine in conditione non intelligitur de ficta ciuili, sed tantum de vera naturali. Ita *Castracan. de Societat. Offic. quast.14. num.13.*Rota *part.2.Recent.decis.543.cum aliis Ferentillius ad decis.461.Burati num.18.* 74

CAPVT

CAPVT XXI.

De Ratificatione Profeſſionis.

1 *Ratihabitio, & Ratificatio differunt.*
2 *Ratificatio habet pro obiecto profeſſionem nullam, vel dubiam.*
3 *Nulla eſt profeſſio in multis caſibus hic enumeratis.*
4 *Inualida profeſſia talis eſt reſpectu vtriuſque fori.*
5 *In vere fit mentio de Ratificatione.*
6 *Ratificatio quid ſit?*
7 *Ratificatio eſt innouatio veteris actus cum ſui valore.*
8 *Verbis non tantum, ſed etiam ſignis ratificatur.*
9 *Ratificatio, & profeſſio tacita differunt.*
10 *Nulliter profeſſus tenetur ratificare, ſi vult remanere.*
11 *Non vero, quando vult reuerti ad Sæculum.*
12 *Fuga licita eſt nulliter profeſſo.*
13 *Fuga non licet in dubio nullitatis profeſſionis.*
14 *In dubio ratificationis habenda eſt pro ratificata poſt quinquennium.*
15 *Præſumptio hominis regulatur à præſumptione iuris.*
16 *Impedimento durante ratificatio exerceri non poteſt.*
17 *In quatuor caſibus ratificanda.*
18 *Anceps an velit remanere cogi poteſt ad deliberandum.*
19 *Hodie nulliter profeſſus, cras poteſt ratificare.*
20 *Aſſerenti nullitatem ſuæ profeſſionis non creditur.*
21 *Creditur vero aſſerenti eius ratificationem.*
22 *Sicut & neganti ratificationem infra quinquennium.*
23 *Non vero poſt quinquennium.*
24 *Permanſione diuturna non præſumitur ratificata ante quinquennium.*
25 *Neque receptione ordinum.*
26 *Neque exercitio actuum profeſſorum.*
27 *Præſumitur vere inducta profeſſio tacita ex illis.*
28 *Notitia nullitatis profeſſionis neceſſaria eſt ad ratificationem.*
29 *Duplex notitia, ſeu cognitio abſoluta, & conditionata*
30 *Reſcripta ad reclamandum poſt quinquennium expediuntur cum clauſula:* Si non ratificauit profeſſionem.
31 *Nouitiatus non repetendus in ratificatione.*
32 *Nouitiatus factus in locis non deſignatis non irritatur.*
33 *Conſenſus conuentus in ratificatione, quando neceſſarius.*
34 *Non eſt neceſſarius, quando nullitas eſt occulta.*
35 *Item & quando eſt publica nondum deducta ad forum.*
36 *Conſenſus præſtitus cenſetur durare, ſi non conſtat de eius reuocatione.*
37 *Siue conſenſus fuerit licitus, ſiue illicitus.*
38 *Immo & irritus ac nullus.*
39 *Conſenſus matrimonij non poteſt ſuppleri, vtique conuentus.*
40 *Reclamans non ratificat ſine nouo conſenſu conuentus.*
41 *Conſenſus, & incorporatio pari paſſu currunt.*
42 *Conſenſus tacitus prodeſt ratificationi.*
43 *Quando expreſſum facit ceſſare tacitum.*
44 *Ceremoniæ non ſunt repetendæ.*
45 *Ratificatur coram ſuperiore, & teſtibus.*
46 *Etiam coram ſuperiore locali.*
47 *Præſumptio legalis non admittit probationem iure ordinario.*
48 *Præſumptio ratificatæ profeſſionis tollitur probatione contraria.*
49 *Ignorantiam nullitatis probando.*
50 *Querimonia facta ante quinquennium elidit hanc præſumptionem.*
51 *Sicut & duratio metus, & alterius impedimenti.*
52 *Eccleſia ſupplet conſenſum ex parte monaſterij defectum legalem.*
53 *Dimiſſus legitime adhuc ratificat profeſſionem nondum reuerſus.*
54 *Ratificatio ſtatim fit, cum ſublatum eſt impedimentum.*
55 *Scientia nullitatis requiritur ex parte monaſterij.*
56 *Peccatorum remiſſio, & Indulgentia acquiritur ratificatione.*
57 Non volo eſſe religioſus, *eſt ratificata profeſſio.*
58 *Duo ſpectantur in profeſſione votum, & contractus,*
59 *Retrotrahitur minime ratione voti.*
60 *Vtique in ratione contractus;*
61 *Homo non poteſt fingere, ſicut lex fingit.*
62 *Præcedentia non perditur ratificatione.*
63 *Ratificatio retrotrahitur etiam in præiudicium tertij.*
64 *Poſſeſſor malæ fidei poſſidet incorporalia.*
65 *Quæ acquiruntur tolerantia alias poſſidentis.*
66 *Quomodo peccet immiſcendo ſe actibus profeſſorum?*
67 *Habens reſcriptum vt profeſſione facta reſtituatur quando perdatur.*
68 *Gratia facta, & facienda quid ſit?*
69 *Gratia facienda non facta, alicui, re integra ſpirat morte concedentis.*
70 *Priuilegium per non vſum neglectum perditur.*
71 *Spatio decennij.*

DE Ratificatione Profeſſionis plura dixi in alio tractatu de Profeſſione Regulari, c. 6 *contr.* 32. vtroque in loco dicto, huc referam cum aliis quæſtionibus, iuxta quod Deus meum illuminabit intellectum. Vide hic *deciſ.* 36. *per totam.*

Præmitto autem primo latam eſſe differentiam inter Ratihabitionem, & Ratificationem alicuius 1
actus alias geſti, nam ratihabitio reſpicit actum ab alio factum nomine eius, qui poteſt illum ratum habere, alias reſcindi, & caſſari poteſt. Ratificatio vero reſpicit actum nulliter factum ab eodem, qui poteſt illum ratificare, & de nullo facere aliquid, & de inualido validum, per superuenientem conſenſum, remoto impedimento, quod fuit cauſa, ne actus exiret ab agente validus. De Ratihabitione plura dixi citata *contron.* 32. initio, illuc remitto Lectorem, hîc tantum de Ratificatione verba faciam.

Præmitto ſecundo, ratificationem reſpectu pro- 2
feſſionis habere locum in duobus tantum caſibus. Primo, quando profeſſio eſt apertè nulla, & inualida; ſecundo in caſu dubitationis de eius valore, vnde pro eius obiecto, circa quod verſatur, habet illius nullitatem certam, vel dubiam.

Præmitto tertio, profeſſionem in multis caſibus eſſe nullam, qui reducuntur ad tria capita, vel enim impedimenta, quæ eius inualiditatem conſtituunt, ſe tenent ex parte Nouitij; vel ex parte Conuentus; vel tandem ex parte vtriuſque, Conuentus ſcilicet, & Nouitij.

Ex parte Nouitij impedimenta, ſeu defectus an- 3
nullantes attentatam profeſſionem ſunt *Primo*, defectus conſenſus, & intentionis eius, qui fingit ſe profiteri, *cap.* 18. *q.* 13. *Secundo*, defectu libertatis per metum facta eſt nulla, *cap.* 19. *Tertio*, defectu intellectus nulla eſt reſpectu amentis, & furioſi, *cap.* 18. *q.* 28. *Quarto*, nulla eſt defectu ætatis ad nouitiatum, quæ incipit poſt decimumquartum annum *cap. quæſt.* 1. *Quinto*, nulla eſt defectu ætatis, ad profitendum poſt ſexdecim annos, *cap* 7 *quæſt.* 1. & 2. *Sexto*, defectu Nouitiatus eſt nulla, *cap.* 6. *q.* 1. & 2. *Septimo*, defectu continuationis, ſi enim interrumpatur eſt nulla, *cap.* 8. *Octauo*, nulla eſt, ſi non eſt

annus integer, & completus de momento ad momentum, *cap.6. q.5. Nono*, professio facta sub conditione voto repugnante est nulla, *cap.18. q.55. & seq. Decimo*, emissa à coniuge sine alterius consensu, *cap.18. quæst.31. Vndecimo*, nulla est, quando expresso vno voto, reliqua excluduntur, *cap.18 q.61. Duodecimo*, Episcopi professio sine licentia Papæ est nulla, *cap.18. q.48. Decimotertio*, professio in laxiori sine licentia est nulla, *cap.18. q.65. Decimo quarto*, professio in diuerso sexu est inualida *cap.18. q.64.* Alij sunt defectus, de quibus in præcedentibus.

Ex parte Religionis alij sunt defectus professionem nullam reddentes; *Primo*, defectus legitimi ingressus, *cap.6. quæst.9 cap.4. quæst.20. Secundo*, defectus loci Nouitiatus irritat professionem, *cap.5. per totum Tertio*, si Conuentus negauit consensum, vel Superior, de quo c.16.

Ex parte vtriusque vt si ambo finxerunt professionem, vel consenserunt professioni infra annum probationis, &c. De quibus *Castrop. tr.16. disp.2 p.5. initio.*

4 Præmitto quarto, professionem inualidam talem esse respectu vtriusque fori tam conscientiæ, quam externi, ex quocumque capite sit nulla, siue de iure naturæ, vt si desit consensus, vel liber non sit ex parte vouentis, vel inualida sit ex iure Ecclesiastico, quia cum habeat rationem contractus, claudicare non debet respectu vnius, & tenere respectu alterius, quia par vtriusque obligatio esse debet, quare si est inualida defectu Religionis, talis quoque est respectu profitentis, qui ideo ad nihil tenetur, quia professio inualida de se nullam post se relinquit obligationem. Confirmatur, quia matrimonium celebratum cum aliquo impedimento dirimente est nullum in vtroque foro, ex allegatis à *Barbosa ad capit. 1. sess. 24. à numero 155.* nam impedimenta dirimentia inhabilitant personas attentantes contrahere, ergo & professio est nulla in vtroque foro, cum huiusmodi defectus, & impedimenta personas concurrentes ad professionem in ordine ad illius valorem dicantur inhabilitare. Ita *Doctores citati in præcedente capite numero octauo, Nauarr. commentar. quarto, numero 77. Sà Religio numero 71. Barbosa parte tertia, allegation. 104. numero 15. Castropalaus parte tertia, tractat. 16. disputat. secunda, par.7. numero octauo*, dum probant, nulliter certo professum non valentem probare nullitatem, fugere posse sine peccato mortali, quia cum religiosus vere non sit, nullo vinculo obligatur manere in Religione. His præmissis.

QVÆRES Primo. An iure præscribatur modus ratificandi professionem nulliter emissam?

5 Respond. De ratificatione professionis fit mentio in iure, sed ibi nullus modus præscribitur eam ratificandi, vt videre est, *capite 1. de ijs, quæ vi, capite Significatum 15. capite Cum virum 12. de Regular* super quibus duobus textibus Glos. ait, professionem ratam haberi prout ex nunc, non prout ex tunc, hoc est, respectu illius temporis, quo primo nulliter facta fuit, & sic ratificatio non videtur retrahere valorem actus, ac si primo valida fuisset professio. Sed de hac re infra dicam sub *quæst.26.*

QVÆRES II. Quid sit ratificare professionem nullam, aut dubiam.

6 Respond. Est priorem professionem inualidam, vel dubiam efficere validam per nouum superuenientem consensum, remotis impedimentis, quæ illam detinebant infirmam. Ratificare autem professionem, & illam de nouo facere coincidunt, quia

7 ratificatio actus inualidi nihil aliud est, quam nouus illius actus, *leg. Asse toto, ff. de hæred. instit. leg. Obuenire solet, ff de verb. significat. decis. 395. num 10. Ludouis.* Nam de nouo facere aliquid dicit relationem ad id, quod antea factum fuit, vt aliquid ad nihil de nihilo factum aliquid. Et si dubium erat illius esse ratificatione cessat dubitatio transiens in certitudinem. De hac re dixi *resolut. 8. num.41. & contr. 32. num.14.*

QVÆRES III. An ad ratificandam professionem necessaria sint verba, an vero sufficiant nutus, & factum aliquod cum animo sanandi professionem?

Respond. Omnibus illis modis ratificari potest, nam consensus non solum verbis, sed etiam nutibus, & factis præstari potest, vt patet in matrimonio, *cap. fin. de conuers. coniug. Sanch. lib.2. disput.32.* ergo & in ratificatione professionis. *Confirmatur*, quia professio non solum verbis, sed etiam nutibus, & signis externis fieri potest, *Sanch. lib.5. cap.3. n.2.* ergo & ratificatio, cum & ipsa sit professio dans esse nulli professioni. Ita ex *glos. 15. Ratam cap. Significatum*, dicente sufficere tacitum consensum. Vnde quando nullitas est occulta, sola voluntate interna professus potest eam habere ratam coram Deo, ex *Nauar. comment. 4 de Regular. num.71. Caietan. 2. 2. q.189. art.5. q. quos citaui controu. 32. num.15.* 8

QVÆRES IV. An ratificatio professionis sit idem, quod tacita professio?

Respond. Negatiuè, quæst. 3. contr975. 32. *Primo*, quia tacita aliam non supponit, sicut ratificatio aliam præcedentem nullam, ad quam dicit relationem. *Secundo*, ratificatio fit verbis, tacita facto inducitur. *Tertio*, Tacita est actus absolutus ratificatio vero relatiuus ad præcedentem professionem nullam, vel dubiam. *Quarto*, vtraque professio tam expressa, quam tacita est capax ratificationis, ergo ratificatio non potest dici tacita professio, ne detur ratificatio ratificationi, *Quinto*, professio tacita supponit nouitiatum validum, *Nauarr. consil. 19. num. 1. & 3.* ad eius enim valorem requiruntur conditiones necessariæ ad professionem expressam, *cap. 18. quæst. 74.* ratificatur vero sine alio nouitiatu licet alias inualido, cum inualiditas solius professionis sit obiectum ratificationis. 9

QVÆRES V. An nulliter professus teneatur professionem ratificare.

Respond. Certus de nullitate suæ professionis si vult remanere debet quamprimum illam ratificare; si vero vult reuerti ad sæculum debet quamprimum reclamare. 10

Prima pars de ea ratificanda cito ab eo, qui vult remanere, probatur. *Tum quia*, perseuerando in religione sine ratificatione videtur vere professos decipere, cum pro professo se gerat, qui adhuc est nouitius, & creditur professus. *Tum quia*, debet se conformare cum aliis, qui vera professione renuntiarunt iuri suo redeundi ad sæculum. *Tum quia*, coniuges, qui volunt permanere in matrimonio alias nullo illud ratificare debent, ergo & nulliter professus. *Tum quia*, vitæ communis eandem postulat obligationem vera professione inductam, ergo ratificatione debet professionem ille, qui intendit communem vitam cum aliis seruare. *Tum quia*, dum non est vere professus concurrendo cum aliis vere professus in actibus religionis, sibi vsurpat munus, quod præstare non debet, dum solis vere professis illud competit. Ad hæc ergo euitanda debet profiteri denuo, vt licite cum cæteris interesse possit actibus professorum. *Ita Angles parte 2. de voto artic.2. diff. 4. Rodriquez part. 1. summæ capit. 92. concl.5. numero 3. Bonac. de Claus. quæst. 1. parte 10. diff 1, num 2. ex eo Lezana parte 1. capite 2. numero 7. & parte 4. verb. Professio num. 24. vbi alios citat.* Quorum aliqui tenent, cogi posse ad ratificandum, quando eam differt cum ea voluntate remanendi, quia tolerandus non est cum ea disparitate obligationis, inconueniens enim est non professum æquiparari professis. Nec huiusmodi coactio inficit ratificationem, cum sit iusta

à

à superiore proveniens, qui absolute non cogit ad ad reprofitendum, sed ex suppositione, quod velit remanere in religione, per hoc enim offertur ei electio aut ratificandi, aut reclamandi.

11 Secunda pars, quod non teneatur ratificare professionem, quando vult reclamare, constat, quia prior professio utpote fuit nulla ad nihil eum obligavit, ut probavi praeced. capit. initio, ergo cum possit recenter adhuc liber potest reclamare ad formam Concilij, quod praestare volens, non tenetur obtinere sibi impedimentum ratificatione professionis. Ita omnes praecitati cum *Sanchez lib. 7. disp. 37. n. 38. Portellus 11. Professio num. 41. & 44. Bonac. de claus. quaest. 2. p. 10. diff. 1. Compend. resol. 101. num. 75. Castropal par. 3. tract. 16. disp. 2. part. 7. num. 9 Vecchius disp. 14 dub. 2. n. 3. Lezana 11. Professio num. 24. Ego extrac. 6 q. 3. & 4.*

QVAERES VI. Quando per reclamationem non potest se liberare à religione, eo quod nullitatem suae professionis probare non potest, nunquid tunc tuta conscientia fugere poterit excutiendo iugum religionis?

12 Respond. In eo casu licitum est illi fugere, non obstante etiam sententia contra eum lata, ne discedat etiam sub poena excommunicationis, & superior conuentus potest illi copiam, & commoditatem dare fugiendi, si illi nota sit invaliditas professionis, praeciso in his semper scandalo, cum quo nihil faciendum.

Prima pars de fuga licita probatur, quia adhuc est sui iuris, & liber est, ac si non intrasset, cum revera non obligetur in foro conscientiae manere in ordine. Ita omnes cum *Miranda tom. 1. quaest. 36 art. fin. Portell. 11. Professio num. 43. Navar. comment. 4. num. 75. § Aduertendum 4. & num. 77. § Super. & consil 89. de Regul. Sanchez lib. 7 disp. 37. q 5. Vecch. disput. 14. dub 2. n. 3 Compend. resol. 101. num. 75. Castrop. par. 3. disp. 2. p. 7. num 10.*

Secunda pars, quod lata excommunicatio ex sententia non faciat illicitam fugam, probatur, quia cum sit fundata in praesumptione, cui veritas est in contrarium, pro foro conscientiae non tenet, in sententia omnium, cum quibus in terminis nostris, *Sanchez lib. 2 disp. 39. n. 11. Lezana 14. Professio n. 23. fine Vecchius disput. 14. dub. 2. num. 4. Ego contron. 52. à num. 24.*

Tertia pars, quod superior possit cooperari eius fugae, probatur, quia consulens, vel cooperans alteri rem licitam non peccat, cum non faciat rem peccaminosam. *Sanchez lib. 7. disput. 37. num. 13. cum alys Suarez lib 7. cap. 2 num. 6.*

Quarta pars, quod praedicta fuga liceat praeciso scandalo, est praedictorum Doctorum. *Castropal. p. 3. tractat. 16. cit. num* 10. Loquendo de fuga, aut raro, vel nunquam ex tali fuga oriri scandalum sub obligatione vitandum, *Tum quia*, alij inde raro sumunt occasionem fugiendi absque legitima causa. *Tum quia*, fugiens utitur iure suo, à quo abstinere non tenetur ne alij scandalizentur. intellige, nisi sententiatus fuerit valere eius professionem, pro qua tunc praesumendum est in foro externo, & scandalum vitandum.

Dicta hactenus sub hac quaestione respectu cuiuslibet nullitatis, licet praecitati Doctores loquantur in certis casibus nullitatis professionis, ratio est, quia licet impedimenta, & defectus causantia invaliditatem eius sint varia, & diversa, eorum tamen unicus est effectus scilicet nullitatis professionis, super quam cadunt omnia supradicta in ratione nullitatis, cum haec sola sit obiectum ratificationis professionis, vel fugae eius, qui revera non est professus.

QVAERES VII. An dubius de valore suae professionis debeat illam ratificare, an possit fugere, vel etiam manere sine ratificatione?

Respond. Fugere non potest, quia fuga [illegible] solum patenter professo nulliter ex [illegible] netur autem ratificare. *Tum quia*, in dub[illegible] pars est sequenda. *Tum quia* status profess[illegible] debet esse certus, & stabilis, ergo illum per ratificationem stabilire debet. *Tum quia*, tenetur quisque procurare, ut propria professio valeat removendo per ratificationem dubium, ut docui *Resol.* 57. q. 18. *Ita Vecchius disput. 14. dub 2. ex Navar. consil 13. de Regul. num 10. Ego extra c 6 q 3 contr. 35. q 8 n. 10.*

QVAERES VIII. An dubitans, utrum ratificaverit professionem alias invalidam, teneatur credere, se illam ratificasse?

Respond. Si dubitatio occurrit ante quinquen- 14 nium non tenetur credere illius ratificationem, utique vero si accidit dubitatio post quinquennium. Probatur id, quia homo debet praesumere in dubiis eo modo, quo ius praesumit, tunc enim praesumptio censetur legitima; sed ius praesumit professionis 15 ratificationem post quinquennium, non vero ante, & Tridentino sess. 25. cap. 19. ergo homo eodem modo praesumere debet, quia quis habere debet talem praesumptionem, qualem ius habet *Navarr. consil. 15. de convers. coniug. num* 1. Ita Merolla *tom. 1. disput. 3. cap. 3 num 28: Sanctar. par. 1 Var quaest. 48. num. 46. ex illis Diana par. 4. tract. 3. resolut. 49. Ego Contron 32. quaest. 9.*

QVAERES IX. In quibus casibus professio sit ratificanda, vel non ratificanda?

Respond. Primo, quandocumque durat impedi- 16 mentum non potest ratificari, nisi prius illo remoto, unde professus infra decimum sextum annum non potest illam ratificare nisi post expletionem decimi sexti. Quod si impedimentum est perpetuum nunquam potest ratificari, eo obstante. Cessante vero impedimento potest ratificari per novum consensum supervenientem. Ita omnes praecitati. *Decis. 36. hic à num. 3.*

Respond. Secundo, in quatuor casibus esse rati- 17 ficandam. *Primò*, quando habuit votum ingrediendi religionem, non enim per professionem invalidam satisfecit suae obligationi, ideo debet reprofiteri. *Secundo*, quando intendit remanere in religione, ut probatum fuit sub quaest. 5. *Tertio*, quando non potest probare eius nullitatem, nec fugere, nisi cum scandalo, aut gravi detrimento alterius, ex probatis q. 6. *Quarto*, quando professionis nullitas est dubia, ex dictis quaest. 7.

QVAERES X. An anceps velit remanere, vel recedere, teneatur quamprimum se deliberare, quid agere velit? si moratur cogi possit ad deliberandum, & exequendum?

Respond. Ad utrumque affirmative. Primum 18 probatur. *Tum quia*, mora sua cuique est nociva, *Reg. 25. in 6. Tum quia*, status iste anceps, & dubius est valde periculosus, sed ubi periculum est, mora vitari debet *cap. 3. dist 5 cap 13. dist.* 18. maxime ubi agitur de periculo animae, glos. 11. Mora prioris cap.... *Tum quia*, modo videtur simulare permanentiam, modo exitum, quod alios religiosos valde perturbat, ideo oportet deliberare, & opportunum remedium procurare. *Secundum* probatur, quia si ipse habet obligationem deliberandi, ut patet, ergo cogi potest à superiore ad executionem suae obligationis. Deinde si vult remanere iam obedire debet. Confirmatur id ex dictis sub q. 5. Ita ego *contron.* 12 q. 12. & 13.

QVAERES XI. An qui hodie nulliter profecit cras possit ratificare suam professionem eam reddendo validam?

Respond. Affirmative, si cessavit impedimentum, 19 ut e. g. si hodie est in anno 16. suae aetatis, & cras illum explebit: si hodie moritur incutiens metum gravem cras ratificator: si hodie perfecit

nouitiatum in loco non designato, & ctas ratificat professionem ante nulliter emissam defectu loci designati, est enim impedimentum cessans finito probationis anno ex probatis *cap.10. quæst.9.* Ratio est, quia sublato impedimento, fieri potest, quod antea fieri prohibebatur, *gl. i1. Transire cap. Antiqui 33. q.2.* Ita docui *contr. 32 q.15.*

QVÆRES XII. An credendum sit asserenti suam professionem esse nullam, vel se professionem ratificasse? Item neganti se eandem ratificasse?

20 Respond. Asserenti se nulliter professum non creditur, sed nullitatem probare tenetur. Asserenti vero, se eam ratificasse creditur. Neganti vero ratificationem non creditur post quinquennium, sed ante illud tantum.

Prima pars, quod asserenti nullitatem suæ professionis non sit credendum, sed illam probare tenetur ad effectum exeundi, patet ex illo communi axiomate, quod affirmanti incumbit probatio. Ita ex Rota *part.2. diuers. decis* 216. *Vecch. disput.14. dub. 8. num. 2. Angles par.2. de Voto Gl. Vn. art.1. diffic.4. Sanchez lib.2. disp.37. num.14.* Constat enim de professione emissa, vnde contra eum est præsumptio fauore religionis, quæ neque iuramento tolli potest *ex cap Vidua. Sanchez cit. Caiet* 2.2. *q* 88. *art.*1. *prope finem*, *Angles cit. Nauar. cap.*11. *numero* 27. *Ego contr* 32. *q.*23.

21 Secunda pars, quod credendum sit asserenti se illam ratificasse, probatur, quia cuique fauore animæ creditur etiam sine iuramento, quia nemo præsumitur immemor propriæ conscientiæ, *cap. Sancimus* 25. 1. *quæst.*7. Procedit tam ante, quam post quinquennium. Confirmatur, quia per iuramentum ipsius professi probatur emissa professio, secundum Abbatem in cap. Cum causa, de Raptor. in fin: *ex Mascardo concl.*1244 *n.*28. à fortiori probatur eius ratificatio, quæ supponit factum professionis.

22 Tertia pars, quod sit credendum neganti ratificationem ante quinquennium, probatur, quia Tridentinum concedit audientiam reclamanti ante lapsum quinquennij, ergo signum est, quod neganti ratificationem credendum est. Et ita probat *Scrofa dub.* 2. *de Inualid profess. num.*5 contra *Sanchez lib.*2. *disput.* 37. *num.*14. Quia contra ipsum stat præsumptio iuris de iure. Sed id intelligitur post quinquennium, vt mox dicam.

23 Quarta pars, quod non sit credendum neganti ratificationem factam post quinquennium probatur; quia Tridentinum ideo negat reclamationem, quia præsumit nulliter professum eam ratificare. Ita *Sanchez lib.*2. *disp.*17. *n.*16. *Ego controu.*32. *q.*23. *n* 46.

QVÆRES XIII. An præsumatur, & intelligatur ratificata professio per mansionem diuturnam in religione? Item receptione ordinum? Item exercicio actuum professorum propriorum?

24 Respond. Negatiuè, intra quinquennium, quia illi actus ex se ipsis non includunt valorem professionis, vnde ex exercere dicitur more aliorum professorum, quia se reputat professum, aut quia non vult manifestare suum defectum, abstinendo se ab illis. Confirmatur, quia quo ad primum, non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit, *Reg* 18. *in* 6. Obligatio enim sicut non tollitur à tempore, ita neque ab eodem ponitur, *l. Obligationum* 43. §. *Placet ff. de act & oblig at.* Ita *Nauar consil.* 23. *num* 2. *consil* 89. *num* 4. *de Regular. Peyrin. quæst.*3. *de Prælato cap.* 1. *num.* 143. *Lezana* 11. *Professio n* 23. *Pasqual. q* 35 & 36.

25 De receptione ordinum constat, quia etiam Nouitij recipiunt ordines, & licet professi ordinentur in sacris ad titulum Paupertatis, nihilominus id non arguit ratificationem professionis, quia potest ignorare eius nullitatem, cum cuius ignorantia non contingit ratificatio, vt mox probabo sub quæst. 14. Et si sciat nullitatem, tantum abest, vt habeat intentionem ratificandi professionem, quin potius contrarium habet animum, recipiendo scilicet subdiaconatum, vt reclamatione dimissus possit deinde sine patrimonio promoueri ad reliquos ordines. Ita *Nauar. comment.*4. *de Regular. num.*71. *consil.*19. *de Regular. num.*3. *consil.* 24. *num.*3. *Ego controu.*32. *quæst.*24. *num.* 47.

De aliis actibus propriis professorum constat ex eo, quia fiunt à professis non vt profiteantur, sed vt se conforment cum cæteris professis, esto alias sint inualide professi, illi enim actus arguunt præcedentem professionem, non futuram vt illorum effectus, cum iam præcesserit, alia enim præsumptio desumi non potest ex illis actibus, nisi præteritæ professionis, non vero faciendæ, & cum eam fecerit, vtcumque, non potest præsumi sic agentem velle profiteri, vel ratificare professionem. Ita *Nauarr. consil.* 24. *de Regular. num.*4. *consil.*28. *eod. n.*6. *consil.* 89. *eod. num.*4. *Sanchez lib.*2. *disput.*37. *num.*10. *ex eodem Nauar.* Obseruans, non censeri ratificatam professionem alias expresse factam sed nulliter, per exercitium actuum professorum, quia illi actus præsumuntur facti vt à professo, & non ad profiten- 26
dum, cum constet facta iam professio. Censeri vero tacite profiteri ille, qui antea non professerat nec tacita, nec expresse, dum exercet actus professorum, non enim præsumi potest eos facere vt professus, cum nondum aliquo modo professerit, sed agere vt profiteatur. Idem docui *controu.*32. *q.*35. 27

Dixi infra quinquennium non præsumi ratificationem professionis alias expresse nulliter emissæ, non solum propter rationes adductas, sed etiam propter Tridentinum, qui præsumptionem ratificationis admittit solum post quinquennium in eo, qui manet in religione non reclamando ante illud tempus, iuxta quod dixi supra sub q.12.

QVÆRES XIV. An ad ratificandam professionem nullam, necessarium sit, quod ratificaturus habeat notitiam inualiditatis suæ professionis.

Respond. Affirmatiuè, aliter ignorans eam nunquam dicitur eam ratificasse per quemcumque actum non habens intentionem ratificandi. Probatur. Tum quia voluntas non fertur nisi in præcognitum, ergo si vult ratificare professionem debet habere cognitionem nullitatis illius. *Tum quia* sine nouo consensu non potest ratificari; sed ignorans non consentit, *l. Si per errorem* 13. *ff. de iur. omn. iud. l. Nihil* 11 *i. ff. de regul. iur. Specul. de noui operis nunt.* §. 1. *Versu penult.* Vbi ait, quod ignorans non negligit, non delinquit, non ratificat, eius voluntas nulla est, *apud Rubeum tom.*1. *ad Decis.* 3. *num.* 10 *qui ad Decis.* 283. *num.* 5. ait, quod ignorans non dicitur approbare actum, quem ignorat; scit enim actum, quem fecit esse talem, ignorat vero per eum resultare posse alium actum, nempe ratificationis inualidæ professionis, maxime cum ex natura rei non habeat connexionem cum illo. *Tum quia* licet actus factus de se sit voluntarius, quia agens aduertit se illum facere, non est tamen voluntarius in ordine ad ratificationem professionis, cuius nullitatem non agnouit, vt eam sanare posset per illum actum, nam illud dicitur voluntarium, secundum Aristotelem, & veritatem, quod est in agente cognoscente singula, in quibus est actio, cum ergo non cognoscat nullitatem professionis, non potest eam sanare per illum, & consensum voluntarium, qui non est talis respectu ignorantiæ inualiditatis professionis. *Tum quia*, absurdum est dicere, quod ignorans nullitatem suæ professionis potest reclamare, ergo & dicere, quod possit ratificare eandem, consequentia constat ex eo, quod vtriusque per obiectum scilicet ipsa professionis nullitas, Ita omnes cum *Caietano* 2. 2. *quæst.*

2. quaſt.189. articul.5. Nauarrus conſil. 5. de ijs, quæ vi. Conſil. 17. conſil. 26. conſil. 27. conſil. 89. de Regul.Rodriquez part.2.ſumma capit.8.num.5.Sanchez lib.7. diſputas. 37. num. 59. Benac. quaſt. 2. de Clauſ. par.10. diffic.2.num 3. Caſtropalaus par.3. tractat.16. diſp.2.p.5. num.5.Raggius dub.19. num.2. Ego capit.6. extra quaſt. 9. & Contron. 32. queſt.num 19. Diana par.6 tract.7.reſol 56. Vecch.diſput.14. dub.3 num.2. Tamb.tom 3. diſput.6. quaſt.17.num.5. Paſqual q.35. num.6. Peyrin. de Prælato quaſt.3, cap.1. num.144. & cæteri omnes, *cum Rota apud Rubeum tom.8.deciſ.40. num.13.Ciriacus contron.371. num.23.* Et in deciſ.45. num. 22. in calce huius operis extenſa, & in alia ibidem ſub num.49.

Nan requiri ſcientiam, & notitiam nullitatis profeſſionis aſſerit. Rota extenſa apud *Dianam p.6. deciſ.14. §. Nec dicatur*, cum ſiue illa ratificatio ſit valida, quia eam opinionem vt minus tutam amplectitur minime Sacr. Congreg. ſed potius contrarium pluries tenuit, vt refertur in alia *eiuſdem deciſ. 3. apud Tambur. de iure Abbatiſſ.* Vbi probatur, quod non eſt neceſſaria cognitio nullitatis profeſſionis, vt dicatur valida ratificatio, *Primo* auctoritate textus *in cap. 1. de Regul. in 6.* In quo non obſtante nullitate profeſſionis præcedentis diſponitur Indoci tacitam profeſſionem abſque eo, quod requirat aliquam ſcientiam dictæ nullitatis. *Secundo*, confirmatur ſumpto argumento à matrimonio carnali, in quo ignorantia impedimenti illud dirimentis non validat ipſum matrimonium, ſi ſequatur actus, ex quo inducatur præſumptio matrimonij, *Sanchez lib.2 diſputat.36. num.2.§ Quinto.* & num.9. *Tertio* facit, quia tacita profeſſio, & perſeuerantia in religione cum habitu profeſſorum, & executio actuum inducentium eam præſumptionem iuris, & de iure non poteſt elidi ex ſola præſumptione præſumptæ ignorantiæ ex doctoribus allegatis in clem.1. de regular. alias aperiretur via elidendi profeſſionem tacitam, cum religio non poſſet, vel nollet probare ignorantiam. *Quarto*, Tridentinum prohibet agere de inualiditate profeſſionis poſt quinquennium, etiam in illo, qui tunc temporis habebat ignorantiam nullitatis ſuæ profeſſionis, & Doctoribus ibidem citatis.

Ad primum reſpondetur in eo textu illud non dicitur, ſed potius oppoſitum ibi: *Quoniam cum iam hic ad diſcretionis annos peruenerit, quid agat agnoſcit. & ideò ſuſceptum diſcretionis tempore ordinem, poſtquam hunc anni probauerit ſpatio, intelligitur firmiter approbaſſe.* Vnde Barboſa ibidem num.6. de communi Doctorum dicit, quod actus, per quos inducitur tacita profeſſio, non ſolum ſponte fieri debent, ſed etiam ſcienter, itaut ſciat illis vtens eſſe proprios profeſſorum, & per eorum exercitium induci profeſſionem. Et hæc ſcientia ſicut neceſſaria eſt in tacita profeſſione, ita & in ratificatione facta per huiaſmodi actus, eum non videatur differre ab ipſa tacita, quæ poſtulat ſcientiam ex hoc textu, vt palam eſt ex allatis verbis.

Ad ſecundum reſpondeo cum ipſo Sanchez, ad hoc vt matrimonium conualeſcat, neceſſarium eſſe, vt notitiam coniux habeat impedimenti,& nullitatis matrimonij, quam vocat opinionem multo probabiliorem.

Ad tertium reſpondetur, quod cum non induci poſſit profeſſio tacita, niſi Nouitius ſciat ſe per delationem habitus proprij profeſſorum, ſeu exercitium actuum eorundem incurrere profeſſionem, ex communi omnium, vt docui *cap.18. q.74.num.108.* Multo minus dici poteſt ratificata ab eo, qui nullitatem ignorat profeſſionis expreſſæ, vel tacitæ nulliter emiſſæ, eo quod nunquam intendit eam ratificare, quam ſemel fecit exiſtimatam validam, tam ex eius lectione & verbo, quam eius facto, maxime cum factum non habeat neceſſariam connexionem cum ratificatione, illud enim exercitium alium finem habet diuerſum ab actu ratificationis, qui pendet ab actu voluntatis eius, qui intendit ratificare profeſſionem, quam nulliter fecit. Ita ſupracitati *cum Caſtropalao par.3.tractat.25.diſput.2. par.5.num 5.*

Ad quartum reſpondetur, negari audientiam ordinariam non præcisè quia præſumitur ratificata etiam ex ignorantia nullitatis, ſed quia Pontifex volens in poſterum viam præcludere litibus, poteſtatem aufert iudicibus ordinariis. Non deſunt præterea Doctores aſſerentes illud quinquennium incipere à die ſcientiæ, vt dicam c.ſeq.

Notandum autem eſt, quod ſcientia nullitatis profeſſionis in ordine ratificationis, dupliciter ſpectati poteſt, abſolute, & ſimpliciter, qua Nouitius certo cognouit nullitatem profeſſionis, & conditionate, cum eam ignorando ſitne valida, necne, tamen intendit expreſſe per talem actum ratam habere, ſi antea erat inualida, prout notaui *Contron. 32. q.7.n.16.* Sufficit ergo ad ratificandam profeſſionem nullam ſcientia conditionata, ita Leſſius *Sanchez & Vecchius, quos pro ſe citat Raggius dub.19.n.2.* 29

Remigius Scrofa in ſuo libello de nullitate profeſſionis dub. 5. ait, ad ratificandam profeſſionem non requiri ſcientiam eius nullitatis pro foro externo, vtique vero pro foro conſcientiæ. Probat, quia expleto quinquennio non auditur aſſerens ſe ignoraſſe nullitatem ſuæ profeſſionis, ergo ſiue habuerit ſcientiam nullitatis ſiue non, profeſſio eo quinquennio tranſacto intelligitur ratificata pro foro externo. Antecedens eſt Tridentini. Conſequentia probatur, quia ſi credendum eſſet cuique aſſerenti ignoraſſe nullitatem ſuæ profeſſionis, ac proinde eam non ratificaſſe, omnes eſſent audiendi poſt quinquennium, ſicut audiuntur ante illud tempus.

Contra eſt, quia non eſt hic diſtinguendum inter vtrumque forum, quia aliud eſt agere de ratificatione, aliud de notitia requiſita ad hoc vt ratificatio ſortiatur ſuum effectum tollendi nullitatem profeſſionis, nam primum præſumitur, nimirum, quod nulliter profeſſus tacendo infra quinquennium poſt illud ratificauerit profeſſionem, quod locum habet reſpectu fori externi, quod præſumit ratificationem, cum per illud longum tempus non contradixerit, ſed potius ex ea taciturnitate cenſeatur ratificaſſe profeſſionem. In foro autem conſcientiæ poteſt eſſe, quod eam non ratificauerit, ſiue ſciuerit eius nullitatem, ſiue ignorauerit. *Secundum* vero, quod habuerit ſcientiam, ſiue ignorantiam nullitatis profeſſionis non ſpectat ad præſumptionem, ſed ad veritatem rei, dum omnes fere Doctores aſſerunt non dari ratificationem ſine cognitione nullitatis profeſſionis, adeo quod ſi hæc cognitio neceſſaria eſt pro foro conſcientiæ, requiratur quoque pro foro externo, quia hic non agitur de præſumptione, ſed de requiſito vt ratificatio ſortiatur ſuum effectum.

Quare ad argumentum reſpondetur Tridentinum denegare audientiam nulliter profeſſis poſt quinquennium non ſolum, quia præſumit ex ea longa taciturnitate ratificaſſe profeſſionem, nihil dicendo de ſcientia, vel ignorantia nullitatis, ſed etiam propter alias ibi adductas; quamquam ſi alleget ignorantiam non poſſe nocere, ſed potius prodeſſe cupienti reclamare, iuxta opinionem ſupra ſub numero 28. Vnde reſcripta ad acclamandum poſt 30
quinquennium expediuntur cum ea clauſula: *Dummodo profeſſionem huiuſmodi tacite, vel expreſſe non ratificauerit.* Et hæc præſumptio ſolet iuramento reclamantis purgari. Concilium ergo præſumit ratificationem, & ideo negat audientiam iure ordinario, nihil vero dicit de ſcientia,

seu ignorantia nullitatis professionis, ideo hæc non potest cadere sub præsumptione, de qua hic, quæ limitatur ad ratificationem, præscindendo à scientia, & ignorantia nullius professionis.

QVÆRES XV. An ratificaturus professionem debeat denuo peragere Nouitiatum?

31 Respond. Non esse repetendum ex communi sententia omnium fere Doctorum, vt illis citatis docui *cap.10. quæst.14 à num.17. & contrmicon.32. à num. 37.* illuc remitto lectorem. Vbi respondi obiectionibus aduersariorum, qui adhuc opponunt decretum irritans Clement. VIII. Circa nouitiatum peractum in conuentu non designato, quod est tale: *Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi decretum admissi fuerint nullas, & irritas esse ad*
32 *quemcunque effectum ex nunc decernit, & declarat.* Ergo videtur repetendus nouitiatus ante ratificationem saltem in hoc casu speciali, à receptione enim ad habitum incipit nouitiatus. Et confirmatur, quia Vrbanus VIII. ratificantibus professiones ex hoc capite nullam condonauit repetitionem nouitiatus.

Respondetur, hic non irritati nouitiatum, qui consistit in experientia mutua Nouitij, & Monasterij, quæ verè facta fuit, cum Nouitius expertus sit modum viuendi regularem, & Monasterium mores illius non obstante defectu designationis, sed annullationem cadere præcisè super receptiones ad habitum, & ad professionem; dubitandum ergo non est de vera probatione, ideo non repetenda. Et licet Vrbanus VIII. condonauerit repetitionem nouitiatus, non inde colligitur esse alias necessariò repetendum ex defectu loci designati, sed id expressisse, vt tolleret difficultatem eorum, qui tenent esse repetendum.

QVÆRES XVI. An ex parte conuentus renouandus sit consensus, vt ratificatio valide fieri possit?

33 Respond. In ratificatione professionis non est necessarius nouus monasterij consensus, quando antiquus non fuit reuocatus, & quidem *primo*, quando nullitas professionis est occulta soli professo nota; *secundo*, etiam quando est publica nondum deducta ad forum contentiosum per actum reclamationis; *tertio*, posita reclamatione, si professus pœniteat, & velit remanere ad hoc vt sit vtilis ratificatio, & valida requiritur nouus monasterij consensus, quem dare superior, nec monasterium tenetur. *Quarto* demum consensus præsumitur obtentus per taciturnitatem monasterij, si à superiore receptus ad professionem contradicente conuentu, remaneat ad minus per quinquennium sine contradictione.

34 Prima pars respectu nullitatis occultæ suadetur. *Tum quia*, defectus est occultus, ergo secreto tollendus, quod fieri non posset, si esset necessarius nouus monasterij consensus. *Tum quia*, ratificatio in tali casu respicit potius bonum animæ, quam monasterij, ergo sufficit eam dirigere ad Deum. *Tum quia*, suam turpitudinem detegere non tenetur. Tum quia prior, & antiquus consensus, cum non appareat de eius reuocatione, censetur perseuerare. *Confirmatur*, quia in iure *Cap. L. de ys. qua vi, cap. Significatum 12. cap. Cum virum 12 de Regul.* fit mentio de ratificatione professionis, & tamen non præscribitur renouatio consensus, ergo non est necessarius, sed sufficit antiquus, quod magis confirmatur ex dicendis in sequentibus. *Ita Rodriquez tom. 2. summa capit 92 concl 5. num. 5. Pasqual. quæst. 22. n. 1. Ego Decis. 137. 138. & 139 & contrmicon. 32. num. 18. & cap. 6. de Profess. in Mediolan. edit. q. 11. Sanchez lib. 7. disp. 37. num. 60. Lezana 11. Professio num. 20.* & alij omnes.

35 Secunda pars, quod non sit renouandus consensus, licet nullitas sit publica ante reclamationem, probatur, *Tum quia*, de hac renouatione nulla fit mentio in iure, vt supra dixi. *Tum quia*, præsumitur durare prior consensus, dum non constat de eius reuocatione, nec sic professus expellitur, *glos. 11 Perdurare cap. 3. de Baptismo*, etiam ex longo temporis in- 36
teruallo, *Aretin. in l. Titia, §. Idem respondi, ff. de verb. obligat. Paponius Cens. 3. num. 16.* Maxime, quando nulla apparet causa mutationis, *Grauan decis. March. 41. num. 23.* Tum quia si ponamus necessitatem noui consensus monasterij non bene consulitur animæ volentis ratificare suam professionem, quia accidere potest, quod conuentus neget illi consensum, & sic eius statum ponere in discrimen, vnde sequitur aliud absurdum, illum expelli posse sine alio iudicio contra Tridentinum sess. 25. cap. 16. *Quos habiles inuenerint ad profitendum admittant aut è monasterio eijciant*, Intellige inhabiles, sine enim iudicio recto neutrum fieri potest. *Tum quia*, esto professio sit nulla, & nouitij consensus propterea non subsistat, nullitas tamen non prouenit ex parte monasterij, cum de voluntate professorum non pendeant defectus, & impedimenta, propter quæ professio redditur inualida, vnde quantum est ex parte eorum intendunt nouitium acceptare, & incorporare monasterio, & religioni, & licet professio adhuc remaneat nulla nihil tunc proficiente consensu monasterij, tamen sublato impedimento, & nulliter professo proprium renouante consensum, antiquus monasterij consensus suum sortitur effectum. *Ita Graff. part. prima Decis. lib. 3. cap. quinto num. 28. Sanchez lib. 7. disput. 37. num 60. & 61. Rodriquez tom. 3. quæst. 17. artic. 3. § Aut nullitas. Villalobos tract. 35. diffic. 24 num. 5. cum sequ. Bonacina de Claus. quæst. 2. part. 10. diffic. 1. num. 4. Vecch. disputat. 14. dub. 4. num 3. Ego extra hic de profess. capit. 6. quæst. 11. & contrmicon. 32. num. 35. Resol 8. num. 74. Tambur. tom tertio, disputat. sexta quæstion 17. num. 6. Lezana 11. Professio num. 20. plures alios contra se citat Pasqualig. quæst. 22. initio Castropalaus disput. 2. part. 5. numero 4. ex Sanchez & Lessio. Facinnt dicta in Decis. xxxv. in calce huius operis extensa, numero 14.*

Procedunt primo, licet consensus monasterij fuerit illicitus, *Tum quia*, illicitus consensus adhuc est consensus, sicut licentia illicita adhuc vocatur licentia, *glos. 11. licentiam cap. 51. quæst. 28. 27. q. 1.* quæ licet non liberet à peccato, liberat tamen à pœna, *glos. licentiam cap. 3. dist. 45.* ac proinde liberat monasterium à renouatione consensus. *Tum quia*, qualitas illicitatis restringitur ad offensam conscientiæ, & non impedit effectum consensus in se spectari, qui prout subsistit producere habet tempore debito suum effectum in vtilitatem professi quandocunque iste fructuosè ratificat suam professionem. *Tum quia*, talis consensus cum non habeat essentialem connexionem cum ea qualitate, censetur in suo esse perdurare, sublata per pœnitentiam qualitate illa peccaminosa. *Confirmatur*, quia ex sola probatione consensus euadit illicitus, ex hoc tamen non redditur irritus, & inualidus, quando prohibitio cares decreto irritante, vt in terminis nostris in *capit. Ad Apostolicam 16.* Dicitur, quod professio valebat facta infra annum probationis, quando ambæ partes renuntiabant anno probationis, ex ratione, quod multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent. Quare licet monasterium prohibeatur in certis casibus præstare consensum in receptione Nouitiorum ad professionem, adhuc tamen receptio, & consensus præstitus licet illicitus, tenet, licet secuta inde professio sit inualida, vnde ille consensus censetur perdurare, & sortiri suum effectum in ratificatione professionis legitime facta. Hoc tenere debent omnes supracitati, quia dum Nouitius habet impedimentum, vt non possit valide profiteri,

profiteri, & tamen per monasterium præstatur conconseosus, nulli dubium est, hunc esse illicitum formaliter, quando à conuentu scitur impedimentum, vel materialiter, si ignoratur ab eo defectus propter quem attentatur professio futura inualida.

38 Procedunt secundo, licet antiquus consensus fuerit non solum illicitus, sed etiam irritus. Probatur. *Tum quia*, in consensu irrito non defuit bona voluntas acceptantium, quantum fuit ex eorum parte, qui consensus licet respectu professionis attentatæ, & prout ex tunc nihil profuerit Nouitio, eo quod aliunde professio fuerit irrita, respectu tamen ratificationis potest sortiri suum effectum, quia talis voluntas adhuc permanens in substantia facti incipit habere suam efficaciam quando sunt remota impedimenta, ergo ea sufficit, & noua non est necessaria. Et ad hoc facit illud axioma: *Si illud, quod ago non valet prout ago, valeat prout valere potest.* Ita in proposito, si consensus non valet respectu professionis, eo quod viget aliquod impedimentum, valeat respectu ratificationis, quia iam sublatum est impedimentum, quo primo consensus monasterij non potuit producere suum effectum. *Tum quia*, consensus antiquus consistit in approbatione Nouitij quoad mores, & idoneitatem personæ ad profitendum, non vero respicit impedimenta, quæ non pertinent ad mores, & idoneitatem personæ, vnde consensus suo valore non caret in hoc sensu fauore ratificationis, licet nullius virtutis fuerit respectu attentatæ professionis, obstantibus tunc impedimentis. *Tum quia*, aliquid valere potest pro vna parte & non pro alia, *Glos. 11. tenuit, cap. Places. de Conuers. Coniugat.* vnde si non tenet consensus pro professione, valebit pro ratificatione, quia tempore huius supponuntur omnia impedimenta sublata. *Tum quia*, huiusmodi noua acceptatio, & consensus est multum incommoda, & valde periculosa professio, eo quod eius piæ voluntati posset præiudicium afferre monasterium negando eidem consensum. Ita *Bonac. de Clausf. quæst. 2. par. 10. difficul. 8. num 4. Peyrin de Prælato quæst. 3. cap. 1. numero 146. Tambur. tom. 3. disput. 6. quæst. 23 & praced. 27. num. 6. Sanch. lib. 7. disput. 37. num. 64.* dum dicit, hanc nouam acceptationem, quam aiunt desiderari, haberi à iure Pontificio, in *cap. Significatum de Regular. & cap. 1. eodem in 6. Lessius lib 2. cap. 41. num. 67. Zanardus par. 2. sui Directorij Theologici cap. 26. num. 12. §. Secundo ve tunc.* Oppositum, quod noua acceptatio requiratur, docent *Rodriquez parte 3. quæstione 17. articulo 3. Azor. libro 12. capite 4. quæstione 7. Suarez tom. 3. de Religion. libro 7. capite 2. à numero 20. quos citat, & sequitur Vecchius disput. 14. dubit. 4. num. 4.* Et ratione, quia sicut matrimonium nullum non potest ratificari nisi per superuenientem nouum vtriusque consensum, ex communi Doctorum apud *Sanchez lib. 2 disput. 35. num. 2.* ita neque professio inualida, nisi accedat etiam nouus consensus monasterij. Confirmatur, quia quod nihil est, nihil producere potest, quare cum huiusmodi consensus sit nullus influere non potest in valorem ratificationis.

39 Ad hoc argumentum respondet *Carillus in sua Decisione num. 16.* infra in calce huius Operis extensa, esse disparem rationem, quia in matrimonio carnali nullus potest supplere consensum contrahentium, sicut in matrimonio spirituali professionis, cuius consensum ex parte monasterij, ait, supplere Ecclesiam & Pontificem. *Confirmatur*, ad præcedentia dico non deesse consensum respectu ratificationis, licet irritus fuerit respectu professionis; ex quo etiam satisfit confirmationi, nam consensus non est simpliciter, & vsque quaque nihil, sed solum respectu professionis, validus vero respectu ratificationis. Et hæc corroborantur per eandem decision. sub *num. 14.*

Tertia pars, qui post reclamationem pœnitentia 40 ductus desiderat ratificare professionem valide debet obtinere consensum Capitularem Monasterij, probatur. *Tum quia*, per licentiam ad reclamandum euanuit consensus monasterij, qui virtualiter conseruabatur in permanentia professi in monasterio, & sub obedientia superioris, à qua incipit recedere. *Tum quia*, in tantum consensus perseuerat, & viget ex parte monasterij, in quantum immutatus conseruatur status ipsius professi; sed in hoc casu mutatur status professi, non intendit se probaturum non esse religiosum, & nolle amplius esse subiectum vitæ, & disciplinæ Regulari, ergo non amplius existit consensus. *Tum quia*, vt valeat ratificatio, necessarium est, vt nihil aliud impediat coniunctionem extremorum, hoc est, actus professionis, & ratificationis, ad tradita per *Barbos. super Regul. 10. de Regular iur. in 6. Tum quia*, vna via electa, & ad aliam redire volens, indiget nouo consensu alterius contrahentis, *leg. Si fundus 4. §. Eleganter, leg. Post diem 7. ff. de Lege Commiss.* Ergo volens ratificare professionem, omissa via reclamationis iam electa, eget noua monasterij acceptatione, aliter nihil facit. Hanc doctrinam collegi ex *Decis. 36. num. 20. & 37. n. 23. infra extensas.*

Pasqualig quæst. 22. num. 6. Castropal. disput. 2 p 5. num. 2. requirunt nouam monasterij acceptationem cum supradictis, quorum rationes supra reiecimus.

Probant autem primo, quia ratificatio professionis est mutuus consensus inter profitentem, & monasterium, qui ambo se obligant ad inuicem, sicut contingit in aliis contractibus. *Dico*, antiquum consensum perfici in ratificatione, ac proinde mutuus vtrobique reperitur, licet successiue, & diuersis temporibus, nam ad perficiendum contractum sufficit consensus quouis tempore adhibitus, *leg. 1. §. 1. ff. de Verb. Oblig. leg. 1. § Sed verior, ff. de Contr. Empt. ex Sanchez lib. 2. disput. 32. num. 3.*

Probant secundo, Constita professionis, nullitate, iam cessat bona fides de valore contractus, vnde monasterium non potest amplius continuare virtualiter consensum suum tanquam validum, quia iam cognouit fuisse nullum in id, quod non subsistit, nec se obligare velle illi tanquam subdito, qui se non tradidit vt subditum, ac proinde cum talis consensus non subsistat, nec etiam virtualiter manere potest. *Dico*, præstitum consensum post notitiam nullitatis professionis mansisse talem, qualis erat antequam detegeretur inualiditas professionis, quia eius valor non pendebat à conditione professionis siue validæ, siue inualidæ, cum ad eam debeat de iure antecedere, sed pendet ab eo iudicio super idoneitate Nouitij facto, quæ fuit vera, & realis, & ideo super eam firmatur, non super inualiditate professionis. Quare cum à iudicio idoneitatis specificetur, & non à conditione professionis, seu ab impedimentis ipsam dirimentibus, consensus perseuerat, non obstante detectione nullitatis. Adde, quod ad solum conuentum spectat infringere præcedentem consensum, qualiscumque fuerit per positiuam reuocationem, res enim per quas causas nascitur per easdem resoluitur.

Probant tertio, quia non adest materia, quæ acceptetur, cum Nouitius ab initio non potuerit valide profiteri, ergo defuit mortua acceptatio, & consensus. *Dico*, semper adfuisse materiam nempe Nouitium, & licet ab initio fuerit imperfecta respectu impedimenti professionem non patientis exire in actum ex parte vtriusque consequenter vtriusque consensus non fuit sortitus suum effectum pro illo tunc, sublato vero impedimento, materia perficitur, & resultat vera professio ex ratificatione per

Cyriac. controuer. 372. *n.* 36. Vnde posita reclamatione non præsumitur deinceps ratificasse professionem, secundum *Rebuffum consil.* 68 *num.* 11. *Decian. consil.* 18. *n.* 2. *volum.* 3. *Mascard. conclus.* 1244. *n.* 26. *Menoch lib.* 6. *præsumpt.* 8 ,. *n.* 17. *apud dictum Cyriacum. Ego controuer.* 32. *n.* 56.

51 Quarto, destruitur præsumpta ratificatio probando durare adhuc aliquod impedimentum dirimens, vt si adhuc viuat qui illum metu graui compulit ad profitendum, talis enim metus censetur adhuc durare, ideo ratificatio vtque attentata dicitur pro nulla est habenda, iuxta dicta *c.* 19. *nu.* 40. *Ciarlin. cap.* 108. *n.* 62. *cum aliis ab eo citatis. Ego controuer.* 32. *n* 42. & 55. *Rota decis.* 1. *apud Dianam part.* 9. *Seraphin. decis.* 1166. *num.* 3.

Ad rationem dubitandi respondetur contra præsumptionem legis non dari probationem, quando id à lege expresse, iuribus, & doctoribus citatis à *Megal.* 2.2 *lib.* 2. *c.* 6. *n* 167. *Capolla in tractat. simul. controuer. Sanchez lib.* 7 *disp.* 37 *n.* 22. ait admitti probationem in iudicio extraordinario, aliis citatis. Reclamatio autem post quinquennium tractatur in iudicio extraordinario, & in Tridentino non prohibetur probatio in contrarium.

QVÆRES XIX. An Ecclesia supplere possit deficientes consensus profitentis, & monasterij?

52 Respond. Consensum profitentis supplere non potest, quia ad se obligandum De ratione voti necessaria omnino est propria voluntas non aliena, vt docet *Sanchez lib.* 7. *disp.* 34. *n.* 16. Vtique vero consensum Religionis, qui vocatur consensus legalis in eo sensu, quod lex disponens de ratificatione professionis aliũ consensum non requirit, quam eius, qui professionem ratificat. Ita *Sanchez lib.* 7. *disp.* 37. *n.* 64. *Tambur. tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 17. *n.* 6. *ex multis aliis contra illos*, qui petunt nouum monasterij consensum negantes hunc legalem, de quibus supra num.

QVÆRES XX. An legitime dimissus per sententiam ad sæculum reuersus, si pœnitentia postmodum ductus petat iterum admitti, recipi possit cum sola ratificatione more illorum, qui non recesserunt à Religione?

53 Respond. Si nondum executus fuit sententiam redeundo ad sæculum, sed manendo in conuentu potest admitti ad ratificationem, sed cum nouo conuentus consensu, quia prior reclamatione, & lata sententia destructus est. Et ita docui *controuer.* 32. *n.* 49. Quod si recessit omnino non admittitur ad ratificationem, sed tanquam alter sæcularis, ac si primo peteret ingressum recipi potest etiam cum onera renouitiandi, vt probaui hic *cap.* 10. *q.* 15. *n.* 24. & sine dubio debet formaliter profiteri, & non ratificare professionem.

QVÆRES XXI. An professio omissa infra annum probationis, postea ratificari possit? Nam id negat *Ciarlin. c.* 108. *n.* 65. fieri posse sine Apostolica dispensatione, cum infra quinquennium non præsumatur ratificatio, neque proinde fieri possit.

54 Respond. Finito probationis anno, & sublato impedimento nihil prohibet, quin possit professio ratificari statim, vt probaui supra *n.* 19 Quare aliud est, quod Ecclesia non præsumat ratificationem infra quinquennium, aliud est, quod quis non possit infra illud suam professionem inualidam sublatis impedimentis ratificare; illud enim est verum, hoc vero falsum, quia à Tridentino non prohibetur. Hinc patet differentia inter reclamantem infra quinquennium, & post tempus, quod ante reclamans non interrogatur de ratificatione, quia non præsumitur, sed solum post, quia præsumitur ratificatio. Et ita intelligendi sunt Doctores ab eo citati.

QVÆRES XXII. An ex parte monasterij requiratur scientia nullitatis professionis, dum concurrit in ratificationem?

55 Respond. Affirmatiue, quia ignorans dicitur præstare suum consensum in id, quod ignorat, ad quod faciunt dicta sub *q.* 14. de scientia requisita ex parte ratificantis. *Confirmatur*, quia correlatiua non iudicantur ad impatia, sed quod dicitur de vno locum habet in alio, ac proinde idem ius debet esse in vtroque. Ita *Castropal par.* 3. *tract.* 16. *disp.* 2. *p.* 5. *n.* 3. §. *quæ dicta. Riccius par.* 4. *decis.* 172 *n.* 3.

QVÆRES XXIII. An ratificatione acquiratur remissio pœnarum, & indulgentia plenaria, sicut fit in prima professione?

Respond. Affirmatiuè, quia reuera ratificatio est prof. ssio. Ita dixi *c.* 20. *n.* 38. *Ita Diana par.* 4. *tract.* 14. *resolut.* 180. *Vecch. disp.* 13. *dub.* 5 *n.* 7. *Ego controuer.* 32. *num.* 50. 56

QVÆRES XXIV. An profitens hæc verba *Nunc, seu hodie volo esse Religiosus*, dicatur suam professionem ratificasse?

Respond. Affirmatiue, Rota quia ita dicens non 57
solum declarat animum suum, sed simul etiam stabilit, & firmat, quod dicit, stãte verbo de præsenti *nunc*, quod magis corroborat sensum, quam aduerbium *hodie*. Ita *Rota apud Dianam par.* 6 *decis.* 14 § *Prædicta ex doctrina Hostien. in cap. Porrectum. de Regu ar ex Abbat. in* 3 *notab & ex Rota par.* 2. *diuers. decis.* 226 *Ego decis.* 91. & *controu* 32. *q.* 35. Tamen oppositum decidit *Rota apud eundem Dianam par.* 9. *decis.* 1 § . 8. *præsertim*, quia ea ratificatio non fuit, sed declaratio animi volendi ratificare professionem, quam debebat ratificare coram superiore, vt ibi habetur, ex *c.* 6. *extra qu.* 14 *vtrumq; decisionẽ habes hic extensum sub n.* 35. & 36.

QVÆRES XXV. An statutum cum decreto irritante receptionem ad professionem ex parte conuentus extendatur ad ratificationem, quando conuentus nulliter recepit Nouitij professionem contra decretum?

Respond. Non extenditur, sed restringitur ad pri- 58
mo attentatam professionem; nam Decretum irritans est stricti iuris, se proinde stricte intelligendum, *Aymon. par.* 4. *de antiq. temporum n* 64. *Rota volum.* 2. *decis.* 131. *n.* 12. Vnde restringitur ad id, de quo principaliter disponitur, & non ad accessoria, & incidentia, *Bartol. in leg. fin.* §. *Titia ff. de liber. leg. Felin. in cap. Causam de rescrip. ex illis Rodriq tom* 3. *q* 54. *artic.* 5. §. *Et confirmatur*. Quare nec admittit aliam interpretationem à verbis eius diuersam ex *Rubeo tom.* 7. *decis* 319. *nu.* 7. Constat autẽm ratificationem aliud esse à professione quæ primo fit, vnde illud Decretum afficiens professionem non est extendendum ad ratificationem eiusdem. Ita docui *controuer.* 32. *q* 16.

Oppositum videtur sentire *Peyrin de Subd. q.* 1. *c.* 25. §. 4. *vers. Ex quibus*, dum dicit, professum contra statutum posse semper etiam vltra quinquennium à superiore expelli etiam sine Episcopo, quia religio non cogitur tenere illum contra statutum.

Respond. Id esse verum, si statutum expresse com- 59
præhendat etiam ratificationem, vel talis sit tenoris, quod semper debeat expelli non obstante quauis ratificatione. Aliter tale statutum restringitur omnino ad primum actum, & sibi imputent Fratres, qui illum non eiecerunt ad formam statuti.

QVÆRES XXVI. An ratificatio professionis sortiatur suum effectum prout ex nunc, cum scilicet fit actus ratificationis, an prout ex tunc, cum scilicet primo professio emissa fuit? Quod est quærere, an ratificatio retrotrahatur ad tempus, quo primum fuit emissa professio, ac si ab initio fuisset valida? Non est difficultas circa professionem dubiam ratificatam, quia certum est in ea ratificationem retrotrahi, quia magis valida, quam inualida censetur, & ideo ratificatio respicit retro ad illum primum actum per eam corroboratum prout ex tunc, ne valor diuidatur in nunc, & tunc, cum vnicus sit, sicut est ipsa res valida. Restat ergo dubium super professione certo inualida, an ratificetur ex tunc, an solum ex nunc?

Respond.

An autem nulliter professus ad seculum reuersus vtatur hoc priuilegio? Negaui cap. 7. de Reclamat. quæst. 35. Quia nulla professio ex quæstio. 5. nullum producit
20 effectum. Confirmatur, quia dispensatus à suo superiore, si transeat ad secunda vota, non gaudet amplius ea dispensatione, quia censetur gratia facta pro suo ordine *ex Rodriquez tom. 1. quæst. 13. art. 13.* Ergo multo minus proderit reuerso ad seculum.

Quæres 5. An professio tollat omnem irregularitatem?

21 Resp. Nullam tolli irregularitatem, præter mox dictum defectum natalium. Quia hoc priuilegium non reperitur iure concessum. Ita Sanchez *l. 5. c. 3. num. 9. Nauar. com. 2. de Regul. n. 60. Rodr. tom. 1. q. 13. artic. 5.*

Quæres 6. An professione illegitimus fiat habilis sine alia dispensatione ad prælaturas, & dignitates?

22 Resp. Negatiue, nam c. 1. de filiis præsbiteror. excipit promotionem ad Prælaturas. Vnde illegitimè dispensantur per superiores Regulares ad formam constitutionis incip. *Circumspecta* 3. Gregorij XIV. de qua Lezana *part. 1. c. 18. n. 60.* De illegitimis egit *c. 3. n. 78. ad 92.* Vbi de hac re.

Quæres 7. An professione omnia bona Nouitij, de quibus non disposuit, cum ipso transeat in dominium Monasterij, & in eo incorporentur cum cæteris bonis?

23 Resp. Affirmatiue. Et id probaui *initio c. 11. n. 49. & c. 13. n. 5. & 122.* Vbi retuli textus claros iuris ciuilis. *Ciriacus contron. 143. n. 22. vbi alios citat.*

Quæres 8. An professione nouitius ita constituatur sub iure, & dominio superiorum, & monasterij, vt amplius non sit sui iuris?

24 Respond. Affirmatiue, quia professione virtute voti obedientiæ se submittit religioni in omnibus, quæ præscribuntur in Regula, & constitutionibus, ita quod amplius non habet velle, neque nolle. Ita omnes cum *Lessio lib. 2. c. 41. dub. 8. n. 67. Castropal. p. 2. tract. 16. disp. 2. p. 8. num. 1.*

Quæres 9. An nouitius professione acquirat ius, vt à monasterio alatur?

25 Respond. Affirmatiue, dum enim professione religiosus se obligat perpetuo religioni inseruire, vice versa religio tenetur illi correspondere de alimentis, non enim est inferioris conditionis seruo, cui à Domino alimenta debentur. Ita omnes cum supracitatis *Peyrin. de subd. quæstio. 2. cap. 2. §. 4. & de Prælato quæstio. 1. cap. 5. numer. 59. Donatus par. 4. tractat. 10. quæstio. 7. numer. 9. Pelliz. tract. 3. cap. 6. numer. 16. Rota apud Tambur. decis. 26. fine.* Et quidem abundanter, iuxta illud commune dicitur. *Vbi non est abundantia, non est obseruantia.* S. Bernardo adscriptum à *Perez in Reg. 5. Benedicti cap. 32.*
26 *numer. 7.* Procedit, licet nulliter sit professus, quia dum seruit altari, de altari viuere debet, quicquid dicat Nauarr. com. 4. de Regul. numer. 25. §. Quarto de inualide professio ex causis simoniæ, aut excommunicationis, qui victum non recipit ante absolutionem, & dispensationem, quia præfati non recipiunt fructus suorum beneficiorum. Nam professio beneficium non est *capit. 18. numer. 7.* & professio excommunicati etiam denuntiati
27 valet, ex eod *capit. numer. 45.* Et simoniaci ibidem numer. 87. Et id verum est ex debito iustitiæ fundato in professione, quatenus habet rationem contractus ex dictis *capit. 18. numer. 23.* Quando autem acta non seruiuit, sed Apostata fuit, non debentur alimenta, quæ tantum dantur intuitu religiosæ seruientis in claustris, vel extra seruientibus de licentia superioris, quando seruitus redundat in vtilitatem monasterij. Et ita explicandus est, *Peyrin. de Prælato quæstio. 1. capit. 5. numer. 60.* Aliter male dicit, quia seruienti correspondet victus, & apostasiæ punitio, & non detractio victus necessarij. Sed dicto litiganti contra superiorem, non habenti annuos redditus, quando nullitas professionis est in causa, vel contra Abbatem agit pro monasterio, debentur alimen-
28 ta, & expensæ, *ex capit. Ex parte 21.* de accus. pariter, & Abbati necessariæ tantum, interim ei obediendum est, ex allatis *Sanchez lib. 6. cap. 12. à num. 20. Barbosa super*
dictum cap. Alimenta non debentur expulso, si vult 29
agere, vt restituatur tanquam iniusta expolso, quia non amplius est in possessione monachatus per notata à *Baldo in l. Si neget ff. de alien. lib. Abbas in cap. si quis, de foro compet. Afflict. decis. decima.*

Quæres 10. An professione religiosus ætate minor, reputetur maior?

Respond. Reputatur maior, *gl. v. Videtur, fine, cap. Illud* 30
in. 20. q. 1. Glos. v. Quamuis. cap. Ex parte 14. de restitut. spoliat. Vbi dicunt, professum censeri maiorem in rebus spiritualibus, quia in illis non censetur læsus, ideo non restituitur, si reclamat contra nullitatem professionis. Sed in contrarium est Tridentinum sess. 25. c. 19. Vide super dictum c. 13. *Barbosam n. 4. Sanchez lib. 7. disp. 37. n. 21. circa finem.*

Quæres 11. An professio dirimat matrimonium? Fuse dixi contr. 16. n. 2 u. ad 25.

Respond. Certum est, præcedentem professionem irri- 31
tare sequens ad eum matrimonium; præcedens vero matrimonium ratum, & nondum consummatum irritatur per sequentem professionem, altero coniuge etiam inuito; nequaquam vero iam consummatum, licet de licentia alterius valida sit professio.

Primum, quod solemnitas voti irritet subsequens matrimonium attentatum, determinatur *Cap. Vn. de voto in 6. Et sess. 24. can. 9.* Da fida definitur. Ratio est, quia ex statuto Ecclesiæ inducta solemnitas inhabilitauit valide professum ad contrahendum. Et huiusmodi definitio fuit necessaria, propter modernos hæreticos, qui in contrarium errantes per luxuriam de medio statum religionis tollere volebant.

Secundum de irritatione matrimonij tantum rati est dafinitum eadem sess. can. 6. his verbis: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit.* De hoc plura notaui capit. 2. hic numer. 200.

Tertium, quod consummatum non dirimatur per superuenientem professionem etiam de licentia alterius coniugis, probatur, tum quia nullibi irritatio hæc ab Ecclesia inducitur. Tum quia sic professus de licentia alterius ex officio iudicis reuocari potest ob periculum incontinentiæ, quando remanens in seculo non emisit votum castitatis, *ex capit. 1. de conuers. coniugat.* Vt docent omnes cum *Castropal par. 3. tract. 16. disputat. 2. p. 2. §. 3. numer. 9. §. Verum Sanch. lib. 7. disput. 33. numer. 6.* De professione coniug. plura dixi *hic c. 3. à q. 32. & num. 200. ad 117.*

Quæres 12. An professione religiosus eximatur à patria potestate?

Respond. Liberatur à patria potestata, quia professio- 32
ne subiicitur potestati superioris regularis, intellige respectu eorum, quæ illi præiudicare non possunt: Ita *Sanchez lib. 5. c. 5. n. 29 Rodr. tom. 2. q. 77. art. 6. Megal. 1. 2. lib. c. cap. 6. n. 6. Donatus part. 4. tract. 10. quæst. 7. n. 6.* alios citat Barbos. ad cap. Per venerabilem 13. Qui filij sint legitimi n. 16.

Quæres 13. An patre religioso filius eximatur ab eius potestate?

Respond. Sic, quia profitens transit in potestatem 33
superioris, & sic sui iuris non amplius est, ac proinde filium non amplius habet sub sua potestate, ea ratione, quia ille non videtur habere in sua potestate, qui non est suæ potestatis, ex l. Sic eueniet 21. ff. ad legem Iul. de Adulter. Ita *Couar. capit. 2. de testam. numer. 8. Molina tom. 1. de iust. disputat. 229. ex illis Sanchez lib. 4. cap. 35. numer. 44.* Nouitiatus autem non sufficit, quia nondum dicunt esse irreuocabiliter sub potestate Prælati.

Quæres 14. An inhabilis ad testificandum professione fiat habilis?

Respond. Affirmatiue secundum Sanchez lib. 5. cap. 5. 34
num. 27. per Auth. de Monachis collat. prima ibi: *Vt quidem omnem humanam maculam detergat.* Sed aliqui dicunt

ibi

ibi fermonem esse de macula peccati, vt ibi interpretatur *glos. v. Maculam; vt notat ipse Sanchez initio sub n. 2. de qua re Barbosa ad c. Cum deputati 16. de iudic. Dixi fuse contr. 3. q. 30. & contr. 5. q. 10.*

Quæres 15. An professio tollat capacitatem in ordine ad beneficia?

35 Respond. Non tollit, quia beneficiarius ratione beneficij non est proprietarius, sed tantum vsufructuarius, glos. v. Præbendam *Cap. Alienationes 36. 12. quæstio. 2. Glos. v. Obitus cap. fin. de pecul. cler.* Quod non repugnat voto Paupertatis, quod est abdicatio proprietatis, non vsusfructus, ergo professione religiosus non est incapax beneficij, quodcunqoe illud sit, etiam simplex ex allata ratione. Confirmatur *ex cap. In parochia 16. q. 1. & cap. Quod Dei timorem, de statu monach.* Vnde in forma professionis Canonici Regulares Lateranenses promittunt, se beneficia curata, & non curata non recipere independenter à suo superiore.

Verum quidem est, quod ex contraria consuetudine, abundantia clericorum secularium beneficia modo nullis Regularibus conceduntur, exceptis canonicis Regularibus Lateranensibus, vnde modo sunt facti incapaces propter inductam consuetudinem, non enim indigent, cum ea titulo Paupertatis viuant intra claustra. Vide quæ dixi *Contr. 16. initio Sanchez plura lib. 7. c. 29. per totum.*

Quæres 16. An professione vacent beneficia, & pensiones, quæ habebat Nouitius?

36 Resp. Vacat beneficium secuta professione, de communi Doctorum super *cap. 4. de Regul in 6. vbi Barbos. num. 6.* Quamplures citat in hanc sententiam. *Ludouis. decis. 382.* Non vacare pensiones docui in eadem *Controu. 16. à n. 10. cum Sanchez lib. 7. cap. 29. n. 8.* Nam pensiones in odiosis non veniunt sub nomine beneficiorum, sed more vsufructus transeunt cum professo, quorum fructus vtitur de licentia sui superioris.

Quæres 17. An professione Nouitius acquirat remissionem omnium peccatorum, & indulgentiam plenariam?

37 Resp. Professio producit in religioso canonice professo, & existenti in gratia remissionem omnium peccatorum non quoad culpam, quia iam eorum culpa supponitur ablata per Pœnitentiam, sed quoad eorum pœnam in Purgatorio soluendam, & præterea sic profitens lucratur Indulgentiam Plenariam.

Primum de remissione omnium pœnarum est communis Sanctorum Patrum, quorum *Sanct. Hieronymus Epist. 8. & 25. & S. Bernardus ad finem libri de Præceptis, & dispens. cum aliis relatis à Sanchez lib. 5. cap. 5.*
38 *numer. 2.* Vocant professionem secundum baptisma, in eo sensu, quod sicut homo per baptismum renascitur Christo abrenuntiando diaboli pompis, cum remissione omnium pœnarum ei debitarum ita factus professione religiosus Christo renascitur mundo mortuus abrenuntiatione rerum huius seculi, consecutione remissionis omnium pœnarum, quas soluere debuisset in Purgatorio. Ratio est, quia professio est opus excellentissimum excedens quoscunque alios actus humanæ vitæ, cum Nouitius professione non solum bona externa, verum etiam interna, & seipsum relinquat, dum se & quicquid habet Deo dicat, & offert in holocaustum, huiusmodi ergo pœnarum condonatio prouenit ex dignitate, & præstantia Excellentissimi, & Eminentissimi actus professionis. Ita omnes cum eodem *Sanchez lib. 5. cap. 5. numer 2.* negans eum effectum in renouatione eiusdem *numer. 5. Layman lib 4 cap. 10. tract. 5. num. 2. quem citat, & sequitur Palaus part. 3. dist. 16. disp. 2. p. 8. num. 3. fine,* modo peccata non fuerint nimis grauia inquit. Procedit hoc etiam in professione transeuntium etiam ad laxiorem, ibidem Sanch. Adde tu, & in ratificatione eiusdem alias inualidæ, quia reuera est proprie professio tam transeuntium, quam ratificantium. Tangit *Donatus par 4. tr. 10. quæst. 7. initio. Barb ad cap. Scriptura, de voto, in fine.*

Secundum de Indulgentia concessa à Paulo V. retuli sub c. 12. q. 17. Vide ibi.

39 Remanet difficultas, qua ratione Paulus V. Indulgentiam Plenariam concessit profitentibus, si ipsamet professio remittit omnes pœnas pro culpis deletis debitas? De concessione Indulgentiæ, constat, ergo dubitari potest de hoc effectu professionis, si enim vnum sufficit, alterum supervacaneum videtur, non enim idem effectus à duabus causis totalibus prouenire potest, secundum. *Diu. Thomam, & Scotum citatos à Suar. disp. 26. sect. 4. & seq.*

Respondetur, id non esse superuacaneum, nec eundem effectum ab eadem causa prouenire, quia si vna non operatur, potest altera suum causare effectum, neque enim is effectus expresse habetur ex Sacra Scriptura, neque ex Christi traditione, sed Patres id pie credunt propter excellentiam huiusmodi actus. Nec inconuenit, quod idem effectus proueniat à duabus causis totalibus non solum diuersi ordinis, vt communiter conceditur, sed etiam eiusdem ordinis, vt multi sustinent apud eundem Suarez. In casu autem præsenti, causæ professionis, & Thesauri Ecclesiastici Indulgentiarum sunt diuersi ordinis, vt patet; nam Indulgentia operatur ex applicatione satisfactionis Christi, & Sanctorum facta per Romanum Pontificem eam extrahentem ex Thesauro Ecclesiæ, Professio vero remittit peccata ex vi, & merito ipsius excellentissimi actus profitentis.

Quæres 18. An vota, & iuramenta professione extinguantur?

40 Respond. Affirmatiue, quoad vota ex cap. Scripturæ 4. de Voto, quia temporale obsequium mutatur in perpetuum, & votum non infringit, qui illud in melius commutat, omnia autem vota simplicia quid minus sunt respectu solemnis, ideo illa in hoc absorbentur. Procedit siue sint personalia, siue realia siue mixta, cum hæc longe minora sint solemni. Ita *Miranda tom. 1. quæstio. 25. artic. 5. Compend. resol. 140. numer. 6. Vecchius disputat. 53. dub. 4. cum multis aliis Ego cap. 12. numer. 38. Barb ad dictum cap. 4. de Voto numer. 2. Sanchez lib 5. cap. 5. numer. 36. ad 44.* Non solum de votis factis in seculo, sed etiam in nouitiatu, immo & post professionem, si transeat ad secunda vota etiam laxiora, quia secunda professio est vere votum solemne sicut prima ex eodem Sanchez n. 40. Et cum hæc extinctio votorum in commutationem voti solemnis non pendeat à voluntate profitentis extinguentis, vel nolentis ea extingui, adhuc transeunt, quia hæc commutatio procedit à professione ex vi iuris ipsius naturalis, & Ecclesiastici, vt notat *Sanchez lib. 5. c. 5. n. 38. & 41.*

41 Quo ad iuramenta idem dicendum ea extingui professione solemni, cum nullum Deo fiat iuramentum, quin inuoluat rationem voti, eo quod & ipsum sit promissio relata in Deum. Confirmatur ex doctrina *Miranda tom. 1. quæst. 25. artic. 6.* vbi probat *ex D. Thoma 2. 2. quæst. 89. artic. 8.* Maiorem esse obligationem voti, quam iuramenti, illo enim semper Deo obligamur ex fidelitate, quam Deo debemus, non sic ex iuramento; si ergo maior obligatio transit in votum solemne, à fortiori minor, quæ est in iuramento. Procedit hoc, nisi res promissa per iuramentum ab homine fuerit acceptata, tunc enim non transit in præiudicium hominis, cui votum solemne non debet præiudicare. Ita *Angelus v. Votum 4. num. 5. Silu. votum 4. q. 7. dicto 4. cum aliis Sanchez lib. 5. cap. 5. num. 45.* Expulsus à religione adhuc liber manet ab illis, quia per solemnem professionem ea non fuerunt suspensa, sed extincta, quæ non reuiuiscunt per eiectionem quia adhuc remanet religiosus, sicut ante. *Compend. Rodriq. citata Resol. 140. n. 6. §. Quod si.*

Quæres 19. An professione acquiratur ius vt non possit filius à patre exheredari propter ingratitudinem, & ex aliis causis exhæredationis?

42 Respond. Affirmatiue, adeo quod ex nulla causa filius professus exhæredari possit à patre. Ita colligitur ex l. Deo nobis 4. C. de Episcopis, & cleric. §. Hoc etiam. *Non liceat parentibus eosdem, vel easdem, quocunque modo*

modo abstrahere, intellige à religione, *vel propter hanc tantummodo causam, quasi ingratum, vel ingratam à sua hereditate, vel successione repellere, sed necesse sit eis omni modo, eum vltimam voluntatem suam, siue per scripturam, siue alio legitimo modo perficiant, quartam quidem portionem, secundum leges nostras eis relinquere. Sin autem & amplius voluerint eis largiri, hoc eorum voluntati concedimus. Sin vero vltimam voluntatem parentes neque testamento, neque alio vltimo elogio declarasse monstrati fuerint, omnem parentum substantiam heredes, quibus ab intestato competit, secundum leges nostras sibi defendant, nullo eis impedimento ex sanctimoniali conuersatione generando, siue soli, siue cum aliis vocentur ad successionem.* Item in Auth. de Sanctiss. Episc. §. Nullam, disponitur ita. *Nullam vero licentiam damus, aut parentibus filios, aut filiis parentes secularem vitam sectantes, & relinquentes velut ingratos à sua excludere hareditate, monasterium, aut monasticam vitam subsecutos.* Et in Nouella constit. 115. sub numer. cccclxxxix. idem repetitur his verbis: *Non liceat parentibus suos liberos, vel liberis parentes ab hareditate sua repellere monachos factos, quamuis dum laici fuerunt, in causam ingratitudinis inciderint.* Coincidunt in eandem sententiam expositam ab Imperatore Iustiniano imperante ab anno 527. ad fauorem religionis præcipiente, ne parentes ad religionem transeuntes filios possint exhæredare ex causa ingratitudinis contractæ contra patrem ante ingressum, & professionem, quam postremam *Gratianus registrat sub cap. 10.19. quæst. 3.* Procedit respectu cuiuscunque causæ exhæredationis, etiam quæ principaliter respicit læsionem patris, quamcunque enim professio tollit. Ita *Panorm. vol. 1. consil. 27. numer. 2. Silu. religio 6. cap. 2. ad finem. Duard. lib. 2. Bulla can. 15. q. 17. n. 7. Merlin. de legitima lib. 4. tit. 1. q. 7. num. 3. Barbosa super dictum c. 10. 19. q. 3. num. 2. Sanchez lib. 5. cap. 5. num. 32. Compend. resol. 72. num. 2.* Volui ad verbum referre supradictas sententias, quæ ab aliquibus negantur, vt videre est apud dictum *Sanchez num. 31.*

Quæres 20. An professione religio, & superior acquirat ius, & professionem super professum?

43 Respond. Affirmatiue, quia promittendo obedientiam se constituit sub professione eius, cui illam spopondit. Quod si aufugiat adhuc dicitur esse sub possessione sui superioris, sub quo continuatur possessio, & non amittitur, licet transierit ad secunda vota, dummodo à suo superiore sollicite requiratur, aliter negligens eius recuperationem amittit possessionem. Hæc docentur à *Rota decis. 365. tom. 3. apud Rubeum.*

Quæres 21. An cum professo transeant iura suitatis, & nobilitatis?

44 Respond. Affirmatiue, quia iura sanguinis, & nobilitatis sunt naturalia, ac proinde immutabilia, *l. Jus agnationis 35. ff. de pactis*, quia iura sanguinis nullo iure ciuili dirimi possunt, *l. 8. de reg. iur. Ita Nauar. quæstio. 3. de Reddit. monit. 21. Rodriquez tom. 2. quæst. 78. art. 12. §. Nec minus Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 13. Vecch. disp. 13. dub. 9. Peyrin. de Prælato q. 1. cap. 2. num. 36.* Vbi multa ad hoc congerit. Nobilitas tamen non attenditur in officiis, & dignitatibus, sed merita personæ, *Glos. v. Absque personarum delectu cap. Ea quæ, de statu monach.* quia professio omnes æquales facit, vt ibi dicitur. *Decius in cap. cum adeo, de rescrip. n. 17. cap. Venerabilis 37. §. Nos igitur, de prabend.* ibi: *Non enim electio muneris quæritur in successione generis, sed in perfectione vitæ*, de qua re idem Peyr. n. 57. Ego plura *res. 56. n. 23. & seq.* vbi probaui melius esse recipere plebeos, quam nobiles.

45 Colligitur hinc cum professus non perdat iura sanguinis, succedere in bonis suorum tam ex testamento, quam ab intestato, vt patet ex allegatis iuribus *hic q. 19. & c. 13. initio*, vbi alias leges retuli.

46 Hinc deducitur iniqua esse quorundam statuta excludentes professos à successionibus siue directe, siue indirecte, ob defectum iurisdictionis, qua carent Laicales Magistratus in Ecclesiasticas personas. Vnde tale Statutum in Ciuitate Ferrariæ extans Pontifex Romanus expunxit, vt notat *Megal. 1. 2. lib. 1. capit. 27. numer. 37.*

Quæres 22. An professione tollantur omnia officia, quæ habebat ingressus Religionem?

47 Respond. Perdit incompossibilia cum statu religioso, vt sunt Laicæ dignitates, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Papatus, Imperium, Episcopatus, &c. Ita *Glos. v. Dignitate cap. Scripsit 26. 27. quæst. 2. & 11. Comite capit. Præsens 4. 20. quæst. 3.* Ita *Tiraquell. de Nobilit. cap. 26. num. 3. Gulielm. Benedictus in cap. Raynutius num. 212. Graff. par. 1. lib. 3. cap. 5. numer. 94. Sanchez lib. 7. capit. 12. num. 13. ex illis Peyrin. de Prælato q. 2. c. 1. numer. 58.*

48 Dixi incompossibilia, quia gradus, & honores, qui etiam ipsis professis conferuntur, vt Doctoratus non solum in Theologia, sed etiam in Iure Canonico, immo & Ciuili conseruantur, cum suis emolumentis, & iuribus ingrediendi collegium sicut ante, præcise tamen pro laureandis, & approbandis, vel reprobandis constitutionibus Collegij, quia hæc non pugnat cum statu regulari. Et id persuadetur, si enim bona temporalia professione transeunt, quæ magis videntur pugnare cum voto Paupertatis, quare non debent transire cum gradibus, & honoribus, quæ sunt bona incorporalia non disconuenientia religiosis. *Confirmatur* id, quia gradus Doctoratus conseruatur in religione ex adductis à *Vecchie disput. 13. dub. 9. num. 4.* vbi ait ex *decis. 1331. Seraphin. num. 4. & 11.* in sæculo habentem ius legitimandi id secum deferre in religionem, & de licentia superioris sui rite, & valide legitimare, licet sit Frater Minor. Pariter Sacerdos sæcularis consessarius factus religiosus illud munus non perdit, vt docui *cap. 12. numer. 61.* Vnde Marcellus Megalius Squilacensis vocatur in Religione Clericorum Regularium Theatinorum Doctor vtriusque iuris à suo Generali in approbatione libri eius Consiliorum, quem gradum in sæculo obtinuerat, & in Religione conseruabat. Sic quoque nuncupatur Angelus Maria Vercellus in suis Operibus eiusdem Ordinis professor. Ita quoque Iacobus Graffis Abbas Casinensis se inscribit iuris vtriusque Doctor. Professio enim titulos honorificos non mortificat, sed exaltat, conseruat, & magnificat.

Quæres 23. An professus amittat ius prosequendi iniuriam sibi factam?

49 Respond. Non amittit, sed agit actione iniuriarum non per se, sed per suum superiorem, non obstante etiam remissione facta ab iniuriato, superior contra iniuriantem agere potest, quia iniuria censetur facta monasterio, quam vindicare tenetur superior, *Argument. leg. 1. ff. de Iniur.* vbi iniuria facta filiis, seruis, & de familia censetur facta patrifamilias, qualis etiam est superior regularis. Ita *Glos. v. possidere cap. Non dicatis 9. 12. q. 1. Glos. in cap. Parochianos 9. de Sentent. excommun. 11. in monachos, Nauar. comment. 2. de Regular. numer. 64. Farinac. in praxi Criminal. par. 3. numer. 105. Molin. tom. 4. tractat. 3. disput. 2. num. 7.* Si superior eam remiserit, iniuriatus non potest agere, *Glos. 11. Passus c. Cum illorum 32. de Sentent. excommunic. Belasius in suo Promptuario v. Iniuria numer. 2.*

Quæres 24. An professione acquiratur priuilegium vtriusque fori.

50 Respond. Priuilegium Canonis, vt excommunicati sint eorum percussores acquiritur ipso ingressu receptione Habitus probationis, vt docui *cap. 12. quæstio. 1.* Priuilegium fori, tam in Criminalibus, quam in Ciuilibus quoque acquiritur ab ipso ingressu probationis, per quem desinunt esse sub potestate Laicali, aut Episcopali, quo ad personam, & res suas incipiendo esse subiectis superioribus regularibus, vt docui *cap. 11. per totum.* A fortiori hæc priuilegia eisdem competunt post professionem, vt sint exempti non solum à Laicis potestatibus, & quo ad personas suas, & quo ad bona quæcunque monasteriorum, locorum, & quæ ad eorum sunt proprium vsum, sed etiam à iurisdictione Episcopi. Et eorum

exemptio

exemptio à prædictis, ita clara est, vt nulla egeat probatione. *Portellus v. Exemptio, Donatus par. 2. tract. 13. quæst. 23. num. 5.*

*De exemptione ab Episcopis multa præfatus *Donatus, Tamburrin. tom. 1. disp. 15. Lezana par. 1. cap. 11. Rodriquez tom. 2. quæst. 63. cum suo Compend. resolut. 63. à num. 14.*

De exemptione à Laicis, *Suarez lib. 5. de Legibus cap. 34. Compend. Rodriq. citat. resolut. 63. num. 1. & sequen. Nauar. in cap. Nouit notat. 6. de Iudic. Couar. 1. practic. 31. Abbas in cap. Qualiter de Iudic. Canonistæ super cap. Non dubium 5. de Sentent. excommun. vbi Barbosa. Doctores citat. & Resolut. 54. q. 27.*

Quæres 25. An professio magis subiiciat religiosum superiori, quam matrimonium vxorem marito, & seruitus seruum domino suo?

51 Respond. Affirmatiue, quia magis ligat professio, quam matrimonium, & seruitus, quæ non habent in suo ligamine adiunctum obedientiæ votum, sicut professio, per quam propriam voluntatem imperio superioris subiecit, non sic vxor, marito, nec seruus domino, quibus obedire tenentur ex natura ipsius subiectionis. Ita de vxore minus subiecta viro, quam monachus suo Abbati, *Glos. v. Concesserat, cap. Noluit 16. 33. quæst. 5.* De Seruo, *Nauar. consil. 14. de Statu Monach. num. 11. argum. cap. Multos distinct. 54.*

Quæres 26. An professione perdatur ius testandi?

52 Respond. Affirmatiue, ex *cap. 13.* vbi de hac re multa dixi.

Quæres 27. An professione acquiratur ciuilitas loci, vbi manet?

53 Respond. Affirmatiue, quia sunt partes, & membra Communitatis, loci, & Ciuitatis, quoad fauores, vbi acta de familia manent. Ita *Velaschius decis. 100. Grassus de Effect. Cleric. in Prælud. à num. 369. Lucerna Regular. 11. Ieiunia, Ego resolut. 85. num. 61. Nauar. comment. 2. de Regular. numer. 63. § Nunc Megal. consil. 95. n. 3. quos citaui c. 3. de Effectib. profess. q. 47.*

Quæres 28. An professione in laxiori tollatur votum ad strictiorem?

54 Respond. Affirmatiue, quia votum solemne absorbet quodcunque simplex. Ita expresse *cap. Quid 5. de Regular. in 6. Nauar. consil. 6.* de Voto, *Sayr. in Claui lib. 6. cap. 9. numer. 14. Sanchez lib. 4. cap. 16. numer. 16. Vechius disput. 10. dub. 1. cum aliis Barbosa ad dictum caput.* Procedit etiam si profiteatur apud Canonicos Regulares Lateranenses ex priuilegio Sixti IV. in eorum lib. Priuilegiorum, incip. *Dum ad vniuersos*, fol. 357.

Quæres 29. An professione vnius ex duodecim filiis patre eorum mortuo, cæteri manentes in sæculo perdant exemptionem?

55 Respond. Negatiue, *Tum quia*, sufficit vt pater simul habuerit aliquando viuentes duodecim filios, *Lason in leg. Si quis heredem*, C. *de Institut. & Substitut.* relatus à *Grassio par. 1. lib. 3. cap. 5. numer. 34. in Additam.* Neque enim filius per professionem in hoc moritur mundo, sed adhuc viuit, quia eius ingressus non debet nocere aliis fratribus, ideo non perdunt exemptionem, vt docui *cap. 5. de Effectib. Profess. quæst. 20.* Et id supponit *Carena resolut. 189.* explicans constitutionem Ducatus Mediolani huius tenoris: *Hæc immunitas etiam post mortem patris perseueras, vbi, & donec ipsi omnes duodecim liberi superstites fuerint, & in communione viuant.* Citans *Randensem de Analogis cap. 22. numer. 148. Bellonum Papien. lib. 2. de ais, qua incomineati,* & alios explicantes illud viuere in communione, licet aliquis eorum professus sit, & religio partem donatam procuret, fratres adhuc dicuntur viuere in communione, quia nullus eorum prouocauit ad diuisionem communionis, non professus, sed religio vlque successit in eius bona.

Quæres 30. An professio superioris det ius irritandi vota professorum?

56 Respond. Affirmatiue, etenim per obedientiam à Nouitio præstitam superior acquirit dominium super personam profess., ratione cuius religiosorum vota superior irritare potest, non Nouitiorum, vt docui *cap. 12. num. 38. Sanchez lib. … cap. 33. num. 2. Rodriquez tom. 1. q. 25. artic. 5. Portell. v. Votum n. 32. Miranda tom. 2. q. 32. art. 4. Lezana tom. 1. cap. 8. n. 47. Peyrin. de Prælato q. 3. c. 3. n. 7. & 8.*

Quæres 31. An professione acquiratur ius actiuum, & passiuum ad dignitates, & officia in religione?

Respond. Dat vtrunque ius professio expressa, tacita 57 vero solum ius actiuum, vt expresse colligitur ex *cap. Nullus 28. de Elect. in 6.* vbi ad Abbatiam, vel Prælaturam sui Ordinis solus expresse professus eligitur, & *cap. Ex eo 32. eodem.* Ne intersint electionibus nondum professi expresse, vel tacite, intellige ad eligendum, ne aduersetur is textus præcedenti, vt notat ibi *glos. v. expresso*, & clare colligitur ex *cap. Indemnitatibus 43. eod.* vbi de monialibus, quæ non eligunt, nisi sint expresse, vel tacite professæ. Ita *Suarez de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 4. n. 2. Sigism. dub. 90. num. 2. & 3. alios citat Barbos. ad hoc cap. Ex eo 32. num. 7. ipse Barbos. lib. 1. de Iure Ecclesiast. cap. 19. num. 50.*

Dices, Laici conuersi profitentur sicut Clerici, vt notum est inter Mendicantes, & tamen illi non intersunt electionibus cum istis, ex citato *cap. Ex eo 32. § In Ecclesiis, de Elect. in 6. Clemen. 2. de ætate*, ergo professio non dat ius eligendi omnibus professis. Et id confirmatur per 58 Tridentinum sess. 22. cap. 4. vbi decernitur, Regulares non existentes in sacris, non habere vocem in electionibus etiam si hoc ab aliis libere concessum fuerit.

Respond. In aliquibus Religionibus præsertim Men- 59 dicantium, Laicos professos habere vocem actiuam in negotiis Monasterij, & etiam in electionibus, in quibus dant suum votum pro electione. Ita seruatur in nostra, in qua illi non arcentur, sed ex probata, & immemorabili consuetudine suffragantur, & in multis aliis. *Rodriquez tom. 2. quæst. 51. art. 5. fine, Sigismund. dub. 91. Ego resol. 26. numer. 80. & resolut. 53. quæst. 16. numer. 83.* Et Tridentinum cum cæteris textibus non loqui de regularibus Bellarminus testatur non comprehendere Mendicantes prout refert *Donatus par. 3. tract. 4. quæst. 6. numer. 10.* & 60 ratio potest esse, quia Ecclesiæ Regularium Mendicantium non sunt Collegiatæ, sed Conuentuales, ex allatis à *Diana part. 2. tract. 14. resolut. 76. & par. 10. tract. 12. resolut. 40. Rodriquez tom. 1. q. 43. art. 12. cum suo Compend. resol. 25. num. 10. ex illis Quartus Theatinus in Missale par. 2. tit. 3. sect. 2. dub. 4.* Clementina autem, & Tridentinum loquuntur de Collegiatis Sæcularibus, & Regularibus, cuiusmodi sunt Ecclesiæ Canonicorum Regularium, non Mendicantium.

Dicta de religiosis Laicis à fortiori intelligenda sunt de 61 professis in numero Clericorum, quamuis nondum sint ordinati, sunt enim in gradu magis honorabili, quam Laici, qui constituuntur in infimo, & ideo illi intersunt non solum negotiis domus, sed etiam electionibus conuentualibus monasteriorum, quæ reguntur democratia, in qua omnes professi sine discrimine suorum graduum admittuntur, non autem in Capitulum Prouincialibus, aut Generalibus, quæ gubernantur, & diriguntur regimine aristocratico, conuenientes tantum, & interessentes constituti in ordinibus sacris.

Quæres 32. An professione acquiratur ius ad præcedentiam?

Respond. Affirmatiue, ea enim est titulus, quo vnus 62 religiosus alteri præponitur in eadem religione, nam professione euadit pars, & membrum illius corporis religionis, cuius Regulam Nouitius professus fuit, vnde cum cæteris eodem iure censendus est. Ita docui *cap. 5. extra de Effectibus Profess. quæst. 49. & in Theatro præcedent. numer. 433. quæst. 140.* Procedit hoc etiam in eo, qui bona fide professus, licet inualide, retinet enim ius acquisitum præcedendi loco, & datione vocis, sunt enim hæc modici præiudicij, ex *Nauar. consil. 27. de Regular. in fine, ex eo Sanchez lib. 7. dispu. 37. num. 68. ex illis Pellizar. tract. 3. cap. 1. q. 20. num. 50. Ego loco citato q. 144. n. 400.*

Vecch.

Vecch.disp.34.dub.8.num.2. Suarez tom.3.d Relig. lib.7. cap.1.num.34.Rodriquez tom.3.q.17.art.in fine, Seraphin. decis.1361.num.5.ex illis Peyrin.quæst.., cap.1. num.152. qui in suo ordine id absolute non amittit cum genitura non sit res parui momenti, nam ..timi Collegæ, & primi seniores nonnullis gaudent priuilegiis, quibus non fruuntur probati inualide professi, in hoc verum dicit, sed reuera præcedere loco, & suffragio tantum est res parui momenti.

63 Quæres 33. An Nouitius professione patiatur diminutionem capitis. Est autem capitis minutio prioris status mutatio facta nominis interueniente ex Institut. de Capitis diminutione, quæ est triplex. Maxima, qua amittitur libertas, ciuitas, & familia, vt cum quis cogitur ad seruitutem, vel ingratus condemnatur, aut patitur se venundari. Media, qua libertate retenta reliqua per deportationem perduntur. Minima, qua amittitur familia cæteris retentis.

64 Respond. Professione non inducitur capitis diminutio. Probatur, quia capitis diminutio est pœna inuoluntarie passa ab homine ex suo delicto, sed ex professione nulla sequitur pœna, ergo nec capitis diminutio; Confirmatur, quia professus ciuitatem, familiam, & libertatem suam retinet in voluntate sui superioris, cui promittit obedientiam, non seruitutem captiuitatis. Demum mutatio diminutionis fit in deterius, professione vero Nouitius de Laico fit Ecclesiasticus, qui est status perfectior. Ita *Rodriquez tom.2. quæst.77. art.6. Sanchez lib.7. cap. 3.n. 34. Cuiacius in exposit. Nouella quinta.* Quod retineat ciuilitatem probaui hic quæst.27. & iura sanguinis, seu familiæ quæst 11.

Quæres 34. An professione acquiratur ius ad recipiendos ordines minores, & maiores?

65 Respond. Affirmatiue, quia in numero clericorum profitetur ad eum finem, vt de licentia superiorum debitis temporibus possit recipere ordines, vt Ecclesiæ regulari seruire possit. Confirmatur, quia etiam Nouitij, vt probaui hic *capit.* 12. *à num.* 40. *ad* 48. sunt capaces, à fortiori professi.

66 Nota, quod inualide professus recipiens ordines sine protestatione, quod non intendit incurrere tacitam professionem, nec inualidam ratificare, præsumitur tacite professus ex allatis hic c.18.n.110.

67 Aduerte præterea, quod sciens nullitatem suæ professionis, & recipiens aliquem ex ordinibus sacris sine titulo peccat mortaliter. *Rodriquez tom.4 Summa in Addit.cap. 65.numer. 10. cum suo Compend. resolut.106.numer.25. Portell. v. Ordo sacer num.8. ex illis Diana resolut. 113. de dubiis Regular.*

Quæres 35. An professione religiosus ex vi voti teneatur obedire Papæ, & Sacræ Congregationi eius superioribus, quibus expresse, nec tacite promisit obedientiam expressam in forma professionis?

68 Respond. Omnes Affirmatiue, quia cum Pontifex Romanus approbet omnes Religiones, & dicatur Generalis, superior Localis, ac Prouincialis omnium Religionum videtur votum professionis & obedientiæ illi fieri, cum in professione facienda dicatur reseruata auctoritas Pontificia. Ita *Sanch lib.6. cap.1.num.8. Nauar. cap.12. numer.76. Suarez tom. 3.de Relig. lib.10. cap.11. num.19. Palaus tractat.16. disput.4.p.2. num.4. Peyrin. de Prælato quæst.3. cap. 3. numer.26.* Tamen nonnulli de hac re dubitarunt, asserentes religiosos, qui id expresse non fecerunt, nec Regula eos obligat, non teneri vinculo voti Obedientiæ obedire Pontifici, quoad concernentia eorum Regulam, sed tantum subiici eidem eo modo, quo cæteri fideles, quia nemo in sua professione id aduertit, neque formæ professionum, in quibus fit tantum mentio de superioribus professis eiusdem ordinis, de obedientia ex voto, erga Romanum Pontificem nullam faciunt mentionem.

69 Quod spectat ad Sacram Congregationem, dico non tenetur professos ex vinculo voti annexo obedientiæ voto obedire eidem S. Congr. quia Sixtus V. eos cum hoc speciali onere non subiecit, quicquid dicat *Thomas à Iesu tractat.3. de Visitat.Regular.cap.17. num.7. & ex eo Lezana par.1.cap.4.n 31.ex illis Belasius in suo Promptuario v.Congregatio Cardinalium num.5.*

Quæres 36. An professione intelligantur remissa debita in sæculo contracta. Ratio dubitandi est, quia per votum Paupertatis cum abdicat à se proprietatem bonorum factus est impotens debitor ad soluendum, ergo professione manet à debitis solutus.

Respond. Si non habet in bonis religionem ingrediendo non liberatur, quando eidem professo aliquid relinquitur, de quo satisfacere debet, aliter non tenetur ad restitutionem, quia ad impossibile nemo tenetur; in casu acquisitionis, bona acquisita debentur potius creditori, quam monasterio, quia hic concurrunt duo iura, vnum naturale, solutio debitorum, aliud positiuum acquirendi Religioni, acquisitio enim huiusmodi in tantum respicit monasterium, in quantum in eo reperitur ille professus, qui cum habeat eam obligationem eidem satisfacere debet, ne monasteriũ locupletetur cum aliena iactura. *Diana resolut. 41. de Regular.* refert duas opiniones, prima liberat ingredientem à solutione, dum nihil habet quo soluat; secunda tenet, non posse ingredi, nisi prius satisfaciat, dum breui tempore speret mediante sua industria satisfacere, ita cum aliis *Sanchez lib.4. c.19. n.8.* qui breue tempus dicit biennium. 70

Quæres 37. An professione religiosus sibi conseruet ius, & libertatem transeundi ad secunda vota?

Respond. Professus non perdit ius transeundi ad secunda vota strictiora, quia esto per votum Obedientiæ propriam voluntatem subiiciat superiori, ex quo caret velle, & nolle, id tamen intelligitur in ordine ad ea, quæ spectant ad obseruationem Regulæ, quæ non continet exclusionem transitus ad secunda vota strictiora, vnde votum transeundi ad strictiorem à superiori irritari non potest, quia in hoc non intelligitur reseruata potestas dominatiua superioris. Ita *Sanch. lib. 4. cap.33. per totum. Confirmatur*, quia professio in laxiori non debet esse impeditiua maioris boni, quod est transire ad strictiorem. 71

Quæres 38. An priuilegia Nouitiorum, de quibus dictum fuit hic sub *cap.12.* professione transeant cum religiosis?

Respond. Affirmatiue, quia illis gaudent intuitu professorum, ergo à fortiori radicantur in eisdem professis ratione professionis. Ac proinde illa, quibus gaudent ratione status præcise Nouitiatus, non transeunt cum eisdem post professionem. Nam Nouitius habet priuilegium Indulgentiæ Plenariæ in receptione Habitus, libertatis reuertendi ad sæculum, ducendi vxorem, &c. 72

Quæres 39. An illegitimus professione habilitetur ad successionem?

Respond. Illegitimus professione non euadit legitimus, quo ad effectum successionis, quia id nullo iure cauetur. Ita *Socin. consil.48.numer.18. & 19. lib. 4. Berous 169. num. 29. lib. 2. Gulielmus de Benedict. in cap.* Raynutius *v.Uxorem nomine Andelasiam part.1. numer.100.* Roderic. *Suar. allegat.25.* Couar. *in Epitome* Decretal. *part.2. cap.8. §.7. numer.4.* & tenuit *Rota coram* Manica *decis. 32. numer. 4. & ex illis* Buratus *decis. 572. prope finem.* 73

Quæres 40. An professione finiatur societas officiorum?

Respond. Negatiue, quia mors deducta ab homine in conditione non intelligitur de ficta ciuili, sed tantum de vera naturali. Ita *Castracan. de Societat. Offic. quæst.14. num.13. Rota part.2. Recent.decis.543. cum aliis Ferentillius ad decis.461. Burati num.18.* 74

CAPVT

CAPVT XXI.

De Ratificatione Professionis.

1 *RAtihabitio, & Ratificatio differunt.*
2 *Ratificatio habet pro obiecto professionem nullam, vel dubiam.*
3 *Nulla est professio in multis casibus hic enumeratis.*
4 *Inualida professio talis est respectu vtriusque fori.*
5 *In iure fit mentio de Ratificatione.*
6 *Ratificatio quid sit?*
7 *Ratificatio est innouatio veteris actus cum sui valore.*
8 *Verbis non tantum, sed etiam signis ratificatur.*
9 *Ratificatio, & professio tacita differunt.*
10 *Nulliter professus tenetur ratificare, si vult remanere.*
11 *Non vero, quando vult reuerti ad Saculum.*
12 *Fuga licita est nulliter professo.*
13 *Fuga non licet in dubio nullitatis professionis.*
14 *In dubio ratificationis habenda est pro ratificata post quinquennium.*
15 *Prasumptio hominis regulatur à prasumptione iuris.*
16 *Impedimento durante ratificatio exerceri non potest.*
17 *In quatuor casibus ratificanda.*
18 *Anceps an velit remanere cogi potest ad deliberandum.*
19 *Hodie nulliter professus, cras potest ratificare.*
20 *Asserenti nullitatem sua professionis non creditur.*
21 *Creditur vero asserenti eius ratificationem.*
22 *Sicut & neganti ratificationem infra quinquennium.*
23 *Non vero post quinquennium.*
24 *Permansione diuturna non prasumitur ratificata ante quinquennium.*
25 *Neque receptione ordinum.*
26 *Neque exercitio actuum professorum.*
27 *Prasumitur vero inducta professio tacita ex illis.*
28 *Notitia nullitatis professionis necessaria est ad ratificationem.*
29 *Duplex notitia, seu cognitio absoluta, & conditionata*
30 *Rescripta ad reclamandum post quinquennium expediuntur cum clausula:* Si non ratificauit professionem.
31 *Nouitiatus non repetendus in ratificatione.*
32 *Nouitiatus factus in locis non designatis non irritatur.*
33 *Consensus conuentus in ratificatione, quando necessarius.*
34 *Non est necessarius quando nullitas est occulta.*
35 *Item & quando est publica nondum deducta ad forum.*
36 *Consensus praestitus censetur durare, si non constat de eius reuocatione.*
37 *Siue consensus fuerit licitus, siue illicitus.*
38 *Immo & irritus ac nullus.*
39 *Consensus matrimonij non potest suppleri, vtique conuentus.*
40 *Reclamans non ratificat sine nouo consensu conuentus.*
41 *Consensus, & incorporatio pari passu currunt.*
42 *Consensus tacitus prodest ratificationi.*
43 *Quando expressum facit cessare tacitum.*
44 *Ceremonia non sunt repetenda.*
45 *Ratificatur coram superiore, & testibus.*
46 *Etiam coram superiore locali.*
47 *Prasumptio legalis non admittit probationem iure ordinario.*
48 *Prasumptio ratificata professionis tollitur probatione contraria.*
49 *Ignorantiam nullitatis probando.*
50 *Querimonia facta ante quinquennium elidit hanc prasumptionem.*
51 *Sicut & duratio metus, & alterius impedimenti.*
52 *Ecclesia supplet consensum ex parte monasterij defectum legalem.*
53 *Dimissus legitime adhuc ratificat professionem nondum reuersus.*
54 *Ratificatio statim fit, cum sublatum est impedimentum.*
55 *Scientia nullitatis requiritur ex parte monasterij.*
56 *Peccatorum remissio, & Indulgentia acquiritur ratificatione.*
57 Non volo esse religiosus, *est ratificata professio.*
58 *Duo spectantur in professione votum, & contractus.*
59 *Retrotrahitur minime ratione voti.*
60 *Vtique in ratione contractus.*
61 *Homo non potest fingere, sicut lex fingit.*
62 *Praecedentia non perditur ratificatione.*
63 *Ratificatio retrotrahitur etiam in praiudicium tertij.*
64 *Possessor male fidei possidet incorporalia.*
65 *Qua acquiruntur tolerantia alias possideantur.*
66 *Quomodo peccet immiscendo se actibus professorum?*
67 *Habens rescriptum vt professione facta restituatur quando perdatur.*
68 *Gratia facta, & facienda quid sit?*
69 *Gratia facienda non facta, alicui, re integra spirat morte concedentis.*
70 *Priuilegium per non vsum neglectum perditur.*
71 *Spatio decennij.*

DE Ratificatione Professionis plura dixi in alio tractatu de Professione Regulari, c 6 *contr.* 38. vtroque in loco dicto, huc referam cum alijs quaestionibus, iuxta quod Deus meum illuminabit intellectum. Vide hic *decis.* 36. *per totam.*

Praemitto autem primo latam esse differentiam inter Ratihabitionem, & Ratificationem alicuius actus alias gesti, nam ratihabitio respicit actum ab alio factum nomine eius, qui potest illum ratum habere, alias rescindi, & cassari potest. Ratificatio vero respicit actum nulliter factum ab eodem, qui potest illum ratificare, & de nullo facere aliquid, & de inualido validum, per superuenientem consensum, remoto impedimento, quod fuit causa, ne actus exiret ab agente validus. De Ratihabitione plura dixi citata *contron.* 32. initio, illuc remitto Lectorem, hic tantum de Ratificatione verba faciam. 1

Praemitto secundo, ratificationem respectu professionis habere locum in duobus tantum casibus. Primo, quando professio est apertè nulla, & inualida; secundo in casu dubitationis de eius valore, vnde pro eius obiecto, circa quod versatur, habet illius nullitatem certam, vel dubiam. 2

Praemitto tertio, professionem in multis casibus esse nullam, qui reducuntur ad tria capita, vel enim impedimenta, quae eius inualiditatem constituunt, se tenent ex parte Nouitij; vel ex parte Conuentus; vel tandem ex parte vtriusque, Conuentus scilicet, & Nouitij.

Ex parte Nouitij impedimenta, seu defectus annullantes attentatam professionem sunt *Primo*, defectus consensus, & intentionis eius, qui fingit se profiteri, *cap.* 18. *q.* 13. *Secundo*, defectu libertatis per metum facta est nulla, *cap.* 19. *Tertio*, defectu intellectus nulla est respectu amentis, & furiosi, *cap.* 18. *q.* 28. *Quarto*, nulla est defectu aetatis ad nouitiatum, que incipit post decimumquartum annum *cap quaest.* 1. *Quinto*, nulla est defectu aetatis, ad profitendum post sexdecim annos, *cap* 7 *quaest.* 1. *&* 2. *Sexto*, defectu Nouitiatus est nulla, *cap.* 6. *q.* 1. *&* 2. *Septimo*, defectu continuationis, si enim interrumpatur est nulla, *cap.* 8. *Octauo*, nulla est, si non est 3

annus integet, & completus de momento ad momentum, *cap.6. q.5. Nono*, professio facta sub conditione voto repugnante est nulla, *cap.18. q.51. & seq. Decimo*, emissa à coniuge sine alterius consensu, *cap.18. quæst. 31. Vndecimo*, nulla est, quando expresso vno voto, reliqua excluduntur, *cap.18 q.61. Duodecimo*, Episcopi professio sine licentia Papæ est nulla, *cap.18. q 48. Decimotertio*, professio in laeioti sine licentia est nulla, *cap.18. q.65. Decimo quarto*, professio in diuerso sexu est inualida *cap.18. q.64.* Alij sunt defectus, de quibus in præcedentibus.

Ex parte Religionis alij sunt defectus professionem nullam reddentes; *Primo*, defectus legitimi ingressus, *cap.6. quæst. 9 cap. 4. quæst. 10. Secundo*, defectus loci Nouitiatus irritat professionem, *cap.5. per totum Tertio*, si Conuentus negauit consensum, vel Superior, de quo *c.16.*

Ex parte vtriusque vt si ambo finxerunt professionem, vel consenserunt professioni infra annum probationis, &c. De quibus *Castrop. tr.16. disp.2. p.5. initio.*

4 Præmitto quarto, professionem inualidam talem esse respectu vtriusque fori tam conscientiæ, quam interni, ex quocumque capite sit nulla, siue de iure naturæ, vt si desit consensus, vel liber non sit ex parte vouentis, vel inualida sit ex iure Ecclesiastico, quia cum habeat rationem contractus, claudicare non debet respectu vnius, & tenere respectu alterius, quia par vtriusque obligatio esse debet, quare si est inualida defecto Religionis, talis quoque est respectu profitentis, qui ideo ad nihil tenetur, quia professio inualida de se nullam post se relinquit obligationem. Confirmatur, quia matrimonium celebratum cum aliquo impedimento dirimente est nullum in vtroque foro, ex allegatis à *Barbosa ad capit. 1. sess. 24. à numero 125.* nam impedimenta dirimentia inhabilitant personas attentantes contrahere, ergo & professio est nulla in vtroque foro, cum huiusmodi defectus, & impedimenta personas concurrentes ad professionem in ordine ad illius valorem dicantur inhabilitatæ. Ita *Doctores citati in præcedente capite numero octauo, Nauarr. commentar. quarto, numero 77. Sà Religio numero 71. Barbosa parte tertia, allegation. 104. numero 12. Castropalaus parte tertia, tractat. 16. disputat. secunda, par.7. numero octauo*, dum probant, nulliter certo professum non valentem probare nullitatem, fugere posse sine peccato mortali, quia cum religiosus vere non sit, nullo vinculo obligatur manere in Religione. His præmissis.

QVÆRES Primo. An iure præscribatur modus ratificandi professionem nulliter emissam?

5 Respond. De ratificatione professionis fit mentio in iure, sed ibi nullus modus præscribitur eam ratificandi, vt videre est, *capite 1. de ijs, quæ vi, capite Significatum 18. capite Cum virum 10. de Regular* super quibus duobus textibus Glos. ait, professionem ratam haberi prout ex nunc, non prout ex tunc, hoc est, respectu illius temporis, quo primo nulliter facta fuit, & sic ratificatio non videtur retrahere valorem actus, ac si primo valida fuisset professio. Sed de hac re infra dicam sub *quæst.26.*

QVÆRES II. Quid sit ratificare professionem nullam, aut dubiam.

6 Respond. Est priorem professionem inualidam, vel dubiam efficere validam per nouum superuenientem consensum, remotis impedimentis, quæ illam declinabant infirmam. Ratificare autem professionem, & illam de nouo facere coincidunt, quia
7 ratificatio actus inualidi nihil aliud est, quam nouua illius actus, *leg. Asse toto, ff. de hæred. instit. leg Obuenire solet, ff. de verb. significat. decis. 395. num 10. Ludouis.* Nam de nouo facere aliquid dicit relationem ad id, quod antea factum fuit, vt aliquid ad nihil de nihilo factum aliquid. Et si dubium erat illius esse ratificatione cesset dubitatio transiens in certitudinem. De hac re dixi *resolut.8. num.42. & contr.32. num.14.*

QVÆRES III. An ad ratificandam professionem necessaria sint verba, an vero sufficiant nutus, & factum aliquod cum animo sanandi professionem?

Respond. Omnibus illis modis ratificari potest, 8
nam consensus non solum verbis, sed etiam nutibus, & factis præstari potest, vt patet in matrimonio, *cap. fin. de conuers. coniug. Sanch. lib.1. disput.31.* ergo & in ratificatione professionis. *Confirmatur*, quia professio non solum verbis, sed etiam nutibus, & signis externis fieri potest, *Sanch. lib.5. cap.3. n.1.* ergo & ratificatio, cum & ipsa sit professio datus esse nulli professioni. Ita est *glos. 11. Ratam cap. Significatum*, dicente sufficere tacitum consensum. Vnde quando nullitas est occulta, sola voluntate interna professus potest eam habere ratam coram Deo, ex *Nauar. comment.4 de Regular. num.71. Caietan. 2. 2. q.189. art.5. q. quos citaui controu. 31. num. 12.*

QVÆRES IV. An ratificatio professionis sit idem, quod tacita professio?

Respond. Negatiuè, quæst. 3. controuer. 31. 9
Primo, quia tacita aliam non supponit, sicut ratificatio aliam præcedentem nullam, ad quam dicit relationem. *Secundo*, ratificatio fit verbis, tacita facto inducitur. *Tertio*, Tacita est actus absolutus ratificatio vero relatiuus ad præcedentem professionem nullam, vel dubiam. *Quarto*, vtraque professio tam expresse, quam tacita est capax ratificationis, ergo ratificatio non potest dici tacita professio, ne detur ratificatio ratificationi, *Quinto*, professio tacite supponit nouitiatum validum, *Nauarr. consil. 19. num.2. & 3.* ad eius enim valorem requiruntur conditiones necessariæ ad professionem expressam, *cap. 18. quæst. 74.* ratificatur vero sine alio nouitiatu licet alias inualido, cum inualiditas solius professionis sit obiectum ratificationis.

QVÆRES V. An nulliter professus teneatur professionem ratificare.

Respond. Certus de nullitate suæ professionis si 10
vult remanere debet quamprimum illam ratificare; si vero vult reuerti ad sæculum debet quamprimum reclamare.

Prima pars de ea ratificanda cito ab eo, qui vult remanere, probatur. *Tum quia*, perseuerando in religione sine ratificatione videtur vere professos decipere, cum pro professo se gerat, qui adhuc est nouitius, & creditur professus. *Tum quia*, debet se conformare cum aliis, qui vera professione renuntiarunt iuri suo redeundi ad sæculum. *Tum quia*, coniuges, qui volunt permanere in matrimonio alias nullo illud ratificare debent, ergo & nulliter professus. *Tum quia*, vita communis eandem postulet obligationem vere professione inductam, ergo ratificatione debet professionem ille, qui intendit communem vitam cum aliis seruare. *Tum quia*, dum non est vere professus concurrendo cum aliis vere professis in actibus religionis, sibi vsurpet munus, quod præstare non debet, dum solis vere professis illud competit. Ad hæc ergo euitanda debet profiteri denuo, vt licite cum cæteris interesse possit actibus professorum. *Ita Angles parte 2. de voto artic.1. diff. 4. Rodriquez part. 2. summa capit. 92. concl.5. numero 3. Bonac. de Claus. quæst. 2. parte 10. diff 1. num e. ex eo Lezana parte 1. capite e. numero 7. & parte 4. verb., Professio num.24. vbi alios citat.* Quorum aliqui tenent, cogi posse ad ratificandum, quando eam differt cum ea voluntate remanendi, quia tolerandus non est cum ea disparitate obligationis, inconueniens enim est non professum æquiparari professis. Nec huiusmodi coactio inficit ratificationem, cum sit iusta

à

à superiore proueniens, qui absolute non cogit ad ad reprofitendum, sed ea suppositione, quod velit remanere in religione, per hoc enim offertur ei electio aut ratificandi, aut reclamandi.

11 Secunda pars, quod non teneatur ratificare professionem, quando vult reclamare, constat, quia prior professio vtquæ fuit nulla ad nihil eum obligauit, vt probaui præced. capit. initio, ergo cum possit reccurre adhuc liber potest reclamare ad formam Concilij, quod præstare volens, non tenetur obiicere sibi impedimentum ratificatione professionis. Ita omnes præcitati cum *Sanchez lib. 7. disp. 37. n. 38. Portellus* 11. *Professio num.* 41. *&* 44. *Bonac. de clauf. quæst.* 1. *p.* 10. *diff.* 1. *Compend. resol.* 101. *num.* 75. *Castropal. par.* 3. *tract.* 16. *disp.* 2. *part.* 7. *num.* 9 *Vecchius disp.* 14 *dub.* 2. *n.* 3 *Lezana* 11. *Professio num.* 24. *Ego extra c.* 6 *q.* 3. *&* 4.

QVÆRES VI. Quando per reclamationem non potest se liberare à religione, eo quod nullitatem suæ professionis probare non potest, nunquid tunc tuta conscientia fugere poterit excutiendo iugum religionis?

12 Respond. In eo casu licitum est illi fugere, non obstante etiam sententia contra eum lata, ne discedat etiam sub pœna excommunicationis, & superior conuentus potest illi copiam, & commoditatem dare fugiendi, si illi nota sit inualiditas professionis, præciso in his semper scandalo, cum quo nihil faciendum.

Prima pars de fuga licita probatur, quia adhuc est sui iuris, & liber est, ac si non intrasset, cum reuera non obligetur in foro conscientiæ manere in ordine. Ita omnes cum *Miranda tom.* 1. *quæst.* 36 *art. fin. Portell.* 11. *Professio num.* 43. *Nauar. comment.* 4. *num.* 71. *§. Aduertendum* 4. *& num.* 77. *§ Super, & consil* 89. *de Regul. Sanchez lib.* 7 *disp.* 37. *q* 5. *Vecch. disput.* 14. *dub* 2. *n.* 3 *Compend. resol.* 101 *num.* 75. *Castrop. par.* 3. *disp.* 2. *p.* 7. *num* 10.

Secunda pars, quod lata excommunicatio ex sententia non faciat illicitam fugam, probatur, quia cum sit fundata in præsumptione, cui veritas est in contrarium, pro foro conscientiæ non tenet, in sententia omnium, cum quibus in terminis nostris, *Sanchez lib.* 2 *disp.* 39. *n.* 11. *Lezana* 14. *Professio n.* 23. *fine Vecchius disput.* 14. *dub.* 2. *num.* 4. *Ego contr. on.* 32. *à num.* 24.

Tertia pars, quod superior possit cooperari eius fugæ, probatur, quia consulens, vel cooperans alteri rem licitam non peccat, cum non faciat rem peccaminosam. *Sanchez lib.* 7. *disput.* 37. *num.* 13. *cum alijs Suarez lib* 7. *cap.* 2 *num.* 6.

Quarta pars, quod prædicta fuga liceat præciso scandalo, est prædictorum Doctorum. *Castropal. p.* 3. *tractat.* 16. *cit. num* 10. Loquendo de fuga, ait raro, vel nunquam ea tali fuga oriri scandalum sub obligatione vitandum, *Tum quia*, alij inde raro sumunt occasionem fugiendi absque legitima causa. *Tum quia*, fugiens vtitur iure suo, à quo abstinere non tenetur ne alij scandalizentur. Intellige, nisi sententiatus fuerit valere eius professionem, pro qua tunc præsumendum est in foro externo, & scandalum vitandum.

Dicta hactenus sub hac quæstione respectu cuiuslibet nullitatis, licet præcitati Doctores loquantur in certis casibus nullitatis professionis, ratio est, quia licet impedimenta, & defectus causantia inualiditatem eius sint varia, & diuersa, eorum tamen vnicus est effectus scilicet nullitatis professionis, super quam cadunt omnia supradicta in ratione nullitatis, cum hæc sola sit obiectum ratificationis professionis, vel fugæ eius, qui reuera non est professus.

QVÆRES VII. An dubius de valore suæ professionis debeat illam ratificare, an possit fugere, vel etiam manere sine ratificatione?

Respond. Fugere non potest, quia fuga licita est solum patenter professo nulliter ex prædictis. Tenetur autem ratificare. *Tum quia*, in dubiis tutior pars est sequenda. *Tum quia*, status professorum debet esse certus, & stabilis, ergo illum per ratificationem stabilire debet. *Tum quia*, tenetur quisque procurare, vt propria professio valeat remouendo per ratificationem dubium, vt *docui Resol.* 57. *q.* 28. *Ita Vecchius disput.* 14. *dub.* 2. *ex Nauarr. consil.* 13. *de Regul. num* 10. *Ego extra c* 6 *q* 3 *contr.* 32. *q.* 8. *n.* 10. 13

QVÆRES VIII. An dubitans, vtrum ratificauerit professionem aliàs inualidam, teneatur credere, se illam ratificasse?

Respond. Si dubitatio occurrit ante quinquennium non tenetur credere illius ratificationem, secus vero si accidit dubitatio post quinquennium. Probatur id, quia homo debet præsumere in dubiis eo modo, quo ius præsumit, tunc enim præsumptio censetur legitima; sed ius præsumit professionis ratificationem post quinquennium, non vero ante, & Tridentino sess. 25. cap. 19. ergo homo eodem modo præsumere debet, quia quis habere debet talem præsumptionem, qualem ius habet *Nauarr. consil.* 15. *de conuers. coniug. num* 1. Ita Merolla *tom.* 1. *disput.* 3. *cap.* 3. *num* 28. *Sanctar. par.* 1 *Var. quæst* 48. *num.* 46. *ex illis Diana par.* 4. *tract* 3. *resolut.* 49. *Ego Contron.* 31. *quæst.* 9. 14 15

QVÆRES IX. In quibus casibus professio sit ratificanda, vel non ratificanda?

Respond. Primo, quandocumque durat impedimentum non potest ratificari, nisi prius illo remoto, vnde professus infra decimum sextum annum non potest illam ratificare nisi post expletionem decimi sexti. Quod si impedimentum est perpetuum nunquam potest ratificari, eo obstante. Cessante vero impedimento potest ratificari per nouum consensum superuenientem. Ita omnes præcitati. *Decis* 36. *hic à num.* 3. 16

Respond. Secundo, in quatuor casibus esse ratificandam. *Primò*, quando habuit votum ingrediendi religionem, non enim per professionem inualidam satisfecit suæ obligationi, ideo debet reprofiteri. *Secundo*, quando intendit remanere in religione, vt probatum fuit sub quæst. 5. *Tertia*, quando non potest probare eius nullitatem, nec fugere, nisi cum scandalo, aut graui detrimento alterius, ex probatis q. 6. *Quarta*, quando professionis nullitas est dubia, ex dictis quæst. 7. 17

QVÆRES X. An anceps velit remanere, vel recedere, teneatur quamprimum se deliberare, quid agere velit? si moratur cogi possit ad deliberandum, & exequendum?

Respond. Ad vtrumque affirmatiuè. Primum probatur. *Tum quia*, mora sua cuique est nociua, *Reg.* 25. *in* 6. *Tum quia*, status iste anceps, & dubius est valde periculosus, sed vbi periculum est, mora vitari debet *cap.* 3. *dist* 5 *cap* 13. *dist.* 28. maxime vbi agitur de periculo animæ, glos. 11. Mora prioris cap.... *Tum quia*, modo videtur simulare permanentiam, modo exitum, quod alios religiosos valde perturbat, ideo oportet deliberare, & opportunum remedium procurare. *Secundum* probatur, quia si ipse habet obligationem deliberandi, vt patet, ergo cogi potest à superiore ad executionem suæ obligationis. Deinde si vult remanere iam obedire debet. Confirmatur id ex dictis sub q. 5. Ita ego *contron.* 12 *q.* 12. *&* 13. 18

QVÆRES XI. An qui hodie nulliter profecit cras possit ratificare suam professionem eam reddendo validam?

Respond. Affirmatiuè, si cessauit impedimentum, vt e. g. si hodie est in anno 16. suæ ætatis, & cras illum explebit: si hodie moritur incutiens metum grauem cras ratificatur: si hodie perfecit 19

nouitiatum in loco non designato, & eras ratificat professionem ante nulliter emissam defectu loci designati, est enim impedimentum cessans finito probationis anno ea probatis *cap.* 10. *quæst.* 9. Ratio est, quia sublato impedimento, fieri potest, quod antea fieri prohibebatur, *gl.* 11. *Transire cap. Antiqui* 33. *q.* 2. Ita docui *contr.* 32 *q.* 15.

QVÆRES XII. An credendum sit asserenti suam professionem esse nullam, vel se professionem ratificasse? Item neganti se eandem ratificasse?

20 Respond. Asserenti se nulliter professum non creditur, sed nullitatem probare tenetur. Asserenti vero, se eam ratificasse creditur. Neganti vero ratificationem non creditur post quinquennium, sed ante illud tantum.

Prima pars, quod asserenti nullitatem suæ professionis non sit credendum, sed illam probare tenetur ad effectum exeundi, patet ex illo communi axiomate, quod affirmanti incumbit probatio. Ita ex Rota *part.* 2. *diuers. decis* 216. *Vecch. disput.* 14. *dub.* 8. *num.* 2. *Anglus par.* 2. *de Voto Gl. Vn. art.* 1. *diffic.* 4. *Sanchez lib.* 2. *disp.* 37. *num.* 14. Constat enim de professione emissa, vnde contra eam est præsumptio fauore religionis, quæ neque iuramento tolli potest *ex cap Vidua, Sanchez cit. Caiet* 2. 2. *q* 88. *art.* 1. *prope finem*, *Anglus cit. Nauar. cap.* 11. *numero* 27. *Ego contr.* 32. *q* 23.

21 Secunda pars, quod credendum sit asserenti se illam ratificasse, probatur, quia cuique fauore animæ creditur etiam sine iuramento, quia nemo præsumitur immemor propriæ conscientiæ, *cap. Sanctimus* 25. 1. *quæst.* 7. Procedit tam ante, quam post quinquennium. Confirmatur, quia per iuramentum ipsius professi probatur emissa professio, secundum Abbatem in cap. Cum causa, de Raptor. in fin. *ex Mascardo concl.* 1244. *n.* 28. à fortiori probatur eius ratificatio, quæ supponit factum professionis.

22 Tertia pars, quod sit credendum neganti ratificationem ante quinquennium, probatur, quia Tridentinum concedit audientiam reclamanti ante lapsum quinquennij, ergo signum est, quod neganti ratificationem credendum est. Et ita probat *Scrofa dub.* 2. *de Inualid profess. num.* 5 contra *Sanchez lib.* 2. *disput.* 37. *num.* 14. Quia contra ipsum stat præsumptio iuris de iure. Sed id intelligitur post quinquennium, vt mox dicam.

23 Quarta pars, quod non sit credendum neganti ratificationem factam post quinquennium probatur, quia Tridentinum ideo negat reclamationem, quia præsumit nulliter professum eam ratificare. Ita *Sanchez lib.* 1. *disp.* 47. *n.* 16. *Ego controu.* 32. *q.* 23. *n* 46.

QVÆRES XIII. An præsumatur, & intelligatur ratificata professio per mansionem diuturnam in religione? Item receptione ordinum? Item exercitio actuum professorum propriorum?

24 Respond. Negatiuè, intra quinquennium, quia illi actus ex se ipsis non includunt valorem professionis, vnde ex exercere dicitur more aliorum professorum, quia se reputat professum, aut quia non vult manifestare suum defectum, abstinendo se ab illis. Confirmatur, quia quo ad primum, non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit, *Reg* 18. *in* 6. Obligatio enim sicut non tollitur à tempore, ita neque ab eodem ponitur, *l Obligationum* 43. §. *Placet. ff. de act & obligat.* Ita *Nauar consil.* 23. *num* 2. *consil* 89. *num* 4. *de Regular. Peyrin. quæst.* 3. *de Prælato cap.* 1. *num.* 143. *Lezana* t1. *Professio n.* 24. *Pasqual. q* 35 & 36.

25 De receptione ordinum constat, quia etiam Nouitij recipiunt ordines, & licet professi ordinentur in sacris ad titulum Paupertatis, nihilominus id non arguit ratificationem professionis, quis potest ignorare eius nullitatem, cum cuius ignorantia non contingit ratificatio, vt mox probabo sub quæst. 14. Et si sciat nullitatem, tantum abest, vt habeat intentionem ratificandi professionem, quin potius contrarium habet animum, recipiendo scilicet subdiaconatum, vt reclamatione dimissus possit deinde sine patrimonio promoueri ad reliquos ordines. Ita *Nauar. comment.* 4. *de Regular. num.* 71. *consil.* 19. *de Regular. num.* 3. *consil.* 24. *num.* 3. *Ego controu.* 32. *quæst.* 24. *num.* 47.

De aliis actibus propriis professorum constat ex 26
eo, quia fiunt à professis non vt profiteantur, sed vt se conforment cum cæteris professis, esto alias sint inualide professi, illi enim actus arguunt præcedentem professionem, non futuram vt aliorum affectus, cum iam precesseris, alia enim præsumptio desumi non potest ex illis actibus, nisi præteritæ professionis, non vero faciendæ, & cum eam fecerit, vtcumque, non potest præsumi sic agentem velle proficere, vel ratificare professionem. Ita *Nauarr. consil.* 24. *de Regular. num.* 4. *consil.* 28. *eod. n.* 6. *consil.* 89. *eod. num.* 4. *Sanchez lib.* 2. *disput.* 37. *num.* 10. *ex eodem Nauar.* Obseruans, non censeri ratificatam professionem alias expresse factam sed nulliter, per exercitium actuum professorum, quia illi actus præsumontur facti vt à professo, & non ad profiten- 27
dum, cum constet facta iam professio. Censeri vero tacite profitari ille, qui antea non profecerat nec tacite, nec expresse, dum exercet actus professorum, non enim præsumi potest eos facere vt professus, cum nondum aliquo modo profecerit, sed agere vt profiteatur. Idem docui *controu.* 32. *q.* 33.

Dixi infra quinquennium non præsumi ratificationem professionis alias expresse nulliter emissæ, non solum propter rationes adductas, sed etiam propter Tridentinum, qui præsumptionem ratificationis admittit solum post quinquennium in eo, qui manet in religione non reclamando ante illud tempus, iuxta quod dixi supra sub q. 12.

QVÆRES XIV. An ad ratificandam professionem nullam, necessarium sit, quod ratificaturus habeat notitiam inualiditatis suæ professionis.

Respond. Affirmatiuè, aliter ignorans eam nun- 28
quam dicitur eam ratificasse per quemcumque actum non habens intentionem ratificandi. Probatur. Tum quia voluntas non fertur nisi in præcognitum, ergo si vult ratificare professionem debet habere cognitionem nullitatis illius. *Tum quia* sine nouo consensu non potest ratificari; sed ignorans non consentit, *l. Si per errorem* 15. *ff. de iur. omn. iud. l. Nihil* 116. *ff. de regul. iur. Specul. de noui operis nunt.* §. 1. *Versu penult.* Vbi ait, quod ignorans non negligit, non delinquit, non ratificat, eius voluntas nulla est, *apud Rubeum tom.* 1. *ad Decis.* 5. *num.* 10 *qui ad Decis.* 283. *num.* 3. ait, quod ignorans non dicitur approbare actum, quem ignorat; scit enim actum, quem fecit esse talem, ignorat vero per eum resultare posse alium actum, nempe ratificationis inualidæ professionis, maxime cum ex natura rei non habeat connexionem cum illo. *Tum quia* licet actus factus de se sit voluntarius, quia agens aduertit se illum facere, non est tamen voluntarius in ordine ad ratificationem professionis, cuius nullitatem non agnouit, vt eam sanare possit per illum actum, nam illud dicitur voluntarium, secundum Aristotelem, & veritatem, quod est in agente cognoscente singula, in quibus est actio, cum ergo non cognoscat nullitatem professionis, non potest eam sanare per illum, & consensum voluntarium, qui non est talis respectu ignorantiæ inualiditatis professionis. *Tum quia*, absurdum est dicere, quod ignorans nullitatem suæ professionis potest reclamare, ergo & dicere, quod possit ratificare eandem, consequentia constat ex eo, quod vtrinsque per obiectum scilicet ipsa professionis nullitas. Ita omnes cum *Caietano*.

2. *quæst.*

2. *quæst.* 189. *articul.* 5. *Nauarrus consil.* 5. *de ijs, quæ vi. Consil.* 17. *consil.* 16. *consil.* 27. *consil.* 89. *de Regul. Rodriquez part.* 2. *summa capit.* 8. *num.* 5. *Sanchez lib.* 7. *disputat.* 37. *num.* 59. *Bonac. quæst* 2. *de Clausf. par.* 10. *diffic.* 1. *num* 3. *Castropalaus par.* 3. *tractat.* 16. *disp.* 2. *p.* 5. *num.* 5. *Raggius dub.* 19. *num.* 2. *Ego capit.* 6. *extra quæst.* 9. *& Controu.* 32. *quæst. num* 19. *Diana par.* 6 *tract.* 7. *resol* 56. *Vecch. disput.* 14. *dub.* 3 *num.* 2. *Tamb. tom* 3. *disput.* 6. *quæst.* 17. *num.* 5. *Pasqual q.* 35. *num.* 6. *Peyrin. de Prælato quæst.* 3. *cap.* 1. *num.* 144. & cæteri omnes, *cum Rota apud Rubeum tom* 8. *decis.* 40. *num.* 13. *Ciriacus controu.* 371. *num.* 23. Et in decis. 45. num. 25. in calce huius operis extensa, & in alia ibidem sub num. 49.

Non requiri scientiam, & notitiam nullitatis professionis asserit. Rota extensa apud *Dianam p.* 6. *decis.* 14. §. *Nec dicatur*, cum sine illa ratificatio sit valida, quia eam opinionem vt minus tutam amplectitur minime Sacr. Congreg. sed potius contrarium pluries tenuit, vt refertur in alia *eiusdem decis.* 3. *apud Tambur. de iure Abbatiss.* Vbi probatur, quod non est necessaria cognitio nullitatis professionis, vt dicatur valida ratificatio, *Primo* auctoritate textus *in cap.* 1. *de Regul. in* 6. In quo non obstante nullitate professionis præcedentis disponitur induci tacitam professionem absque eo, quod requirat aliquam scientiam dictæ nullitatis. *Secundo*, confirmatur sumpto argumento à matrimonio carnali, in quo ignorantia impedimenti illud dirimentis non validat ipsum matrimonium, si sequatur actus, ex quo inducatur præsumptio matrimonij, *Sanchez lib.* 2. *disputat.* 36. *num.* 2 § *Quinto.* & num. 9. *Tertio* facit, quia tacita professio, & perseuerantia in religione cum habitu professorum, & executio actuum inducentium eam præsumptionem iuris, & de iure non potest elidi ex sola præsumptione præsumptæ ignorantiæ ex doctoribus allegatis in clem. 1. de regular. alias aperiretur via elidendi professionem tacitam, cum religio non posset, vel nollet probare ignorantiam. *Quarto*, Tridentinum prohibet agere de inualiditate professionis post quinquennium, etiam in illo, qui tunc temporis habebat ignorantiam nullitatis suæ professionis, & Docturibus ibidem citatis.

Ad primum respondetur in eo textu illud non dicitur, sed potius oppositum ibi: *Quoniam cum iam hic ad discretionis annos peruenerit, quid agat agnoscit. & ideò susceptum discretionis tempore ordinem, postquam hunc anni probauerit spatio, intelligitur firmiter approbasse.* Vnde Barbosa ibidem num. 6. de communi Doctorum dicit, quod actus, per quos inducitur tacita professio, non solum sponte fieri debent, sed etiam scienter, itaut sciat illis vtens esse proprios professorum, & per eorum exercitium induci professionem. Et hæc scientia sicut necessaria est in tacita professione, ita & in ratificatione facta per huiusmodi actus, cum non videatur differre ab ipsa tacita, quæ postulat scientiam ex hoc textu, vt palam est ex allatis verbis.

Ad secundum respondeo cum ipso Sanchez, ad hoc vt matrimonium conualescat, necessarium esse, vt notitiam coniux habeat impedimenti, & nullitatis matrimonij, quam vocat opinionem multo probabiliorem.

Ad tertium respondetur, quod cum non induci possit professio tacita, nisi Nouitius sciat se per delationem habitus proprij professorum, seu exercitium actuum eorundem incurrere professionem, ex communi omnium, vt docui *cap.* 18. *q.* 74. *num.* 108. Multo minus dici potest ratificata ab eo, qui nullitatem ignorat professionis expressæ, vel tacitæ nulliter emissæ, eo quod nunquam intendit eam ratificare, quam semel fecit existimatam validam, tam ex eius lectione & verbo, quam eius facto, maxime cum factum non habeat necessariam connexionem cum ratificatione, illud enim exercitium alium finem habet diuersum ab actu ratificationis, qui pendet ab actu voluntatis eius, qui intendit ratificare professionem, quam nulliter fecit. Ita supracitati *cum Castropalao par.* 3. *tractat.* 15. *disput.* 2. *par.* 5. *num* 5.

Ad quartum respondetur, negari audientiam ordinariam non præcisè quia præsumitur ratificata etiam ex ignorantia nullitatis, sed quia Pontifex volens in posterum viam præcludere litibus, potestatem aufert iudicibus ordinariis. Non desunt præterea Doctores asserentes illod quinquennium incipere à die scientiæ, vt dicam c. seq.

Notandum autem est, quod scientia nullitatis 29
professionis in ordine ratificationis, dupliciter spectari potest, absolute, & simpliciter, qua Nouitius certo cognouit nullitatem professionis, & conditionate, cum eam ignorando sitne valida, necne, tamen intendit expresse per talem actum ratam habere, si antea erat inualida, prout notaui *Controu.* 32. *q.* 7. *n.* 16. Sufficit ergo ad ratificandam professionem nullam scientia conditionata, ita Lessius *Sanchez & Vecchius, quos pro se citat Raggius dub.* 19. *n.* 2.

Remigius Scrofa in suo libello de nullitate professionis dub. 5. ait, ad ratificandam professionem non requiri scientiam eius nullitatis pro foro externo, vtique vero pro foro conscientiæ. Probat, quia expleto quinquennio non auditur asserens se ignorasse nullitatem suæ professionis, ergo siue habuerit scientiam nullitatis siue non, professio eo quinquennio transacto intelligitur ratificata pro foro externo. Antecedens est Tridentini. Consequentia probatur, quia si credendum esset cuique asserenti ignorasse nullitatem suæ professionis, ac proinde eam non ratificasse, omnes essent audiendi post quinquennium, sicut audiuntur ante illud tempus.

Contra est, quia non est hic distinguendum inter vtrumque forum, quia aliud est agere de ratificatione, aliud de notitia requisita ad hoc vt ratificatio sortiatur suum effectum tollendi nullitatem professionis, nam primum præsumitur, nimirum, quod nulliter professus tacendo infra quinquennium post illud ratificauerit professionem, quod locum habet respectu fori externi, quod præsumit ratificationem, cum per illud longum tempus non contradixerit, sed potius ex ea taciturnitate censeatur ratificasse professionem. In foro autem conscientiæ potest esse, quod eam non ratificauerit, siue sciuerit eius nullitatem, siue ignorauerit. *Secundum* vero, quod habuerit scientiam, siue ignorantiam nullitatis professionis non spectat ad præsumptionem, sed ad veritatem rei, dum omnes fere Doctores asserunt non dari ratificationem sine cognitione nullitatis professionis, adeo quod si hæc cognitio necessaria est pro foro conscientiæ, requiratur quoque pro foro externo, quia hic non agitur de præsumptione, sed de requisito vt ratificatio sortiatur suum effectum.

Quare ad argumentum respondetur Tridentinum denegare audientiam nulliter professis post quinquennium non solum, quia præsumit ex ea longa taciturnitate ratificasse professionem, nihil dicendo de scientia, vel ignorantia nullitatis, sed etiam propter alias ibi adductas; quamquam si alleget ignorantiam non posse nocere, sed potius prodesse cupienti reclamare, iuxta opinionem supra sub numero 28. Vnde rescripta ad acclamandum post 30
quinquennium expediuntur cum ea clausula: *Dummodo professionem huiusmodi tacite, vel expresse non ratificauerit.* Et hæc præsumptio solet iuramento reclamantis purgari. Concilium ergo præsumit ratificationem, & ideo negat audientiam iure ordinario, nihil vero dicit de scientia,

sen ignorantia nullitatis professionis, ideo hæc non potest cadere sub præsumptione, de qua hic, quæ limitatur ad ratificationem, præscindendo à scientia, & ignorantia nullitus professionis.

QVÆRES XV. An ratificaturus professionem debeat denuo peragere Nouitiatum?

31 Respond. Non esse repetendum ex communi sententia omnium fere Doctorum, vt illis citatis docui *cap.10. quæst.14. à num.17. & controu.32. à num. 37.* illuc remitto lectorem. Vbi respondi obiectionibus aduersariorum, qui adhuc opponunt decretum irritans Clement. VIII. Circa nouitiatum peractum in conuentu non designato, quod est tale: *Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi decretum admissi fuerint nullas, & irritas esse ad*
32 *quemcunque effectum ex nunc decernit, & declarat.* Ergo videtur repetendus nouitiatus ante ratificationem saltem in hoc casu speciali, à receptione enim ad habitum incipit nouitiatus. Et confirmatur, quia Vrbanus VIII. ratificantibus professiones ex hoc capite nullam condonauit repetitionem nouitiatus.

Respondetur, hic non irritari nouitiatum, qui consistit in experientia mutua Nouitij, & Monasterij, quæ vere facta fuit, cum Nouitius expertus sit modum viuendi regularem, & Monasterium mores illius non obstante defectu designationis, sed annullationem cadere præcisè super receptiones ad habitum, & ad professionem; dubitandum ergo non est de vera probatione, ideo non repetenda. Et licet Vrbanus VIII. condonauerit repetitionem nouitiatus, non inde colligitur esse alias necessariò repetendum ex defectu loci designati, sed id expressisse, vt tolleret difficultatem eorum, qui tenent esse repetendum.

QVÆRES XVI. An ex parte conuentus renouandus sit consensus, vt ratificatio valide fieri possit?

33 Respond. In ratificatione professionis non est necessarius nouus monasterij consensus, quando antiquus non fuit reuocatus, & quidem *primo*, quando nullitas professionis est occulta soli professo nota; *secundo*, etiam quando est publica nondum deducta ad forum contentiosum per actum reclamationis; *tertio*, posita reclamatione, si professus pœniteat, & velit remanere ad hoc vt sit vtilis ratificatio, & valida requiritur nouus monasterij consensus, quem dare superior, nec monasterium tenetur. *Quarto* demum consensus præsumitur obtentus per taciturnitatem monasterij, si à superiore receptus ad professionem contradicente conuentu, remaneat ad minus per quinquennium sine contradictione.

34 Prima pars respectu nullitatis occultæ suadetur. *Tum quia*, defectus est occultus, ergo secreto tollendus, quod fieri non posset, si esset necessarius nouus monasterij consensus. *Tum quia*, ratificatio in tali casu respicit potius bonum animæ, quam monasterij, ergo sufficit eam dirigere ad Deum. *Tum quia*, suam turpitudinem detegere non tenetur. Tum quia prior, & antiquus consensus, cum non appareat de eius reuocatione, censetur perseuerare. *Confirmatur*, quia in iure *Cap. L. de ijs. quæ vi, cap. Significatum 11. cap. Cum virum 12. de Regul.* fit mentio de ratificatione professionis, & tamen non præscribitur renouatio consensus, ergo non est necessarius, sed sufficit antiquus, quod magis confirmatur ex dicendis in sequentibus. *Ita Rodriquez tom.1. summa capit 9 a concl 5. num.5. Pasqual. quæst.22. n.1. Ego Decis. 137. 138. & 139 & controu. 32. num. 18. & cap. 6. de Profess. in Mediolan. edit. q.11. Sanchez lib.7. disp. 37. num.60. Lezana 11. Professio num.20.* & alij omnes.

35 Secunda pars, quod non sit renouandus consensus, licet nullitas sit publica ante reclamationem, probatur, *Tum quia*, de hac renouatione nulla fit mentio in iure, vt supra dixi. *Tum quia*, præsumitur durare prior consensus, dum non constat de eius reuocatione, nec sic professus expellitur, *glos. 11. Perdurare cap. 3. de Baptismo*, etiam ex longo temporis in- 36
teruallo, *Aretin. in l. Titia, §. Idem respondi, ff. de verb. obligat. Paponius Cons. 3. num. 16.* Maxime, quando nulla apparet causa mutationis, *Gratian. decis. Marck. 41. num.23.* Tum quia si ponamus necessitatem noui consensus monasterij non bene consulitur animæ volentis ratificare suam professionem, quia accidere potest, quod conuentus neget illi consensum, & sic eius statum ponere in discrimen, vnde sequitur aliud absurdum, illum expelli posse sine alio iudicio contra Tridentinum sess. 25. cap. 16. *Quos habiles inuenerint ad profitendum admittant aut è monasterio eyciant*, Intellige inhabiles, sine enim iudicio recto neutrum fieri potest. *Tum quia*, esto professio sit nulla, & nouitij consensus propterea non subsistat, nullitas tamen non prouenit ex parte monasterij, cum de voluntate professorum non pendeant defectus, & impedimenta, propter quæ professio redditur inualida, vnde quantum est ex parte eorum intendunt nouitium acceptare, & incorporare monasterio, & religioni, & licet professio adhuc remaneat nulla nihil tunc proficiente consensu monasterij, tamen sublato impedimento, & nullitet professo proprium renouante consensum, antiquus monasterij consensus suum sortitur effectum. *Ita Graff. part. prima Decis. lib. 3. cap. quinto num. 28. Sanchez lib.7. disput.37. num 60. & 61. Rodriquez tom.3. quæst.17. artic.3. § Aut nullitas. Villalobos tractat. 35. diffic. 24 num. 5. cum sequ. Bonacina de Claus. quæst. 2. part. 10. diffic. 1. num.4. Vecch. disputat. 14. dub.4. num 3 Ego extra hic de profess. capit.6. quæst. 11. & controu. 32. num. 35. Resol 8. num. 74. Tambur. tom tertio, disputat. sexta quæstion 17. num 6. Lezana 11. Professio num. 20. plures alios contra se citat Pasqualig. quæst. 22. initio Castropalaus disput. 2. part. 5. numero 4. ex Sanchez & Lessio. Fuerunt dicta in Decis. xxxv. in calce huius operis extensa, numero 14.*

Procedunt primo, licet consensus monasterij fue- 37
rit illicitus, *Tum quia*, illicitus consensus adhuc est consensus, sicut licentia illicita adhuc vocatur licentia, *glos. 11. licentiam cap. 51. quæst. 28. 27. q. 1.* quæ licet non liberet à peccato, liberat tamen à pœna, *glos. licentiam cap. 3. dist. 45.* ac proinde liberat monasterium à renouatione consensus. *Tum quia*, qualitas illicitatis restringitur ad offensam conscientiæ, & non impedit effectum consensus in se spectari, qui prout subsistit producere habet tempore debito suum effectum in vtilitatem professi quandocunque iste fructuosè ratificat suam professionem. *Tum quia*, talis consensus cum non habeat essentialem connexionem cum ea qualitate, censetur in suo esse perdurare, sublata per pœnitentiam qualitate illa peccaminosa. *Confirmatur*, quia ex sola probatione consensus euadit illicitus, ex hoc tamen non redditur irritus, & inualidus, quando prohibitio caret decreto irritante, vt in terminis nostris in *capit. Ad Apostolicam 16.* Dicitur, quod professio valebat facta infra annum probationis, quando ambæ partes renuntiabant anno probationis, ex ratione, quod multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent. Quare licet monasterium prohibeatur in certis casibus præstare consensum in receptione Nouitiorum ad professionem, adhuc tamen receptio, & consensus præstitus licet illicitus, tenet, licet secuta inde professio sit inualida, vnde ille consensus censetur perdurare, & sortiri suum effectum in ratificatione professionis legitime facta. Hoc tenere debent omnes supracitati, quia dum Nouitius habet impedimentum, vt non possit valide

profiteri,

profiteri, & tameo per monasterium præstatur con-consensus, nulli dubium est, hunc esse illicitum formaliter, quando à conuenta scitur impedimentum, vel materialiter, si iguotatur ab eo defectus propter quem attentatur professio futura inualida.

38 Procedont secundo, licet antiquus consensus fuerit non solum illicitus, sed etiam irritus, Probatur. *Tum quia*, in consenso irrito non defuit bona voluntas acceptantium, quantum fuit ex eorum parta, qui consensus licet respectu professionia attentatæ, & prout ex tunc nihil profuerit Nouitio, eo quod aliunde professio fuerit irrita, respectu tamen ratificationis potest sortiri suum effectum, quia talis voluntas adhuc permanens io substantia facti incipit habere suam efficaciam quando sunt semota impedimenta, ergo ea sufficit, & noua non est necessaria. Et ad hoc facit illud axioma: *Si illud, quod ago non valet prout ago, valeat prout valere potest.* Ita in proposito, si consensus non valet respectu professionis, eo quod viget aliquod impedimentum, valeat respectu ratificationis, quia iam sublatum est impedimentum, quo primo consensus monasterij non potuit producere suum effectum. *Tum quia*, consensus antiquus consistit in approbatione Nouitij quoad mores, & idoneitatem personæ ad profitendum, non vero respicit impedimenta, quæ non pertinent ad mores, & idoneitatem personæ, vnde consensus suo valore non caret in hoc sensu fauore ratificationis, licet nullius virtutis fuerit respectu attentatæ professionis, obstantibus tunc impedimentis. *Tum quia*, aliqoid valere potest pro vna parte & non pro alia, *Glos. 1 t. tenuit, cap. Placet. de Conuers. Coniugat.* vnde si non tenet consensus pro professione, valebit pro ratificatione, quia tempora huius supponuntur omnia impedimenta sublata. *Tum quia*, huiusmodi noua acceptatio, & consensus est multum incommoda, & valde periculosa professio, eo quod eius piæ voluntati posset præiudicium afferre monasterium negando eidem consensum. Ita *Bonac. de Claus. quæst. 2. par. 10. difficul. 1. num 4. Peyrin de Prælato quæst. 3. cap. 1. numero 146. Tambur. tom. 3. disput. 6. quæst. 23 & praced. 17. num. 6. Sanch. lib. 7. disput. 37. num. 64.* dum dicit, hanc nouam acceptationem, quam aiunt desiderari, haberi à iure Pontificio, in *cap. Significatum de Regular. & cap. 1. eodem in 6. Lessius lib 2. cap. 41. num. 67. Zanardus par. 2. sui Directorij Theologici cap. 26. num. 12. §. Secundo vt tunc.* Oppositum, quod noua acceptatio sequiratur, docent *Rodriquez parte 3. quæstione 17. articulo 3. Azor. libro 12. capite 4. quæstione 7. Suarez tom. 3. de Religion. libro 7. capite 1. à numero 10. quos citat, & sequitur Vecchius disput. 14. dubit. 4. num. 4.* Et ratione, quia sicut matrimonium nullum non potest ratificari nisi per superuenientem nouum vtriusque consensum, ea communi Doctorum apud *Sanchez lib. 2 disput. 35. num. 2.* ita neque professio inualida, nisi accedat etiam nouus consensus monasterij. Confirmatur, quia quod nihil est, nihil producere potest, quare cum huiusmodi consensus sit nullus Influere non potest in valorem ratificationis.

39 Ad hoc argumentum respondet *Carillus in sua Decisione num. 16.* infra in calce huius Operis extensa, esse disparem rationem, quia in matrimonio carnali nullus potest supplere consensum contrahentium, sicut in matrimonio spirituali professionis, cuius consensum ex parte monasterij, ait, supplere Ecclesiam & Pontificem. *Confirmatur*, ad præcedentia dico non deesse consensum respectu ratificationis, licet irritus fuerit respectu professionis; ex quo etiam satisfit confirmationi, nam consensus non est simpliciter, & vsque quaque nihil, sed solum respectu professionis, validus vero respectu ratificationis. Et hæc corroborantur per eandem decision. sub *num. 14.*

Tertia pars, qui post reclamationem pœnitentia 40
ductus desiderat ratificare professionem valide debet obtinere consensum Capitularem Monasterij. probatur. *Tum quia*, per licentiam ad reclamandum euanuit consensus monasterij, qui virtualiter conseruabatur in permanentia professi in monasterio, & sub obedientia superioris, à qua incipit recedere. *Tum quia*, in tantum consensus perseuerat, & viget ex parte monasterij, in quantum immutatus conseruatur status ipsius professi; sed in hoc casu mutatur status professi, non intendit se probaturum non esse religiosum, & nolle amplius esse subiectum vitæ, & disciplinæ Regulari, ergo non amplius existit consensus. *Tum quia*, vt valeat ratificatio, necessarium est, vt nihil aliud impediat coniunctionem extremorum, hoc est, actus professionis, & ratificationis, ad tradita per *Barbos. super Regul. 10. de Regular iur. in 6. Tum quia*, vna via electa, & ad aliam redire volens, indiget nouo consensu alterius contrahentis, *leg. Si fundus 4. §. Eleganter, leg. Post diem 7. ff. de Lege Commiss.* Ergo volens ratificare professionem, omissa via reclamationis iam electa, eget noua monasterij acceptatione, aliter nihil facit. Hanc doctrinam collegi ex *Decis. 36. num. 20. & 37. n. 23. infra extensas.*

Pasqualig quæst. 22. num. 6. Castropal. disput. 2 p. 5. num. 2. requirunt nouam monasterij acceptationem cum supradictis, quorum rationes supra reiecimus.

Probant autem primo, quia ratificatio professionis est mutuus consensus inter profitentem, & monasterium, qui ambo se obligant ad inuicem, sicut contingit in aliis contractibus. *Dico*, antiquum consensum perfici in ratificatione, ac proinde mutuus vtrobique reperitur, licet successiue, & diuersis temporibus, nam ad perficiendum contractum sufficit consensus quouis tempore adhibitus, *leg. 1. §. 1. ff. de Verb. Oblig. leg. 1. § Sed versar, ff. de Contr. Empt. ex Sanchez lib. 2. dispu. 32. num. 3.*

Probant secundo, Constita professionis, nullitate, iam cessat bona fides de valore contractus, vnde monasterium non potest amplius continuare virtualiter consensum suum tanquam validum, quia iam cognouit fuisse nullum in id, quod non subsistit, nec se obligare velle illi tanquam subdito, qui se non tradidit vt subditum, ac proinde cum talis consensus non subsistat, nec etiam virtualiter manere potest. *Dico*, præstitum consensum post notitiam nullitatis professionis mansisse talem, qualis erat antequam detegeretur inualiditas professionis, quia eius valor non pendebat à conditione professionis siue validæ, siue inualidæ, cum ad eam debeat de iure antecedere, sed pendet ab eo iudicio super idoneitate Nouitij facto, quæ fuit vera, & realis, & ideo super eam firmatur, non super inualiditate professionis. Quare cum à iudicio idoneitatis specificetur, & non à conditione professionis, seu ab impedimentis ipsam dirimentibus, consensus perseuerat, non obstante detectione nullitatis. Adde, quod ad solum conuentum spectat infringere præcedentem consensum, qualiscumque fuerit per positiuam reuocationem, res enim per quas causas nascitur per easdem resoluitur.

Probant tertio, quia non adest materia, quæ acceptetur, cum Nouitius ab initio non potuerit valide proficere, ergo defuit mortua acceptatio, & consensus. *Dico*, semper adfuisse materiam nempe Nouitium, & licet ab initio fuerit Imperfecta respectu impedimenti professionem non patientis extra in actum ex parte vtriusque consequenter vtriusque consensus non fuit sortitus suum effectum pro illo tunc, sublato vero impedimento, materia perficitur, & resultat vera professio ex ratificatione per

Cyriac. controuer. 372. *n.* 36. Vnde posita reclamatione non præsumitur deinceps ratificasse professionem, secundum *Rebuffum consil.* 68 *num.* 18. *Decian. consil.* 18. *n.* 2. *volum.* 3. *Mascard. conclus.* 1244. *n.* 26. *Menoch lib.* 6. *præsumpt.* 8. *n.* 17. *apud dictum Cyriacum. Ego controuer.* 32. *n.* 56.

51 Quarto, destruitur præsumpta ratificatio probando durare adhuc aliquod impedimentum dirimens, vt si adhuc viuat qui illum metu graui compulit ad profitendum, talis enim metus censetur adhuc durare, ideo ratificatio vtique attentata dicitur pro nulla est habenda, iuxta dicta c. 19. *nu.* 40. *Ciarlin. cap.* 108. *n.* 65. *cum aliis ab eo citatis. Ego controuer.* 35. *n.* 32. & 55. *Rota decis.* 1. *apud Dianam part.* 9. *Seraphin. decis.* 1166. *num.* 3.

Ad rationem dubitandi respondetur contra præsumptionem legis non dari probationem, quando id à lege expresse, Iuribus, & doctoribus citatis à *Megal.* 2. 2. *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 167. *Cæpolla in tractat. simul. controuer. Sanchez lib.* 7 *disp.* 37. *n.* 22. an admitti probationem in iudicio extraordinario, aliis citatis. Reclamatio autem post quinquennium tractatur in iudicio extraordinario, & in Tridentino non prohibetur probatio in contrarium.

QVÆRES XIX. An Ecclesia supplere possit deficientes consensus profitentis, & monasterij?

52 Respond. Consensum profitentis supplere non potest, quia ad se obligandum De ratione voti necessaria omnino est propria voluntas non aliena, vt docet *Sanchez lib.* 7. *disp.* 34. *n.* 16. Vtique vero consensum Religionis, qui vocatur consensus legalis in eo sensu, quod lex disponens de ratificatione professionis aliũ consensum non requirit, quam eius, qui professionem ratificat. Ita *Sanchez lib.* 7. *disp.* 37. *n.* 64. *Tambur. tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 17. *n.* 6. *ex multis aliis contra illos*, qui petunt nouum monasterij consensum negantes hunc legalem, de quibus supra num.

QVÆRES XX. An legitime dimissus per sententiam ad sæculum reuersus, si pœnitentia postmodum ductus petat iterum admitti, recipi possit cum sola ratificatione more illorum, qui non recesserunt à Religione?

53 Respond. Si nondum executus fuit sententiam redeundo ad sæculum, sed manendo in conuentu potest admitti ad ratificationem, sed cum nouo conuentus consensu, quia prior reclamatione, & lata sententia destructus est. Et ita docui *controuer.* 31. *n.* 49. Quod si recessit omnino non admittitur ad ratificationem, sed tanquam alter sæcularis, ac si primo peteret ingressum recipi potest etiam cum onere renouitiandi, vt probaui hic *cap.* 10. *q.* 15. *n.* 54. & sine dubio debet formaliter profiteri, & non ratificare professionem.

QVÆRES XXI. An professio omissa infra annum probationis, postea ratificari possit? Nam id negat *Ciarlin. c.* 108. *n.* 65. fieri posse sine Apostolica dispensatione, cum infra quinquennium non præsumatur ratificatio, neque proinde fieri possit.

54 Respond. Finito probationis anno, & sublato impedimento nihil prohibet, quin possit professio ratificari statim, vt probaui supra *n.* 19. Quare aliud est, quod Ecclesia non præsumat ratificationem infra quinquennium, aliud est, quod quis non possit infra illud suam professionem inualidam sublatis impedimentis ratificare; illud enim est verum, hoc vero falsum, quia à Tridentino non prohibetur. Hinc patet differentia inter reclamantem infra quinquennium, & post tempus, quod ante reclamans non interrogatur de ratificatione, quia non præsumitur, sed solum post, quia præsumitur ratificatio. Et ita intelligendi sunt Doctores ab eo citati.

QVÆRES XXII. An ex parte monasterij requiratur scientia nullitatis professionis, dum concurrit in ratificationem?

55 Respond. Affirmatiue, quia ignorans dicitur præstare suum consensum in id, quod ignorat, ad quod faciunt dicta sub *q.* 14. de scientia requisita ex parte ratificantis. *Confirmatur*, quia correlatiua non iudicantur ad impares, sed quod dicitur de vno locum habet in alio, ac proinde idem ius debet esse in vtroque. Ita *Castropal par.* 3. *tract.* 16. *disp.* 2. *p.* 5 *n.* 3. 5. *quæ dicta. Riccius par.* 4. *decis.* 170 *n.* 3.

QVÆRES XXIII. An ratificatione acquiratur remissio pœnarum, & indulgentia plenaria, sicut fit in prima professione?

Respond. Affirmatiuè, quia tenera ratificatio est professio. Ita dixi c. 10. *n.* 38. *Ita Diana par.* 4 *tract.* 54. *resolut.* 180. *Vecch. disp.* 13. *dub.* 5 *n.* 7. *Ego controuer.* 35. *num.* 50. 56

QVÆRES XXIV. An proferens hæc verba: *Nunc, seu hodie volo esse Religiosus*, dicatur suam professionem ratificasse?

Respond. Affirmatiue, Rota quia ita dicens non 57
solum declarat animum suum, sed simul etiam stabilit, & firmat, quod dicit, stãte verbo de præsenti *nunc*, quod magis corroborat sensum, quam aduerbium *hodie*. Ita *Rota apud Dianam par.* 6 *decis.* 14. § *Prædicta ex doctrina Hostien. in cap. Porrectum. de Regu ac ex Abbat. in 3. notab & ex Rota par.* 5. *diuers. decis.* 216 *Ego decis.* 91. *& controu* 35. *q.* 35. Tamen oppositum decidit *Rota apud eundem Dianam par.* 9. *decis.* 15. 8. *præsertim*, quia ea ratificatio non fuit, sed declaratio animi volendi ratificare professionem, quam debebat ratificare coram superiore, vt ibi habetur, ex c. 6. *extra qu.* 14 *vtrumq; decisionẽ habes hic extensum sub n.* 35. & 36.

QVÆRES XXV. An statutum cum decreto irritante receptionem ad professionem ex parte conuentus extendatur ad ratificationem, quando conuentus nulliter recepit Nouitij professionem contra decretum?

Respond. Non extenditur, sed restringitur ad pri- 58
mo attentatam professionem; nam Decretum irritans est stricti iuris, ac proinde stricte intelligendum, *Aymon. par.* 4. *de antiq. temporum n* 64. *Rota volum.* 2. *decis.* 131. *n.* 12. Vnde restringitur ad id, de quo principaliter disponitur, & non ad accessoria, & incidentia. *Bartol. in leg. fin.* §. *Titia ff. de liber. leg. Felin. in cap. Causam de rescrip. ex illis Rodriq tom* 3. *q* 54 *artic.* 5. §. *Et confirmatur.* Quare nec admittit aliam interpretationem à verbis eius diuersam ex *Rubeo tom.* 7. *decis* 319. *nu.* 7. Constat autem ratificationem aliud esse à professione quæ primo fit, vnde illud Decretum afficiens professionem non est extendendum ad ratificationem eiusdem. Ita docui *controuer.* 35. *q* 16.

Oppositum videtur sentire *Peyrin de Subd. q.* 1. *c.* 15. § 4. *vers. Ex quibus*, dum dicit, professum contra statutum posse semper etiam vltra quinquennium à superiore expelli etiam sine Episcopo, quia religio non cogitur tenere illum contra statutum.

Respond. Id esse verum, si statutum expresse com- 59
præhendat etiam ratificationem, vel talis sit tenoris, quod semper debeat expelli non obstante quauis ratificatione. Aliter tale statutum restringitur omnino ad primum actum, & sibi imputent Fratres, qui illum non eiecerunt ad formam statuti.

QVÆRES XXVI. An ratificatio professionis sortiatur suum effectum prout ex nunc, cum scilicet fit actus ratificationis, an prout ex tunc, cum scilicet primo professio emissa fuit? Quod est quærere, an ratificatio retrotrahatur ad tempus, quo primum fuit emissa professio, ac si ab initio fuisset valida? Non est difficultas circa professionem dubiam ratificatam, quia certum est in ea ratificationem retrotrahi, quia magis valide, quam inualida censetur, & ideo ratificatio respicit retro ad illum primum actum per eam corroboratum prout ex tunc, ne valor diuidatur in nunc, & tunc, cum vnicus sit, sicut est ipsa res valida. Restat ergo dubium super professione certo inualida, an ratificetur ex tunc, an solum ex nunc?

Respond.

59 Respond. In profeſsione duo ſpectantur ratio voti, & ratio contractus. Respectu primi ratificatio facit valere profeſsionem ex nunc, ſcilicet eodem puncto temporis, quo illa ratificatur. Respectu vero ſecundi ratificatio facit valere profeſsionem provt ex tunc, nimirum ab illo tempore, quo primo attentata fuit, ac ſi tunc fuiſſet valida.

Primum, ſub ratione voti, probatur, quia Deus, coram quo fit profeſsio in ratione voti, ſpiritualẽ obligationem recipit provt ſe habet a parte rei, ac proinde tunc cum ratificatur, neque enim ex parte Dei iuris fictiones locum habere poſſunt, cum in hoc caſu ſolus Dei cultus, & obligatio ei debita conſideretur, & non aliquid ex parte creaturarum pro quibus quãque oportet legem aliquid fingere ad occurrendum variis caſibus, & abſurdis. Ita *Gloſ.* 11. *Ratam habuerit cap. Significatam* 12. *& Roboratur cap. Cum virum* 11. *de Regular. Rodriquez tomo tertio, quæſtion. decimaſeprima, articulo tertio fine. Sanchez libro quinto, capite quarto, num* 80. *Nauarrus conſilio vigeſimoſeptimo de Regular. num* 3. vbi ait incipere valere coram Deo à die ratificationis.

60 Secundum, ſub ratione contractus probatur. *Tum* ex Regula decima. Ratihabitio retrotrahitur, & comparatur, quæ maxime locum habet in contractibus, vt tradunt omnes in dicta Regula, quæ ſecundum omnes ſuas conditiones verificatur in ratificatione profeſsionis, vt multis probaui in terminis
61 *controuer.* 32. *quæſt* 5. *Tum quia*, licet homo non poſſit fingere tribuendo valorem rei præteritæ, quæ non eſt, tamen legis auctoritate agens id facere poteſt per ratificationem, vt res ratificata incipiat valere à primo tempore, ac ſi tunc primo valida extitiſſet, vt omnes tradunt dum de fictione legis agunt; ſed legis auctoritate quilibet nulliter profeſſus poteſt ſuam profeſsionem ratificare; ergo in ratione contractus retrotrahitur provt ex tunc. *Tum quia*, matrimonium nullum ratificatum retrotrahitur, quoad plures effectus, præſertim quoad legitimitatem filiorum, *Puteus lib.* 2. *deciſ.* 77. *Ita Scrofa in ſuo Libello de Inualiditat. Profeſſ. dub.* 18. *num.* 5 *ex Calderino conſil.* 5. *de Regular. Ego citat. controuer.* 32. *quæſtion.* 5. *reſolut.* 8. *numer* 71. Faciunt quæ habet *Marta part.* 4. *de Iuriſdict. caſu* 121. *num.* 26. Et quæ habent *Ancharan conſil.* 69. *num.* 8. *Craueta conſil.* 152. *numer.* 4. *Decian. conſil.* 60. *numero* 13. Dicentes profeſſionem valide emiſſam retrotrahi ad primum diem recepti Habitus pro anno probationis, ergo à fortiori ratificatio retrotrahitur ad primum diem profeſſionis inualide. Hos tamen Doctores impugnat *Ioannes Baptiſta Coſta tract. de retrotrah. c* 9 *caſu* 3.

QVÆRES XXVII. An ratificatione profeſſionis perdatur ius obtentum profeſſionis antiquum?

62 Respondetur, Ratificans profeſſionem nullum non perdit ius quæſitum præcedentiæ, quando bona fide, & ſine malitia profecit primo nulliter, dummodo tamen tunc haberet ætatem ſufficientem ad profitendum; neque antea receſſerit à Religione; intra quinquennium ratificatione profeſſionis interrumpitur præſumptio præcedentiæ, nullatenus autem ſi poſt quinquennium eam quis ratificet. Hanc concluſionem pluribus probaui in *Theatro præcedent. quæſtion.* 144. *num.* 440. *ad* 441. *& capit.* 5. *extra de Effectibus Profeſſion. quæſt.* 50. *& hic capit.* 10. *num.* 62.

Dices, hæc reſponſio fundatur in eo, quod ratihabitio retrotrahitur ad illud primum tempus, quo nulliter profeſſio emiſſa fuit, ac ſi primo facta fuiſſet valida; ſed ea Regula non habet locum, vbi tertio fit præiudicium, ergo ratificatio profeſſionis non debet nocere alteri, qui ante ratificationem erat verè profeſſus, vt permittat poſterius profeſſum tenere locum, & honorem contra primo profeſſum.

Reſpondetur, Ratihabitionem non retrotrahi in 63
præiudicium tertij actu exiſtentis in poſſeſſione ſui iuris, tum enim illi præiudicatur, in quo caſu Regula non habet locum. Quando vero nondum eſt in poſſeſſione, & exercitio ſui iuris, tunc nulli præiudicatur, quia nemo eſt in poſſeſſione præcedentiæ, præter ipſum in qua proinde eſt manutenendus, cum habeat titulum coloratum prioris profeſſionis putatæ validæ; eſt enim poſſeſſor bonæ fidei, cuius melior eſt conditio, & licet per ratificationem, quæ ſupponit ſcientiam nullitatis, deſinat eſſe in 64
bona fide, per hoc tamen non perdit poſſeſſionem, nec ab ea remouendus eſt, ſi ratificauit poſt quinquennium, quia eam ſibi præſcripſit, iuxta quod probaui loco citato in *Theatro præcedentiæ*. Nec poſſeſſor malæ fidei in iis, quæ non ſunt pretio æſtimabilia, deiiciendus eſt, quia ſibi hæc præſcribit, non obſtante mala fide, quæ negat præſcriptionem in pretio æſtimabilibus. Et in terminis præcedentiæ docui in eodem *Theatro* loco citato, & ante ſub. *n.* 93. *fol.* 27. *Confirmatur*, quia incorporalia, inter quæ nume- 65
ratur ius præcedentiæ etiam ex mala fide acquiruntur, dum lucrantur ex ſcientia, & patientia eorum, qui incorporaliter poſſident, *Ripa in cap. Cum Eccleſia, de cauſa poſſeſſ. n.* 64. *Rota deciſ.* 8. *num.* 2. *apud Tamburin. tom.* 3. *& deciſ* 65 *num.* 7.

QVÆRES XXVIII. An conſcius de nullitate profeſſionis ſuæ immittendo ſe in actibus profeſſorum, recipiendo ordines, ſuffragando cum aliis in negotiis conuentus, in electionibus, & etiam recipiendas dignitates, & officia ordinis peccet mortaliter?

Respond. Ignoranter exercens quoſlibet actus 66
proprios ſolius profeſſorum non peccat, ſtante bona fide, qua putat eſſe verum profeſſum, ſicut ſunt alij. Conſcius vero illius nullitatis peccat modo grauiter; modo leniter iuxta conditionem actus, quem exercet. Quare recipiens ordines minores non peccat, cum etiam à Nouitiis recipi poſſint. Faciens vero ſe promouere ad Subdiaconatum ſine patrimonio peccat mortaliter, quia in hoc facit contra præceptum graue Eccleſiæ poſtulantis patrimonium, reliquos recipiens ordines taliter non peccat, ſed ſolum venialiter. Suffragando autem ſiue in negotiis, ſiue in electionibus videtur peccare ſolum venialiter. Recipiens vero Prælaturam ſeu officium honorificum videtur peccare mortaliter quia hæc officia ſunt propria profeſſorum, & aliis præiudicatur, dum officia ſibi de iure conuenientia ab aliis occupantur irrationabiliter. Et hæc procedunt etiam quando nullitas profeſſionis eſt occulta ſoli profitenti nota; non enim habet legitimam rationem ſecreto manendi, cum debuerit, aut reclamare, aut ratificare profeſſionem, iuxta ſuperius dicta. Vide *cap.* 10. *n.* 67. *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 37. *num* 67. *&* 68. *Palaum par.* 3. *tract.* 16. *diſput.* 2 *p.* 5 *n* 10.

QVÆRES XXIX. An qui poſt multum temporis vſus fuit gratia Sacr. Congreg. ratificandi profeſſionem à Sæculo reuerſus ad Religionem, gaudeat priuilegiis, ac ſi nunquam exiſſet ab ordine. Talis eſt tenor gratiæ.

Sacra Congregatio. &c. attentis narratis, & ſtante relatione, & conſenſu Procuratoris Generalis Ordinis huiuſmodi cenſuit committendum, prout tenore præſentis Decreti committit eidem Procuratori, vt Oratorem ad Religionem redire volentem benigne recipiat, ipſumque ſi, & poſtquam profeſſionem ab eo fie, vt ſupra emiſſam, ad præſcriptum Conſtit. S. D. N. ratificauerit ad locum ſuæ profeſſionis cum voce actiua, & paſſiua, ac ſi nunquam à Religione egreſſus fuiſſet. in omnibus, & per omnia admittat, atque reſtituat. Præmiſſis cæteriſque contrariis &c Romæ die 14. *Martij* 1642. *Quam Sac Congreg. ſententiam S. D. N. ad ſe relatam approbauit die* 18. *Martij* 1642.

Seruatis vbi in ſuprad. Decreto R. P. Mag N N. benigne

nigue recipimus, & acceptamus, ad vocemque activam, & passiuam admittimus, & in locum suæ professionis, ac si nunquam à nobis abfuisset restituimus.

F. M Ant. N. N.

Iam transierunt sexdecim anni. Nunc petit ingres-
sum ad tenorem præfati rescripti. Numquid modo
valet, & ei prodesse potest?

67 Resp. Non amplius valet tale rescriptum, quam-
uis à superiore eius professiu denuo acceptari possit,
sed sine restitutione præfatorum iurium, & fauo-
rum. Et id probatur duplici argumento. *Primo*, quia
hæc gratia non est facta, sed facienda, nam ea gra-
68 tia dicitur facta, quæ immediatè, & directe conce-
ditur petenti, licet per alium exequatur, quando pri-
uilegiatus per seipsum effectum eius producere non
potest faciendum per alium, cui nihil habet prodes-
se, vt licentia eligendi confessarium, recipiendi or-
dines, &c. Gratia vero facienda est illa, quæ dirigi-
tur ad aliquem ad producendum circa personam de-
terminatam, cui talis effectus petitus nondum est col-
latus, vt si confessario data fuit facultas absoluendi
talem personam à reseruatis, dispensandi, prouiden-
di de beneficio, &c. Ita *Sanchez lib. 8. disp. 28. qu. 3. à num. 48. Suarez lib. 8. de Legibus cap. 31. num. 17. 18. & 19.* Gratia autem incipit transire in factam, quan-
do delegatus cœpit exercere potestatem sibi delega-
69 tam; ex quo gratia licet pendens & nondum abso-
luta sit, non expirat morte concedentis, sicut expi-
raret, re adhuc integra, idest nondum cœpta fieri.
Id autem Doctores colligunt ex *cap Relatum 19. cap. Gratum 20. de Offic. de leg. cap. Si super gratia 9. eod. in 6. cap. Si cui 36. de prebend in 6.* Sed gratia, de
qua in quæstione hac non est facta, sed facienda, vt
patet omnino manifeste in proposito casu; Orator
enim iste nondum suscepit Habitum, nec professio-
nem fecit, à qua dependet effectus huius gratiæ re-
stitutionis scilicet ad locum & ad iura vtriusque vo-
cis; ergo expirauit per mortem Vrbani VIII. fœl.
mem. à quo vigor huius gratiæ pendebat.
70 Secundo probatur, quia gratia facta, à fortiori
facienda, per non vsum euanescit, & perditur præ-
scriptione decennij, quando priuilegiatus poterat
ea vti, & vsus non fuit, vnde priuilegium per ne-
gligentiam spatij decem annorum perditur, *l. 1. ff de Nundinis, Specul. lib. 2. partic. 2. de instrum. edit. in Addit. num. 10. lit. F. Craneta cons. 312. numer. 2. M. Anton. Peregr. consil. 4. num. 9. §. Et ex ista, Tuschus conf. 755. num. 10. Decius consil. 638. numer. 14. Sua-*
71 *rez lib. 8. de legibus capit. 34. per totum*, spatio decen-
nij numero 19. & 20 etiam in foro conscientiæ nu-
mer. 16 Sed in casu nostro gratia facienda nunquam
transiuit in actum, spatio septemdecim annorum, vt
patet, ergo illud perdidit, adeo quod nullum ius ha-
bet in eo, neque ad rem, neque in re, quia priuile-
gium antequam verificetur non datur ius in re, nec
ad rem. *Gratian cap 508. num. 2.*

Si ergo velit redire, amplius vti non potest hoc fauore, quia euanuit, sed debet stare discretioni superiorum.

CAPVT XXII.

De Reclamatione nulliter Professorum.

1 *Reclamare licitum est.*
2 *Iure antiquo, & nouo Tridentini.*
3 *Reclamatio definitur.*
4 *Reclamatio habet locum respectu omnium impedimentorum.*
5 *Impedimenta perpetua non comprehenduntur in Tridentino.*
6 *Sola professio inualida est obiectum reclamationis.*
7 *Contractus ex metu leui rescinduntur.*
8 *Non licet reclamare contra professionem ex metu leui*
9 *Omnibus masculis, fœminis, & militaribus licet reclamare.*
10 *Monialis manet intra clausuram vsque ad sententiam.*
11 *A die materiali professionis incipit quinquennium.*
12 Tantum *excludit non expressa.*
13 *Post quinquennium recurrendum est ad Papam.*
14 *Pro restitutione tam à maioribus, quam a minoribus ætate.*
15 *Læsi in spiritualibus restituuntur.*
16 *Æquiuocatio licet, quando iudex interrogat ex præsumptione.*
17 *Post quinquennium non auditur ad allegandum causam, cur non reclamauerit.*
18 *Reclamare non potest, qui coram Deo ratificauit professionem.*
19 *Reclamans sine habitu non auditur.*
20 Nullatenus *excludit omnem casum.*
21 *Biennio causa reclamationis expedienda.*
22 *Postea vnus eorum potest expedire causam.*
23 *Causa duobus commissa, altero nolente, expeditur ab alio.*
24 *Iurisdictio per ignorantiam perditur.*
25 *Superior regularis iudex quinam sit? sine illis non tenet.*
26 *Causa delegata duobus, vno tantum procedente est nulla.*
27 *Superior est tantum localis.*
28 Suus *pronomen significat possessionem.*
29 *Ordinarij nomine quinam veniant.*
30 *Superior vnius conuentus procedit cum Episcopo.*
31 *Iuramentum à reclamante petendum per iudices.*
32 *Probationes nullitatis debent esse per testes idoneos.*
33 *Sicut matrimonium probatur nullum per tales.*
34 *Metum, qui incussit potest esse testis fauore professi.*
35 *Vnus professus pro alio testificari potest.*
36 *Statutum contrarium reclamationi fieri potest.*
37 *Religio contra nulliter professum reclamare potest.*
38 *Breue, seu Decretum non reclamandi super defectu loci.*
39 *Quomodo reclamandum est defectu conuentus designati.*
40 *Decretum illud non comprehendit Tridentinum.*
41 *Citandi non essent interesse prætendentes.*
42 *Superior reclamare volens debet deponere officium.*
43 *Sacerdos reclamaturus ex hoc non est suspensus ab vsu ordinum.*
44 *Alitur à monasterio, sed ipse tenetur ad expensas litis.*
45 *Iniuste dimissus tenetur redire, & recipi debet.*
46 *Vnus iudex quando sine altero procedit?*
47 *Potestas reclamationis est ordinaria in vtroque.*
48 *Ordinaria iurisdictio quid sit?*
49 *Recuperat dimissus, quæ intulerat.*
50 *Recuperat renuntiata.*
51 *Vxorem ducere potest.*
52 *Dimissus non vtitur dispensatione extra.*
53 *Dimissus volens redire quomodo recipiendus?*

DE Reclamatione inualidæ professionis multa prodidi in priori tractatu de professione regulari *sub capit. 7.* per totum, deinde *Resol. 8. num. 20. & 47. Resol. 23. resolut. 69. & resolut. 100. num 5. pro Maltensibus*, qui cum habitu sicut cæteri reclamare debent, quæ in prædictis locis dispersa huc Deo fauente reducenda sunt in ampliorem, & eruditiorem formam, & ordinem per sequentia quæsita.

QVÆRES primò an Reclamare religiosis sit licitum, & quo iure concedatur?

Respond. Licitum est reclamare, & id à iure iam 1
antiquo, quam nouo conceditur. Illud suadetur, quia
quilibet iniuste ab alio detentus, & possessus, licite
potest se eximere à subiectione, cum ibi sit iusta de-
fensio,

fer sio, qualis est reclamatio, vbi est iniusta defensio, & possessio, vnde officium iudicis requisiti est personam subiectam restituere suæ libertati, ideo religiosus inualide professus implorare potest officium iudicis, vt eximatur à subiectione illegitima defectu validæ professionis.

2 Iure antiquo conceditur reclamatio, de qua fit mentio c.4.40.3. cap.2. de Regular. & expressius in Tridentino sess.25. cap.19. Vbi forma, & modus reclamandi præscribitur his verbis.

Quicumque Regularis prætendat, se per vim, & metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia superiorum non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo, & ordinario. Quod si ante habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur; interim nullo priuilegio suæ religionis iuuetur. Vide Barbosam ad hoc caput, vbi refert doctrinam omnium, qui super hac materia verba fecerunt. Nos in sequentibus omnes difficultates occurrentes enodabimus.

QVÆRES II. Quid sit Reclamatio?

3 Respondet. Reclamatio est legitima deductio causarum coram ordinario, & superiore religionis facta à religioso professo, habitu retento, per quas intendit probare nullitatem suæ professionis non ratificatæ, vt declarata ab eis eiusdem nullitate per sententiam, valeat dimittere habitum, & redire ad sæculum. Colligitur hæc definitio ex præcitatis verbis Tridentini, in qua nulla est difficultas, quam accepi ex mea resol.69. initio.

QVÆRES III. An Concilium præscribat reclamationem respectu cuiuslibet impedimenti dirimentis professionem, an solum pro illis, qui nulliter sunt professi defectu libertatis, & ætatis? Hi enim duo defectus exprimuntur, ergo ad illos tantum videtur restringenda reclamatio.

4 Respond. Reclamatio conceditur respectu cuiuslibet defectus, & impedimenti dirimentis professionem, quæ ultimum impedimenta sunt ad tempus, non vero perpetua, per quæ religio continuo, & perpetuo contra sic nulliter professos reclamare potest, & debet.

Primum, quod Concilium loquatur de omnibus impedimentis, tam intrinsecis, inter quę sunt illa duo, quæ personam nouitiam inficiunt, quam extrinsecis, quæ se tenent ex parte nouitiatus, vel admittentium, probatur ex verbis ipsius Tridentini, nam postquam expressit impedimenta metus, & ætatis, quæ sunt intrinseca, subiungit ea verba, *Aut quid simile*, scilicet infestinum professionis subiicitur reclamationi, quia de similibus idem est iudicium, Barbos. à loco tot. num.2. Confirmatur, quia hic disponitur tantum de iis casibus, in quibus potest cadere ratificatio, ea autem locum habet respectu omnium impedimentorum, quæ sunt ad tempus, ergo de illis omnibus loquitur Concilium. Et in hoc nulla difficultas.

5 Secundum, de perpetuo impedimento non subiecto Tridentini decreto, probatur, quia vt dixi in eo fit mentio tantum de professione inualida, quæ ratificabilis est; ea autem quæ nulla est ex impedimento perpetuo nunquam ratificari potest, vnde non supponitur iudicio Decreti Tridentini, sed à solo superiore regulari de consilio sui conuentus nulliter sic professus non solum dimittendus, sed omnino expellendus est, quia leges continuo contra illum reclamant, & superiores eum retinere non possunt. Tales olim erant illegitimi, & criminosi secundum Bullam Sixti V. *De qua egi c.3.à n.78. ad 92. c.4.41. & c.81.66.* De quibus late *Rodriquez tom.3 q.54.* Ita *Sanchez lib.7. disp.37. num.34. Peyrin. de subd. qu. t. c.15.§.4. Compend. resolut.101.n.74. Portellus t 1. Professio nulla nu.52. alios citat Donatus par.4. tract. 1 x. quæst.10.*

QVÆRES IV. An obiectum reclamationis sit quælibet professio tam valida, quá inualida, & dubia?

6 Respond. Sola professio inualida est obiectum reclamationis, quia huius effectus est declarare professionem antea factam esse nullam ex actis ipsius processus, valida autem declarari non potest non valere, cum eius valor sit perpetuus, & indestruibilis à iudice. Quod idem dicendum est de dubia, quæ resoluitur valere ex communi sententia, *de qua c.18. quæst.15.* Restat ergo quod sola professio nulla sit obiectum, contra quod tantum reclamari possit ab eo, qui prætendit nullitatem suæ professionis probare.

QVÆRES V. An liceat reclamare contra professionem ex metu leui emissam saltem ad eius rescissionem? Videtur quod sic, quia alij contractus ex 7 metu leui initi rescindontur l. fin. C. ff. de eo, quod metus, *Less. lib.2.c.17.nu.38.* & Votum metu factum à patre rescinditur, ergo idem dicendum est de professione.

8 Respond. Negatiuè, ex ratione adducta in præcedenti quæstione, quia obiectum reclamationis est solum professio nulla, non autem valida; professio autem facta ex metu leui valet, ex probatis cap.19. n.4. Ergo non potest subiici reclamationi, per quam possit rescindi, ea enim sicut & matrimonium est indissolubilis, perpetuo durans vsque ad mortem, vt probaui cap.18. num.19. adeo quod sicut matrimonium rescindi non potest, ita neque professio. Ad rationem dubitandi respondetur, contractus ideo rescinduntur, quia perpetuitas non est de eorum essentia. Et vota filiorum irritantur à patre, quia in suo esse dependent à voluntate patris; non sic professio, quæ à superiore acceptatur, & ita conualidatur, vt contra eam nullus venire possit.

QVÆRES VI. An omnibus sit facultas reclamandi contra professionem inualidam tam fœminis, quam masculis, tam claustralibus, quam militaribus?

9 Respond. Affirmatiuè. *Tum quia*, id colligitur ex cap.1. De regularibus vbi reclamatio fit coram Papa, aut Episcopo, vel eorum delegatis; & ex Tridentino, vtantur enim relatiuis, *Si quis*, & *Quicunque*, quæ sunt dictiones vniuersalissimæ comprehendentes omne genus personarum cuiuscunque conditionis, & ordinis. *Tum quia* materia reclamationis est fauorabilis, in qua agitur de restitutione religiosi ad suam pristinam libertatem, quam sicut iure naturæ omnes indifferenter appetunt cunctis hominibus innatam, ita pro ea omnes reclamare possunt. Ita de masculis, & fœminis monialibus *Zerola in praxi Episcop par. prima t 1. Monialis § Ad secundum*, quem pro se citat, *ad hoc cap. Barbos. num.2. Donatus par.4. tract. 1 x. quæst.4.* De militaribus Ierosolimitanis ita decisum refert *Gonzal. ad Reg.8. Cancell glos.8 n.61. & 62. ex eadem Barbos. num.3.* Et sine dubio locum habet in cæteris militaribus. Nec huic speciali casui obstat *Decisio 1 x 1. Seraphini*, cum loquatur de Decretis odiosis Tridentini, inter quæ non est hoc de reclamatione. De moniali *Pasqual. part. prima num.27. in Addit. ad Francum.*

QVÆRES VII. Cum monialis vti possit hoc reclamationis beneficio, an extrahenda sit è monasterio, vt probare valeat nullitatem suæ professionis?

10 Respond. Non esse extrahendam, cum per suos procuratores, & aduocatos bene informatos suam nullitatem probare posit manendo intra clausuram, & ad extres alloquendo illos. Quare cum suam causam ad finem vsque in monasterio existens deducere posit, nulla ratio suadet, illam posse exire. Nec his obstat Naoar. consil. t. de confessis, vbi ait, quandam monialem extractam fuisse; quia ibi non agitur

agimr de reclamatione ipsius monialis, sed de interesse patria eius, qui volebat eam fuisse seductam, quam cupiebat tradere nuptui. Præterea post Pium V. clausura monialium magis rigorosè seruanda est, ideo in hoc casu non expresso in eius Bullia, & aliorum Pontificum, recurrendum est ad Sedem Apostolicam. Contra *Portellum. Marcillam, & Farinac. ab illo citatos par prima Resp. casu 9. numero 9. Quos citaui Resolut. 69. quæst. 6. num. 10.*

11 QVÆRES VIII. A quonam die incipiat ius reclamandi infra quinquennium, à die professionis attentatæ, an à die scientiæ nullitatis illius?

Respond. A die professionis attentatæ, licet emissa fuerit ante expletionem decimi sexti anni, & non à die scientiæ, quocumque impedimento non obstante, cum tunc post quinquennium recurrendum sit ad Papam.

Primum de die attentatæ professionis, à quo incipit quinquennium probatur clare ex verbis ipsius textus: *Non audiatur, nisi infra quinquennium tantum à die professionis.* Expressio enim diei refertur ad diem naturalem actus gesti, non ad diem scientiæ, de qua nulla fit mentio, maximè stante taxatiua *tantum*, quæ ad præfatum diem attentatæ professionis restringit, & facit incipere quinquennium. Ita *Azorius par prima lib. 12. capite 4. quæst. 10. Miranda tom. 1. quæst. 30 articul. 1. Bonacina quæst. 2. de clauf. part. 10. diff. 4. Tambur tom. 3. disputat. 6 quæst. 25. n. 5. & 6. Barbosa hic num. 7. & Allegat. 104. num. 16. Donatus par. 4. tractat. 12. quæst. 3. Sanchez lib. 7. disputat. 37. num. 19. Portellus par. 3. casu 42. Bonacina quæst. 2. de clauf. par. 10. Diffic. 4. n. 3.* Quod tempus currit de momento ad momentum, vt notant nonnulli ex præcitatis.

Secundum de die etiam ante debitam ætatem patet ex textu Tridentini, vbi specificantur duæ causæ annullantes professionem, metus, & immatura ætas, in qua attenditur dies attentatæ professionis, ac proinde ab ea enumeratur initium quinquennij, vt notaui *ref. 69. q. 13.*

Tertium, quod quinquennium non sit incipiendum à die scientiæ, seu à remotione impedimenti, probatur ex dictis sub prima parte, quia dum Tri-
12 dentinum exprimit initium huius quinquennij, à die professionis attentatæ cum taxatiua, *tantum*, excludit diem scientiæ, & impedimenti remoti, eiua enim natura est includere expressum cum exclusione aliorum ex allegatis iuribus, & Doctoribus à *Barbosa hac dict. 401. num 2.* Vnde impedit extensionem ad alia *Farinac. consil. 76. num. 13. part. 4.* & apposita in lege fauorabili, vel pia non extenditur ad casus similes ex eodem *Barbos. num 9.* Confirmatur, quia Patres bene sciebant, illa duo impedimenta metus, & ætatis habere tractum successiuum, & sic durare posse post attentatam professionem, nihilominus decreuerunt initium quinquennij inchoare à die attentatæ professionis, non vero à die scientiæ impedimenti, vel à remotione eiusdem. Ita præcitati in prima parte.

Contra quamplures allegatos à Barbosa super hoc caput num. 8. asserentes, eum qui infra quinquennium non reclamauit impeditus, vel quia ignorauit nullitatem professionis, vel quia vigebat impedimentum, posse post illud reclamare vtendo beneficio restitutionis in integrum remedio extraordinario, ex ea communi ratione, quod tempus non currit legitime impedito, cum quibus est *Castropal. part. 3. tract. 16. disp. 2. p. 7. num. 4 & seq.* A quibus ego non recedo quoad reclamandum, sed vtique quoad iudicem, nam tunc recurrendum est ad Papam, vt mox dicam.

13 Quarta pars est recursus ad Sedem Apostolicam, & probatur, quia post illud quinquennium, eo quod incipit à die professionis, & sic numerandum est naturaliter, negatur audientia reclamanti, ergo nullus eum audire potest, & ideo recurrendum est ad Papam, & ita practicatur, vt testantur *Compend. resolut. 101. num 71. Cyriacus tom. 1. controu. 371. n. 17. Portellus 11. Professio nulla num. 45. Lucerna 11 Reclamatio num. 4. ex illis Barbosa ad hoc cap. num. 9.* Et quod post quinquennium Episcopus cum superiore regulari careat hac potestate audiendi professum reclamantem sed recurrendum esse ad Pontificem Romanum docui multis *cap. 7. quæst. 19. 20. Resol. 69. à n. 17. Compend resol. 101. n. 70. Portellus n. 45. Scrofa dub. 1. de inualid. profess.*

QVÆRES IX. An post quinquennium, qui antea non reclamauit etiam ex sua negligentia, possit quouis tempore petere à Sede Apostolica restitutionem in integrum?

Respond. Minor potest petere restitutionem in 14
integrum, licet ex negligentia non reclamatit infra quinquennium. Maior vero factus pariter restituitur, si non potuit antea reclamare ex aliqua iusta causa. Habet autem quadriennium numerandum à die scientiæ, aut impedimenti sublati, licet ignorantia, seu impedimentum duraret etiam per centum annum. Hanc autem ignorantiam, & impedimentum durans probare tenetur reclamans. Interrogatus autem super ignorantia in ordine ad ratificationem professionis, quam vere non ratificauit, potest respondere se ignorasse, licet sciuerit æquiuocando in ordine ad ratificationem.

Prima pars de minore petente restitutionem in integrum probatur, quia alijs minoribus in causis læsis datur restitutio ex sententia Doctorum *in Auth. Quas actiones C. de Sacros. Eccles.* Ergo & professis nulliter, qui dicuntur læsi in sua libertate, quæ est auro pretiosior, nam coguntur manere sub iugo obseruantiæ sine vera obligatione, quam non contraxerunt, nulla existente professione. *Confirmatur*, quia 15
læsi in causis spiritualibus restituuntur; *glos 11. Discretiane capit. Cum virum 12. de Regular.* in terminis professionis, & id patet ex praxi, nam quotidie Rescripta impetrantur ad reclamandum post quinquennium etiam à maioribus. Ita *Rodriquez tom. 3. q 17, art. 17 §. Ex quibus, Nauarr. com 4. de regul num. 71. Consil. sexto de ijs, qua vi, Sanchez lib septimo disp. 37. num vigesimosecundo Lessius lib. 2. cap. 41. num 65. Castropal part. 3. tract. 16. disp. 2 p. 7. n. 13.*

Secunda pars licet minor ex negligentia non reclamauerit, probatur, quia hoc beneficium restitutionis ei conceditur eo quod minoris ætas fragilis sit, & infirmum iudicium, vt in terminis dicit *Glos. 11. Discretionis, cap Cum virum 12. de Regul. Ita Sanchez lib. 7. disp. 37 n. 23. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 65.*

Tertia pars, de restitutione maioris infra quadriennium à die scientiæ, seu remoti impedimenti, probatur ea illa generali: *Si qua mihi iusta causa*, l. 1. ff. ex quibus causis maior. de quadriennio ea *l. fin. C. de in integr restitut. cap. 1. & 2. eod. Ita Sanchez lib. 7. disp. 37. num. 23. Lessius lib. 2. cap. 41. num 65. Nauarr. com. 4. de Regul. num. 71. §. Tertio, Azor. lib. 12. cap. 4. quæst. fin.*

Quarta pars, quod restitutus debeat probare ignorantiam, & impedimentum durans, probatur, quia hoc priuilegium non conceditur, nisi suppositis ignorantia, & impedimentis, quibus antea non reclamauit, ergo ista duo instituenda sunt per ipsum restitutum ex hac causa, vt iudici constet, quod fuit iusta, & legitima. Nec sufficit iuramentum sine adminiculis. Ita *Sanchez lib. 7. disp 37. num. 17. Compend. resol. 101. num 71 cum suo Authore tom. quarta Summa cap. 65. conclus. 6. Portellus V. Professio nulla num. 49. Ego resol. 69. num. 22.*

Quinta pars de æquiuocatione probatur, quia 16
quandocumque iudex fundatur in præsumptione nō censetur iuridice interrogare quoad præsumptionem,

ergo potest æquiuocare deuiando ab intentione, & mente iudicis, quæ fundatur in præsumptione. Quod procedit tam in minori, quam in maiori ætatis. Ita *Sanchez lib. 7. disput. 37. num. 28. Sanct. lib. 1. Var q. 48. num. 15. Portell. Professio nulla 51. Compend. resolut. 101. num. 73. Ego cap. 7. q. 9 de Reclamat. resol. 69. num. 23. Diana par. 3. tractat. 6. Miscell. resol. 30. §. 16.*

QVÆRES X. An transacto quinquennio reclamans audiri possit ab ordinariis iudicibus saltem ad allegandum causam, cur infra quinquennium non reclamauerit.

17 Respond. Nullo modo audiri potest, quia negato principali, prohibentur ea omnia, per quæ ad illud perueniri potest, *ex* Reg. 59. in 6. *Tum quia*, iudicium finiendum est ab eo, à quo fuit cœptum, *l. Si quis postea 7. l. Vbi 30. ff. de iudic.* Non potest autem ab illis finiri, ergo nec inchoari. *Tum quia*, frustratoria est talis admissio, cum postea ab eisdem non possit obtinere suum intentum. Demum, textus est apertus, dum simpliciter per illam negatiuam *Non audiatur* interdicit audientiam, consequenter iudices ordinarij nec causam, cur antea non reclamarit audire possunt. Ita *Bonac. quæst. 2. de claus. par. 10. diffic. 4. num. 4. §. Adrationem. Ego res. 69. num. 41.* Contra Rodriquez *tom. 3. quæst. 17 art. 16. Compend. resol. 101. num. 68. Portellum 11. Professio numero 45. Mirandam parte prima quæstione 30. articulo 1.*

QVÆRES XI. An qui coram Deo suam professionem ratificauit possit adhuc reclamare?

18 Respond. Negatiuè, quia obiectum reclamationis est sola nullitas professionis, quæ ratificatione cœpit esse valida. Confirmatur, quia Tridentinum negat audientiam post quinquennium præsumens professum eam ratificasse, ergo à fortiori negatur audientia ei, qui vere est professus per ratificationem, cum veritas præferatur præsumptioni. *Resol. 69. num. 42.*

QVÆRES XII. An qui sine habitu non est audiendus, habitu resumpto reclamare possit, & tunc sit audiendus?

19 Respond. Reclamans sine habitu non auditur, resumpto autem habitu audiendus est, ac si illum nunquam deposuisset.

Primùm de reclamante sine habitu patet ex textu, ibi: *Quod si ante habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur.*

20 Nam verbum *nullatenus* excludit omnes casus, & omnem potentiam, *Menoch. consil. 383. num. 14. ex l. fin. C de testam. milit.* Importat nullitatem actus, & vim habet decreti irritantis ex allegatis *à Barbosa eadem dict. 226. num. 4. & 5. Ita Barbosa ad hoc capit. num. 24. Lezana cap. 2. num. 7. Miranda tom 1. q. 30. artic. 1. Portellus 11. Professio nulla num. 46. Ego resol. 69. num. 26.* Ratio cur non possit reclamare sine habitu est, quia haberet executionem sententiæ ante ipsam sententiam, nam finis reclamantis est dimittere habitum, & redire ad sæculum. Si sit extra de licentia, potest reclamare, infra in decis. 46. extensa.

Secondùm de reclamante cum habitu resumpto patet. *Tum quia*, depositio habitus solum præiudicat dum in actu, & exercitio est. *Tum quia*, ideo non est audiendus, quia spoliauerat religionem sua possessione, quam eidem restituit resumptione habitus, ideo merito audiendus est. Ita *Miranda tom. primo quæst. 30. artic. 6. Gratian. cap. 413. num. 7. Diana resol. 53. de regul. & alij omnes apud Barbos. hic num 24. qui num. 25. allegat Doctores asserentes* Esse audiendum, quando habet legitimam causam dimittendi habitum *cum Azor. lib 12. cap. 4. quæst. fin. Rodriquez tom. 3. quæst. 17. artic. 17. Sanchez lib 7. disputat. 37. num. 3. Tambur. tom. 3. disputat. 6. quæst. 16. num. 2. Lezana cap. 2. numero 8. Pa qualig. ad Francum parte 1. in Addit. numero 27. Riccius parte 3. res. 320.*

QVÆRES XIII. An causæ reclamationis biennio fini expediendæ sicut terminantur aliæ causæ vigore cap. 20. sess. 24.

Respond. Affirmatiuè, quia in his, in quibus ver- 21
titur periculum animæ mora vitanda est, *cap. Baptizari 3. dist. 5. cap. Ne quod absit 98. dist. 4 de consecr.* Ita *Ioannes Maria Nauar. conclus 55. Riccius par. 4. decis. 273. num. 6. ex illo Cespedes dub 46. de exempt. regul. num. 4. Barbosa ad dictum cap. 20. sess. 24. n. 17. Ego resol 69. num. 8. & 61.*

QVÆRES XIV. An, quando vnus iudex spatio biennij cum alio non vult causam reclamationis expedire, alter eorum possit solus sententiam definitiuam ferre?

Respond. Affirmatiuè, monito prius altero ne- 22
gligente sui officij executionem. Probatur *ex cap. Prudentiam 21. §. Adycimus, de offic. deleg.* Vbi dici-
tur, quod in causa commissa duobus, si vnus non 23
potuerit, vel noluerit procedere, alter nihilominus exequetur, iuncta *glos. 11. Noluerit.* Confirmatur, quia quis ex negligentia perdit iurisdictionem
Glos. fin. cap. Ex transmissa 6. de foro comp. Ita docui 24
cap. 7. de reclamat. quæst. 27. & Resol. 69. num. 8. & 9. Procedit differenter, siue Episcupus, siue superior sit negligens, alter eorum causam terminare potest, cum ambo in hoc sint pares, & vnus altero non sit maior.

QVÆRES XV. Quinam sint illi iudices, coram quibus reclamandum est?

Respond. Sunt superior regularis reclamantis, & 25
Ordinarius ex Tridentino illis verbis: *Coram superiore suo, & Ordinario.* Causa autem incipienda est coram vtroque simul, vt insinuat copulatiua *Et*, quæ de sui natura copula, & coniungit, adeo quod processus instructus ab vno sine altero, est nullus, & inualidus, quia simultas vtriusque est de essentia huius iudicij, probatur ex *cap. Causam 16. de offic. deleg.*
Vbi determinatur, quod causa delegata duobus, sen- 26
tentia vnius non tenet, *Maranta de ordine iudic. par. 4. dist. 5. n. 31. Peregr. lib. 1. Var. ad Rubr. tit. de off. deleg num. 30.* Confirmatur, quia allegatus textus agit de causis matrimonialibus, in quibus non tenet sententia vnius sine alio, ergo neque in casu matrimonij spiritualis. Adeo quod si vnus sine alio declaret nullitatem professionis, non possit reclamans recedere, & si dimisit habitum reducendus est ad claustrum. Ita *Bariola 11. Professio, ex Riccio in praxi aurea resol. 20. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 26. num. 3. Barbos. hic. num. 23. Ego cap. 7. de reclam. q. 24.*

QVÆRES XVI. Quis sit iste *superior suus*, coram quo reclamandum est? Nam alij sunt Locales, alij Prouinciales, alij Generales.

Respond. Superior suus est superior localis illius 27
monasterij, in quo professio emissa fuit à reclamante, & pariter Episcopus in cuius diœcesi est monasterium. Ratio est, quia localis superior propriè dicitur suus superior, quia immediate possidet pro-
fessum, illuc enim pronomen *suus* indicat possessio- 28
nem, quam proprie habet immediatus monasterij superior *argum. eorum, quæ habet Peregr. de fideicom. art. 13. num. 10.* Et cum superior, & ordinarius debeant esse simul in audiendo reclamantem, necessarium quoque est, vt simul sint etiam simultate loci, & diœcesis, vt commodius causam expediant. Confirmatur id ex alio simili de Apostatis, qui olim causas egressus ostendere tenebantur coram Ordinario loci, & superiore monasterij, in quibus prima professio fuerat emissa, *ex Bulla Pauli IV. extensa apud Tambur. tom. 3. disput. 8. quæst 9. Ita Bariola 11. Regulares, Barbosa hic numero 22. Ego capite 7. de reclamat. quæstione 19. Tambur. tom. 3. disputat. 6. quæstione 26 numero 3. Peyrin. de Prælato quæst. 3. cap. 1. numero 156.*

numero 156. *Barbos. Allegat.* 104. *num* 12. *Castropal. par.* 3. *tract.* 16. *disp.* 2. *par.* 7. *num.* 6. *Ego resolut.* 69. *num.* 56.

QVÆRES XVII. Quinam veniant sub nomine otdinarij ad audiendum. teclamantes?

29 Respoud. Venit primo Episcopus, secondo eios Vicarius, capitulum sede vacante, tertio Prælatus Nullius, seu alius habens sub suo territorio monasterium regulare, cuius superior regularis cum ordinario eiusdem loci procedit in causa reclamationis. *Probatur*, quia supradicti omnes veniunt nomine Ordinarij, cum habeant iurisdictionem ordinariam fori externi eum proprio territorio, in quo ius dicere possunt in suos subditoa. Ita de omnibus *Bonacina quæst. secunda de claus part decima difficult.* 3. *num. tertia ex eo Tambur. tom.* 3 *disput.* 6. *quæst.* 16. *n.* 3. *Ego resolut.* 69. *num.* 7. *Donatus parte* 4. *tractat.* 12. *quæst.* 29.

QVÆRES XVIII. An superior regularis monasterij subiecti Episcopo, eum eo sit coniudex in in causa reclamationis? Negat *Castropal. par.* 3. *tr.* 16. *disput.* 2. *part.* 7. *num.* 6. Quia Concilium pustulat vtrumque iudicem, quando sunt diuersi.

30 Respond. Regularis procedit in causa cum suo Episcopo, seu Ordinario, probatur. *Tum quia*, regularis non obstante ea vnione adhuc est superior conuentus immediatus. *Tum quia*. monasteria Episcopo subiecta non carent proprio Abbate, *cap. In vendicationibus* 40. 17. *quæst.* 1. *c. Abbas* 8. *& sequ.* 18 *& quæst.* 2. qui monasterij totam potestatem habeat *cap Nullam* 9. 18. *quæst.* 2. Ergo & hanc, non obstante, quod sit subiectus Episcopo. *Tum quia*, obedientiam præstitit superiori locali, in cuius dicitur esse possessione, non obstante vnione monasterij Episcopo. Ita docui *resolut.* 69. *num* 3. contra præfatum *Castropalaus Barbosam Allegat.* 104. *num.* 11. *Pyrrhum Corradum, quos pro se citat Donatus part.* 4. *tractat.* 12. *quæst.* 19. *num* 8. Et ratione, quia dum vtrumque coniungit, supponit vtrumque adesse. Hæc ratio nullius est momenti, quia monasterium vnitum non caret proprio superiore regulari, & quidem diuerso ab Episcopo, ex quo apparet, rationem istorum, & Castropalai facere pro nobis.

QVÆRES XIX. An coniudices initio processus debeant petere iuramentum reclamaturo, quod antea professionem non ratificauerit?

31 Responder. Affirmatiuè, quia potest esse, quod eam ratificauerit, de qua te se debent certificare, ne cooperentur iniustæ reclamationi, quam tunc facere non potest professus, qui suam professionem ratificauit. Et hoc seruat Curia Romana in in Rescriptis ad reclamandum contra professionem tam infra, quam vltra quinquennium simili clausula: *Dummodo idem exponens professionem huiusmodi tacite, vel expresse nunquam ratificauerit.* Et de hoc iuramento exigenda fit mentio *in Decis.* 14. *apud Dianam par.* 6. Si interrogatus respondet, se non ratificasse acceptatur libellus reclamationis, aliter si ratificauit reclamaus reiicitur. Ita docui *resol.* 69. *num.* 5.

QVÆRES XX. Ao par debeat esse probatio nullitatis professionis? Ratio dubitaudi est, nam aliquando professus nulliter reclamat vt exeat à religione, & reducatur io pristinam libertatem. Aliquando probat nullitatem ad effectum successionis, aut alterius causæ, quæ principaliter non tangit nullitatem professionis.

32 Respond. Quando intenditur exitus à Religione probationes debent esse exactè & firmiores clate concludentes nullitatem professionis; in aliis casibus sufficiunt leuiores probationes.

Prima pars, de exactis probationibus, probatur, quia agitur de re grauis momenti, summa enim est ratio, quæ facit pro Religione, vnde testes debent esse idonei nullam patientes exceptionem, tamen admittuntur etiam mulieres, de qua re dixi *controuer.* 5. *q.* 18. *num.* 54. *&* 55. Confirmatur, quia 33 ad probandam nullitatem matrimonij assumeodi sunt testes idonei, *c.* 1. *de Consang Sanch lib.* 2. *disp.* 45. *num.* 30. ergo & in probatione nullius professionis.

Secunda pars, de alijs casibus probatur ex variis Decisionibus, vna apud *Seraphin. decis.* 1282. *num.* 6. *extensa hic decis.* 7. *apud Dianam par.* 6. §. *Tertio, & dixi resolu.* 69. *num* 12. *&* 55.

QVÆRES XXI. An qui metum incussit profiteri nulliter assumi possit in testem fauore ipsius reclamantis?

Respond. Affirmatiuè, & probatur per *cap. Præsens* 4. 20. *quæst.* 3. *iuncta glos.* 15. *Patris*, vbi nullitas professionis probatur per solum patris testimonium, qui metum incussit. Confirmatur, quia licet pater in causa filij non recipiatur, nec filius in causa patris secundum leges admittitur tamen in causa matrimonij *cap. Videtur* 3. *in accus. matr.* ergo & in causa professionis. Quod solus pater, & quiuis alius metum incutiens sufficiat ad probandam nullitatem professionis. *Tum quia*, nulla probatio melior, & efficacior reperitur, quam proprij oris confessio in facto proprio, *cap. Per suas* 10. *de Probat. cap. Si cautio* 15. *de Fide instrumen. Tum quia*, vbi adest confessio partis, ibi est relaxatio omnis probationis *Bald. lib.* 2. *consil.* 195. *Tum quia*, confessio proprij oris facit notorium, *Mascar. de Probat. consil.* 1356. *n.* 4. *cum Barbos axiom.* 49 *num* 2. *dixi controuer.* 5. *num.* 62. *Mascard concl.* 1244. *num.* 30. 34

QVÆRES XXII. An vnus religiosus pro alio testificari possit in reclamatione?

Respond. Affirmatiuè, probatur, quia quilibet censetur idoneus testis, nisi prohibeatur ferre testimonium, nam edictum de testibus est prohibitorium, vt quilibet admittatur, nisi prohibeatur, *leg.* 1. *ff. de Testibus, glos* 1. *Idanes cap.* 1. *de Testibus.* Confirmatur, quia in causis suorum monasteriorum sunt idonei, tam pro, quam contra eadem monasteria ex allegatis à *Rodriquez tom.* 2. *q.* 11. *q.* 1. Ita *Ego docui controu.* 5. *quæstion.* 24 *num.* 65. *Mascard. conclu.* 1244. *num.* 29. 35

QVÆRES XXIII. An contra reclamantes fieri possit simile statutum? *Ego N. sciens, & volens iuro, me non contrauenturum huic meæ professioni, etiamsi deinceps venero in cognitionem eius nullitatis ex quacumque causa, quia nunc pro tunc illam ratifico, & volo valere.* Ratio dubitandi est, *Tum quia*, hoc statutum videtur tollere Decretum Concilij concedentis facultatem reclamandi. *Tum quia*, non potest ratificari professio, cuius nullitas ignoratur. *Tum quia*, tempore, quo iuratur adesse potest actu impedimentum, quo tunc ratificatio tenere non potest, ergo nec hoc iuramentum valet, vt quod aduersatur Tridentino, & impedimentis, quæ tollere non potest contra ius commune, quod illa posuit.

Respond. Capitulum Generale tale statutum facere potest, de quo instruere debent Nouitios ante professionem. Probatur, *Tum quia*, tale statutum non est contra Concilium, quod non præcipit reclamationem, sed permittit volentibus reclamare. *Tum quia*, tale statutum est valde vtile profitentibus, de quorum salute agitur, experientia enim docet ex centum dimissis ad sæculum vix tres, aut quinque bene vixisse, alijs pereuntibus. *Tum quia*, per illud consulitur tranquillitati, & paci Religionis. *Tum quia*. ad ratificationem sufficit scientia conditionata, vt probaui sub numero 29. Et ex his patet ad rationes dubitandi, nam ad primam dictum est, Concilium non præcipere reclamationem, sed tantum docere modum reclamandi. Ad secundam patet adesse cognitionem conditionatam. Ad tertiam dico iuramentum hoc esse referendum ad negationem recla- 36

mationis, non ad ratificationis nullitatem. *resol. 69. num. 43.*

QVÆRES XXIV. An Religio reclamare viceversa possit contra nulliter professum ad exuendum Habitum?

37 Respond. Affirmatiuè. Probatur. *Tum quia*, non minus censetur læsa Religio alendo improfessum pro professo, quam ipsemet professus detentus contra suam libertatem. *Tum quia*, correlatiua non iudicantur ad imparia, ex vulgatis iuribus, & licet Tridentinum mentionem faciat solum de professis reclamatoribus, & non de Religione, tamen hoc venit ex genere relatiuorum, nam professus, & Religio se habent vt mater, & filius, vt superior, & subditus, ergo quod dicitur fauore professorum intelligitur etiam dispositum fauore Religionis, ex regula correlatiuorum, quod dispositum in vno intelligitur dictum de altero, ex allegatis à *Barbos. axiom. 61. Tum quia*, Religio non debet esse deterioris conditionis, sed potius melioris suo religioso, esset autem si non posset reclamare Religio contra professum, sicut potest professus contra Religionem. *Tum quia*, Aquila probat, num pulli sint eius filij legitimi, an adulterini, palpitantes acie erga solem, statim ab vngue eius dimittuntur, ex *D. Augustin. tractat. 36. in Ioannem*, ergo pari ratione filios adulterinos ex nullitate professionis dimittere potest ad sæculum, dum palpitant in soliditate professionis. Ita docui *Resolut. 23. q. 2. & resol. 69. q. 11. & clare constat infra n. 38. ex Decreto Vrbani VIII. Donatus p. 4 tract. 12. q. 35. vbi me, & Nauar. p. 2. tit. de Reclamat. citat.* In quibus locis docui remedium, quo non possit dimitti, nimirum ratificando antecedenter professionem coram testibus, in eo enim casu Religio amplius contra eum reclamare non potest. Eam conclusionem tenent *Nauarr. par. 2. Summa Bullarum tit. de Reclamat. Donatus par. 4. tract. 12. q. 35. Ego extra hic cap. fin. & resol. 23. num. 6.* cum quibus citatis est *Pasqualig. in Addit. ad Francum p. 1. num. 27. Lezana p. 1. cap. 2. num. 7.* dum dicit Religionem posse eum expellere vltra quinquennium ex *Peyrina de Subdit. q. 1 c. 25. §. 4. vers. Ex quibus*, dum nulliter professos ex statutis Ordinis expellendos esse per solos Regulares Superiores; quos impugnaui *resol. 23. q. 3.* loquendo de impedimentis ad tempus, nam causa in his agenda est ad formam Tridentini.

QVÆRES XXV. Quomodo reclamandum sit ab eo, qui prætendit suam professionem esse nullam defecto Nouitiatus non facti in Conuentu designato à Sede Apostolica ad formam Decreti Clemen. VIII. Pro cuius solutione præmittendum est Clement. VIII. pro Reformatione Nouitiorum edidisse Decretum in quo annullauit omnes receptiones, & professiones emissas non præmisso Nouitiatu in Conuentu designato. Deinde sub Vrbano VIII. mota fuit quæstio super nullitatibus professionum huiusmodi, super qua emanauit Breue super professionibus ratificandis, & sanandis ab iis, qui præmiserant Nouitiatum in Conuentibus non designatis; illud Breue extendi in *cap. 3. de Admiss. ad Profess. sub q. 37. Peyrin. de Priuileg. Addit. ad cap. 12. constit. 7.* Sed quia illud Breue, per quod docebat modum ratificandi huiusmodi professiones sine aliquo ratificantium præiudicio, contrarium habuit effectum ex mala interpretatione nonnullorum asserentium, Breue illos excludere à Religione, vnde multi reclamarunt, & obtinuerunt ab ordinariis sententiam deponendi Habitum, & redeundi ad sæculum, etiam post quinquennium contra tenorem Concilij, ex quo Summus Pontifex idem Vrbanus præclusit viam reclamantibus, ne deinceps exirent amplius à Religione sequenti Decreto.

38 *Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus Diuinâ Prouidentiâ Papa Octauus, ad occurrendum motibus, qui passim in Religionibus oriri occasione receptionis Nouitiorum, & professionis per eos emissa in Conuentibus designatis contra formam Decretorum Sanctæ Memoriæ Clementis Octaui, de Nouitijs ad Habitum Regularem, & professionem non admittendis nisi in Conuentibus designatis. Audita super hoc sententia Sacr. Congreg. Concilij, declarauit, & decreuit, huiusmodi receptos, & professos contra formam dictorum Decretorum, allegantes propterea nullitatem receptionis, & professionis non posse super huiusmodi nullitate post lapsum quinquennij quoquomodo audiri.*

Quod si aliqui contra formam præfatorum Decretorum recepti, & professi è Religione infra quinquennium exire, vel superiores extra eam respectiuè illos eijcere voluerint, eadem Sanctitas Sua declarauit, vt tam ipsi professi quam superiores respectiue teneantur iura, quæ sibi facere visa fuerint prius deducere coram eadem Sacr. Congreg. quæ ex speciali etiam Suæ Sanctitatis facultate super hoc concessa prouidebit.

Inhibendo propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Abbatibus, & Prælatis inferioribus iurisdictionem exercentibus, vt quibuscumque Iudicibus Ordinarijs, & Delegatis, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam de Latere Legatis, Sedis quæ Apostolicæ Nuntijs; ne in posterum in hoc quoquomodo se ingerant absque speciali eiusdem Sanctitatis commissione sub pœna ipso facto incurrenda, quoad Episcopos, Patriarchas, & Primates interdicti ab ingressu Ecclesiæ; quoad Abbates, inferiores, & alios Iudices prædictas excommunicationis latæ Sententiæ. Quoad Nuntios, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos indignationis Suæ Sanctitatis, & pœnarum arbitria eiusdem imponendarum.

Si vero vt supra recepti, & professi iuribus suis minime deductis coram Sacr. Congreg. Concilij, & sine illius expressa licentia à Religione exire, vel Superiores eos eijcere ausi fuerint, ipsi recepti, & professi tanquam Apostatæ puniantur, & pro talibus habeantur, necnon eosdem iuxta formam Decreti de Regul. Apostolic. & eiect. eisdem Sanctitat. Suæ iussu ab eadem Sacr. Congregat. sub die 21. Septembris 1624. editi procedatur. Et superiores, qui eiecerint pœnam suspensionis à Diuinis, necnon priuationis omnium Officiorum quæ tunc obtinebant, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso facto absque alia declaratione incurrant. Datum Romæ quinto Ianuarij 1626.

Hoc decretum extendunt *Peyrinus in Formul. lit. P. cap. 20. Scrofa quæst. 8. in suis Solut. Moral. fol. 64. & Ego resolut. 23. num. 7.* Nonnulli putant illud *infra quinquennium*, legendum esse *post quinquennium*, & rationabiliter, quia Pontifex Romanus, vt colligitur ex antecedentibus, motus fuit ad prohibendum id, quia Iudices nullo modo poterant audire professos post quinquennium reclamentes super huiusmodi nullitate, ergo prohibitio facta per hoc Decretum intelligitur post quinquennium, & non infra quinquennium. His præmissis.

Respond. Prætendens reclamare contra professionis nullitatem defectu Nouitiatus non præmissi in conuentu designato vltra quinquennium, & etiam infra quinquennium recurrere debet omnino ad Sedem Apostolicam. Constat id totum ex præinserto Decreto, & ex dictis supra sub *numero* 13. respectu reclamantium post quinquennium. De huiusmodi Decreto, & breui supra allegato, agit *Lezana parte 1. capite 24. numero 24 parte 2. capite 8. numero 25. & parte 4. Nouitius à numero 3. vbi num. 4.* illud *infra quinquennium*, ita intelligit, quod professi nulliter ex Nouitiatu præmisso extra locum designatum volentes reclamare debeant deducere sua iura coram Sacr. Congreg. tempore præfixo, hoc est infra quinquennium, sed ibi non declarat, 39

à

à quo tempore debeat incipere illud quinquennium, an scilicet à data huiusmodi Decreti, quod verisimilius est in eiua opinione, & sic illud tempus terminauit anno 1641. die quinta Ianuarij. Vnde videtur, deinceps esse simpliciter sublata facultas reclamandi tam extra, quam iuxta quinquennium Tridentini, quod mihi non placet, sed puto etiam in hoc casu speciali nulliter professum audiri posse à Iudicibus Ordinarijs ad formam Tridentini. Vide quæ dixi *resolut.* 8. *per totam, resolut.* 23. & 69. *q.* 33. & 34. vbi dixi, hoc Decretum comprehendere omnes professos tam ante illius datam, quam etiam post professuros.

40 *Donatus part.* 4. *tract.* 12. *q.* 28. vult hoc Decretum comprehendere etiam dispositionem Tridentini, ex *Scrofa q.* 8 *art.* 10. & *ex Pyrro Corrado lib disp. Apost.* 5. *cap.* 14. *num.* 11. hoc est, quod deinceps nullus possit reclamare coram suo superiore, & ordinario ad præscriptum Concilij non solum pro nullitate ex defectu Nouitiatus præmissi extra Conuentum designatum, sed etiam pro qualibet alia nullitate. Sed reuera isti omnino errant, quia legenti, & intelligenti supra extensum Decretum aperte constat loqui tantum, & præcise de hac tantum nullitate ex defectu loci designati. Nec quicquam probant adducta ab illis, dum extendunt illud Decretum ad quascunque nullitates, cum tamen luce clarius notum sit loqui tantum de hac vnica nullitate. Præfatus quoque asserit ibidem nullam professionem cuiusdam conuersi, qui in Dalmatia præiniserat Nouitiatum, in Conuentu non designato, non aduertens, aut ignorans Decretum Clementis Octaui afficere Nouitiatum facientes solum infra Italiam, & Insulas adiacentes; infra quæ loca non est Dalmatia, ideo ex hoc capite tenuit professio illius conuersi.

QVÆRES XXVI. An in reclamatione vocandi sint parentes professi, seu alij interesse prætendentes habere?

41 Respond. Negatiuè, quia principalis causa tangit libertatem professi, ad quam restitui petit reclamando, libertas autem est ius absolutum cuiuslibet personæ independenter ab alia, ergo hæc causa nullis vocatis agitanda est. *Confirmatur*, quia licet ex professione declarata nulla sequatur nullitas renuntiationis, non ideo tamen fit iniuria renuntiatario, quia ea dispositio facta fuit in ordine ad professionem validam, & non aliter, ergo iure merito renuntiatum recuperat, vnde cum ex hoc renuntiatarius nullum habeat ius retinendi alienum, sed illud restituere debeat, nulla ratio suadet, cur sit citandus ad tuenda sua iura, quibus in casu hoc caret. Ita docui *resol.* 69. *q.* 38. *Pasqualig. in Addit. ad Francum par.* 1. *num.* 27. *Donatus par.* 4. *tract.* 12. *q.* 19. *num.* 11. vbi citat *Ioannem Baptistam Larream in decis.* 63. & 64. *Senatus Granat.* vbi rem late tractat, & citat *Gratian. c.* 851. *n.* 4. Nihilominus nunc causæ tractantur citatis interesse prætendentibus conceduntur enim rescripta cum ea clausula, & super hac re extat *decis.* 411. *apud Rubeum tom* 3.

QVÆRES XXVII. Quando superior conuentus vult reclamare, coram quo superiore regulari debet deducere iura sua? An sufficiat recurrere ad solum Episcopum?

42 Respond. In hoc casu debet renuntiare officio, & causas nullitatis suæ professionis deducere coram Ordinario, & superiore, qui in eius locum successit. Quod si impetret Rescriptum tacito nomine officij puto illud non valere tanquam subreptitium, non enim Papa illud concessisset, si in memoriali narrasset se esse superiorem conuentus, ideo debet prius dimittere officium.

QVÆRES XXVIII. An sacerdos reclamaturus ipso iure sit suspensus ab vsu ordinum, quos suscepit nulliter professus?

Respond. Negatiuè, quia si poterat ante exercere actus ordinis Sacri Rite, etiam pòst illis vti potest, eo quod reclamatio actum alias licitum non reddit illicitum. *Confirmatur*, quia vt dixi *resolut.* 67. *q.* 15. & *hic cap.* 12. *à num.* 40 *ad* 48. Adde, quod Bulla Pij Quinti 75. in Bullario Nouo, & 22. apud Rodriquez extendens Decretum Tridentini sess. 21. cap. 2. ne quis ordinibus maioribus initietur clericus sæcularis sine patrimonio ad clericos religiosos more regularium intra claustra in communi viuentes, qui nunquam, vel non nisi ad certum tempus professionem emittunt, non loquitur de religiosis profitentibus statim finito Nouitiatu, vt patet ex allatis verbis eiusdem Bullæ, ideò non dicuntur incurrisse pœnas professi nulliter ministrantes in suis ordinibus, ac si eos recepisset vti vere professi. 43

QVÆRES XXIX. An reclamans interim alatur à monasterio, & causa tractetur eiusdem conuentus expensis?

Respond. Conuentus tenetur alere reclamantem vsque ad sententiam definitiuam. *Tum quia*, vsque ad illud tempus dicitur eius filius, licet adulterinus. *Tum quia*, cum in monasterio cum Habitu maneat sicut ante, & inseruiat, sicut cæteri meretur alimenta. Ita *Bartol de Alimen. num.* 43 *quem citat Surd tit.* 1. *de Alimen. q.* 128. *fine, cum illis Vecch. disp.* 14. *dub.* 1. *num.* 1. vbi idem ait dicendum, quando monasterium contra illum reclamat. 44

Quoad expensas litis, puto Conuentum ad nihil teneri, quia non est rationabile, quod quis consequatur vtilitatem ab eo, quod impugnat. *Tum quia*, commodum quis consequi non debet ex contractu, quem non impleuit, *leg Iulianus.* § *Offerri ff. de Act. Empt. Gozad. consil.* 1. & 31. *Tum quia*, per reclamationem sentit commodum, quia restituitur antiquæ libertati, ergo æquum est, vt sentiat incommodum expensarum. Sententia lata eum tanquam exhæredatus habeatur, de suo deinceps viuere tenetur. De *Alimen egi controu.* 16. *q.* 7. & *ref.* 69. *q.* 16 *n.* 33.

QVÆRES XXX. An iniuste dimissus teneatur redire, & Religio illum recipere, & quomodo?

Respond. Iniuste dimissus tenetur redire, & religio illum recipere, quia reuera non dicitur exhæredatus, ergo vti legitimus debet redire ad claustrum. *Confirmatur*, quia adhuc est filius Religionis, ergo Religio, vt eius Pia Mater debet eum amplecti. Et hoc facere debet sine alia forma, & solemnitate, dummodo sibi constet de iniustitia. Iniuste autem dicitur dimissus, qui falsis testibus probat nullitatem suæ Professionis. Pariter cum vnus Iudex dimittit alio non vocato. Item cum dimittitur ab illis vltra quinquennium, cum id sit munus solius Romani Pontificis. Et in similibus casibus. Qui ergo solus Iudex nulliter professum dimisit tenetur sic dimissum iniuste, & inualide procurare, vt redeat ad Claustrum, vt refert decisum *Barbos allegat.* 104. *num.* 15. & pluribus docui *resolut.* 8. 45

QVÆRES XXXI. An alter Iudex sine altero licite & valide dimittat?

Respond. Si requirat alterum Iudicem, & nolit concurrere, vel renuntiet iuri suo, valet dimissio, inualida vero est, si alter procedat in causa, altero non requisito. Et quando causa ab vtroque producta fuit vsque ad finem biennij, & alter est negligens, alter vtiliter procedit ad sententiam. 46

Prima pars de requisito non curante probatur, quia in hoc casu censetur suam potestatem delegasse alteri conindici. Neque iustitia patitur, vt reclamanti præcludatur via ad obtinendum suum intentum. *Confirmatur, ex cap Prudentiam* 27. *de Offic. Deleg.* vbi dicitur, quod in causa commissa duobus, si vnus noluerit procedere, alter exequetur.

Secunda pars, de irrequisito probatur ex dictis *quæst.* 15. quia quandocumque duo Iudices debent in

Causa procedere, si vnus fine alterius requisitione agit, nihil operatur, *cap. Causam 16. de Offic. Deleg. Menoch de Arbitr casu 187. num. 11. cum alys Barbosa ad cap. Prudentiam 21. eodem numero quarto.*

Tertiam partem probaui supra sub q 14. Vide ibi.

QVÆRES XXXII. An hæc potestas audiendi, & dimittendi nulliter professos sit ordinaria, ao delegata in superiore, & ordinario?

47 Respond. Potestas hæc in vtroque est ordinaria, quia ea iurisdictio est ordinaria, quæ à lege conceditur perpetuo dignitati, sine ea clausula: *Tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus* Ex doctrina *Bartoli in leg.*

48 *Ambitiosa, ff de Decretis ab Ordinar. fallu num 34. Couar. lib. 3 Var. cap. 10. num. 9. Rodriquez. tom. 1. quæst. 17. art. 11.* Siue illa dicitur iurisdictio ordinaria, quam quis habet iure sui officij, & dignitatis, ex allatis à *Barbosa super Rubr. de Offic. Ordinar.* Sed ambo eam potestatem habent à lege vt de Episcopo patet *cap. 1. de Regular.* & de vtroque in hoc capite, in quo potius supponitur, quam de nouo illis conceditur, dum præscribitur reclamanti, vt causas suas deducat coram Ordinario, & Superiore Conuentus. Et illa vtuntur ex officio suo, cum ibi nominentur sub nomine Dignitatis, & Officij, ergo in eis est ordinaria. Ita docui *resolution 69 q. 13.* Tamen in *cap. 7. de Reclamation. quæst.* 18. Docueram eam potestatem esse Delegatam, non Ordinariam, & ibi satisfeci obiectionibus mutando opinionem.

QVÆRES XXXIII. An legitime dimissus recuperet omnia, quæ intulis in Religionem, & quæ in ea acquisiuit?

49 Respond. Donata absolute etiam occasione ingressus non recuperat; neque ea, quæ post professionem acquisiuit titulo, & officio religioso, quoad proprietatem, sed tantum quoad vsum. Secum vero transportata, aut ex parentibus acquisita intuitu professionis recuperat.

Primum de rebus donatis simpliciter probatur, quia ea reliquit simpliciter, præsciodendo ab actu professionis, licet ingressus dederit occasionem donationi, non tamen causam conditionatam, & in hoc nulla est difficultas.

Secundum de acquisitis titulo religioso probatur, quia ea acquisiuit ex officio religioso, ac si vere fuisset professus, vnde ipso iure acquisita fuerunt conuentui, quoad proprietatem. Relicta ex testamento, seu ab intestato cum respiciant potius personam, quam Religionem recuperantur ab eodem etiam quoad proprietatem.

Tertium, de transportatis, & acquisitis infra annum probationis probatur, *Tum quia*, in tantum acquiruntur Religioni, in quantum tenet professio. *Tum quia*, reclamans dimissus in hoc æquiparatur Nouitio, cui abeunti omnia sunt restituenda, ex *cap. 16 sess. 25.* iux à quod dixi *cap. 13 q 33. Tum quia*, acquisita in secunda Religione, in qua non tenuit professio restituuntur priori, in qua vere est professus, *Rodriquez tom 3 q 5 art 17 cum suo Compend. resol. 123. n 82 Nauar commen. 4 de Regul. n. 23. 6 Vndecimo, cum alys Ego resol. 59 n. 45 & 7 de Reel q 34.*

QVÆRES XXXIV. An legitime dimissus recuperat ea, quæ ter uni auerat ad formam Tridentini?

50 Respond. Affirmatiuè, quia renuntiationes huiusmodi non valent, quando professio fuit inualida, vt docent omnes cum *Sanchez lib. 7. c 5 n. 55. Peyrin. ad Constitu. 2 Sixti IV. num. 78. & aly communiter.*

QVÆRES XXXV. An dimissus per sententiam legitimam possit statim ducere vxorem vir, & fœmina maritum?

51 Respond. Affirmatiuè, quia omnino liber manet, ac si nunquam ingressus fuisset Religionem, loquor de illis, qui non sunt in sacris constituti. Nec obsta

decision. 411. tomo tertio apud Rubeam, in qua Eleonora monialis alias per sententiam dimissa, & viro copulata sequestrata fuit in loco separata à viro, quia illi opposita fuerat ratificatio professionis, qua posita, & probata sequebatur, eam sententiam nullitatis professionis fuisse falsam, & inualidam. Negat *Diana parte sexta, tractatu septimo, resolut. 51.* dimissum posse ducere vxorem, quia adhuc manet ligatus voto simplici Castitatis. Sed eius dictum refutauimus sub *cap. 20. à num. 1. ad 13. resol. 69. n. 49. & controuer. 16. quæst. 5.*

QVÆRES XXXVI. An dimissus, qui erat illegitimus, possit in sæculo promoueri ad omnes Ordines? Quid si fuit dispensatus à superiore Regulari ad ordines, & dignitates?

Respond. Nullo gaudet priuilegio, quia inualida professio nullum producit bonum effectum in nulliter professo ex probatis sub *cap. 10. anstu.* Dispensatio autem potuit prodesse manenti in Religione, non autem exeunti, sicut inutilis est transeunti ad secunda vota, ex *Rodriquez tom. 1 q 13. art. 13.* Sicut nec dispensatio facta in sæculo prodest eidem postea religioso, nisi sit legitimatio, *Compend. resolut. 52. num. 44. alys citatis.* 52

QVÆRES XXXVII. An dimissus legitimè, si pœnitentia ductus velit redire, an, & quomodo possit recipi? Dixi *legitime*, quia aliter dimissus reuocandus est ad claustrum.

Respond. Est in libertate superiorum illum recipere; est autem recipiendus eo modo, quo primo venientes ad Religionem sæculares admittuntur, ac si nunquam fuisset religiosus; ratio vtriusque est, quia æquiparatur primo venienti, per sententiam etiam dimissionis perdidit quæcumque vera, si aliqua habebat. Possunt illi condonare nouum Nouitiarum *cap. 10. quæst. 15. & resolut. 8. num. 65.* tenetur professionem formaliter emittere, cum prior fuerit nulla, & per sententiam talis declarata non amplius eadebat sub ratificatione, *resolut. 8. num. 66.* tenet locum vltimum, & noua iura acquirit sine respectu ad antiqua, *ibidem n. 67. & 68. Donatus p. 4. tract. 8. q. 15.* 53

CAPVT XXIII.

De Obedientia Religiosa.

1 *Essentia Religionis consistit in tribus Votis.*
2 *Obedientia alia generalis, alia specialis.*
3 *Differentia vtriusque.*
4 *Inobedientia opponitur Obedientiæ.*
5 *Obedientia est debita superiori de iure Naturali, & Diuino.*
6 *Obediendi forma, regulatur à ratione subiectionis.*
7 *Obedientia Religiosa definitur.*
8 *Votum seruandi omnem legem, & nunquam peccandi non valet.*
9 *Professus obedire tenetur ex duplici virtute.*
10 *Professus voto Obedientiæ tradit vsum sua voluntatis superiori domino.*
11 *Superior præcipere potest tantum ea, quæ sunt secundum Regulam.*
12 *In qua continentur explicite, vel implicite.*
13 *Arctiorem vitam nemo suscipere cogendus est.*
14 *Quænam implicite contineantur in Regula.*
15 *Pestis tempore subditus tenetur seruire religioso.*
16 *Concionatores, Lectores, & Confessary quomodo obediunt Prælato suo.*
17 *Contemptus est peccatum mortale.*
18 *Non obedire ex contemptu formali raro accidit.*
19 *Præceptum superioris obligare sub culpa tribus modis cognoscitur.*
20 *Præceptum super re alias obligatoria, obligat sub culpa.*

21 *Praeceptum obligat quando est ex verbis religiosis.*
22 *Censurarum poena arguit obligationem praecepti, cui additur.*
23 *Locum habent, quando alias res praecepta obligat sub culpa.*
24 *Praeceptum in virtute S. Obedientiae, non semper peccatum mortale.*
25 *Poena censurarum arguunt quidem culpam, sed illam non specificant.*
26 *Superior praecipit sub poena excommunicationis.*
27 *Etiam sine scriptis, sed ore tenus tantum.*
28 *Oracula tantum praeiudicialia intelliguntur reuocata.*
29 *Apicibus iuris non tenentur.*
30 *Legislator non afficitur poenis* cap. 1. de senten. excomm. in 6.
31 *Excommunicationē ab homine latam non sibi reseruat.*
32 *Praecipere potest, vt leges Ecclesiastica & Diuina obseruentur.*
33 *Actus internus non praecipit.*
34 *Superiori se fundanti in falsa praesumptione non obeditur in occulta.*
35 *In dubio superiori est obediendum.*
36 *Opinione ductus habet arbitrium obediendi, vel non obediendi.*
37 *Iudex secundum leges iudicare debet.*
38 *Superior & Iudex minister legis ad obseruantiam.*
39 *Lex potentior est ministro legis.*
40 *Poenitens non tenetur sequi opinionem Confessarij.*
41 *A posse ad debitum non infertur.*
42 *Superior est in possessione iuris praecipiendi, non tamen in possessione vsus.*
43 *Superior nulliter electus ius habet ex titulo colorato, & errore communi.*
44 *Censurato etiam vitando est obediendum.*
45 *Excommunicatus toleratus suam potestatem non perdit.*
46 *Vtique vitandus eam potestatem quae est iurisdictionis pendentis ab ordine, non vero dominationis, aut superioritatis.*
47 *Actus dependentes à iurisdictione Ecclesiastica ordinis numerantur.*
48 *Praecipere in virtute S. Obedientiae est actus superioritatis.*
49 *Suspensus ab officio scilicet ordinis, & iurisdictionis ab ordine pendentis.*
50 *Suspensionis solus clericus capax.*
51 *Suspensio ab homine est potius quaedam poenalis priuatio.*
52 *Accusato superiori est obediendum.*
53 *Obedientia in totum praescribi non potest.*
54 *Opinionem propriam superioris esse sequendam praecipi non potest.*
55 *Officium sui ordinis recipere cogi potest.*
56 *Extra ordinem nequaquam.*
57 *Transitus ad secunda vota praecipi non potest.*
58 *Missa applicatio facienda per subditum praecipi potest.*
59 *Et si superior applicet valet contra applicationem subditi.*
60 *Applicatio non necessario pendet à celebrante.*
61 *Neque est de essentia sacrificij.*
62 *Illicita à nullo praecipi possunt.*
63 *Reuelanda praecipere potest.*
64 *Abbatissa praecipit eo modo, quo superior potestate dominatiua, & superioritatis, & obligat sub culpa.*
65 *Ad poenam subeundam immediate sub culpa obligat.*
66 *Quotuplex peccatum faciet transgressor Regulae.*
67 *Praecepta Diuina. & Ecclesiastica licet sint in Regula, non sunt tamen de Regula.*
68 *Religiosus non plus peccat, quam Saecularis ex ratione transgressionis.*
69 *Contenta in Regulis sunt praecepta, non vota, nisi id exprimatur.*

NOuitius professione trium votorum, quae sunt Obedientia, paupertas, & Castitas constituitur in statu monachatus, & religiositatis, & incipit esse religiosus cum antea non esset talis proprie, stricte, & irreuocabiliter dictus, in tribus enim praelibatis votis consistit essentia religionis vt si. Haec 1
est communis Doctorum sententia, quos citaui supra hic *cap. 1. num. 90. & cap. 18. num. 11.* De illis ergo sigillatim aliquid dicendum est, & quidem primo de Obedientia, in hoc capite, de aliis duobus in sequentibus.

QVAERENDVM autem Primò est, quotuplex sit obedientia?

Respond. Obedientia alia dicitur generalis, & legalis, seu materialis, alia vocatur specialis, seu praecepti, vel formalis. Generalis obedientia est virtus inclinans subditum ad obseruationem legis, quam exequitur homo tractus, & illectus à bonitate ipsius rei per legem praescriptae, superiore non exigente illius executionem. Specialis vero pariter virtus est inclinans subditum ad exequendum praeceptum sibi à superiore factum super legis obseruatione. Vtraque autem obedientia in eo conueniunt, quod habent pro obiectu rem moraliter bonam, honestam, & conuenientem rationi, quam subditus facere tenetur vel immediate sub obligatione culpae, vel saltem sub obligatione poenae, quod dico propter constitutiones regulares quae fere in omnibus religionibus non obligant sub culpa, sed tantum sub poena; obiectum igitur obedientiae tam generalis, quam specialis non solum est res lege praecepta, quae immediate sub culpa mortali, aut veniali obligat ad sui obseruationem, verum etiam ordinationes, & constitutiones quaedam, leges improprie dictae, quae tantum ad poenam constringunt, ne nimis fidelium animae grauentur. Lex ergo, & constitutio sunt materia vtriusque obedientiae in tota sua latitudine acceptae, nam religiosus ieiunans, v. g. diebus Mercurij siue ex praescripto Regulae, aut Constitutionum, siue ex iussione superioris praecipientis dicitur obedire constitutioni, & superiori Differunt in eo, quod obe- 3
dientia generalis respicit bonum faciendum lege praescriptum, vel constitutione, superiore non exigente executionem obseruationis. Specialis vero respicit idem bonum exequendum quia à superiore iubetur, nam superior est minister legis praeceptae à subdito exequendae. Materia igitur obedientiae ge- 4
neralis est ipsa lex, & constitutio. Materia vero obedientiae specialis est praeceptum superioris ore tenus factum subdito, vt exequatur sibi a superiore iussum, & imperatum, vnde vt plurimum iussio, & imperium supponunt renitentiam in subdito abhortente executionem rei praeceptae. Non est autem necesse, vt actus à superiore imperatus fiat ex motiuo imperij, si fiat ex fine suae bonitatis intrinsecae ipsi rei praeceptae, quae sola deberet subditū allicere ad obedendum.

Virtuti obedientiae opponitur vitium inobedien- 5
tiae, quod consistit in omissione eius, quod lege, & praecepto imperatur, sicut enim superior viua voce dicitur praecipere, & imperare, ita & hoc idem praestat lex vox mortua, quae continuo imperat subditis executionem eorum, quae illis praescribit, ex quo dicitur l. Arriani, ff. baetei. quod lex semper loquitur, praecipiendo scilicet sui obseruationem. Subditus ergo dicitur inobediens omittendo id, quod debet facere, & resistendo voluntati superioris praecipientis obseruationem legis. Ita omnes Theologi *cum D. Thoma 2. 2. quaest. 104. Sanchez lib. 6. c. 1. Azor. lib. 12. cap. 13 Lessius lib. 2. cap 46 dub 4 Rodriquez tom. 3. quaest 19 art. 1. cum suo Compend. resol. 103. initio, Bassaeus Capucinus 12. Obedientia, & alij communiter, cum Peyrino de subdito, initio.*

Notandum autem est, quod obligatio praestandi 6
obedientiam suis superioribus est iure naturali, &

diuino, loquendo de vtroque genere obedientiæ, vt patet ex illo decalogi præcepto *Honora parentes*, subintellige ex doctrina omnium Catholicorum, nō solum carnales, sed etiam spirituales, qui sic dicuntur ex potestate siue dominatiua, siue iurisdictionali, quam habent maiores in minores, superiores in inferiores, ad quod facit illud ad Roman. c. 13. initio *Omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta est*, idest, habentibus in terris potestatem præcipiendi, & imperandi sibi subiectis, vnde subdit: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Obediendum est superioribus non solum timore pœnæ, quæ imminet transgressoribus, sed etiam propter culpam, quam quilibet euitare debet obediendo.

6 Forma autem & norma obediendi accipitur à ratione subiectionis, à qua executio obedientiæ regulatur, & specificatur. Nam & si omnis homo obedire tenetur, non tamen cuilibet superiori, sed tantum proprio, & non alieno, sicut nec quilibet superior cuilibet subdito præcipere, & imperare potest, sed tantum suæ potestati, & iurisdictioni subditis. Regulator ergo per hoc obedientia, vt subditus teneatur obedire ei superiori, cui subditur, & in ea re, cui subditur, correlatiua enim, vt sunt subditus, & superior, se inuicem respiciunt sub eodem genere relationis æquiparantiæ nuncupatæ, adeo quod extra illud esse non possunt, sed sub eo comprehenduntur sub sua formali ratione talis subiectionis, & superioritatis, in moralibus enim descendendum est ad singularia, vnde subditus Duci Parmæ non est subiectus Duci Mutinæ, nec Dux vnius est Dux alterius, nec regularis est subditus Episcopo, nec Clericus Abbati, itaque subiectio, & superioritas ab eadem ratione proxima regulantur, & specificantur quasi in ratione vniuoca coniunctione e. gr. religiositatis eiusdem professionis subditi, & superioris; vel in ratione materiæ, vt in collatione ordinis facta per Episcopum clerico regulari, sumenda ergo est subiectio, & superioritas proximè, & formaliter, non materialiter nec remotè, attentata etiam materia, circa quam obedientia præstanda est, quia potest esse quis subditus alicui in multis causis, & non in omnibus, respectu quarum tantum dicitur materialiter subditus.

Quoniam autem obedientia, quæ per professum præstanda est superiori regulari de necessitate status religiosi habet adiunctum votum, sicut virtus Paupertatis, & Castitatis, in quibus, vt supra dixi, consistit essentia religionis affectis vinculo voti, ideo videndum est quid sit obedientia religiosa.

QVÆRES II. Quid sit obedientia religiosa?

7 Respond. Est virtus specialis coniuncta cum virtute religionis ex parte voti professum inclinans, & obligans sub culpa ad exequendum ea, quæ ei præcipiuntur à superiore in ordine ad obseruationem Regulæ, quam professus fuit, cui proprium dominium suæ voluntatis tradidit.

Dixi primo, quod obedientia religiosa est virtus, quia in ratione virtutis conuenit cum aliis virtutibus, per quas homo disponitur, & determinatur ad bene operandum, est enim virtus bona qualitas mentis nostræ, qua Deo operante bene viuimus in obseruatione mandatorum eius, *ex Diu. Thoma 2. 2. q. 55. art. 4 Scoto in 3 dist. 33. q vn. & dist. 36.*

Dixi 2. quod est specialis virtus, quia obedientia hic explicata restringitur ad eam, quæ ex vi specialis præcepti exercetur à professo, qui se ex voto obligauit ad obediendum in iis, quæ spectant ad Regulam, ac proinde cum non se obliget ad obediendum in omnibus, non potest dici obedientia generalis, & legalis. Adde quod cum obedientia generalis referatur ad obseruationem omnium præceptorum in tota sua latitudine prout lege præscribuntur, ideo non posse huic legali obedientiæ 8
addi votum obseruandi quæcunque lege præcipiuntur, quia hoc votum est de re moraliter impossibili, cum quis secundum legem Dei ordinariam non possit vitare omnia peccata; & licet obligatio seruandi totam legem homini sit possibilis, quia est connaturalis ipsi naturæ humanæ ad instar eius proprietatum, tamen cum obligatio voti non sit ante eius exhibitionem necessaria, sed solum voluntaria, & libera, postulat potentiam moralem, quæ ad votum non supponitur, ideo natura humana ad obseruationem legis contenta est potentia naturali, per quam potest euitare omnia peccata, Deo adiuuante. Vide *Rodriquez tom. 2. summa capit. 49. numero 4. Sanchez lib. 4. cap. 4. num. 10. Bassam 11. Votum 11. num. 4.*

Dixi 3. Obedientiam habere adiunctum votum religionis, nam ex hoc vocatur cum addito religiosa, quia simplici obedientia, vt clericus secularis audit Episcopum, non obtemperat superiori religiosus, sed ex obligatione voti. Itaque professus ad obediendum suo superiori mouetur ex du- 9
plici virtute, obedientiæ scilicet, & religionis, titulo obedientiæ professus tenetur obedire superiori ex pietate, & obseruantia erga illum, quia ipse pro subditis inuigilat, vnde dignus est, vt per hoc honoretur à subditis, denominatione quoque voti seipsum constrinxit ad obediendum, per quod Deo exhibet cultum promissum in professione regulari; actus ergo obedientiæ à professo præstitus superiori duas in se includit qualitates bonas, sicut à duabus virtutibus procedit, nimirum obseruantiæ respectu superioris, & latriæ erga Deum, honoratur ergo Deus à professo votum suum exequente, & ipse superior reueretur, dum subditi recipit obedientiam.

Dixi 4. quod obedientia religiosa professum obligat, quia professione, in qua hæc duplex virtus exprimitur, religiosus se obligat ad obseruandum illum statum, in quo se voluntariè posuit, exequendo voluntatem sui superioris.

Dixi 5. in ordine ad obseruationem Regulæ, quia promissio limitatur, & restringitur ad ea, quæ pertinent ad Regulam, est enim obedientia specialis, non generalis, quæ in professione promittitur à Nouitio, ideo regulatur ab iis, quæ continentur in Regula expressè, vel implicitè, cuiusmodi sunt ea, quæ faciunt ad illius conseruationem, & obseruationem.

Dixi 6. Demum profitentem professione obe- 10
dientiæ tradere seipsum sub potestate superioris, cum se priuet, & abdicet à se dominium, & vsum propriæ voluntatis, illud transferendo sub potestate, & dominio superioris, vnde per hoc dicitur carere velle, & nolle, dum vtrumque superiori donauit. Hanc traditionem *ex Suar. tom. 3. lib 10. capite 3. notauit Castropal. par. 3. tractat. 16. disp. 4 p. 1. num. 1.*

QVÆRES III. Quid præcipere possit superior suo subdito, qui ei obedientiam promisit?

Respond. Præcipere potest ea, quæ sunt secun- 11
dum Regulam, eo quod Nouitius promittit obedientiam secundum Regulam. Ita omnes *cum S. Thoma 2. 2. quæst. 186. artic. 9.* Ea autem, quæ sunt secundum Regulam sunt in duplici differentia, alia enim sunt explicitè, & expressè comprehensa in 12
Regula, qualia sunt ea, quæ in ipsa leguntur; alia vero in ea continentur implicitè, & virtualiter, qualia sunt ea omnia, quæ conducunt ad obseruationem, & conseruationem ipsius Regulæ, cuiusmodi sunt constitutiones, ordinationes, & pœnæ, seu pœnitentiæ impositæ transgressoribus, hæc enim, & similia superior præcipere potest, & subditus obedire tenetur, quia sunt secūdum Regulam, secundum quam

quam promisit obedientiam. *Confirmatur*, qoia si vltra quod Regula dictat expresse, vel impii.ité, superior præcipere posset, iam valcret cogere subditum
13 ad vitam arctiorem, quam non promisit; hoc autem facere non potest, vt notat *glos. 11. Voti cap. Integritas* 13.32. *quæst.* 1.*cap. Gesta* 2. *dist.*74.c 1. *Crescere*, & 11. *Ex eiectis cap. Relatum* 7. *Ne clerici, vel mon.* Ergo tantum præcipere potest ea, quæ sunt in Regula explicitè, vel implicitè, non autem, quæ sunt extra, præter, aut supra Regulam. Ita *Angelus* 11. *Religiosus num.* 29. *Cordubam Reg. S. Franc.cap* 10.q.2. *p.*6. *Angles par.* 2. *quæst vn. de voto artic.* 2. *diff.*15. *Rodriquez tom.*3. *quæst.*19. *art.* 3. *cum suo Compend. resolut.*102, *num.*4. *illis Sanchez lib.*6.*cap.*2.*num.*15. *Suar. tom.* 3.*de Relig.lib.*10.c.8.*n.*6.*Castropal.par.* 3.*tract.*16. *disp.*4.*p.*4.*n.* 2. & *alij omnes.*

QVÆRES IV. Quænam sint ea, quæ implicitè continentur in Regula, vt superior scire possit, quæ præcipere valcat præter expressa, de quibus non est dubitandum.

14 Respond. Dari regulam generalem, ea dici implicitè, & virtualiter contineri in Regula, quæ necessaria sunt, seu conducunt proximè ad illius obseruationem, vt dicunt omnes præcitati. Referam aliquot exempla.

Primò præcipere potest obseruationem constitutionum, quia illæ fiunt à superioribus in ordine ad conseruationem, & obseruationem Regulæ.

Secundò præcipere potest executionem pœnarum, & eas imponere transgressoribus, vt hac ratione reducantur ad obseruationem, vt omnes docent cum *Sanchez libr.*6.*cap.*2.*num.*45.*Suar.tom.*3. *de relig. lib.*10. *cap.* 8. *num.*7.*cum eis Castropal. disputat.*4 *p.*4. *num.*5.

Tertiò, stante aliqua publica necessitate religionis potest indicere ieiunium, orationes, disciplinas, Ita Lessius, & Layman apud dictum Castropal. Ea ratione, quia Episcopus id præcipere potest suis subditis, à fortiori prælatus Regularis, cui magis est subiectus professus.

15 Quartò, tempore pestis præcipere potest, vt curam habeant infirmorum religiosorum suorum peste infectorum, mittendo etiam eos de vno conuentu ad alium, quia id munus pertinet ad commune religionis. Ita *Rodriquez tom.*3 *quæst.*31 *art.*3 *Suarez tom.* 4 *tractat.*8. *lib.*2.*cap* 9.*num.*19. *Sanchez libr.*6. *cap.*2. *num.*56.*ex illis Castropal.par.*4.*num* 6.§.*Ex quibus.* Id autem pro extraneis præcipere non potest, quia non conducit ad conseruationem Regulæ, seu status religiosi, qui custoditur præscriptis in Regula, & constitutionibus expressè, vel virtualiter, non extraneis actibus.

16 Quintò præcipere potest, vt Concionatores, Confessarij, & Lectores suum exequantur officium tempore debito pro vtilitate fidelium, & commoditate, ac decore Ecclesiæ; non potest tamen de nocte mittere ad audiendum confessiones infirmi, nec ad habendum coram de illo, quia officium Confessarij exercetur solum in Ecclesia propria, & non extra. Nec Lector tenetur extraneis legere, sed tantum suis religiosis, pro quibus instituitur Lector. Concionatoris vero officium videtur subdi superioribus respectu alienarum Ecclesiarum, quia ordinatur indifferenter ad omnes fideles; vnde cum Religiosi volunt concionari maximè in Aduentu, & Quadragesima Domini in propria Ecclesia petunt tantum benedictionem ab Episcopo, in extraneis vero etiam licentiam. Officium vero Confessarij exercetur præcisè in propriis Ecclesiis pro obsequio eorum, & vtilitate fidelium accedentium ad dictas eorum Ecclesias, & non extra, quia finis Regulæ est, vt propriæ Ecclesiæ seruiant Confessarij, & non alienis, quarum curam habere superiores non tenentur.

QVÆRES V. Quomodo cognoscatur præceptum superioris obligare subditum sub culpa mortali, aut veniali ad sibi obtemperandum? Suppono 17
vsum, tunc subditum peccare mortaliter, siue transgressio sit circa rem grauem, siue leuem, quandocunque ex contemptu non vult obedire, quod contingit, quando subditus præcisè non vult obedire, quia superior est præcipiens, & quatenus res præcipitur facienda, contemnendo superiorem, & præceptum. Ita cum *Diu. Thoma* 2.2. *quæst.*186.*art* 9.*ad* 3. *Sanchez lib* 1.*capit* 5. *num* 8. *Peyrin. de subd. quæst.*1. *capit.*5 §.1. Sed raro contingit contemptus, cum sub- 18
ditus vt plurimum resistat præcepto vel ex passione, vel ex odio, vel ne superior habeat victoriam, & consolationem, vel ex alio fine, & interesse proprio. *Mirando tom.*1. *q.*26 *art.*4.

Respond. Tribus modis cognoscitur præceptum 19
superioris obligare sub culpa, & quidem mortali, si sit de re graui, sub veniali vero, si sit de re leui.

Primò præceptum est obligatorium, quando res 20
præcepta obligabat etiam ante præceptum, vt ieiunium Quadragesimale ab Ecclesia iam indictum, ieiunium præscriptum die Veneris in prima Regula S. Francisci; in his, & similibus casibus præceptum formale superioris eodem modo obligat, quo præcedens præceptum legale, quia superior de iure se accommodat dispositioni legali fundatæ in qualitate rei præceptæ.

Secundò, præceptum est obligatorium, quando 21
superior vtitur verbis rigorosis explicantibus eius intentionem esse vt obliget subditum ad obediendum in se alias præcepta, quod solet à Prælatis communiter fieri similibus verbis, præcipiendo in virtute S. Obedientiæ, S. Spiritus, per merita sanctæ obedientiæ, hæc & similia verba arguunt obligationem sub culpa ad obediendum, licet si diceret resistenti; volo vt hoc facias, siue velis siue nolis; obedias, aliter conijcias te in carcerem, altercando cum subdito, licet præfatis verbis non vtatur. Ratio est, quia superior talibus verbis præcipiendo manifestat subdito eius obligationem, qua ex voto obedire tenetur. Ita omnes *cum Caietan.* 2. 2.*quæst.*186.*art.*9.*Rodriquez in summa part.*1.*cap.*194. *num.*2. *Sanchez libr.*6.*cap.*4.*n.*43. *Peyrin.de subd.q.*1. *c.*5 § 4.*concl.* 3.

Tertiò, præceptum est obligatorium, quando ei- 22
dem adijcitur pœna spiritualis censuræ excommunicationis latæ, vel ferendæ, suspensionis aut interdicti, istæ enim pœnæ arguunt culpam, & vt plurimum mortalem, quia sunt graues. De excommunicatione Sanchez libr. 6. cap.6. num. 50. de suspensione, & interdicto sub numer.54. Peyrinus dicta conclus. 3.

Prædicta procedunt respectu eorum, quæ in Re- 23
gula, vel constitutionibus præscribuntur obseruanda immediatè sub culpa, si enim obligant tantum ad pœnam, exclusa culpa, vt in meo ordine, & Dominicano, superior non potest sub formali præcepto obedientiæ obligare immediatè sub culpa, nec proinde addere excommunicationem, quia per hanc potestatem præcipiendi ex voto obedientiæ non plus potest obligare subditum ad obseruationem Regulæ, quam ea ipsa Regula teneatur, cum nec id statuto firmari possit, vt probaui supra cap.2. quæst. 23. Vnde præceptum hoc rigorosum à superiore adhibitum referendum est ad executionem pœnæ, ad quam sub culpa tenetur, si tamen exigatur, non vero ad culpam, cum hanc potestatem immediatè obligandi ad culpam non habeat à Regula, quæ iure sic obligandi caret. Dominicana, & nostra atque nonnullæ aliæ. Cum ergo superiores totam suam potestatem à Regula suscipiant, secundum eius formam, & tenorem præcipere debent, & non augere obligationem subditorum, quam non promiserunt in sua professione. Confirmatur,

qoia

quia cogere potest ad obseruantiam subditos per pœnas, quas sub culpa subire tenentur, si non obseruant ea, quæ promiserunt. Vide Sanchez lib.6. cap.2.num.46. Idem ego pluribus probaui Resol.58. initio.

Dixi, præceptum superioris obligare ad culpam mortalem, vel venialem iuxta qualitatem rei præceptæ, quia culpa qualificatur in ratione peccati mortalis, & venialis à qualitate materiæ præceptæ, non obstante præcepto formali obedientiæ, aut adiectione pœnæ censurarum, nam licet transgressio voti ex genere suo sit peccatum mortale se-
24 cundum omnes, vt definitur *in cap. licet de voto, Sanch. lib.4. cap.12. initio*, tamen quando est de re leui est solum veniale *ex Rodriquez tom.2. summa cap 99. Angles in Florib. par.2. de Voto art. 2. difficul 1. Sanch. libro 4. capit. 12. num 5. Diana de paruit. mater. resol.*
25 36. Pœnæ verò arguunt quidem culpam simpliciter, sed non semper eam specificant, nisi quando culpam grauem supponunt in transgressorem, vt excommunicatio. Ita docet de communi *Peyr. de subd. qu.1. cap.5. § 4. concl.4.* Quod ait procedere, licet superior intenderet obligare sub mortali in re leui de se, quia eius mens vt irrationabilis nullum potest sortiri effectum, quia culpa non specificatur ab intentione præcipientis, sed à qualitate materiæ violatæ.

QVÆRES VI. An superior in casibus occurrentibus possit præcipere sub pœna excommunicationis, & eam sibi reseruare? Et an eam in scriptis ponere debeat?

26 Respond. Superior potest præcipere sub pœna excommunicationis contra hunc, vel illum contumacem, ore tenus non ponendo eam in scriptis; eius tamen absolutionem sibi reseruare non potest.

Prima pars probatur ex eo, quod superior etiam localis habet potestatem iurisdictionis ordinariam fori externi sufficientem ad censurandum. Et ita colligitur *ex cap. Reprehensibilis 26. de appell. cap cum in Ecclesiis 12. de maior. Ego resol.82. initio. Peyrin. de Prælato q.3. c.4 fuse.*

27 Secunda pars, quod possit eam facere ore tenus, & non scriptis contra, *c.1. de sent. excom. in 6.* Vbi ferentes sententiam excommunicationis, suspensionis, & interdicti sine scriptis, & expressione causæ, sunt suspensi ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis officiis per vnum mensem, si temerè deficiant in prædictis. Et hac pœnâ ligari etiam Regulares ferè omnes docent *apud Barb. ad hoc caput numero 7. Thesaurus 11. Censura capit. 2. in fine.* Probatur inquam, Tum ex priuilegio Leonis X. Quod refert *Rodriq. Bull. in fi-*
28 *ne, oraculo 66. & tom.2. quæst.59. artic. 3.* Quod licet sit oraculum, non tamen est sublatum, nam illa tantum intelliguntur reuocata, quæ sunt tertio præiudicialia, cuiusmodi non est hoc, quod est fauorabile superiori in suo officio, vt notaui *Resolut. 31. quæst.2.* Probatur etiam auctoritate doctorum asserentium Regulares non comprehendi sub dicto capite, qui sunt *Portellus 11. Excommunicare. Villalobos, quos pro se citat Diana resol.73. de excommun. Toletus libro 1. capite 9. numero 3. Lapus allegat.73. Felin. in cap. sacro numero 7.* Videtur esse cum illis Genuensis *capit. 24. in fine citans plures in contrarium Bassæus Capucinus 11. Excom. 11. numero 8. §. Notandum*, reiicit illud viuæ vocis oraculum, qui non videtur autenticum cum noretur per Omicion, vnde probat, superiores Regulares non comprehendi sub eo capite ea ratione accepta *ex Lugo tom.2. de Iustitia disputat. 37. sect. 14. n.162. Lezana 11. Censura num.6.* Quod Regulares non tenentur timulis, & apicibus iuris, vt id eis indulsit Bonifacius VIII. in sua Bulla incip. *Ad augmentum* extensa apud Confectium fol.22.

29 Nota autem hîc, quod dictum caput 1. de sent. excommun: non afficit legislatorea, qui licet leges, & statuta in scriptis edere debeant, aliter sine scriptis statuentes non sunt subiecti illis pœnis, quia illud caput disponit tantum contra iudices censuram sine scriptis proferentes, vt ex eodem aperte colligitur, & ita docent *Genuensis cit. cap 24. nu.4. Menoch. de arbitr. casu 541. num.6. apud Thesaurum Iesuit. de Pœnis 11. Censura c.2. in declar.4.*

Tertia pars, quod excommunicationem superior sibi reseruare non possit, probatur ex Decreto Clem. 30
VIII. de casibus à superioribus regularibus reseruandis solum in Capitulis de consilio, & consensu capitulantium, vt multis probaui *Resol. 57. à n 43.* Ea ratione, ne religiosi, qui verentur sua peccata superiori detegere, in æternæ damnationis discrimen incidant, quod contingere potest non solum in reseruatione peccatorum facta extra Capitulum, & ex improuiso, sed etiam in reseruatione censurarum præsertim excommunicationis, quæ impedit absolutionem à peccatis, & ea peccatum supponit, cum ergo eadem causa, quæ Pontificem mouet ad occurrendum huic malo formidandi detegere sua peccata superiori, locum habeat etiam respectu huius censuræ, in vtroque idem ius reperiri existimandum est. Neque vrget, quod in eo decreto fiat mentio de peccatis, & non de censuris, & à reseruatione peccatorum non fiat illatio ad reseruationem censurarum, quia id procedit, quando non viget eadem ratio expressa in vtroque. Et sub nomine reseruationis benè comprehenduntur non solum peccata, sed etiam censuræ præsertim respectu inferiorum legislatorum.

QVÆRES VII. An superior præcepto formali obedientiæ cogere possit subditum ad seruanda Dei præcepta, & Ecclesiæ, quæ præcisè non pertinent ad regularem obseruantiam, quia non præscribuntur in Regula, licet supponantur? Ratio dubitandi est, quia obedientia promittitur de iis, quæ spectant ad Regulam formaliter, & non concomitanter, cuiusmodi sunt ea omnia, ad quæ cæteri fideles tenentur, cum quibus religiosi conuenire debent in eo, quod sunt fideles, non vero vt regulares.

Respond. Potest quidem præcipere subdito vt 35
obediat e. g. die festo audiat sacrum, ieiunet die ab Ecclesia præscripto, quia debet procurare, vt subditi seruent Dei mandata, quæ supponuntur ad Regulas, religiosus enim debet esse melioris obseruantiæ, quam secularis, & propterea obseruare non solum ea, quæ spectant ad vitam regularem, sed etiam ad vitam Christianam cum cæteris fidelibus; sed quia obedientia promittitur secundum Regulam, ideo ex voto non tenetur obedire rebus aliàs præceptis, quia in Regula licet exprimantur, tamen non sunt de Regula, in qua concomitanter tantum se habent. De hac re vide *Sanch. libr.6. cap.2. num.10. & cap.4. n.6.* à qua ferè in nihilo non recedimus.

QVÆRES VIII. An superior possit præcipere actus internos?

Respond. Negatiuè loquendo de actibus merè 32
internis. *Tum quia*, hi non sunt in Regula nec expressè, nec implicitè. *Tum quia*, superior non potest præcipere ea, de quibus non potest iudicare; sed interna, & occulta ab Ecclesia non iudicantur, *cap. Erubescant 11. dist. 32. cap. consuluisti 20. 2. quæst.5. cap. Sicut 33. & seq. de simon.* alios textus refert *Ricciull lib.5. de iure person. extra c.10. num. 20.* Ita ex D. Thoma *2.2 q.104 art.5. Sanch. lib.6 c.2. n.6. Miranda tom 1. q 26. art.3. Portellus 11. Obedientia 1.*

QVÆRES IX. An obediendum sit superiori fundanti suam intentionem in præsumptione falsa, quando veritas est in contrarium?

Respond. Quando res præcepta in occulto est 33
exequenda, subditus non tenetur obedire, vtique vero

verò si publicè coram aliis opus præceptum est exequendum. Ratio primi est, quia innocentes non ægent correctione. Secundi vero, quia exterius constat superiorem habere potestatem præcipiendi, vnde pro ipso stat præsumptio contra subditum, qui tenetur obedire ad euitandum scandalum, maximè ad subeundum pœnam publicam, cum sit in exemplum aliorum, pœna enim vnius est metus multorum, *Deuter 17. 13. cap. Quapropter 46. 2. quæst, 7. cap. fin. de calumn.* Ita Nauar. *cap 23 numer.38. Tapia in Auth. Ingressi cap.1. num.58. cum aliis Sanch lib.4.c.2. num.18.*

QVÆRES X. An in dubio sit obediendum superiori? Difficultas autem consistit non solum respectu ipsius rei præceptæ, an scil. licitè vel illicitè præcipiatur, sed etiam quando dubitatur, an in præcipiendo excedat limites suæ potestatis?

34 Respondet. In dubio obediendum est superiori, quia ipse est in possessione suæ potestatis, a qua non est spoliandus, nisi prius constet clarè, illum carere potestatis vso ad sic præcipiendum, vnde enim præsumendum sit pro superiore contra subditum, ille præcipere potest, & iste tenetur obedire, nam in hoc casu subditus non peccat operando cum dubio speculatiuo, deposito practico per præceptum superioris, cui debet se conformare. Ita colligit *Sanch. lib 6. cap. 3. num. 3. ex D Bonau. in 2. dist. 39. art. 1. q. ad vltimum, Angelus 18. Religiosus 29. Rodriq tom. 1. q. 19. art. 6. Miranda tom. 3. qu. 26 art. 5. Bassæus 11. Obedientia n. 12. Plura dixi Resol. 10. q. 20.*

QVÆRES XI. Quid dicendum sit, quando concurrunt opiniones contrariæ ex parte superioris, & subditi, numquid in tali casu superior possit præcipere, & subditus teneatur obedire; Procedit difficultas tam respectu rei præceptæ, an sit licita, vel illicita, quam respectu potestatis superioris, an in casu particulari vti possit sua potestate; seu an eius potestas se extendat ad talem casum, super quam cadit opinio fauore vtriusque. De hac re vide *Sanchez lib. 6. cap 3. à num 6. Portellum 11. Obedientia à num 6. Castropal p. 1. disp. 2. p. 6. Sayr. lib. 1. Clauis cap. 12. n. 6.*

Respond. Subditus potest obedire superiori, deponendo suam opinionem etiam probabiliorem, conformando se opinioni superioris licet minus probabili; non tamen tenetur eidem obedire, licet propria eius opinio sit etiam minus probabilis, quam ea superioris, à fortiori potest se eximere ab obedientia, si eius opinio est probabilior, quam opinio superioris. Procedunt hæc, quando subditus habet pro se probatam opinionem vnius saltem Doctoris typis expressam. Laudo tamen eum subditum, qui se subiicit volontati superioris renuntiando iuri suo.

35 Primum, quod possit se subiicere præcepto superioris, constat apertè, quia sine peccato potest relinquere propriam opinionem, sequendo eam superioris, cum id sit in eius libertate, etiam relicta propria probabiliori amplectendo alterius opinionem solum probabilem. Ita omnes cum *Corduba libro 3. quæst. 9 Vasq. disp. 62. c. 6. Sanch. libr. 6. c. 3. n. 6. Castropal. p. 1. disp. 2. p. 6. n. 2. Contra Adrianum Quol. 1. q. 3. ea ratione*, quia egeret contra conscientiam, quod est peccatum, sed potest hoc remouere deponendo propriam opinionem, & sequendo eam superioris, quod facere debet si vult obedire, ne agat contra conscientiam.

Secundum, quod non teneatur obedire, sed possit suam opinionem etiam minus probabilem sequi, probatur. *Tum quia*, subditus in tantum tenetur obedire superiori, in quantum lege obligatur obedire; obiectum enim formalis obedientiæ est idem, quod obiectum obedientiæ legalis ex D. Tho. 2. 2. q. 186. art. 9. in corpore *ex Sanch. lib. 6. c. 3. n. 5.* & dixi supra *sub n. 3.* Sed legi non obligatur obedire ille, qui pro se habet opinionem, quod non teneatur in tali, vel tali casu seruare legem, vt omnes docent, cum de opinione probabili agant, licet eius opinio sit minus probabilis, *Layman lib. 1 tract 1 cap. 5 §. 2. n. 7 Sanch. lib. 2. disp. 41. num. 7. & lib. 1. cap. 9. n. 14.* ergo neque superiori præcipienti, qui non habet maiorem potestatem ipsa lege illius iurisdictionis, & exercitij regulatiua. *Tum quia*, superior non potest plus obligare, quam potuerit Christus Dominus, & Ecclesia suis legibus, atque Regula suis decretis, non enim plus potest superior, quam legislator, cum & ipse legi sit subiectus, secundum cuius tenorem, & formam præcipere debet; sed lex siue diuina, siue ecclesiastica, siue regularis non ligat subditum habentem pro se opinionem, verè probabilem, quia prudenter tunc operatur secundum eius regulam, & à peccato excusatur, secundum commune doctorum, ergo non tenetur obedire, ac proinde nec superior imperare potest. *Tum quia* iudex tenetur iudicare secundum 36
ius scriptum vel consuetudinem, & ferre sententiam secundum naturam actionis propositæ *Instit. de offic. iud §. 1.* vnde non exemplis, sed legibus iudicandum est, *l. Nemo 14. de sent. & interloc l. in simili 4. C. Quibus res iudicata non nocet.* Vnde bonus iudex non suo arbitrio, sed iuxta leges iudicare debet, *c Iudicat 4. 3. q. 7.* ergo & similiter superior præcipere secundum legem, ac proinde quando lex subditum excusat ab sui obseruatione, eum obligare non potest superior. Consequentia probatur, quia tam superior, quam iudex sunt ministri, & executores, atque custodes le- 37
gum, vt obseruentur à subditis ex illo Rom. 13 *Dei enim minister est*, c. Quæsitum 45. 23. q. 4. cap Non solum 26. cap Sunt quædam 38. 23. q. 5. *Peyrin. in suo Formular lit. S. c. 3. n. 5.* parum enim est condere leges, nisi adsint, qui eas executioni demandarent præcipiendo subditis earum obseruationem c. vbi periculum 3 §. Præterea, de elect. in 6. cap. vn. de statu monach. §. Et quoniam in 6. *Tum quia*, sicut iudex est minoris potestatis, & auctoritatis, quam lex. quæ est 38
potentior. & efficacior, ex *Corduba libr. 1. quæst. 36. §. Tertio probatur fol. 284. col. 1.* Ita & superior, qui non est legislator, nec auctor Regulæ, & legis, *Lessius lib. 2. cap 41. dub. 9. §. quinto*; ergo superior vti inferior, & minoris potestatis non magis potest ipsa lege, quæ non obligat habentem pro se opinionem probabilem non seruandi legem in aliquo casu particulari, ergo neque superior suo præcepto subditum eundem obligare potest. *Confirmatur* quia pœnitens non tenetur sequi opinionem Confessarij, 39
qui se habet vti superior respectu pœnitentis; imò ipse Confessarius tenetur sequi opinionem pœnitentis, multis citatis à Diana res. 11. de opin. probab. Ita docent *Sancius disp. 33. in selectis, & Castropal. p. 1. disp. 2. p. 6. num. 5.* respondentes obiectis sententiæ communis asserentium, subditum teneri obedire. qui sunt *Sayr. lib 1. Clauis cap. 12. à n. 2. Sanchez libr. 6. cap. 3. num. 6. cum aliis apud eosdem, & Dianam res. 10. de opin. probab.*

Probant primò, quia subditus potest obedire, ergo tenetur. 2, quia superior ex sua opinione probabili prudenter se mouet ad imperandum, ergo ius habet imperandi, & subditus tenetur obedire. 3, superior eo ipso, quod est superior habet ius præcipiendi non solum, quæ clarè sunt licita, sed etiam, quæ sub opinione honesta, & licita sunt. 4, Superior est in possessione vtendi sua potestate, cum euidenter constet illum esse superiorem, ergo ea spoliari non potest à subdito, non solum quando subditi opinio est minus probabilis, aut æquè probabilis, quia agens minus potens non potest efficaciter agere in potentiorem, nec in æqualem, quia par non agit in parem; sed neque etiam quando subditi opinio est probabilior opinione superioris, quia cum

suam

suam potestatem radicatam coidenter habeat in titulo suæ superioritatis, cum de eius legitima electiona constet, de qua non dubitatur, nec quisquam opinatur, ab ea spoliari non potest per opinionam licet probabiliorem subditi, cum ea non sit euidens, & manifesta, sicut professio suæ potestatis, sed consistat in formidine, & in incertitudine veritatis ex parte rei, & obiecti. Quibus non obstantibus persistendum est in decisis, respondendo singulis argumentis.

40 Primò, coocesso antecedente, nego consequentiam, quia non valet argumentari à posse ad debitum, nam ex illo sequitur tantum dari opinionem, & libertatem ad obediendum, aliud enim est posse, aliud habere debitom ad illum, possum enim seruate multa consilia, quæ mihi vtilia sunt ad animam, & ad corpus, tameo ad ea ooo teneor.

Secundò respondetur superiorem per suam opinionem probari, se prudenter agere posse, si præcipiat sperans subditum obtemperaturum esse, & non peccare sic agendo, inde tamen non infertur obligatio in subdito, sed tantum se prudenter agere ex sua opinione non obediendo, vnda videtur hoc bellum esse vtrinque iustum, quia vterque iuste operatur vnus contra alterum, quod admittit *Sanch. lib. 6. cap. 3. num. 7.*

41 Tertiò respondetur, superiorem habere ius præcipieodi quæ clarè sunt sub sua potestate, non verò, quæ in dubium reuocatur sub opinioue, & quamuis dicatur esse io possessione, quoad ius precipiendi, non tamen quoad vsum, & exercitium imperandi actu, quia hoc acquiritur per actum, vnde ex eo, quod subditus non vult obedire, quia habet probabilem opinioeem noo obediendi, non dicitur priuare vsu potestatis superiorem, si nunquam in tali casu obediuit, ex quo se potuerit ponere io possessiona exercendi suam iussionem, remaneat ergo subditus in sua libertate oon obediendi, quia in hoc nunquam fuit subiectus, sed semper liber, vnde per hoc superior oon potest dici spoliatus de eo, quod nunquam habuit, quia priuatio supponit habitum.

Demum in responsione dixi, subditum oon teneri obedire, quando habet pro sa opinionem bonam iam typis impressam pro eo casu, quo obedientiam recusat, nam hac ratione remouetur altercatio, quæ potest excitari inter superiorem, & subditum, dum enim vterque habat ius altercandi, nulli datur scandalum, licet ab aliis accipiatur, sine culpa altercantium, cum vterque vtatur iuta suo, de quo dubitaretur magis ex parte subditi, si reqoireret rationes à viris doctis fulciendi suam opinionem probabilitate, vt declinaret iussionem sui superioris, cui esset obediendam, eum vt sic potius destitueretur vera opinione, qua muniretur illam emendicando, vt subterfugeret obedientiæ executionem.

QVÆRES XII. An obediendum sit superiori, de cuius electionis oullitata constat apud vnum, aut alterum, vel quia vnus illorum dedit suffragium peconia, accepta ab electo, vel quia coacte omnino illum elegerunt, vel quid simile clarè anoullans electionem?

42 Respond. Non solum ignorantes propria scientia, sed atiam scientes certo oullitatem electionis tenentur omnino obedire illi superiori posito in possessione sui officij sine contradictione. Probatur. *Tum quia*, hîc locum habet illud axioma quod titulus coloratus, qui consistit in ea electione, & confirmatione, & arror communis, dum creditur verus, & legitimus superior, dum ab initio illum nullus recusauit, dant, inquam, titulus coloratus, & error communis iurisdictionem non habenti, ergo noo obstanta ea nullitate omnes tenentur obedire illi, cum habeat iurisdictionem in eo suppletam ab Ecclesia, ad euitanda multa iocommoda, & absurda, quæ sequi possent contra bonum commune subditorum. *Tum quia*, confirmatione electus potast exercere suum officium, inquiunt enim Doctores, quos allegat *Sygismund. dub. 44. de Elect. numero 2.* Quod electio dat iurisdictionem, & confirmatio exercitium, ad hæc autem sequitur possessio Prælaturæ, cum sedet in conuentu, cui præfectus fuit, vt practicatur in omoibus Religionibus, quare cum habeat omnia requisita, electionem coloratam, errorem communem, confirmationem, iurisdictionem, & possessionem sui officij, sine dubio ius habet perfectum ex hoc præcipiendi, ergo subditi omnino tenentur obedire. Itaque ex hoc videtur inferendum subditos omnes in vtroque foro, & tam publicè, quam in secreto esse illi obediendum, quicquid dicat *Portellus par. 2. casu 16. numero 7. cum Valero in libro de Different. vtriusque foro 11. Nullitas differ. 4. citans Silu. 11. Beneficium 3. post initium, D. Antonin. par. 3. tit. 15. capite 1. §. 2. cum aliis*, nimirum scientem certo nullitatem electionis non teneri obedire in foro conscientiæ & in secreto, vtique io publico. Sed tenendum est, etiam scientem teneri in secreto obedire, quia talis superior habet omnia requisita ad præcipiendum, & obediendum in vtroque foro.

Prædicta noo solum referuntur ad certitudinem nullitatis, sed à fortiori intelligenda sunt, quando dubitatur, vel opinatur super eiusdem validitate, nam cum manifestè, & certo constet de electione peracta, ioferendum est, electum suam possidere potestatem, vel de iure ordinario, vel extraordinario fundato io titulo colorato, & errore communi, nam ad electionem, & confirmatiooem, quibus non fuit cootradictum ex necessitate iuris sequitur potestas in electo superiore, & cum sit in possessione potestatis, nullus subditus ab ea se potest subtrahera auctoritate propria, sed omnino obedire tenetur. *Confirmatur*, quia si tenetur obedire, quando certa est alicui nullitas electionis, à fortiori cum de eadem nullitate dubitatur, vel opinatur, tunc magis fauendum est electo, quia constat de electione, qualitercumque ea sit. *Contra Vasquez 1. 2. disput. 62. capit. 6. fine, & Salas citatos à Sanchez lib. 6. capite 3. numero* 28. asserentes, subditum dubitantem, vel de electioois nullitata diuersas existentes opiniones, posse sequi opinionem negantem eum esse superiorem, & sic illi non obedire. Sed in hoc sequendi non sunt, quia nulla opinio in tali casu tantam vim habet declarandi illum non esse superiorem, quia is actus est superioritatis, ac proinde spectat ad iudicem declarare illum non esse verum superiorem, adeo quod ante huiusmodi sententism talis superior ab omnibus suis subditis recognoscendus est, & obediendus quousque iudicialiter priuetur officio, quod habet.

QVÆRES XIII. An superiori excommunicato seu suspenso sit obediendum à subditis?

43 Respond. Superior excommunicatus toleratus retinet adhuc potestatem, & vsum præcipiendi suis subditis, qui tenentur illi obedire, denuntiatus verò est vitandus, sed officio suo nondum priuatus, eandem retinet potestatem, & aius vsum præcipiendi, & ea exercendi in fauorem, & contra subditos suos, quoad potestatem dominatiuam, & superioritatis, non autem quoad ea, quæ dependent à iurisdictione propriè dicta, in quibus subditi non tenentur obedire. Idem dic de suspeoso ab officio iuxta dicta de excommunicato, licet notoriè sit censuratus, nondum denuntiatus.

Prima pars de tolerato probatur, quia adhuc retinet sine detrimento, & diminutione suam potestatem integram, tam dominatiuam, quam superioritatis, & iurisdictionis, secundum quas præcipere potest etiam in virtuta Sanctæ Obedientiæ.

Ita

Ita *Megalius part. 3. de Censur. lib. 2. cap. 5. n. 50. quem sequitur Pellizar. tract. 7. cap. 2. num. 42. Layman lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 4. num. 4. in fine, Bonac. de Excomm. quæst. 2. p. 6. §. 2. num. 26. Lezana part. 1. cap. 4. num. 38. & 11. Excommunicatio 47. Ego resolution. 78 quæst. 18. num. 99.* Neque enim subditus habet potestatem subtrahendi se ab obedientia sui Superioris in tali casu, quod esset declarare eum priuatum potestate, & officio, quod spectat ad superiorem eius, non ad subditos.

46 Secunda pars, de vitando probatur, quia excommunicatus vitandus priuatur tantum iurisdictione proprie accepta, non autem potestate dominatiua, & superioritatis, quæ spectant ad gubernationem domus, cum adhuc sit superior, qui per declarationem excommunicationis non priuatur suo officio, vt dicunt omnes cum *Suarez de Censur. disp. 13. initio, Garz. de Benefic. part. 7. cap. 13. num. 90. Peyrin. de Prælato quæst. 2. cap. 5. num. 12. Lezana 11. Excommunic. num. 32.* Ergo si non priuatur dictis potestatibus illis vti potest non solum fauore subditorum, sed etiam contra subditos, vt ibidem docui cum Megalio, & Bonacina, atque supra citatis, quamuis communior opinio teneat subditum non teneri obedire, sed posse opponere exceptionem excommunicationis. Et quod superior excommunicatus vitandus non sit priuatus potestate dominatiua, & superioritatis, per quas sine iurisdictione proprie accepta operari potest, docet *Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 78. & Layman lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 15. fine, & ex illis Castropal. de Censur. disput. 2. p. 15. num. 4.* asserentes excommunicatum vitandum valide recipere professionem Nouitij, quia hæc pendet à superioritate, & non à iurisdictione, vnde & potest etiam præcipere in virtute Sanctæ Obedientiæ, quia talis actus pendet à superioritate, non à iurisdictione. Et quid sit vtrumque docui *cap. 1. num. 189. cap. 16. num. 4. & 56.*

47 Sed quinam actus pendent à iurisdictione? Respond. Ij omnes, qui supponunt ordines vel saltem primam tonsuram in agente, cuiusmodi sunt ferre censuras, vel ab eis absoluere, & à peccatis, ministrare ex officio sacramenta, statuere, committere, & delegare potestatem iurisdictionis, dispensare, commutare, & alia huius generis esse actus iurisdictionis, quos excommunicatus vitandus inualide exercet, de communi omnium cum *Bonac. de Excomm. quæst. 1. p. 5. Castropal. de Cens. disp. 2. p. 12. Donatus part. 3. tract. 5. quæst. 11. num. 4. Sayr lib. 2.*
48 *de Censur. cap. 6.* Præcipere verò simpliciter, seu in virtute Sanctæ Obedientiæ non est actus iurisdictionis proprie acceptæ, cum non fundetur in ordine, sed in mera potestate superioritatis, vnde excommunicatus etiam vitandus valide præcipit ex suo officio, in quo subditos continere debet.

49 Tertia pars, de suspensione ab officio probatur eodem modo, quia licet sub nomine officij veniat ordo, & iurisdictio, quæ alicui competit ratione ordinis, iuxta superius dicta, & patet ex *Bonac. de Suspens. part. 2. num. 9. Sayr. lib. 4. cap. 5. initio, Castropal. de Cens. disp. 4. p. 5. §. 1. initio, Layman de suspens. cap. 1. §. Corollarium 4.* à quibus propterea vitandus est priuatus quoad eorum vsum, non tamen per hoc est priuatus officio sed tantum suspensus, & quidem quoad exercitium illorum actuum qui dependent à iurisdictione iuxta superius dicta, non autem à superioritatis potestate suspensus est, ideo potest præcipere in virtute Sanctæ Obedientiæ, &
50 subditi tenentur obedire. *Confirmatur*, quia solus clericus est subiectum capax suspensionis in sententia omnium locis citatis, *Bonac. p. 1. in 3. Dicitur. Layman cap. 1. num. 2. Suarez disput. 28. sect. 2.* ergo suspensio iurisdictionis in eo restringitur ad iurisdictionem proprie dictam, quæ scilicet pendet ab ordine.

51 Nota vnum, quod si superior maior ex causa suspendat alium superiorem minorem, non dici illum priuare suo officio, sed tantum impedire, ne illud exerceat; neque in eo casu talem suspensionem habere vim suspensionis propriè dictæ, vt censura, sed esse reuera quandã pœnam vindicatiuam excessus perpetrati in officio, vnde si contra eam prohibitionem exerceat suum officium non est irregularis. Ita ex *Suarez disp. 25. de Censur. sect. 1. Lozana v. Suspensio num. 6. Donatus part. 3. tract. 5. quæst. 15. n. 28.*

Quæres 14. An superiori accusato sit obediendum.

Resp. Affirmatiue, quia per accusationem non per- 52
dit ius præcipiendi subditis, cum adhuc sit superior non obstante accusatione. Confirmatur, quia obediendum est excommunicato ex probatis præcedenti quæstione; ergo eidem accusato. Ita *Abbas in cap. Ex parte, de Accusat. num. 4. ibi Felin. sub initium, Surd. de Alimen. tit. 1. quæst. 127. Sanchez lib. 6. cap. 2. num. 64. Barbos. super dictum cap. 11. num. 12.*

Quæres 15. An subditus contra suum superiorem possit præscribere obedientiam.

Resp. Negatiue, expresse *cap. Ex part. 17. de Regu-* 53
lar. cap. Cum non liceat 12. de Præscript. Ratio est, quia habet fundamentum super voto, contra quod non valet præscriptio, neque consuetudo. Ita *Rodriquez tom. 2. quæst. 64. art. 3. Sanchez lib. 6. cap. 2. num. 50.* Intellige in totum, seu respectu votorum substantialium; nam in aliis locum habere potest præscripta consuetudo, iuxta dicta *cap. 2. quæst. 12. & 22. Vide Barbos. in dictum cap. 12. de Præscript. Vide cap. 2. num. 57.*

Quæres 16. An superior præcipere possit, vt subditi sequantur eius opinionem contra propriam illorum? Respondi alias affirmatiue, *resol. 19. per totam*, sed quia ibi adducta parui sunt momenti, vt ingenue loquar, vt docet religiosum, mutaui in melius responsum. Quare.

Resp. Negatiue, & probatur, quia superior præcipe- 54
re potest ea tantum, quæ sunt secundum Regulam, in ordine ad quam superiori ex voto promisit obedire, ex probatis hic sub *q. 3. & 4.* sed quod religiosus teneatur sequi opinionem etiam probabiliorem sui superioris non est secundum Regulam, cum id non faciat ad eius obseruationem, nec in aliqua Regula id præscribatur, vt sciam, ergo superior id præcipere non potest. Confirmatur, ex dictis hic *q. 11.* vbi probaui, subditum non teneri obedire superiori præcipienti, quando habet opinionem etiam minus probabilem pro se in terminis alias typis expressam.

Quæres 17. An superior præcipere possit subdito ad recipiendum officium ad quod electus fuit intra Ordinem.

Resp. Affirmatiue, quia id est secundum Regulam, 55
quæ præscribit, vt ad officia assumantur professi eiusdem Ordinis, ergo nolentes ad ea cogi possunt. Ita omnes cum *Nauar. comment. 4. de Regular. num. 23. Rodriquez tom. 1. quæst. 34. art. 8. cum suo Compend. resol. 15. num. 11. Sanchez lib. 6. cap. 2. num. 51. Castropal. disp. 4. p. 5. de Voto Obedien.*

Quæres 18. An superior cogere possit suum subditum ad acceptandũm beneficium, vel aliud officium extra Ordinem, quod non pertinet ad suam Religionem.

Resp. Negatiue, quia Obedientia à religioso debita 56
suo superiori promittitur secundum Regulam, ad quam non pertinet officia extranea in illa non præscripta. Ita omnes præcitati.

Quæres 19. An superior præcipere possit suo subdito saltem in pœnam delicti, vt transeat ad alium Ordinem.

Resp. Negatiue, ob eam communem rationem, 57
quod Votum Obedientiæ est limitatum secundum Regulam, quæ non obligat transire ad alium Ordinem, cum vt quid extraneum sit extra sphæram potestatis Religiosæ. *Confirmatur*, quia vel cogit ad strictiorem, vel ad æqualem, vel ad laxiorem; nullo ex his modis præcipere potest; non ad strictiorem, quia nemo cogitur crescere, cum id sit semper in libertate hominis; non ad æqualem, aut laxiorem, quia talis status non est in potestate superioris, dum per seipsum non potest licentiare professum ad huiusmodi transitum, ex probatis hic *cap. 18. quæst. 65.* multo minus cogere. Ita *Suarez tom. 3.*

de Relig. lib.10.cap. 10. num. 4. quem pro se citat *Castropal.disp.4.de Votu Obed.p.5.num.4.*

Quæres 20. An præcipere possit Sacerdoti, vt Missam applicet pro tali defuncto, vel secundum suam intentionem vel pro obligationibus Sacristiæ, & Ecclesiæ.

58 Respond. Potest, probatur, quia huiusmodi iussio spectat ad bonum commune Ecclesiæ propriæ, & fidelium, qui eleëmosinas tribuunt pro alendis religiosis, & manutenendis Ecclesiis. Et in hoc omnes conueniunt cum *Rodriquez tom. 3. quæst. 19. art. 2. Portellus 11, Obedientia initio. Fraxinellus sect. 6. §. 7. numer. 1. Gauantus part. 3. Missalis tit. 11. num. 18. Scotus quolib. 20. Corduba lib. 1. quæst. 3. opin. 6. Ledesma cum aliis, Diana resolut.72.de Celebrat. Missar.* Qui omnes docent superiorem id præcipere posse, sed applicationem aliter factam à Sacerdote non valere pro intentione superioris, vt docent *Sylu. Angelus, & alij apud prædictum Dianam, quos reieci resol.24.q.4.*

Quæres 21. An ipse Superior possit immediate applicare Missam celebrandam per suum subditum, admonendo illum de applicatione.

59 Respond. Affirmatiue, posita ea admonitione, ne ipse celebrans suo modo applicet, hac enim ratione obuiabit malitiæ Sacerdotis, applicantis pro sua intentione contra intentionem Superioris, tunc valebit applicatio celebrantis contra voluntatē Superioris, qui si vult efficaciter applicationem secundum suam voluntatem, debet ipse applicare, vt attentata applicatio celebrantis

60 sit irrita. Quod autem ipsemet superior possit immediate applicare, probatur, quia applicatio non pendet necessario à potestate Ordinis, cum possit fieri etiam à circumstantibus cum Sacerdote celebrante, vt dicitur in Canone, ibi: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus, &c.* Nota hæc verba, ex quibus clare habetur non solum sacerdotem posse applicare, & offerre sacrificium pro salute fidelium, verum etiam sine ipso sacerdote celebrante, alios non sacerdotes, nec celebrantes, alios non sacerdotes, nec celebrantes posse offerre, & applicare, adest enim disiunctiua, *vel*, quæ denotat non celebrantem non dependere à celebrante. Et licet potestas applicandi fructum sacrificij à Christo committatur sacerdoti, dum recipit sacerdotium, id tamen ita necessarium non est vt sine celebrante sacerdote fieri non possit applicatio, sicut enim sacerdos potestate ordinis ministrat baptismum, & tamen per hoc non tollitur, quin non sacerdos non possit non baptizare, ita ex hoc, quod celebrans applicat potestate ordinis sacrificium, non sequitur, alios non posse applicare, licet non celebrent cum sacerdote. *Confirmatur*, quia cum in tali casu applicatio facta per celebrantem fundetur super iniustitia, & iniquitate, ea vero, quæ fit à superiore, qui potest præcipere vt iuste applicet pro obligationibus monasterij, nitatur iustitia, & æquitate, hæc debet de iure præualere illi, consequenter iniqua celebrantis oblatio erit irrita, & valebit æqua superioris applicatio.

61 Neque vniuersaliter verum est, actus dependentes ab ordinis potestate irritos fieri non posse à prohibente, quia id verum est solum respectu eorum actuum, per quos essentialiter constituitur in suo esse Sacramentum, vnde accedente verbo ad elementum non potest impediri potestate humana quin fiat sacramentum ex parte intendentis conficere illud, & sacrificium etiam in ratione sacrificij, cuius esse essentiale consistit in Consecratione, & etiam in Oblatione, & Sumptione; nulla prohibitione irritari potest consecratio facta à celebrante quia est substantiale sacrificij, & sacramenti adeo quod non obstante prohibitione positis omnibus requisitis, sequitur ex necessitate roi effectus includens suas causas intrinsecas in genere moris; nam posita consecratione valida, sequitur Corpus, & Sanguis Christi, & ipsemet Christus sub speciebus panis, & vini. Applicatio autem sacrificij non pertinet ad substantiam, & essentiam sacrificij, neque Sacramenti, cum vtrumque sine applicatione consistere possit, vt docent omnes Theologi. Vide quæ dixi *Resol.24. de Celebrat. Miss.q.4.* Et ex his puto satisfecisse *Argumentis quærit in Append. de Sacrific. q.2.p. 14.* vbi hanc quæstionem fuse, & luculenter tractat fauore oppositæ sententiæ, quam vocat communiorem.

Quæres 22. An superior possit præcipere aliquod illicitum ad minus peccatum veniale?

62 Respond. Nullo modo id præcipere potest. *Tum quia*, non solum non est secundum Regulam, sed directe est contra Regulam quamcunque quæ præscribit actus virtutis, & non vitij, vt est quodlibet illicitum, vt est peccatum etiam veniale, quod est contra rectam rationem. Vnde dicitur *c.Si quis 89. 11.q.3.* In malis non est obediendum, & in sequentibus capitibus. Ita *Portellus v. Obedientia num.3.* licet præciperetur sub censuris, nullo modo obediendum, vbi constat de re illicita; vnde habetur *cap.Quoniam quidem distin.75.& cap.Cum teneamur, de Præbend.* quod obediendum non est, cum redditur causa iusta.

Quæres 23. An superiori præcipienti reuelationem delicti occulti sit obediendum?

63 Respond. In generali inquisitione quilibet tenetur denuntiare, vel testificari, si præcessit aliqua murmuratio de delicto, licet solus quis sciat delinquentem, quia superior ius habet inquirendi, ne crimina maneant impunita, & disciplina Regularis conseruetur in conuentu, consequenter subditi tenentur respondere ad mentem superioris. Dixi, si præcessit aliqua murmuratio, aut constat etiam de delicto, licet non de delinquente, quia quando vtrumque est omnino occultum, & secretum, sicut superior non habet ius inquirendi, ex *cap. Qualiter 17.de Accusat.* ibi: *Exceptis occultis criminibus*, non enim licet Iudici inquisitionem facere, vbi crimen, vel persona est omnino occulta, quia oportet, aliquam præcessisse infamiam, & murmurationem, vt superior moueri possit ad inquirendum. Ita fere omnes, quos citat *Barbosa ad dictum cap.n. 5.* Et in terminis nostris, *cap. Qualiter 24.* dicitur, quod inquisitio contra Regulares non debet fieri nulla præcedente infamia. Ita *Duenas regul. 208.limit.fin.Rodriq.2.q.19.art.6.cum eo idem Barbos.ad dictum c.24.n.17.* Vide quæ dixi *controuer.2.q.8 Portellum v. Obedientia in Addit.num.3.*

Quæres 24. An Abbatissa præcipere possit in virtute Sanctæ Obedientiæ suis Monialibus eodem modo quo præcipere potest superior suis religiosis, præcisa potestate ordinis, qua mulier caret?

64 Respond. Affirmatiue, quia eiusdem virtutis est Votum Obedientiæ, & superioritas in superiorissa, & in superiore, quorum potestas dicta superioritas, seu iurisdictio fundata non in aliquo ordine sed in officio iuxta dicta hic *cap. 1. num. 188.* tribuit vtrique superiori, & superiorissæ ius gubernandi, & regendi subditos vniusquisque suos, eis præcipiendo ad formam Regulæ puniendo, corrigendo eorum excessus, processando, & carcerando iuxta demerita delictorum eorundem. Ita *Sanchez lib.6.cap.1.à num. 17.* Et nota, quod vtriusque præcepta obligare possunt ad culpam, iuxta tamen superius dicta, ex quo præcipere possunt in virtute sanctæ Obedientiæ, quam non solum viri professi, sed etiam moniales promiserunt suæ Abbatissæ, quicquid quamplures dicant citati à Sanch. ibidem reiecti.

Quæres 25. An superior immediate obligare possit ad culpam subditum ad subeundam pœnam pro transgressionibus factis?

65 Respond. Affirmatiue, quia omnes Regulæ id exprimunt, alias si id in illis non præscriberetur, inutilis, & inefficax esset potestas superiorum ad gubernationem subditorum. *Confirmatur*, quia alias nulla esset differentia inter Consilium, & Regulam. Verum

quidem

quidem est, quod subditus non tenetur per se pœnam subire, nisi quando à superiore exigitur. Et hoc certum est io meo Ordine, dicitur enim in Regula Nicolai IV. cap. 2. & in forma professionis : *Ac pro Prælatorum meorum arbitrio satisfacturum*, &c. Ita omnes cum *Sanchez lib. 6. cap. 4. num. 13. Suarez tom. 3. de Relig. l. 10. cap. 7. num. 16. & tom. 4. tract. 8. lib. 1. cap. 2. n. 6. & 13. cum eis Castropal. dispu. 4. de Voto Obedient. p. 3. num. 4.*

Quæres 26. Quot peccata, & qualia committat subditus non obediendo formali præcepto sui superioris?

66 Respond. Esse duplex specie peccatum, vnum contra illam peculiarem virtutem, alterum contra virtutem Religionis, ex Voto Obedientiæ, ex. gr. si Guardianus præcipiat sacerdoti, vel alteri guloso, vt tali die Veneris ieiunet ad præscriptum Regulæ subditus transgressor existens, duplex specie peccatum incurrit, vnum contra virtutem Temperantiæ, alterum contra virtutem Obedientiæ, quam promisit suo superiori. Religiosus sibi appropriaus aliquid alienum per actionem furti committit furtum, & sacrilegium appropriationis. Itaque plura sunt peccata, quia sunt contra plures virtutes, non vero quia multiplicantur præcepta. Et ita docent omnes. Quod si superior præcipiat aliquid lege Ecclesiastica, alias obligans omnes fideles, dicunt aliqui, transgressorem non peccare contra votum, quia licet vsus sit illis verbis, noo tamen videtur voluisse obligare subditum ad eam materiam, quæ non est propria Regulæ, licet de

67 ea fiat mentio in Regula, vnde dicitur esse in Regula, sed non de Regula, quia ad eam non se extendit votum, cum respiciat tantum ea, quæ sunt de Regula. Hæc videtur docere *Sanchez lib. 6. cap. 4. numero 6. Vide Castropal. dispu. 4. de Voto Obedient. p. 1. num. 4. Dianam resolu. 16. de Circunst. Peccat.*

Quæres 27. An grauius peccet religiosus, quam laicus?

68 Respond. Negatiue ex se, quia ex. gr. non magis peccat transgrediens ieiunium Vigiliæ S. Matthiæ, quam faciat sæcularis, cum ambo ex æquo eadem lege teneantur, ergo eadem vtriusque transgressio. Et *D. Thom. 2. 2. qu. 186. artic. 10.* non obstat, dum dicit plus peccare nimirum ratione voti, ratione contemptus, & ratione scandali, cui non est subiectus sæcularis ita facile sicut religiosus, cuius peccatum veniale laicus ex sua ignorantia, & passione putat esse mortale. Vide *Sanchez lib. 6. cap. 4. num. 7.*

Quæres 28. An transgressor eorum, quæ in Regula obligante immediate sub culpa, dicatur peccare contra votum, & sic committere sacrilegium? Ratio dubitandi est, quia apud quosdam promittitur Deo obseruatio Regulæ, ergo eius transgressio est peccatum sacrilegij contra votum.

69 Respond. Excepta transgressione trium votorum solemnium, & aliorum, quæ in Regulis sub nomine voti siue solemnis, vt ieiunium Quadragesimale apud Minimos, & votum non ambiendi, & similia expressa sunt, violantes alia præscripta in Regulis noo dicuntur peccare contra votum, sed contra virtutem, cui opponitur vitium transgressionis; vnde in Religione Franciscana Primi Ordinis transgredientes ieiunia Feriæ Sextæ, ex. gr. non peccant contra votum, sed tantum contra virtutem Temperantiæ. Quod si Regula non obligat immediate ad aliquam culpam, transgressio nullum est peccatum. Ratio prædictorum, & responsio ad rationem dubitandi est, quia promittere Regulam obseruare est se ad eam obligare eo modo, quo ipsa obligat, nam ad quæcunque vota in ea expressa obligat sub mortali, ad præcepta vero mortaliter, vel venialiter iuxta qualitatem materiæ præceptæ, ad statuta vero, & alia obligantia solum ad pœnam, & non culpa, transgressor non obligatur sub culpa, sed tantum sub pœna si à superiore exigatur. Ita colligitur ex *cap. Exiit, de Verb. significat. in 6. §. In primis, Clemen. Exiui, eodem §. Cum igitur in primis D. Thom. 2. 2. quæst. 186. articulo. 9. Angel. v. Religiosus 28. Bassæus v. Obedientia num. 14. Megalius consil. 3. num. 4.* Quæ ergo continentur in Regulis sunt præcepta, vel ordinationes, & non vota, nisi id exprimatur, contra *Henricum quol. 6. qu. 17.* asserentem, præscripta in Regulis omnia esse vota, contra quem agit *Suarez lib. 10. de Relig. tom. 3. cap. 7. citatus à Pellizar. tractat. 5. cap. 2. num. 9.*

CAPVT XXIV.

De Paupertate Religiosa.

1 *Paupertas quid sit?*
2 *Paupertas est Virtus.*
3 *Paupertas confert septem bona professo.*
4 *Paupertas alia voluntaria, alia necessaria.*
5 *Est abdicatio proprij.*
6 *Proprietarius caret sepultura Ecclesiastica.*
7 *Indispensabile est votum Paupertatis.*
8 *Est præcise abdicatio proprij.*
9 *Dispensatio fit super accidentalibus.*
10 *Quæ non cadunt sub voto.*
11 *Proprietarius non est retinens de licentia Abbatis.*
12 *Proprium debet esse pecunia æstimabile.*
13 *Proprietas vitium contrarium Paupertati.*
14 *Duo requiruntur, vt quis sit proprietarius.*
15 *Vsus rei independenter à superiore est proprietas.*
16 *Peculij nomine quid veniat?*
17 *Tridentini textus de Paupertate.*
18 *Ius antiquum de voto Paupertatis.*
19 *Obiectum huius voti est abdicatio proprietatis, & non moderatio eius.*
20 *Tridentinum non inducit ius nouum, sed antiquum declarat.*
21 Igitur *est nota illationis.*
22 *Declaratiua lex nil de nouo addit, sed occultum manifestat.*
23 *Spicæ excussio non facit nouam speciem grani.*
24 *Peculium aliud titulo proprij, aliud titulo vsusfructus.*
25 *Tridentinum condere ius nouum docent aliqui.*
26 Deinceps *arguit in futurum.*
27 *Tridentinum prohibitionem Dominij directi, & etiam vtilis.*
28 *In dominio vtili duo spectantur, ius, & factum; seu ius, & vsus simplex.*
29 *Tridentinum prohibet non solum Dominium directum, sed etiam vtile.*
30 Deinceps *ad quid referatur in Tridentino.*
31 *Vsus iuris, & facti, is conceditur, non ille.*
32 *Obiectum voti est dominium, non vsusfructus.*
33 *Peculium habere licet de licentia superioris.*
34 *Beneficiarius est vsufructuarius fructuum beneficij.*
35 *Tridentinum non obstat concessioni Peculij.*
36 *Non receptum in hoc, aut consuetudine derogatum.*
37 *Clementis Constitutiones nihil de nouo statuunt quoad Paupertatis votum.*
38 *Non fuerunt omnes confirmatæ ab Vrbano, sed tantum illæ de Nouitiis.*
39 *Lectio Bullarum non impedit futuram consuetudinem contra eas.*
40 *Licentia etiam præsumpta sufficit, ne quis dicatur proprietarius.*
41 *Licentia debet esse ad nutum reuocabilis.*
42 *Licentia concessa ab vno superiore valet sub alio.*
43 *Occultans superiori est proprietarius.*
44 *Superior quinam dat licentiam peculij?*
45 *Superflua concedi non possunt.*
46 *Superflua religioso quænam dicantur?*
47 *Superfluorum concessio non est mortale.*
48 *Nec est vitium proprietatis.*
49 *Contrarium tenent nonnulli.*
50 *Proprietarius est expendens in rebus turpibus etiam cum licentia.*

51 *Datum meretrici non restituitur.*
52 *Coacta licentia excusat à vitio proprietatis.*
53 *Contrahere potest de licentia superioris.*
54 *Accipere potest de licentia superioris.*
55 *Donare de licentia superioris.*
56 *Consanguineis dare titulo eleemosina possunt.* 58.
57 *Ludere quomodo liceat religioso.*
58 *Consanguineis potest remitti lucellum, si egent.* 56.
59 *Executor merus amici non est proprietarius.*
60 *Comestibilia recipiens moderate non peccat mortaliter.*
61 *Proiiciens cibaria est proprietarius.*
62 *Fur est proprietarius, sed non semper.*
63 *Officiales expendentes male sunt proprietarij.*
64 *Superiores seipsos licentiant, sicut dant licentiam subditis.*
65 *Volens mihi donare centum, possum dicere dona meo consanguineo.*
66 *Monialibus applicantur dicta de voto Paupertatis.*
67 *Moribundus potest relinquere sibi missas.*
68 *Animum debet habere paratum resignando peculium.*
69 *Peccatum proprietarij quale sit.*
70 *Voti transgressio in re leui est solum venialis.*
71 *Quantitas notabilis quomodo cognoscatur.*
72 *Varia opiniones de numero pecunia.*
73 *Proprietarius tenetur ad restitutionem.*
74 *In eo, quod damnum intulit conuentui.*
75 *Profitens cum proprio libello.*
76 *Vestiarium dari potest in pecunia.*
77 *Subditus sibi prouidere potest, superiore necessaria negante.*
78 *Non solum effectus, sed etiam affectus habendi cadit sub voto.*
79 *Inhabilitatur professus ad contrahendum in damnum monasterij.*
80 *Sicut Votum Castitatis ex solemnitate qua talis.*
81 *Obligatur minime nec naturaliter.*
82 *Conuenire, nec conueniri potest in iudicio.*
83 *Literas scribere, vel recipere non potest.*
84 *Litera fauorabiles interdicuntur.*
85 *Pœna proprietariorum referuntur.*
86 *Frater fratri secundum carnem grauiter egenti subuenit.*
87 *Peccat Venialiter accipiens inuito Prælato, si est quoad modum inuitus.*
88 *Prælatus in materia Paupertatis debet tractare subditum, sicut pater filium.*
89 *Recipiens contra voluntatem superioris, & non occultans peccat venialiter.*
90 *Voluntas expressa, vt nihil recipiatur, censetur inuita quoad modum.*
91 *Consuetudo nihil potest contra Votum paupertatis.*
92 *Quotannis decem donantur cum licentia superioris.*
93 *Instituitur hæres solo nomine, qui tunc dicitur executor.*

AGendum modo est de Paupertate religiosa, quæ est secundum solemne votum substantiale status religioso proprie accepti. In primis autem præmittenda est definitio eius, ex cuius exacta explicatione deinde respondebitur more solito ad quæstiones.

1 Paupertas autem est virtus religiosa inclinans Nouitium ad voluntariam abdicationem proprij, pecunia æstimabilis, quod fit solemni professione facta in qualibet religione. Singulæ particulæ sunt explicandæ.

2 Dixi primo, quod paupertas, de qua hic sermo habetur, est virtus, ipsa enim disponit Nouitium ad actum bonum, & honestum, quod est renuntiatio bonorum, quam ille facit, vt Deo expeditius seruire valeat in religione.
3 Ex eo autem quod est virtus religiosa confert septem bona, nempe, peccatorum recognitionem, virtutum conseruationem, cordis quietem, desiderij impletionem, spiritualium bonorum dulcedinem, meritorum exaltationem, & cælestem hæreditatem, *secundum D. Thomam super cap. 48. Isaiæ.* Merito igitur vocatur virtus. Sic quoque appellatur ad differentiam paupertatis 4
inuoluntariæ, quæ est indigentia, & miseria hominis in egestate viuentis, & licet non sit de genere malorum, *cap. Illa cauenda 6. 15. q. 1.* tamen mala est, & inimica naturæ hominis egentis. Paupertas igitur religiosa voluntarie assumitur, & ideo dicitur voluntaria, alia vero huius seculi appellatur inuoluntaria, quam nullus apud se vellet, ob eius incommoda, & damna, quæ infert indigentibus, de quibus Christus Dominus testatur: *Pauperes semper habebitis vobiscum.* Pauperes etiam religiosos semper mundus secum habebit, quia eius spirituali seruitio indiget, ideo religiones non sunt supprimendæ, nec restringendæ, sed potius fouendæ, & ampliandæ.

Dixi 2. quod est virtus religiosa, quia ex voto sibi adiuncto ex parte sua facit hominem religiosum, vt Deo seruiat in religione, quæ ideo alere debet, cum nihil proprij in ea retinere possit, per quod viuat, id enim incumbit ipsi religioni, dum illi seruit in ministerio, ad quod deputatur.

Dixi 3. quod Nouitium inclinat ad voluntariam abdicationem, nam in eo quod est virtus habet inclinare ad actus honestos, cuiusmodi est renuntiatio proprij, id enim est actus virtutis, quod nos docuerunt Sancti Apostoli, qui omnia reliquerunt tamquam veri religiosi, vt Christum liberius sequerentur. Id facere debet Nouitius, & non alius, quia in fine anni probationis, & nouitiatus fit professio, ita quod nullus profiteri potest, qui non præmisit nouitiatum, ideo in definitione dictum fuit, virtutem hanc inclinare Nouitium ad abdicationem proprietatis. Et quidem hoc voluntarie agendum est, quia professio inuoluntarie, & per metum emissa non sustinetur, nec potest esse actus virtutis, qui ab homine libere procedere debet, quia est actus humanus, qui libere aduertente ratione faciendus est, cum participet de ratione actus humani, qui libere, & aduertenter fit.

Dixi 4. quod paupertas est abdicatio proprij, eam sic definierunt Sancti Patres primi institutores S. Augustinus in sua Regula, & refertur cap. *Non dicatis aliquid proprium* 11. 12. q. 1. vbi subiungit: *Certum est, eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine superioris licentia.* Et in præcedenti cap. Nolo 10. dixerat: *Nulli liceat in societate nostra habere aliquid proprium.* Eodem modo loquuntur Pontifices Romani, Vrbanus I. electus 223. relatus cap. Scimus 9. 12. q. 1. *Quicunque vestrum communem vitam susceptam habet, & vouit, se nihil proprium habere.* S. Hieronymus relatus cap. Duo 7, 12. q. 1. ait: *Illi enim victu, & vestitu contenti nullam in se proprietatem habentes.* S. Benedictus in sua Regula cap. 33. sic scribit: *Præcipue hoc vitium radicitus amputetur de monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut recipere sine iussione Abbatis; neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino, quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate. Omnia vero necessaria à patre Monasterij sperare, nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit.* In prima Regula S. Francisci sic legitur initio. *Viuendo in obedientia, sine proprio.* cap. 4. *Nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel interpositam personam.* cap. 6. *Fratres nihil sibi approprient, nec domum; nec locum, nec aliquam rem.* In cap. 10. Statutorum, quæ pro Regula Nicolai IV. profitentur nostri sic disponitur: *Fratres in communi viuant neque etiam sine Ministrorum licentia propriam, priuatamque pecuniam habere, ac retinere possint.* Et infra. *Neque possit quispiam agere, negotiari, emere, vendere, vel commodare quicquam Ministri venia non impetrata.* Et in forma professionis dicitur. *Viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.* Et in Bulla Pij Quinti, in nostro Archiuio impresso CCXXIII. num. 6. fol. 511. disponitur sic: *Ad hæc nullis omnino Fratrum, & Sororum Tertij ordinis huiusmodi,*

qui

qui prædicta tria vota substantialia fuerint, etiam prætextu quorumcunque priuilegiorum, dispensationum, & indultorum, permissionum Apostolicarum, aut etiam inueteratæ consuetudinis voto repugnantis, seu quacunque alia causa proprium quicquam, aut priuatum liceat obtinere, sed omnia etiam priuatim, ac intuitu cuiuscunque personæ donata, oblata, & concessa, vbique communia omnibus religiosis esse debeant. Quicunque vero pecuniam, aut aliam rem qualicunque causa concessam prælato suo celauerit, furti rem censeatur, & tanquam fur puniatur. Quæ omnia intelligenda sunt ad formam dicti cap. 10. Regulæ, cum illius sit confirmatiua papalis dispositio. cap. 2. de statu monach. *Qui peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum à communione remoueatur altaris.* cap. super 4. eod. qui in morte à Priore admonitus noluit resignare proprium quod contra Regulam latenter habuerat, carere debet sepultura, & sepultus extrahi, si potest sine scandalo cap. cum ad monasterium 6. de statu monach. *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa Regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Et in pluribus aliis locis cum sit mentio de voto Paupertatis religioso dicitur quod est abdicatio proprij, seu proprietatis cuiuslibet rei pretio æstimabilis, in quo non solum superior regularis, sed neque Romanus Pontifex potest dispensare vt manens religiosus habere possit proprium, cum sine eo viuere possit, non enim simul stare possunt religiositas, & proprietas illæso iure seruato.

7 Colligitur hinc superiorem, quicunque ille sit, non posse suum subditum dispensare super voto paupertatis, vt aliquid habeat, & possideat tanquam proprium, licentiam vero dare posse, seu permittere, vt rem aliquam, seu peculium, vt aiunt, habeat, possideat, seu contrectet, & retineat non tanquam proprium, sed tanquam aliquid, quod illi necessarium est, & valde
8 vtile ad personam suam. Ratio horum est, quia solemni professione von paupertatis præcise profitens abdicat à se proprietatem cuiuslibet rei, super qua cum non possit dispensare Papa, vt simul quis se gerat religiosum, & proprietarium, multo minus dispensabit
9 superior regularis. Super vero accidentalibus ipsius voti paupertatis, quæ præscribuntur in Regula, vt pecuniam non tangat, vt dona non recipiat, vt non emat, nec vendat &c. dispensare potest, & dare licentiam,
10 quia huiusmodi actus non cadunt sub obiecto voti paupertatis, quod, vt docent leges omnes supracitatæ, est præcise abdicatio proprietatis, non vero modorum, quibus res contrectari potest sine proprietate; vnde omnes Theologi, & Canonistæ dicunt, quod non est proprietarius ille monachus, qui possidet, ha-
11 bet, retinet, vel contrectat rem aliquam de licentia Abbatis. Ita præcitati *S. Augustinus, & S. Benedictus, Abbas in cap. 2. de statu monach. Ioann. Andr. in cap. Cum ad monasteria, de statu monach. Graff. part. 1. decis. lib. 3. cap. 5. numer. 78. Rota decis. 216. part. 2. Diuers. numer. 5. Hended. vol. 2. consil. 68. num. 44 Calder. consil. 2. de Regular. Siluester 6. numer. 7. §. Si autem, Tapia in Authent. Ingressi cap. 3. numer. 35. iterum Graff. part. 2. lib. 3. cap. 18. numer. 23. Butrius in cap. 2. de statu monach. Iterum Rota part. 1. Diuers. decis. 772. numer. 2. part. 4. Recent. decis. 246. numer. 10. Sperellus decis. 1. num. 73.* Nullus contradicit, quibus adde *Sanchez lib. 7. cap. 19. Nauarr. comment. 2. de Regul. numer. 14. Castropal. part. 3. disput. 3. de obligat. relig. p. 7. num. 1. Rodriquez tom. 3. q. 39. art. 10. cum suo Compend. resol. 110. num. 5. Miranda tom. 1. q. 28. art. 8.* & alij communiter.

12 Dixi 5. quod Paupertas est abdicatio proprij pretio æstimabilis, nam peculium inter alia hominem abstrahit à seruitio Dei, ideo ab illo se religiosus abdicat, quod illum facere potest diuitem in mundo, & pauperem Deo, qui ditat animas seruorum suorum. Professus ergo per hoc votum renuntiat proprio æstimabili pretio, non vero iuribus spiritualibus pretio incapacibus, ad quæ in religione ius retinet, & consequitur, vt sunt publica officia, ius eligendi, præsentandi, confirmandi, Magisterium, doctoratus &c. Ita *Rodriquez tom. 3. quæst. 59. art. 4. Castrop. disp. 3. p. 2. n. 2. Miranda tom. 1. q. 28. art. 1.*

Dixi 6. demum, facta in religione, quia loquimur de voto paupertatis religioso, quod fit in religione, non vero de illo, quod fieri potest etiam ab aliquo manendo in domo propria sub cura parentum.

Cuilibet virtuti proprium opponitur vitium, & si- 13
cut, vt dictum fuit præcedenti capite, obedientiæ opponitur sacrilega inobedientia, ita virtuti paupertatis aduersatur Proprietas irreligiosa, per quam professus proprium possidet, aut alio modo peculium habet, aut contrectat contra voluntatem superioris. Ille ergo professus dicitur proprietarius, qui peculio vtitur contra voluntatem superioris; si vero habet illud, vel illo vtitur dependenter à voluntate superioris non est proprietarius.

Colligitur hinc duo requiri, vt quis dicatur, & sit 14
proprietarius. *Primo* vt sit professus, & quidem valide, quia cum hæc obligatio abdicandi proprietatem originem habeat à voto solemni professionis, quis non dicitur proprietarius nisi post professionem, si peculio vtatur tanquam proprio. Valida autem debet esse professio, quia inualida nullum producit effectum, vt probaui cap. 10. initio. Ideo Nouitij, & alij commensales nunquam incurrunt vitium proprietatis, nec casum reseruatum huius materiæ, vt cum *Graff. de casibus reseruat. lib. 3. cap. 4. num. 17. dixi Resol. 43. num. 2.* Vbi materiam Proprietatis exacte, & fuse tractaui in ordi-
ne ad reseruationem. *Secundo*, vt rem pretio æstimabi- 15
lem possideat, habeat, occultet, vel contrectet, & ea vtatur tanquam propria, & independenter à superiore, seu contra eius voluntatem, vt constat ex supradictis; nam si adsit licentia superioris professus non dicitur proprietarius, sed legitimus possessor rei ad nutum superioris; ea supra citatis doctoribus.

Nomine autem Peculij venit omne id, quod est pecu- 16
nia æstimabile, vt tradunt Doctores super Rubr. de Peculio, Angel. & Silu. v. eod. siue sit quid stabile, & immobile, siue mobile, aut pecunia, à qua peculium deriuatur eo, quod omnia pretio, pecunia æstimabilia sunt. Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres 1. Quid statuerit Tridentinum super voto Paupertatis.

Resp. Statuit sub cap. 2. sess. 25. sequentia *Nomini* 17
igitur Regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita tanquam propriam, aut etiam nomine conuentus possidere, vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere etiam ad vsumfructum, vel ad vsum administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu conuentuum ad solos officiales eorundem ad nutum superiorum amouibiles pertineat. Mobilium vero vsum ita superiores permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat; nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Quod si quis aliter quicquam tenere deprehensus fuerit, aut conuictus, is biennio actiua, & passiua voce priuatus sit, atque etiam iuxta suæ Regulæ, & ordinis constitutiones puniatur. Hoc caput diuiditur in quinque partes.

In prima regulares vtriusque sexus prohibentur retinere bona tam mobilia, quam immobilia tanquam propria, & nomine conuentus, cui debent incorporari.

In secunda, prohibetur deinceps superioribus concedere stabilia alicui etiam ad vsumfructum, vsum, administrationem, aut commendam.

In tertia administratio bonorum monasterij talis officialibus committitur ad nutum amouibilibus.

In quarta, vsum mobilium conuenientem, non superfluum concedant superiores.

In quinta demum assignatur pœna contra transgressores. Super his multæ difficultates occurrunt, quæ resoluentur suis locis.

Quæres 2. An hoc Tridentini statutum contineat ius nouum, an solum sit antiqui iuris declaratiuum.

18 Resp. Non esse ius nouum, sed tantum declaratiuum iuris antiqui. Ius autem antiquum continetur *cap. Monachi 2. & cap. Cum ad monasterium 6. de statu monach.* In quorum primo statuitur, quod nulli permittatur habere peculium, nisi ab Abbate ei pro iniuncta administratione fuerit permissum. In alio vero capite sic decernitur: *Prohibemus quoque districtè in virtute S. Obedientiæ, sub obseruatione diuini iudicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid proprij habeat, totum incontinenti resignet. Vnde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellerario assignetur. Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuo possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur, sed cum oportuerit amoueri, sine contradictione qualibet reuocetur. Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut, & custodia castitatis adeo est annexa Regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Hæc est summa fere ad verbum illorum duorum capitum, quæ Tridentinum reformauit, & declarauit, super quæ notandum est, quod simpliciter prohibetur peculium professo retinendum tanquam proprium, super quod nullo modo dispensari potest, vt dicitur extremis verbis, adeo quod quando textus prohibet peculium, & dicit esse indispensabile semper vtitur verbo proprij, & proprietatis, quod reuera est præcise, & tantum obiectum respectu voti Paupertatis, ex quo ea di-
19 citur abdicatio proprij, seu proprietatis, & non aliorum modorum retinendi peculium sine illo titulo proprietatis, quod Abbas concedere potest monachis titulo administrationis, seu vsus ad nutum amouendi, vt etiam notatum fuit supra numer. 5. & seq. præsertim à num. 7. Potest ergo superior concedere peculium professo, non vt proprium illius, sed vt eo vtatur licito modo, non perpetuo, sed ad nutum reuocabile; ex quo patet idem prorsus disponere Tridentinum sub aliis verbis bonorum stabilium, vel mobilium, quæ vnico peculij nomine expresserat ius antiquum.

20 Probatur ergo Tridentinum innouare ius antiquum supradictum, & illud declarare. Tum ex titulo illius sessionis, quæ est de Reformatione Regularium: Reformatio autem non est inductio noui instituti, sed antiqui restitutio, ergo dum Tridentinum intendit reformationem, disponit super voto Paupertatis eo modo, quo exigunt iura antiqua, & sic nihil de nouo disponitur, sed regulares reducuntur ad obseruationem suæ Regulæ, & iuris antiqui. *Tum quia*, id colligi-
21 tur ex illatiua *igitur* expressa initio capitis tanquam referens, & conclusio præcedentium, nam inter reformationem, de qua Concilium sub primo capite mentionem fecerat, potissimum continetur dispositio super voto Paupertatis, cuius obseruatio ad formam Regulæ, & iuris communis hic præscribitur. Textus ergo Tridentini est dispositiuus, & declaratiuus iuris antiqui, nam talis est natura dictionis *Igitur*, vnde *Rota part. 2. in posthum. Farinac. part. 2. decis.* 148. *num.* 4. ait, quod illatio non mutat substantiam principalis
22 dispositionis. *Tum quia* lex declaratiua clarius explicat id, quod declarata subobscure continet, l. Palam hæredes 21. §. Si quid ff. de testam. ibi: *Nihil enim nunc dat, sed datum significat*, vnde non est aliquid accessorium legi, sed quod à principio inerat occultum manifestatur argum. legis: Adeo 7. §. Cum quis, in fine, ibi: *Qui excutit spicas, non nouam speciem facit, sed eam, quæ est detegit.* ff. de acquir. rer. domin. consequenter declarare non est addere, sed iam factum ab 23
initio ostendere, Decis. 1. de Accusat. in fine, in Nouis. Ita se habet hoc Tridentini caput declarans legem obscuram illorum duorum capitum; nam in prima parte dicti capitis Tridentini declaratur quid sit illud peculium de quo in cap. 2. de statu Monach. quod prohibetur monachis, nimirum quæcumque stabilia, & mobilia quouis modo acquisita possidere tanquam propria. In secunda parte prohibetur concessio stabilium etiam ad vsumfructum, vsum, vel commendam, aut administrationem, qui modi concedendi explicant illos duos terminos vtriusque capitis iuris antiqui, nimirum Administrationis, *in cap. 2. & Obedientia in cap. 6.* In quibus admittebatur cum licentia superioris administratio ad nutum reuocabilis, declarauit Concilium sub ea contineri commendam, vsumfructum, & vsum, vt non debeant concedi ad vitam tanquam propria ipsius Monachi. Et nota quod aliud est cōncedere stabilia titulo proprietatis, & titu- 24
lo vsusfructus, vsus &c. iuxta primam, & secundam partem Capitis Tridentini, nam in primo titulus ille refertur ad dominium directum, & in secundo ad dominium vtile, quod vtrunque in vtroque iure est prohibitum, sed clarius hic. In quarta parte capitis Tridentini conceditur vsus mobilium necessarius, non superfluus, quod etiam subobscure concedebatur iure antiquo, vt apparet in vtroque capite. Quare per Tridentinum nihil innouatur, sed ius antiquum tantum declaratur in eo, in quo obscurum erat. Hanc sententiam docent grauissimi Doctores *Nauar. com. 2. de Regal. numer.* 14. *& commeat.* 3. *numer.* 27. *Sanchez lib.* 7. *capit.* 22. *numer.* 5. *Diana resolut.* 32. *de Paupert. Barbosa super Concil. numer.* 3. *cum aliis*, dum dicunt, superiores posse concedere professis retentionem annuorum censuum ad eorum vsus honestos, reuocabiles tamen ab eis, iuxta mox dicenda.

Castropal. part. 3. disput. 3. de obligat. status relig. 25
p. 7. num. 5. asserit, Tridentinum ius nouum statuere circa obseruantiam paupertatis, secutus *P. Nauar lib. 3. de Restit. cap. 1. numer.* 174. *Layman lib.* 4. *tractat.* 5. *capit.* 6. *de statu relig. numer.* 13. §. *Hac Nauar. & alios*, & ratione, quia ante Concilium licitum erat habere peculium, de licentia superioris, secundum ius antiquum non vero secundum ius nouum Tridentini, quod in eo capite aperte prohibetur: *Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere etiam ad vsumfructum, vel ad vsum, administrationem, aut commendam.* Vtitur eo verbo, *de-* 26
inceps, quod arguit prohibitionem hanc, quæ antea non extabat incipere habere suum effectum. *Confirmatur*, quia antecedenter ad prædicta verba, decreuerat, non licere religioso retinere bona stabilia, aut mobilia apud se, sed ea debere tradi superiori, & incorporari conuentui, ergo Tridentinum condidit ius nouum.

Respondi supra nullum ius nouum hic condi, sed 27
antiquum renouari, & declarari, nam peculium prohibetur non solum in prima parte quæ hic affertur pro confirmatione, sed etiam in secunda parte, quæ hic refertur ad verbum pro probatione, sed diuerso modo, in prima quidem parte tanquam proprium proprietate dominij directi, quod simpliciter repugnat voto huic in hoc indispensabili, in secunda vero stabile prohibetur tanquam dominium vtile significatum per vsumfructum &c. vt supra etiam dixi, ad cuius comprobationem facit primo, quia in eo capite Tridentini hæ sunt duæ primæ partes illius capitis inter se diuersæ, ne dicatur idem bis repetitum. 28
Secundo in dominio vtili duo spectantur, vsus scilicet iuris disponendi de fructibus ad libitum independenter ab alio, id enim tribuit illud ius vsui adiunctum; & vsus facti, quod vtens adhibet præcise pro se,

se, & non pro aliis, nisi dependentee ab eo, apud quem est ipsum ius dominij vtilis. Pro qua re vide *extrauag. Ad conditorem 3. Ioann. XXII. de verb. signific. Sayr. l. 9. Clauis cap. 7. à num. 15. Azor. part. 1. lib. 12. c. 24. quæst. 12. Sanchez lib. 7. capit. 18. initio*, qui multis dictam distinctionem explicant. Concilium ergo Tri-
29 dentinum, dum ait, non licere regularibus possidere, aut habere bona mobilia, & immobilia tanquam propria, loquitur de dominio directo, & proprietatis, quod præcise est obiectum voti Paupertatis secundum institutores Regulares, & ius commune, vt dixi num. 5. & 7. cum sequent. & per hoc distinguitur à secunda parte, quod non liceat superioribus concedere vsumfructum &c. hoc est dominium, non proprietatis, quod iam antecedenter prohibuerat, ne bis idem immediate redicatur, sed vtile spectatum in ratione iuris scilicet vtendi fructibus rei stabilis ad suum libitum, seu disponendo de illis independenter à voluntate superioris, id enim Concilium prohibet superioribus ne scilicet concedant stabilia professis, vt de illorum fructibus disponant pro suo libito, dunando illos, vendendo, distrahendo &c. & id quoque erat prohibitum iure antiquo ex cap. Cum ad monasterium, & præfata extrau. Ad conditorem.
30 Et particula *Deinceps*, refertur potius ad vsum nonnullorum, quibus videbatur sibi licere talem concessionem dandi administrationem stabilium conuentus, sicut habet beneficiarius super fructibus sui beneficij, vnde Concilium declarat id non licere deinceps superioribus, nimirum concedere suis subditis vsumfructum cum iure scilicet disponendi de fructibus pro suo libito; non negat vero, licitum esse concedere eisdem vsumfructum, seu vsum facti. hoc est, disponendi de fructibus percipiendis ad honestos, & licitos vsus pro se,
31 & non alijs extraneis independenter à voluntate superioris. Cur autem liceat concedere vsum facti, & non iuris ex hoc capite? Ea est ratio, quia priori modo, vsus, quem habet professus, dependet à superiore, cui subiecit dominium suæ voluntatis in hoc, cui neuter renunciare potest; & etiam quia non est proprietarius peculium contrectans de licentia Abbatis; posteriori modo concessio est abusus, quia superior non potest renuntiare dominio voluntatis professi sibi subiectæ ex voto, vnde ei non licet concedere vsumfructum stabilium pro suo libito.

32 Colligitur ex dictis confirmari ea, quæ initio huius capitis ex sanctis institutoribus dicta fuerunt, nimirum solum abdicationem proprietatis, & non aliorum modorum, quibus conseruari potest votum Paupertatis, esse materiam, & obiectum eiusdem voti Paupertatis, nam si ex Tridentino licebat alias superioribus concedere vsumfructum, ergo is non est obiectum voti, nec eius abdicatione comprehenditur in voto, aliter nunquam licuisset superiori concedere vsumfructum in ratione dominij vtilis, sicut conceditur clericis beneficiarijs super fructibus suorum beneficiorum. Sed hæc satis, modo accedamus ad resolutionem quæstionis sequentis, propter quam præcedentem præmisimus, per quam etiam resoluetur.

Quæres 3. An licitum sit habere peculium, seu annuos redditus de licentia superiorum, expendendos in proprios vsus?

33 Respond. Licitum est religiosis de licentia sui superioris habere annuos redditus, liuellos, seu census. Quod procedit *primo*, licet non sint officiales. *Secundo*, licet conuentus non sit pauper. *Tertio*, licet non sit ad determinatum vsum, modo sit ad licitos, & honestos vsus pro vtilitate ipsius religiosi. *Quarto*, modo licentia non sit perpetua, sed reuocabilis ad nutum superioris, à quo dependet in vsu. *Quinto* demum procedit, non obstante Tridentino.

Probatur responsum. *Tum quia* talis concessio non est contra votum paupertatis, quod vt supra visum fuit, est abdicatio proprietatis, quod vitium non habet locum hic, cum religiosus censum retineat non tanquam proprium, neque iure vsusfructus &c. sed tantum vt vsumfructum facti ad determinatos vsus necessarios ipsi concessionario dependenter semper à voluntate superioris, ergo licita est talis concessio. *Tum quia*, Papa concedit nonnullis religiosis annuas pensiones, eo quod sunt benemeriti de Ecclesia, quod facere non posset, si id esset contra votum Paupertatis, in quo nec Papa licentiam indulgere potest, cap. Cum ad monasterium 6. de Statu monach. *Tum quia*, est magna 34
differentia inter clericum, & religiosum vsufructuarios, nam clericus est Dominus, & proprietarius fructuum sui beneficij, de quibus pro suo libito disponere potest, proijciendo etiam in flumen, & eos donare cui voluerit. Ita omnes Canonistæ *cum Nauar. de Reddit. q. 1. monit. 16. & seq. Theologi cum D. Thoma 2.2. q. 185. art. 7.* bene *Layman lib. 4. tract. 2. cap. 3. num. 2. & 3.* Religiosus vero de redditibus sibi assignatis disponere non potest pro suo libito, sed tantum vtendo illis pro suis necessitatibus, eo quod non est vsufructuarius proprietarius, & Dominus, sed tantum illorum habens vsum facti pro se, sed per huiusmodi concessionem non acquirit proprietatem, & dominium disponendi de illis pro suo libito, sed tantum pro suis vsibus licitis, ergo huiusmodi concessio est licita. *Tum quia*, vt visum fuit supra n. 5. & 7. Institutores Regularum S. Augustinus, & S. Benedictus, qui aliis lumen dederunt id aperte concedunt in suis Regulis, nec à iure communi negatur, sed conceditur cap. 2. & 6. de statu Monach. vt monachus de licentia Abbatis possit peculium retinere non tanquam proprium, sed ad suos peculiares vsus. *Tum quia*, ita practicatur in omnibus fere religionibus, in quibus relucet disciplina regularis, & sanctitate seruorum Dei illustrantur. Ita omnes tum Canonistæ *cum Decio in cap. Edoceri de rescr. num. 17. Abbas in cap. Cum M. de constit. col. fin. in c. Cum ad monasterium, de statu Monach. col. 2. & in consil. 87. Calder. consil. 2. de Regul. alios citans Sanch. lib. 7. c. 22. num. 5.* tum *Theologi cum Rodriq. tom. 3. q. 29. art. 8. Miranda tom. 1. q. 28. Faber disp. 45. de Restitut. Vitalis de Pauper. num. 23. Ego resol. 43. & Dub. Regul. 112. Bosa part. 4. casu 17. tum illis Barbosa ad dictum cap. Cum ad Monasterium n. 2. fuse Peyrin. de subd. q. 2. cap. 1. §. 1. Tambur. to. 2. disp. 22. q. 5. Vide Bassaum v. Paupertas à n. 9.* Vbi multa dicit.

Procedit primo, licet concessionarius non sit officialis monasterij, hoc enim non dicit S. Augustinus, nec Benedictus in suis Regulis, nec ius commune id exprimit in præfatis capitibus supra relatis, quicquid dicant *à S. Fausto de vitio propriet. qu. 12. Conedus dub. 10. de Pauper. num. 6.*

Secundo procedit, licet conuentus sit diues, nam Canonici ex D. Augustino, & Monachi ex D. Benedicto erant, & sunt diuites in communi, & tamen per illos permittitur peculium, vt vidimus sub num. 5. quicquid dicat *Valent. tom. 3. disp. 10. q. 4. p. 3. corol. 4.* Quando monasterium ita est pauper, vt ex communibus nequeat subuenire religiosis, quia hæc indigentia communitatis alias non excusaret, cum acquisita per professos adhuc sint sub proprietate, & dominio conuentus.

Tertio procedit respectu etiam indeterminati vsus, modo liciti, & honesti, nam diuersitas vsus modo resultet in vtilitatem honestam religiosi non arguit proprietatem in subdito, nec illicitam concessionem in superiore. Præterea nullo iure licentia hæc peculij limitatur ad talem vsum specie, v. g. ad emendos calceos, vel tantum libros. Quicquid dicant Corduba q. 54. §. Lo tercero digo, Lopez par. 2. Instruct. c. 5. §. Tertio addimus.

Quarto licentia hæc peculij debet esse limitata, reuocabilis scilicet ad nutum superioris, vt dicitur expresse cap. Cum ad monasterium. eo quod religiosus peculio vtitur continuo dependenter à voluntate superioris, cui propriam professionem subiecit, quod non esset verum, si concessio esset perpetua, & irreuocabilis ad vitam ipsius concessionarij, quod potius arguit vsumfructum

iuris, & proprietatis, quam facti, & vtilitatis. Ita omnes supracitati.

35 Quinto dictum fuit, non obstare huic responso Tridentinum, vt multis superius probatum fuit, nam illud decretum: *Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari etiam ad vsumfructum, &c.* Intelligitur quo ad vsumfructum iuris, & irreuocabiliter, & ad vitam, & sine causa legitima, vt explicat *Sanch. lib. 7. c. 22. n. 1 1. cum Rodriq. tom. 2. q. 125. art. 4. & to. 3. q. 29. art. 10. Graff. par. 1. decis. lib. 3. c. 5. n. 65. Pacianus consil. 36 à n. 99. tit. 1. Nauar. consil. 14. de statu monach. num. 6. Miranda tom. 1. quæst. 28. art. 8. Beia part. 4. casu 17. Peyr. de subd. quæst. 2. cap. 2. §. 1. Vers. Respondeo.*

36 Qui tenet Concilium induxisse nouum ius, vt scilicet superior nullo modo possit concedere peculium religiosis, adhuc si concedat, non peccare, & subditum illud habentem esse tutum in conscientia; respondent aliqui, Tridentinum in hoc non fuisse receptum, sed vsum peculij processisse apud eosdem ac si Concilium quo ad hoc non emanasset, est enim communis sententia, quod vt lex etiam Ecclesiastica obliget, quod acceptetur à subditis, vt refert Doctores *Diana resol. 1. de legibus.* Alij aiunt receptum Concilium contraria consuetudine derogatum fuisse in hoc, seu temperatum, vt licita sit concessio peculij sub dictis circumstantiis, ita *ex Pontio q. 9. Scholastica c. 4. Castrop. par. 3. de obligat. relig. status p. 7. ad finem.*

Dicet, contra huiusmodi non acceptationes, consuetudines, & praxim concedendi peculium etiam sub illis limitationibus clamare constitutiones Clementis VIII. confirmatas ab Vrbano VIII. & ab aliis Pontificibus, quæ debent continuo legi diebus statutis in Refectorio, ex quo ruit omnis consuetudo, adeo quod induci non potest, consequenter concessio peculij est omnino prohibita, nec vires recipere potest per contrariam consuetudinem. Hæc obiectio colligitur *ex Lezana par. 1. c. 6. n. 19.*

37 Resp. Primo constitutiones Clementis VIII. nihil de nouo statuere quo ad votum Paupertatis, sed tantum illas esse executiuas dispositionis Concilij, vt colligitur
num. 3. & seq. earondem constitutionum. Resp. secun-
38 do illas mandare executionem Concilij, supposita eius acceptione rigorosa quod ad votum Paupertatis, ac proinde confirmationem factam per Vrbanum VIII. non plus constringere, quam illæ Clem. III. quæ fuit in forma communi. Immo si bene considerentur Decreta de eiectis, & fugitiuis relata in Bulla 26. Vrbani n. 1. & 10. Innouantur tantum Decreta Generalia spectantia ad Nouitiorum receptionem, & non alia. Vt dixi
39 c. 18. n. 105. Nec denium lectio, quæ ex præscripto fit in mensa arguit impedimentum consuetudinis introducendæ, quia leguntur ad fouendam memoriam, non ad excludendam introductionem consuetudinis, sed tantum ad euitandas pœnas.

Vnde ipse *Lezana citato cap. 6. num. 21. & seq.* Non reprobat introductam consuetudinem concedendi peculium, vbi vita communis obseruari non potest, ea ratione, quia habere hoc modo non est contra votum paupertatis, nec ius commune, sed solum contra præcepta Ecclesiastica Concilij, dic tu nec contra Tridentinum, vt supra probatum fuit.

Quæres 4. Quænam licentia superioris sufficiat, vt religiosus possit habere peculium tuta conscientia sine peccato?

40 Resp. Licentia expressa est optima, non tamen necessaria, cum sufficiat tacita, interpretatiua, & præsumpta, nisi aliquo statuto petatur expressa, quod tunc seruandum est. Ratio est, quia eadem est virtus taciti, & expressi, *l. Labeo 2. ff. de pactis, l. Cum quid 3. ff. de reb. cred.* Quod colligitur ex adductis Regulis, & iuribus sub num. 5. nomine licentiæ, iussionis, veniæ, & permissionis, quæ indicant licentiam expressam, & tacitam, ac præsumptam. Ita docent omnes cum *Rodriquez tom. 2. quæst. 57. art. 2. Portellus v. Licentia num. 2. Nauarr. comment. 2. de Regular. num. 20. Latius Miranda tom. 1. quæst. 28. art. 14. Migalius. 1. 2. lib. 1. cap. 27. num 62. Graff. de Casibus reseruatis lib. 3. de casu 4. numer. 30. & consil. 8. de Regular. num. 23. & 24. tom. 1. Sanchez lib. 7. cap. 16. num. 4. vbi citat triginta Doctores, Layman lib. 4. tractat. 5. cap. 6. num. 4. Peyrin. de Subdit. quæst. 2. cap. 2. §. 3. Lezana cap. 6. num. 55. Ego resolut. 43. num. 27. Castropal. part. 3. disput. 3. p. 23.*

Nomine licentiæ præsumptæ venit primo taciturnitas superioris videntis, aut scientis, religiosum recipere aliud, retinere, aut expendere, nam taciturnitas est quædam licentia tacita, iuxta *Regul. 43. in 6.* Qui tacet consentire videtur. *Confirmatur, Tum quia,* iura allegata sub *num. 5.* vtuntur verbo *permitto*, quod arguit taciturnitatem. *Tum quia,* paria sunt, non contradicere, & consentire, *leg. In adoptionibus 5. ff. de Adopt.* Ita præcitati cum *Sanchez lib. 7. cap. 19. numer. 12. Rodriquez tom. 3. quæst. 29. art. 22.*

Venit secundo consuetudo approbata aliquid dandi, vel recipiendi, seu expendendi, non damnata à superioribus, ea enim æquiparatur licentiæ præsumptæ superioris. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 19. n. 7. Lezana cap. 6. n. 56.*

Venit tertio, ratihabitio sub spe habendi licentiam à superiore, quia includit superioris consensum futurum super re vsitata nomine superioris. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 19. num. 13. Lezana cap. 6. num. 56. quos cum aliis citaui dicta resol. 43. n. 27. ad 30.*

Quæres 5. Qualis debeat esse huiusmodi licentia? An scilicet dari possit perpetua, & irreuocabilis? An saltem ad tempus irreuocabilis?

Resp. Licentia irreuocabiliter, & perpetua dari non potest, sed ad nutum reuocabilis intelligitur concessa, 41
per quam religiosus semper operatur dependenter à voluntate superioris. Ratio est, quia licentia perpetua, & irreuocabilis facit religiosum proprietarium, nam ea includit dominium vtile disponendi pro suo libito, quod repugnat Voto Paupertatis, quod est abdicatio disponendi de re pro suo libito, & etiam obedientiæ, ratione cuius vsum suæ voluntatis subiecit voluntati superioris; vnde cum superior à se abdicare non possit subiectionem voluntatis sui subditi, nec facere, quod sit dominus non solum stabilium, sed nec mobilium, illis vtendo pro suo libito, sequitur non posse concedere licentiam absolutam, & illimitatam, sed tantum limitatam ad nutum scilicet reuocabilem, & pro suis vsibus tantum licitis, & honestis. Ita *Nauarr. consil. 15. de Statu monach. Sanchez lib. 7. cap. 17. à numer. 28. Lezana cap. 6. numer. 26. Ego resolut. 43. num. 32. & 33.*

Quæres 6. An licentia concessa ab vno superiore valet sub alio eius successore?

Resp. Valet, modo per successorem, vel superiorem 42
non reuocetur expresse, vel tacite dum ordinat, vt singuli faciant Cartam Expropriationis. Primum patet ex eo, quod gratia simpliciter sine limitatione temporis durat, donec reuocetur, etiam post mortem concedentis, *cap. Si super gratia 9. de Offic. Delegat. in 6. capit. Si cui 36. de Præbend. in 6.* Etiam sub successore, qui vna reputatur persona cum suo prædecessore, *Glos. v. contra, cap. Dilecti, de foro competen.*

Si vero successor, an superior petat nouam cartam, 43
seu inuentarium, tenetur in ea omnia registrare, aliter occultans aliquid est proprietarius, vt docent omnes cum. *Graff. lib. 3. cap. 5. decis. num. 48. Corduba in Regular. quæst. 4. Lezana part. 7. cap. 6. num. 17. Ego resol. 43. num. 34. & 35. Rodriquez tom. 2. quæst. 125. art. 5. ex eo Sanchez lib. 7. cap. 22. numer. 25. ex illis Peyrin. de subdit. quæstion. 2. capit. secundo, §. secundo, Vers. Quæres.*

Quæres 7. Ad quem superiorem spectet dare licentiam recipiendi, retinendi, & expendendi peculium?

Resp.

44 Resp. Vnusquisque consulat statuta sui Ordinis, de
iure communi id munus spectat ad superiorem loca-
lem, quia ia melius scit aliis, quibus indigeat suus sub-
ditus tam ratione domicilij, quam hospitationis, habet
enim superior loci administrationem omnium bono-
rum sui conuentus vt vtilitatem, & commodum reli-
giosorum sub sua potestate degentium. Ita *Sanchez
lib. 7. cap. 22. num. 39. Ego resol. 43. num. 36.* In meo Or-
dine spectat ad Priorem Conuentum, vt retuli supra
sub *num.* 5

Quæres 8. An superior possit concedere peculium
superfluum religioso, & is illud acceptare?

45 Resp. Superiorem non posse superflua concedere,
nec proinde subditus retinere, vtrumque excusa à pe-
cato mortali, & à vitio etiam proprietatis in illis Reli-
gionibus, in quibus viget vsus peculij. Ea autem dicun-
tur superflua, quæ non sunt necessaria personæ, neque
46 condecentia suo statui. Ver. grat. gemmæ, picturæ, vestes
sericæ, apparatus superflua sunt cuilibet religioso co-
clear argenteum, horologium magistro, concinnatori,
&c. non est superfluum, sicut clerico, aut laico.

Primum, quod eam licentiam dare non possit con-
stat ex allatis Regulis sub *nu.* 5. & iuris communis, tam
veteris, quam noui Concilij, illis verbis: *Mobilium
verum vsum ita superiores permittant, vt eorum supplex
status Paupertatis, quam professi sunt, conueniat, nihil-
que superflui in eo sit, nihil etiam, quod sit necessarium,
eis denegetur.* Nota extrema verba, quia in certis Reli-
gionibus, quæ non sunt multum diuites, quandoque ne-
gantur ex indigentia aliqua necessaria, ideo in eis ino-
leuit vsus non contemnendus, quo Concionatores,
Confessarij, & alij sibi procurant huiusmodi necessaria
annuentibus eorum superioribus. Quod licere multa
probauimus sub *quæst.* 1. *&* 2.

47 Secundum, quod neuter peccet mortaliter, probatur,
quia defectus se tenet ex parte modi, & circunstantia-
rum, quæ non cadunt sub voto, licet cadant sub præcep-
to de re non magni momenti, cum directe neque indi-
recte violetur votum Paupertatis in terminis professio-
nis, cuius obiectum ratione huius voti est præcise abdi-
catio proprietatis, & non circunstantiarum. Ita colli-
go ex *Lessio lib. 2. cap. 41. num. 79. Azor. lib. 12. ca-
pit. 22. quæst. 5. Tapia in Authent. Ingressi capite tertio,
numer.* 50. Docent enim per talem licentiam excusari à
vitio proprietatis.

48 Tertium, qood non sit vitium proprietatis tenent
præcitati, ea ratione, quia possidens de licentia Abba-
tis non est proprietarius, ex allatis supra sub *numer.* 11.
cum rem non habeat contra voluntatem superioris. *Con-
firmatur*, quia licentia alias illicita, adhuc est licentia,
Glos. v. Licentiam, cap. Si qua 28. 27. *quæst.* 1. & licet
non liberet à peccato, liberat tamen à pœna, *Glos. v.
Licentiam cap. 3 distinct.* 41. Ita *Silu. v. Religio 6. qu. 7.*
Cum *Graffio part. 1. lib. 3. capite quinto, num.* 61.

Contrarium tenet *Sanchez lib. 7. capit. 19. num.* 21.
49 peccare vitio proprietatis. *Tum quia*, superior non est
dominus, sed tantum administrator, vnde excedit li-
mites suæ potestatis. *Tum quia*, recipens turpiter à reli-
gioso etiam de licentia superioris tenetur ad restitutio-
nem. *Tum quia*, religiosus vtitur re contra voluntatem
Pontificis, qui in Tridentino negat licentiam ad super-
flua. Et ita cum eo tenent *Nauarr. comment. 2. de Regu-
lar. num. 21. Maior in 4. distinct. 38. quæst. 9. articul. 3.
Petrus Nauarr. lib. 3. de Restitut. capit. 1. apud eundem
Sanchez*, qui cum proponat cum illis quæstionem non
tantum de superfluis, sed etiam de turpibus, & nos lo-
cuti fuerimus tantum de superfluis, non de turpibus
respondemus eius argumenta probare tantum proprieta-
tem circa vsus turpes. Vnde.

Quæres 9. An expendens in actibus illicitis, & turpi-
bus cum licentia etiam expressa superioris sit proprieta-
rius, vt si det mulieri pro venereis?

50 Resp. Affirmatiue, quia re vtitur pro suo libito, nul-
la omnino existente licentia superioris, quæ licet à no-
bis probetur valida respectu superfluorum, cum in iure
non irritetur, est tamen nulla respectu turpium, vt quæ
est contra ius naturale, & Diuinum. *Confirmatur*, ex
dictis mox per Sanchez. Oppositum tamen docui *reso-
lut. 43. num. 46. cum Bannez, Lopez, Rebellius, & Ioan-
ne Francisco Soarez, Arca Vitalis Inquisit. V. de Pauper-
tat. numer. 21. & sequent. quos contra se citat Diana re-* 51
solut. 65. notab. 3. Nimirum non peccare contra votum
Paupertatis, nec teneri ad restitutionem meretricantes,
ludentes, &c. Quibus addit *Ioannem Salas idem Diana
resolut. 98. Castropal. part. 3. disputat. 3. p. 23. num.* 9.
putat, accipientem ex accidenti esse deobligatum à
restitutione. Quam plures alios de meretrice non obli-
gata ad restitutionem, citat *Vericellus tit. 3. quæst.* 32
num. 4.

Quæres 10. An licentia coacta, seu fraude, & do-
lo extorta à superiore ægreferente subditum habere ta-
les, vel tales res in camera sua, vel expendere sine ne-
cessitate, excoset à vitio proprietatis?

Resp. Affirmatiue, si non est circa turpia, & illicita, 52
sed tantum circa superflua, probatur, quia licentia
coacta est adhuc licentia, *gloss. v. Licentia cap. Notifi-
casti 2. 33. quæst.* 5. sufficiens ne subditus dicatur pro-
prietarius, non enim ad hanc licentiam necessaria est
omnimoda libertas, ideo coacta videtur sufficere ad
excusandum religiosum à vitio proprietatis, quia dici-
tur possidere accipere, & expendere dependenter à
voluntate superioris. Negant *Sanchez lib. 7 cap. 19.
num. 16. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 11. num. 14.
quos pro se citat Castropol. part. 3 disput. 3. p. 23. initio*,
ea ratione, quia hæc reddunt actum simpliciter inuo-
luntarium. Sed hoc est falsum, nam ipsemet *Castropol.
part. 1. tractat. 2. disputat. 1 de Libertate, & eius im-
pedimentis p. 6. num. 4.* inquit: *Respondeo cum Diuo Tho-
ma, & communi Theologorum sententia 1. 2. quæst. 6.
art. 6. facta ex metu voluntaria esse simpliciter, & ab-
solute, & secundum quid inuoluntaria, quia ea, quæ fiunt
ex metu, absolute ex voluntate fiunt, cum possent non
fieri.* Cum ergo licentiæ coactæ non desit voluntas su-
perioris, subditus dicitur possidere, recipere, & expen-
dere dependenter ab eius voluntate, ideo non est pro-
prietarius.

Quæres 11. An religiosus possit commodare, mu-
tuare, commutare, vendere, & emere cum, vel sine li-
centia superioris?

Resp. Nullum ex prædictis actibus facere potest, 53
nisi cum licentia sui superioris saltem tacita, & præ-
sumpta. Ratio est, quia tales actus sunt iuris dominij, &
proprietatis, ergo religiosus illos de se præstare non po-
test. *Confirmatur*, quia super rebus sibi permissis reli-
giosus nullum ius habet, sed est simplex vsuarius, qui
propria auctoritate non potest rem sibi concessam alte-
ri dare, ex *Institut. de Vsu, & Habitat.* §. 1. *&* 2. Vt ergo
id possit facere, requiritur superioris licentia. Et id pa-
tet ex *Regulis citatis initio sub num. 5. Ita Lessius lib. 2.
cap. 41. numer. 79. Sanchez lib. 7. cap. 19. numer. 65.
Peyrin. de Subdit. quæst. 2. §. V. Tambur. tom. 2. disputa
22. quæst. 10. Castropal. part. 3. disputat. 3. p. 22. Diana
resol. 37. & 38. de Paupert.*

Quæres 12. An sine licentia religiosus dono acci-
pere possit aliquid?

Respond. Requiri licentiam saltem præsumptam su- 54
perioris, cuius nomine, & auctoritate recipit, & in-
corporat Religioni, secundum iura, quia quicquid ac-
quirit monachus acquirit monasterio, vt iura, & Do-
ctores citaui *cap. 1. num. 102. cap. 13 initio*, & nun-
quam sibi *eodem cap. 1. num.* 128 Ita Sancti Augusti-
nus, & Benedictus, & in nostra Regula citati supra
*numer. 5. & alij communiter. Diana resolut. 26. de
Paupert.*

Quæres 13. An religiosus possit aliquid donare tam
in Religione, quam extra, de sibi concessis ad proprium
vsum?

Resp. Posse intra Religionem de licentia saltem præ- 55
sumpta.

ſumpta, extra vero tantum de licentia expreſſa, & titulo gratitudinis. Ratio illius eſt, quia donare eſt actus iuris, & dominij, quod à ſe religioſus abdicauit, ergo id facere non poteſt nomine proprio, & independenter à voluntate ſuperioris. Itaque vnus religioſus alteri donare poteſt librum, tunicam, peconiam, & ſimilia, quæ habent in ſuo vſu. *Rodriquez tom. 3. quæſt. 29. art. 10. concl. 3. Miranda tom. 1. quæſtiou. 28. articul. 15. Sanchez lib. 7. diſputat. 19. numer. 64. Tamburr. tom. 2. diſput. x1. quæſt. 9. Diana reſolut. 18. 19. x0. & 39. de Paupertat. Vericell. titul. 3. quæſt. 28. numer. 3. Peyrin. de Subdit. quæſtion. 2. capit. x. §. 6.* Extra ordinem donare eſt perdere, & ſi non ſit titulo remunerationis ex cauſa licita, nullatenus eſt concedendum, vnde rigoroſe prohibitum fuit per Bullam de Largitione Munerum, de qua late *Diana part. 1. tractat. 6. de Paupertat.* & ego audio, & video nullibi eſſe receptam, quia omnes diligunt munera, & qui deberent alijs dare bonum exemplum, præ alijs ſunt magis auari, & libenter dona recipiunt. Vide *Vericellum titul. 3. quæſtion. tertia de Bulla Largit. Muner.*

Quæres 14. An liceat ſubuenire Conſanguineis, & alijs Pauperibus titulo eleëmoſinæ?

56 Reſp. affirmatiue, quia eſt opus Miſericordiæ nulli prohibitum, ſi fiat modo debito, cum licentia ſcilicet ſuperioris. *Confirm tur*, ex Bulla de Largitione Munerum ſub §. 10. ibi: *Niſi pro veris Chriſti pauperum indigentijs, habita neceſſitatis ratione, & ſeruato ordine Charitatis.* Ita omnes docent cum *Vega part. x. Summa. cap. 86. caſu 30. Beia part. 4. caſu 31. colum. 3. Peyrin. de Subdit. quæſt. 2. cap. 1. §. 6. concl. x. cum illis Tambur. tom. 1. diſput. 21. quæſt. 9. num. 5. Miranda tom. 1. quæſt. x8. articu. 13.* Quorum aliqui aſſerunt, ſuperiores poſſe concedere licentiam donandi vſque ad ſummam decem aureorum pro cauſa pia, pro pauperibus, pro nuptijs conſanguineorum pauperum etiam pluries in anno, prout referunt dicti *Tamburinus, & Peyrinus, Donatus par. 2. tractat. 15. quæſt. 5.* iterum infra idem *repeto num. 92.*

Quæres 15. An ludus liceat religioſis exponendo pecuniam?

57 Reſp. Licet ludus recreationis gratia cum moderata quantitate pecuniæ inter ipſos regulares, annuente ſuperiore. Cum ſæcularibus ludere notabilem pecuniæ quantitatem etiam cum licentia ſuperioris eſt peccatum mortale, & contra votum Paupertatis, quia exponere ludo pecuniam eſt actus dominij & iuris, ac proinde actus proprietatis, quod nec ſuperior concedere poteſt, niſi cauſa recreationis exponendo moderatam quantitatem, quod vti licitum à ſuperiore permitti poteſt intra monaſterium certis temporibus, non continuo, nec extra conuentum. Vide quæ dixi *reſolut. 33. & 43. num. 65. Sanchez lib. 7. cap. 19. à num. 76. Tambur. to. x. diſput. xx. quæſt. 12. Peyrin. de Subdit. quæſt. 1. capit. 2. §. VII.*

Notabilis autem, ſeu immoderata quantitas eſt exceſſus quinque ducatos. quotannis aſſignatis pro ſuſtentatione, *Nauar. cap. 20. num. 12.* quem cum multis alijs citat *Sanchez lib. 7. cap. 19. num. 79. Tambur. tom. 2. diſputat. 2x. quæſt. 12. num. 3.* Modicam quantitatem licitam ludere religioſo recreationis cauſa, eſſe quatuor, aut quinque ducatos quotannis dixit *Peyrin. de Subdit. quæſt. x. cap. 2. §. VII. Verſ. Quæres primo*, vbi ſubiungit, id relinquendum eſſe arbitrio prudentis. *Ego reſolut. 33. num. 2.* dixi, notabilem eſſe quantitatem perdere vnum aureum eodem die, quod ibi multis probaui.

Concludunt omnes ludentem immoderatam quantitatem peccare mortaliter peccato proprietatis, & teneri ad reſtitutionem illum, qui lucratus fuit, quia religioſus, qui eam pecuniam perdidit non erat illius dominus, nec illi ſuffragatur ſuperioris licentia, qui dominus non eſt, ſed adminiſtrator, neuter ergo è Religione dominium illius pecuniæ abdicare poteſt. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 19. num. 86. Tambur. tom. x. diſputat. 22. quæſt. 12. num. 9. Peyrin. de Subdit. quæſt. 2. cap. 2. §. VII. Verſ. Ex quo.* Alias citaui *reſolut. 33. num. 9.* Vide eundem *Sanchez*, qui rem latius, & clarius declarat à *num. 83. & ſeq.*

Supradicta intellige, ſi exponat ludo de peculio ſibi à ſuperiore deſignato pro ſuo vſu, ex acquiſitis propria induſtria, ex veſtiario, ex concionibus, ex confeſſionibus, ex liuellis ſibi relictis à conſanguineis, de ijs vero, quæ pertinent ad communitatem nihil prorſus in ludo exponere poteſt, & ſi id faciat tamquam proprietarius, fur, & latro puniendus eſt, cum ſit dilapidator bonorum Monaſterij.

Quæres 16. An fructus liuelli, quos à Conſanguineis ſingulis annis conſequitur, relinquere poſſit illis indigentibus, dum ipſe non indiget, ſed ex induſtria licita aliunde ſibi prouidet ſine damno Monaſterij? Iterum infra *num. 9x.*

Reſp. Affirmatiue. *Tum quia*, id licet titulo eleëmo- 58
ſinæ, quod locum habet in hoc caſu, dum eis Conſanguinei indigent, & cum magno illorum incommodo vix ſoluere poſſent illos quotannis, vt patet ex dictis ſub *quæſt. 13.* quæ à præſenti non differt. *Tum quia*, de licentia ſuperioris perdere quid moderatum in ludo præcedent. *quæſt. 14.* ergo à fortiori relinquere conſanguineis ex cauſa ſubuentionis. *Tum quia*, donare licet cauſa eleëmoſinæ, ſeu ex remuneratione, ex pietate, & gratitudine, quod non interdicit Bulla de Largit. Muner. vt docet *Diana reſolut. 13. de Paupertat. Donatus part. x. tractat. 15. quæſt. 8. & 9.* ergo & cauſa ſubuentionis debitum remittere. *Tum quia*, inter cauſas donationis licitæ eſt pietas in parentes vſque ad quartum gradum, prout declarauit Generale Capitulum Valentinum Prædicatorum anno 1596. *Donatus citat. quæſt. 1x. num. 1. vbi num. 3.* refert declarationem factam per Vrbanum VIII. licitam ſcilicet eſſe donationem de licentia ſuperioris localis, accedente conſenſu maioris partis conuentus, ſi talis conſenſus requiritur de iure, vel ex conſtitutionibus, vel ex conſuetudine, factam ex cauſis gratitudinis, neceſſitatis, conciliationis, beneuolentiæ, eiuſque conſeruationis erga ipſam religionem, vel conuentum, aliiſque ex cauſis ex ſui natura actum virtutis, & meriti continentibus. *Tum quia* ſicut parentibus exiſtentibus in extrema neceſſitate, imo & in graui, quibus occurri non poteſt alio modo, filius etiam ſuperiore contradicente, vt docet *Peyrin. de Subdit. quæſt. 1. cap. 9.* exire poteſt ita & rationabile videtur, quod reſpectu aliorum, licet exire non poſſit, exercere valeat actum charitatis, remittendo illis debitum; maxime cum per hoc conuentus nihil patiatur, ſicut per egreſſum priuatur eius ſeruitute. Et ita tenent præcitati ſub *quæſt 13.* quia remittere debitum eſt illud proximo donare. *Vericellus tractat. 8. quæſt. 51. per totam, & 52.*

Quæres 17. An habens commiſſionem ab amico diſtribuendi magnam quantitatem pecuniæ inter pauperes pro ſuo libito, debeat petere licentiam diſtribuendi illas à ſuo ſuperiore?

Reſp. Negatiue, quando non eſt factus executor te- 59
ſtamentarius. Probatur, quia ſi aliquid obſtat, maxime vitium proprietatis, quod tamen falſum eſt, quia votum paupertatis tunc ſolum violatur vitio proprietatis, cum profeſſus ſibi aliquid appropriat, ſeu contrectat tanquam illius dominus de illo diſponens pro ſuo arbitrio; ſed in diſtributione eleëmoſinarũ nihil ſibi appropriat, nec diſponit pro ſuo libito, ſed alterius voluntatem exequitur, ergo non eſt proprietarius, & ideo non eget licentia ſuperioris ad occurrendum vitio proprietatis. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 30. num. 4. à S. Fauſto in Theſauro Relig. lib. 8. quæſt. 109. num. 4. ex illis Diana reſolut. x9. de Paupertat.* Contra *Turrianum, Rodriquez, Ieſuitas, Cenedum, & Layman ab eo citatos*, probantes primo, quia donans transfert illud ius in religioſum irreuocabiliter, quod eſt actus proprietatis ex parte religioſi acceptantis ius diſtribuendi. Secundo, quia fit dominus

iuris

iuris distribuendi independenter, ergo. Respond. primo donatorem semper remanere dominum illius peculij, quousque transierit in dominium pauperum facta distributione per religiosum, qui nihil acquirit nisi exercitium distributionis, sicut seruus, dum facit eleemosinam de mandato sui heri. Ex quo patet ad secundum, falsum esse talem religiosum habere administrationem illius peculij cum reuera habeat tantum exercitium distributionis, & nomine donatoris exequatur pium opus, quod nullum arguit actum administrationis, cum sit potius quid facti, quam iuris. Vide alios, quos recenset *Barbosa ad cap. fin. de Testamen. in 6.* vbi prohibetur religiosus esse executor testamentarius, nisi de licentia obtenta à suo superiore, eo quod id sit quid iuris, & religiosus in hoc careat velle, & nolle independenter à suo superiore.

Quæres 18. An recipiens comestibilia, vel re aliqua vtens sine licentia, & post vsum reponens in loco suo & sic proprietarius?

60 Resp. Recipientem comestibilia moderata non peccat mortaliter, quia sicuti huiusmodi parui momenti furta à parentibus tolerantur filiis, ita à superioribus subditis. *Sanchez lib. 7. cap. 19. num. 53. Suarez cum aliis citatis à Diana resolut. 35. de Paupertat.* Neque recipientem rem publici, quia superior non præsumitur inuitus, modo non sit deteriorata, nec aliis sit præiudicatum. Ita ex *Azor. lib. 12. cap. 12. quæst. 3. Fabra de Restitut. disputat. 45. num. 214. Sanchez lib. 7. cap. 19. num. 37.*

Quæres 19. An proiiciens cibaria, vel aliud in flumen sit proprietarius?

61 Resp. Est, quia exercet actum proprietatis, & veri domini, cuius est de rebus suis disponere pro suo libito. *Confirmatur*, quia donare est proiicere, & perdere, *leg. Filius familias 7. ff. de Donat. Ita Megal. consil. 83. Ego resol. 43. num. 78.*

Quæres 20. An proprietarius sit semper fur? Et è contra an fur sit semper proprietarius?

62 Resp. Primo, tunc proprietarium esse etiam furem, cum sibi vsurpat aliquid sine licentia domini rei ablatæ, aufert enim alienum inuito domino. Aliquando solum fur, vt si rem furetur de licentia superioris; aut surripiat pro altero, comburat, nihil enim sibi appropriat, sed tantum damnificat. Interdum est solum proprietarius, cum recipit aliquid à domino contra voluntatem sui superioris cuio rem donans nolit esse monasterij. Vide *Sanchez lib. 7. cap. 20. à num. 8. ad 21. Castropal. disput. 3. p. 20.*

Quæres 21. An ipsi superiores, & officiales sibi vsurpantes, distrahentes, & alienantes bona conuentuum tam mobilia, quam immobilia contra voluntatem suorum superiorum sint proprietarij?

63 Resp. Affirmatiue, quia de illis bonis tanquam domini pro suo libito disponunt, ergo sunt proprietarij. *Confirmatur*, quia in mala administratione spectantur vti subditi, nec illis suffragatur ratio publici officij, quod est in ædificationem, non in destructionem, neque in dilapidationem bonorum conuentus. Intellige, quando dispositio redundat in eorum vtilitatem vanam, & turpem, non vero quando formale gerunt in administratione ex negligentia, &c. quia non vouerunt, si erunt superiores, seu officiales, bene, & diligenter se administraturos. Dixi *resolut. 43. num. 79.*

Quæres 22. An superiores eadem licentia pro se vti possint in receptione, retentione, & expensione peculij, quam subditis concedunt, an vero eam licentiam debeant petere à superiore maiori, cui subordinantur?

64 Resp. Non est necessarium eam licentiam petere, sed eadem, quam soleot concedere subditis, vti possunt. *Tum quia*, habent administrationem omnium bonorum fauore subditorum, ergo & fauore sui. *Tum quia*, alios licentians seipsum licentiare potest ad eosdem actus, ad quos licentiat subditos, de communi *Rodriguez tom. 3. quæst. 70. art. 2. Sanchez lib. 8. disputat. 3. num. 2.* hæc enim licentia non est proprie iurisdictio, quam nemo in seipsum exercere potest, sed quædam facultas necessaria ad aliquid bene agendum.

Quæres 23. An amicus volens mihi donare centum possim eum rogare vt det meo consanguineo?

65 Resp. Si me declaro, & dico, nolo acceptare donum hoc, sed te rogo, vt illud tradas meo consanguineo, nullum est peccatum, nec contra votum Paupertatis; quia nihil dispono de re pertinente ad conuentum, nec ad me, cum ex negatione, seu repudiatione nihil omnino conuentui fuerit acquisitum nec contra aliam virtutem, nec in damnum monasterij, cum conuentus nec ius ad rem, nec in re super illa centum vnquam habuerit. Nec charitas me cogit ad illud acceptandum pro conuentu. Pro hac sententia *Diana resolut. 8.* citat 18. Doctores, contra Sorbum in exposit. Bullæ de Largit. Muner. probantem, quia religiosus in tali casu ipse donat saltem indirecte. Sed non est ita, quia cum illud repudiauerit pro se, & pro monasterio, non potest dici, donare indirecte, dum nullum ius acceptationis præcesserit in religioso; quibus adde *Castropal. disput. 3. p. 22. n. 4.*

Quæres 24. An dicta de viris religiosis locum habeant in monialibus?

66 Resp. Affirmatiue, cum votum Paupertatis non minus subiiciatur dispositioni Abbatissæ pro suis Monialibus, quam Abbati respectu Monachorum, vnde dum Tridentinum agit de obseruantia voti huiusmodi mentionem æqualiter facit de religiosis masculis, & fœminis. Quare dicta hactenus de religiosis locum habent in monialibus.

Collligitur hinc Abbatissam posse eodem modo peculium concedere suis monialibus, nam ea habet administrationem bonorum sui monasterij, sicut Abbas sui conuentus. Ita *Sanchez lib. 7. cap. 19. num. 44. Castropal. disputat. 3. p. 23. fine. Tamburin. de Iure Abbatiss. disputat. 8. quæst. 2.*

Quæres 25. An de licentia superioris possit moribundus relinquere, vt pro se tot celebrentur Missæ, quot peculium registrauit in sua cartha expropriationis?

67 Resp. Affirmatiue, quia si de licentia superioris potest habere peculium pro vtilitate corporis, à fortiori pro salute animæ; neque enim id est testari, sed de licentia superioris prouidere animæ suæ. Ita in terminis pro quadam moniali consuluit. *Porsellus par. 2. casu. 84.*

Quæres 26. An religiosus debeat esse animo paratus ad resignandum peculium, quandocumque illud requisierit superior ab illo?

68 Resp. Affirmatiue, quia illud retinet semper dependenter à voluntate superioris, & ad nutum illius reuocabile, cum nullum ius super illud habeat, sed tantum exercitium facti. Ita omnes docent, & nullus contradicit, aliter esset proprietarius, & in statu peccati mortalis, quia illud retineret sibi ac si esset proprium, & dominus illius. Superior tamen in hoc se gerat prudenter, & non nisi ex causa auferat, compatiendo infirmitatem proximi. *Peyrin. de Subdit. quæst. 1. cap. 2. in collectam 4.*

Quæres 27. An & quando peccet mortaliter religiosus habens peculium, & illud expendens, vel donans?

69 Resp. Disponens de peculio in notabili quantitate sine licentia superioris saltem tacita, ac proinde contra eius voluntatem peccat mortaliter peccato proprietatis, quod dicitur sacrilegium cõtra votum Paupertatis, si res sit parui momenti peccat solum venialiter. Ratio est, quia differentia peccati mortalis, & venialis etiam in voto desumitur à quantitate materiæ; vnde transgressio voti in re leui etiam tota voti materia, est peccatum veniale, ex *Sanchez lib. 4. cap. 12. num. 5. ex ea Diana resolut. 36. de Paruitate materiæ. Ita Corduba in Summa quæst. 109. Lezana part. 1. cap. 6. num. 57. Sanchez lib. 7. cap. 20. num. 2. Castropal. disputat. 3. p. 20. num. 1.*

numer. 1. *Peyrin. de Subdit. quæst.* 2. *capit.* 2. §. 9. *quæst.* 2.

71 Quænam autē sit notabilis quantitas peccatum mortale constituens? Videtur ex communi esse illa, quæ non ratione circumstantiarum, sed secundum se sufficit ad peccatum mortale furti, ex materia ergo rei furto sublatæ qualificatur peccatum. Ita *Nauarr. consil.* 75. *de Statu Monach. nu.* 18. *Sanchez lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 2. *cum illis Castropal. disput.* 3. *p.* 20. *num.* 2. *Diana resolut.* 36. *de Paupertat. alios citans.* Placet mihi sententia *Rebelly part.* 1. *de Iustit. lib.* 3. *quæst.* 15. *sect.* 3. *n.* 22. arbitrantis, eam quantitatem, quæ necessaria est ad constituendum peccatum mortale in filio familias, sufficere, vt religiosus dicatur peccare mortaliter recipiens, retinens, aut expendens aliquid contra voluntatem superioris, nam professus ad bona monasterij se habet quodammodo sicut filius erga bona patris, cuius bona sunt etiam filij, sicut bona conuentus sunt etiam professi, & neuter eorum contrectare potest contra voluntatatem patris, & superioris.

72 In specificanda autem hac quantitate non omnes conueniunt. Rodriquez, & Sotus petunt duos aureos. Sanchez, & Ctnx quatuor iulios, Suarez apud Castropalaum vnum aureum, A S. Fausto tres aureos pro Conuentibus ditissimis, pro diuitibus duos, pro pauperibus vnum. *Lezana cap.* 6. *num.* 57. duos iulios, recensui has opiniones *resolut.* 43. *num.* 4.

Quæres 28. An religiosus proprietarius peccet contra iustitiam, & teneatur ad restitutionem accepti, retenti, & alienati?

73 Resp. Professus regulatitet est proprietarius, & simul fur, ac proinde peccat contra votum Paupertatis. quia agit contra voluntatem superioris; & contra iustitiam, dum alienum contrectat inuito conuentu & superiore. Quare quod habet apud se sine vlla licentia, sed contra voluntatem Prælati reddere tenetur conuentui, qui est dominus. Quæ consumpsit manducando restituere non tenetur, quia non sunt, nec amplius dicitur proprietarius, quia fuit tantum in acceptione, & manducatione iniustis. Quod si petat licentiam retinendi, iam cum retentum dicatur esse in bonis monasterij per veniam superioris, restitutio censetur facta.

74 Difficultas tota consistit in rebus alienatis ab vno religioso ad alium, vel extra religionem ex ludo, ex turpi causa, ex alio capite. Si alienatio fiat ab vno religioso ad alium eiusdem conuentus, restitutio censetur facta, si accedat consensus superioris, cum non amplius possideat inuito domino. Extra alienans, tam donatarius quam donator tenentur ad restitutionem, quia peccarunt contra iustitiam, & illatū damnum resarcire debent, siue donatio fuerit ex bonis monasterij nondum alicui designatis, siue designatis titulo vestiarij aut ex libello consanguineorum, nam hæc omnia sunt sub dominio conuentus, dummodo ex huiusmodi alienatione designatorum sequatur damnum conuentui, qui denuo prouidere debeat professo donatori. Ita *Sanch. lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 112. *in fin. Bonac. de Restit. faciend. à Relig. n.* 7. *& de Largit. Mun. p.* 6. *num.* 30. *&* 32. §. *Hæc tamen, Lezana par.* 1. *c.* 6. *num.* 53. *quos citaui resol.* 43. *num.* 68. *ad* 73.

Quæres 29. An Notitius profitendo cum pacto retinendi libellum, seu redditus annuos ad vitam pro suis necessitatibus superiore consentiente cum clausula ad nutum reuocabilem sit proprietarius professione peracta? Quod est profiteri cum pecunia in marsupio.

75 Respond. Negatiue ex dictis supra, quia non est proprietarius ille religiosus, qui possidet de licentia superioris aliquid conuertendum in proprios vsus licitos, & honestos cum ea intentione illud resignandi ad nutum superioris. Ita omnes cum *Peyr. de Subd. q.* 2. *c.* 2. §. 1. *collect.* 7.

Quæres 30. An pro vestiario singulis annis dari possint à superioribus tot pecuniæ, vt eas expendant pro suis vestibus?

76 Respond. Affirmatiue, quia religiosus hunc vsum habet dependenter à voluntate superioris, quod non repugnat voto Paupertatis, vt sæpius dictum fuit, & concedit S. August. & S. Benedict. vt religiosus de licentia superioris possit habere peculium; nec id repugnat Trident. vt præcitati sub 1. & 5. quæst. probant. Ita *Io. And. in Reg.* 58. *in* 6. *in Mercur. vbi probat*, tale statutum valere, & esse licitum, *Paner. in c. Nisi essent, de Præbend. in fin. Nauar. com.* 3. *de Regul. Sanch. lib.* 7. *capit.* 22. *conclus.* 2. *ex illis Tamb. tom.* 2. *disputat.* 22. *q.* 16.

Quæres 31. An subditus superiore negante necessaria, sibi prouidere possit propria facultate, seu industria?

77 Respond. Affirmatiue, quia in necessarijs tenetur superior prouidere suis subditis de victu, & vestitu, vnde licentia super his petita, & negata pro obtenta habetur. Neque per hoc dicitur proprietarius, quia licentia legalis supplet eam superioris. Præter ea religiosis non intendit abdicare à se ea, quæ sunt sibi necessaria ad victum, & vestitum, quando superior iniuste ea denegat. Ita *Rodr. to.* 3. *q.* 19. *ar.* 10. §. *Aduertere, Sayr. in Claui lib.* 9. *c.* 16. *num.* 20. *Sanch. lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 54. *Peyr. de Subd. quæst.* 2. *capitul.* x. §. 4. *vers. Possunt tamen.*

78 Quæres 32. An voluntas recipiendi, retinendi, & contrectandi peculium contra voluntatem superioris sit peccatum, sicut ipsa receptio, retentio, & contrectatio?

Respond. Affirmatiue, quia votum Paupertatis comprehendit non solum actum externum abdicationis, sed etiam actum internum abdicandi à se proprium, consequenter prohibetur non solum vsus, sed etiam animus vtendi proprio contra voluntatem superioris. Confirmatur ex D. Hieron. relato cap. 2. 17. q. 1. *Voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle damnabile est.* Cadit ergo sub voto non solum actus, sed etiam voluntas exercendi actum. Vnde habens votum faciendi aliquid, voluntas ab eo recedendi est sacrilega, eoquod votum debeat adimpleri capitulo licet 6. de Voto. Id expresse de voto Paupertatis Apostolorum dicit S. Gregorius in Homil. 5. in Euangelia relatus in lect. vlt. S. Andreæ Apostoli illis verbis: *Multum ergo Petrus, & Andreas dimisit, quando vterque etiam desideria habendi dereliquit.* Votum igitur professionis non solum comprehendit actum obediendi, non habendi, & non luxuriandi, sed etiam desiderium obediendi, & non habendi rem, vel quod simile contra votum Deo promissum, qui in voto postulat præter actum etiam desiderium.

Quæres 33. An voto Paupertatis professus fiat inhabilis ad se obligandum non solum ciuiliter, sed etiam naturaliter?

79 Resp. Sine licentia superioris non potest se obligarn neque ciuiliter, neque naturaliter, hoc est, neque in foro externo, neque in foro conscientiæ, respectu eorum contractuum, qui sunt præiudiciales conuentui, nisi tatificentur à superiore de consensu totius monasterij. Probatur, quia caret velle, & nolle præsertim in contractibus *cap. Non dicatis* 12. *quæst.* 1. *cap.* 2. *de testam. in* 6. & in singulis Regulis id expresse prohibetur fieri sine licentia superioris, ergo attentati contractus sunt inualidi, quia abest consensus pendens à velle, quo caret professus, consensus enim est de essentia cuiuslibet contractus, qui sine eo fieri nequeunt, l. 1. ff. de pactis ff. l. consensu ff de act. & obligat. Reg. 85. in 6. Confirmatur, quia est contra votum Paupertatis, quod professum ex sua solemnitate inhabilitat ad contrahendum, 80 cum sit actus proprietatis, sicut votum castitatis irritat matrimonium attentatum, ita & votum solemne Paupertatis, nam in capitulo. Vn. de voto in 6. non quodlibet votum Castitatis irritat matrimonium, sed quod habet adiunctam solemnitatem professionis in religione approbata, quare cum solemnitas vt sic irritet de formali coniuncta voto

castitatis

castitatis irritet matrimonium, si spectetur vt coniuncta
cum voto Paupertatis annullabit quoque contractum at-
tentatum, ac proinde in vtroque foro, ciuiliter scilicet, &
naturaliter. Ita Canonistæ *cum Host. Abbat. Alex. de Na-*
no, Felino, Zasio, Fabro, Caguolo, Cenallos, quos citat Sanch.
lib. 7. cap. 31. num. 36. qui num. 37. ait oriri obligationem
tantum naturalem, & quia habet sufficientem consen-
sum quod tamen negari, & quia seruus naturaliter obli-
gatur, l. naturaliter 13. ff. de condict. indeb. eo, quod pro-
81 priam habet voluntatem, non sic religiosus, quo ad præ-
iudicialia monasterio. Et ita docet Peyrin. cum supradi-
ctis de Prælato quæst. 3. cap. 5. num. 4. qui numer. 6. ait,
nullam inducere obligationem etiam naturalem, nisi
prius approbetur à superiore. Præsumitur autem appro-
batio, quandocumque cedit in vtilitatem conuentus, cum
superior præsumatur velle vtilitatem monasterij, non
damnum. Præterea facit commune axioma, quod mona-
chus acquirit monasterio, in hoc enim non priuatur, nec
caret velle, sed illud habet in commodum conuentus.
Vide *Castropal. disp. 3. p. 15.*

Quæres 34. An religiosus possit conuenire, seu conue-
niri in iudicio tam criminali, quam ciuili? Seu stare in iu-
dicio, agendo scilicet actorem, vel reum?

82 Resp. Neutrum facere potest sine licentia sui superio-
ris, maxime extra ordinem ex ea communi ratione, quod
non habet velle, neque nolle. Ita *Nauar. com. 2. de Re-*
gul. n. 64. Sanchez lib. 6. c. 12. n. 14. Layman lib. 4. tract. 5.
c. 1. n. 1. Castropal. disp. 4. p. 12. §. 2.

Quæres 35. An sit contra votum Paupertatis scribere,
& recipere literas?

83 Resp. Affirmatiue, quia id est aliquid pretio æstima-
bile, ergo sine licentia superioris scribi, nec recipi pos-
sunt. Ita *D. Augustinus relatus in cap. Non dicatis 12.*
q. 1. S. *Benedictus in* Reg. *cap. 33.* Ita *Nauar. com-*
ment. 2. de Regul. *num. 19. Graff. par. 1. lib. 3. cap. 5. n. 64. ex*
illis Peyrin. *de subd. quæst. 2. c. 2. §. 10.* Qui id intelligunt
de literis circa materiam turpem, inutilem, & præiu-
dicialem, de materia autem licita, & honesta non cen-
sentur prohibitæ, sed apud omnes permittuntur. Literæ
84 vero fauorabiles ad procuranda officia, & dignitates de
se sunt prohibitæ, quia continent finem turpem, nempe
ambitionem, & vt plurimum similes literæ pecuniis
emuntur ab indignis, qui contra voluntatem superiorum
exquirunt officia, & prælaturas, quibus non sunt digni.
Vide *eundem Peyrinum ibidem §. 12. Tambur. tom. 2. disp.*
22. q. 11.

Quæres 36. Quas pœnas incurrat religiosus proprie-
tarius præter peccatum mortale?

85 Respond. Contra proprietarios, hoc est retinentes pe-
culium contra voluntatem superioris in materia notabili,
adesse duas pœnas, nempe priuationem sepulturæ Eccle-
siasticæ, & vocis actiuæ, & passiuæ. Admonitus ergo in
periculo mortis de peculio resignando, si cum illo mori-
tur, non est sepeliendus in loco sacro, & sepultus extra-
hendus, si extrahi potest sine scandalo, & sepeliendus in
sterquilinio simul cum aliqua parte pecuniæ inuentæ. Ita
ex cap. Monachi, cap. cum ad monasterium, cap. Super quo-
dam, de statu monach. ibidem Canon. Sanchez *lib. 7. cap.*
20. num. 11. Layman lib. 4. cap. 7. num. 12. Rodriquez *tom.*
3. quæst. 19. art. 10. Miranda *tom. 1. quæst. 28. art. 17. Ego*
resol. 43. n. 82. Thesaurus v. Religiosus *c. 11. Peyrin. de*
subd. q. 2. c. 2. §. 9. q. 7.

Secunda pœna est priuatio vocis actiuæ, & passiuæ
in Tridentino cap. 2. sess. 25. illis verbis. *Quod si quis*
aliter quicquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit,
is biennio actiua, & passiua voce priuatus sit, atque etiam,
iuxta suæ Regulæ, & ordinis constitutiones puniatur. So-
lum ergo retinere iuridice probatus, & in notabili quan-
titate à iudice declarandus est priuatus vtraque voce,
vnde non potest interesse capitulo, siue in eo agatur de
electione, siue de aliis actibus, in quibus danda est vox,
vel recipienda. Ita *Beia p. 3. casu 36. & p. 4. casu 17. Na-*
uarr. in c. Non dicatis, notab. 1. n. 33. 41. & 48. Sanch. dub. 7.
c. 20. n. 14. Coriolan. de casib. reseru. p. 2. ca, u 4. n. 26. & 27.

Qui aiunt solum retentionis actum, non vero dationis,
aut venditionis, & similes actus inducere hanc pœnam.
Ita etiam *Castropal. disput. 3. p. 24. fol. 317. Tamb. tom. 2.*
disp 22. quæst. 8. n. 9. Lezana cap. 6. numer. 39. Bassaus *v.*
Paupertas religiosa n. 20. Compend. Rodriquez *resol. 110.*
num. 18.

Quæres 37. An F. Professus fratrem secundum car-
nem grauiter egentem adiuuare possit ex opera suarum
manuum, aut ingenij, saluis obedientia, & regulari ob-
seruantia?

Respond. Potest, modo conuentui nullum afferat præ- 86
iudicium, quod illi non censetur inferre succurrendum
fratri de acquisitis ex propria industria. Ratio est, quia
obligatio naturalis subueniendi consanguineis non tolli-
tur per professionem, sed potius perficitur, vt docet
S. Thomas 2. 2. quæst. 101. artic. 2. ad 3. & cum eo, ita Mol-
fesius in summa tract. 11. cap. 18. num. 88. Bonac. disp. 6.
Decalogi quæst. Vn. p. 3. num. 4. cum illis Vercellus tract. 1.
singularum quæst. 4. Vbi citat quamplures alios Doctores,
& multis persuadet conclusionem hanc. Intellige si alium
proximiorem egens non habet. Confirmatur id ex dictis
num. 36. & 58. Ea autem, quæ tradere potest sunt quæsi-
ta ab alia titulo elemosinæ pro fratre, titulo ingenij pi-
cturæ, vel librorum, concionis, vel confessionis. In his au-
tem necessaria est licentia saltem tacita superioris. Vide
Bonac tract. Var. disp. 3. p. 1. n. 5. Cardin. de Lugo tom. 1 de
iust. disp. 3. numer. 149. Dianam p. 1. resol. 6. tract. 6. & par.
7. tract. 11. resol. 17. ex illis Vercell. tit. 1. singular q 5. &
6. Si pingat, aut scribat ad instantiam fratris, vel amici,
nulla est necessaria licentia ex opinione illorum, cum
Scortia, & Valero.

Quæres 38. An in religionibus Reformatis sufficiat 87
licentia præsumpta, dum facile superior adiri potest?

Respond. Non sufficit, sed requiritur expressa, vt subdi-
tus contineatur in obseruantia rigorosa eorum, quæ Deo
promisit in statu reformato, aliter vero venialiter pec-
cat, quando superior rem concessisset, in quo casu cen-
setur displicere illi modus recipiendi, vel dandi, non vero
res data, aut accepta, ex quo licentiam dedisset superior,
qui in hoc vult recognosci. Ita *Rodriquez tom. 3. q. 29.*
ar. 10. concl. 5 Miranda *tom. 1. q. 28 art. 16. concl. 1. Diana*
par. 1. tract. 6. resol. 31. cum aliis Vercell. tit. 3. q. 27. Con-
tra Cardinalem de Lugo, qui asserit peccare mortaliter.
Confirmatur in sequenti quæstione.

Quæres 39. An religiosus respectu voti paupertatis 88
tractandus sit sicut pater tractat cum suo filio in rebus
suis?

Resp. Affirmatiue cum Rebellio par. 1. q. 15. sect. 13.
& 15. Fagundez præcepto 2. lib. 8. cap. 6. n. 7. Ratio est,
quia sicut pater bona conseruat in vtilitatem filiorum, ita
& superior curam habet de bonis monasterij, vt ex illis
victum, & vestitum tribuat suis religiosis. Quare sicut fi-
lius non peccat quoad substantiam, sed quoad modum,
si accipit rem, quam illi concessisset, si petiisset, in quo
casu pater est inuitus quo ad modum tantum; ita superior
dicitur inuitus solum quoad modum, non quoad substan-
tiam, si rem fuisset concessurus subdito petenti, qui ideo
solum venialiter peccat, accipiens, vel dans sine licentia.
Idem *Vercellus num. 5.*

Quæres 40. An religiosus omnes libros, vel dono reci-
piens aliquid aliud, non occultans superiori, sed manifeste
tenens in cella peccet contra votum paupertatis?

Resp. Negatiue, quia re illa vtitur de præsumpta supe- 89
rioris licentia, & si quandoque displiceat modus acqui-
rendi sine licentia, quam dedisset, tamen non displicet
quo ad substantiam, & ideo peccat subditus solum venia-
liter *Diana par. 1. tract. 6. resol. 26. & par. 7. tract. 11. resol.*
19. contra *Sanch & de Lugo,* quorum obiectionibus res-
pondet *Vercellus tit. 3. q. 27. n. 3.*

Quæres 41. An peccet subditus recipiendo, vel dando 90
aliquid contra expressam voluntatem superioris nolentis,
vt aliquid recipiatur, vel detur sine eius expressa licentia?

Resp. Peccare solum venialiter, quia rigorosa eius vo-
luntatis verba interpretari possunt. quod illi displiceat

modus dandi, non res data. Ita Vericellus tit. 3. quæst. 28. Intellige, quando est res parui momenti, & non extra domum.

Quæres 41. An induci consuetudo possit contra votum Paupertatis?

91 Resp. Negatiue, quo ad eius substantiam, quia nulla consuetudo potest derogare iuri diuino, quale est votum obseruandum. Ita *Miranda tom. 2. q. 28. art 12. Azor. par. 1. lib. 13. c. 11. q. 15.* & alij communiter, quod citaui *c. 2. n. 51. 52. & 59. & c. 18. n. 103.* Vbi quo ad modum seruandi illud potest aliquid immutare.

Quæres 42. An superior concedere possit subdito, vt valeat donare singulis annis decem aureos?

92 Respond. Affirmatiue etiam superior localis, si subsit iusta causa, vt pro pauperibus, pro nuptiis cognatorum, pro gratificatione beneficiorum, quia Bulla de largitione munerum non prohibet donationes ex causa pietatis, & remunerationis. Ita *Corduba q. 54. dub. vlt. dicto primo. Lopiz instruct. part. 2. c. 5. & de contract. c. 40. Nauar. de Restit. lib. 3. cap. 1. num. 189. cum aliis Vericellus tit. 3. q. 30. numer. 12.*

Quæres 43. An institui possit hæres religiosus solo nomine ad effectum, vt distribuat hæreditatem in pauperes, non obstante repugnantia superioris, & ingerendo se in ea faciat contra votum paupertatis?

93 Respond. Institui potest, quando ad eum nihil peruenit, sed totam hæreditatem habet distribuere, quia per talem institutionem sibi nihil appropriat, vnde nec facit contra votum suum, in quo casu dicitur solo nomine hæres, non autem re, si nihil sibi lucratur. Colligitur ex *cap. Cum sibi, de testam. l. Id quod pauperibus C. de Episcopis*, & ex allegatis *à Diana par. 5. tract. 3. resol. 127. Vericell. tit. 3. q. 33. num. 1.* Verum quidem est, quod licentiam petere debet à suo superiore exequend. voluntatem testatoris, quia in hoc casu est potius executor testamentarius, quam hæres, religiosus autem eam commissionem acceptare, nec exequi potest, nisi de licentia sui superioris, *ex cap. 2. de testam. in 6. & Clem. Vn. eod.*

CAPVT XXV.

De Castitate Religiosa.

1 *Castitatis votum cum cæteris duobus Nouitium facit religiosum.*
2 *Castitas definitur in ratione voti.*
3 *Turpiloquium, & turpigraphium non cadunt sub hoc voto.*
4 *Castitatis votum non est idem in Militaribus, & Claustralibus.*
5 *Castitas etiam in coniugio seruatur.*
6 *Quale, & quotuplex peccatum aperiendum in confessione?*
7 *Non aduertens ad votum adhuc peccat sacrilegio.*
8 *Inaduertentia non excusat, vbi non potest habere locum diligentia.*
9 *Paruitas materiæ in quibus venereis detur.*
10 *Dirimit sponsalia votum castitatis Claustrale.*
11 *Matrimonium si fit omnimoda castitatis.*
12 *Sponsalia attentans peccat mortaliter.*
13 *Matrimonium vire contrahens nihil facit excommunicatus.*
14 *Suspectus vehementer de hæresi.*
15 *Matrimonium contrahere credens libere est hæreticus.*
16 *Leuiter vero contrahens tantum sponsalia.*
17 *Actus luxuriosus vtrinque sacrilegus in confessione aperiendus.*
18 *Votum priuatum additum solemni non inducit nouam speciem.*
19 *Votum hoc in professione nulla non tenet.*
20 *Iactans se simpliciter non violat votum.*
21 *Inducens alium ad luxuriandum extra se non est reus voti.*
22 *Comœdiis interessens peccat venialiter, sed non est reus voti.*
23 *Pingens, vel habens turpes picturas non est reus voti.*
24 *Papa dispensat in voto castitatis.*
25 *Potestas dominatiua irritandi vota habet pro obiecto futura vota post professionem, non ipsam professionem.*
26 *Dominatiua potestas est in superiore ad subditum.*
27 *Quid importet dispensatio ad matrimonium?*
28 *Polluens secularem sine sui alteratione non est reus voti.*

CAstitas religiosa est tertium substantiale votum necessarium, vt Nouitius cum eius promissione, & aliorum duorum, quæ in præcedentibus explicata sunt, transeat sub statum religiosum, de quo *D. Thomas 2. 2. q. 186. art. 4. & 6. Scotus in 4. dist. 38. Sanchez lib. 5. cap. 6. n. 9. Peyrin. de subd. q. 3.* Latissime de eius laudibus, & remediis ad eius conseruationem. 1

Quæres 1. Quid sit Castitas religiosa ex voto?

Respond. Est promissio Deo facta abstinendi se ab omni actu venereo mente, & opere siue licito, vt in coniugio, siue illicito, vt extra illud, non solum seminis effusione, sed etiam à turpi cogitatione, à delectatione morosa, ab illicito tactu, à turpi aspectu, & huius generis, per quæ castitas, & continentia violatur. Ita omnes *cum Sanchez lib. 7. disp. 27. à n. 19. & l. 5. c. 6. à n. 9. Suar. tom. 1. de relig. lib. 3. c. 3.* 2

Quæres 2. An loquens, vel scribens venerea faciat contra votum Castitatis?

Respond. Negatiue, quia materia huius voti sunt omnes actus luxuriosi consistentes in pollutione, aspectu, vel tactu, aut eorum cogitatione etiam ad opus non ordinata; inter hæc autem non reperitur scriptio, vel locutio, ergo hæc duo non comprehenduntur sub voto Castitatis, quamuis alias ab illis sit omnino abstinendum quia ad illius violationem facile conducunt; intellige præscindendo à delectatione venerea in illis. Vide Sanchez lib. 9. disp. 46. q. 3. 3

Quæres 3. An idem sit votum castitatis respectu religiosorum militarium, quale est respectu claustralium?

Respond. Idem Claustralium, & Hierosolymitanorum, nam dicit abstinentiam omnium venereorum secundum cogitationem, & actum, etiam copulæ coniugalis. Respectu vero aliorum Militarium, cum quibus potest esse coniugium, dicit abstinentiam ab omnibus prædictis venereis, excepta copula coniugali cum suis adnexis, à cuius abstinentia non vouetur. Itaque in claustralibus hoc votum directe, & immediate dicit abstinentiam ab omnibus venereis licitis, & illicitis. In Militaribus vero exceptis Melitensibus, dicit immediate abstinentiam ab omnibus venereis illicitis. Ita enim votum castitatis coniugalis importat non excludendo vsum copulæ matrimonialis. Sed qua ratione dicitur votum castitatis coniugalis, si ex quo viuntur matrimonio, non abstinere à copula coniugali, quæ & ipsa aduersatur virtuti castitatis, quæ immediatè importat formaliter abstinentiam à quibuscunque actibus venereis? Respond. dicitur castitas coniugalis, quia etiam in coniugio seruatur castitas coniugalis, vt dixit Paphnutius relatus *c. Nemo 11. dist. 31.* dum coniugatus copula moderate, & modeste vtitur vel ad procreationem filiorum, vel ad explendam libidinem, ne Deum offendat cum alienis mulieribus. 4 5

Quæres 4. Quale peccatum sit violatio castitatis? Et an aperiendum in confessione?

Respond. Violans hoc votum castitatis duo committit peccata in vno numero specie distincta, nimirum illius speciei, quam contrahunt cæteri homines luxuriantes, nimirum fornicationem, adulterium, pollutionem, &c. quia aduersantur virtuti castitatis, & præterea incurrit sacrilegium, dum violat rem sacram, hoc est, votum Deo promissum abstinendi à venereis. Hinc circumstantiam vti addentem nouam speciem peccati sacrilegio 6

ad

ad actum luxuriosum professus in confessione aperire debet, quando confessarius ignorat statum pœnitẽtis, si enim cognoscit religiosum esse pœnitentem sufficit explicare actum luxuriosum. Ita omnes *cum Diana resol.* 30. *de Regul. Rodriq. tom.* 1. *q.* 13. *art.* 2. *Lezana par.* 2. *cap.* 3. *n.* 11. *de Militaribus, Sanchez l.* 5. *c.* 6. *n.* 14. Vbi ait sufficere dicere, se habere votum castitatis, & non esse necessarium explicare an illud sit solemne ex professione, an ex susceptione ordinis sacri, seu sit simplex, cum ex his omnibus vnica arguatur peccati malitia, nimirum contra virtutẽ religionis, & voti, qualecunque deinde illud sit, cum illi modi non mutent speciem in sacrilegio luxurioso. Ita etiam *Corduba q.* 3. *Lessius l.* 4. *c.* 3. *n.* 87. *cum* Pellizar. *tr.* 4. *c.* 1. *n.* 38. *ad* 44.

An religiosus non aduertens actu ad votum, licet habitu sciat, actum luxuriosum esse sibi prohibitum, ex voto peccet tunc peccato sacrilegij, an tantum contra virtutem castitatis, vt alter secularis?

7 Resp. Peccare etiam ea malitia sacrilegij, quia hoc ipso,
quod professus luxoriatur, ad eum actum sequitur malitia
sacrilegij præter deformitatem veneream, non obstante
8 inaduertentia, quæ solum excusat in iis, in quibus locum
habere potest negligentia, si excludat per adhibitam diligentiam, vt patet in comestione carnis in die ieiunij ignorati, & inconsiderati, & in parricidio, quæ non imputãtur ei, qui ignorauit, & non aduertit ad circunstantias præcepti ieiunij, & parricidij, dum adhibita diligentia putauit non esse præceptum ieiunij, nec esse patrem, sed inimicũ, quẽ voluit occidere. In casu vero luxurioso siue adhibeas diligentiam, siue non parum hoc refert, dum vis luxuriari, non excusaris à malitia sacrilegij, quod non aduertis. Et ex his patet ad rationes Pallizar *tract.* 4. *c.* 3. *n.* 43. *ex Sanch. l.* 1. *c.* 16. *n.* 22. Asserentis inaduertentem ad votum dum luxuriatur non esse reum sacrilegij, cum actu non sit tunc voluntarius ex voto non agitato, quia voluntarius est in causa, nam volens antecedens vult etiam consequens.

Quæres 5. An detur paruitas materiæ in actibus luxuriosis à religioso perpetratis?

9 Resp. Negatiue, quia qualescunque sint actus venerei maxime in contactu, seu tactu consistentes proxime disponunt ex sua natura ad pollutionem; proxima autem dispositio vt peccatum mortale est peccatũ mortale, ergo tales actus sunt peccatum mortale, quamuis leues, & transeuntes, vnde peccatum luxuriæ ex sua facilitate vocatur lapsus carnis Ita aliis citatis *Diana resol.* 5. *de paru. mater.* Vbi citat alios dimittentes paruitatem materiæ in tactibus, & velicationibus transeuntibus à partibus honestis, vt tactus faciei, manuum, pedum per modum transeuntis, exceptis osculis, quæ multum mouent ad libidinem, sicut & in partibus pudendis. Ita Caiet. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 4. *ad* 2. *& in summa v.* Chorea, *fine*, Tabien *v. osculum*. In venerea delectatione non datur paruitas materiæ, cum ea deliberata causetur ex motu seminis descendẽtis ad partes obscœnas. *ex Galen. l.* 14. *de vsu par. c.* 9. *&* 10. *Ita Sanch. l.* 5. *cap.* 6. *n.* 12. *Castrop. disp.* 3 *p.* 1 *n.* 2.

Quæres 6. An votum castitatis religiosæ dirimat sponsalia?

10 Resp. Si sit factum in religione claustrali, aut Maltensi vtique, non vero in Militaribus, quarum professi promittunt castitatem coniugalem, per quam à se non abdicant ius contrahendi sponsalia, & matrimonium, sicut faciunt alij, qui omnem vsum venereorum tam licitorum, quam illicitorum a se abdicant. De sponsalibus respectu Nouitiorum dixi c. 3. n. 98. Illa non impedire ingressum, & c. 6. n. 36. & c. 7. n. 41. & valere professionem *cap.* 18. *n.* 69. *& cap.* 12. *n.* 78.

Quæres 7. An professio ex voto castitatis dirimat matrimonium?

11 Resp. Matrimonium non frangitur; nec impeditur præteritum, nec futurum per votum castitatis cõiugalis, quod secum patitur matrimonium, quia per illud religiosus militaris à se non abdicauit ius contrahendi matrimonium. Ita *Mota l.* 2. *c.* 2. §. 19. *n.* 18. *Diana resol.* 30 *de Regul.*

Votum vero omnimodæ castitatis emissum ab aliis superueniens coniugio matrimonium ratum soluit, non vero iam consummatũ, sed remanet in suo robore, vt probaui *c.* 20 *n.* 31. Matrimonium à professo attentatum, est omnino irritum, & nullum propter solemnitatem voti castitatis, quod professum siue tacite, siue expresse inhabibeat ad matrimonium, vt probaui c. 1. à n. 11. & seq.

Quæres 8. An professus ex voto castitatis omnimodæ attentans sponsalia, & matrimonium incurrat aliquam pœnam præter peccatum mortale?

Respond. Attentans sponsalia peccat mortaliter, quia 12
intendit ponere obicem obseruationi voti: id autem est
omnino prohibitum, ex eo quod cum aliquid prohibetur, censetur quoque interdictum omne id, per quod peruenitur ad illud, *l. oratia ff. de sponsal.* Sed professis prohibetur matrimonium, ergo & sponsalia, per quæ peruenitur ad matrimonium, cuius sunt promissa in futurum contrahendi. Contrahens autem ipso iure incurrit excom-
municationem nulli reseruatam, *Clem.* 1. *de consanguin.* 13
Ita Bonac. *in Bullar. disp.* 2. *q.* 3. *p.* 7. *& q.* 4. *p.* 1. *Suar. de cens. disp.* 23. *sect.* 5. *n.* 23. *Barb. de offic. Episc. alleg.* 50. *n.* 227. Sponsalia vero contrahentes, vt dixi, eam non incurrunt, vt ait *Glos. super dictam* Clem. *Menoch. de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 93. *n.* 6. *Sanch. lib.* 1. *disp.* 12. *n.* 2. *& disp.* 13. *alios citat* Barbosa *super* Clem. *n.* 22.

Quæres 9. An professus de facto contrahens sit suspectus de hæresi?

Respond. Affirmatiuè, & quidem vehementer, quia 14
ille est vehementer suspectus de hæresi, qui facit opera mala communiter ab hæreticis fere omnibus commendata pro nobis ex Soto in Relect. de hæresi; sed religiosus ducens vxorem facit opus malum, quod pro bono commendatur ab hæreticis modernis, qui omnibus indifferenter concedunt matrimonium esse licitum, ergo sunt
vehementer suspecti de hæresi. Confirmatur ex can. 9. 15
sess. 24. vbi anathematizantur dicentes, in sacris constitutos, vel professos solemniter castitatem posse matrimonium contrahere, & illud esse validum; sic autem contrahentes videntur tenere id licitum esse, & valere contractum, ergo sunt vehementer de hæresi suspecti. Ita *Simanch. de Catol. instit. tit.* 40. *à numer.* 9. *Menoch. casu* 546. *numer.* 49. *Farinac. quæst.* 183. *de hæresi numer.* 72. *Decian. lib.* 5. *cap.* 22. *n.* 40. *ex illis Carena par.* 2. *tit.* 17. §. 3. *à num.* 10.

16 Religiosus vero contrahens sponsalia solum leuiter suspectus videtur. Tum quia sic contrahens præsumitur habere animum ducendi sponsam in vxorem, cum ex sponsalibus ex natura sua sequatur matrimonium, ergo sicut contrahens matrimonium est vehementer suspectus, quia magis appropinquatur veritati, ita contrahens sponsalia præsumitur leuiter suspectus, dum animo intendit in matrimonium: Tum quia non solum est suspectus de hæresi qui facit aliquid, quod credere est hæresis sed etiam qui operatur aliquid ordinatum ad hæresim; sed sponsalia in religioso ordinantur ad matrimonium, quod credere esse religioso licitum, est hæresis, ergo sic illa contrahens est suspectus de hæresi.

Quæres 10. An rem habens cum alio religioso, seu religiosa teneatur confiteri, se rem habuisse cum alia persona habente votum castitatis?

17 Resp. Affirmatiue, quia huiusmodi actus præter malitiam specialem oppositam castitati præscindendo à ratione voti, adiunctam habet aliam malitiam sacrilegij respectu vtriusque non secus ac quando coniuges duo masculus, & fœmina copulantur cum violatione duplicis thori. *Ita Filliuc tract.* 30. *n.* 128. *ex Lessio.*

Quæres 11. An habens speciale votum non fornicandi, non polluendi se superadditum voto castitatis si fornicetur, polluatur &c. teneatur hanc circunstantiam priuati voti aperire in confessione?

18 Respond. Negatiue, quia hæc noua promissio non est diuersa ab illa generali se abstinendi à quolibet actu venereo, sed eiusdem multiplicatio, & confirmatio respectu determinati actus iam ab initio sub professione comprehensi simul cum aliis, ideo cum non dicatur additio nouæ speciei, sed antiquæ replicatio, non est manifestanda confessario. Ita *ex Sanchez, Fagundez, Lamas, & Filliucio Diana resol.* 9. *de Circunst.*

Quæres 12. An votum castitatis in professione inualida obliget sic professum ad seruandam castitatẽ religiosam?

19 Respond. Negatiue, quia inualida professio nullum producit effectum, cum vota expressa in tantum valeant, & inducant obligationem, in quantum ipsa professio tenet, & non aliter. Neque enim verum est, quod quidam aiunt, votum solemne non valens vt tale valere vt votum simplex, id enim reiecimus c. 20. q. 1. Procedit hoc ex natura rei, & facti, nam si nulliter professus habuit adhuc intentionem se obligandi ad castitatem, in eo casu votum castitatis subsistit vt simplex, licet careat solẽnitate ex nullitate professionis. Ita *Suar. t. 3. de Relig. l. 2. c. 10. n. 8.*

Quæres 13. An se iactans de peccatis venereis commissis, siue veris, siue falsis peccet contra votum castitatis.

20 Resp. Negatiue, quia per votum promisit Deo abstinentiam à quibuscunque actibus venereis, non vero à iactatione, quæ ex sua formali ratione non est actus venereus si iactatio est sine complacentia, sed tantum de actu venereo, ideo licet dicatur reduci ad malitiam oppositam castitati vt virtuti, non tamen vt religiosæ virtuti, dum ergo religiosus se iactat de adulterio, complacendo in illo, tunc violat etiam votum non ratione iactantiæ, sed complacentiæ quæ voto prohibetur, non simplex iactantia, vt est gaudium, & vana gloria de malo facto. Vide *Dianam par. 4. tract. 4. resol. 44.* Vnde hæc responsio colligitur.

Quæres 14. An inducens alium ad luxuriandum violat votum castitatis per hanc inductionem?

21 Respond. Negatiue, quia hoc votum obligat solum ipsum vouentem ad seruandam castitatem, non vero ad procurandam in aliis eius obseruationem. Ita Cardinalis de Lugo *disp. 3. de inst. n. 162. Sanchez lib. 5. c. 6. num. 11.* Intellige verbo, nam facto dicam infra quæst. 19.

Quæres 15. An interessentes comædiis obscænis faciant contra votum castitatis?

22 Resp. Negatiue, quia votum obligat professum ab abstinentia actuum luxuriosorum, non vero se abstinere ab eorum auditu. Religiosus autem illis præsens non videtur peccare mortaliter. Ita *Sanchez l. 9. disp. 46. n. 41. Bonac. q. 4. de matrim. p. 9. n. 21. Diana par. 2. tract. 17. resol. 35.*

Quæres 16. An peccet contra votũ castitatis religiosus pingens, seu tenẽs in sua cella picturas obscœnas, & turpes?

23 Respond. Negatiue, quia aliud est pictura turpis, aliud abstinentia ab actibus venereis, hoc promisit professus, non illud. Verum quidem quod pingens, vel retinens non excusatur à veniali, cum hæc sint superflua, & indecentia religiosis; & si ea earum aspectu labatur debet sub mortali eas à se abdicare, Immo *Alphonsus de Leone de offic. confess. recoll. 10. num. 342.* Ait peccare mortaliter retinens picturas turpes in cubiculo.

Quæres 17. An Papa dispensare possit professum ad contrahendum matrimonium?

24 Resp. Affirmatiue vrgentissima existente causa, & ea publica, vt multis probaui c. 4. q. 40. n. 250. non est ergo attendenda vtilitas, seu necessitas propria ipsius religiosi, sed publica alicuius regni, prouinciæ, aut ciuitatis, ad fidẽ propagandam, & pacem publicam conseruandam, vel inducendam. Vide *Castropal. tom. 3. tract. 16. disp. 5. fin.* asserentem solum Papam dispensare, & commutare posse vota solemnia, non vero irritare, quia cum irritatiua potestas ex ipsis votis nascatur non potest nasci ad sui interitum. Præterea cum ea proueniat ex dominio, & potestate ex votis acquisito non est amplior in Pontifice, quam in Prælatis religionis, omnibus enim religiosis æque traditur per vota; sed Prælati non possunt vota solemnia irritare, ergo nec Pontifex Romanus.

Esto nullum solemne votum irritari possit, quia quo ad hoc, superior, cui Nouitius professione se tradidit, & subiecit, dominium, & potestatem super eius voluntatem acquirit, ita quod quicquid facit professus operatur dependenter à voluntate superioris, vnde intelligitur ab eo fa-
25 ctum sub conditione si placebit superiori. Quare cum dominium huiusmodi in superiorem translatum habeat pro obiecto quicquid voliturus, & facturus est professionem, hinc manifestum est, vota solemnia non posse esse materiam irritabilem, cum præcedant ipsum dominium productiuum irritationis, quæ habet pro obiecto sequenti ipsius dominij constitutionem. Tamen licet sit vera conclusio Castropalai, non tamen placet eius prior ratio, quia potestas dominatiua non nascitur ab ipsis votis, sed oritur 26
à superioritate, & terminatur ad ipsum profitentem, ea enim est de genere relatiuorum, vnde dominium, & potestas denominatione intrinseca est in suo fundamento, nempe in Prælato, & terminatur ad religiosum in ratione subditi spectati, vt ergo nascens à superiore cum relatione ad subditum, irritando si posset votum solemne, seipsum non deduceret in interitum, sed aliud à se diuersum, nullo autem modo irritat, quia votum solemne non est obiectũ dominij, quod respicit futura post professionẽ, quæ omnia vota præcedentia in seipsã absorbet, vt probaui c. 20. n. 40.

Quæres 18. Quid dicat dispensatio Papalis in religioso in ordine ad contrahendum matrimonium? Nunquid per dispensationem de religioso fit non religiosus? Ac proinde in eo destruitur substantia omnium trium votorum? Aut tantum relaxatur, & destruitur votum Castitatis duobus aliis restantibus? Aut ipsum votum desinit esse quoad castitatem, quæ dicit abstinentiam à copula coniugali, vel quoad omnimodam abstinentiam ab omnibus venereis, ac proinde tota destruatur vt dixi. Et tandem, an remaneat tota Castitatis promissio quoad substantiam, & solum tollatur vsus illicitus mutando illum in vsum licitum in matrimonialem copulam?

Resp. *Primo*, inspiciendum esse tenorem verborum dis- 27
pensationis, & ex illis respondendum est. *Secundo*, dispensationem huiusmodi regulariter importare relaxationem, & destructionem status religiosi in dispensato, ac proinde de religioso desinere esse, & reduci ad eum statum, in quo erat, antequam professionem emitteret, consequenter extingui professionẽ, & tria vota in ipsa comprehensa. Probatur, *Tum quia*, certum est extingui castitatem, quæ pugnat cum matrimonio, ergo & ipsa professio cum cæteris votis desinit esse. Consequentia patet ex eo, quod essentia professionis se habet sicut essentia aliarum rerum proportionaliter, quæ consistunt in indiuisibili, adeo quod vna illarum parte quantumuis minima destructa, statim essentia desinit esse, vt probaui *c. 18. n. 95.* ergo extincta castitate desinit esse in totum professio quoad reliqua duo vota, & sic dispensatus desinit esse religiosus simpliciter. *Tum quia*, conditio causæ, quæ Romanum Pontificem inducit ad dispensandum, id postulat, vt matrimonium contracturus sit omnino liber, & de inhabili factus habilis, & sui iuris, atque absoluti dominij in regimine Regni, Prouinciæ, aut Ciuitatis, quod illi non accideret, si adhuc religiosus remaneret cum cæteris votis, præsertim Paupertatis. *Confirmatur*, quia de natura matrimonij est perpetuitas, ergo dispensatio extinguit simpliciter in persona statum religiosum, restituendo dispensatum ad pristinum statum, in quo erat ante professionem.

Colligitur ex his non posse tolli vsum illicitũ manente voto castitatis, quia ad existentiam huius voti necessario, & ex natura rei sequitur actus illicitus in venereis, quorum malitia inseparabilis est manente voto. Præterea sic dispensatus si accedat ad alienam non est reus sacrilegij, cum in totum sublatum sit castitatis votum. Et si dispensatio expresse non est restricta ad primum matrimonium, defuncta coniuge alteri nubere potest, quia sine voluntate eius non reuiuiscit votum, cum fuerit primo simpliciter extinctum.

Quæres 19. An professus tactibus polluens sæcularem peccet contra votum Castitatis? Quæstio supponit, hunc professum alium tangendo impudice se habere ac si esset insensatus, in quo casu certum est, ipsum suo non aduersari voto, quia in se nullum sentit, actum venereum, licet sit causa, vt alter sentiat, & patiatur. Nihilominus mihi videtur iste casus potius specularius, & metaphysicus, quam moralis, de quo prolixe *Caramuel in sua Theologia fundam. 51. q. 7. editionis Romanæ.*

Resp. Sic alium polluens, sine sui alteratione, non est. 28
reus voti Castitatis, quia promisit Deo illam in seipso, non in aliis custodire. Ita *Caramuel*, qui ibid. citat *Lamas Gesualdum, Grassiũ, Mosticensẽ, Tamburinũ Iesuitam, & alios.*

COLLECTIO

COLLECTIO NONNVLLARVM DECISIONVM *Rotæ Romanæ, quæ peruenerunt ad manus nostras, spectantium ad corroborationem eorum, quæ dicuntur in hoc Opere de Professione Regulari.*

DECISIO I.

Granatensis 9. Februar. 1609. Coram M. Montio, de Nullitate Professionis defectu Nouitiatus, omissionis informationum, ætatis, & ex metu.

1 *Professio nulla ob non seruatum probationis annum.*
2 *Omissio informationum à Sixto Quinto præscriptarum vitiat professionem.*
3 *Quæ probanda sunt in Capitulis Generali, aut Prouinciali.*
4 *Metus paternus annullat professionem.*
5 *Maxime factam coram eodem patre influens in omnes actus sequentes.*
6 *Emissa ante sexdecim annos completos est nulla, vbi de correctione Calendarij.*
7 *Annus requisitus ad aliquid intelligitur completus, & perfectus, ne vnus quidem dies ei desit.*
8 *Dies captus habetur pro completo in fauorabilibus.*
9 *In odiosis vero debet currere de momento ad momentum.*
10 *Farinac. vol. 1. hanc extendit sub decis. 175.*

DOMINI dixerunt, esse standum in decisis 12. Maij 1600. coram Illustrissimo D. Cardinale Pamphilio tunc Rotæ Auditore, videlicet professionem D. Didaci de Zuniga, & Aquileta, quam in Monasterio B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum in Ciuitate Granatensi sub nomine F. Sebastiani emiserat, fuisse nullam ex pluribus.

1 Primo, quia Didacus non stetit continue per annum probationis, seu nouitiatus intra claustra Monasterij, sed sæpius egressus est, & moratus in domo patris, vbi ne dum aliquoties eum pernoctasse concludenter probatur, sed etiam quod vna vice ibi permanserit per spatium vnius mensis, deponit vnus testis.

Atque Prælati Ordinis, qui hodie informant, non negant Didacum aliquando absuisse, sed dicunt id contigisse ex causa infirmitatis, & de licentia superioris. Præsupposito autem, quod labente anno probationis debet nouitius permanere continuo intra claustra monasterij, iuxta resolutiones Illustrissimorum Interpretum S. Concil. Trident. non potuit istud tempus frangi, seu discontinuari sub quouis prætextu, quia in illis, quæ sunt de forma seruatur rigor, vt per *Ruin. in Rubr. de Noui oper. nunt. n.* 9. & rigor in hac materia iure optimo inductus est, quia cum annus probationis detur in subsidium humanæ fragilitatis, & in fauorem tam nouitij, quam monasterij, & vt ille experiatur religionis asperitates, & cum illis suas vires metiatur; & monasterium eiusd. nouitij animum, & mores inspicere, & cognoscere possit, c. *Ad Apostolic. de Regul.* c. *Non solum, eod. in* 6. Manifestum est, non satisfieri dispositioni iuris, quando procul à regulari disciplina, & à Prælati oculis nouitius in domo paterna blande, & beneuole habetur, & forsan in illis diebus, & noctibus, quibus extra monasterium degit, occurreret in Religione aliqua asperitas, quam ferre vel nollet, vel non posset, & propter quam non profiteri decerneret.

2 Secundo, quia non fuit seruata constitutio fel. record. Sixti V. super capienda diligenti informatione de parentibus, patria, vita & moribus.

Non obstat, quod dicitur, illam informationem non fuisse necessariam in Didaco, qui cum religionis habitum in patria sua susciperet, bene cogniti & noti erant eius parentes nobili genere nati; nec quo ad mores ipsius quidquam erat inquirendum, cum vix adhuc pubertatis annos attigisset. Sicuti nec obstat, quod illa informatio capta fuerit in voce per duos Fratres monasterij, quodque cæteris Fratribus conuentus fuerit visa sufficiens.

3 Nam vltra quod ista omnia non probantur, fuit etiam responsum, quod prædicta constitutio vult, informationem captam esse probandam in Capitulo Generali, vel Prouinciali, & vlterius procedit annullando professiones aliter factas. Ideoque non potuerunt Fratres hanc formam immutare, *Bald in leg. Si institutorem, ff. si cert. petat. Angel. in §. si ipsi num. 8. Instit. de act.* Iason *in leg. Non dubium in 8. notab. C. de legibus, Surd. decis.* 122. *n.* 3. *Decius consil.* 466. *n.* 19. late alios cumulans *Franc. Becc. consil.* 12. *num.* 6 & fuit in terminis huius constitutionis dictum coram eod. Illustr. D. Pamphilio in causa Toletana Professionis 27. Febr. 1595.

4 Atque ista informatio eo magis requirebatur in hoc casu, quia ex testibus examinatis resultat, fuisse incussum Didaco metum ab ipsius patre homine rigido, & seuero, & solito minas executioni demandare, quo metu omisso pro nunc, an fuerit talis, vt solus sufficeret ad annullandam professionem Didaci adnotata per *Glos. & Bart. in l.* 1. *§. quæ onerande, ff quæ re act. & late discussa in causa Valentina suscept. Ordin. de ann.* 1574. *corā Cas. de Grassis.*

5 Vnum est, quod fuit sufficiens ad excludendam illam spontaneam professionem, quam informantes contra Didacum colligunt, ex quo dictæ professioni interfuerunt pater Didaci, & alij quamplures ab ipso Didaco inuitati. Siquidem malum initium metus illati ante professionem influit in omnes actus, durante ead. metus causa, idest, viuente patre factos, qui actus quo magis præse tulerunt liberam voluntatem, & lætum iucundumque animum, eo magis metum confirmarunt, *Abb. antiq. in cap. super hoc vers. filia cuiusdam. de renun. vbi etiam Io. And. Imola, & Abb. Alex. cons.* 90. *n.* 8. *lib.* 5. *Barbat. cons.* 54. *num.* 3. *Paris. cons.* 53. *n.* 1. *lib.* 4. *& fuit dictum in Neap. Prof.* 26. *Iunij* 1598. *coram Gypsio.*

6 Quarto, ista professio fuit nulla, cum ex dispositione Trident. sess. 25. cap. 15. professio non possit fieri ann. 16. expletum. Didacus tamen, qui natus erat 25. Sept. 1577. illam emisit 29. Sept. 1593. Sicque per sex dies ante expletum ann. 16. habito respectu ad decem dies restituendos ob demptos totidem in reformatione Calendarij à fel. recor. Gregor. XIII.

Etenim cum illius Summi Pontificis, qui dictam reformationem edidit, ea fuerit mens ne ex illa decem dierum subtractione cui quam fieret præiudicium, vt legitur in eius constitutione super hoc edita, & considerauit Rota in Causa Prænestina Castaneatum 15. Septem. 1587. coram R. D. P. meo Decano. Iure merito prætendit Didacus habendam esse illorum dierum rationem in computandis ad istum effectum suæ ætatis annis.

7 Quia quoties lex certi anni mentionē facit, intelligi debet de anno perfectum per lapsum 365. dierum, vt bene notauit Alciat. in l. Anniculus 134. de verb. signif. Et hoc in tantū procedit, vt quāuis in certis casibus satis sit vltimū diē esse cæptū, nec requiratur, quod omnino sit exactus, 8 tamē in his procedit dūtaxat, quæ fauorē respiciūt, puta in vsucaptionib. in testam. libertatib. & honorib. consequendis, *l. Et ideo, de vsucap. l. de ætate ff de testam. l. Ad rempubl ff. de municip.* Quod si de re odiosa, vel præiudiciali agatur

9 agatur puta in l. Ælia Sententia, in l. Iulia, de adult. in præscriptionib. in deneganda restitutione, computatio fit de momento ad momentum, nec sufficit esse cœptum diem vltimum, nisi exactus sit, *l. In omnib. ff. de act. & oblig. l. 3. §. minor ff. de minor. Alc. vbi sup. Cuia. in d. §. minorem, & in l. 5. ff. qui testam.* Atque ex his fuit, vtraque parte informante, dictum, professionem D. Didaci fuisse nullam.

Nota hic primo, Nouitium de licentia Superioris ex legitima causa, vti infirmitatis non interrumpere nouitiatum, vt de communi dixi c. 8. q. 6. à num. 26. Secundo, *omissionem informationum respectu innocentium non vitiare nouitiatum, nec professionem cum communi docui,* c. 4. q. 14. num. 36. cap. 6. q. 25. n. 65. Tertio, *eas informationes non esse recipiendas à iuuenibus nondum excedentibus sexdecim annos, vt nondum excesserat Didacus, vt expresse dicitur in Bulla Sixti V. vt dixi eodem* c. 4. q. 4. num. 19. Quarto, *Clem.* VIII. *in sua Bulla* 83. *incipit:* In suprema, *moderatum fuit dictam Sixti V.* Bullam, *eam reducendo ad terminos Iuris, & Sacrorum Canonum quoad nullitates professionum, quas voluit valere, pœnis contra superiores Ordinum in receptione nouitiorum peccantes inflictis remanentibus; de qua egi* c. 4. q. 14. & alibi. *Et cum data fuerit anno* 1602. *& hæc Decisio facta fuerit anno* 1609. *forsan ille Didacus profecerat intra dictum spatium, ac proinde illi opponi poterat Bulla Clementis* VIII. *Sed non obstat, quia nullitas prouenit ex defectu ætatis, non informationum.*

DECISIO II.

Legionensis 25. Februarij 1611. coram Pisonano, quomodo professio ante annum probationis facta sit valida, præsertim quando vigore regulæ Cancellariæ 58. receptio prouisi in Abbatem est commissa à Papa alicui executori. Apud *Farinac. volum. 2. decis. 329.*

1 *Restitutio in integrum non datur aduersus sententiam, nisi constito de bono iure petentis.*
2 *Professio infra annum probationis non valet.*
3 *Vtique recipiatur ex commissione Papæ vigore Regulæ 58. Cancellariæ.*
4 Potest *est verbum mere facultatis, non necessitatis in omnibus.*
5 *Arbitrio alicui commissum intelligitur de regulato.*
6 *Commissio Papæ ad recipiendam professionem Nouitij intelligitur ad normam iuris, nisi aliud exprimat.*
7 *Professio facta infra annum ante Concilium valebat.*
8 *Professio ante annum vigore Regulæ 58. nunquid habeat locum in prouisis de Abbatiis conuentualibus.*

1 NOn constare de causis restitutionis in integrum, fuit resolutum, quia Conuentus S. Isidori non docet de suo bono iure, quod est fundamentum restitutionis in integrum *Caputaq. decis. 94. par. 3.* fuit dictum in vna Romana Census 8. Martij 1610. coram D. meo Ludouisio. Nam si bonum ius non iustificatur ex læsione, docendo de iniustitia prolatæ sententiæ, non videtur esse locus restitutioni, *Castr. in leg. fin num. 5. Vers. In Curia Romana, in quibus causis in integr. restit. Rota in nouis decis. 1. de Restitu. in integr. Oddus quæst. 4. & dictum fuit in Casal. Parochialis coram bon. memoria Orano 5. Nouembris 1597.*

2 Iniustitia autem non probatur, quamuis in sententia fuerit approbata professio pro legitima absque anno probationis, quæ necessaria videbatur ex dispositione Sacri Concilij Tridentini sess. 25. cap. 15. & cap. Si officij, de Elect. Puteus ex illo textu decis. 261. à quo non dissentit *Rota in vna Granat. Professionis* 9. Februarij 1609. *coram D. meo M. Mansio, (est præcedens extensa hic.)* Nam in casu, de quo agitur, non fit quæstio de professione emissa in manibus superioris intra Religionem, sed extra in manibus executorum ad id deputatorum per Summum Pontificem, qui ex Regula Cancellariæ 58. potuerunt ad 3
receptionem emissionis professionis, non expectato probationis anno procedere, non est expectandum aliquod tempus, sed est arbitrarium superiori, ad quem spectat illum præficere huiusmodi monasterio, qui secundum qualitatem personæ, & notitiam, quam de illo habet potest hoc mandare, *Abbas sub n. 5. Vers. in glos. fin. dicti c. officij, de elect. ibid. Io. Andr. &* Butrius *n. 13.*

Et merito, quia verba Regulæ arbitrium executoris præsupponunt, dum in ea dicitur. *Vt possint*, non expectato anno probationis procedere ad receptionem emis- 4
sionis professionis; nam verbum *Possint*, est meræ facultatis, *glos. in cap. 1. 11. Potest. de* Regul. *iur. in* 6. quod procedit, tam in rescriptis, quam in legibus, & contractibus, vt voluerunt *Bartol. in leg. Gallus in 1. lect. n. 4. ff. de lib. & posthum. Surd. decis. 268. n. 7. & consil. 98. n. 7.*

Et quamuis de arbitrio ratione regulato, non autem de 5
irrationabili, & dissoluto videantur sensisse Summi Pontifices, *Menoch. de Arbitr. q. 9. in princ. & de præsumpt. lib. 4. præsumpt.* 125. *num.* 4. ratio tamen non deficit abbreuiandi tempus approbationis, quia prouisio Abbatis fuit consistorialis, & habita prius informatione de idoneitate, & moribus à Summo Pontifice, fuit approbatus, ac deputatus, vt aliis præsit, non vt sit subditus, adeo quod non erat necessaria alia cognitio, & iudicium inferioris respectu idoneitatis, & morum Abbatis, sed partes executoris tantum fuerunt in exequendo.

Nec obstat, quod prædicta videantur habere locum, quod Papa mandat statim accipiendam, & emittendam professionem secus si simpliciter, vt hic, vt bene visus est probare, *Ioan. Andr. in* Regula *Indultum* 17. *de Regul. iur. in* 6. qui licet loquatur, quando rescribitur monasterio, tamen rationes militant, si etiam rescribatur aliis extra monasterium, vt propterea idem videatur dicendum.

Nam pro responsione fuit dictum, Papam mandasse 6
statim recipiendum habitum, & emittendam professionem, eo ipso quod Abbas auctoritate Apostolica emisit professionem extra Religionem in manibus executoris, fuit enim libera iurisdictio executoris vigore Reg. 18. recipiendo professionem non expectato anno probationis, adeo quod dispensatio, cuius executio extra Religionem fuit commissa dicitur specialis, non autem simplex, & generalis, & restringenda in hoc casu, *Ioan. Andr. in dicta Regul. Indultum.* & bene distinguunt in similibus terminis, *glos. in §. penul. Vers. Alienatione, C. de his, qui ven. ætatis impetr. Salicetus in leg. 2. Quando decreto opus non est, Surd. decis. 260. n. 1.*

Non obstat, quod prædicta Regula sit noua dispositio tempore piæ mem. Clemen. VIII. citra, & exorbitans à iure communi, quæ stricte venit interpretanda, & sufficit, ne remaneat otiosa, absque eo, quod omnes casus possibiles comprehendat. Vnde cum loquatur simpliciter in petente se recipi in regularem de prouisione ad monasteria destituta conuentu, vel solita commendari, erit sensus, non autem de Abbatibus conuentualibus, prout est casus, de quo quæritur, & de simili restrictione super intelligentia regularum, tradit *Gomez super* Regul. *de Annal. q. 11. Mandos. super regul. 3. q. 5.*

Nam Domini præfatam dispositionem pro exorbitan- 7
ti non habuerunt, quia de iure omissio anni probationis ante Concilium Tridentinum non annullabat professionem, *cap. Cum ad Apostolicam, cap. Statutum de* Regul. *cap. Non solum, eod. in* 6. Per dispositionem autem Conci- 8
lij, quæ superuenit, non fuit alteratus casus de Abbate electo à Summo Pontifice in Consistorio cum causæ cognitione super habilitatibus prouisi, quem monachi post annum probationis non possunt dimittere & ideo frustra annus esset expectandus volente Abbate. Finalis enim intentio S. Conc. fuit prohibere apostasiã, in quã facile incurrebant, qui inconsulte profitebantur, vt considerarunt Domini in vna *Tarracon. Pension. 11. Decemb.* 1570. *corã bo. mem. Cardin. Seraphino inter impressas 691. n. 2. par. 1. Diuers.* quod quidem non conuenit Abbati, qui instructus regula nõ existimauit durum, nec asperum, cum aliis

præcesso

præesse deberet, non subesse; Atque ita fuit resolutum.

De professione promissorum ad formam Trid c.21.sess.25. egi c.6. q.17. vnde ibi. Verba autem Reg.58. Cancell. sunt hæc : Possintque executores prouisionis huiusmodi ad receptionem emissionis professionis non expectato anno probationis procedere. *Ille ergo casus specialis est, ac proinde Triden. sess.25. c.15. hunc non comprehendit, alitèr reg. Cancell. post Tridentinum in nulla reformata, nullius esset momenti iuxta quam tamen agendum est, ac proinde iste casus non comprehenditur sub illa.*

DECISIO III.

Toletana 25. Maij 1615. Coram Vbaldo, quando metus illatus in emissione professionis censeatur purgatus per susceptionem Ordinum, & alios actus; & an professio ab initio nulla ea causa metus censeatur ratificata, quoties non cessauit causa metus. Apud Farinac. vol. 2. decis. 605.

1 *Metus illatus profitendi non censetur purgatus per susceptionem ordinum, si adhuc durabat causa metus.*
2 *Metus illatus semper durare præsumitur nisi per actus contrarios sit sublatus.*
3 *Non censetur purgatus per dictos actus, stantibus protestationibus, quæ habent vim reclamationis.*
4 *Scientia non præsumitur in iis, quæ sunt facti, sed ignorantia.*
5 *Præsumptio transfert onus probandi in aduersarium. Testimonium in causa professionis datum à Monacho propter interesse Monasterij est suspectum.*
6 *Professio nulla ex metu non ratificatur per actus liberos durante causa metus.*
7 *Metus ab initio illatus influit in omnes actus subsequentes, & remouet consensum ab actu.*
8 *Professio tacita ex lapsu temporis, & gestatione habitus cessat, quoties ex protestationibus apparet de dissensu profitentis.*
9 *Qui reclamauit infra quinquennium, postea audiendus est.*

PRoposito dubio die 4. Nouemb. præteriti, an sententia de partibus esset confirmanda, vel infirmanda, & resoluto tantum constare de metu ab initio illato F. Didaco monacho professo, supererat disputare dubium in decisione reseruatum, an scilicet metus ex subsecutis censeretur purgatus, quod vtraque parte informante fuit hodie negatiue resolutum.

1 Nam de tempore, quo vixit Vitricus, qui metum intulerat; videbatur indubitatum, metum non fuisse purgatum, & per perseuerantiam in Religione, & alios actus etiam susceptionis Ordinum, ex quo durabat ead. causa metus, *Calderin. cons. 1. n. 3 quod metus caus. Bart. in l. 2. C. eod. n. 7. Roland. cons. 2. n. 98. lib. 1. Hondod. cons. 23. n. 14. lib. 1. Menoch. præsump. 4. n. 23. lib. 3. Osasch. decis. Pedemon. 179. n. 11. vbi plures allegat, Rota apud Seraph. in vna Toletano Matrimonij, quæ est decis. 831. n. 1. & in Toletana Profess. quæ est 1166. n. 1. infra hic sub VIII. & decis. 1177. num. 1. par. 1. in impressis infra hic sub IX Nauar. consil. 6. sub n. 2. de his, quæ vi, vbi,* loquitur in terminis susceptionis Ordinum, & aliorum actuum, & fuit pene discussum, & decisum, & in vna Conchensi nullitatis Ordinum 10. Martij 1606. cor: bo: me: Penia.

2 Post mortem vero Victrici non existimabant Domini metum fuisse purgatum, tum quia regula est pro Didaco, quod metus semel illatus semper durare præsumitur, nisi per actus contrarios sublatus doceatur, *Bartol. in dict. l. 2. num. 10. Quod metus, Alex. cons. 92. lib. 3. Decius in l. In omnibus causis 19. n. 14. & ibi Cagnol. n. 14. de Regul. iur. Osasch. dec. 175. num. 11.* vbi, quod actus non debent esse tales, ex quibus nulla alia præsumptio capi possit, quam purgationis metus, & illam decis. secuta est Rota in vna *Neapol. profess. 26. Iunij 1598. coram Gypsio.*

3 Quod eo magis procedit, quando prout in hoc casu interuenerunt protestationes quod non habebat animum permanendi in religione, quæ protestationes multum attenduntur in hac materia, vt in dicta Neapolitana professionis, & in alia decisione huius coram me. Immo quod habeant vim reclamationis sufficientis fuit dictum in ead. Neapolit. Tum quia non constat, Didacum habuisse scientiam obitus Victrici, & sic cessasse causam metus, quæ scientia cum sit facti non præsumitur, sed po-
tius ignorantia, *cap. Præsumitur, de Reg. iur. in 6.* quæ 4
præsumptio transfert ius probandi in aduersarium *glos. in* 5
prædict. cap. Præsumitur, Seraph. decis. 916. num. 10.

Non obstat, quod Didacus etiam post mortem Victrici remanserit vltra annum in monasterio, antequam reclamauerit, & vlterius quod dicitur procurasse, vt superiores monasterij cederent ipsius matri iura super portione legitimæ Didaco competentia, receptis nonnullis pecuniis.

Quia vltra quod hæc probatio allata pro monasterio redditur multum timida, ex testibus per Didacum inductis, ea quibus apparet, quod immo & semper reclamauit de dicto pacto, vt in *Sum. Didaci num. 7. 8. & 9.* Et est etiam aliquantulum suspecta propter monasterij interesse, vt considerauit Rota in dicta *decis. 1177. n. 7. apud Seraphinum.*

6 Respondebatur etiam, quod stante præcedenti metu, & crebris reclamationibus; de quibus supra, & stante ignorantia mortis Victrici, & sic non cessante causa metus quoad mentem ipsius Didaci, potest per huiusmodi
actus censeri inducta ratificatio professionis ab initio
nullæ. Quia metus ab initio illatus influit in omnes actus 7
subsequentes, & remouet consensum ab actu, vt in *decis. 1166. coram Seraphino, in dicta Neapolitana Professionis coram Gypsio, Nauar. dicto consil. 6. de iis, quæ metu. Reboff. consil. 68. num. 22.* qui loquitur in terminis translationis.

8 Nec visæ sunt obstare declarationes S. Concil. Trident. ex aduerso allatæ, quia præter id, quod videbatur extra præsens dubium; fuit responsum quoad primam, illam non procedere, quoties ex protestationibus constat de dissensu professionis, tunc enim cessat tacita professio ex lapsu temporis, & gestatione habitus, cum præsumptio cedat veritati, vt in indiuiduo fuit dictum in dicta *Neapolitana Professionis 16. Aprilis 1599. coram Gypsio,* & in illa ratione fundatur diuisio, non autem ea eo, quod protestationes fuerint iudiciales. Vltra quod si tales fuissent protestationes Didaci intra quinquennium non fuisset opus impetrare restitutionem, de qua mox dicam, vt etiam consideratur in dicta Neapolitana.

Quod ad secundam vero, quæ emanauit, & à fel. record. Gregorij XIII. in qua dicitur, quod professus etiam vltra quinquennium audiatur, dummodo reclamauerit intra quinquennium, illa non videbatur obstare, quia ex testibus pro Didaco datis, apparet eum reclamasse etiam intra quinquennium, cum deponant per verbum *semper*, quod includit omne tempus, *leg. 1. vbi Glos. & Doct. ff. soluto matrim.* Et cessat omnis difficultas ea restitutione per eum obtenta aduersum lapsum quinquennij in actis exhibita. Ex quibus fuit conclusum, metum non fuisse purgatum, & consequenter sententiam de partib. esse confirmandam, &c.

De probatione metus, & de eius purgatione in materia professionis late dixi c. 59. a n. 33. vsque ad 44.

DECISIO IV.

Romana fideicommis. de Vecciis 10. Februarij 1604. coram Litta, in qua de translatione monialis professæ ab vno ad aliud monasterium, vel vt agat pœnitentiam, vel vt profiteatur in secundo, cui omnia acquiruntur

professione, non autem translatione. Refertur à *Fariнac. part. 2. decis. 509.*

1 *Monasterium post emissam professionem habet fundatam intentionem in omnibus, qua ad monachum deferuntur.*
2 *Actor tenetur probare concludenter fundamentum sua intentionis.*
3 *Monachus tunc dicitur eiectus, vt desinat acquirere monasterio, quando exutus habitu monachali à corpore Ordinis dimittitur.*
4 *Traductus ad secundum monasterium non dicitur eiectus.*
5 *Quod fit duobus modis, vel ad profitendum, vel ad pœnitendum.*
6 *Vt monialis translata dicatur cum effectu secundi monasterij debet emittere professionem.*
7 *Vt possit profiteri in secundo monasterio reperitur licentia superioris primi monasterij.*
8 *Testis contra inducentem fortius probat.*
9 *Translata pœnitentia causa alenda est à priori monasterio.*

VNanimi Dominorum voto conclusum fuit non constare de eiectione Sororis Catharinæ de Vecciis de monasterio S. Ceciliæ, videlicet eius translatione ad monasterium S. Ambrosij, in casu, & ad effectum, de quo agitur, quia cum in confuso sit apud partes, eam emisisse professionem in monasterio S. Ceciliæ, & sic ex tunc monialem illius effectam fuisse, ideo quod ad hæreditatem delatam, vt prætendimt vigore fideicommissi 1 quondam P. Pauli de Vecciis negari non potest, quia intentio dicti monasterij S. Ceciliæ sit fundata ad text. *in l. Deo nobis, §. Hoc autem, C. de Episcop. & Cler. & Auth. Ingressi C. de Sacros. Eccles. & cap. In præsentia, de probat.* Vnde qui prætendit, eam desiisse esse expresse monialem dicti monasterij S. Ceciliæ, quia fuit eiecta, videlicet ad aliud monasterium translata, sit secundi monasterij monialis affecta, & quidem antequam deferretur hæreditas, hæc omnia concernentia fundamentum suæ intentionis probare tenetur, & quidem concluden- 2 ter, *l. Ei qui ff. de probat.* Tantum autem abest, vt de tali eiectione, aut translatione ad effectum præfatum constet, quod immo de contrario non obscure apparere videatur ex infra dicendis.

Nam quoad eiectionem, tunc dicitur monialis eiecta ad effectum, vt sit locus disputationi, an desinat acquirere monasterio, cuius erat monialis, quando exuitur habitu 3 monachali, & à corpore ordinis dimittitur, *l. Quod ait Prœtor § Ignominia causa §. Sed si ita ff. de his, qui not. infam. Feder. de Senis cons. 38. Quidam professus in princ. Abbas consil. 66. num. 1. & 2.* Late Modernus *in suis Instit. moral. lib. 12. cap. 16. col. 3. lit.* C. ibi: *Nam religione, habitu, & alimentis debitis spoliantur, sed votis non soluuntur.* Hic autem testes concludunt, Sororem Catharinam 4 fuisse traductam ad monasterium S. Ambrosij cum habitu S. Ceciliæ, & non eo priuatam, & illi præstita fuerunt alimenta, quod præclare ostenditur, non fuisse habitam pro derelicta à dicto monasterio S. Ceciliæ, ad tex. per *l. fin. §. sed simus C. de lit. liber. tollend.*

5 Quo vero ad translationem, hæc duobus modis fieri potest, vel vt monialis, quæ traducitur fiat filia secundi monasterij, & liberetur à consortio, & filiatione primi; vel vt remaneat monialis primi monasterij, in secundo tamen moretur, & maneat causa pœnitentiæ aut alia simili; & primo casu acquisita per eam secundo monasterio acquiruntur; secundo autem casu acquiruntur primo, vt post Anchar. consil. 424. & alios tradit Nauar. *de regul. com. 4. num. 4 Vers. Quod transitus; Abbas in cap. Veniens num. 4. de simon & probat. tex. iuncta glos. in cap. De lapsis 16. quæst. 6. vbi Ægidius n. 2. Archid. n. 1. & alij passim hoc notant.*

Hic autem non docetur pro parte monasterij S. Ambrosij de solemni susceptione habitus ipsius monasterij, nec de professione aliqua in eo monasterio emissa, quæ omnino necessaria sunt, ad effectum, vt dicta soror Catharina esset effecta monialis secundi monasterij, & in illo acquireret, & non in primo, secundum *Ioannem Andr.* 6 *in l Va. de infant. & languid. expos. Ant. de Butrio ibid. n. 5. Abbas. in capit. Quod à te, num. 7. de conuers. coniug. Anchar. consil. 352. in princ. Nauar. consil. 60. & 61. de Regul.*

Et minus constat de licentia Abbatissæ S. Ceciliæ, quæ 7 omnino necessaria erat, vt in alio monasterio profiteri posset *ex cap. Statutum 19. q. 3. cap. Monachum 20. q. 4. c Licet. de Regular. & ibi Ioann. Andr. super §. Quia sicut, Hostiens. super verb. Postulanda, Card. in 6. notab. & q. 6 Ant. de Butrio in 3. notab. Abbas consil. 95. & 96. vol. 1. Menoch. de arbitr. lib. 2. c. 421. n. 14.*

Quinimmo, quod fuerit traducta occasione cuiusdam rixæ, & sic potius pœnitentiæ gratia, probatur tum depositione tertij testis super 22. ibi: *Et per quanto ho inteso dire, fu transferita per hauerdate delle pianellate all'Abbadessa.* Et quartus testis: *Et ho inteso dire, che l'haueua con l'Abbadessa di detto Monasterio di S. Cecilia.* Et quintus testis. *Per quanto mi diceua essa Suor Catharina, & D. Angela, ch'era stata cauata dal monasterio di S. Cecilia per dispareri, che essa Suor Catharina haueua hauuto con l'Abbadessa, & altre monache di S. Cecilia.* Tum etiam quia in dicto monasterio S. Ambrosij deferebat habitum S. Ceciliæ, de quo bene deponunt testes in monasterio num. 3. & in specie vsque ad annum 1575. deponitur de Constantia de Comitibus, quæ vsque ad illud tempus permansit in dicto monasterio causa educationis, & vti inducta à parte dicti monasterij Sanct. Ambrosij tanto fortius probat contra illud, iux- 8 ta notata *per Socinum iun. consil. 69. num. 11. lib. 1. & per Gabriel concl. 1. num. 14. de testibus.* Tum denique, quia non ostenditur, quod ista soror Catharina spatio tanti temporis interuenerit in aliquo actu capitulari vti monialis S. Ambrosij, sed potius ex testibus monasterij S. Ceciliæ, ex quibus in summar. num. 2. probatur, quod ipsa separatim viuebat à dictis monialibus, nec erat adstricta choro, sed in dicto monasterio stabat, & viuebat vt monialis S. Ceciliæ. Accedit etiam, quod monaste- 9 rium S. Ceciliæ vsque ad obitum præstitit eidem alimenta, & Abbatissæ S. Ambrosij soluta pro dictis alimentis recipiendis in omnibus fere quietantiis, falsum est, eam monialem S. Ceciliæ esse *ad text. in l. cum te C. de probat.*

Nec prætendi potest, quo dicta alimenta fuerint præstita occasione dotis, quæ penes monasterium S. Ceciliæ, remansit, cum dos consisteret in annuo censu scutorum decem anni, non est verisimile tot præstita fuisse nomine alimentorum singulo in anno occasione dictæ dotis, videlicet scutorum 36. arg. l. cum de indebito ff. de probat. sed potius ratione filiationis, qua pater alere tenetur, & ne illius transportatio causa correctionis, & pœnitentiæ causa facta esset onerosa monasterio S. Ambosij, secundum *Cardin. cons. 27. n. 5. & in cap. Quod à te col. 4. vers. Si necessarie, & ibi Abbas sub num. 6. Vers. Si vere professio tenuit. Ioan. de* Imela *sub num. 10. vers. Si recedit, de cler. coniug.* Host. in sum. eod. tit. num. 20. Si cum licentia &c. Quibus constat, quod moniales S. Ceciliæ lauabant vestes Sor. Catarinæ, & transmiserunt Chirurgum monasterij, qui curaret illam in sua infirmitate, de qua decessit, & cera pro illa sepelienda, quæ denotant obsequium patris erga filiam; nec talia fecissent, si habuissent, illam pro eiecta, & derelicta, vel pro moniali alterius monasterij. Ex quibus, & aliis quamplurimis hic deductis per informantes pro monasterio S. Ceciliæ, conclusum fuit vt supra.

De transeuntibus ad secunda vota profitendi causa dixit cap. 13. q. 40. num. 81. cum seq. de transeuntibus causa pœnitentia ibidem sub n. 107.

DECISIO

DECISIO V.

Bononiensis 9. Decembris 1611. coram Vbaldo, in qua probatur, tenuisse professionem cuiusdam F. Iosephi Mariæ, qui vere non laborauit morbo caducus. Apud Farin. vol.3. 346.

1 *Professio facta præmissis legitimis ætate, & probatione valet.*
2 *Non vitiatur ex quolibet morbo iure communi.*
3 *Professio est actus vtrinque obligatorius.*
4 *Morbus caducus quando per testes probatur.*
5 *Testes habentes affectionem ad causam repelluntur.*
6 *Medicis deponentibus super infirmitate eius quem non viderunt, nec curarunt, an sit credendum.*
7 *Medicis peritis in arte sua credendum.*
8 *Confessio extraiudicialis per tres testes probata probat.*
9 *Morbus comitialis an sit medicabilis.*

1 DOmini dixerunt professioné à Iosepho Maria emissam in venerabili monasterio Fratrum Minorum fuisse validam, cum esset ab eo facta in ætate legitima, & post annum probationis, cum solemnitatibus requisitis, c. t. *de reg. in* 6. *cap. Ad Apostolicam eod. tit. cap. cum Gonsaldus* 17. *q.* 2. *Specul. in tit. de Regul. numer.* 1. *& seq. Rota decis.* 216. *part.* 2. *diuers.* & habetur per sacrum, Conc. Trid. sess. 25. c. 15. & sequent.

2 Neque de iure communi obstare videbatur allegatus morbus caducus in Iosepho, cum quilibet morbus etiam grauissimus non vitiet professionem, vt dicit glos. *in cap. Sicut tenor, in V extra mentem, de regular. & probatur in capit. sunt nobis, ibi Butrius, Abbas, & alij communiter, cap. Porrectum, eod.*

3 Vnde difficultas oriebatur ex constitutionibus dictæ religionis, quatenus essent confirmatæ à Papa, per quas expresse cauetur, vt nouitij professio laborantis tali morbo sit prorsus irrita, iuxta consil. Nauar. 25. de regular. n. 2. lib. 3. & ex eo, quod protestatio dicebatur emissa à Fratribus in ipso actu professionis, iuxta formam dictarum constitutionum, ex qua videbatur dissluere consensus Fratrum, & religionis, casus quo iste professus laboraret morbo caduco, qui tamen consensus necessario debet interuenire, cum actus professionis sit vltro, citroque obligatorius, *Abbas in cap. Porrectum sub n.* 10. *de regul. Nauar. consil.* 26. *num.* 16. *eod. tit & consil.* 22. *n.* 2. *de voto, Ruin. consil* 128. *num.* 3. *lib.* 1. *Menoch. de præsumpt.* 83. *n.* 21. *cum aliis per Hond. consil.* 78. *n.* 5. *lib.* 2.

4 Sed hæc non videbantur obstare, quia non fuit probatum, Iosephum laborasse tali morbo tempore professionis, prout erat necessarium, glos. in dictum *cap. Sicut tenor in V. Extra mentem, & ibi Doctores supra allegati, Beroius consil.* 29. *n.* 12. *lib.* 1. *Rota decis.* 107. *n.* 24. *par.* 2. *diuers. Hondad. dicto consil.* 78. *n.* 12. *lib.* 2.

Neque obstant testes examinati pro parte Iosephi ad probandum, quod ipse etiam ante professionem, & de tempore pueritiæ laborabat dicto morbo, & quod viderunt eum in terram cadere, & alia signa recensent eiusdem morbi. Quia fuit responsum, eos non necessario concludere de morbo comitiali, vel caduco, cum adsint alij morbi similes, & caluntea eadem fere accidentia, vt est vertigo, quam appellant tenebricosam, quæ facit patientem in terram cadere, vnde ex hoc non infertur morbus caducus, vt fuit resolutum *in causa Leodiensi fructuum* 31. *Maij* 1604. *coram bonæ memoriæ Litta*, cuius copia data fuit, sed solum similitudo dicti morbi, vel ad eum propensio, vt fuit dictum in *Pampilonensi Abbatia* 20. *Iunij* 1603 *coram R. P. D. meo Ludouisio.*

5 Accedit, quod dicti testes partim sunt Fratres eiusdem monasterij, & ideo aliquo modo interessati *Natta consil.* 672. *num.* 58. *lib.* 4. præsertim cum dicant, se habere affectionem ad causam in summ. Antonij n. 3. quo casu testes repelluntur, *Paris consil.* 15. *n.* 30. *lib.* 2. *Rota decis* 336. *n.* 4. *par.* 1. *diuers.* Vel saltem in concursu aliorum maiorum minuitur de eorum fide, Afflict. decis. 400. n. 8. præterquam quod, cum non sint periti, non videntur posse deponere de eorum infirmitate, *Anchar. consil.* 330. 6
n. 6. *Aretin. cons.* 142. *n.* 14. *Vers. Sed tamen his non obstantibus Rota in eadem Leodiensi* partim vero licet sint medici, & periti, tamen non deponunt, nisi per modum responsi super facto eis proposito, non autem per sensum corporis, quia viderent patientem, & eius infirmitatis qualitatem diiudicare potuerint, quæ ex accidentibus potissimum dignoscitur, iuxta tradita *in cap. Communiter* 33. *dist. & ibi Arch. & alij, & in dicta Leodiensi fructuum* 31. *May* 1604. Nec verificatur, quod accidentia expressa in illo casu concurrant in hoc Fratris, & tamen ad effectum annullandam professionem requiritur plena probatio, Mohedan decis. 3. de regul.

Tolli autem videbatur omnino fides dictorum testium ex aliis pro contraria parte inductis, qui cum numero plures consistes, & periti in arte, nec constat, eos habere aliquam affectionem ad causam.

Nam in primis plures testes dicunt, hunc Fratrem solitum præsentire morbum suum, eoque occurrere, vel alicui rei inhærendo, vel comedendo, vel sedendo, vel aliud simile faciendo, & solitum recordari accidentium, quæ sibi occasione dicti morbi euenerant. Et tamen medici deponunt in summar. Antonij n. 8. quod patiens talem morbum non recordatur de eius initio, sicut etiam medici, qui dictum Fratrem visitarunt, deponunt, illius accidentia non fuisse morbi caduci, sed vertiginis, vt supra, quorum
7 iudicio tanquam in arte peritorum standum videtur, *l. Septimo mense, vbi Bald. de statu homin. Barb. in l.* 1. *n.* 4. *ff. de ventr. inspect. Rota decis.* 107. *n* 6. *par.* 2. *diuersorum*, & fuit in nostris terminis dictum in dicta Papilon. Abbatiæ coram D. meo Ludouisio.

8 Accedit confessio ipsius Iosephi Mariæ ante litem motam, quod ipse tali morbo non laborabat, sed finxerat se laborare, vt de religione exiret, vt in summar. Antonij num. 2. quæ confessio probata per tres testes satis videtur probare secundum magis communem opinionem, de qua Hieronymus Gabriel consil. 40. n. 57. lib. 2. præsertim cum duo ex dictis testibus sint religiosi, & ex iis vnus ex eadem religione Minorum, quibus magis creditur, *Castr. cons.* 143. *Viso processu col. vlt. vers. Dictum ergo lib.* 2. *Aymon. cons.* 169. *n.* 3. Et ista confessio etiam redditur verisimilis ex eo, quia iste Frater alias aufugit ex septis religionis, & fuit eo nomine condẽnatus, vt in dicto summ. n. 13.

Vltimo considerabant Domini, testes, qui dicunt Fratrem per triennium, & vltra ante professionem aliquid non fuisse passum, ex quo sequitur, vel quod ille non esset morbus caducus, quo patientes impossibile est non cadere frequentissime, & exacto vigesimo secundo ætatis anno anguntur vehementius, vt deponunt testes periti, dicto summar. numer. 11. & talis morbus vix vlla arte est medicabilis, vt ex mente Hypocratis, & Galleni fuit di-
9 ctum in causa *Salmantina dimidiæ portionis* 23. *Ianuarij* 1609. *coram D. meo Marco Montio*, & propter eius vim, & magnitudinem morbus herculeus à veteribus appellabatur, teste Galleno in libr. 6. Hipocratis de morbo comit. quem refert cum pluribus aliis ad propositum congestis Brison. lib. 3. de verb. signif. in V. Comitialem morbum, vel quod tali morbo, quicunque ille esset, fuisset liberatus, vt fuit dictum in illa Pampilon. Abbatiæ 20. Iunij 1603. coram D. meo Ludouisio.

Nec obstat prædicta protestatio, quia videbatur non sufficienter probari, cum de ea deponunt tantum Fratres ipsi interessati, & affectantes victoriam causæ, vt supra dictum est, cum tamen in illo actu professionis adfuerint plures laici, quorum nullus hoc deponit, vt in dicto summar. n. 12. Vltra quod non probato morbo caduco, vt supradictum est, protestatio illa nihil operatur. Ex quibus, & aliis allegatis per informantes Domini concluserunt pro validitate professionis, quæ etiam videbatur tutior opinio pro exoneratione conscientiæ dicti Fratris, & animæ salute.

Vide

Vide cap. 3. q. 16. n. 64. vbi docui infirmos de iure communi non repelli ab ingressu religionis; eorum professio valet, c. 18. q. 55. n. 60.

DECISIO VI.

Tirasonensis Pensionis 11. Decembris 1470. coram Seraphino decis. eius 151. de professione sine nouitiatu Militatium retinentium pensiones, & de aliis spectantibus ad professionem.

1 *Pensio non extinguitur professione in ordine militari, non seruata etiam forma Tridentini.*
2 *Militaris nouitius non tenetur facere nouitiatum ad formam Tridentini.*
3 *Professus non dicitur manens in domo sua cum vxore, & proprio.*
4 *Hierosolymitani large modo dicuntur religiosi.*
5 *Rectores hospitalium deferentes certum habitum, qui matrimonio vti possunt, non dicuntur religiosi etiam lato modo.*
6 *Viuentes sub aliqua Regula, vt Tertiarij Sanct. Francisci non dicuntur proprie religiosi, nec late si vtuntur matrimonio.*
7 *Ad religionis perfectionem secundum D. Thomam requiritur votum perpetua continentia.*
8 *Verbum* professio *intelligitur de tribus votis, qua à religiosis emittuntur.*
9 *Militia S. Stephani non comprehenditur in decreto Tridentini.*
10 *Quando vnum prasupponitur, & super eo disponitur, dispositio locum non habet, nisi adsit prasuppositum.*
11 *Verba secundum subiectam materiam, & rationalem finalem restringi debent.*

1 DOminus Ioannes de Luna obtinens Decanatum Ecclesiæ Collegiatæ oppidi de Tudella, resignauit eum in manibus Papæ, in fauorem D. Petri Ximenes, reseruata sibi pensione mille ducatorum auri largorum, cum decreto, quod si prædicto D. Ioanni contingeret ingredi aliquam religionem militarem, ac iuxta ipsius religionis priuilegia vxorem ducere, pensionem nihilominus ipsam exigere, & percipere posset, & valeret, vt in supplicatione, iuxta cuius formam sese obligauerunt in forma cameræ dictus D. Petrus, & R. P. D. Ludouicus Torres. Interim publicatum fuit S. Concilium Tridentinum, post cuius publicationem dictus D. Ioannes de Luna habitum Militiæ S. Stephani suscepit, & incontinenti professionem emisit, & demum vxorem duxit.

Hinc orta fuit controuersia inter præfatas partes super prædicta pensione prætendente D. Petro pensionem extinctam esse, eo, quod in emittenda professione non fuisset à D. Ioanne seruata forma tradita in Concilio Tridentino de Regul. sess. 25. cap. 15. In quo cauetur, ne quis in quacumque religione tam virorum, quam mulierum, qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit ad professionem admittatur. Et ideo dubitatum fuit die Lunæ 11. Decembris
2 1570. An dictus Ioannes de Luna Miles S. Stephani, quo ad annuam probationem sub huiusmodi decreto comprehenderetur. Et ea multis fuit resolutum non comprehendi.

Primo, quia intentio finalis huius decreti fuit occurrere Apostasiæ, in quam facile dilabuntur ij, qui minus consulto, ac de se nullo facto experimento religionem profitentur, cap. Ad Apostolicam, de Regul. cap. Non solum, eod. in 6. quod quidem conuenire non potest istis Militiis, in quibus institutum non est admodum durum, & multis abundant priuilegiis à S. Sede Apostolica concessis.

Secundo, quia Concilium videtur de iis religiosis, qui probari, ac fundamento, & perfectione suæ religionis tria vota profitentur, obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, vt videntur innuere ea quæ in capite primo huius decreti continentur, quæ quidem non emittuntur à Militibus S. Stephani. Nec obstat, quod postea subdit. *Et si qua alia sunt alicuius Regula, & Ordinis peculiaria vota, & pracepta.* Quia procedit augmentatiue vltra alia tria vota præstari solita à regularibus. Nam etiam in istis votis datur excessus, veluti Paupertatis, vt per *Diu. Thom. 2. 2. q. 188. art. 7.*

Tertio ad hoc facere visum est, quod tradit *Specul. tit.* 3
de Monach. q. 36. Vbi inquit, eos, qui propriis non carẽt, & in domibus propriis cum vxoribus viuunt, non esse proprie professos; & ait ita per Clementem iudicatum fuisse; quod etiam tradit *Abbas in Rubr. de regul. n. 4.*
Quod Hierosolymitani largo modo sunt religiosi, cum 4
non possint contrahere matrimonium, & promittant
obedientiam. Rectores vero Hospitalium, qui vtuntur 5
matrimonio, deferentes certum habitum, non esse religiosos nec largo modo, nec stricto, allegat *Ioannem de Lignanò, & Laur. in clem. 2. de prabend.* Vbi ait, tales viuen-
tes sub aliqua Regula veluti Tertij ordinis beati Francis- 6
ci, non esse proprie religiosos; illos autem, qui vtuntur matrimonio nec stricto, nec largo modo esse religiosos. His addi potest auctoritas *D. Thom. 2. 2. q. 86. art. 4. in fine*, dicentis, quod illi modi viuendi secundum quos homines matrimonio vtuntur, non sunt simpliciter, & absolute loquendo religiones, sed secundum quid, in quantum scilicet, quod in aliquo participant de his, quæ ad statum religionis pertinent, & ideo concludit, votum perpetuæ, continentiæ requiri ad religionis perfectionem.
Accedit etiam, quod iste terminus *Professio*, intelligatur 8
de tribus votis, *cap. Cum ad monasterium, vbi Butr. n. 9. de statu monach. Abbas in Rubr. de Regul. & in c. Quamuis n. 3. de decim. & in c. 2. n. 11. de fore compet.*

Quarto fuit consideratum, quod Concilium, vbi voluit comprehendere Milites, eos nominauit, vt eadem *sess. 25. c. 22. & sess. 23. c. 18.*

Quinto fuit consideratum in hoc decreto de Regular. 9
multa præcipi, quæ non possunt applicari Militiæ S. Stephani, & ideo non videntur comprehensi, quale id quod habetur c. 2. vt nihil proprij possideant, & c. 4. ne liceat conuentibus sine licentia recedere; & ad vniuersitates missi in suis conuentibus habitent; nec c. 6. de elect. loquens potest his applicari; nec cap. vltimum, vbi S. Synodus hortatur Reges, & Principes, vt velint præfatis Episcopis, Abbatibus, & Generalibus, ac cæteris Præfectis in executionẽ eorum, quæ in dicta reformatione continentur auxilium suum, & auctoritatem interponere, quoties fuerint requisiti; si enim S. Synodus intellexisset de Militiis hortandi erant ipsimet Reges, & Principes, qui sunt Magni Magistri Ordinum ad contenta in reformatione obseruanda, nec expectandum, quod essent ab aliquo requisiti.

Sexto fuit consideratum, quod in Militia S. Stephani vno, & eodem tempore datur habitus, & emittitur professio, vt in statuto dictæ Militiæ tit. 2. cap. 1. quod etiam vsu obseruati compertum est.

Septimo fuit habitum pro solido argumento, quod in cap. vlt. præsentis decreti cauetur, vt omnia seruentur in omnibus cænobiis, monasteriis, collegiis & domibus quorumcumque monachorum, & regularium; necnon quarumcunque sanctimonialium, etiam si illæ sub gubernio Militiarum, &c. Nam si ipsæ Militiæ continerentur sub illis decretis, frustra fuisset facta extensio ad domos mulierum, quæ sub Militiis viuunt. Expressio igitur istarum arguit ipsas Militias de mente S. Synodi non fuisse comprehensas in decreto. Et ex dictione *Etiam* arguitur Synodum in pertinentibus ad Militias plus dubitasse.

Octauo, quando vnum præsupponitur, & super eo disponitur, dispositio locum non habet, nisi adsit præsuppositum, *l. Mancipia C. de seruis fugit. & ibi glos. & Doct. in 1. Aucandum, tex. in l. Lucius Titius de fidei liber.* Et in hoc capite, de quo nunc particulariter agitur, præsupponitur annus probationis, ergo vbi non adest iste

iste annus, veluti in casu, de quo agitur, non habebit locum dispositio de professione post annum probationis emittenda.

Non obstat qualitas verborum, quia secundum subiectam materiam, & rationem finalem restringi debet, *Glos. in l. omnes C. de muner. & oner. l. cum pater §. Dulcissimus ff. de legat.* 2. Nec obstat, quod materia videatur fauorabilis, & ideo extendenda ad eos, qui largo modo sunt religiosi, quia cum cesset ratio finalis, nullus ex hoc decreto fauor elici potest, immo potius elicet onus inutile, & odiosum illis, qui statim his Militiis adscribi vellent ad participandum, & gaudendum priuilegiis eis concessis. Alia quæ in contrarium facere videntur ex deductis facile tolli possunt.

Quod Militares, exceptis Maltensibus, non teneantur ad annum probationis, docui de commun. cap. 6. num. 15. & 12. & cap. 7. num. 20 & dixi, eosdem Militares profiteri posse etiam ante decimum sextum annum, exceptis Miltensibus, qui subdiderunt Tridentino. Qui vouent tria vota sunt vere religiosi, aliter non, vt probaui c. 1. n. 49. & 92. Non gaudent priuilegiis Mendicantium, cap. 1. n. 50. Hæc decisio extenditur etiam volum. 1. Nouissimorum Diuers. decis. 591.

DECISIO VII.

Toletana die Lunæ 25. Maij 1595. coram Seraphino eius 1128. de nullitate professionis ex metu reuerentiali cum minis, ad effectum annullandi instrumentum donationis.

FVit resolutum constare de metu ante ingressum monasterij, idque ex tota serie facti satis apparet colligi. Nam existente Maria cum fratre, qui eam volebat matrimonio copulare cum quodam nobili viro, quem tamen ipsa auersabatur, is cæpit eam male tractare, & procurare, vt fieret monialis in monasterio de Scalona, seu alio sui status, idque cum magna indignatione, & asperitate, vt deponit tertius testis super tertio articulo; & decimus quartus super secundo, & alij. Constat etiam, quod ipsa habito recursu ad Concilium Regium mediante suo Procuratore, fuit abducta à fratris potestate ad monasterium S. Dominici in oppido de Madrid. à quo monasterio fuit propria auctoritate educta à Comite de Cracion, & Comitissa eius vxore Mariæ Sorore, & in eorum domo retenta cum magna clausura, & custodia, itavt non posset alios, præter ab ipsis deputatos alloqui, vt deponunt testes super quinto articulo. Constat enim ex testib. fere omnibus, quod ea intendebat nubere, & iam promiserat cuidam, quod cum aduenisset ad notitiam comitis, eam cæperit sub arctiori clausura custodire, & eiecta fuit famula quædam huius matrimonij consiliatrix.

Demum procurauerunt, vt fieret monialis, & vt bona sua donaret comitissæ, & filiis, vt per testes super quinto, quod & fuit executioni mandatum, vt per testes super septimo articulo. Vnde orta est publica fama, quod volebant, vt efficeretur monialis. Potentia vero Comitis per testes clare probatur super decimo articulo, quodque illi valde erat subiecta, ipsumque timebat, testis super septimo articulo; & quod per plures dies ante ingressum monasterij viuebat valde mœsta, & afflicta, & cum planctu, & per duos dies ante dixit testi, qui est 65. quod ibat ad monasterium contra suam voluntatem, quod etiam deponunt testes super octauo articulo, qui deponunt de visu, & publica voce, & fama, prout etiam idem dicit secundus testis, qui erat eius confessarius, cui multum est deferendum.

Accedit, quod ipsa erat puella, cui de facili metus, incutitur, & in ea sufficit metus reuerentialis accedentibus minis, vel probata læsione, vt pluries in Rota fuit resolutum; maxime cum non agatur ad annullandam professionem, sed ad effectum tantum successionis, & ad annullandum instrumentum donationis factæ monasterio, vt per *Socin. cons. 263. lib. 2. & fuit resolutum in vna Saguntin. Matrim. anno 1575. coram D. Grapperio, & in alia Romana Matrim. 9. Decembr. 1579. coram R. P. D. meo Blanchetta.* Et ita cessant allegata in contrarium, quæ locum forsan haberent, si ageretur de dissoluenda professione, sed hic leuiores sufficiunt probationes præsertim in puella, *vt per Tiraquel. de leg. connub. l. 9. n. 21. & R. P. D. meo Mantica de coniectur. vlt. vol. lib. 2. c. 7. n. 7.* & ita conclusum fuit, probari metum ante, & vsque ad ingressum monasterij.

Hanc decisionem citaui c. 52. q. 20. vbi de probanda nullitate professionis vel ad eandem dirimendam, vel ad reuocandum instrumentum, nam minor probatio ad id requiritur, quam ad aliud, vt ibidem probatur. Sequens Decisio est de eadem Maria, de qua in præsenti dictum fuit.

DECISIO VIII.

Toletana 15. Decembris 1595. eiusdem Mariæ sub num. 1166. Seraphini, cuius metus probatur durasse ab initio ingressus vsque ad actum professionis, adeo quod eo durante ratificatio non valet.

FVit dubitatum an metus D. Mariæ durauerit in anno nouitiatus vsque ad actum professionis, & fuit conclusum per Dominos pro affirmatiua, quod durauerit. Constitutum enim iam fuit, constare de ipsius metu ante tempus ingressus monasterij vsque ad ingressum, quod quidem initium malum influit in omnes sequentes actus, & tempora, durante eadem causa metus, *vt per Bartol. in l. 2. Quod metus causa. Et l. pen. ff. de condict. ob turpem causam, Alex. consil. 98. n. 7. lib. 3. cum aliis deductis in diuersis causis in Rota, nempe in Cremen. Raptus coram bonæ memor. D. de Rubeis, & plures in causa Toletana Matrimon. & in Nicien. 6. Martij 1587.* Actus enim facti medio tempore, si qui adsunt, ex quibus colligi possit voluntas Mariæ emittendi professionem, non sunt attendendi, cum non sint facti in plena libertate, quod sane mirum in modum comprobatur per testes, nempe Didacum de Bataia super decimo nono, F. Hilarium Suarez Mariæ Confessarium, cui multum Domini deferunt super sexto, & duodecimo, Catharinam Fernandez super vndecimo, quartus testis super octauo, & duodecimo, & vigesimo tertio, & octauus super duodecimo, & plures alij de publica voce, & fama.

Et ex ipso facto verificatur per eosdem testes, Mariam sæpius tentasse exire de monasterio, neque id consequi potuisse propter impedimentum datum à Comitissa, quæ neque etiam tempore infirmitatis voluit permittere, vt exiret, dicendo quod timebat, ne dimitteret habitum, & nollet redire, vt deponunt testes super decimo tertio. Ideoque Maria erat valde tristis, & afflicta, vt ipsi deponunt, dicebatque se ibi contra suam voluntatem detineri, & quod nolebat esse monialis, sed non reperiebat modum dimittendi habitum, cum haberet aduersarios Comitem, & Comitissam.

Accidit, quod eadem die, qua emisit professionem, paulo ante fecit protestationem coram imagine Crucifixi, quod contra suam voluntatem faciebat quidquid faceret, & quod non poterat reclamare ob potentiam Comitis, & sane ad hunc effectum, vt ipsa non posset audere, verecundia ducta, reclamare Comes inuitauerat Reginam, & infantes, vt interessent professioni.

Nec obstant in contrarium deducta, nam quantum ad depositionem aliquarum monialium deponentium de quibusdam actibus hilaribus, & qui videntur facti ex libera voluntate, quia vt supra dictum est, non sunt habendi in consideratione, stante, quod durabat eadem causa metus, & existebat in eodem monasterio, quod inuicta, & coacta ingressa fuerat. Præterea iste actus, & alia pro monasterio inducta probantur per moniales eiusdem monasterii, de quarum interesse agitur, vt penes eas

remaneret

remanerent redditus pingues, si professio esset valida, quod ipsæmet fatentur; & patet eas fecisse omnem diligentiam, vt Maria ibi remaneret; & duo testes deponunt de apocha Priorissæ ad Mariam, in qua pollicebatur, si ipsa contentabatur relinquere hunc redditum monasterio, se curaturam, vt moniales deponerent ad sui fauorem. Neque etiam desunt testes deponentes, quod ientacula, & comediæ, & alia fuerunt per ipsos Comites parata, qui etiam dicebant Mariæ, se curaturos obtinere Breue suæ Sanctitatis pro emittenda professione ante annum.

Non obstat exploratio voluntatis facta per Vicarium, qui de ea non constat, nisi ex dicto monialium, & non reperitur adnotata in libro monasterii, in quo solent istæ explorationes adnotari, & maxime cum exploratio facta fuerit in eodem monasterio. Cum tamen Rota soleat in similibus mandatis, vt deducantur in locum minime suspectum ad effectum, vt constituta in plena libertate possint absque metu suam propalare voluntatem. Præterea dicitur, Comitem fuisse fatium se tractasse cum Vicario, vt animaduerteret, ne Maria aliquod declararet, quod posset reddere professionem inualidam. Vnde non videtur ratio vlla habends huius explorationis.

Non obstat ratificatio donationis factæ monasterio cum assertione, quod suæ intentionis erat facere professionem, quia vt testes deponunt, fuit coacta, & procurata per Comitem ad effectum, vt non posset exire è monasterio; vltra quod sufficit, factam fuisse durante eadem causa metus, & in eodem monasterio per octo dies ante professionem.

Non obstat, quod Maria commiserit causam in Rota, & non curauerit de Comite, quia hoc factum fuit per decennium, cum esset ætatis iam viginti octo annorum, & manebat extra monasterium S. Dominici, & sic non percutit tempus nouitiatus de quo agitur. Et ex his conclusum constare de metu vsque ad emissionem professionis inclusiue. De reliquo autem tempore erit agendum particulariter.

De duratione metus in causa professionis dixi cap. 19. n. 40. *vbi Doctores citaui. Sequitur alia Decisio Seraphini pro dicta Maria.*

DECISIO IX.

Toletana 18. Martij 1596. eiusdem Seraphini decis. 1177. de metu dict. Mariæ, qui probatur durasse etiam post professionem.

FVit dubitatum, an metus illatus D. Mariæ durauerit in actu professionis, & post in casu, & ad effectum, de quo agitur, & Domini censuerunt hoc dubium virtualiter esse resolutum ex decisionibus in hac causa factis (*quæ sunt 7. & 8. praeced.*) cum enim nunquam præsumatur purgatus metus, durante eadem causa metus, vt per *Bartol. & alios in leg. penul. de Condit. ob turpem causam, Calderin. consil. 1. Quod metus causa, Marsil. singul. 325. cum aliis pluries in hac causa citatis.* Et tunc temporis duraret eadem causa, nempe potentia Comitis, neque vnquam Maria fuerit in plena libertate, itavt potuerit dici purgatus metus, *Bald. in leg. 2. q. 2. C. quod metus causa.* Et pluries fuit dictum coram me latissime in Toletana Matrimonij allegata per informantes, & ad confirmationem præsumptionis iuris.

Adsunt præterea testes clare de metu, & contradictione Mariæ deponentes, & de eius protestationibus ad Deum, & querimoniis, & fletu; & inter cæteros adest etiam testimonium eius Confessarij, cui magna adhibetur fides, vt per *Specul. de Testibus sub §. de Numero testium n. 9. Glos. & Innoc. in cap. Testimonium, de Testibus.* Et bene ponderantur testes per informantes, & inter cæteros adest confessio Abbatissæ S. Dominici probata per Catharinam Hernandez, & Antoniam Villamas.

Quæ in contrarium deducuntur ex testibus non fuerunt habita in consideratione, tum ex eo, quod quicquid per moniales probatur, est valde suspectum, tum propter interesse, tum quia non releuat ex dicta metus duratione, quæ facit, vt omnes actus contrarij censeantur simulate facti ex causa dicti metus. Et in somma omnia ex Decisionibus iam factis optime euacuari. Et ita conclusum.

DECISIO X.

Metensis 18. Aprilis 1614. coram Vbaldo *apud Farinac. volum. 1. sub n. 179.* de Professione Renatæ, in qua agitur de expressa, de tacita, & an hæc reddatur nulla ex metu reuerentiali.

1 *Professio expressa fit per emissionem trium votorum.*
2 *Tacita incurritur delatione habitus professorum non exclusa à Concilio.*
3 *Admittit tacita probationem in contrarium ex reclamationibus, & protestationibus infra 5.*
4 *Professio expressa ex metu reuerentiali non rescinditur, vtique tacita.*
5 *Tacita tollitur ex contrariis probationibus, supra 3.*
6 *Metus causa durante præsumitur semper durare metus.*
7 *Testes singulares probant animum alicuius.*
8 *Testes singulares singularitate adminiculatiua probant.*

FVit resolutum, non constare de professione, quæ obstat D. Renatæ. Nam de expressa dubitare non poterat, quæ solet fieri per emissionem trium votorum, *cap. Cum ad monasterium, in fine, de statu monach. Rota decis. 216. num. 3. part. 2.* & hanc constabat ex tribus non fuisse factam à Renata, immo nec fieri consueuisse in illo monasterio, sed solum dari annum, & diem, quo elapso moniales solent haberi pro professis, & de hac expressa, quod non interuenerit, inter partes satis conueniebat. 1

Vnde sola difficultas remanebat in tacita professione, quæ resultat ex delatione habitus, & lapsu temporis, iuxta stilum Monasterij, & dispositionem iuris communis, quæ non est exclusa à Sacro Concilio Tridentino, est per *Nauar. consil. 35. n. 5. de Regular. lib. 3. Hond. consil. 78. num. 22. lib. 2.* sed Dominus videbatur non constare de tali professione tacita, quæ vtiq; non potest dici nisi præsumpta, vt per *Innoc. in cap. 1. in fine de iis, quæ metu. Et ibi Imola n. 16. §. Et est ratio diuersitatis.* 2

Et ideo admittit probationem in contrarium resultantem ex reclamationibus & protestationibus in contrarium factis, *Glos. singul. in cap. Tuarum V. signatos, quam ibi sequuntur Doctores, & in specie Abbas n. 6. Decius n. 33. de Priuileg. Bald. in terminis consil. 206. incip. Preponitur, lib. 4. Innoc in cap. Perlatum n. 3. & ibi Host. n. 12. Abbas n. 14. de iis, quæ vi. Decian. responso 18. lib. 3. Honded. dicto consil. 78. n. 4. & 25. lib. 2. Menoch. de Præsump. lib. 6. præsump. 83. n. 17. Rota in causa Neapolitana Profess. 26. Iunij 1598. coram Gypsio.* 3

De reclamationibus autem, & protestationibus D. Renatæ satis videbatur constare, tum ante susceptionem habitus & veli, dicendo, quod nolebat emittere votum, nec professionem, tum in ipso actu susceptionis, dicendo, quod nolebat fieri religiosa, vt deponit secundus, & octauus testis: tum ex declaratione voluntatis facta incontinenti post, & de aliis declarationibus, & protestationibus similibus intra annum, vt deponunt tertius, & septimus dati in Summario D. Renatæ numer. 4. & 5. 4

Accedebat prædictis causa metus reuerentialis, quam habebat dicta Renata ob malam auiæ tractationem, quæ volebat eam monasticum habitum suscipere, vt iidem testes deponunt. Vnde videbatur intrare doctrina *Abbatis in dic. cap. Perlatum, n. 14. de iis, quæ vi, post Innoc.* Quod licet ad infirmandam professionem expressam non sufficiat metus reuerentialis, sed debeat esse talis, qui cadat in constantem virum, tamen secus est ad elidendam præsumptionem professionis ex gestatione habitus, cum 5

vna

v... ... omprio aliam tollat, *leg. Diuus, ff. de in integr. restitut. cap. Literis de præsumpt. & notatur in cap. Transmisse, qui filij sint leg.*

6 Et in terminis præsumptæ professionis, quod tollatur, ex aliis præsumptionibus, tradit *Innoc. in dicto c. 1. de iis, qua vi. Hostien. ibid. n. 12.* præsertim cum metus ille reuerentialis durauerit vsque ad mortem auiæ, quia semper vigebat metus futuræ malæ tractationis, *Honded. qui alios refert, consi. 13. n. 41. lib. 1.* Et fuit dictum in dicta Neapolitana Professionis.

7 Non obstat, quod testes videantur singulares, quia vltra quod, ad probandum animum videntur sufficere ex traditis per *Aymon consil. 73. n. 3.* ista singularitas videbatur adminiculatiua, & non obstatiua, *Corneus consil. 285. n. 7. lib. 3. Aymon. consil. 78. num. 6.* cum in hoc conueniant, quod Renata reclamauerit intra annum.

8 Nec videbatur obstare, quod testes prædicti essent nulliter examinati ob defectum citationis ad videndum eos iurare, ex cap. 2. de Testibus, quia obiectum cessabat ex f. 83, cum fuerit citatus Procurator Aduersariæ, vt interesset iuramento testium, de cuius procuratoris mandato constat in actis. Et ita decisum, &c.

Tenui sub c. 19. n. 27. & 54 timorem reuerentialem cum asperitate vultus & rigida tractatione sufficere professionem. De professione tacita agi c. 18. q. 73. n. 107.

DECISIO XI.

Metensis 26. Maij 1615. coram Vbaldo de Professione Monialis Renatæ per metum facta, vbi agitur, quando, & quomodo talis metus purgatus censeatur per acquiescentiam, seu ratificationem, collecta per Paulum Rubeum par. 4. Recent. decis. 179.

1 *Professio tacita eliditur per contrarias præsumptiones, & potissimum per declarationem animi factam.*

2 *Animus in præcedentibus declaratur ex subsequentibus.*

3 *Professio tacita fieri debet coram Abbatissa, & Monialibus.*

4 *Metus præsumitur semper durare vigente causa illum incutiente.*

Ignorantia in dubio præsumitur.

5 *Metus non censetur purgatus, ex eo, quod cesset causa metus, si ignorat causam cessare metum, passus.*

6 *Metus non censetur purgatus per acquiescentiam, & ratificationem actus, nisi metum passus sciuerit actum à se factum posse impugnari vt nullum.*

7 *Metus non censetur purgatus per ratificationem factam à metum passo in loco non tuto.*

8 *Semper, includit omne tempus.*

9 *Professionis inualidæ ratificatio valida est, quamuis ratificans nesciat nullitatem professionis.*

10 *Facilitas conuolandi ad secundam regularibus refrenanda est.*

1 Fuerat decisum in causa hac die 18. anni præteriti, (*est Decisio præcedens*) non constare de professione, quæ obstaret D. Renatæ, quia præsumptio tacitæ professionis, de qua sola erat controuersia, resultans ex gestatione habitus, & lapsu temporis elidebatur ex contrariis protestationibus, & reclamationibus D. Renatæ, vt latius in Decisione tunc extensa; sed quia contra testes, ex quibus probantur dictæ reclamationes, apponebatur de nullitate examinis, fuit adita Signatura Sanctissimi, à qua emanauit Rescriptum arbitrio Rotæ. Ideo proposito dubio, an intraret arbitrium die 23. Ianuarij præteriti, fuit ordinatum, vt reuideretur Decisio in causa facta cum præsupposito siue vero præiudicio, quod testes sint valide examinati. Vnde die 13. Martij præteriti proposui causam super eisdem cum dicto præsupposito, & fuit dictum vt iterum proponeretur.

Domini hodie Domini permanserunt in decisis ex rationibus tunc deductis, & potissimum quia cum agatur de inducenda professione ex susceptione habitus, & delatione, vel quia nullum votum expresse emittitur, sed præsumptiue tantum, dicta præsumptio eliditur per contrarias præsumptiones, & multo magis per expressam animi declarationem in contrarium factam, *Innoc. in c. 1. in fine, ibi Cardin. & Anchar. fine, de iis, qua vi, Butr. in cap. Cum M. Ferrariensis, num. 43. vers. Melius, de constitut.* Vbi quod protestatio sola destructiua consensus in ingressu iuuat protestantem, quando ingressus Religionis fit habitus susceptione; quia factum est dubium, *Abbas in cap. Consului num. 1. vers. In secundo vero casu, de regular. Bald. consil. 206. num. 4.* Vbi quod sufficit contradictio Monialis etiam coram Sororibus, & quod non habuerit animum profitendi, *Rota decis. 206. par. 2. diuers. numer. 21. Honded. consil. 78. num. 4. & 23. præsertim 26. lib. 2.* Vbi quando constat de expressa declaratione dicit esse verissimam, & receptissimam conclusionem, & faciunt alij allegati in Decisione. De expressa autem declaratione Renatæ, quod nolebat esse religiosa, nec professionem emittere, dubitari non potest, stante depositione testium, qui fuerunt considerati in alia Decisione.

Non obstat, quod dicta Renata in susceptione habitus ab Abbatissa interrogata, an vellet facere votum, & professionem? Respondit, nolle facere votum, nec professionem debeat intelligi de professione expressa, non autem de tacita, quasi Abbatissa vellet inducere in illo monasterio consuetudinem emittendi professionem expressam, quæ antea ibi non erat; quia id forte posset procedere, si non adessent aliæ protestationes, & declarationes postmodum factæ, ex quibus apertissime deprehenditur, quod etiam de tacita intellexerit, ex regula, quod ex sequentibus declaratur animus in præcedentibus, *leg. Sed Iulianus, § Proinde. ff. ad Macedon. leg. Si seruus plurium, § vlt. de legat. 1. cum vulg.* Nam octauus testis super quinto deponit, quod Renata semper se declarauit, & in eodem instanti, quo ipsa accepit velum, quod ipsa nolebat esse religiosa, & nullam in ea habebat inclinationem, sed quod id faciebat propter apprehensionem, quam habebat commorandi cum eius magna auia, & quod semper audiuit, illam facere easdem reclamationes. 2

Idem deponit primus testis confessarius Renatæ, dicens audiuisse à Renata, eam nullo modo religiosam fieri velle in dicto monasterio, aut alibi. Item secundus testis super primo, quod audiuit Renatam interrogatam ab Abbatissa respondisse, se nunquam fuisse eius voluntatis professionem emittendi in dicto monasterio, neque ibi moniacem remanere, & quod nullam professionem vellet emittere, à dictoque monasterio statim recessuram nisi seueritatem auiæ suæ reformidaret. Idem testis super secundo testatur pluries audiuisse Renatam reclamantem. Et idem testantur tertius, & septimus testes super quinto. Et tertius addit, quod Renata ei dixit, ideo se non habere ædes in monasterio, quia nolebat fieri religiosa.

Accedit etiam pro adminiculo metus reuerentialis erga auiam probatus per prædictas protestationes, sciente, & non contradicente Abbatissa, vt per *Ripam in dicto cap. Cum M. num. 92. vers. Pro concordia, Butr. ibidem n. 43. in fine, & vers. Aut. actu, de Constit.* Quod etiam valde facit ad inualidandam professionem præsertim tacitam, ex allegatis in decisione; & conferunt, quæ tradit *Abbas in dicto cap. Cum M. n. 20.* Dubitabat enim, vnus ex Dominis, an hic tacita professio dici possit inducta, cum non constet, Renatam suscepisse habitum coram Abbatissa, & aliis Monialibus simul. *Abbas in cap. Ad Apostolicam numer. 11. vers. Sed vltra, Glos. de Regul. Decian. respons. 18. numer. 9. 10. 11. lib. 3. Menoch. præsumption. 83. num. 12. lib. 6. Azor. lib. 12. c. 5. q. 3 par. 1.* 5

Nec obstant literæ missiuæ eiusdem Renatæ, & renuntiatio bonorum ad fauorem auiæ suæ sororis, nec non prætensa ratificatio ex aduerso considerata ad probandam liberam voluntatem Renatæ. Quia vltra quod opponebatur scripturas non esse in forma probanti; respondebatur, 4

tur, quod stantibus probationibus super metu, de quibus supra, & in dicta Decisione, difficile, immo quasi impossibile, videtur probare contrarium durante causa metus, quæ durare præsumitur, viuente auia, ex qua metus processerat, & illi actus dicantur emanasse in vita auiæ. *Bartol. in leg. fin. num. 7. ff. de condit. ob turpem, notant Doctor. in cap. 1. de iis, qua vi, Cassador. decis. 3. n. 1. de dolo, & contum. Seraph. decis. 771. numer. 8. decis. 851. num. 1. & decis. 1177. n. 1. & fuit dictum in Neapolitana Professionis 26. Iunij 1598. coram Gypsio. & in Conchensi nullitatis Ordinum 10. Martij 1606. coram bonæ memoriæ Pena, & in vna Hispal. Matrim. de Alcala 1608. coram Reuer. Bonon. & hac ipsa die 25. Maij 1615. in vna Toletana Professionis coram me, vbi alia multa allegantur.* Quam extendit Auctor Operis sub Decision. 111.

5 Nec obstat, quod post mortem auiæ, quam prætenditur euenisse de mense Februarij 1608. videtur purgatus omnis metus, tum ex eo, quod Renata permansit in eodem monasterio vltra annum absque vlla reclamatione; tunc ex declaratione expressa, quam fecit de mense Decembri eiusdem anni, & sic decem mensibus post mortem auiæ, in qua dixit, se ex bona voluntate, & affectione singulari addixisse Ordini S. Benedicti.

Quia quoad primum fuit responsum in primis non constare de morte auiæ de eo tempore, & fides extralium de morte attestantium non probat; & quatenus constaret de morte, non probatur, quod Renata habuerit illius scientiam, & cum sit facti non præsumitur, sed potius ignorantia, *leg. Verius de Probat. cap. Præsumitur, de Regul. iur. in 6.*

6 Respondetur etiam secundo, quod si probaretur mors, & illius scientia, tamen pro purgatione metus non sufficit sola æquiescentia etiam longi temporis post mortem eius, quæ metum intulit, sed requiritur, quod metus probetur sublatus per actus positiuos contrarios, alias durare præsumitur, vt per *Osasch. decision. 179. num. 11. quem secuta est Rota in dicta Neapolitana Professionis coram Gypsio, in dicta Toletana coram me.*

7 Vltra quod, nec etiam apparet, quod ipsa Renata sciuerit nullitatem professionis, & quod esset in tempore ad eam impugnandum prout requiritur ad effectum, vt ea permanentia in monasterio censeatur inducta ratificatio professionis, vt post *Caietan. in 2. 2. q. 189. art. 5. firmat Nauar. consil. 28. num. 7. consil. 89. n. 3. de Regul. & in Manuali c. 12. num. 71.*

Quo vero ad secundum, vltra quod ista etiam declaratio non est in forma probante, dicebatur etiam facta in castro, & loco aduersariorum quibus Renata forte non poterat contradicere, quo casu tanquam facta in loco non tuto, non dicitur sufficiens ad purgandum metum, cum requiratur, vt illum patiens sit in plena sui libertate constitutus, *Seraph. decis. 859. num. 1. decis. 863. num. 2. Menoch. præsumpt. 126. lib. 3. & fuit dictum in dicta Neapolitana Professionis coram Gypsio, & in dicta Hispal. Ma-*

8 *trimonij.* Et cum præcesserint tot protestationes, & geminatæ declarationes in contrarium probatæ per testes deponentes, etiam per verbum *semper*, quod illam audiuerint semper reclamantem, quæ dictio *semper*, includit omne tempus, & sic etiam post mortem Auiæ, *Glos in leg. 1. ff. solut. matrim. & leg. eorum, ff. ad leg. Pomp. de parricid. Paris. consil. 90. num. 28. lib. 2. & consil. 74. n. 86. lib. 3.* & fuit in terminis nostris consideratum in dicta Neapolitana, talis prætensa ex aduerso declaratio non transibat sine aliqua suspicione. Ex quibus Domini permanserunt in decisis.

9 *Paulus Rubeus in calce huius decisionis obseruat, opinionem sub num. 7. tanquam minus tutam non teneri à S. Congr. quæ asserit, etiam ab ignorante dicti professionem nullam valide ratificatam. Declarauit autem id 13. Ianuarij*
10 *1583. & 28. August. 1621. quæ referuntur in causa Metensi professionis 2 Iunij 1636. coram Carillo, vbi etiam affirmatur. Vrbanum VIII. mandasse 1. Febr. 1631. obseruari huiusmodi declarationes, ob eam causam vt refrænetur facilitas conuolandi ad sæculum; & sic respondit Rota in vna Vlixbon. nullitatis professionis 7. Maij 1641. coram eodem Carillo.*

Ego cap. 21. q. 14. num. 18. cum multis Doctoribus teneui ad ratificandam professionem requiri scientiam eius nullitatis.

DECISIO XII.

Metensis 13. Februarij 1617. coram Vbaldo apud Tambur. de iure Abbatiss. decis. 2. & Paulum Rubeum par. 4. decis. 397. in quo professio tacita Renatæ tollitur per contrarias præsumptiones, vbi etiam de purgatione metus.

1 *Professio tacita tollitur per contrarias præsumptiones, & expressam animi declarationem.*
2 *Metus censetur purgatus lapsu multorum mensium.*
3 *Nisi protestatione continuetur post mortem illum inferentis.*
4 *Actus purgantes metum non debent referri ad aliam causam.*
5 *Clausula insolita in instrumentis affixa inducunt suspicionem.*

POst duas Decisiones in hac causa factas 18. Aprilis 1614. & 25. Maij 1615. (*extensas in præcedentib.*) in quibus fuit conclusum non constare de professione, quę obstet D. Renatæ fuit, vtrique parti concessa remissoria. Vnde vtroque processu remissoriali ad Curiam transmisso dubitatum, an esset à prædictis decisionibus recedendum. Et Domini negatiue responderunt.

Verissimam enim censebant esse conclusionem in 1
vtraque decisione firmatam, quod tacita professio resultans ex delatione habitus, & lapsu temporis, iuxta dispositionem iuris communis, & stilum Monasterij, & de qua tacita solum in præsenti agitur cum de expressa non constet, tollitur per contrarias præsumptiones, & multo magis per expressam animi declarationem. *Innoc. & alij communiter in cap. 1. de iis, quæ vi, Barbat. consil. 59. col. 2. lib. 2. Decian. consil. 18. num. 5. lib. 3. Suarez de Regul. tit 3. quæst. 17. art. 5. & sentit Rota decis. 226. num. 21. par. 2. Diuersor. & in Neapolit. profess. 26. Iunij 1595. coram Gypsio.*

De prædicta vero animi declaratione Renatæ, visum est satis constare ex ipsius testibus, de quorum examinis validitate hodie non dubitatur, & fuerunt ponderati in aliis decisionibus, & nunc de nouo ponderabantur per Dominos, quod percurrerent tria tempora primum ante susceptionem habitus, & veli, in ipsa susceptione, & post susceptionem, prout in simili materia distinguit *Rebuffus consil. 69. num. 1.*

Ante susceptionem deponit secundus testis super quarto articulo, qui erat Confessarius D. Renatæ, & ad cognitum Abbatissæ interrogauit Renatam bis coram testibus per eam nominatis, quæ respondit, se nullam habere voluntatem emittendi votum, nec professionem. Et quintus super secundo deponit de frequenti protestatione Renatæ, quod si ipsa suscipiebat velum, id erat propter eius Auiam, & ad satisfaciendam eius voluntati. Et de eodem tempore deponunt primus, octauus, & decimus sextus testes dati in Summ. Renatæ n. 2.

In actu vero susceptionis veli deponit vndecimus, & alij testes remissoriales super articulo, Post susceptum vero velum, & habitum, & intra quinquennium de pluribus, & iteratis protestationibus Renatæ. Et quod nolebat habere domum in Monasterio, vt aliæ professæ habebant, quia nolebat esse, neque reputari religiosa, deponunt secundus, tertius, quartus, & quintus testes super quinto articulo, & alij, de quibus in dicto processu remissoriali.

Neque obstat, quod istæ reclamationes emanauerint ante mortem Auiæ, cuius metu Renata dicebat se ingressam fuisse in Monasteriũ, & nunc constet de morte Auiæ de Mense Febr. 1608. & quod Renata habuerit illius

notitiam

notitiam mortis, patet ex testibus inductis pro aduersarius vigore remissoriæ Rotalis; & nihilominus Renata remansit in monasterio per multos annos, quo casu censetur
2 purgatus metus, *cap. 1. § Qui vero, de Regul.* cum allegatis per informantes, præterquam eum post Auiæ obitum Renata dicatur nunquam reclamasse ante motam hanc litem.

Quia vltra quod decisiones in causa factæ non fundantur principaliter in metu Renatæ erga auiam, sed eo vtuntur tantum pro adminiculo. Fuit etiam responsum cessare obiectum ea facto Nam quod immo Renata reclamauerit etiam post obitum auiæ, & semper vsque ad litem motam diserte deponunt testes 4. 5. & 14. & 16. super quarto articulo dati in Summ. Renatæ num. 1. & 5. qui etiam testes deponunt super prædictis formaliter de publica voce, & fama per verbum *fuit & est. Seraphin. decis. 1332. n. 1. & 2.* Et sic parum facit, quod Renata permanserit in monasterio post mortem auiæ, stantibus dictis protestationibus, & reclamationibus, vt fuit consideratum in *Toletana Profession. 25. Maij 1615. coram me,* extensa supra sub decis. 3.

3 Nec obstare etiam videbantur actus capitulares nouiter exhibiti in quibus Renata post Auiæ obitum interuenisse dicitur cum aliis monialibus professis, ea quibus prætenditur probata sufficienter purgatio metus. Quia vltra quod dicebatur semper verum esse, quod constat de expressa voluntate Renatæ in contrarium, ex dictis protestationibus vt supra probatis, & dato, quod nullitas professionis prætenderetur ex causa metus, quod non est verum, nec in eo præcipue fundantur decisiones, vt dicai, necesse esset, vt isti actus non possent referri ad aliam causam, quam ad causam prædictæ purgationis metus, *Aretin. consil. 14. num. 18.* alias quando potest sumi alia
4 coniectura, quam purgationis metus, illa sumitur *Roland. consil. 2. num. 91. lib. 1. Osasch. decis. Pedemont. 179. sub num. 11.* vbi subdit in fine, prædicta esse intelligenda, cessante causa metus. In proposito autem considerabatur, quod omnes isti actus emanauerint à die 28. Ianuar. 1610. & deinceps, vt in Somm. Annæ, & Franciscæ, & sic postquam Renata constituerat procuratorem ad litem super professionis nullitate, quod fuit die 11. Ianuarij eiusd. anni 1610. cum illa vltra protestationes, & reclamationes continuatas vsque ad tempus litis professioni contrarias, quæ præsumptionem tacitæ professionis omnino subuertunt ex supra allegatis, dederit etiam mandatum ad illam annullandam, & semper acerrime litem fuit prosecuta, credendum est, Renatam interuenisse illis actibus ea aduerso relana, & ob reuerentiam Abbatissæ, cui illa cum esset quoad formam exteriorem in statu monialis, & professæ subdita, contradicere non poterat, nec potest, præsertim ante sententiam, & rem iudicatam ad sui fauorem, quod etiam adminiculatur in dicto decimi octaui testis, qui iuxta decimum septimum dicit, se vidisse Renatam interponentem se actibus Capitularibus, & Conuentus ibus sicuti interueniebant cœteræ religiosæ dicti monasterij, & quod ab illo tempore, quo cœpit litigare, recusabat interuenire, dum interfuit sub metu, & impetio Abbatissæ.

Nec refragatur prætensa confessio, seu declaratio Renatæ in instrumento Donationis celebratæ die vltima Decemb. 1608. in qua dixit, se ex bona voluntate, & affectione singulari se addixisse Ordini S. Benedicti.

Quia fuit responsum, exinde non inferri, quod se addixerit animo proficiendi. Secundo, quod negari non potest illud instrumentum fuisse celebratum in domo aduersarij, & sic in loco minus tuto, in quo forte non poterat contradicere cum tamen ad effectum, de quo agitur, requiratur in declarante plena libertas, ex allegatis in vltima decisione, & in omnem casum videtur fuisse nimis affectata ab aduersariis, cum fuerit facta in instrumento donationis, ad cuius actus validitatem non erat necessaria;
5 & alias clausulæ insolitæ, & non necessariæ inducunt suspicionem ex tradita per *Castren. & Iason. in leg. Testam. cum aliis per Menoch. præsump. 122. num. 67. lib. 3. Sard. consil. 327. num. 4. lib. 3.* Quæ suspicio augetur ex tot declarationibus contrariis ipsius Renatæ supra, & in dictis decisionib. ponderatis, a quibus Domini ex præmissis non putarunt esse recedendum. Et ita fuit conclusum, &c.

De professione tacita dixi c. 18. q. 73. de duratione metus, & eiusdem purgatione plura c. 19. n. 40. & seq.

DECISIO XIII.

Metensis 19. Iunij 1617. coram Durozeto de professione Renatæ facta metu reuerentiali, apud Rubeum decis. 533. part. 4.

1 *Restitutio in integrum datur vbi constat de læsione.*
2 *Professio quando dicatur facta metu reuerentiali.* *Verbum* forsan *est dubitatiuum.*
3 *Professio susceptione habitus an differat professione tacita ad effectum vt dicatur facta metu reuerentiali.*
4 *Simile quod est, idem non est.*
5 *Professio dicitur metu facta, quando in susceptione habitus fuit facta protestatio à moniali, & postea sæpius repetita.*

Post latam sententiam in Rota in fauorem D. Renatæ (*est præcedens*) de Florenuilla pro nullitate professionis, pro parte DD. Annæ, & Franciscæ sororum dictæ Renatæ, recursu habito ad Signaturam causa restitutionis in integrum, prout moris mihi commissa, proposito dubio, vtrum constaret de causis restitutionis in integrum? Domini negatiue responderunt. Moti sunt ea ratione, 1
quia de iure non datur restitutio in integrum, nisi docta prius de læsione, quæ in hoc casu adesse non potest, cum constet de validitate, & iustitia sententiæ Rotalis, & quoad validitatem lata fuit seruatis seruandis, præuiis citationibus, mandatis, & iurisdictione, omnibusque requisitis.

De iustitia satis, superque constat ex tribus decis. (*quæ sunt præcedentes*) in hac causa coram R. P. D. meo Vbaldo facti in quibus causa mature per triennium discussa, & multis rationib. decisum fuit non constare de tali professione, quæ dictæ Renatæ possit obstare. Quibus non 2
quod dicitur, multum differre inter tacitam professionem resultantem à simplici habitus indifferentis delatione, & eam, quæ inducitur ea solemni susceptione veli distincti, quæ æquiparatur professioni expresse.

Primo enim casu sufficit metus reuerentialis, in secundo vero requiritur metus cadens in constantem virum ad excludendam præsumptionem surgentem ea susceptione habitus, qui deferri non solet nisi à professis, *arg. cap. 1. de iis, quæ vi, ibi Abbas num. 14. & Henric. Bosch. ibid. num. 2.* Quæ doctrina Abbatis dicitur militare in nostro casu, cum probetur per testes, dictam Renatam suscepisse velum album à Nouinis gestari solitum à sacerdote, præsente Abbatissa, & postea anno probationis elapsu velum nigrum monialibus professis dari solitum cum eadem ceremonia.

Huic enim obiectioni pluribus modis responderunt Domini. Et primo consideratis verbis ipsius Abbatissæ, visum fuit ipsum dubitatiue loqui, vtitur enim his verbis: *Credo posse dici.* Eo sub finem dicti num. 14. vtitur hoc verbo *forsitan*, quod est dubitatiuum, *leg. Gallus, §. forsitan. ff. de liber. & posthum. leg. Et si quis, §. fortassis, ff. de Relig. & sumpt. funer. leg. Arboribus, §. vlt. ff. de vsufruct.*

Responderunt secundo, omnes quasi Canonistas nulla facta differentia susceptionis habitus solemnis interpretatos fuisse dictum cap. 1. de iis, quæ vi, vt locum habeat in omni professione tacita, quæ inducitur per delationem cuiuscunque habitus, & inter eos id expresse tradunt *Innoc. in dicto cap. 1. n. 3. claris verbis, quæ quasi eadem repetit Io. And. n. 9. Host. num. 12. Butr. n. 15.* Vbi expresse loquitur de deferente habitum professorum, *Imola n. 16.* qui ita debere intelligi illud primum caput expresse tradit his verbis, allegando rationem diuersita- 3

tis, quod verbalis professio certitudinaliter arguit, seu demonstrat professionem, quia verba naturaliter exprimunt certum conceptum mentis, *leg. Labeo, § Tubero, ff. de Suppell. Legat.* Et ideo tunc standum est professioni expressæ, nisi iustus metus interuenerit, & probetur; sed receptio habitus non infert per necesse mentem certam profitendi, sed præsumptam solum à iure, quæ præsumptio semper per contrariam eliditur, *argum. cap. T. ansinissa qui filij sint legitim. cum ibinotatis, & in capit. Cum inter. de elect.*

Considerabant tertio, etiamsi daretur, susceptionem veli solemnem æquiparari professioni expressæ, non ideo sequi esse expressam, omne enim simile non est idem, ex
4 regula Philosophorum, semperque comparationes, & similitudines claudicant; & in effectu cum desint concepta verba, remanet semper professio præsumpta, & non expressa, licet forsan solemnis voti susceptio requireret probationes clariores, quæ satis superque concludentes adesse apparet ex testibus, & rationibus ponderatis in di-
5 ctis decisionibus coram Domino meo Vbaldo factis, in quibus dicitur sufficere protestationem, in susceptione habitus antea, postea, & semper sæpius repetitam à dicta Renata, & probatam ad annullandam huiusmodi præsumptam professionem, vt in terminis consuluit *Bald. consil 206. lib. 4. Houded. consil 78. num. 25. lib. 2. Rota decis 206. n. 21. part. 2. Diuers.* cum multis alijs allegatis in præsentibus decisionibus.

Quæ dicuntur ab informantibus pro dictis Sororibus Renatæ quoad delationem veli nigri post obitum Annæ per annum, & vltra, ea penitus tam iure, quam in facto satis, superque sublata sunt in Decisione in hac Causa facta die Lunæ vigesimaquinta Maij 1613. & fusissime in vltima coram Domino meo Vbaldo, quæ rursus ponderata placuerunt Dominis, & omnem tollere penitus difficultatem visa sunt. Et ita decisum vtraque parte informante.

Hæc Decisio cum tribus præcedentibus spectant ad eandem Renatam. De professione autem tacita dixi c. 18. q. 73. & 74. à n. 107.

DECISIO XIV.

Apud Puteum lib. 1. decis. 408. in qua Professio non præsumitur, sed probanda est.

IOannes Solaoo ad excludendum F. Thomam de Lorgio Generalem dabat de iure tertij, quia dabat de quadam Commenda facta cuidam Georgio vsque ad ætatem legitimam profitendi dictum ordinem, & Rota fuit interpretata vsque ad 14. annum, & deinde facta prouisione in titulum dubitabatur, quia non constabat de professione, an præsumeretur professio, itavt transferatur onus probandi contrarium in generalem.

Et pro affirmatiua dicebatur, quod hic non agebatur de canonizatoria illius iuris, sed tantum producebatur ad effectum excludendi Generalem. Tamen hoc non obstante 18. Decembris 1542. in vna Taurinensi resolutum fuit coram me, quod non præsumeretur professionem fecisse, quia cum Ioannes daret de iure tertij, debebat dare de iure claro, & per viam obiectus, cum in materia obiectiua præsumptio non sufficiat, vt per *Egidium decis. 128. & 561. col. 1.* Item quia reus in exceptione est actor, & ideo non sufficit probare, quod dicit, sed eius qualitatem probare tenetur, vt per *Bar. in l. Actor C. de probat.*

De probanda professione dixi c. 18. q. 75. 76. & 77. vide ibi plura de hac materia.

DECISIO XV.

Apud eundem Puteum lib. 2. decis. 261. vbi, quod non potest eodem tempore habitum suscipere, & professionem emittere, & in Abbatem eligi.

FVit resolutum in vna Melin. Monasterij pro Reuer. Parisio coram D. Fabio 23. Martij 1545. quod eodem tempore non poterat quis suscipere habitum, professionem emittere, & in Abbatem eligi, quia qui non nouit esse discipulus, non potest esse magister, *per tex. ex cap. officij in fine de elect.* Et non obstat, quod poterat, si ante electionem esset instructus in regula, in Abbatem eligi, quia non sufficit, quod quis sit instructus, sed prius debet discere subesse, quam præesse, vt ibi dicit textus.

De Abbatibus prius professionem emissuris antequam eligantur egi cap. 6. q. 17. n. 41. Aliam Decisionem supra hic habes sub n. 2.

DECISIO XVI.

Valentina primo Martij 1574. coram Blanchetto vol. 1. Nouiss. Diuers. decis. 289. vbi requiruntur testes omni exceptione maiores ad probandum matrimonium spirituale.

QVoad primam partem dubij Domini non fuerunt concordes, qui enim dicebant, quod in hoc casu requiruntur testes omni exceptione maiores, mouebantur ex resolutionibus factis in causa Tullensi, & Sarnensi Matrimonij, quorum rationes possunt proposito dubio conuenire. Nec contrarium sentientes dubitabant ex comparatione matrimonij carnalis, & spiritualis, *cap. Inter corporalia, de translat. Episcop. Glos. in cap. Præsens, V. Patrem, 20. quæst. 3 Anton. de Butrio, Abbas in cap. Super eo, de testibus.* Alij vero regulam non negabant, sed dicebant, habere locum tantum, quando agitur de probando impedimento proueniente ex culpa alterius, *per consil. Alex. 156. numer. 10. vol. 5.*

Quo vero ad secundam partem Domini indistincte tenuerunt, quod in isto casu numerus suppleat defectum, *Alex. consil. 5. n. 7. lib. 1. Alex. de Naue consil. 1. n. 11. & 12. Neniz. consil. 49 n. 29.*

Secundo, quia testimonium istarum monialium non fuit reiectum, sed remissum arbitrio, ex eo, quod omnes conclusiones Isabellæ probant, quod aliquam peperit suspicionem penes Dominos, quam purgasse videntur huc vsque cum conclusiones discussæ non solum ab ipsis, sed ab alijs testibus integris fuerint probatæ.

Nec obstat grauitas causæ, quia in causa matrimoniali etiam consanguinei admittuntur, *cap. Videtur, de his, qui matrimon. accus.* Et in specie quod numerus suppleat defectum in his causis *docet Decius in cons. 163.* num. 14. Et præcipue in hoc negotio ex se difficilis probationis, in quo leuiores probationes admittuntur, *Alex. in dicto cons 156. Ant. de Butrio in cap. Tertio loco num 13 & 14. de probat.* Cum omnia prætendebantur dicta aut gesta per Isabellam in monasterio, quæ ab alijs, quam monialibus difficile probari possunt.

De probanda professione dixi cap. 18. q. 76. & 77. à à num. 112. vbi hanc Decisionem citaui. Alia decis. 28. dicta Isabella habetur vol. 2. sed quia factum solum continet, omittitur.

DECISIO XVII.

Valentina eadem coram eodem die 26. Martij 1574. Vol. 1. Nouiss. Diuers. decis. 290. Vbi dictum vnius testia specificum declarare dicitur dicta aliorum generalia, quando id, quod declaratur non deducitur principaliter in controuersiam.

Domini

Domini dixerunt, ex dictis testium, quorum in summarium datum fuit, non probari, quatuor moniales; de quibus in puncto, induxisse, seu deduxisse Isabellam ad reclamandum contra p[illegible]onem.

Primus enim [illegible] Francis[illegible] S[illegible]ellera nihil dicit de hac seductione sed a[illegible], quod Isabellam tedium monasterij ceperat. A[illegible] G[illegible]anna deponit in genere, & non nominat istas quatuor. N[illegible] modicam autem patitur suspicionem affectionis, dum ait, quod post Deum nemini est magis deuincta, quam Decano. Præterea dum dicit, quod Isabella non negasset se monialem professam, nisi propter mala consilia potius iudicat, quam testetur Hieronyma Spina tertia in ordine deponit etiam in genere quo ad seductionem, & in sua depositione eodem iudicij, & professionis morbo laborat, dum inuehitur in eas, quæ male dicebant Decano, & licet duas dicat per vim traxisse Isabellam ad Archiepiscopum, non exprimit tamen has, de quibus agitur. Maria nihil deponit de seductione. Vincentia Caberera est singularis, nec percutit tempus ante dimissionem habitus. Et verba quatuor monialium per ipsam relata innuunt potius consilium præstitum Isabellæ post dictam dimissionem, vt permaneret in aliqua animi sui deliberatione, & non se mutabilem, & variabilem ostenderet, quam quod seductionem arguat.

Non obstat, quod dictum istius testis specificum debeat declarare dicta aliorum generalia. Quia hoc procedit, quando id, quod declaratur, non deducitur principaliter in controuersiam, sed tantum incidenter. Secus, quando de eo quæritur in specie, vt in casu nostro. *Alex. cons. 136. n. 3. & 4. lib. 6.* declarat hanc regulam.

DECISIO XVIII.

Vlixbonensis 22. Iunij 1579. coram Cantuccio extensa vol. 2. Nouiss. Diuersorum Decis. 107. de professione emissa per nouitiam mente captam, aut furiosam.

1 *Furiosus, & mente captus in quo differant.*
2 *Mente captus quis dicatur.*
3 *Testi deponenti de amentia non creditur sine ratione.*
4 *Furor est difficilis probationis.*
5 *Furor, & dementia probantur ex factis.*
6 *Iudex debet adhibere medicos.*
7 *Furor, & mentis captio sunt passiones cerebri, quas cognoscit Physicus.*
8 *Religiosi bene probant dementiam.*
9 *Demens præsumitur ignoratus proprium nomen.*
10 *Tempus probationis est in arbitrio iudicis.*
11 *Ampliatur ab eo, & restringitur.*
12 *Testes singulares admittuntur ad probandum in genere.*
13 *Professio facta per dementem est nulla.*
14 *Furiosi matrimonium est nullum.*
15 *Sicut & spirituale.*
16 *Etiam in mente capto.*
17 *Furiosus, & mente captus, æquiparantur.*
18 *Mente captus non potest profiteri.*
19 *Argumentum à reputatione ad non reputationem valet.*
20 *Confessionis, & communicationis actus excludunt dementiam.*
21 *Actus loquendi ad propositum non excludit dementiam.*
22 *Dementes quandoque ex factis conuincuntur.*
23 *Furiosi, & mente capti faciunt multoties signa, & loquuntur vt prudentes.*
24 *Dementia debet probari inesse tempore professionis.*
25 *Dementia præsumitur medio tempore probatis extremis.*
26 *Demens, & furiosus post præsumitur talis ante.*
27 *Coniectura occurrens vltra statum præsentem inferens retro, præsumitur ex præsenti in præteritum.*
28 *Dispositum in mente capto, vel furioso non procedit in fatuo simplici.*
29 *Dementia impediens contractum matrimonij debet esse talis, vt auferat vsum rationis.*
30 *Probans dementiam debet reddere rationem sui dicti.*
31 *Animi qualitas probanda per actus exteriores à se visos.*
32 *Exteriora indicant animi secreta.*
33 *Testes quando dicantur iudicare, & non testificari.*
34 *Testes deponentes de furore ob eiectionem lapidum, quomodo deponere debeant.*

Dubitaui in vna Vlixbonensis professionis, an ex probationibus factis pro parte D. Ludouici Aluares sit probata eius intentio circa nullitatem professionis, & dementiam D. Margaritæ in casu, & ad effectum, de quo agitur: Quod dubium Domini resoluerunt ad fauorem D. Ludouici, nempe eius intentionem satis probatam esse, tam circa nullitatem professionis, quam circa dementiam D. Margaritæ. Et pro maiori huius resolutionis dilucidatione, quia informantes hinc inde copiose scripserunt, & multa inculcarunt, potest distingui materia in quatuor difficultates, vt.

Prima sit, qualis sit dementia D. Margaritæ furor, an mentis captio.

Secunda, an sufficienter probetur.

Tertia, an sit talis, vt professionem per eam in monasterio de Odiuelas emissam annullauerit.

Quarta versabitur circa responsionem, & remotionem eorum, quæ pro parte D. Antonij Telles deducuntur.

Quo ad primam difficultatem Domini dixerunt, D. Margaritam fuisse, & esse mente captam, non autem furiosam, quia verba, signa, & actus particulares, de quibus deponunt testes, quorum summarium pro parte Dn. Ludouici datur, non probat rabiem, & impetum furoris, sed carentiam mentis, intellectus, & animi, intellectus, & animi iudicij absque alia extrinseca furoris demonstratione, vel non probant furorem patentem, sed latentem.

In hoc enim differunt furiosus, & mente captus, quod 1
furiosus est, qui rabie, vel impetu furoris concitatus, vel quasi furorem habet patentem. Mente captus vero is est, cui mens, & animi iudicium deficit, & extrinsecus nullum furorem ostendit, vel furorem habet latentem. *Ita Bald. in l. Qui furiosi Ver. Mente captus est C. de nupt. in l. 2. C. de mate. fur. in l.* Humanitatis *n. 15. C. de impuber. Alex. consil. 54. num. 2. lib. 2. Iason in l.* Furiosum *num. 2. Dec. n. 1. & 2. Rimin. n. 1. C. qui testam. facer. Gramat. consil. crim. 16. num. 14. Dec. in l.* Humanitatis *sub n. 1. Vers. secundo accipitur*, vbi etiam subdit istam potius procedere ex communi vsu loquendi, quam de iure; & ibi sequitur *Coras. sub n. 1.* C. *de impuber.*

Circa secundam difficultatem conclusum fuit dementiam, siue mentis captionem D. Margaritæ ex dictis testium, de quibus in summario D. Ludouici sufficienter probari. Nam licet furor siue dementia sit quid inuisibile, quod non sensu corporis, sed iudicio intellectus percipitur, etiamsi in facto consistat, & propterea in eius probatione perspicax inquisitio requiritur, quia testes facile possunt errare, & ideo eis non creditur, nisi causam sui dicti manifestam faciant, *aut inquit Bald. in l. Solum col. 1. Vers. Est idem dicitur*, C. *de testibus idem Bald. in dicta l. Furiosum circa medium vers. Est autem difficile C. qui testam. facer. dicens*, Furorem esse difficilis probationis, nec testibus super eo deponentibus credendum esse, nisi assignent rationem dicti sui, etiamsi non fuerint interrogati, & Baldum sequuntur *Doctores in dicta l. Furiosum, Fulgos. ad finem, vers. Quinimmo, Castrensis num. 3. vers.* Ideo *testis, Iason num. 6.* Dec. *numer. 18. Vers. Quod quidem non videtur, Socin. consil. 42. n. 4. lib. 1. Paris. consil. 88. n. 54. & 55. 56. & 57. lib. 5.*

Et Doctores communiter, dicunt, furorem, & dementiam probari ex factis *l. Quidam in suo ff. de condit. instit.*

instit. vel ex verbis *l. ob qua vitia in princip. ff. de edd. edict. cap. Legimus 93. dist.* Et exemplificant signa, & actus particulares, quibus furor ostenditur in eo qui fatua, vel deridenda loquitur, qui lapides proiicit, qui habet memoriam inordinatam, vt quia vnum dicit, mox contrarium, qui habet loquelam inordinatam, nesciens exprimere quid velit, vel non velit, qui vel à patre, vel ab aliis coniunctis, vel communiter ab omnibus reputatur pro furioso, vel demente, qui iubet, corpus suum in mare proiici, qui nomen suum ignorat, qui in compedibus sine custodia retinetur, qui in infirmitate non vult mederi. De quibus signis, & actibus *per Alex. dicto consil. 54. num. 2. consil. 141. num. 2. circa medium lib. 1. & consil. 86. num. 10. lib. 2. bene Barbat. in cap fin. num. 8. de success. ab intest. latius idem Alexand. in l. Si cum dotem §. Si maritus n. 7. ff. soluto matrim. Dec. consil. 86. n. 7. & latius consil. 448. n. 2. ad 5.*

Nihilominus testes in casu nostro non dicunt simpliciter D. Margaritam fuisse stultam, dementem, vel mente captam, nec aliis vtuntur verbis, ex quibus posset dici eos iudicare, sed assignant bonas rationes, & referunt quamplurima signa, & actus particulares concludentes dementiam, & mentis captionem Margaritæ. Quod autem res ita se habeat multifariam attenditur.

In primis ax verbis fatuis, & deridendis, quia D. Margarita dicebat, se esse infirmam in vno capillo, tertius super nono interrogatorio dicebat sibi apparere quandam faciem in vno foramine, quæ sibi videbatur maurus incantator. Idem tertius super. 13. dicebat se nescire, an iret ad communicandum, vel abluendam faciem, aut ad recitandam Primam.

Secundo probatur ex pluribus factis, & gestis clare dementiam, & insaniam ostendentibus, quia ibat ad chorum in camisia, septimus, nonus, duodecimus super septimo, implebat faciem luto, dicendo se ideo ita facere, quia nares sibi multum fulgebant: septimus 8. 9. 10. 11. 12. & 13. Super septimo verrebat domum manica tunicæ: quintus super primo ponebat excrementa narium in vno baculo, & postea illa comedebat. Idem quinto super primo, vrinabat in vna patria, & illam publice omnibus ostendebat, & illis dicebat, quod illi veniabant medullæ. Tertius super septimo, quartus super nono, proiiciebat cucullam in latrinis. Vigesimus tertius super decimo proiiciebat cucullam, & habitum. Vigesimus octauus super octauo vtebatur pro speculo vno pitali immundo. Secundus super nono, ridebat sæpe sæpius sine proposito. Tertius super septimo, sextus super primo, trigesimus quartus super decimo, ponebat carnem crudam in sinu, & cibum in manica. Secundus super nono, vociferabatur tempore silentij. Nonus super septimo in fine transmittebat oua per filum, vel per lignum. Secundus super nono, non comedebat per duos, vel tres dies, & post acceptum siropum volebat ire ad sumendum sacramentum Eucharistiæ &c.

Tertio probatur prædicta dementia, & insania D. Margaritæ ex eo, quod in domo ab omnibus tenebatur, & reputabatur pro insana, & demente, sextus super primo, decimus septimus super primo. Et in monasterio de Speranza erat tenta generaliter ab omnibus pro muliere stulta, decimus, vndecimus, & decimus tertius super secundo. Et in monasterio de Odiuellas publice dicebatur, & reputabatur insane 18. super decimo, 19. super octauo. & super decimo quarto &c.

Quarto, ista dementia D. Margaritæ probatur indicio duorum Physicorum, qui sunt testes 29. & 30. super decimo, qui facta congregatione, & communicato inuicem colloquio vna cum aliis Physicis decreuerunt, & iudicauerunt Margaritam insanam, quorum Physicorum
6 iudicio standum est, quia vt inquit *Bald. post Iacobum de Arez. in l. obseruare ff. de curat fur.* Iudex debet adhibere medicos, qui furorem, & dementiam cognoscant *per l. semel C. de re militar. lib 12. sequitur Alex. cons. 86. n. 5. in fine lib. 1. Al· ai in l. Furiosi n 6. ff. de reg. iur. Ponunt à Plaz. alios citans in Epit. de delict. lib. 1. c. 19. n. 2.*

Furor enim, & mentis captio sunt passiones cerebri, quas Physicus cognoscit, *vt inquit Bart.* in cap. fin. num. 8.
in fine de success. ab intest. Et eodem modo standum est 7
iudicio duorum Patrum Societatis Iesu, qui sunt testes 33. & 35. super decimo, qui sensim, & particularites, & per spatium temporis Margaritam allocuti iudicarunt eam incapacem confessionis, & aliorum sacramentorum vsum rationis requirentium. Quod idem iudicauit Fr. Antonina Ordinis S. Bernardi, qui ast testis 36. super sexto, dicens audiuisse D. Margaritam in confessione, & inuenisse illam non genuflexam, sed stantem, & spuentem, & ridentem versus moniales, & propterea iudicauit illam incapacem susceptionis sacramenti Eucharistiæ. Qui tres religiosi cum sint multum timoratæ conscientiæ magnam
præstant auctoritatem ad credendum dementiam Marga- 8
ritæ, vt in his terminis recte considerat Roder. Suar. alleg. 5. sub n. 13.

9 Quinto comprobatur etiam dementia ex eo, quod nomen proprium ignorabat, *iuxta l. fin. C. de hæred. inst.* prout attestantur duo Notarij in quibusdam interrogatoriis factis da mandato, D. Vicarij Vlixbon.

Sexto præmissa confirmantur ex eo, quod moniales monasterij de Speranza post annum nouitiatus in circa D. Margaritæ noluerunt eam ad professionem admittere, reiicientes illam tanquam inhabilem, & incapacem professionis propter eius insaniam, & dementiam, non obstante, quod eam in monasterio recepissent ad instantiam, & intercessionem Seren. Regis Portugalliæ tunc temporis Cardinalis Infantis, cuius voluntati obtemperare valde verisimile est eas summopere desiderasse, quia erat monasterij superior, id quod non fecisse eas ob meram impossibilitatem, & dementiam Margaritæ prouenientem dici oportet.

Septimo accedit nimia breuitas temporum trium die- 10
rum ad profitendum ipsi Margaritæ indulti. Licet enim tempus probationis, quod regulariter ad annum *cap. Ad Apostolicam, & cap. statuimus de Reg.* possit restringi, vt in cap. Ex publico, de conuers. coniug. & hæc restrictio possit arbitrio iudicis fieri maior, vel minor bimestri, vt per *glos. ibi v. Intra duorum, & ibi Innoc. Vers. licet credamus, Host. col. 2. vers. Hoc ergo fatemur, Ioannes Andr. col. 1. & alij.* Nihilominus hæc restrictio secundum Doctores prædictos non fit sine rationabili causa, prout in dicto cap. Ex publico, vbi sponsæ volenti religionem ingredi tempus bimestre ad profitendum conceditur, nec sponsus, qui forte carnis stimulis resistere non poterat, & propter ea cupiebat matrimonium contrahere, cogeretur expectare lapsum anni. Et hinc est, quod prædicti Doctores dicunt, quod si sponsus consentiat sponsæ circa ingressum religionis dabitur regularis terminus anni, quia cessat causa illum restringendi, vt bene Abbas in
ille cap. Ex publico n. 11. fine. Sed in casu nostro nulla 11
suberat causa restringendi annuum tempus professionis, immo maxima vigebat ratio illud integrum indulgendi, vt scilicet monasterium posset mores Margaritæ experiri iuxta text. ad cap. Ad Apostolicam. Et tanto magis, quod Prioritissa illius temporis exclamauit ne Margarita reciperetur in monasterio, quia erat insana, & tanquam talis fuerat reiecta à monasterio de Speranza; & insania Magaritæ ab initio ante professionem cæpit manifestari monasterio de Odiuellas, decimus nonus super 17. duodecimus super octauum, & vigesimus tertius super octauum. Vnde restrictio ista præsertim tam magna, & extraordinaria non aliam ob causam fieri potuit, nisi ne magis detegeretur insania, & dementia Margaritæ, & sic ne excluderetur à professione, prout accidit in monasterio de Speranza. Nec obstant testes de quibus supra
in dictis suis esse singulares. Quia ad probandum furo- 12
rem, siue dementiam tanquam ad probandum quid in genere testes singulares admittuntur, vt in terminis tradit *Alex. cons. 141. num. secundum lib. primo consil. 91. num. 20. lib. 5. & consil. 147. numer. 20. lib. septimo Dec. in dicta l. Furiosum numer. trigesimo Bertrand. consil. 48. numer. 22. lib. secundo par. prima Taris. consil. 87.*

sil. 87. *num.*2. *lib* 3. Et hæc quo ad secundam difficultatem.

Quantum autem ad tertiam resolutum fuit, professionem per D. Margaritam in monasterio de Odinellas emissam nullam fuisse, tum per tex. in cap. Sicut tenor de regul. qui licet loquatur in eo, qui positus erat extra mentem, & extra seipsum propter grauissimam infirmitatem, vt innuunt verba illa: *Et de præsenti vita desperet.* Et in his terminis intelligit Abbas. Tamen ratio textus fundatur in priuatione mentis, quæ ratio cum sit generalis ampliat decisionem textus etiam in eo, qui non ea morbo, sed aliunde mente caret, *ad l. Cum pater* §. *Dulcissimis ff. de legat.* 3. Tum etiam quia quemadmodum furiosus non potest contrahere matrimonium carnale, *cap. dilectus, de sponsal. cap. Neque furiosus* 32. *q.* 7. *l. Patres furiosus ff. de his, qui sunt sui iuris, l. Furor ff. de sponsal. l oratione* §. *fin ff. de ritu nupt.* Ita neque spiritnale, cum valeat argumentum à matrimonio carnali ad spi-
25 rituale, *capit. Quoniam frequenter*, §. *Porro*, *vt lite non contest. Decius in Auth. Nisi rogati C. ad Trebell. late Ener. in hoc loco.* Et in specie, quod furiosus nequit matrimonium spirituale contrahere sicut nec carnale tradit
26 Præpositus in dicto cap. Dilectus numer. 3. Alex. consil. 54. lib. 1. Euar. ait in 6. exemplo. Et quod dictum de furioso procedit etiam in mente capto, cum inter sa æqui-
17 parentur, § *Hæc dicimus in Auth. Vt hi qui, l.* 5. *vbi Bald. C. de cura:. fur. Alexand. consil.* 54. *lib.* 2. *Fulgos. consil.* 79. *n.* 1. 5. & 3. *Præpositus in c. Dilectus num.* 4. *de sponsal. fuse Socin. consil.* 47. *n.* 8. & *lib.* 3. *Decius cons.* 112. *Paris. cons.* 87. *n.* 51.

18 Et in specie, quod mente captus non possit religionem profiteri possit *Iason in l. Pater furioso ante numer.* 3. *Dec. consil.* 86. *num.* 7. *vers. Et ista omnia per tex. in dictum cap Sicut tenor, Andr. Siculus consil* 59. *lib.* 2 *numer.* 5. Ergo non potest in eum cadere professio, quia Deus ad aliquem sibi obligandum animum, & cor respicit, *cap. Si quid inuenisti* 14. *q.* 5. Mente autem captus nec animum, nec cor habet. Ad obligandum aliquem ex voto tria requiruntur videlicet deliberatio, propositum, & promissio, eaque non cadere in furiosum, vel mente captum, & per consequens, nec etiam votum intrandi religionem, & sic sublatis principiis tolli principiata prout latius per eum.

Circa quartam, & vltimam difficultatem, quod scilicet non obstent quæ exemplo pro parte D. Antonij allegantur, deducitur. Et in primis quo ad illud quod D. Ludouicus procurauit, vt D. Margarita eius soror monasterium de Speranza ingrederetur, ibique professionem faceret, deinde vt matrimonium contraheret, vt ponunt testes D. Ludouici, quod quidem facere non potuisset si habuisset illam pro dementi, vnde oportuit, ipsum credere illam non esse stultam, & quemadmodum reputatio consanguineorum, vt supra diximos operatur probationem dementiæ, ita etiam contraria repu-
29 tatio debet contrarium operari. Et ita videtur argumentari Decius consil. 448. num. 33. & 34. dicens, quod si pater in casu suo filium mente captum reputasset, verisimiliter aliam prouisionem ei fecisset, ergo in contrarium, vt ipse subdit, non facta alia prouisione, magna insurgit præsumptio, quod non fuerit mente captus. Sed pro responsione dicitur, negando D. Ludouicum credidisse D. Margaritam non esse, stultam, cum ante eius ingressum in monasterio de Speranza in domo D. Beatricis sororis consobrinæ ipsius D Ludouici tenebatur, & reputabatur ab omnibus pro insana, & demente.

Nec obstat, quod scribit Dec. vbi supra, quia vt videri potest loquitur in terminis longe diuersis a nostris. Secundo non obstat, quod Margarita, quando existebat in monasterio de Speranza faciebat multos actus conuenientes personæ sanæ mentis, videlicet confitebatur, communicabat, canebat in choro, legebat, scribebat, suebat acu pingebat, & ad propositum lo-
20 quebatur. Et in terminis actus confessionis ad excludendam dementiam ponderat Dec. dicto consil. 448. numer. 20. in fine. Nam respondetur, quo ad actum confitendi, & communicandi Margaritam fuisse incapacem, prout plores viri religiosi indicarant, & fuerunt, etiam illi denegata sacramenta, vigesimus secundus textus super 18. & 23. iuxta interrogatoria. Quo vero ad actum cantandi, legendi, scribendi, suendi, & acu pingendi, Respondetur istos actus non consistere in intellectu, sed in sensu, vt bene deducunt informantes pro D. Ludouico. Demum circa actum loquendi ad propositum respondetur, non mirum si Margarita interdum ad propositum loquebatur, quia erat constitu- 21
ta in conspectu vmbratæ quietis, vt inquit *tex. in l. Quod meo*, §. *Si furioso ff. de acquir. possess. glos. in cap. Dilectus V. durare, vers. sæpe enim, & ibi Cardin. ante numer.* 2. Et dementes quandoque ex factis 22
conuincuntur, licet ex verbis prudentes appareant, *vt inquit Cardin. consil.* 57. *numer.* 4. *vers. Et coniecturis autem, & Com. consil.* 69. *numer.* 12. *vers. Maxime* 23
quia lib. dicit, Furiosos, & mente captus facere multoties signa, & loqui vt prudentes, & tamen non propterea desinere esse furiosos, & mente captos, quia etiam infantes sæpe, ac sæpius verba prudentia loquuntur, vt faciunt actus conuenientes prudentibus, & tamen non sunt. Et idem Com. consil. 73. numer. 3. Vers. Tamen attentio lib. inquit, Furiosos, & mente captos sæpe numero respondere ad propositum, & immiscere verba, & facta conuenientia homini sanæ mentis, prout, & pupilli faciunt. Et hoc idem expresse firmat *Bertrand. consil* 48. *n.* 51. *vers. Nec moueri debet lib.* 2. *part.* 1. *Gramm. consil. crim.* 16. *n.* 9. *Paris. consil.* 87. *num.* 44. *lib.* 3. Immo, vt inquit Rodriquez Suarez alleg. 1. n. 17. Nullus est ita stultus, qui aliqua verba non proferat, quæ iudicentur hominis sanæ mentis.

Non obstat tertio, quod dementia Margaritæ non probatur de tempore emissæ professionis per eam factæ in monasterio de Odinellis, prout de iure requiritur dicto cap. Sicut tenor ibi: *Si tamen eo tempore*, de Regul. 24
Siquidem omissa illa difficultate, an, & quando præteritus furor, vel dementia durare præsumatur. Respondetur, in casu nostro constare de dementia Margaritæ tam ante, quam post dictam professionem, nam testes deponunt da eius insania in pluribus, & diuersis temporibus, videlicet de tempore ante ingressum monasterij de Speranza. Item de tempore, quo ibi per an- 25
num in circa permansit. Item de tempore multorum annorum post dictam professionem; vnde ea probatione vtriusque dementiæ tam præcedentis, quam subsequentis dictam professionem, præsumitur dementia medio tempore & sic tempore ipsius professionis, quia probatis extremis præsumuntur media, prout in terminis futoris argumentatur *Anchar. cons.* 5. *num.* 5. *sequitur Ruin. inter Cons. Curtij iun. consil.* 292. *n.* 26 *l.* 3. Accedit etiam quod furiosus, & demens post præsumitur etiam furiosus, & demens retro, & sic etiam tēpore actus, vt in terminis firmat, *Alex. consil.* 92. *n.* 23. & 24 *lib.* 5. motus ea ratione, quod ex præsenti præsumitur in præteritum, quando præsens status potest concurrere cum naturali veritate status præteriti; sed præsens status furoris potest concurrere cum naturali veritate originarij status, quia potuit nasci demens. Merito &c.

Et licet de hac opinione Alex. possit dubitari ex iis, quæ scribunt *Castr. & Aretin vterque in princ. l. Qui testamento*, §. *Nec furiosus, ff de testamen. prout animaduersit. Ruin. qui dicto consil.* 292. *numer.* 22. *Vers. Sed plus, illam non firmat.* Nihilominus in casu nostro opinio Alex. optime procedit, quia quamuis in illa materia, an & quando ex præsenti præsumatur in præteritum, variæ à Doctoribus tradantur regulæ, vt per Alciat. reg. 5. præsumpt. 26. Quando tamen vltra statum præsentē concurrit aliqua coniectura, vel præsumptio inferens retro, tunc absque dubio de præsenti infertur in præteritum, *ita Salicet. in l. Ex persona, prope finem C. de probat. Alex. conf.* 16. *numer.* 3. *lib.* 5. *Socin. cons.* 89. *numer.* 19. *lib.* 1. *Alex. vbi supra numer. quinto.* Idque

tempore meo tentum fuit in Rota in pluribus causis. At in casu nostro vltra præteritum casum dementiæ concurrit recusatio monialium monasterij de Speranza, quæ recusarunt admittere Margaritam ad professionem. Item concurrit nimia, & extraordinaria breuitas temporis trium dierum ad profitendum in monasterio de Odiuelas. Itemque concurrit plena probatio dementiæ ante ipsam probationem, Merito &c.

Quarto non obstat, quod Margarita erat puella simplex, parum prudens, & non erat insana, nec stulta in totum, vt deponunt primus super septimo, nonus super secundo, decimus super tertio, & duodecimus super primo; vnde infrat communis conclusio, vt illud, quod dicitur de furioso, & mente capto non procedat in fatuo
28 simplici, subStupido, & hebetis ingenij, qui intellectu non caret, licet integrum animi vigorem non habeat, *vt per Castr. in l. Si frater, in princ. C. Qui testam. facer. Fab. in §. Præterea, & ibi Aret. num. 3. Inst. Quibus non est permissum fac. test. Dec. cons. 112. num. secundo cons. 448. num. 21. & 22.* Et quod dementia quæ impedit contra-
29 ctum matrimonij debeat esse talis, vt auferat vsum rationis *tradit Socin. cons. 47. numer. 9. lib. 3. per ea, quæ scribit Item Boch dicto cap. Dilectus numer. quarto Paris. cons. 88 sub n. 40.* Ergo talis quoque debet esse dementia impeditiua professionis religionis, arguendo à matrimonio carnali ad spirituale, vt supra dictum est.

Nam pro responsione dicunt, prædictis testibus non esse credendum cum non assiguent rationem aliquam
30 dicti sui, cur Margarita erat mulier simplex nec in totum stulta; testes enim volentes probare priuationem intellectus in aliquo debent reddere rationem dicti sui, alias eis non creditur, vt inquit *Bald. in dict. l. Furiosum, circa med. Vers. [illegible] difficile*, quem ibi communiter Doctores sequuntur.

31 Accedit, quod quando agitur de probanda aliqua qualitate animi, prout in casu nostro, tunc testes debent te-
32 stificari per actus exteriores, quos viderunt, nam exteriora indicant secreta animi, *Glos. in l. 15. quis. §. Vinum, in v. Sermonibus, & ibi bene Bartol. in fine Bald. & Cuman ff. de tut. & curat. datis, Socin. cons. 42. sub num. 6. lib. 1. Alex. cons. 157. numer. 16. circa med. lib. 7.* Vnde prædicti testes cum nullam assignent rationem, nec etiam referant aliqua signa, vel actus extrinsecos, ex quibus appareat, Margaritam fuisse simplicem, & non stultam in totum dicunt indicare, non autem testificari, vt in terminis *post Butr. tradit Socin. cons. 42. sub n. 5. lib. 1. Dec. consil. 448. ante n. 32. Paris. dicto consil. 88. n. 59.*

33 Immo prædicti testes testificantur per quosdam actus extrinsecos concludentes ad totalem insaniam, & stultitiam, nam nonus super septimo dicit, Margaritam quadam die ingressam chorum in camisia, & semel vidisse illam vociferantem tempore silentij. Decimus super septimo, inquit, sæpe vidisse Margaritam existentem in monasterio cum facie immunda, & naribus plenis luto, Duodecimus super secundo deponit, Margaritam dixisse, quod nesciebat, si iret ad communicandum, aut abluendum faciem, aut ad recitandum Primam. Et super septimo, quod habebat faciem immundam luto; quodque ideo ita faciebat, quia sibi lucebant nares, & quod ibat ad chorum in camisia.

34 Quinto, vt vltimo non obstat, quod Margarita non sit iudicanda demens, nisi clare constet, ipsam fecisse actus, de quibus supra, tanquam dementem. Nam dicunt Doctores, quod non sufficit, testem deponentem aliquem esse furiosum dicere, eo quia lapidem proiiciebat, nisi diceret lapidem proiecisse more insanorum quia etiam prudentes aliquando proiiciunt lapides pro tuitione corporis sui, vel alia ex rationabili causa, ita post *Bald. in § Item furiosi. tradit Alex. in leg. Si cum dotem, §. Si Maritus num. 7. Iason in dicta leg. Furiosum, num. 5 & ibi Dec. n. 29 circa med. Paris. dicto consil. 88 n. 68 lib. 3. Idem Dec. consil. 448. n. 13. Crotus de Testibus par. 7. num. 97. & est Text. in leg. Ob quæ vitia ibi More insanorum, ff. de adil. edict.*

35 Siquidem respondatur, obiectum procedere in actibus æquiuocis, qui possunt conuenire tam personæ sanæ mentis, quam furioso, & dementi, prout ait deiectio lapidum, quæ si fiat cum causa, puta pro tuitione corporis, tunc deponat prudentiam, & sanam mentem, si vero fiat sine causa, tunc arguit insaniam, & dementiam. Sed in casu nostro actus probantes dementiam Margaritæ sunt tales, vt non nisi dementibus conuenire valeant. Et propterea oportuit Margaritam illos fecisse tanquam dementem.

De amente, & furioso incapacibus Religionis multa dixi e. 3. quæst. 9. à n. 40. ad 55. vbi plures hanc Decisionem citaui. De nullitate professionis amentis, & furiosi dixi cap. 18. n. 52.

DECISIO XIX.

Vlixbonensis coram eodem Cantuccio die Maij 1580. in eadem Causa inualidæ professionis Margaritæ decis. 119. volum. 2. Nouiss. Diuersorum.

1 *Professio quando nulla dicatur.*
2 *Media præsumuntur probatis extremis.*
3 *Præsumitur de præsenti in præteritum.*
4 *Negatiua probata per factum sonans in affirmatiuam non differt ab hac.*
5 *Negatiua non sanæ mentis est improbabilis, sed habet implicitam affirmatiuam, & probatur per actus, & signa furoris, & dementiæ.*
6 *Testes contrarij temporum distinctione concordantur.*
7 *Testes varij deponentes super dementia concordantur distinctione temporum.*
8 *Furiosi, & mente capti sæpe respondent ad propositum more puerorum.*
9 *Infantes sæpe loquuntur vt prudentes licet tales non sint.*
10 *Lucida interualla probantur per plures actus successiue factos.*
11 *Et ea perfectissima esse debent.*
12 *Reputatio communis non probat sanam mentem.*
13 *Actus confitendi, & communicandi sunt considerabiles ad eliciendam sanitatem, nisi proueniant ex inaduertentia confessoris.*
14 *Negatiua furoris, & dementiæ quomodo probentur.*
15 *Actus furiosi, & dementis rite, & recte gesti sicut à quolibet prudente valent ex communi.*
16 *Licet nonnulli teneant contrarium.*
17 *Intellige in eo, qui habet lucida interualla.*
18 *Arbitrarium est iudicis, an in furioso, & demente dentur lucida interualla.*

PRoposui 4. Maij 1580. Causam Vlixbon. Professionis super concursu probationum vtriusque partis, & dubitaui stante decisione *(quæ est præcedens)* facta 11. Iunij 1579. iunctis conclusionibus à me collectis ex testibus D. Ludouici Aluares concernentibus contenta in dicta Decisione in quarta difficultate, vers. Non obstat. Et stantibus conclusionibus per partes adductis, & aliis conclusionibus per Dominos collectis ex testibus D. Antonij Telles, quorum omnium copia data fuit. An professio D. Margaritæ sit nulla, vel potius valida in casu, & ad effectum, de quo agitur? Cuius dubij resolutio propter magnam molem scripturarum non potuit capi in prima positione, sed dilata ad nonum eiusdem mensis, vt interim Domini possent causam exactius videre.

Illo igitur die Causa super eodem dubio proposita, Domini concorditer resoluerunt, professionem Margaritæ nullam esse. Et resolutionis ratio fuit, quia probationes 1
D. Ludouici necessario concludunt ad dementiam Margaritæ, cum eius verba, signa, & actus sint tales, vt necessario inferant ad insaniam ex conclusionibus facti nuper à me de ordine Dominorum ex depositionibus testium

D.

D.Ludouici collectis, præsertim iunctis, communi reputatione, iudicio Physicorum, Iesuitarum, ignoratione nominis proprij, recusatione monialium monasterij de Speranza recusantium admittere Margaritam ad professionem propter eius insaniam, ac nimia breuitate temporis trium dierum indulti D. Margaritæ ad profitendum in monasterio de Odiuellas prout latius in decis. in 2. difficul.

Accedunt sententiæ de partibus, quibus in huiusmodi negotiis Rota consueuit multum deferre, vt in illa Tullensis Matrimonij coram R. P.D. meo Aldobrandino. Et licet probationes D. Ludouici non percutiant præcise tempus professionis Margaritæ per eam in monasterio de Odiuellas emissæ, prout de iure requiritur, cap. Sicut tenot, de Regulat. Nihilominus in casu isto dementia Margaritæ etiam de illo tempore præsumitur. Tum quia probata dementia tam ante, quam post actum præsumitur dementia media, vt in terminis furoris, & dementiæ firmat *Anchar.consil.5.num.5. Ruin.consil 67.num.11. prope finem, lib.1. & ita etiam arguit Alex. consil.54.n.2. lib.1.* Et in casu nostro negari non potest, quin insania Margaritæ probetur tam ante, quam post professionem, prout liquet ex conclusionibus D. Ludouici. Tum quia, cum constet de dementia Margaritæ post professionem, præsumitur etiam fuisse demens retro, & sic tempore professionis, concurrentibus in casu isto pluribus coniecturis, & præsumptionibus retro, nempe probatione dementiæ ante professionem, recusatione monialium de Speranza, propter dementiam, breuitate temporis trium dierum, & exclamatione Priorissæ monasterij de Odiuellas, ne reciperetur in monasterio Margarita, quæ erat insana, & tanquam talis fuerat reiecta à Monialibus de Speranza. Quam exclamationem probant testes D.Ludouici 19. super 17. & 21. super 8.

3 Et non est dubium de vno tempore præsumi in præteritum, quoties conueniunt aliqua coniectura, vel præsumptio inferens retro, prout in dicta decisione, in tertia difficult. Vers. Tertio non obstat. Et ista præsumptiua probatio multum coadiuuatur ex depositionibus duorum testium D.Ludouici nempe 19. & 23. Nam 19. super 8. in fine dicit, quod vidit, & locuta fuit cum Margarita, quando stetit in hospitio, & in responsione, quam sibi dedit, & in suis rebus, & gestibus, quos faciebat, testis comprehendit, quod carebat iudicio. Et super 10. dicit, quod toto tempore, quo Margarita mansit in monasterio de Odiuellas vsquequo venit ad domum actoris fuit semper insana, & extra suum iudicium, & faciebat, & dicebat multas temeritates, propter quas ridebat. Deinde in causa scientiæ recenset insanias quas faciebat 23. super 10. dum dicit, quod postquam Margarita ingressa fuit monasterium de Odiuellas & emisit primam professionem, & etiam vsque ad professionem benedictionis nunquam bene visa fuit ipsi testi, quæ nihil aliud denotans, nisi quod nunquam testi visa fuit sanæ mentis, prout colligitur ex ratione, quam postea subdit, quia ridebat pro quacumque re, & prouocabat ad ridendum ea, quæ faciebat.

Quam negatiuam non sanæ mentis postea testis probat per factum, quod sonat in affirmatiuam, scilicet, quia ridebat pro quacumque re, & prouocabat ad ea, quæ fa-
4 ciebat. Negatiua enim, quæ probatur per factum sonans in affirmatiuam, non differt ab ipsa affirmatiua, vt in terminis tradit *Aretin.in cap. In nostra, colum.5. numer.19. Vers. Aliquando testes, quem sequitur ibi Felin. num 6. de Testibus. Anton.Gabriel.lib.1.de Testibus, conclus.4. num.7.*
5 *Boer.decis.53.num.94.* Et in specie, quod negatiua non sanæ mentis non sit improbabilis, sed quod habeat implicite affirmatiuam, & probetur per actus, & signa furoris, & dementiæ, expresse firmat *Burius in cap. Cum dilectus num.3. de Success. ab intestat.* Et licet iste testis dicat, quod vsquequo Margarita emisit professionem benedictionis nescit, nec recordatur, quod viderit ab illa fieri quicquam, propter quod fuisset notata de insania, qua fuit notata post professionem benedictionis, vt postea ipsamet testis se declarat dum dicit, & post professionem benedictionis semper illam habuit pro insana, & multum insensata. Et quamuis testis dicat, quod Margarita nunquam bene visa fuit ipsi testi, quia illam inueniebat multum leuem iodicij, & mentis tamen ista verba non debent attendi, quia testis pro illa potius iudicat quam testificetur, sed debent attendi verba immediate sequentia videlicet: *Et ridebat pro quacumque re, & prouocabat ad ridendum ea, quæ faciebat.* Ex quibus verbis colligitur actus insaniæ.

Non obstant probationes D. Antonij Telles, quia non 6
excludunt probationes D.Ludouici, sed sunt compatibiles cum illis, non quia per distinctionem temporum ad concordiam reducantur, iuxta *cap.Cum tu, & ibi Doctor. de*
Testibus. Italet Margarita quandoque esset demens, & 7
quandoque sanæ mentis, & sic haberet lucida interualla, prout in terminis furoris, & dementiæ hanc concordiam testium considerat *Alex.consil.147.n.4.fine.vers. Præterea dato, lib.7. & latius Socin. consil.42. num.9. prope finem, vers. Sed tamen possunt, & num.10. lib.1. Boer decis.23. num.83.* Sed ideo sunt compatibiles, quia stant simul, quod Margarita esset demens, & loqueretur ad propositum, & faceret actus conuenientes personæ sanæ mentis; de quibus in conclusione facti D. Antonij.

Quia furiosi, & mente capti sæpe numero respondent 8
ad propositum, & immisceant verba, & facta conuenientia homini sanæ mentis, prout etiam pupilli faciant. Ita Cor.consil.73. num.3. post med. vers. Tamen attento, lib. 1. & multoties loquuntur, & faciunt signa vt prudentes, & tamen non propterea desinunt esse furiosi, vel mente 9
capti, quia etiam infantes sæpe, & sæpius verba prudentia loquuntur, & faciunt actus conuenientes prudentibus, & tamen non sunt, vt inquit idem *Corn.consil.62.numer. 52.vers. Maxime quia, eodem lib.1. Bertrand. consil.48. n.31.vers. Nec moueri debet lib.2.par 1. Grammat. consil. criminal.16.n.9. Paris consil.87.n.44.lib.3.*

Nec testes D.Antonij probant aliquo modo lucida in- 10
terualla Margaritæ, quia non deponunt de actibus, & signis sanæ mentis multiplicatis, successiuis, & continuatis per aliquod tempus considerabile, itant non possint conuenire dementibus, sed deponunt de actibus, & signis sanæ mentis diuersis, & distinctis temporibus gestis, per quos non possunt lucida interualla induci, cum etiam dementes, & furiosi sæpe, & sæpius faciant signa, & actus conuenientes prudentibus. Quod autem ad inducenda lucida internalla requirantur plures actus sanæ mentis successim, & continuati per aliquod tempus probat *tex. in leg.Cum aliis, in princ.C.de Curat. fur.* vbi interualla lucida sunt tempora, quibus intermissio furoris peruenit; quæ intermissio non potest verificari, nisi illis temporibus fiant plures actus sanæ mentis successiui, & continuati. Et illa lucida interualla quædam sunt longiora, & quædam breuiora, vt ibidem expresse cauetur. Imo huius-
modi interualla lucida perfectissima esse debent vt inquit 11
idem text. ibi: *Sed per internalla, quæ perfectissima sunt,* quem textum & illas duas qualitates *dilucida, & perfectissima,* bene ponderat *Roder.Suarez allegat.1.n.20.*

Et respondendo sigillatim ad allegata pro parte D. 12
Antonij. In primis non obstat, quod Margarita in Monasterio de Odiuellas fuerit communiter reputata pro muliere sanæ mentis. Quia respondetur; Tum quia communis reputatio forsan non probat sanitatem mentis, vt bene deducit *Alex. consil.147.n.17.l.7.* licet secus sit in dementia, quam communis reputatio bene probat, vt per Doctores cumulatos in dicta decis. in 2 difficul. vers. Et insuper. Tum etiam quia in contrarium est communis reputatio dementiæ, vt in 21.conclus. D.Ludouici, & sic istæ duæ communes reputationes se inuicem elidunt.

Secundo non obstat, quod Margarita confitebatur, & 13
communicabat, quia actus videtur multum considerabilis ad elicendam mentis sanitatem, vt per *Dec. consil. 448. num.20.in fine, & n.36. pariter in fine.* Quia respondetur, quod vtrumque actum faciebat per inaduertentiam Confessoris, cui dementia Margaritæ erat ignota, & qui de ea

non

non erat admonitus. Et quod hoc sit verum, patet ex eo, quod postea plures religiosi de hac re admoniti, & plures enim Margarita locuti indicarunt eam incapacem confessionis, communionis, & aliorum Sacramentorum, prout in a 3. conclus. D. Ludouici. Accedit, quod dementia Margaritæ apud Moniales de Speranza erat in confuso, & tamen patiebantur eam confiteri, & sumere Sanctissimam Eucharistiam.

Tertio non obstant nonnulli testes D. Antonij, ex quibus videtur probari negatiua furoris, videlicet nonus super primo, dicens, Margaritam post discessum à Monasterio de Speranza per tempus duorum annorum in domo D. Emanuelis de Maneses nunquam fecisse, vel dixisse aliquid mulieris insanæ. Decimus tertius super decimum inquiens nunquam vidisse Margaritam dicentem, vel facientem aliquam insaniam, dum per spatium vnius mensis in circa, antequam iret ad Monasterium de Odiuellas steterunt insimul in domo D. Antonij. Decimus, & vndecimus super primo dicentes Margaritam in itinere, quando fuit ad Monasterium de Odiuellas non fecisse, nec dixisse
14 quidquam mulieris insanæ. Siquidem pro responsione dicitur, huiusmodi testes ita deponentes non bene probare negatiuam dementiæ, quia oportebat testes dicere, quod Margarita non potuisset dicere, vel facere aliquid insaniæ, quia audiuissent, vel vidissent. Et in terminis probandi negatiuam furoris bene deducit *Alex. consil. 141. n. 10. l. 1. & consil. 147. n. 15. in princ. & n. 26. prope finem, l. 7. Suarez allegat. 1. n. 17. post med. vers. Et maxime hoc obstabat.* Quinimmo testis deponens super negatiua furoris non coarctata loco, & breui tempore, præsumeretur falsum deponere, vt per eundem *Alex. dicto consil. 141. n. 10. & dicto consil. 147. n. 16. prope finem.*

Quarto non obstat, quod Margarita emisit professionem rite, & recte, sicut quælibet monialis prudens, promittendo canonice vota Obedientiæ, Castitatis & Paupertatis, atque perseuerantiæ vsque ad mortem, prout probant testes D. Antonij 14. & 25. super nono, & 29. super
15 primo. Vnde videtur intrare communis iuris conclusio, quod actus à furioso, vel mente capto pro rite, & recte, sicut à quolibet prudente gestus, valet, & tenet. *Ita Ioann. Andr. in c. Dilectus, ad finem, de Success. ab intestat. vbi refert ex Valer. l. 7. c.* 8. Testamentum cuiusdam furiosi rite, & recte factum à Senatoribus approbatum fuisse, magis enim quod scriptum est in Testamento, quam quis scripsisset, considerandum est, quem sequuntur *Bald. in c. 1. n. 2. per quos fiat inuest. in vsib. feud. Romanus in leg.* Furiosum *n. 3.* Vbi hanc opinionem latius comprobat; & ibi *Alex. n. 3. Iason n. 4. post med. vers. Quarto limita, C. Qui testam. fac. poss. Corn. consil. 69. n. 12. Boer. decis. 13. n. 58. Grammat. decis. 73. n. 37. & 38. Mansil consil. 104. n. 7. & latius sing. 380. circa med. vers. Teneas tamen menti,* vbi hanc opinionem communiorem, & rationabilem vocat.

16 Siquidem pro responsione dicitur. In primis hanc opinionem non transire sine difficultate, cum contrarium tenuerint *Abbas in cap. Sicut tenor, in secundo notab. de Regular. late Barbat. in dicto c. Cum dilectus n. 14. & in c. 1. n. 15. vers. In contrarium, de testib. Corn. in dicta leg. Furiosum n. 4. ante med. & ibi Dec. n. 14. Iason consil. 141. n. 6. circa medium l. 4.*

17 Deinde respondetur, communem opinionem procedere in furioso, & mente capto habente dilucida interualla, secundum Bald. in §. Item *furiosi, Instit. Quibus non est permiss. fac. test. Iason in dicta leg.* Furiosum *ante n. 3. & ibi Dec. sub num. 3. Corneus num. 4. circa med. vers. Probate, quod solitus sit. Iason consil. 141. n. 6. post med.* Et in casu nostro non constat, Margaritam habuisse lucida interualla. Merito, &c.

Demum non obstant reliqui actus considerati pro parte D. Antonij, quia aut non inferunt ad sanitatem mentis, aut stant simul cum dementia sua, itaut non probent dilucida interualla, vt patet responsio, ex præmissis, vel ex
18 deductis in Decisione. Et in summa cum materia ista tota in iudicis arbitrio resideat, vt per *Salicetum in dicta leg. Furiosum, in finalibus verbis, & ibi Corn. n. 4. ad med. idem Corn. consil. 69. num. 14. vers. Et propterea dicit, & consil. 72. in finalibus verbis lib. 1.* Domini ex prædictis, & aliis deductis hic per informantes D. Ludouici arbitrati sunt, satis constare de dementia Margaritæ, & consequenter eius professionem nullam fuisse.

De furiosis, & mente captis plura tradidi locis citatis in calce præcedentis Decisionis, quæ de eadem materia agit cum præsenti.

DECISIO XX.

Neapolitana 4. Maij 1584. extensa volum. 2. Nouiss. Diuersorum decis. 216. Bubali.

1 *Monasterium de obseruantia dicitur, in quo Regula obseruatur.*
2 *Moniales Tertij Ordinis S. Francisci non habent Regulam, sed quendam modum viuendi approbatum à Sede Apostolica.*
3 *Professio expressa emittitur per tria vota.*
4 *Monasterium, in quo nec Regula, nec Religio seruatur compellit ad profitendum.*
5 *Regula S. Benedicti est vna ex quatuor approbatis.*
6 *Monasterium esse regulare ex quibus cognoscatur.*
7 *Moniales degentes sub vna ex quatuor Regulis compelli possunt ad profitendum, & quare n. 8.*
9 *Profitentes intelliguntur profiteri Regulam, non consuetudinem.*
10 *Promissio solius obedientiæ non obligat.*
11 *Vbi viuitur cum proprio non professio.*
12 *Monialis retinens proprium de licentia Abbatissæ non contrauenit voto paupertatis.*
13 *Regularis ex permissione superioris disponere potest de fructibus beneficiorum regularium.*
14 *Superior potest dare licentiam retinendi proprium ad tempus.*
15 *Liber patris probat ætatem filij.*
16 *Monasterium ingressus in minori ætate post maiorem ætatem elapso anno censetur ratificasse, si non reclamauit.*
17 *Professio fit emissione trium votorum, vel obedientiæ.*
18 *Allegans se non esse professum, probare debet.*
19 *Abbatissa nulliter electa non habet potestatem incorporandi.*
20 *Monialis qualibet potest incorporari, si postea Abbatissa ratum habeat.*
21 *Professio tacita aliorum votorum non inducitur ex promissione obedientiæ, quando de contraria voluntate constare potest.*

POstquam Domini in hac Causa firmarunt conclusiones in facto ex dictis testium vtriusque partis, proposui dubium, an stantibus dictis conclusionibus, & aliis iuribus hinc inde productis in concursu videndis, quorum summaria data fuerunt dicatur constare de professione obligatoria DD. Mariæ, & Ioannæ sororum de Summa. Et quoniam pro resolutione huius difficultatis informantes principaliter controuertunt. Quisnam fuerit status huius Monasterij S. Patricij ante reformationem factam à Pio V. felicis recordationis.

Prætendebatur enim pro parte dictarum sororum huiusmodi monasterium ante reformationem non fuisse regulare sed conuentuale continens quendam modum viuendi absque obseruantia alicuius Regulæ, prout in eorum Summario n. 1. conclus. 4. & num. 4. conclus. 1. in quibus dicitur, quod Monasterium S. Patricij dicebatur esse abs- 1
que obseruantia, quia Regula non obseruabatur, & quod mulieres in eo degentes non seruabant Regulam iuxta exemplum traditum in *Clement. v. Obedientia, de Relig. domibus, & in Clement. 1. §. Cum ex eo, vers. 3. de Sentent. excommun.* de Monialibus Tertij Ordinis S. Francisci, 2
quæ non habent Regulam proprie quoad tria vota substantialia, sed quendam modum viuendi per Sedem Apostolicam

stolicam approbatum, vt ita loqu. *Doctor. in Rubr. de Regul. præsertim Abbas ibi sub n.1. & dicta Clement. 1. n.5. de Relig. domibus, Card. consil.128. Felix in cap. Ecclesia S. Mariæ n.1. de Constit.*

3 Ex quo inferebant, in dicto Monasterio non induci aliquam professionem expresse, quæ inducitur ex emissione trium votorum, *cap. Cum ad Monasterium, de Statu*
4 *Monach.* Et consequenter cum in eo nec Regula, nec Religio aliqua obseruaretur, non posse præcise compelli ad profitendum, quæ ingressa fuit dictum Monasterium, sed tantum causatiue, nempe vel vt profiteatur, vel discedat, vt per *Host. in cap. 2. de Testament. Ioann. Andr. Cardin. num. 2. Butr. num. 6 Anchar. n. 6.* Et quamuis *Abbas in dicto cap. 2. num. 4. & ibi Imola n.16. & 17.* hanc opinionem non admittant, tamen quando sumus in loco vbi nec Regula, nec Religio seruatur, prædicta opinio est vera, vt bene declarat *Host. in Summ. de Regular. num. 6. Præpos. in c. Ante biennium colum 2. 31. distinct.*

Et tanto magis, quia nec etiam constat, hunc viuendi modum de aliquo in hoc Monasterio fuisse approbatum à Sede Apostolica; quinimmo potius apparet de contrario ex Breui reformator. fel. record. Pij V. quo non inducitur aliqua obligatio professionis, *Aretin. in Clement 1. n. 2. de Relig. domibus.*

Domini his non attentis concluserunt, Monasterium, de quo agitur, fuisse in statu Regulari, & in eo obseruantiam Regulæ esse aliquo modo labefactatam, non autem quod illius Regula, & obseruantia esset collapsa, itaut aliquo modo in eo non seruaretur aliqua Religio, idque deducebatur ex sequentibus.

Et in primis, quia Monasterium, & eius Moniales nominabantur de Ordine S. Benedicti, & Moniales in ingressu promittebant seruare dict. Regulam, vt in Sum. di-
5 ctor. Fratrum n.1. concl. 1. & 13. Quæ Regula est vna ex quatuor approbatis cap. Perniciosum 18. q. 2. Aderat in
6 eo clausura debita, & habebat crates ferreas portam, & ostiariam, vt in Sum. Fratrum n.1. concl. 3. & in Sum. Sororum n.1. concl. 17. Magnam adhibebant solemnitatem in ingressu monialium, vt in Sum. Fratrum n.1. concl. 7. 8. 9. & 10. Nam tondebantur capilli, & ponebantur sub canna vestiebantur vestib. monialib. pulsabantur campanæ pro mortuis, non poterant moniales exire è monasterio sine licentia Abbatissæ, aut Ordinarij, & illa non concedebat, nisi ex causa, & si non reuertebantur, poterant cogi, & excommunicari, vt reuerterentur, vt in dict. Sum. n.1. concl. 12. quod est signum regularis obseruantiæ, *cap. fin. de Reg. cap. Sicut nobis, & cap. Ex parte, de Regul. Felin. post Abbatem, & Aret. in cap. Super il. 3. n. 2. de Testib.* Visitabantur, & corrigebantur ab Ordinario, vt in dicto Sum. n.7. concl. 3. celebrabant officium diuinum secundum Regulam D. Benedicti, & illam deosculabantur, & primo lunæ quadragesimæ legebatur, vt in Sum. Sororum, n.3. qui actus regularitatem ostendunt. *Probus ad Monachum in cap. 1. sed num. 15. de Regul. in 6.* Moniales dabant obedientiam Abbatissæ, vt in sum. Fratrum num. 7. concl. 7. Dos etiam ponebatur in communi, & congregabantur ad sonum campanæ pro actibus Capitularib. n. 7. concl. 4. vocarunt se aliquando in instrumentis professas, vt in instr. de ann. 1532. Retinebant proprium de licentia Abbatissæ & Ordinarij, & si disponebant, hoc faciebant de eorum licentia, quod est signum obseruantiæ regularis, *Silu. v. Relig. 6. n. 7.* Quæ signa, & obseruationes Religionis in hoc monasterio ostendebant, non esse quendam modum viuendi absque Regula, prout loquuntur Doctor. in Rubr. de Reg. sed potius fuisse regulare sub Regula S. Benedicti approbata cum per Gregor. X. in Concil. Lugdunen. in cap. 1. de Relig. domib. in 6. prohibitum fuit institui nouam Religionem, seu Ordinem. Necesse est ergo dicere, quod fuerit sub aliqua ex Religionib. approbatis, alias non fuisset tam diu toleratum. Et quamuis Regula non obseruaretur, non tamen dici potest, quod monasterium non esset regulare, sed potius, quod Regula erat in aliquo relaxata, & collapsa.

Et in his terminis controuertunt Doctor. si reducatur monasterium ad primum rigorem Regulæ, pristinamque seueritatem inibi existentes præcise compellantur seruare illam reformationem. Et licet *Oldrad. consil. 96.* tenuerit 7
non posse præcise compelli, tamen opinio affirmatiua est communis, quam tenent *Innocen. in cap. Super eo, de Regul. & ibi Ioan. Andr. Butrius, Card. & Abbas, qui cap. Ad nostram num. 4. Felin. num. 4. & 5.* Rationem assignat 8
Abbas, quia per professionem renuntiarunt propriæ voluntati. Et vt dicit *Sum. Astens. tit. 47. de Regul. art. 3. in in 7. q.* Profitentes profitentur Regulam, non consuetu- 9
dinem, & propterea ad eius obseruantiam cogi possunt. Eandem opinionem tenuit Io. Monachus in cap. 1. n. 7. & ibi late Probus, qui testatur de communi n.18.

Nec obstat Breue Pij V. continens reformationem huius monasterij, quia postea melius informatus de illius statu illud reformauit per aliud Breue, de quo in Sum. Fratrum n.11.

Firmato statu monasterij Domini vnanimiter resoluerunt constare de professione obligatoria dictar. Mariæ, & Ioannæ sororum de Summa, quia vt patet in sum. Fratrum n.1. in 11. 12. & 13. concl. & in sum. Sororum n.1. concl. 9. Moniales in ingressu promittebant obedientiam Abbatissæ, promittebant esse moniales, & seruare Regulam S. Benedicti. Et hæc fiebant solemniter cum susceptione habitus monachalis, vt in concl. 8.

Vnde quamuis sola promissio obedientiæ non inducat 10
professionem, nec obliget quoad alia vota, nisi ea sit monachalis, vt quando promittens abnegat totaliter suam voluntatem, & omnia remittit in mente Abbatis, vt per *Inn. in cap. Consuluit, in fine, & ibi Ioann. Andr. Card. & Anchar. n. 2. Qui Cler. vel Monach. Cardin. in Clemen. 1. sub n. 5. Imola num. 7. de Relig. domib. Lapus allegat. 129. n. 9 & 11.*

Tamen quia promissio obedientiæ fit cum susceptione habitus monachalis in manibus superioris, & respectu certæ, & determinatæ Regulæ approbatæ prout hæc, tunc omnibus istis concurrentibus dicunt promissio obedientiæ monachalis, & operatur professionem expressam quoad vota obedientiæ, & tacitam quoad reliqua vota, vt bene per *Butr. in cap. Porrectum num. 9. de Regul. & in cap. Rursus n. 8. Qui cleric. vel monach. Præpositus in cap. Consuluit sub num. 1. Qui cleric. & monach. Et potest adduci specul. de statu monach. quæst. 36. num. 41.* Qui vltimo loco refert tenentes hanc opinionem, quando est Religio, quæ sine proprio viuit, præsertim quando adest promissio, quod vult effici monialis, *Host. in dict. c. Porrect. col. 1. & ibi Abbas in 3. notab.* Et quando susceptio habitus fit cum solemnitate, *Ioan. Andr. post Innoc. in cap. Vidua de Regul. Butr. in c. Porrectum sub n. 9.*

Nec refragatur, quod non possit induci obligatio pro- 11
fessionis in hoc monasterio, in quo moniales non viuunt in communi, sed in priuatis domicilijs, & habent proprium, & adest consuetudo emendi, & vendendi, & disponendi de bonis propriis, vt in sum. Soror. n. 4. concl. 3. & 4. iuxta *tex. in cap. Perniciosum 18. q. 2. c. Dilecta, & ibi glos. de maior. Clem. Attendentes §. Illas quoque de statu monach.* Quia quod viuant separatim, & in propriis domibus, hoc non faciunt intra septa monasterij, & post reformationem Pij V. viuunt etiam separatum, vt in sum. Fratrum num. 2. conclus. 11.

Et quando moniales retinent proprium de licentia Ab- 12
batissæ, vel Ordinarij, vt dicitur in conclus. non repugnat professioni, nec voto paupertatis, vt supra dictum est, *c. 1. vbi Abbas n. 4. de Statu monach. Sylu. v. Relig. 6. n. 2.* Hinc 13
videmus, quod regulares ex permissione superioris disponere possunt de fructibus beneficiorum regularium, sicut sæculares de fructibus beneficiorum sæcularium, *Card. in Clem. 1. §. Sed tales, in primo notab. de vita, & hon. cler. Nauar. in c. Non dicatis num. 42. in q. 1. & in Apolog. Monach. c. 80. n. 4. & 5.*

Nec obstat, quod Abbatissa non posset super hoc dare licentiam, nec dispensare, *cap. Cum ad monasterium, in fine, & ibi glos. de Stat. monach.* Quia procedit in dispen- 14
satione in perpetuum, non autem in licentia ad beneplacitum

citum Abbatissæ, vel superioris, vt benè declarauit *Syln. dicto num.* 7. Similiter non obstat, quod dicta Maria, & Ioanna non erant in ætate legitima, quando ingressæ sunt monasterium, & quod promissio obedientiæ flebat ab ingredientibus, etiam quod non essent ætatis legitimæ, vt in summ. Soror. num. 1. concl. 18. & 19. Quia illo erat abusus monasterij, & quoad dictas Mariam, & Ioannam constat potius, & quoad tempus ingressus monasterij erant ætatis legitimæ, vt liquet ex libro patris, & 15 ex instrumentis solutionem dotium. Et liber patris probat ætatem filij, *Felin. in leg. Et iam matres in princ. de Probat. Socin. iun. consil. 3. n. 3. lib. 1.*

16 Vltra quod dici potest, quod cum post maiorem ætatem elapso anno permanserint in monasterio, nec reclamauerint, censentur ratificasse, etiam si paruulæ sint ingressæ *cap. 1. de Regul. in 6. cap. Cum virum, de Reg.* Et eo magis videtur constare de ratificatione, quia vt liquet ex sum. fratrum n. 7. concl. 2. præfatæ sorores cantabant officium in Choro secundum Regulam S. Benedicti, interueniebant in Congregationib. sicut aliæ Moniales, vt in eodem n. 7. concl. 3. interuenerant in electione Abbatissæ, & fecerunt omne id, quod aliæ Moniales faciebant, vt in concl. 7. & 8. *Ad notata per Ioann. Andr. in cap. Vidua in glos. 3 de Regul.*

Nec etiam obstat, quod in dicto monasterio non fieret expressa professio, & quod professio expressa non es-17 let in vsu, vt ex sum. Soror. num. 1. concl. 14. Quia testes, qui illam probant, intelligendi sunt de professione expressa ex emissione trium votorum, prout regulariter fit, non autem de professione, quæ inducitur ex promissione obedientiæ, de qua supra prout etiam cessat obiectum, quod non probetur, quod dictæ Sorores in earum ingressu promiserint obedientiam cum dictis circunstantiis, prout fecerunt aliæ Moniales, quia ex delatione habitus præsumitur professio, vt hoc fundat intentionem mona-18 sterij. Vnde qui dicit se non professum, debet hoc probare, vt bene declarat *Ioann. Andr. in cap. Si quis col. 1. vers. Idem hoc, quod dictum est, de Regul.* Quod etiam dicitur de communi reputatione, quod in dict. monasterio se non reputabant pro professis, vt in summ. Soror. n. 1. concl. 15. Tollitur ex dictis in sum. publico de ann. 1532. in quo moniales asserunt se professas. Et tollitur penitus omnis difficultas ex confessione dictar. Soror. in dispensatione obtenta à S. Pœniten. in qua se nominant professas quæ fuit ab eis acceptata, & habuit effectum; vt patet ex dictis earum confessionis, de qua in sum. Fratrum n. 3.

Postremo non obstat, quod non omnes Abbatissæ erant expresse professæ, quia vt liquet ex sum. Sor. n. 1. concl. 17. ex quatuor Abbatissis, de quibus deponunt testes, duæ fecerunt professionem expressam, alia non fecit, & alia fecit professionem expressam post reformationem. Vnde electio de non professis erat nulla, *cap. Indemnitatibus §. nec in Abbatissa de elect. in 6.* Et consequenter nulla pro-19 fessio induci poterat in dicto monasterio, quia Abbatissa nulliter electa non habebat potestatem incorporandi religioni, vt per *Ioan. Andr. in c. 2. col. 1. Vers. Secus quando, de reg. Silu. t. 1. Religio 3. n. 19.*

Nam pro responsione dictum fuit, quando eo ipso quod moniales patiebantur se eligere in Abbatissam dicebantur tacite professæ, licet electio esset nulla, vt per Host. & Ioannem Andr. in c. 2. de testam.

20 Præterea quælibet monialis habet ius incorporandi religioni, dummodo postea Abbatissa ratû habeat, *Innocent. in cap. Porrectum n. 4. ibi Doct. de Regul.* Quæ ratihabitio ex actibus supradictis clare colligitur. Neque etiam constat, quod dictæ sorores receptæ fuerint ab ea Abbatissa, quæ non esset professa.

21 Verum quia tacita professio aliorum votorum castitatis, & paupertatis ex promissione obedientiæ, vt supra, non inducitur, quando ex contraria voluntate constare potest, vt per *Butr. in dicto cap. Rursus, sub n. 6. prope finem. Vers. Aut promisit, Qui cler. vel mon. Innoc. in cap. 1. de eo, quod metus c. ibi Host. col. pen. in fine Ioann. Andr. col. 2. Butr. num. 15. Tiraq. de legibus connub. glos. 7. num. 82.* Vbi dicitur, quod præsumptio professionis oriens ex actu delationis habitus tollitur per alias præsumptiones, & coniecturas.

Domini ideo reseruarunt videndum, an ex eo, habebant se professionis, vt in sum. soror. n. 4. concl. 7. Vel ex eo, quod dictæ sorores fuerunt ingressæ monasterium contra earum voluntatem, prout publice dicebatur; vel quia ibi permanebant de mala voluntate, & conquerebantur, vt in earum sum. n. 4. concl. 9. 10. & 11. Vel ex aliis dici possit constare de tali voluntate dictarum sororum, vt non dicantur veræ professæ.

Hæc decisio est valde vtilis, & doctrinis referta; super qua Noto primo, *eam personam dici proprie religiosam, quæ emittit professionem trium votorum, in his enim consistit status religiosus, ex probatis a me cap. 1. num 90. & cap 18. num. 11.* Noto secundo, *ex voti obedientia promissione sequi obligationem aliorum duorum, nisi excludantur, hæc enim est professio monachalis, vt dicitur hic num. 10. cap. 19. n. 61.* Noto tertio, *in ordine S. Benedicti, sub quo militant Sorores, de quibus in hac decisione, in forma professionis exprimi solum obedientiam secundum Regulam, & ideo nullam esse difficultatem, quin sic professus non sit religiosus, cum talis professio ad præscriptum Regulæ S. Benedicti sit proprie monachalis, & regularis.* Noto quarto, *esto non vocatur consuetudo, sed obseruatio Regulæ, nihilominus, contraria consuetudine legitime præscripta derogari potest accidentalibus Regulæ, vt probaui cap. 2. num. 1 52 59. & cap. 18. num. 103.* Noto quinto, *religiosum retinentem rem aliquam de licentia Abbatis, & de ea dispenentem non dici proprietarium, nec proprium possidere, sed habere vsum, rei dependenter à voluntate superioris, vt dicitur hic num. 14. vbi ea verba, quod superior potest dare licentiam retinendi proprium ad tempus, interpretanda sunt, retinendi vsum rei, cuius proprietas continuo manet apud monasterium, cum monachus sit incapax proprij etiam de licentia Abbatis, vt docui c. 1. à n. 114. ad 119. & c. 15. per totum.*

DECISIO XXI.

Vlixbonensis 16. Nouembris 1580. coram Cantuccio ex vol. 2. Nouiss. Diuers. Decis. 134 de eadem Margarita, de qua sub decis. 18. & 19. supra.

1 *Dementia impediens professionem debet esse talis, vt vsum rationis auferat.*
2 *Testes deponentes de sana mente, debent concludenter probare de actibus, & signis multiplicatis, & successiuis excludentibus dementiam.*
3 *Testes deponentes de insania debent de proprio visu, & auditu deponere.*
4 *Negatiua furoris quomodo probanda per testes.*
5 *Furor non probatus per aliquod tempus continuum arguit dilucida fuisse interualla.*
6 *Dementia præsumitur probatis extremis.*

Licet in causa Vlixbonensi professionis, in qua die Mercurij 16. Nouembris 1580. dubitaui, an probentur dilucida, interualla Margaritæ, aliqui ex Dominis tenuerunt pro validitate professionis, eiusdem Margaritæ, non quia probentur dilucida interualla, sed quia existimabant, illam non fuisse taliter insanam, vt esset incapax professionis.

Nam eius dementia non erat talis, vt auferret ei vsum 1 rationis prout de iure requiritur ad professionem impediendam, iuxta tradita per *Socinum cons. 47. n. 9. lib. 3. Gallianl. in l. 1 in princ. n. 69. de verb. obligat. Paris. cons. 88. sub num. 40. lib. 3.* Et illis Dominis placebant deducta per informantes in facto pro parte D. Antonij, & præcipue actus confessionis, communionis, legendi Breuiarium, & emittēdi professionem benedictionis, qui actus durat per mul-

tas horas, quia cantatur carta votorum, & multæ interueniunt cæremoniæ, quam cantationem, & cæremoniam omnes Margarita cordate fecit, prout reliquæ, quæ eandem professionem simul emiserunt.

1 Nihilominus maior pars Dominorum persistebat in resolutionibus iam factis ex fundamentis, & considerationibus ex eis deductis, & fuit allegatus *Arctens de caus. & not. diuers. affect. lib. 1. cap. 6.* Et stricte ad dubium resolutum fuit, dilucida interualla Margaritæ minime probari, quia testes D. Antonij non deponunt
2 de actibus, & signis sanæ mentis Margaritæ, multiplicatis, successiuis, & continuatis per aliquod tempus considerabile, itaut non possint conuenire dementibus, iuxta tex. in l. Cum aliis, C. de curat. fur. prout latius deducitur in decis. facta 9. Maij Vers. Nec testes D. Antonij.

3 Nec obstant multi testes ponderati pro parte D. Antonij ad probandam negatiuam furoris, quia nullus testis dicit, Margaritam non potuisse dicere, nec facere aliquid insaniæ, quin audiuisset, vel vidisset, vt in terminis deducit *Alexand. cons. 141. num. 10. lib. 1. & consil. 140. n. 15. in princ. & num. 16. prope finem lib. 7.*

4 Nec obstat replicatio, quæ exemplo fit, quod testes deponentes super negatiua, si deponunt taliter, vt id quod dicunt sit eis verisimiliter cognitum, prout videntur deponere testes prædicti, tunc non est opus, quod dicant, non potuisse aliter fieri, quin vidissent, vt *per Aret. in cap. Tertio loco num. 9. quem sequitur ibi Felin. num. 5. Dec. num. 9. Vers. Sed Aretinus, de probat. Paris. cons. 162. num. 14. lib. 4.* Quia hæc replicatio potest dupliciter tolli. In primis, quod Aretinus requirit, quod deponentes super negatiuam dicant, implicite, vel explicite, se fuisse præsentes, nec vidisse fieri per tex. in §. Hinc nutis, prope finem ibi: *Testium dicentium se adfuisse his, quæ gesta sunt, & vidisse, quæ tunc agebantur.* Auth. de hæred. & falcid. prout idem Aretin. se declarat in cap. Cum causam num. 19. de testibus. Et tamen in casu nostro ex tot testibus, qui conantur probare negatiuam furoris, nollus dicit, se fuisse præsentem omnibus dictis, & gestis Margaritæ per tempus considerabile necessarium ad inducenda dilucida interualla. Vnde possibile fuit præsens, non dixerit, vel fecerit aliquid insaniæ, sed bene alia hora, qua testis non fuit præsens.

Præterea hæc replicatio potest, & alio modo euitari considerando; quod non sumus in negatiua valde coarctata puta ad diem, vel horam, sed sumus in negatiua coarctata ad tempus longius die, vel hora, nempe ad tempus considerabile necessarium ad inducendum dilucida interualla; quo casu testis, aut debet deponere, non potuisse fieri, quin videret, aut debet deponere per medium affirmatiuæ incompossibilis cum negatiua, vt post *Bald. in cap. 1. §. Si quis circa med. Vers. Tu dic. Si de feud. fuer. controu.* Bene declarat *Aret. in dicto c. Cum causam n. 10. Vers. Aut. negatiua non est coarctata, de testib.*

Vnde in proposito aut oportebat, testes prædictos dicere, Margaritam non potuisse dicere, vel facere aliquid insaniæ, quin audiuissent, vel vidissent, aut debebant dicere, quod Margarita per totum illud tempus, quod intendunt probare negatiuam, vel per aliud tempus considerabile ad constituenda dilucida interualla, semper locuta fuit ad propositum, & fecit actus sanæ mentis specificando illos, ne alias generaliter deponendo censerentur iudicare, nam ista affirmatiua dictorum, & gestorum Margaritæ per totum illud tempus fuisset incompatibilis cum negatiua.

5 Non obstat, quod in casu nostro dilucida interualla probantur ex eo, quod testes, qui conantur deponere de furore ante professionem non probant furorem per aliquod tempus continuum, *Bart. in l. 2. fine ff. de bon. poss. inf. furt. compet. Doctor. in l. Furiosum C. de testam. suc. Paris. alios citans cons. 87. num. 12. & 13. lib. 3. Alciat. de præsumpt. Reg. 2. præsumpt. 18. num. 1. Couar. in Epitome part. 2. capit. 2. numer. 6. Vers. Procedit tamen.*

Quia ista conclusio non applicatur casui nostro, in 6
quo est probata dementia Margaritæ, & post professionem, quo casu media dementia præsumitur, *Anchar. cons. 5. num. 5. Ruin. consil. 67. num. 11. prope finem lib. 1. Alex. cons. 54. n. 2. lib. 1. Purpur. consil. 254. num. 2.* Tunc autem intraret obiectum, si dementia Margaritæ fuisset probata solum ante professionem, nam eo casu, vt præsumeretur durasse vsque ad professionem, opus fuisset probare dementiam per aliquod tempus continuum, at secus, quando dementia probata est ante, & post actum, nam tunc præsumitur durasse tempore intermedio, quia probatis extremis præsumuntur media.

De probatione dementiæ, & furoris agitur hic, & in precedentibus 18. & 19. late ad dictu in nostro opere iuxta citationem in calce earum.

DECISIO XXII.

Valentinen. Coram Mohedano de excommunicatione incursa à monialibus Beatricem recipientes ad professionem infra annum probationis Decis. antecedentes sunt sex. in hac materia, prima sub tit. de probat. Decis. 5. alios 199.

1 *Remissoria in causis grauibus dari solet in prima instantia.*
2 *Moniales recipientes ad professionem infra annum probationis sunt suspensæ.*
3 *Remissoria calumniantibus denegatur.*
4 *Cap.* Non solum de Regul. in 6. *loquitur tantum de Mendicantibus.*
5 *Remissoria non releuans denegatur.*
6 *Professus infra annum probationis efficitur inhabilis in eodem ordine.*

Licet fuerit dictum pro parte monialium in causa 1
Valent. nullitatis professionis, quod in causis matrimonialibus, spiritualibus, & corporalibus in prima instantia, tanquam in causis grauibus consueuerit dari remissoria, in hac tamen causa fuit denegata.

Idem fuit datum dubium primo Aprilis 1541 R.P.D. Ioanni Paulo causam proponente, an sit danda remissoria, & an moniales habeant legitimam excusationem, quod admiserint Beatricem ad professionem infra annum probationis, vt non incurrerint suspensionem, de qua in *cap. Non solum de Regul. in 6.*

Fuit tentum per omnes, quod in hac prima instan- 2
tia non datur remissoria, quia calumniose petitur, & ratio fuit hæc, quia moniales semper prætenderent, vt 3
modo articularunt, quod nec sunt de ordine Prædicatorum, nec Mendicantium, & ex hoc sequitur, quod nunquam incurrerent censuras, de quibus in dicto capite; quia ille textus tantum obtinet in Mendicantibus.

Et quo patet, quod ipsæ, quæ se reputauerunt pro non 4
Mendicantibus nunquam se habuerint pro suspensis, ergo nunquam potuerunt cogitare de absolutione, nec eam petere, nec Prælati potuerunt hoc agere, vt vellent, eas absoluere, prout nec absolutionem dederunt, vnde cum petant remissoriam ad probandum, se absolutas esse à suspensione, constat de contradictione ipsa- 5
rum, & de manifesta calumnia, quia cum materia non sit releuans, remissoria denegatur, *Bald. in cap. Cum con-* 6
tingat, post princip. de off. deleg. l. Ad probationem C. de probat. Innocent. in cap. post electionem, de concess. probend. Item quia licet fuisset probatum, moniales fuisse absolutas, nihil releuat, quia Beatrix ex quo fecit professionem ante annum contraxit inhabilitatem, & non potuit ingredi in eodem ordine, vt dicit Lapus alleg. 4.

DECISIO XXIII.

Valentina eadem Decis. 1. alias 592. de Regular. apud eundem Mohedanum.

1 *Confessio ordinis in pluribus instrumentis, etiam per verba enuntiatiua probant contra producentem.*
2 *Moniales S. Catarinæ de Senis sunt Ordinis Prædicatorum.*
3 *Ordo propter statuta diuersificatur.*
4 *Instrumentum producens videtur confiteri omnia in eo contenta.*

CAusa nullitatis professionis D. Beatricis Margaritæ cum monialibus Monasterij S. Catarinæ de Senis Valent. diu in Rota fuit agitata, & ventilata ex eo, quod præfata Beatrix dicebat prædictum Monasterium esse Ordinis Mendicantium, & ipsam fecisse professionem infra annum contra *capit. Non solum de Regul. in 6.* Quo stante non solum professio erat nulla, sed ipsa erat incapax, vt posset in eodem monasterio profiteri, & moniales erant suspensæ, quia contra formam textus professionem admiserunt, & ad probandum, quod monasterium prædictum erat Ordinis Prædicatorum, qui est ordo Mendicans, inducebat mandatum ab Abbatissa, & monialibus datum, in quo dicebatur in pluribus locis esse Ordinis Prædicatorum; & insuper in mandatu ad litigandum à Vicario Generali Ordinis Prædicatorum dicebantur hæc verba: *Ad litigandum pro monasterio, & conuentu, & monialibus B. Catarinæ de Senis Valent. Ordinis Prædicatorum.*

Insuper ex multis Bullis per ipsum monasterium præsentatis, vbi nominabatur monasterium Ordinis Prædicatorum, fuit dubium 16. Ianuarij 1540. coram R. P. D. Ioanne Paulo causam proponente, an
1 ex scripturis prædictis constet, quod dictæ moniales
sint ordinis Prædicatorum. Et omnes Domini tenuerunt, quod per confessionem monialium emissam instrumentis productis per eas probetur intentio Beatricis, idest quod prædictum monasterium sit Ordinis
2 Prædicatorum. Nam licet confessio eliciatur ex verbis enunciatiuis, cum tamen instrumenta fuerint producta per moniales, bene potuit intentio Beatricis fundari, vt in decis. 281. in Nouis. Maxime cum moniales sint actrices ad decis. Ægidij 290. ad minus præsumitur pro Beatrice ex dictis instrumentis, vt ex decis. 578. in antiquis, quæ præsumptio adiuuatur considerationibus plurimis.

Quarum prima consideratio est cura, & administratio, quam habent Prædicatores super eas, & ipsæ dicuntur Ordinis Prædicatorum, *vt dicit Cardin. in Clem. 1. de Regul.*

Secunda, quod ipsæ viuunt sub constitutionibus
3 Prædicatorum, & propter statuta diuersificatur ordo,
Feder. consil. 11. Abbas in capit. Nimis, de excess. prælat. Ex hoc respectu dicunt Doctores, in capit. Non solum, quod ille textus habet locum in monialibus, maxime quia nullæ aliæ moniales reperiuntur ordinis Prædicatorum, nisi quæ viuunt sub cura, regimine, & institutis Prædicatorum. Item sumus in fauorabilibus respectu religionis, & monasteriorum iuxta *cap. ad Apostolicam, de Regul.*

His rationibus fuit sic conclusum, maxime quia in instrumentis erant confessiones geminatæ ad notata *per Bartol. in l. Cum scimus C. de agric. & censibus lib. 11.*
4 Item producens instrumentum videtur confiteri omnia contenta in eo, contra se, *Innoc. in capit. Cum venerabilis de except. & in cap. Cum olim, ante finem, de censib. Bald. in l. Post legatum, colum. 3. ff. de his, quibus vt indignis.*

DECISIO XXIV.

Valentina in eadem coram Mohedano decis. 2. alias 594. de Regularibus.

1 *Moniales gaudent priuilegiis religiosorum sui ordinis.*
2 *Instituta distinguunt ordines.*
3 *Statutum vnius ordinis non extenditur ad alium, nisi exprimatur.*

IN eadem causa ad euitandam suspensionem incursam, vt iam dictum est, dicebatur, quod prædictum monasterium S. Catarinæ de Senis erat Ordinis Sanct. Dominici, quia aliud est esse sub ordine, & aliud sub gubernatione; & licet esset monasterium sub gubernatione, non sequebatur, quod esset sub ordine; & ad hoc probandum fuit præsentata quædam copia Bullæ Innocentij IV. confirmata per Bonifacium VIII.
Vbi dicebatur, quod quæcunque moniales commissæ 1
fuissent gubernationi Fratrum Minorum virtute indulti Apostolici, non propterea dicuntur esse ordinis prædictorum Fratrum, sed huiusmodi commissio ad hoc extenditur, vt moniales sic commissæ gaudeant priuilegiis concessis, & concedendis Ordini Minorum, & prælati exhibeant constitutiones prædicti Ordinis Minorum. Sic in simili videbatur quod hoc monasterium S. Catarinæ licet esset sub cura, non tamen esset ordinis.

Fuit dubium 30. Ianuarij 1540. R. P. D. Ioanne Paulo causam proponente, an ex partita Compendij priuilegiorum Fratrum Minorum, & aliorum ordinum Mendicantium, cuius copia datur, constet, moniales, de quibus agitur, non esse ordinis Prædicatorum.

Fuit tentum per maiorem partem, quod per illam partita, de qua in dubio, non probatur, quod monasterium, de quo agitur, non sit de Ordine Prædicatorum, quia partita loquitur de monialibus commissis gubernationi. Nos autem loquimur, idest, noster casus est de commissis curæ, & regimini, & de viuentibus sub con-
stitutionibus Fratrum Prædicatorum, vnde cum insti- 2
tuta sint, quæ distinguunt ordines, vt dicit *Abbas in capit. Ad nostram il primo, de iureiur. & capit. Nimis il primo, de excess. prælator. Federic. consil. 12. Card. in Clem. 1. de Regul.* Sequitur, quod isti casus non sunt similes; & etiam quod loquatur illa partita de vno ordine scilicet Minorum, non ideo extenditur ad Præ-
dicatores *per c. Constitutionem, de Regul. libr. 6.* Vbi di- 3
citur quod statutum in vno ordine Mendicantium non extenditur ad alium ordinem Mendicantium, nisi exprimatur.

DECISIO XXV.

Valentina eadem, Mohedani Decis. 3. de Regular. alias 593.

1 *Professionis probatio necessario facienda, & non æquiuoce, sed concludenter.*
2 *Confessio in instrumentis productis per partem aduersam etiam verbis enuntiatiuis probat.*

IN eadem causa nullitatis professionis Valent. Monasterij S. Catarinæ de Senis vendicabat D. Beatricem tanquam professam in ordine S. Catarinæ. Illa autem dicebat, professionem esse nullam tanquam factam infra annum probationis in ordine Mendicantium.

Dubitabatur quis teneretur probare, & dubium fuit 23. Ianuarij 1540. R. P. D. Ioanne Paulo causam proponente, an moniales teneantur probare, se non esse ordinis Prædicatorum, an vero Beatrix ipsa esset Ordinis Prædicatorum?

Maior

Maior pars tenuit, quod siue Beatrix sit actrix, siue non, ipsa tenetur probare, quod Monasterium sit a. dinis Prædicatorum: Quia ipsa opponit hoc ad inualidandam professionem, & licet opponat per modum exceptionis, efficitur tamen actrix, & tenetur probare tanquam fundamentum suæ exceptionis.

Sed D. Rauellensis dicebat, quod cum in actis appareat, quod hæc professio fuit facta infra annum, monasterium quod tanquam actor vendicat ipsam Beatricem tanquam professam, debet probare professionem, taliter quod probatio ipsius necessario conclu-
5 dat, non æquiuocare, vt in *cap. In præsentia, de probat.* Et quando probatur professio simpliciter facta in ordine Mendicantium, opus est, vt probetur facta post annum.

Sed contra tenuerunt Domini, & omnes tenuerunt sicut dictum est, excepto D. Aquensi, quod D. Beatrix siue sit actrix, siue rea concludenter probauerit monasterium esse Ordinis Prædicatorum, per confessionem emissam in instrumentis productis per monasterium, quæ licet sit verbis enunciatiuis probant, cum instrumenta sint producta per Aduersarium, Rota decis. 182. in Nouis.

DECISIO XXVI.

Valentina eadem apud Mohedanum decis. 2. de sent. excom. alias 193.

1 *Moniales suspensæ non possunt recipere ad professionem.*
2 *Absoluendus debet petere absolutionem, aliter non est absolutus.*
3 *Testes deponentes per verbum* Credo *non probant.*
4 *Ratio, quod sit solitum fieri, non probat.*
5 *Probatio per possibile non concludit.*

IN eadem causa ex parte monialium dicebatur, quod licet professio expressa esset inualida, prædicta tamen D. Beatrix tacite fecerat professionem per perseuerantiam in monasterio per decennium. Ex parte autem altera dicebatur per moniales, quod erant sus-
1 pensæ, & non poterant recipere professionem per dictum *Capit. Non solum, de Regul. lib. 6.* Per easdem tamen fuit dictum, quod erant absolutæ, & probatum fuit per testes, videlicet per Fratres Confessores, & Prouinciales deponentes de diuersis actibus easdem
2 absoluisse; & alij testes dicebant, quod credebant, esse absolutas, quia communiter erat solitum absolui in festis solemnibus de omnibus censuris.

Fuit dubium 23. Martij 1541. R. P. D. Ioanne Paulo causam proponente, præsupposito, quod aliqui testes dicant, se absoluisse moniales, de quibus agitur, de tempore non recordantur, & alij dicant, se absolutas esse, quia consuetum est illas in festis solemnibus absolui, an probetur moniales absolutas fuisse.

Fuit tentum per omnes Dominos, quod testes non probant, quia primi sunt singulares, & alij loquuntur per verbum *Credo*, & reddunt rationem à solitis; & non constat, quod ipsæ petierint absolutionem, quod requiritur, *vt est Glos. & ibi Abbas in capit. Ab excommunicato, de Rescript. colum. penult.* Nec minus constat quod absoluens in absolutione voluerit absoluere ab ista suspensione; immo moniales nunquam se habuerunt pro suspensis, nec putarunt se suspensas; quod constat, quia ipsæ semper negarunt, se esse de ordine Mendicantium, & sic non intellexerunt, se esse suspensas, cum solum Mendicantes incurrant hanc suspensionem, de qua agitur.

Vnde cum nunquam putauerint se suspensas, non potuerunt petere absolutionem, & nec ipsæ, nec absol-
3 uentes de hoc cogitarunt. Ratio etiam est, quia oporteret probare absolutionem, & tempus, & non concludunt *ad Glos. in Clem. fin. de Rescript. Glos. in cap. Venerabilis, in glos. penult. de sent. excomm. in. 6. Bart. Alex. & alij in l. Non solum §. Sed vt probari, de noui oper. nunt.*

Nec probant testes deponentes per verbum *Credo*, 4
ad notata *in cap. Quoties de testibus*, & in l. Testium C. eod. Nec ratio, quod sic est solitum fieri conclu- 5
dit, ad notata per *Bart. in l. Non hoc C. Vnde cogn.* Quia probatio per possibile non concludit, sed debet concludere per necesse, *Bald. in l. Cum proponas C. de transact.*

DECISIO XXVII.

Valentina eiusdem professionis apud eundem Mohedanum decis. 3. de sent. excom. alias 196.

1 *Ignorantia iuris non excusat mulieres existentes in loco, vbi possunt consulere peritiores.*
2 *Mendicantes prohibentur recipere ad professionem infra annum probationis.*
3 *Notorium non licet ignorare, & num. 14.*
4 *Admittentes infra annum probationis peccant mortaliter.*
5 *Causa qualibet à dolo, & pœna corporis excusat.*
6 *Limitatur non excusare à culpa.*
7 *Censurari quis potest propter culpam.*
8 *Moniales Fratrum Prædicatorum non sunt Mendicantes.*
9 *Magistri opinio excusat iudicem à pœna sequendo eius opinionem.*
10 *Obligatus facere aliquid sub certa pœna, non incurrit illam propter scientiam, nisi illi sit facta intimatio.*
11 *Cap. fin. Qui matrim. accus. poss. cum Bartolo declaratur.*
12 *Clem. Vn. de concess. præbend. declaratur.*
13 *Bartolus declaratur.*
14 *Notoria ignorare non licet, supra num. 3.*

IN eadem causa Valent. nullitatis professionis dicebatur ex parte monialium, nullam incurrisse suspensionem, quia mulieres iuris ignorantia excusat, & non habuerunt animum dolosum. Ex parte autem contraria dicebatur, eas omnino incurrisse suspensionem.

Fuit dubium 4. Aprilis 1541. R. D. P. Ioanne Paulo proponente, an moniales habuerint legitimam causam excusationis, etiam quod admiserint Beatricem ad professionem infra annum probationis, & incurrerint suspensionem, de qua in cap. Non solum.

Fuit tentum, & conclusum per omnes quod non possint excusari moniales, quin incurrerint suspensionem, quia debuerunt consulere peritiores, & Canonistas, cum essent in loco, vbi erat magna copia iuris peritorum, & ratio est, quia ignorantia non excusat, quando sunt peritiores, qui consulant imperitis, ad notata *in l. leges sacratissimæ C. de legibus, & in capit.* 1
primo de constitut. & in Reg. Ignorantia, de reg. iur. in 6. Et cum omnes Doctores in dicto capit. *Non solum*, teneant, quod textus ille in dicto capit. Ignorantia extendatur ad moniales, si talis excusatio admitteretur, vtique dicta regula redderetur elusoria, quia semper allegaretur ignorantia, & Canonis: *Si quis suadente* pœna minus ligaretur, quod est contra notata *per Doct. in c. Mulieres, de sent. excom.*

Nec in eis potuit esse ignorantia, cum sit notorium 2
in Reg. obseruantiæ Mendicantium nullum esse admittendum ad professionem infra annum probationis. Et hoc tanquam notorium non potuit ignora- 3
ri, ad notata *per Doctor. & Abbatem in capit. primo de postulat. prælatorum, & scribentes in capit. Cum in sua*, Qui Matrimonium accusar. Hoc autem fuit 4
ignorantia,

ignorantia, & negligentia, quæ inducit mortale, *Glos.*
5 *in capit. Ea quæ, de offic. Archid. Anchar. in capit. pri-*
mo de offic. custod. Et licet quælibet causa excuset à do-
lo, & à pœna corporis afflictiua, vt vulgariter dicitur, l.
6 *Si ex plagiis, C. ad leg. Iul. de plag. cum aliis.* Secus tamen
est à culpa, *Bartol. in l. Iuste possidet ff. de acquir. possess.*
7 Et propter culpam potest censurari, *Capit. Nemo, capit.*
Nullus 10. *quæst. tertia.* Nec excusari potuit opinio *Pe-*
tri de Palude quarta dist. trigesima-tertia, quæst. secunda
capit. secundo, & Silu. v. Religio 3. Vers. Tertio quæritur.
8 Vbi dicunt, quod moniales Fratrum Prædicatorum
non sunt Mendicantes, & possunt infra annum pro-
bationis recipi ad professionem, quod idem tenet Ar-
chiepisc. Florent. in sua summa, quia potius essent
consulendi Canonistæ, quam Theologi, vt notat *An-*
char. in disputat. incip. Antiqui, & moderni. Et vltra in
dicto capit. Non potest, quod idem procedat in mo-
nialibus, bene *Lapus alleg. quarta, & quadragesima-*
quinta Glos. & Doct. in Clem. 1. de Regular.
9 Et licet opinio Magistri excuset iudicem à pœna se-
quendo eius opinionem, vt dicit *Angelus in l. Termi-*
nato C. de fruct. & litis expens. Abbas in capit. primo
de postulat. prælatorum. Et ideo sic videretur posse ex-
cusari moniales sequendo opinionem Doctoris sui or-
dinis. Tamen fuit dictum, quod in hoc casu Canoni-
stæ debebunt dici Magistri, qui sunt periti, & Doctor.
non autem Theologi, & sic tollitur id, quod dicitur,
10 quod quando quis tenetur ad aliquid faciendum sub
certa pœna, sola notitia non sufficit, sed requiritur in-
timatio ei facta, *vt Bartol. in l. Denuntiasse ff. de adulter.*
Et decis. vigesimaprima in Antiq.
11 Nec minus obstat *cap. fin. Qui matr. accus. & Bartol.*
in lib. 15. potest, de acquir. hared. Quia loquuntur in
alio casu distincto, & vbi agitur de priuatione, in qua
est necessaria vera probatio, & non per coniecturas, &
præsumptiones.
12 Nec obstat. Clem. vn. de concess. præbend. quia
procedit vbi agitur de amissione iuris, *vt Cardin.* ibi
in 3. q. cum tribus sequentibus.
13 Nec minus obstat, quod notat Bartol. in l. 1. ff. de re-
ceptat. & in l. omnes l. 2. C. de agricol. & cens lib. 12.
vbi receptans bannitum, licet alleget ignorantiam ban-
ni, non excusatur, si in loco erat notorium, quia loqui-
tur in notorio, non autem in fama, vt in alio casu. Et
hæc est ratio, quia notorium non licet ignorare.
14 Nec obstat cap. 1. de postulat. prælat. & cap. Illud, de
cler. excom. min. &c. Cum desideres, de sent. excom.
quia ibi non intelliguntur in tangentibus periculum ani-
mæ. Ita tenet *Abbas in dicto c. Cum desideres n. 6.*

Supradictæ sex Decisiones de Beatrice probant Moniales recipientes infra annum probationis dictam Beatricem ad professionem incurrisse suspensionem à receptione ad professionem. De qua pœna nunc abrogata dixi cap. sexto quæstion. trigesima-quinta num. 80. *Religiones Mendicantium principales declarauit Pius V. Ordinis Prædicatorum, Minorum, S. Augustini, & Carmelitarum, de quibus satis dixi cap. 1. à num. 43.*

Nota quod præcitata cap. Non solum, *&* Constitutionem *non inhabilitant nouitium professum infra annum probationis, quin possit profiteri, sed tantum textus dicit sic profitenti non obligari ei Ordini, vt indicant ea verba?* Decernimus, eum, qui taliter receptus fuerit, nullatenus vestro Ordini esse alligatum. *Non negat nouam receptionem, sed declarat, profitentem infra annum probationis non obligari eidem Ordini, ac proinde eius professionem esse nullam.*

DECISIO XXVIII.

Calaritana apud eundem Mohedanum decis. 1. de Præsumpt. alias 74. Gestatio habitus S. Antonij extra monasterium non probat, quam religiosam illius Ordinis, etiam quo fuerit nominatus, & se gesserit pro Priore, seu Commendatario.

In Causa Calaritana Canonicatus, & Præbendæ inter Iacobum de Aragal ex vna, & Antonium Ferret ex altera, contra quem opponebatur incapacitas habendi beneficium sæculare, quia professus fuerat Ordinem S. Antonij, & portabat, & portauit per multa tempora Habitum S. Antonij, & habebatur per Commendatore.

Fuit dubitatum, an delatio signi S. Antonij iuncta nominatione Commendatoris probet professionem? Et per omnes Dominos 14. Martij 1542. fuit tentum, & decisum, quod delatio habitus extra monasterium etiam cum nominatione non inducat, nec probet professionem, per notata per *Abbatem, & Doctor. in cap. Ex parte, de Regul. & in cap. Vt cleric., eod.*

Nec obstat, quod fuit probatum, quod Antonius multoties confessus est, se Commendatorem esse, & sic nominatus est. Quia fuit responsum, quod confessio tituli, vel iuris competentis, vel non competentis nec tollit, nec confert titulum, cum dependeat à Potestate Papæ, aut ab institutione, *cap. 1. de Regular. in 6. cap. Ex frequentibus, de Institut.* Facit decis. 408. & 421. in Nouis.

Quamuis delatio habitus inducat professionem tacitam, tamen non sufficit quæcumque delatio, sed hæc necessaria est intra monasterium, vt etiam Ego dixi cap. 16. q. 37. & 74. de Professione tacita.

Nota etiam, quod Sanchez lib. 6. cap. 7. num. 116. *cum multis tenet, Moniales Minorum, & Prædicatorum non esse sub nomine Mendicantium, quos sequitur* Barbos. lib. 1. de Iure Eccles. cap. 41. num. 217. aliis allegatis ab eod. Appellat. 147. num. 13. Tambur. de Iure Abbatiss. disput. 17. quæst. 1. initio. *Probat Barbos. quia si moniales comprehenderentur appellatione Mendicantium minime defatigarentur in obtinendis priuilegiis communicationum cum Ordinibus Mendicantibus.*

Sed contraria opinio, quod moniales Ordinum Mendicantium sint & ipsi vere Mendicantes, asserunt Glos. v. Quoslibet in Clemen. 1. de Regular. ibi Imola num. 8. Bonifac. num. 56. Lapus allegat. 4. ibi Mandos. in Addit. lit. A. *Probatur ex Bullis diuersorum Pontificum, præsertim Sixti IV. in Bulla 6. §. 16. in Bullario Nouo, & Bulla 7. §. 14. Bulla 19. §. 7. Leo X. Bulla 32. §. 1. Clemens VII. Bulla pro Carmelitis 31. per totam, & apud Confect. Bulla V. pro eisd. Paulus IV. Bulla 1. apud eundem Confectium Pius V. Bulla 2. apud eundem Gregorius XIII. Bulla 7. ibidem Sixti V. Bulla 5. Item Clemens VIII. apud dictum Confect. fol. 287. Supradicti omnes Pontifices concedunt priuilegia, & ea confirmant promiscue, & indifferenter personis religiosis vtriusque sexus, prout eisdem competentibus, vt sunt Mendicantes, ergo non solum Fratres, sed etiam Sorores, & Moniales nuncupantur verè Mendicantes, ex æquali concessione, & participatione priuilegiorum, quæ communicantur Mendicantibus. Et ex his tollitur argumentum Barbosæ, esto enim Romani Pontifices aliquid specialiter monialibus petentibus concesserint, quod eisdem fuerat concessum communiter cum Fratribus sui Ordinis, non adeo hinc infertur generalem concessionem factam Mendicantibus non competere eisdem Monialib. quia postea specialiter petierint, id enim fecerunt, vt gratia esset potentior, & efficacior, quia plus solet timeri, quod singulariter conceditur,* cap. Quamquam 6. distinct. 23. *vnde quandoque à Papa specialiter conceditur iure communi alias concessum,* Glos. in cap. Vt debitus honor 59. de Appellat. v. Ante sententiam in fine, per cap. Et si Christus, fine 36. de Iureiur. *Itaque Sorores reuera Mendicantes dicuntur, sicut Fratres eiusdem Ordinis.*

DECI

DECISIO XXIX.

Bononienſis Profeſſionis Fr. Ioannis Caccialupi Religionis Hieroſolymitanæ ſub die 14. Maij 1621. coram Merlino extenſa apud eundem deciſ. 18 & Rubeum deciſ. 365. tom. 2. part. 4.

Monachus ſi in aliqua Religione diu degerit ibique tacite profiteatur, ac deinde relicta prima Religione ad aliam tranſierit, ibique expreſſe profecerit, necnon per multum tempus ſteterit, dato modo, vt iterum reuertatur ad primam, ac pendeat lis ſuper validitate tranſitus. Dubitatur, dum ea pendet, cuinam Religioni danda ſit manutentio in quaſi poſſeſſione exercendi actus ſuperioritatis in dictum religioſum. Et concluſio eſt ad fauorem ſecundæ Religionis, concurrentibus tamen requiſitis, de quibus in hac Deciſione.

1 *Quaſi poſſeſſio ex quibus cenſeatur amiſſa.*
2 *Dominus negligendo cuſtodiam Serui fugitiui, illius poſſeſſionem amittit, poſtquam ab alio fuit apprehenſus.*
3 *Superior Religionis dum negligit recuperationem ſubditi ad alium Ordinem tranſeuntem, illius poſſeſſionem amittit, num. 29.*
A ſeruo ad monachum recte infertur, infra 5.
4 *Decennio non eſt opus ad amittendam ciuilem poſſeſſionem, ſtante ſcientia.*
5 *Modicum tempus ſufficit ad eam amittendam, data ſcientia.*
6 *Superiores ſingulis annis tenentur requirere ſuos ſubditos.*
7 *Scire, & debere ſcire paria ſunt.*
8 *Scientia totius Religionis, vel Generalis non eſt neceſſaria, quando monachus aufugit, ſed ſufficit eius, ſub cuius cura erat, vt illius poſſeſſio amittatur.*
9 *Poſſeſſio acquiſita lite pendente non eſt manutenibilis.*
10 *Poſſeſſionem ciuilem non dicitur quis amiſiſſe, ſi ſtatim amiſſa naturali procurauit illius recuperationem.*
11 *Superioritatis, & poteſtatis quaſi poſſeſſio ſicuti datur à patre erga filium, ita datur in Superioribus Religionum erga monachum.*
12 *Religionis ſuperior non dicitur amittere poſſeſſionem monachi, quamuis ipſe reſilinerit, & ab alio detineatur, nec animum habeat reuertendi, dummodo ipſe ſuperior inſtet pro recuperatione.*
13 *Religionis profeſſus velit nolit dicitur obnoxius, & conſtitutus in quaſi poſſeſſione ſubiectionis.*
14 *Monachus in quo non comparatur ſeruo.*
15 *Religioſus comparatur filio, & ideo cenſetur ſemper conſtitutus ſub poſſeſſione poteſtatis ſuperioris.*
16 *Religioſus tunc comparatur ſeruo, quando id magis prodeſt, ac proficit Religioni.*
17 *In ſubiectionis quaſi poſſeſſione datur manutentio contra ſubditum obedientiam ſuperioris recuſantem.*
18 *Religioſus tranſeundo de vna ad aliam religionem, dum pendet lis ſuper validitate tranſitus, ſecunda interim habet remedium poſſeſſorium, & retinenda num. 19. & quare num. 20.*
21 *Tacitum non eſt eiuſdem virtutis, qua expreſſum.*
22 *Profeſſio expreſſa præferenda tacitæ.*
23 *Manutentionem, quando duo petunt, ille obtinere debet, qui habet clariores, & meliores probationes.*
24 *Profeſſio tacita, vt votiua dicatur, opus eſt, vt quinque requiſita interueniant.*
25 *Profeſſio tacita rariſſime poſt Tridentinum à religioſis fit.*
26 *Lis dum pendet ſuper validitate tranſitus religioſi de vna religione ad aliam, tunc datur primo monaſterio retentio. Hæc opinio Zab. rella non recipitur; & declaratur numer. 28. cum Sanchez num. 30.*
27 *Pro opinione aliqua quis anteſignanus adduci non poteſt, ſi ipſe contrarium ſentiat, vel adeo obſcure loquatur, vt quid ſentiat haberi non poſſit.*
31 *Religioſus dum tranſit ad aliam religionem an teneatur petere licentiam à ſuperiore.*
32 *Religioſus tranſeundo nulliter profitendo reuocari poteſt.*
33 *Tranſiens non petita licentia ad arctiorem non reuocatur.*
34 *Barnabitarum religio eſt perfectior, & arctior Melitenſi.*
35 *Barnabitarum ordini incumbit officium prædicationis, doctrinæ, & vita contemplatiua, qui ſunt gradus altiſſimæ perfectionis.*
36 *Religio illa dicitur arctior alia, quæ habet duriorem, & aſperiorem viuendi rationem.*
37 *Religiones Clauſtrales ſunt arctiores militaribus.*
38 *Tranſeundo etiam ad ſtrictiorem tenetur petere veniam.*
39 *Obedientia bonum non eſt contemnendum.*
40 *Tranſiens ad arctiorem ex humilitate tenetur petere licentiam.*
41 *Si conſtat tranſitum fuiſſe ex ſpiritu maioris deuotionis etiam ſine licentia non imputatur inobedientia.*
42 *Milites Hieroſolymitani ſine vlla venia tranſeunt ad clauſtrales.*
43 *Spiritus Dei ibi eſt, vbi libertas.*
44 *Deo inſpirante acta non ſunt ſub lege, quia lex non eſt poſita iuſto.*
45 *Charitas eſt fons proprius, cui non communicat alienus.*
46 *Indultum Anaſtaſij IV. ne Milites ſine licentia ſuperiorum tranſirent ad alium Ordinem, declaratum fuit ab Innocentio III. in cap. Licet, de Regul. num. 47.*
48 *Tranſiens ad arctiorem, & ibi profitendo cum ſcientia primi ſuperioris, cenſetur licentia eidem conceſſa.*
49 *Ad poſitorium ſunt reiicienda, quæ difficultatibus ſunt implicita.*
50 *Religioſus ſuperiore inſalutato à ſecunda propria auctoritate redire poteſt ad priorem.*
51 *Ex quo infertur, pendente lite ſuper validitate tranſitus, manutentionem eſſe concedendam primæ religioni. Quomodo id ſit verum dicitur ſub n. 52. 53. & 54.*
55 *Limitata in dubio præſumitur, dum de vna ad aliam fit tranſitus.*
56 *Veritati apparenti cedunt omnes præſumptiones, & num. 57.*

IOannes Caccialupus à pueritia habitum, & inſignia Illuſtriſ. Religionis Hieroſolymitanæ ſuſcepit, & diu geſtauit, multaque vt aſſerebat, ſuccedentibus annis, munera, quæ illius Ordinis Equitibus demandari conſueuerunt, obiuit, ac etiam penſiones à Magno Magiſtro obtinuit, nulla vnquam expreſſa profeſſione emiſſa.

Anno vero 1614. Congregationem RR. PP. Clericorum Regularium Sancti Pauli nuncupatorum Barnabitarum ingreſſus eſt, ibique peracto tirocinio ſolemniter ſe Deo addixit, vota illius religionis ſpopondit, & per ſex annos continuo degit, inter quos ordines orta altercatione, mihique cauſa commiſſa, hinc inde anxie petita fuit manutentio in quaſi poſſeſſione exercendi actus ſuperioritatis in dictum Caccialupum, ab eoque recipiendi præſtationes obedientiæ. Et hodie propoſito dubio, Domini manutentionem prædictam denegando Hieroſolymitanis concedendam dixerunt Barnabitis.

Vt autem Hierosolymitanis denegareot, impulit
Dominos, quoniam aut ipsi innitantur prima illa quasi
possessione eaeteita in Caceialupum antegoam profes-
sionem emisisset apud Barnabitas, aut alia posteriori,
quando eis relictis ad eosdem Hierosolymitanos con-
fugit, & nulla visa est suffragari.

Non prima, quoniam cum ipsi passi fuerint Caccia-
lupum ab illis resilire, & per sex annos extra eorum
militiam in Barnabitarum Cœnobiis commorari, illa
1 quasi possessio amissa fuit. *Bartol. in leg. 1. §. Huius
autem numer. 3. vers. Quarto modo, ff. Vt ij possid.
Doctor. in leg. 1. §. Seruus, & in leg. Si rem mobilem,
ff. de acquirend. possess. Rota apud Cardin. Manticam
decis. 95. & in Assis. Canonicatus 14. Iunij 1606. co-*
2 *ram Illustriss. Cardinal. Sacrato.* Et quemadmodum
Dominus negligeodo custodiam serui fugitiui, illius
possessionem amittit, postquam ab alio volens fuit ap-
prehensus, licet secus ante *leg. 1. §. Per seruum, ff. de
acquirend. possess. vbi Alexand. num. 7. Imola num. 27.
& 29. & melius Castr. numer. 4. Bald. in leg. 1. numer.
33. post. med. vers. Solue ciuiliter, C. de Seruis fugit.*
3 Ita etiam videtur idem statuendum in superiore Reli-
gionis, dum oegligit recuperationem subditi ad alium
ordinem transeuntis, cum recte inferatur à seruo ad
monachum, *Authent. Ingressi, C. de Sacrosanct. Eccles.
Innocent. in cap. Cum olim de priuileg.*

4 Nec decennio opus erat ad hanc eiuilem possessio-
oem amittendam, stante scientia Hierosolymitanorum,
quod Caccialupus à Barnabitis quasi possideretur,
quia in hoc casu sufficit modicum tempus, iuxta vulg.
5 *Cravetta consil. 235. numer. 2. quod Rota sequitur, vt
in dicta Assis. & in Romana Canonicatus Sancti Marci
25 Februar. 1611. coram R. P. D. Pamphilio, & in Ro-
mana Stagni 6. Iunij hoc anno coram R. D. P. Decano.*
Et bene facit, quod in terminis serui tradit *Iman e. De
seruorum n. 4. vers. Et ideo non placet, de seruis non ordin.*

6 Huiusmodi autem scientia Hierosol. quod nempe
Caccialupus alterius Ordinis potestati se subiecerit ex
eo innotuit, quod superiores religiosorum tenentur
singulis annis perquirere, & notitiam habere de eo-
rum subditis, & eos vt ad propria reuertantur mona-
steria compellere, ex *tex. in cap. fin. de regul. & ibi*
7 *notant Canon. Roman. consil. 341. num. 2.* Et signanter
idem cautum videtur io stabilimentis Ordinis Hiero-
solym. titul. 6. num. 10. & propterea cum M. Magister,
siue alij superiores indagare, & scire tenerentur sta-
tum Caccialupi, omoino præsumenda est prædicta
scientia ad tradita per *Menoch. præsumpt. 23. nu-
mer. 66. lib. 6. & in similibus terminis Rota decis. 166.
par. 1. Diuer.*

8 Nec requirebatur ad hoc scientia totius Religionis,
nec etiam ipsius M. Magistri, sed sufficiebat scientia
Prioris, sub cuius potestate degebat. Caecialupus
tempore quoad Barnabitas se contulit, vel alterius offi-
cialis ad doctrinam *Bartol. in leg. Publicanus, §. fin. ff.
de public. Aret. consil. 42. num. 3. fine, Peregr. de Iure
Fisci, lib. 6. tit. 8. num. 26.*

Minus alia posterior quasi possessio Hierosolymit
Ordini suffragatur, postquam Caecialupus emissa apud
Barnabitas professione ad ipsum iterum est reuersus,
quooiam cum hæc reuersio, siue fuga Barnabitas ad in-
dicium excitauerit pro recuperatione Caecialupi; &
9 hine orta lis huiusmodi quasi possessio Hierosolymita-
norum non erat manutenibilis, *Afflictus decis. 395.
num. 7. Puteus decis. 419. Et fuit dictum etiam coram
Sanctissimo in Abul. iuris visitandi 28. Iunij 1600. quæ
est decis. 30. num. 1. par. 2. Recent. & in Romana Diui-
sionis 4. Februar. 1619. coram R. P. D. meo Vbaldo, &
alibi sæpissime.*

Patribus autem Barnabitis concedendam dixerunt
Domini manutentionem, qoia in confesso est apud
patres, quod Caccialupus emissa professione, per sex
annos computato anno probationis cootinuo degerit
10 sub Regula, & obedientia Superiorum ipsius Religio-
nis Barnabitarum; qui statim ac ab illis recessit reti-
nentes animo ciuilem recuperare contenderunt natu-
ralem quasi possessionem, quæ quidem quasi possessio
superioritatis, & potestatis quemadmodum datur à 11
Procuratore erga filium ita datur superioribus religio-
rum erga suos subditos, *Bartol. in leg. Cum heredes, §.
Item quæro, num. 2. ff. de acquiren. possess. vbi Aretin. pro-
pe fin. Castr. n. 2. Alex. num. 2. & Angel. in fin.*

Nec huiusmodi possessio amittitur, quamuis religio- 12
sus resiliret, & ab alio detineretur, nec animum haberet
reuerteodi dummodo tamen superiores contiouaue-
rint animo suæ obedientiæ fugitiuum subiicere, & sic
possidere, vt bene Barnabitæ perstiterunt, quia velit no-
lit religiosus obnoxius dicitur, & constitutus in quasi 13
possessione monasticæ subiectionis, *Bartol. in leg. 1. §.
Per seruum l. 1. num. 2. Alex. num. 7. & 9. Iason num.
13. Angel. in fine. Cuman. n. 3. ff. de Acquirend. possess.*
Qui propterea prudenter inferuot, hoc casu religio-
sum non comparari fugitiuo, in quo si ab alio detinea- 14
tur, & animum noo habeat reuertendi, dominus oon
habet continuationem possessionis, ad *leg. Si rem mobi-
lem, ff. de Acquirend. possess. & notatur in dicta leg. 1.
§. Per seruum, eod.* Sed æquiparari filio, ac proinde 15
censeri constitutum sub quasi possessione potestatis su-
periorum, nisi ipsi aoimo illam destruxerint, *Bartol. in
dicto §. per seruum. Aretin. num. 67. & 68.* Fatetur, hanc
sententiam esse veriorem, licet deinde contrarium te-
neat; & *Iason ibidem num. 14.* testatur de magis commu-
ni, & vera, & signanter reprobat cum *Ripa in leg. 1.
num. 151. ff. de vulg.* quos & alios congestos sequitur
Cenallos opin. comm. contra commun. 446. n. 1. Compara- 16
tio autem illa, quæ fit ioter seruum, & religiosum ad-
mittitur, quando religioni magis proficit, & prodest.
*Alex. dicto §. Seruum num. 12. & Addentes ad Bartol.
ibidem, Felin. in cap. Præsenti, de probat. in fine, Ce-
nall. dicta quæst. 446. num. 19.*

Firmata igitur hac quasi possessione & illius conti-
nuatione saltem animo Patribus Barnabitis, consequen-
ter, vt dicebatur, debita fuit visa manutentio, quia datur
in quasi possessione subiectionis contra subditum obe- 17
dientiam renuentem, *Abbas in cap. Suborta n. 2. de Sen-
tent. & re iudicat. vbi Butr. n. 7. Zabarell. in prima op-
posit.* Et in terminis, qood pendente lite super inualidi-
tate transitus de vna ad aliam Religionem, secunda ha- 18
beat remedium possessorium, & retineodæ firmant Ca-
nonistæ in dicto *cap. Licet, vbi Innocent. n. 7.* Qui loqui-
tur quando transitus fuit ad arctiorem Ordinem, *Ioann.* 19
*Andr. n. 11. versic. Sed apud quem, Host. num. 16. vers.
Sed apud, Butr. n. 10. & 11. Ancharan. n. 13. & omni-
bus Clarius Abbas n. 15. vers. Quo ad secundum.* Et op-
tima ratione, quia secundum monasterium est in quasi 20
possessione, & etiam rei partes sostinet, & ideo penden-
te iudicio super validitate transitus, & an fuerit petita
licentia, huiusmodi quasi possessio est manutenenda, ad
*§. Retinendæ, Instit. de Interd. cum vulg. & per Canon. præ-
cipue Host. n. 16. vers. Tu autem dicas, in dicto cap. Licet.*

Quæ eo vrgentiora visa sont, quia Barnabitæ exhi-
bent expressam scripturam & omni ex parte probatissi-
mam professionem Caccialupi io eodem Ordine solem-
niter emissam. Hierosolymitani autem dedocunt ex
pluribus actibus professionem virtualem dumtaxat, siue
tacitam, quæ tanti non videtur esse, vt cum expressa,
præcipue in hoc iudicio summarijssimo sit comparao- 21
da, & expressam professionem emissam in secundo
monasterio præferri tacitæ in primo editæ, tradit *So-* 22
*cin. Sen. in leg. 3. §. Per seruum, num. 14. vers. Postre-
mò, ff. de Acquirend. possess. & consil. 270. num. 12. & 13.
lib. 2. Probus ad Monachum in cap. Constitutionem,
num. 2. & 3. de regul. Tiraquel. de leg. Connub. glos. 7.
num. 52. Decian. respons. 18. num. 5. lib. 3. Socin. iun.
consil. 477. num. 12. lib. 4. Franc. à Ponte consil. 40.
num. 46. lib. 2.*

Et certissimum est in concursu petentium manuten- 23
tionem obtinere habentem clariores, & meliores pro-
bationes

bationes, ac magis titulatam, & nitidius probatam
possessionem, Bartol. in leg. Si duo, num. 4. ff. Vti
possid. Socin. consil. 194. num. 9. lib. 2. Curt. consil. 24.
num. 3. Menoch. de retin. num. 718. & fuit dictum in
una Senegall. iuris parendi 25. maij 1609. coram Sanct.
24 Domino. Præsertim cum tacita hæc professio pluribus
impugnetur ab informantibus pro Barnabitis, tamquam non suffulta illis quinque requisitis, de quibus
per Sanchez lib. 5. capit. 3. num. 14. ad 18. qui num. 13.
25 monet post Concilium Tridentinum, rarissime contingere, & valide fit vt profiteatur.

Nec obstat, quod Zabarell. in dicto cap. Licet, num. 16.
vers. Et de illo, & Anan. num. 6. dixerunt, pendente
huiusmodi iudicio super validitate transitus primo mo-
26 nasterio dari retentionem, quorum dictum sequitur
Sanchez lib. 6. cap. 7. num. 101. qui etiam mendosè pro
sua sententia allegat Innocent. & Archidiac. in dicto
cap. Ille enim contrarium verbis rotundis docet, & à
Panormit. pro contraria sententia Antesignanum addu-
27 cit. Hic vero vel etiam contrarium dicit, vel adeo obscure loquitur, vt quid sentiat haberi non possit.

Quoniam vltra quod, vt supra ostendi, contraria
opinio Panormitani est verior & receptior dicto Zabarellæ. Et Sanchez non applicatur, loqui enim viden-
28 tur, quoties statim discesso monacho primum monasterium retinens animo quasi possessionem instar pro purgatione spolij, vt per Sanchez, qui non est casus noster, quia Caccialupus per sex annos seorsim degit à
29 Hierosolymitanis ipsis acquiescentibus, qui propterea
quamcunque possessionem videtur deseruisse ea supra
deductis, necnon loquuntur, quando monachus in se-
30 cundo monasterio ad quod transiuit, non est professus.

Minus etiam obstare visum est, quod quamuis Caccialupus transeundo ad Barnabitarum ordinem, veluti
arctiorem non teneretur obtinere licentiam, debuis-
31 set tamen ne dum ex dispositione capit. Licet, de regul.
sed etiam ex priuilegijs Hierosolymitanorum illam petere à M. Magistro, vel alio superiore; & propterea
non petita licentia transitus, & professio emanata apud
Barnabitas fuerit omnino nulla, & ipse reuocari potue-
32 rit ad primam Religionem secundum opinionem Host.
in dicto cap. Licet, num. 9. & 24. Butr. num. 13. Abbas num. 10. Zabarell. num. 3. Ancharan. num. 11. de
regular. Nauarr. consil. 59. de regul. num. 11. Sanchez
lib. 6. cap. 7. num. 95. Miranda in Manuali Prælator.
tom. 2. cap. 31. art. 6. conclus. 1. fine.

Quoniam hæc omnia dixerunt Domini altiorem requirere indaginem, & discutionem petitorij respicere,
vltra quod contrariã sententiam nempe transeuntem ad
ordinem arctiorem, etiam non petita venia nequaquam
33 reuocari posse ad primam religionem, secuti sunt grauissimi Patres, quemadmodum ea Canonist. Glos. in
dicto cap. v. Licentiam, & ibi Goffred. Petrus, & Abbas antiq. & Glos. in cap. Sane, de regul. & ibi Innocent.
in fine, Archidiac. in dicto cap. 2. in princ. 19. quæst. 3.
Turrecr. in cap. 19. quæst. 3. Barbat. consil. 9. num. 8.
vers. adduce, lib. 2. Carolus Tapia in authen. ingressi,
cap. 9. num. 21. C. de Sacrosan. Eccles. qui loquitur de
Militibus religiosis. D. Antonius in Sum. par. 1. tit. 11.
cap. 2. §. 9. vers. Hoc autem videtur. Ricardus in 4. distinct. 38. art. 8. quæst. 1. ad 3. argum. vbi Palud. quæst.
4. num. 43. Silu. religio 4. quæst. 1. notat. 4. Tabien. eodem quæst. 24. num. 23. Lessius falso contrariæ opinioni
adscriptus à Sanchez, de inst. lib. 2. cap. 41. dub. 25.
num. 101. Monaldus §. regularis, initio.

Nec inter patres ambigebatur, quin Barnabitarum
34 religio sit perfectior, & arctior Hierosolymitana Militia, quia illa incumbit prædicationi, doctrinis, & vitæ
contemplatiuæ, qui sunt gradus altissimæ perfectionis;
35 hæc autem tanquam militaris vitæ tantum actiuæ insudat, vt in terminis D. Thomas 2. 2. quæst. 188. art. 3.
& ideo illa dicitur omnino perfectior, secundum eundem Thomam ibidem art. 6. D. Anton. par. 4. sum. tit. 16.
cap. 4. ante finem, vers. Non ergo, Sanchez lib. 6. cap. 7.
num. 19. Est etiam arctior, quod ad hunc effectum attenditur secundum Canonist. ex Lessio dub. 13. & Sanchez num. 21. Quia ibi durior, & asperior est viuendi
ratio, quam in Hierosolymitana Militia, ex quo dignos- 36
citur quod est arctior Ioan. Andr. in cap. Sane, num. 8.
post. med. de regul. Sanchez citat. Et in terminis, quod
Religiones Claustrales ad hunc effectum transeundi ad 37
illas sint arctiores Militaribus Religionibus, notat Tapia in dicta authen. ingressi, cap. 9. num. 21. C. de sacro
sanct. Eccles.

Verum esto veritate illæsa veriorem, & receptiorem
esse opinionem Host. Dominis visum fuit, posse dici,
illam non officere Barnabitis, quandoque tota ratio 38
illius sententiæ in eo posita est, quod transiens ad
aliam licet strictiorem non petita venia à primo superiore, præsumitur, quod ex leuitate, & temeritate
transeat. Si enim bono zelo, & sanctioris vitæ desiderio arctiorem disciplinam, vt Christo serius famule- 39
tur, eligere libenter illius humilitatem, & obedientiam imitatus primo Prælato veniam exposcendo se
subiiceret, vt deducitur ex verbis dicti cap. Licet, ibi
Ne bonum obedientiæ contemnere videatur. Et expresse
ibi notant Panormit. numer. 10. Zabarell. numer. 15.
Sanchez lib. 6. cap. 7. numer. 13. Et hanc licentiam petendam esse solum propter humilitatem docet D. Tho- 40
mas 2. 2. qu. 189. art. 8. in corp.

Cæterum hæc leuitatis præsumptio cessauit in Caccialupo, & videbatur casus versari in claris, quoniam
ipsi, & Hierosolymitani fassi sunt in commissione causæ ipsum ad Barnabitas maioris deuotionis spiritu im- 41
pulsum transiuisse; & sic nõ militat ratio sententiæ Host.
Et omissio petitionis veniæ primo Prælato nequaquam
inobedientiæ ascribi debuit, sed potius consuetudini, cum passim Milites Hierosolymitani in hoc non secus, ac sæculares nulla petita venia à M. Magistro, 42
aut alio superiore se conferant, & recipiantur in Ordinibus Claustralib. & signanter Patrum Theatinorum,
Discalceatorum Carmelitarum, Capucinorum, & aliorum sedulo humilitatis, & obedientiæ virtutibus incumbentium, vnde spiritus ille maioris deuotionis
Caccialupi in transitu ad arctiorem ordinem non videbatur adstrictus necessitate petendi veniam à M. Magi- 43
stro, quia vbi Spiritus Dei est, ibi libertas, & quæ
Dei afflatu aguntur, non sunt sub lege, quia lex non 44
est posita iusto, vt in dicto capit. Licet. Et clare huic
sententiæ fauet conclusio textus ibi: Mandamus, quatenus super eo, quod de corde puro, & conscientia bona, &
fide non ficta fecisse scilicet transitum ad arctiorem Ordi- 45
nem dignoscitur eum nullatenus molestetis, quia charitas fons est proprius, cui non communicat alienus.

Et ita videbatur euitari indultum Anastasij IV. con- 46
cessum Hierosolymitanis, vt sine illorum licentia ab
eis non licet transire ad aliam Religionem, quia huiusmodi priuilegia concessa Hospitalariis, quales sunt
Hierosolymitani fuerunt postea declarata ab Innocent.
III. in dicto cap. Licet, quod non comprehendant ca- 47
sum, quo quis ad arctiorem transit Religionem sanctioris vitæ desiderio, vt ibi notant Canonistæ.

Rursus fuit consideratum, quod cum, vt supra dixi,
per multos annos Caccialupus seorsim à Hierosolymitanis, & ipsis scientibus commoratus, & professus fuerit apud Barnabitas, videtur posse dici, quod ne dum 48
petita, sed & concessa fuerit quæcunque necessaria licentia à superioribus Hierosolymitanis, ad doctrinam
Felini, in cap. Sicut, numer. 29. versic. Simile, de Re
iud. Socin. consil. 270. numer. 3. vers. Sed si recte lib. 1.
& in leg. 1. §. Sed per seruum, num. 14. ff. de Acquirend.
possess. quos secuta est Rota in Brix. Parochialis 20. Martij 1620. coram R. P. D. meo Vbaldo.

Sed quicquid sit de prædictis, hoc vnum certo cer- 49
tius est, exceptionem Hierosolymitanorum valde ancipitem esse, & difficultatibus implicatam, & propterea, vt dixi vti altiorem indaginem requiri, ad petitorium omnino reiiciendum, nec impedire manutentionem

nem Barnabitis ex illorum quasi possessionem debitam.
*Rota apud Manticam decis. 272. n. 4. & 5. & Cardinal.
Seraphin. decis. 971. in fine.*

Iisdem etiam responsionibus tolli videbatur, quod
dicebatur, ita transeuntem non petita licentia à prima
50 Religione posse propria anctoritate à secunda resilire,&
primæ se restituere, secundum opinionem *Sanchez
lib. 6. cap. 7. 89. 96. & 98. vbi allegat Abbat. consil. 95.*
51 *lib.* 1. Quorum dicta videntur inferre, quod manuten-
tio sit debita primæ Religioni, quoniam loquuntur cum
præsupposito, vt fatetur Sanchez num. 96. quod vera
52 sit opinio Host. & aliorum, qui dixerunt non petita li-
centia reuocari, quæ tamen nec contradictoribus caret,
nec rationibus illam impugnantibus, vt supra latius
53 ostensum est. Insuper loquuntur, quando ex leuitate,&
malo animo transiuit ad secundam Religionem, vt per
54 Abbatem, & Sanchez num. 89. Vel saltem quando
est dubium, quo spiritu transierit, quia leuitas in du-
55 bio præsumitur, vt in dicto cap. Licet, quod secus
omnino videtur, quando præsumptio cedit veritati, vt
56 in præsenti casu, quia liquet bono spiritu Caccialupum
ad Barnabitas transisse, quo quasi nec principalis sen-
tentia Host. & aliorum, ex qua hoc dictum Abbatis,
& Sanchez infertur, vera esse videtur, vt supra
ostendi.

57 Minus etiam dicta Abbatis, & Sanch. opinio admit-
tenda est, vbi saltem tacita licentia concurrit desump-
ta ex scientia, & patientia Hierosolymitanorum, quod
nempe Caccialupus professus fuerit, & degerit per sex
annos apud Barnabitas. Et ita vtraque, &c.

*De transitu ab vna ad aliam Religionem late egi cap. 18.
quæst. 65. num. 96. vbi probaui nullam esse professionem
ad arctiorem non petita licentia, est enim hæc de forma
transitus, & professionis. Doctores in hanc sententiam ci-
tat hæc Decisio sub num. 32.*

DECISIO XXX.

Zamorensis coram Vbaldo die 17. Iunij 1621. apud
Rubeum tom. 2. par. 4. decis. 411. De moniali
Eleonora, quæ post primam sententiam super nul-
litate eius professionis, statim egressa, habitu di-
misso duxit matrimonium, &c.

1 *Appellatio datur à sententia iudicis, in qua se compe-
tentem declarat.*
2 *Attentata sunt omnia gesta appellatione pendente.*
3 *Monialis pendente appellatione à sententia nullitatis
suæ professionis non potest ducere maritum.*
4 *Attentatis turbidis existentibus procedendum est ad
cognitionem causæ principalis.*
5 *A sequestro Causa non est incipienda.*
6 *Clausula* arbitrio *intelligenda prout de iure.*
7 *Iudex sententiam ferens pro nullitate professionis, du-
bitandum est de eius valore, si constet de professio-
ne expressa.*
8 *Monialis vigore primæ sententiæ de nullitate suæ pro-
fessionis, & stante appellatione non potest nu-
bere.*
9 *In possessione nutritiua peccati quis non est manutenen-
dus.*
10 *Quando mulier est sequestranda in aliquo monasterio,
donec cognoscatur de subsistentia matrimonij.*

CAusa nullitatis Professionis D. Eleonoræ fuit ad
eius instantiam commissa Ordinario Zamorensi
vigore Breuis fœlicis recordationis Pauli V. ad quam
causam fuit pro suo interesse admissus Christophorus
de Miranda, qui Ordinarius die 8. Ianuarij 1619. se
competentem iudicem in dicta Causa declarauit, & E-
leonoram probasse requisita, & circumstantias per
dictum Breue petitus, & eam audiri posse circa nego-
tium principale, à quo Decreto Christophorus die se-
quenti appellauit, cui appellationi Iudex detulit de iu-
re, quantum locus sitq. Christophoro mortuo. Idem
Ordinarius sententiauit in negotio principali pro nulli-
tate professionis Eleonoræ die 26. Octobris 1619. non
citato Procuratore Christophori Domino ad lites effe-
cto D. Didaco eius filio, nec Consorte, sed tantum
citato Monasterio, in quo mulier degebat, & professio-
nem emiserat, quo Monasterio non reclamante Eleo-
nora statim ab eo recessit, & nupsit alteri Didaco, cum
quo vt dicitur liberos procreauit, & nunc habitat. Et
interim à die notitiæ pro parte Didaci de Miranda fuit
appellatum ad Nuntium Hispaniarum, qui Decretum
interposuit pro sequestratione Mulieris in aliquo mo-
nasterio, & demum pronuntiauit pro reuocatione sen-
tentiæ, & validitate professionis.

Et nouissime commissa Causa in Rota, cum facul-
tate Mulierem sequestrandi arbitrio Rotæ, cum vtrin-
que prætenderetur attentata, dedi dubium, an de illis
constaret, vel potius intraret arbitrium in casu, &c.

Et quidem quoad primam partem dubij pro parte
Eleonoræ prætendebat Miranda fuisse commissa atten-
tata. Primo, quia Christophorus appellauit à decreto,
in quo Ordinarius se declarauerat iudicem competen-
tem, à qua declaratione dabatur appellatio, *Cap Sig-
nificantibus, de off. de leg. Menoch. de adipisc. rem, 4.* 1
*num. 822. per Becc. cons. 21. fine, & cons. 31. num. 2.
& 3. & per Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. glos. 9. in Annot.
num. 196.* Vnde sequitur, vt omnia post dictam appel-
lationem, vel intra tempus ad appellandum gesta vi-
deantur attentata, capit. Non solum, de appellat. 2
in 6.

Præterea post latam sententiam definitiuam super
inualiditate professionis intra tempus ad appellandum
mulier dicitur è monasterio egressa, & habitum dimisis-
se, & matrimonium contraxisse die 29. Nouem-
bris 1619. vt in sum. Mirandæ numer. 22. cum tamen
die præcedenti fuisset pro eius parte à die notitiæ ap-
pellatum, vt in processu coram Nuntio fol. 138. E con- 3
trario vero D. Eleonora fuisse attentatum pro parte
Christophori, seu Didaci eius filij, quia ipse causam
appellationis à sententia ordinarij, de qua supra, obti-
nuit committi in Rota die 21. Octobris 1620. & cita-
tionem cum inhibitione die 30. eiusdem, & tamen ob-
tinuit post ductam causam in Rota pendentem senten-
tiam à Nuntio reuocatoriam sententiæ Ordinarij; nec
non decretum de sequestranda muliere die 11. Nouem-
bris eiusdem anni, vt in sum. Eleonoræ num. 3. &
seq. & licet replicaretur, fuisse antea causam coram Nun-
tio introductam, ac etiam instructam, de qua pen-
dentia nulla facta fuit mentio in commissione Rotali,
tamen in illo attentatorum conflictu, quo negari non
potest quin essent saltem turbida, propter varias Do- 4
ctorum super his sententias, transitum fecerunt vnani-
mes ad secundam partem dubij, & resoluerunt vt se-
questrata muliere in aliquo monasterio videretur de bo-
no iure.

Licet enim regula sit, non esse incipiendum à se- 5
questro, *toto titulo C. de probib. sequ. & sepius Rota
dixit, & signanter in illa Augustana Hospitalis coram
me, quæ est 293. num. 2. par. 1. Recent.* Et clausula *ar-
bitrio* intelligitur prout de iure, *vt per Bartol. in extra-* 6
*uag. Ad reprimendam 11. Videbitur n. 8. cum alijs per
Rotam decis. 365. n. 1. par. 1. Recent.*

Tamen considerabant Domini ratificationem expres- 7
sam professionis ab Eleonora factam per publicum in-
strumentum vsque de anno 1614. qua stante dubitari
potest de validitate sententiæ ordinarij, cum illi esset
commissa causa à Summo Pontifice, cum clausula:
*Dummodo exponens professionem tacite, vel expresse non
ratificasset.* Quæ tamen erant in principali negotio
examinanda.

Propterea mouebantur, quia cum lata tantum vnica 8
sententia pro D. Eleonora, ipsa statim virum duxerit,&

suscepit

ſuſcepit liberos, & cum eo adhuc inhabitet, videtur
coſtituta in ſtatu valde periculoſo, & nutritiuo pecca-
9 ti; & poſſeſſio viri non videtur attendenda, præſertim
ſi ſupradicta attentata ſubſiſtunt.

10 Ideo eligentes tutiorem viam arbitrati ſunt Domini
pro ſequeſtratione mulieris in aliquo monaſterio, donec
diſcutiatur cauſa *iuxta tex. in cap. Literas & ibi Abbas
n. 5. de reſtit. ſpol. Creſcent. deciſ. 3. de ſequ. poſſeſſ. &
fuit tentum in Rauennat. Matrimonij 20. Decembris
præteriti coram R. P. D. meo Burato.* Et ita fuit deciſum,
vtraque parte informante.

De ducta clauſula: Dummodo exponens profeſſionem tacite, vel expreſsè non ratificauerit. *Quæ ſolet à Pontifice inſeri in Reſcriptis ad reclamandum, dixi c. 22. q. 29.*

DECISIO XXXI.

Metenſis die 2. Iunij 1636. cotillo apud Tambur. de iure Abbatiſſ. Deciſ. 3. de profeſſione tacita ſororis Pepinæ, ex quibus inducatur, an tolli poſſit ex metu reuerentiali.

1 *Oblatio ſpontanea facta in manu ſuperioris facit profeſſionem validam.*
2 *Scriptura defectu profeſſio probatur per teſtes.*
3 *Tacita fit ex geſtatione habitus in monaſterio, & aliis actibus.*
4 *Delatio habitus, & alij actus debent fieri animo profitendi.*
5 *Profeſſio tacita obligat religioni, cui fit.*
6 *Profeſſiones tacitas Tridentinum non ſuſtulit.*
7 *Præſumptio profeſſionis tacitæ dicitur iuris de iure.*
8 *Metus reuerentialis tollit tacitam non expreſſam.*
9 *Metus debet concludenter probari. & 10.*
11 *Tacita excluditur ſolum per reclamationes, & proteſtationes.*
12 *Tacita ratificatur ex pluribus actibus licet non habuerit notitiam nullitatis profeſſionis.*
13 *Matrimonium non inualidatur per ignorantiam impedimenti dirimentis, ſi ſequatur actus, ex quo inducatur præſumptio matrimonij.*
14 *Tacita non eliditur ex præſumptione ignorantiæ inualiditatis profeſſionis.*
15 *Ignorantia decreti Pontificij; quod tranſiuit in legem generalem de iure non admittitur.*
16 *Quinquennio elapſo non auditur reclamans.*
17 *Reclamans habitu dimiſſo non auditur.*
18 *Profeſſio facta ante 16. annos expletos eſt nulla.*

DE anno 1606. Soror Pepina ſuſcepit habitum regularé in monaſterio S. Mariæ Magdalenæ Ordinis S. Auguſtini in ciuitate Metenſi, & poſt geſtationem habitus monialis per ſpatium quatuor annorum, emiſit ſuam profeſſionem in manibus eiuſdem Magni Vicarij. Cum autem permanſerit in monaſterio eadem per decem, & octo annos, & per totum id tempus portauerit habitum ſuſceptum, & ab alijs monialibus ſolitum geſtari. Egit coram dicto Magno Vicario de nullitate ſuæ profeſſionis vti per vim, & iuſtum metum factæ: A quo fauorabili ſententia obtenta, pendenteque appellatione in Rota coram R. P. D. Vrgellenſi, reliquit monaſterium, conuolando ad ſeculum, & contraxit matrimonium, ex eoque liberos habuit. Qua rerum ſerie ſtante, ſubrogatus in locum D. Vrgellenſis. Dubitaui, an conſtet de valida profeſſione Pepinæ? Et Domini affirmatiue reſponderunt.

1 Conſtat enim, quod valida fuerit profeſſio, dum ex deliberatione, & oblatione ſpontanea voluntati Deo facta in manibus Vicarij more ſolita, *cap. Vn. de voto in 6. & cap. 2. de Regul. eod. Sanchez lib. 5. cap. 3. n. 1. cap. 4. num. 74.* Quæ oblatio, & profeſſio probatur per depoſitionem ipſius Vicarij, & aliorum teſtium,
quibus ſtandum eſt, etiam ſi deficiat ſcriptum profeſſio- 2
nis, *capit. Nuper 51. gloſ. v. Ordinis, de teſtibus, & ibi Abbas col. 1. Verſ. Nota quod per profeſſionem, Felin. numer. 2. Gloſ. v. ſcriptis in cap. Vidua 20. quæſt. 1. Rota coram Gregor. XV. deciſ. 385. n. 1. & 2. Riccius in praxi deciſ. 364. n. 2.*

Nam cum ſcriptura non ſit de ſubſtantia voti, vel habitus ſed ad bene eſſe, & ad probationem facti, ſi reuocetur in dubium ob defectum alterius probationis, non poteſt requiri tamquam neceſſaria, ſtante probatione teſtium, quæ fortior eſt, cum fiat per viuam vocem, *Gloſ. in cap. 3. v. loco, de probat. Bald. in Rubr. C. eod. num. 5. Alex. conſ. 3. num. 5. vol. 3.* Et ita tolluntur in contrarium adducta per Gratianum Diſcept. 640 nu. 4. quod ad probandam profeſſionem ſcriptura ſit neceſſaria. Contra quem etiam facit bonus textus, *in capit. Porrectum 13. de Regul. in 6.* Vbi valida fuit profeſſio ſine ſcriptura.

Tum etiam quia Pepina in dicto monaſterio permanſit per decem, & octo annos poſt emiſſam profeſſionem, & habitum ſuſceptum, ab alijſque monialibus geſtari ſolitum portauit, ex quo probatur tacita profeſſio,
quæ inducitur per delationem habitus regularis in mo- 3
naſterio, *Cap. Vn. §. Si vero*, ibi: *Si per annum habitum geſtauerit, ex tunc religionem aſſumptam præſumitur veraciter eſſe profeſſus*, de Reg. in 6. Clem. fin. eod. ibi: *Habitum in aliqua religione portauerit per annum, hoc ipſo, religionem illam decernimus eſſe profeſſum*, Sanchez ſuper Decalog. *cap. 3. num. 13. Honded. conſ. 78. num. 18. lib. 2. Gratianus cap. 640. numer. 20. Rota coram Gregor. XV. deciſ. 385. n. 6. & fuit dictum in Metenſi Profeſſ. 25. May 1615. coram Vbaldo* (eſt hic vndecima.)

Cui habitus delationi accedit, quod ipſa per totum 4
id tempus ſe ingeſſerit actibus proprijs monialium profeſſarum ſciens, & prudens illas eſſe profeſſas; cap. Vidua 4. de Regul. vbi ponderatur ad tacitam cuiuſdam fœminæ profeſſionem, eam inter moniales profeſſas oblationem quamdam obtuliſſe, quia illa oblatio illius religionis competebat ſolis profeſſis ex conſuetudine, *Azor. libr. 17. inſtit. Moral. cap. 4. par. 2. Sanch. dicto cap. 3. num. 10.*

Ex quibus profeſſio Pepinæ remanet valida, & probata, licet enim fuerit tacita, eſt tamen potens ad ob-
ligandam monialem religioni, in qua ſtetit profeſſa etiam 5
poſt Tridentinum ſeſſ. 25. c. 15. quod tacitas profeſſiones non ſuſtulit, ſed in ſuo priſtino valore permanere
permiſit, *Nauar. conſil. 28. num. 3. de Regul. Azor.* 6
*lib. 12. cap. 4. q. 6. par. 2. Rodriquez tom. 3. qu. 17. art. 1. Gratian. cap. 640. num. 34. Sanchez lib. 5. cap. 3. n. 36. Honded. dicto conſ. 78. num. 22. Rota deciſ. 579. num. 2.
par. 1. Recent.* Quæ præſumptio tacitæ profeſſionis di- 7
citur iuris, & de iure, & non admittit probationem in contrarium, *Gloſ. in cap. Ex parte v. Per annum, de Regular. Monach. in cap. 1. eod. in 6. v. Illa præſumitur num. 4. & 5. & alij quos refert Honded. dicto conſil. 78. n. 15. Rota dicta deciſ. 579.*

Nec obſtat quod profeſſio tacita ex delatione habitus
tollitur ex metu reuerentiali illato per matrem, licet 8
aliunde iſte metus non ſufficiat ad tollendam profeſſionem expreſſam, *Puteus deciſ. 579. n. 5. & fuit dictum in vna Vlixbon. Parochialis 20. Martij 1610. coram Vbaldo.* Quia vltra quod tollitur obiectio, cum non
conſtet concludenter de illatione huiuſmodi metus, cu- 9
ius probatio incumbit alleganti, *Rota coram Gregorio XV. deciſ. 120. numer. 21. Dixerunt* Domini metum
reuerentialem ſine minis non annullare profeſſionem. 10
ſicuti nec matrimonium, *capit. Cum vnum, de regul. Conar. de ſponſal. capitulo 3. part. 2. §. 6. numero. 7. & 8. Gutier. de matrim. capitulo 44. numero 32. Sanch. lib. 4. diſput. 6. num. 18. & libro 4. capitulo 3. numero 24. ad 26.* & in puncto matris, *Riccius in collect. p. 4. deciſ. 1476. Rota deciſ. 175. n. 5. par. 1. Recent. & coram Gregor. XV. deciſ. 326. n. 12. & 13.*

Et quamuis magnus Vicarius in sua depositiona dicat, se credidisse, quod Pepina profiteri volebat, vt rem gratam matri faceret, & propter ipsius timorem, hoc tamen non annullat tacitam professionem. Pepina enim non fuit protestata, nec declarauit, se non habere
11 animum profitendi. Et tacita professio excluditur solum ex reclamationibus, & protestationibus in contrarium factis, de quibus non constat, *Rota decis.* 379. *num.* 3. *part* 1. *Recent. Headed. dicto cons.* 78. *num.* 25. Et ita procedit dicta Vlixbon. Parochialis supra allegata. Immo potius constat ex pluribus actis factis per Pepinam in dicto monasterio vti professam, ex quibus professionem suam ratificasse censetur.

Nec etiam obstat, quod ad ratificandam professionem tacitam desumptam ex pluribus actis factis per Pepinam in dicto monasterio, requiritur, quod ipsa sciuerit nullitatem professionis præcedentis, aliter vero ex permanentia in monasterio non censetur inducta ratificatio professionis, *Caiet.* 2. 2. *qu.* 189. *art.* 3. *Nauar. cons.* 28. *num.* 7. *& consil.* 89. *num.* 3. *de regul. & in Manuali capit.* 12. *num.* 71. Et in puncto de moniali in ciuitate Metensi, quod non censeatur ratificare professionem sine scientia dictæ nullitatis, *Rota decis.* 179. *n.* 7. (hic est vndecima) *& decis.* 397. *num.* 5. *p.* 4. *Recent.* (quæ hic est duodecima.)

12 Quia prædictam doctrinam vti non tutam S. Congr. Cardin. non amplectitur, sed potius contrarium sæpius declarauit, *velati die* 13. *Ianuarii* 1583. *& die* 28. *Augusti* 1621. *in vna Romana professionis*. censuit, Ioannem Petrum esse tacite professum, & religioni adstrictum, & si ipsum non probaretur habuisse scientiam indiuiduam nullitatis professionis ab eo prius emissæ, quas declarationes Congregationis S. D. N. Vrbanus VIII. Obseruari mandauit 1. Febr. 1635. in vna Romana professionis.

Quæ opinio S. C. nititur auctoritate textus in cap. 1. de Regular. in 6 in quo non obstante nullitate professionis præcedentia, disponitur induci tacitam, absque eo, quod requirat aliquam scientiam dictæ nullitatis. Et
13 confirmatur sumpto argumento ex matrimonio carnali, in quo ignorantia impedimenti illud dirimentis non inualidat ipsum matrimonium, si sequatur actus, ex quo inducatur præsumptio matrimonij, *vt post Anthar. Sorū, & alios tenet Sāch. l.* 2. *dis.* 26. *n.* 2. *Ver. Quinto, & n.* 9.

Facit etiam, quia tacita professio, & perseuerantia in religione cum habitu professorum, & executio actuum inducentium eam præsumptionem iuris, & de iure non
14 potest elidi ex sola præsumptione præsumptæ ignorantiæ, *Ioana. Monach. in c.* 1. *Vers. Præsumitur num.* 5. *Archid. in col.* 2. *Vers. Videtur, Gemin. in §. Quod si num.* 4. *Vitalinus post Cardin. in Clem.* 1. *num.* 38. *de Regal.* Alias enim aperiretur via elidendi professionem tacitam, cum religio vel non posset, vel nollet probare ignorantiam, tanto magis cum de iure non admitta-
15 tur ignorantia decreti Pontificis, quod in legem generalem transiuit.

Quibus accedit decretum Concilij Tridentini sess. 25. cap. 19. in quo prohibetur agere de nullitate
16 professionis post quinquennium computandum in expressa professione à die, quo quis illam emisit, in tacita vero à die, quo regulares fecerit actus, ex quibus inducitur tacita professio etiam in illo, qui tunc temporis habebat ignorantiam inualiditatis professionis, *Azor. par.* 1. *lib.* 12. *cap.* 4. *num.* 33. *Sanchez lib.* 7. *disp.* 37. *numer.* 1. *Miranda tom.* 1. *quæst.* 20. *artic.* 1. *concl. Va. Borac. de Clausura quæst.* 2. *p.* 10. *diff.* 4. *numer.* 1. 2. *&* 3. *& alij, quos refert Barbosa in Concil. numer.* 6. *&* 7.

Quam doctrinam S. D. N. Papa Vrbanus VIII. confirmauit nouissime ad effrænandam facilitatem conuolandi ad seculum, dum decreuit sub die 18. Decembris 1635. declarando decreta sanctæ memoriæ Clem. VIII. vt regulares contra eorundem formam professi allegantes propterea nullitatem professionis, non possint post lapsum quinquennij à die professionis super huiusmodi nullitate audiri.

Quare dicta Pepina non potuit agere de nullitate, tanto magis quia cum propria auctoritate, pendente lite in Rota, habitum dimiserit, & matrimonium contraxerit, vt constat ex eius Sum. num. 3. & ex resolu- 17
tis per Rotam super attentatis, eius reclamatio admittenda non est, non retento habitu ex eodem Tridentino dicto cap. 19. ibi: *Quod si antea habitum sponte dimiserit nullatenus ad allegandum quacunque admittatur, sed ad monasterium redire cogatur.* Azorius *dicta par.* 1. *lib.* 12. *capitul.* 4. *q.* 12. *Miranda dicta q.* 30. *art.* 6. *in princ. & concl.* 1. *Nauarr. consil.* 4. *de Regul. num.* 77 *&* 78.

Denique non obstat, quod attenta depositione testium in sum. Pepinæ num. 8. prætendatur, eius professionem emissam fuisse ante decimum sextum annum completum, in quo casu professione maneret nulla iuxta 18
Trident. *sess.* 23. *capitul.* 13. *Sanchez libr.* 5. *capitul.* 4. *numero* 9. *Rota decis.* 175. *numer.* 3. *part.* 1. *Recent.* Quia vltra quod, vt supra dixi, professiones tacitæ non sunt sublatæ per Concilium sed in suo robore permanserunt, *Nauar. consil.* 35. *num.* 5. *de regul. Rota decis.* 179. *numero* 2. *par.* 1. *Recent.* Dixerunt Domini, id non esse concludenter probatum; & semper præsumendum est pro validitate professionis: Itaut cum Pe- 19
pina reperiretur in monasterio tempore motæ litis cum habitu monialium professarum, & in quasi possessione monachatus, teneatur concludenter probare nullitatem tanquam fundamentum suæ intentionis, vt in puncto nullitatis, *Mascard. concl.* 110. *numero* 1. *&* 2. *Rota coram Greg. XV. decis.* 228. *numero* 3. Et ita vtraque parte, &c.

Quod ad validam ratificationem professionis inualidæ requiratur eius scientia in ratificante pluribus probaui in hoc opere capitul. 21. *quæst.* 14. *à numer.* 28. *& dixi sub Decis.* 11. *ble. Et de timore reuerentiali præcedens Decis. ibidem extensa. Durandus in suo volumine extendit alias tres Decis. huius Pepinæ sub* 312. 342. *&* 359. *quæ cum nihil contineant de professione omittuntur.*

DECISIO XXXII.

Tullensis Merlini sub die 10. Aprilis 1630. apud Tamburinum de iure Abbatissarum Decis. 5. vbi qualis metus professionem reddat nullam; & quando actus lætitiæ, & iucunditatis non purgant metum.

1 *Remissoria in materia profana conceditur etiam absque fumo.*
2 *Materia iudicatur profana, quoties non agitur super titulo beneficij.*
3 *Metus legitime probatus reddit professionem nullam.*
4 *Annus integer est necessarius ad valorem professionis.*
5 *Releuantia vnius articuli sufficit, vt remissoria concedatur.*
6 *Metus quando non purgatur per actus lætitiæ, & iucunditatis.*
7 *Testes nulliter examinati fumum inducunt ad remissoriam.*

PRo remissoria resolutum fuit. Versamur enim in 1
materia profana, in qua sufficit articulos esse releuantes, itaut etiam absque fumo remissoria non denegatur. *Cassador. decis.* 3. *de dilat. Caputaque decis.* 59. *&* 68. *par.* 3. *Rota coram Greg. XV. decis.* 124. *num.* 1. *& decis.* 403. *num.* 3. Et iudicatur profana materia, 2
quoties non agitur super titulo beneficij. *Caputaq. decis.* 99. *par.* 7. *Rota coram sancta mem. Gregor. XV. decis.* 403. *num.* 2. Releuantia autem in casu præsenti est patens, si quod articulatum ast probatum fuerit.

Primus

Primus enim articulus possit Catarinam minis me-
tuque illato ingressam fuisse monasterium, & eodem
metu durante professionem emisisse, talemque metum
3 incussum, vt ipsa absque nota leuitatis timorem conci-
peret, qui quidem metus legitime probatus reddit pro-
fessionem nullam, *c. 2. de ijs, quæ vi. Parif. conf. 65. a. 13. l. 4. cum alijs.*

Secundus vero articulus habet, Catarinam, nun-
dum peracto integro anno nouitiatus, professionem
emisisse, quæ tamen integritas anni erat necessaria
4 ad validitatem professionis, iuxta dispositionem S. C.
Tridentini *seß. 25. cap. 15. Rota decis. 175. n. 2. par. 1. & decis. 329. n. 2. par. 2. Recent.*

Alij quoque articuli continent materiam releuan-
5 tem, vt per informantes, licet etiam sufficiat releuan-
tia vnius articuli, vt remissoria detur quo ad omnes,
Rota decis. 677. num. 1. & decis. 661. numero 4. par. 2. Recent.

Non obstat videri calumniose peti remissoriam, eo
quod in die professionis à Catarina factum fuerit
conuiuium monialibus, duxeritque choreas ad indican-
dam lætitiam, quod sponte Christo se mancipauerit.
6 Quoniam dato, durasse causam metus, formidinemque
vsque tunc fuisse illatam, quicunque actus lætitiæ, &
iucunditatis metum non purgant, *Alex. conf. 99. n. 8. lib. 4. disp. 8. num. 7. Rota coram eodem Greg. decis. 392. numer. 5.*

Minus obstat, examinatos fuisse in partibus plures
testes ad probandum huiusmodi metum. Quoniam cum
à Iacobo obijciatur nullitas examinis, & quod ipso non
citato, peractum fuerit, iure nunc petitur, alios te-
7 stes examinari, vel eosdem repeti, cum testes illi etiam
nulliter examinati fumum inducant ad effectum obti-
nendi remissoriam, *Cassador. decis. 5. num. 2. de dilat. Seraph. decis. 585. n. 1. Rota coram eodem Greg. decis. 265. n. 5.* Præsertim quia modo distinctius, & dilucidius
proponitur hæc materia in articulis, itaut facilius de-
beat concedi secunda remissoria, *Rota coram Reuer. Decano decis. 23. n. 2.*

Denique non obstat, denegandam esse audientiam,
eo quod non fuerit paritum Rescripto Sanctissimi circa
ingressum in monasterium, & reassumptionem habitus.
Quoniam verba primæ commissionis stant potius iuxta
assertionem Iacobi, quam conditionaliter, vt ex lectu-
ra apparet. In secunda vero commissione nihil dicitur
de hoc ingressu, & reassumptione; atque verisimiliter
Papa non videtur id iussisse, Tum quia facile fuisset id
exprimere, præsertim cum ibi in corpore inserta fue-
rit prima. Tum quia signanter in hac secunda narratur,
Catarinam egressam esse è monasterio, & statum secu-
larem amplexam de licentia Prouincialis Religionis, &
Episcopi Tullensis; & hæc quia commissio de voto Sa-
cræ Congregationis Regularium emanauit; & lis non
agitur cum monasterio, sed cum Iacobo consanguineo,
qui principaliter instat super successione bonorum. Et
ita vtraque parte informante resolutum fuit.

De integritate anni nouitiatus egi sub cap. 6. quæst. 5. & quod metus per lætitiam in professione non dicatur purgatus, durante eius causa actum est sub c. 19. num. 43.

DECISIO. XXXIII.

Vlixbonensis Merlini Decis. eius prima sub die 10. Decembris 1621. apud eundem Tamb. de iure Abbatissar. Decis. 13. De professione tacita, & de tempore ad reclamandum contra expressam, post notitiam nullitatis ipsius, & de informationibus requisitis à Sixto V.

1 *Restitutio in integrum non datur illæsis.*
2 *Nec vbi deficit iniustitia.*
3 *Nullitas ex quibus excludatur.*
4 *Restitutio est remedium extraordinarium.*
5 *Omissio informationum a Sixto V. requisitarum non vitiat professionem.*
6 *Omissio informationis est concludenter probanda.*
7 *Professio tacita ex quibus inducatur, n. 10. 11, 12. & 13.*
8 *Tridentinum non prohibet professionem tacitam.*
9 *Reclamatio post quinquennium, negatur.*
14 *Tempus quinquennij ad reclamandum quomodo computetur.*

LAta sententia à R.P.D. meo Pamphilio, in qua fue-
rat pronuntiatum rite, ac valide F. Franciscum
professum fuisse in religione S. Francis. cum illa transi-
tum fecisset in iudicatum, causa coram me introducta,
dubitaui an constaret de causis restitutionis in inte-
grum, & Domini vnanimiter responderunt negatiue.

Fundamentum autem, cui nitebantur, illud erat po-
tissimum, quia restitutio ipsa integrum non datur sine 1
læsione, *Rota decis. 34. num. 1. part. 2. Diuers. Seraph. decis. 655. num. 1.* Et læsio non datur vbi iniusti- 2
tia, vel nullitas deficit, *Puteus decis. 16. de restit. spoliat. Seraphin. decis. 1258. numer. 1.* alios congessit *R.P. D. meus Vbaldus in Pacensi Canon. sub die 27. Iunij 1615. Quæ est decis. 751. numer. 1. part. 2. Recent.* Et conse-
quenter cum nec iniustitia, nec alia nullitas prætensæ
sententiæ aduersaretur, non erat locus restitutioni in
integrum.

Quo enim ad nullitatem ex resolutione ipsa processus
constat de iurisdictione iudicis, mandato Procurato-
ris, citationibus F. Francisci, & alijs, quibus exclu-
ditur nullitas, & probatur ipsius validitas, vt per *Ve- 3
rallum decis. 261. par. 2.* & sequitur *Rota decis. 589. num. 1. par. 1. Recent.* Et quatenus nullitas extitisset, 4
via ordinaria, non autem per restitutionem in integrum,
quod est remedium extraordinarium F. Franciscus
debuisset procedere, vt fuit dictum in eodem Pa-
censi.

Iustitia autem sententiæ eiusdem R. P. D. mei Pam-
philij decisione in hac causa facta sub die 2. Iunij 1617.
clare emergebat.

Neque enim visum fuit obstare, in professione F.
Francisci, omissam fuisse accuratam illam, ac diligen-
tem perquisitionem morum, natalium, profitentis pa-
rentum, & aliorum, de quibus in constitutione felicis
recordationis Sixti V. prima edicta 6. Calend. De-
cemb. 1587. altera autem 12. Calend. Nouemb. 1588.

Quoniam omisso, quod grauissimi Doctores, ac 5
iurisconsulti crediderunt, professos sine illa perquisi-
tione, ac informatione, quam Pontifex expostulat,
esse reuera religiosos, neque absque labe apostasiæ
posse à religione recedere, nisi ex aliquo ibi expressis
impedimentis fuerint irriti, quemadmodum attenta-
tur, & late comprobat *Rodriq. Lusitan. tom. 5. q. 54. art. 5. & 6.*

Putarunt Domini, non fuisse concludenter probatam
omissionem dictæ informationis, & inquisitionis prout 6
omnino erat probandum, vt præter alios, qui pos-
sunt allegari in his terminis firmat *Rota decis. 216. numero 17. part. 2. Diuers.* Testes enim pro F. Francis-
co examinati patiuntur plures defectus, nec sufficien-
ter dictam negatiuam, siue omissionem informationum
probant, vt bene fuit deductum in dicta decisione, cum
qua Domini transiuerunt.

Vlterius animaduertebant aduersus F. Franciscum 7
vrgere, nedum professionem expresse emanatam de
anno 1593. sed etiam, cum per quindecim annos in
religione cum habitu professorum commoratus fuerat,
Apostolici Oratoris munus egregie obiuit, aliosque
actus publice veram professionem indicantes exercue-
rit, insurgere aliam tacitam professionem, *ad cap. 1. de regul. in 6. Panorm. & alij in cap. Ex parte, de regul. Nauar. in c. statuimus eod. n. 37. Menoch. de præsumpt. lib. 6. c. 85. n. 50. Rodr. to. 5. q. 12. art. 1.*

Huic autem tacitæ professioni nedum non obstat
Tridentinum, prout non obstare ex receptissima omniũ 8
sententia

sententia tradunt *Nauar. cons. 35. n. 2. de regul. Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 2. Rodriq. q. 17. art. 1. Vers. Nec hac tacita, Miranda tom. 1. q. 24. art. 12.* Sed etiam plurimum
9 facit, cum in sess. 25. c. 19. expresse sit sancitum, non posse religiosum post quinquennium contra professionem reclamare; ex lapsu autem nedum quinquennij,
10 sed quindecim annorum videtur inducta vel noua professio tacita, secundum *Rodriq q. 17. art. 17. in fine*, vel ratificatio antecedentis professionis expressæ, iuxta Sanch. opinionem lib. 7 disp. 37. n. 6.

Nec prædictis videtur obstare constitutio illa secunda Sixti V. dum in Vers. *Sed cum eadem ratio*, reuocat, & infringit quascunque tacitas professiones, nisi & in ipsis fuerit adhibita forma inquisitionis, & informatio-
11 nis ab eo Pontifice præscripta. Ob quam constitutionem etiam post quinquennium posse professum reclamare aduersus suam professionem sine dictis informationibus emissam, & terminum quinquennij à Concilio præscriptum tali casu non obstare firmat *Rodriq. citata q. 17. art. 11. Vers. Aduertendum*, vbi & à Senatu ita fuisse iudicatum attestantur etiam *Sanch. cit. disp. 37.*
12 *num. 34. in princ.* Et hanc Bullam ad terminos iuris communis redegerit, vt in §. 3. in fine, & post hanc Clem. VIII. Bullam F. Franciscus perseuerauerit in religione per septennium exercendo actus ad vere professos solummodo spectantes, videtur denuo tacitam professionem emisisse. Et sublato obstaculo constitutionis
13 Sixti V. nihil erat, quod huiusmodi professionem tacitam impediret, iuxta dispositionem iuris communis ad tradita per *Cassad. decis. 8. n. 6. Capusaq. decis. 214. n. 5. l. 2.*

Et maxime accedente, quod idem F. Franciscus non ignorabat hoc impedimentum resultans ex omissione diligentiarum in eius professione, cum pluries secundam emitteret professionem, vt in sum. sub. n. 5. Vnde data scientia impedimenti, & eo impedimento sublato à Clem. VIII. exercitisque postea actis professorum, & religionis gestato habitu, à F. Francisco inducta fuit ipsa tacita professio, siue professionis ratificatio, contra quam professionem non potuit reclamare, vt bene in proposito aduertit, *Sanch. citata disp. 37. n. 26. Vers. quin existente.*

Nec post innotescentiam nullitatis professionis requirebatur integrum quinquennium, quia ad hunc effectum tempus etiam anteactum coniungitur, & sufficit aliquid spatium temporis post innotescentiam reclamandi, vt idem *Sanch. obseruat n. 23. & melius n. 34. Vers. At dubitabis.* Quod quidem tempus licet non fuerit quatuor annorum, vt deponunt testes ad instantiam F. Francisci examinati, videtur omnino sufficiens, intra quod potuerit conqueri de propria professione. Et ita decisum informante tantum parte.

De Bullis Sixti V. circa informationes recipiendorum ad ordinem plura dixi sub cap. 4. fere per totum, vbi q. 14. num. 36. dixi, an omissio huiusmodi informationum vitiet ingressum, & professionem.

DECISIO XXXIV.

Firmana coram Rotas sub die 2. Decembris 1639. extensa apud Dianam tom. 6. Decis. 7. Professio probatur valida etiam si omissæ sint informationes præscriptæ à Sixto V.

1 *Receptio informationum est de forma.*
2 *Cassatura diei, mensis, & anni vitiat instrumentum.*
3 *Promissio trium votorum indicat professionem.*
4 *Facta in manibus sui superioris.*
5 *Probatur per instrumentum, vel scripturam.*
6 *Probationes leuiores sufficiant, quando valor professionis accessorie controuertitur.*
7 *Omissio informationum non vitiat professionem.*
8 *Scriptura apostillata a Notario non vitiatur.*
9 *Alterata quando non obstat professioni.*
10 *Instrumentum valet, licet non sit in protocollo.*
11 *Nouitius vagans extra cum licentia superioris, non interrumpit nouitiatum.*

INtroducto iudicio coram A. C. ad instantiam Pauli, & Aurelij de Roscis contra conuentum S. Augustini Montis Fortini super successione q. F. Ioannis de Roscis, pro excludendo dicto conuentu opponebatur de inualiditate professionis per Paulum, & Aurelium præfatos, & cum articulus esset exemplaris, placuit A. C. consulere Rotam, & dato dubio, an constaret de validitate vel inualiditate professionis dicti F. Ioannis; pro inualiditate adducebantur sequentia.

Primo nullam esse professionem vti factam non seruata forma constitutionis Sixti V. in ordine 71. super capienda diligenti informatione parentum, patriæ, vitæ, ac morum, cum approbatione in Capitulo Generali, vel Prouinciali. Quam constitutionem inducere 1
formam annullando professiones aliter factas, itaut forma ibi præscripta non potuerit alterari nec immutari, vt formauit *Rota decis. 175. n. 4. part. 1. vbi refert ita decisum fuisse in vna Toletana professionis 27. Febr. 1595. coram bona memoria Cardinali Pamphilio.*

Secundo constare de professione secuta, ex quo scriptura existens in libro monasterij, ex qua probatur professio, contineat cassaturam circa diem, mensem, & annum cum apostilla super lineata, in qua aderat 20. Octobris, in præsenti adesse 20. Nouembris absque approbatione notari, quæ cassatura, & apostilla in parte substantiali, prout est dies, mensis, & annus vitiant instrumentum *per tex. in l. Si vnus, vbi Bartol. Bald. & alij Doctores, de testibus, Beroius consil. 90. n. 7. & 14. vol. 3.* Vlterius cassaturam esse diuersi atra- 2
menti, propterea reddatur suspecta fides illius, & inexequibilis, cum in ciuilibus sola suspicio falsitatis, admittatur pro retardanda cuiuscunque instrumenti executione, aut tollenda illius fide, *Surd. cons. 6. num. 4. Gregorius XV. decis. 546. n. 11.*

Tertio instrumentum datum continens professionem esse sumptum de sumpto, non ex protocollo Notarij rogati, sed ex libro religionis, in quo sunt registrata instrumenta continentia interesse monasterij, nec reperiri registratum in protocollo, seu matrice Notarij, à quo dicitur confectum hoc instrumentum professionis.

Quarto, non probari dictum F. Ioannem non fecisse nouitiatum iuxta formam S. Conc. Trid. & eiusdem Regulæ S. Augustini; nec quod permanserit in monasterio per annum continuum, vt requiritur religiose viuendo, vt firmat *Rota decis. 175. n. 1. part. 1. Recens.*

Quinto, obseruantiam anni Nouitiatus remanere exclusam per testes deponentes F. Ioannem passim fuisse solitum vagari per Terram Montis Fortini. Vlterius apparere vnquam interuenisse in Capitulis; nec fecisse aliquem actum conuenientem professis; non constare de continuatione in Religione; immo nec apparere, vbinam fuerit per quatuor annos, itaut potius veniat dicendum obisse extra Religionem, quam in Religione; & cum Fratres transmittantur de loco ad locum, & de tali transmissione non constet, ex hoc colligi dictum Ioannem non esse vere professum, & consequenter bona illius non spectare ad monasterium, *Gratian. cap. 640. num. 5.*

Supradictis tamen non obstantibus, Domini hodie resoluerunt, professioné esse validam ex dicendis infra.

Primo, & principaliter, quia ex publico instrumento 3
constat, dictum F. Ioannem de Boruis 20. Nouembr. 1592. post annum probationis tria vota solemnia Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis emisisse, cum promissione viuendi secundum Regulam San. Augustini ex quorum emissione inducitur solemnis, & expressa professio iuxta *tex. in cap. Cum ad monasterium in fine, de statu monach. cap. omnes fœmina 27. q. 1. Rebuff. consil. 2. num. 11. Nauar. consil. 10. num. 6. de Regular. Rota decis. 216. num. 3. part. 2. Diuers. & decis. 579. n. 1. part. 1. Recent. Caualer. decis. 271. num. 2.*

Vlterius

4 Vlterius dicta vota fuisse emissa in manibus Prioris monasterij præuio Fratrum Capitulari consensu, quo casu validissima professio reputatur, quinimmo si in manibus solius Prioris monasterij emittatur absque licentia alterius superioris, illa sustinetur ex *Glos. in cap. vlt. vers. Pertineat, de Regular. in 6. Azor. lib. 12. cap. 5. quæst. 3. fine, Sanchez lib. 5. cap. 4. quæst. 2.* Dictamque professionem remanere plene probatam per dictum publicum instrumentum, cum & illa etiam probetur
5 per aliam autenticam scripturam per *tex. in cap. Viduæ 20. quæst. 1. Glos. in cap. 1. §. Postquam, 11. Inscriptis, de Consibus in 6. Canaler. decis. 271. num. 2. vers. Minus videbitur.*

Secundo, quia dictum instrumentum remanet adminiculatum, tum ex præcedenti admissione dicti Fr. Ioannis ad habitum Religionis Sancti Augustini biennio ante emissam professionem, vt in Sum. dictum fuit. Tum ex Testibus deponentibus, Fr. Ioannem per plures annos habitum regularem detulisse, & in Monasterio cum Fratribus vitam duxisse. Tum ex alio publico instrumento celebrato de anno 1595. in quo de licentia Prouincialis fuit monasterio ex persona F. Ioannis reddita ratio, & reliquatus bonorum eiusdem Fr. Ioannis per Roscios, dum in sæculo viuebat, administratorum.

Tertio, quia quæstio validitatis professionis non vertitur principaliter inter Fr. Ioannem, & Religionem, sed accessorie, & incidenter inter consanguineos Fra-
6 tris, & Conuentum, ad effectum successionis; nec Fr. est in causa, quo casu leniores sufficiunt probationes, *Gemin. consil. 27. Seraphin. decis. 1281. num. 6. & fuit dictum in Bonon. Fideicomm. de Nuscensoris 19. Nouembris 1639. coram R. P. D. meo Bichio.*

Nec obstare dictum fuit in contrarium adducta. Et primo, quod professio reputetur nulla ex non seruata forma Constitutionis Syxti Quinti 71. Quia obiectum tollitur ex verbis instrumenti, ibi: *Qui omnes informati de moribus, vita, & qualitatibus, &c.* Credendum est Fratribus de informatione capta, cum potuerint se extraiudicialiter, & absque aliquo processu se informare, *Zabarell. consil. 139. num. 7. Et fuit dictum in Narn. seu Romana fructus Dotis 8. Febr. 1617. Coram bonæ memoriæ Virili Cardin.*

Minus facit, quod huiusmodi informatio non fuerit approbata in Capitulo Generali, vel Prouinciali prout
7 requiritur in dicta Constitutione Sextina. Quicquid enim sit, an ex hoc capite remaneat irrita professio, & negatiuam sententiam tuetur late *Rodriquez quæst. 54. art. 5. tom. 3.* Dicta Bulla Syxti non annullat receptiones aliter factas, sed tantum imponit pœnam superiori, licet ibi annulletur professio ex aliis capitibus, vt videre est in §. 4. dictæ Bullæ in simili Buratus decis. 688. num. 12. & 13.

In omnem casum cessat difficultas stante Constitutione Gregorij XIII. moderatoria dictæ Constitutionis Syxtinæ relata per eundem Rodriquez in qua Gregor. disponitur, quod in Religionibus, in quibus Capitula Generalia, & Prouincialia raro fiunt, prout accidit in Religione Sancti Augustini, sufficiat informatio capta à superiore, & Capitulo monasterij.

Nec obstant, quæ in secundo adducuntur desumpta ex cassatura instrumenti etiam in apostilla, quia vltra
8 quod testes dati in Summ. Conuentus num. 3. deponunt dictam apostillam fuisse scriptam manu eiusdem Notarij, quæ propterea probat etiam absque ejusdem Notarij approbatione, *Tobias Nonius consil. 80. num. 2. 5. & 6. Farinac. de falsit. & simul. qu. 153. nu. 10. Canaler. decis. 222. num. 6. R. D. Decanus decis. 467. nu. 3. Paris. consil. 28. nu. 45. Surd. consil. 16. num. 29.* Vlterius hic non agitur de apostilla scripta diuerso atramento, quo appatet esse scriptum corpus scripturæ, sed eodem, prout testes dicunt, ex quibus cessat omnis suspicio falsitatis, ex congestis per *Farinac. citat. q. 153. num. 17.*

Vltra quod dicta apostilla solum variaret tempus, in quo secuta fuit professio non autem constaret de ea non facta, vnde cum aliunde, scilicet ex toto tenore instrumenti constet, professionem fuisse secutam post annum probationis integre elapsum, non potest dubitari de illius valore. Et quæ dicta sunt, non fuisse emissa vota cum eisdem verbis descriptis in formula, ac constitutionibus, nihil facit, dum constitutiones non progrediuntur vlterius declarando irritam professionem aliter secutam, cum bene sufficiat quibuscunque verbis ea facta fuerit, vt in terminis dixerunt *Azor. lib. 5 cap. 3. num 4.*

Minus obstant adducta in tertio, quod sit sumptum de sumpto, & propterea non probet. Quia dictum instrumentum non est sumptum de sumpto, cum fuerit extractum ab ipso originali prout iacet cum cassatura, & apostilla vigore literarum compulsoriarum citata parte coram iudice compulsoriali cum recognitione originalis facta per testes, cum interrogatoriis partis etiam circa verba apostillæ quamuis fuerit extractum ex libro instrumentorum originalium Conuentus, vbi extant registrata instrumenta concernentia interesse Conuentus in publica forma manu Notariorum rogatorum; propterea cum habeat omnia instrumenti requisita, non fuit dubitatum, quin sit in forma probanti, *Menzan. consil. 25 num. 2. & 3. Seraphin. decis. 1236. num. 1. Greg. decis. 292. num. 2.*

Quæ vero dicuntur, illud non extare in Protocollo 10
Notarij, qui se rogauit. Fuit responsum dictum instrumentum monasterij probare, cum potuerit per incuriam Notarij in protocollum non redigi, *Canaler. decis. 122. num. 11. & fuit dictum in Nepesina Hæreditat. 17. Nouembris 1600. coram Lancellotto.*

Nec pariter obstant, quæ in quarto obiiciuntur, quod scilicet non probetur Fr. Ioannem fecisse annum probationis, nec integre per annum mansisse in monasterio. Quia cum contrarium explicite dicatur in dicto instrumento professionis, ibi: *Cumque per annum iam continuum elapsum semper steterit vna cum aliis Fratribus in dicto monasterio.* Et confirmatur, quia probatur fuisse receptum ad habitum fecisse ingressum in Religionem de anno 1590. Et ex partita extracta in qua continetur, ne dum decretum de recipiendo, sed ipsa actualis receptio, & ingressus, cum alioquin non fuisset subscripta à Fratribus, ibi: *Tutti si sottoscriueranno, si far à Frate.* Professionis vero eiusdem instrumentum est de anno 1592. vt in corpore ipsius instrumenti, & ideo cessat obiectum, cum illud habeat pro se præsumptionem veritatis, *Craneta consil. 31. num. 7. Decius consil. 423. num. 10 Canaler. decis. 205. num. 10.*

Tandem non obstare, quæ in quinto, & vltimo fuerunt in contrarium allegata, desumpta ex non obseruantia anni Nouitiatus, & Fr. Ioannem vagasse per Terram cum aliis, ibi enumeratis. Quia placuerant Dominis responsiones datæ, quod in illis terris, ac paruis Conuentibus non seruatur iste rigor, cum bene sufficiat, nunquam Fratrem reliquisse habitum religiosum, & mansionem, & vitam duxisse in monasterio, & licet
Nouitius inde egrediatur, vel pro necessitatibus mona- 11
sterij, vel recreationis gratia, annuente superiore non ideo Nouitiatus est irritus, ex *Nauar. consil. 32.* qui refert, ita censuisse S. Congreg. *Sanch. lib. 5. cap. 4. n. 17.*

Nec deambulatio per castrum excludit continuam habitationem in monasterio; & quod facit cessare omnem difficultatem est, quod constat de permansione in monasterio dicti Fratris post susceptum habitum per tres annos, quo temporis spatio fuit inducta tacita professio, quæ pariter sufficeret pro professione inducenda, ex quo tacita operatur sicut expressa, etiam post Concilium Tridentinum; immo ex sola tacita professione bona spectare ad monasterium secuto obitu post annum professionis dixit *Menoch. consil. 346.*

Quod dicitur de tempore secutæ professionis
non adfuisse in Conuentu Montis Fortini nisi tres 12

Fratres, nihil facit, cum satis fuerit, quod superior, qui eum recepit, haberet potestatem incorporandi Religioni, prout habebat iuxta notata in *cap. Porrectum de Regular. Franc. in cap. 1. num. 2. vers. & intellige, de votis, Ruin. consil. 128. num. 3. lib. 1.*

Quibus stantibus, cum præsumptio stet pro validitate professionis, ex *Nauarr. consil. 13. num. 10. de Regular. Sanchez lib. 5. c. 4. n. 12.* præcipue stante obseruantia postea secuta, præsumuntur omnia præcessisse requisita, quæ debent concurrere pro validitate professionis, *Menoch. consil. 396. num. fin.* & constet de ingressu in Religionem, præsumitur in eadem continuasse vsque ad obitum secutum longe post instrumentum professionis, præsertim non constando de contrario. Et ita resolutum, vtraque parte informante, &c.

De Bulla Sixti V. & informationibus recipiendis plura dixi cap. 4. de probanda professione per scripturam dixi c. 18. q. 78.

DECISIO XXXV.

Vlixbonensis coram Carillo sub die 17. Maij 1641. apud Dianam p. 6. decis. 14. de Francisca Coronella ex metu professa, & de professione per ipsam ratificata.

1 *Metus reuerentialis cum minis irritat professionem.*
2 *Minor metus sufficit in muliere, & minore.*
3 *Adminiculatur protestationibus.*
4 *Et reclamationibus.*
5 *Metus durat donec viuit incutiens illum.*
6 Semper *omne tempus includit.*
7 *Protestationes, & lamentationes excludunt professionem.*
8 *Veritati cedit præsumptio.*
9 *Testes interesse habentes non probant.*
10 *Credendum magis duobus affirmantibus, quam mille negantibus.*
11 *Testes examinati extra diem non probant.*
12 *Præsente Procuratore partis examinati sine citatione probant.*
13 *Ratificata professio impugnari non potest.*
14 *Non est necessarius nouus consensus monasterij in ratificatione.*
15 *Supplet enim illum Pontifex.*
16 *Matrimonium non ratificatur simultanea cohabitatione.*
17 *Ecclesia non supplet nouum consensum in matrimonio, vsque in professione.*
18 *Ratificatio non valet, repugnante conuentu Capitulariter cum superiore.*
19 *Consensus superioris, & conuentus est necessarius ad profitendum.*
20 *Renouatio consensus debet esse Capitularis, sicut ab initio.*
21 *Scientia nullitatis non est necessaria ad ratificationem.*
22 *Renuntia lite non validatur absente parte.*
23 *Consensus à conuentu præstitus præsumitur durare.*
24 *Actus idem valet respectu vnius, non respectu alterius.*
25 *Ratificatur minime, quod non est.*
26 *Modi, & conditionis differentia.*
27 *Testis vnius non probatio.*
28 *In dubio censendum est professionem valere.*

FRancisca Coronella postquam vel expresse professa spatio vigintiquatuor annorum permanserat in monasterio S. Dionysij de Odinellas Ordinis San. Bernardi, sub prætextu, quod professio ibidem emissa secuta fuisset, ob vim, & metum, obtinuit de anno 1628. à S. D. N. Breue restitutionis in integrum aduersus lapsum quinquennij à Concilio Tridentino præscripti in sess. 25. cap. 19. cum solita clausula: *Dummodo professionem huiusmodi tacite, vel expresse non ratificauerit.* Causamque prætensæ restitutionis in integrum in Rota introduci curauit cum clausula: *Appellatione remota,* contra dictum monasterium, & Antonium, & Ioannem eius fratres, factisque hinc inde probationibus, proposui dubium an constet de nullitate professionis.

Pro cuius affirmatiua resolutione, informantes pro
D. Francisca dicebant expressam professionem per eam
in manibus superioris emissam anno ætatis suæ sexto-
decimo nullius esse momenti ob metum reuerentialem
patris sibi incussum cum minis mortis, vt diserte de-
ponunt plures testes de visu, & auditu proprio, &
præcipue 3. 6. 7. & 10. in Summ. dictæ Franciscæ, 1
qui metus dicitur iustus, & irritat professionem. *Abbas*
in capit. Cum virum num. 8. de Regular. Felin. in cap.
Causam matrimonij num. 5. de Offic. delegat. Couar. de
Sponsal. 2. part. cap. 3. §. 6. num. 8. Azor. lib. 12. c. 5.
quæst. 4. vers. Si roges, Sanchez lib. 4. disput. 6. n. 36.
& lib. 4. cap. 3. numer. 26. Rota decis. 779. num. 10.
part. 3. Recent. Præsertim in muliere, & minore, vt 2
de muliere, in qua requiritur minor metus, quam
in masculo, tradunt *Glos. & Doct. in cap. Cum locum,*
de Sponsal. Innoc. cum aliis in cap. Causam matrimo-
nij cit. de offic. delegat. Calderin. consil. 1. vers. Tertio,
quod subiit. Quod metus, Ancharan. consil. 14. num. 7.
Abbas consil. 4. numer 5. lib. 1. Et de minore, in quo
minor metus exigitur, quam in maiore perfectæ æta-
tis, notant *Paulus de Castro consil. 174. post numer. 3.*
lib. 1. Purpur. consil. 579. numer. 7. & Rimin. Sen.
consil. 15. numer. 22. Concurrentibus præcipue tum
explicita protestatione, quam eadem Francisca fecit 3
coram Sanctissimo Crucifixo in Choro existente, dum
accedebat ad profitendum, quod scilicet bene ille Cru-
cifixus sciebat non sua propria voluntate, sed per me-
tum patris erat professura, vt vno ore concludunt de-
cem testes in dicto Summ. num. 13. *ad textum in leg.*
Qui in aliena, in fine ff. de Acquirend. heredit. bene Re-
buffus consil. 69. num. 9. Tum etiam successiuis lamen- 4
tationibus de professione per metum emissa, vt di-
cunt iidem testes, dicto Summ. num. 12. Quæ pro-
bationem metus valde coadiuuant, *Angel. in leg. Me-*
tum la 3. Quod metus causa. Dec. in cap. fin. num. 28.
vers. Bene verum est, de Appellat. Couar. de Sponsal.
part. 2. cap. 3. §. 5. Rebuffus dicto consil. 69. num. 10.
vers. Quod etiam factis, Rota coram Sancta Memoria
Gregorio XV. decis. 326. num. 25. & 26.

Prout nec tacitam professionem adesse iidem infor- 5
mantes subiungebant ex eo, quod dicta Francisca po-
stea receperit velum nigrum à veris professis recipi so-
litum, quia vltra quod ad illius receptionem fuit pariter
coacta, vt deponunt testes, dicto Summ. num. 19. Qua-
tenus etiam actus videretur sponte factus, adhuc non
obstaret, cum tunc temporis viueret pater, & sic vige-
bat quoque eiusdem metus causa, quæ facit, vt actus 6
succedanei ea durante facti pariter meticulose dican-
tur, *Bartol. in leg. penult. ff. Condit. ob turpem caus. &*
passim Doctor. in leg. 2. C. quod metus causa, Abbas in
cap. Consultationi, de Sponsal. Couar. dicta part. 2.
cap. 3. §. 5. num. 1. Roland. consil. 2. num. 86. lib. 1.
Paris. consil. 60. num. 34. lib. 4. Rota coram Seraphin.
decis. 771. num. 8. & 9. in fine. Attentis præcipue la-
mentationibus, & expressis declarationibus à D. Fran-
cisca factis tam ante, quam post emissam professionem,
ac etiam post mortem patris, & fratris, & omni tem-
pore, vt asserunt testes, dicto Summar. num. 27. depo-
nentes cum dictionibus *vnquam*, & *semper*, quæ omne
tempus includunt, *leg. 1. vbi Doctor. & Glos. ff. Solut.*
matrim. leg. Quia semper, ff. de in ius voc. Rota decis. 14.
n. 14. part. 1. Recent. Istæ namque lamentationes, & de- 7
clarationes excludunt tacitam, & præsumptam profes-
sionem resultantem ex delatione habitus per 20. annos,
& vltra ex hilaritate, ac exercitio actuum professis pro- 8
priorum, quia præsumptio cedit veritati in dictis decla-
rationibus expresse, vt notant *Innocen. & alij communiter*
in c. 1. de eo, quod metus, Suar. de Regul. tit. 3. q. 17. art. 15.
in princip. Barbat. consil. 59. col. 2. lib. 2. Decian. consil. 18.
num. 5.

numer. 5. lib. 3. Honded. consil. 78. num. 25. lib. 2. in puncto Rota decis. 533. num. 4. & 5. part. 4. Recem. Et in terminis professæ, quæ per plures annos permanserat in monasterio *Rebuff. consil. 68. num. 26. fine, & n. 29. Rota decis. 397. sub num. 6.* Vbi quod monialis præsumitur interuenisse actibus iussu & ob reuerentiam Abbatissæ *part. 4. Recenti. late Addente ad Gregorium Decimumquintum decis. 385. num. 6. vers. Excluditur.* Quidquid esset dicendum, si professa animum suom in contrarium non aperuisset, in quibus terminis loquitur *Metensis Professión. 2. Iunij 1636. coram me apud Tambur. de iure Abbatiss. quæ est 3. in Ordine, & Decis. Mestan. 5. Decembris anni proxime præteriti coram R. P. D. Petingerio.*

Nec contrarium elici asserebatur ex reditu dictæ Franciscæ ad monasterium, vnde egressa fuerat ad curandam ægritudinem, nec ex confessionibus emissis in dispensationibus obtentis, vbi ipsa enuntiatur professa. Nam quoad reditum ad monasterium, testes probant, eam coactam fuisse à Domino Collectore Lusitaniæ ad redeundum mediantibus comminationibus censurarum. Confessiones vero quatenus demonstrant professionem fuisse emissam, non ideo important eius validitatem, vel quod Francisca illa consentiat, sed restringuntur ad illam causam, pro qua emanarunt, ad *leg. Si de certa, vbi Bartol. & Doctor. C. de transact. Aymon. consil. 407. num. 30. Natta consil. 546. num. 12. & facit Decis. Mediten. Pensionis 7. Iunij, & 9. Decembris 1630. coram bon. mem. Coccino.*

Quibus non aduersari dicebãtur testes contra dictam Franciscam examinatos ad probandum, quod ipsa vere, & realiter professionem emiserit absque vllo metu; tum quia sunt moniales eiusdem monasterij, cuius in-
9 terest, professionem esse validam, & ideo non sunt integræ fidei, dum adsunt alij testes iuxta magistralem distinctionem, quam secuta est *Rota in Calagurritana Parochialis de Alzola 20. Martij, & 22. Iunij coram*
10 *Coccino.* Tum etiam quia in hac materia magis creditur duobus testibus affirmantibus metum, quam mille dicentibus, actum fuisse sponte factum, ea ratione, quia deponentes super metu deponunt super actu perceptibili sensu corporeo, sed alij de actu imperceptibili, nempe de intrinsecis cordis, vt post *Abbatem notarunt Innocent. in cap. 1. sub num. 10. vers. Immo plus, de his, quæ metu, Gutier. consil. 14. num. 2. & consil. 16. num. 4. Rebuff. consil. 68. n. 33. Sanch. l. 4. disp. 27. n. 1. Gregor. XV. decis. 316. num. 46.*

Absque quod aliquid releuet nullitas opposita contra aliquos ex dictis testibus pro Francisca examinatis, eo quod aliqui eorum fuerunt examinati extra diem cita-
11 tionis, alij vero extra dies præfixos in remissoria, cuius forma debebat ad vnguem seruari, *cap. Cum dilecta, de rescr. cap. Statutum ead. in 6. leg. Aut qui aliter, & ibi Bartol. ff. Quod vi, vel clam. Caputaq. decis. 143. num. 5. part. 3. Rota decis. 466. n. 1. part. 2. Recentior.* Quia cum te-
12 stes Franciscæ iurauerint præsente Procuratore partis aduersæ, vt in processu de partibus fol. 71. ad 79. dicuntur rite examinati, talis enim præsentia supplet defectum citationis, ad *text. in leg. Vnoquoque ff. de re iudic. Rota coram Seraphin. decis. 388. n. 4. & in Recent. p. 5. decis. 79. num. 15.*

13 Prædictis tamen minime obstantibus, articulo per plures positiones ab omnibus Dominis exacte discusso, contrarium fuit resolutum, hoc est, constare de valida professione, ea præcipue ratione, quia quicquid sit, an realiter dicti testes sint valide omnes examinati, & concludant prædictum metum continuum, prout requiritur, & non conquassentur ex aliis pro monasterio, & fratribus eiusdem Franciscæ examinatis contrarium deponentibus, super quo Domini non fuerunt concordes: Certum est, quod dicta Francisca post diu agitatam litem super hac prætensa nullitate professionis pendente examine testium remissorialium in partibus positiue huic liti renuntiauit, professionemque ratificauit coram Vicarij Ordinarij Notario, & testibus in hæc verba *Quamuis monialis non esset, hodie monialis esse volebat.* Quod sufficit ad hoc, vt ipsa professionem amplius impugnare nequeat, vt de muliere, quæ dixerat, se velle monialem, ex doctrina *Host. in cap. Porrectum. colum. 1. & ibi Abbatem 3. notabil. firmauit Rota in decis. 316. p. 2.*
Diuersor. num. 10. Etiamsi non interuenerit noua acce- 14
ptatio monasterij cum aliis solemnitatibus, nam quando prout hæc professio fuit ab initio solemniter emissa, & solum inualida ob defectum consensus profitentis per vim, & metum, eo ipso dicitur valide ratificari, quo superuenit consensus ipsius monialis sic professæ, vt tenent *Suarez tom. 3. de relig. lib. 7. cap 1. Rodriquez tom. 2. Summa cap. 92. concl. 5. num. 5. Angles in Floribus tit. de regular. concl. 24. in priori editione, & 50. in posteriori, Sanctar. Variar. resolution. quæst. 48 num. 30. Less. lib. 2. capit. 41. num. 67. de Vecchiis disputat. 141 dub. 4. num. 7. Sanchez lib. 2. disp. 32. num. 9. Vers. Ergo satis, & n. 14. & lib. 7. disp. 37. num. 60. & 61.*

Et ratio est, quia quatenus noua acceptatio require- 15
retur, ea suppletur à Papa, qui est supremus religiosorum Prælatus, & media Religione semper acceptat, suumque consensum de facto præstat, quoties professus suum præstiterit, & Religio expresse non contradixerit, vt colligitur ex *cap. Ad nostra, & cap. Significatum, de regular. & capit. 1. eodem in 6. & ex Concilio Tridentino session. 25. cap. 19. Et expresè docent Sanchez lib. 7. disputat. 37. num. 64. & Castropalaus tom. 3. disputat. 2. p. 5. num. 4. in fine.* Quod proculdubio procedit in præsenti, ex eo quod Sanctissimus in commissione restitutionis in integrum, expresse professionem tacitam, in qua non requiritur noua, & solemnis monasterij acceptatio, cum ea inducatur ex sola delatione habitus professorum, *cap. Vn. vers. Si vero, de regul. in 6. Clementin. eodem.* Atque ex eorum exercitiis, *capit. Vidua 4. de regular. Sanchez l. 5. cap. 3. num. 10. & 13.* Ergo multo magis censetur inducta ex expresso consensu apertis verbis declarato per Franciscam in actu renuntiationis, vt admonet ad hunc propositum *Henr. Boich. in cap. 1. num. 5. fine, de iis quæ vi.*

Hincque patet, non applicari dictam decis. 395. 16
coram Gregorio XV. in qua fuit dictum matrimonium non esse ratificatum ex simultanea cohabitatione, nec ex superuenientia consensus alterius Coniugis, vel ex aliis actibus, & quod ad illius ratificationem requirerentur eædem solemnitates, quæ requirebantur in ipso contractu; quia licet in reliquis valeat argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, quale dicitur professio, *capit. Inter, de Translat. Episcop. Rebuffus consil. 69. numer. 9.* Non valet tamen in hoc 17
articulo stante diuersitate rationis ex eo resultante, quod Pontifex, seu Ecclesia non potest supplere alterius Coniugis consensum, *Petrus de Ledesma quæst. 45. de Matrimon. articul. 3. in solut. ad vltim.* Secus vero in professione, vt constet ex superius allegatis. & tradit in puncto *Sanchez lib. 7. disp. 37. consil. 64. vers. Est enim.*

Non obstat, quod monasterium suum consensum reuocauerit, & contradixerit ante superuenientiam noui consensus D. Franciscæ, vt probari prætenditur fidibus extraiudicialibus 76. monialium attestantium, se non habuisse Franciscam pro moniali, & quod nomine Abbatissæ id ipsum fuerit Sanctissimo expositum, vt in Summ. Franciscæ numer. 7. quo casu li-
mitatur conclusio supra firmata, cum Pontifex non 18
intendat admittere ratificationem superiori, idest, monasterio repugnante, *Lessius lib. 2. capit. 41. dub. 7. fine, de Vecchiis disputat. 14. dub. 4. numer. 3. fine.*

Quoniam licet vera sit limitatio, non tamen potest applicari huic casui, cum dictæ Moniales Sanctissimo scripserint, & dictas fides fecerint absque Capituli consenso: & ideo reuocatio, siue contradictio ex eis desumpta nullius est momenti. Nam sicuti in prima

9 acceptatione adhibitus fuit Capitularis Monialium consensus, sine quo nec satis fuisset consensus superioris, *Glossa in cap. Porrectum, v. Monachum, de regular. Ancharan. ibidem num. 6 & cap. fin. in 2. notabil. eodem in 6. Nauarr. consil. 9. num. 12. de Constitut. Rodriquez tom. 3. quæst. 17. articul. 7. Lupus allegat. 31. num. 1. & 3.* Vbi quod receptio Monialis spectat ad Abbatissam, & Conuentum vti ad Collegium, *Sanchez lib. 5.*
20 *cap. 4. num. 65.* Ita requirebatur vel consensus Capitulariter præstitus in eiusdem acceptationis reuocatione, iuxta vulgatam regulam, quod actus eodem modo destruitur, quo construitur, *leg. 2. C. si aduersus donat. Authentic. contra C. de repudiat. Pinellus in leg. 1. numer. 4. vers. Quæro cum donat. C. quando liceat ab empt. disced. Menoch. consil. 1095. numer. 24. Surd. decis. 128. numer. 54. & 55.* Vel quod superior reuocasset præuio monialium Capitulari consensu, quem non inducunt dictæ attestationes, seu declarationes ab Abbatissa & Monialibus emissæ vti singulis, non autem in loco capitulariter congregatis, *Bald. in leg. Et faam, §. Dic tamen, Vers. Notat, Angel. ibidem numero primo, ff. de Pactis, Felin. in capit. Cum omnes, numer. 24. de Constitution. Rota decision. 484. num. 6. parte prima Recentior. & decision. 351. numero vndecimo, coram Eurato, & ibi Addentes numero decimotertio.*

21 Nec dicatur, quod ad effectum, vt ratificatio sit valida, requiratur scientia nullitatis professionis præcedentis, *Caietan. 2. 2. quæst. 189. articul. 5. Nauar. consil. 28. num. 7. & consil. 89. n. 3. de regular. & in Manualis. 12. num. 71. Rota decision. 579. num. 7. & decis. 397. n. 5. part. 4. Recentior.* Quia vltra quod prædictam opinionem vti minus tutam S. Congreg. Eminentissim. Cardinalium Sacri Concilij Trident. interpretum non amplectitur, sed potius contrarium pluries tenuit, *Vt in declarationibus allatis in dicta Metensi professionis coram me, impressa apud Tambur. de Abbatissis decis. 22. Est vndecima hic extensa.* Vbi quod S.D.N. Vrbanus VIII. huiusmodi declarationes obseruari mandauit 1. Februar. 1631. in vna Romana nullitatis Professionis. Cessat in præsenti omnis scrupulus, cum ex testibus pro Francisca examinatis, & supra in principio ponderatis, probetur, ipsam nunquam se habuisse pro moniali, nec ab aliis Monialibus pro tali reputatam, clarius patet ex propria confessione emissa in actu renuntiationis litis, ibi: *Quamuis Monialis non esset, hodie Monialis esse volebat.* Qua nulla datur maior probatio, *leg. Cum te, C. de transact.*

Minus obstat, quod dicta ratificatio desumitur ex dictis verbis in renuntiatione litis dictis, & ideo sicut
22 renuntiatio corruit, ita corruere debeat ipsa ratificatio, vti accessoria quia renuntiatio litis corruit, ex quo pars, ad cuius fauorem fuit renuntiatum, non est præsens, nec aliquis pro ea stipulans fuit, prout requirebatur ex *text. in leg. Certum, §. Si quis absente, ff. de Confess. & notar. in specie Iason in leg. Postquam litis, num. 1. in fine, C. de Pactis.* Et propterea merito potuit reuocari ante acceptationem, *Alciat. in dicta leg. num. 19. Vers. Sed tamen cum aliis allegatis in particulari decision. super dicta renuntiationis nullitate emanata sub die 30. Ianuarij anni proxime præteriti.* Quæ quidem ratio cessat in ratificatione professionis, quæ fit Deo vbique præsenti, & sic parum refert, quod non fuerit acceptata à parte collitigante, immo cum Religio suum ab initio præstite-
23 rit consensum, cuius perseuerantia præsumitur ex retentione eiusdem professæ in Monasterio, *Nauarr. consil. 50. sub numero primo, Vers. Nec potest dici, de Regul. Rodriquez tom. 3. quæst. 17. art. 3 Vers. Aut nullitas.* Sufficit, quod Papa, Religione non contradicente, de facto acceptet, prout acceptasse præsumitur eo ipso, quod professa suum præstitit consensum, vt supra fuit firmatum ex doctrina *Castropalai tom. 3. disput. 2. p. 5. num. 4.* Vbi concordanter cumulauit.

24 Nec est nouum, quod idem actus possit valere respectu vnius, licet sit nullus respectu alterius, quando, prout hic, est de sua natura diuiduus, vt tradunt *Alban. consil. 38. num. 8. Gabriel consil. 36. numer. 45. & 46. vol. 1.* ex regula, quod in diuiduis vtile per inutile non vitiatur, *cap. Si confirmationem 39. vbi Gemin. not. 3. de elect. in 6. cap. Vtile 37. Surd. consil. 428. n. 20.*

Et quamuis in ead. Decisione 30. Ianuarij subiungatur ex dicta renuntiatione litis non posse inferri ad ratificationem professionis cum Francisca non dixerit velle ratificare professionem, sed potius declarauerit, per antea se non fuisse monialem, vt colligitur ex sæpius recitatis verbis: *Quamuis Monialis non esset, hodie Monialis esse volebat.*

Et ideo dum constat eam non fuisse monialem, non possit intrare ratificatio professionis, ex quo non datur ratificatio eius, quod non est, vt notat *Bartol. in leg.* 25
Obseruare 4. §. fin. num. 6. de Offic. procons. Non obstantibus illis verbis: *Hodie monialis esse volebat*, quia concesso, quod non fuisset monialis, illa verba importarent tantum nouam professionem, & consequenter nullam ob defectum solemnitatum requisitatum, ex *cap. Porrectum, de regular. Azor. part. 1. lib. 12. cap. 5. quæst. 7.*

Tamen hodie melius negotio per Dominos examinato, recedendo in hac parte à Decisione, responsum fuit, quod dum dicta Francisca habitum gestauit, professionemque solemniter emisit, & spatio tanti temporis in monasterio permansit, faciendo actus professis conuenientes negari non possit, quin ipsa saltem apparenter monialis reputari deberet, licet inualide professa ob metum sibi incussum, & propterea quando dixit: *Quamuis monialis non esset.* Dicendum est, intellexisse de vera moniali, non autem de moniali saltem habitu; & consequenter retorquetur conclusio in dicta Decisione firmata, quod scilicet illud quod est, sed ab initio nullum postea ratificari possit, quando prout hic actus pendet à solo consensu ratificantis, vt post *Abbat. tradit Felin. in cap. Nonnulli, §. Sunt & alij col. 3. de rescript. in 3. ampliat. Vers. Pro ista ratione, Natta consil. 262. num. 10. Surd. consil. 28. num. 123. in fine.* Quo supposito stante, non debet dici, quod Francisca in illis verbis: *Hodie monialis esse volebat.* Voluerit nouam professionem emittere, sed tantum præcedentem nullam ratificare, in qua non requiruntur aliæ solemnitates, vt supra fuse fuit ostensum ex dispositione Concilij *Session. 25. cap. 19. & ex text. in cap. Ad nostram, cap. Significatum, de regular.*

His igitur sic positis, non vrget, quod Francisca seducta fuerit ad professionem ratificandam illecebris, & promissionibus Antonij fratris, quia omisso, quod testes ad id examinati deponunt, promissiones fuisse factas mediantibus F. Iacobo Peregrino, Fr. Didaco de Areda, & Fr. Emanuele de Vasconcellos, qui tamen medio iuramento contrarium attestati sunt. Quod confirmatur ex ipso euentu, dum ratificatio pure, & simpliciter facta fuit, quæ propterea debet attendi, quicquid antea tractatum fuerit, *cap. Dudum, §. Sed ad ista, Vers. Insuper, de Conuers. Coniugat. Sanchez lib. 6. cap. 2. n. 40.* Et in terminis matrimonij carnalis, idem *Sanchez l. 2. disput. 45. num. 19.* vbi plures cumulat. Et nouissime fuit in Rota decisum in Rom. Matr. 10. mensis currentis cor. R. Dec.

In omnem euentum non inde inferri posset ad conditionem suspensiuam eiusdem ratificationis, nam cum promissorum executio deberet subsequi actum ratificationis, importat modum dumtaxat, non autem conditionem, *leg. Cum tale, §. 1. ff. de Condit. & dem. Bartol. in leg. Quibus diebus, §. Termilius, numer. 55. ff. eod. Natta consil. 315. numer. 28. Rota decis. 293. n. 14. & 5. part. 5. recen.* Et in puncto, quod matrimonium sic contractum dicatur purum, cum obligatione tamen præstandi, quod promissum est, tradit *Basilius* 26
à Ponte de Matrimon. lib. 3. cap. 13. numer. 4. Vers. Deinde. Modus enim non suspendit actum, neque

illum

illum si deficit resoluit, sed ad promissorum adimplementum est agendum, vt inter modum, & conditionem distinguit *Bart. in l. Sitas, §. Videmus ff. quibus mod. pignus. Negusant. de Pignoribus mem. 3. part. 6. num. 31. Vers. Secus autem, Surd. decis. 156. num. 6. & 7.* Et in terminis matrimonij notat *Sanch. lib. 5. disp. 19. num. 9.* Vbi plures coocordantes refert.

Denique non releuat, quod Francisca protestata fuerit, se accedere ad ratificandum tanquam ad malam crucem, vt se subleuaret ære alieno, quo valde grauata reperiebatur; quia præterquamquod de hac protestatione non deponit nisi vnicus testis, & per consequens nihil probans, *cap. Veniens 10. cap. Licet ex quadam 47. de testibus l. Iurisiurandi 8. C. eod. tit.* Adhuc non releuaret, cum non doceatur emissa coram iudice, vel coram ipso promittente, seu metum inferente *Bart. & alij in l. Qui in aliena, §. fin. ff. de acquir. hared. Abbas in cap. Tua nos de spons. Aymon cons. 120. num. 3. & 5. Paris. cons. 10. num. 42. lib. 1. Dec. consil. 41. n. 122. lib. 2. Menoch. præsumpt. 127. num. 9. & 10. lib. 2.* Et eo minus, quia post prætensam protestationem pure ratificauit, quo fit, vt etiamsi errasset in spe maioris fortunæ, seu diuitiarum, valeat nihilominus ratificatio, vt in puncto professionis tradit *Nauar. consil. 50. n. 2. de Regul. ex cap. constituit 20. q. 3.* & in matrimonio

28 carnali idem *Nauarr. in Man. c. 22. num. 32.* Et semper in dubio est semper facienda interpretatio, vt professio sustineatur, *Nauar. consil. 13. num. 10. de Regul. Sanchez lib. 7. disp. 37. num. 12. fine, Rota coram Seraphino decis. 1361. in fine.* Et ita vtraque parte &c.

Quod ad ratificationem professionis ex quocunque capite inualida non sit necessarius nouus monasterij consensus, dummodo antiquus non fuerit reuocatus, & quidem legitime, & capitulariter, vt dicitur in hac decisione, probaui multis hic c. 21. q. 16.

DECISIO XXXVI.

Vlixbonensis 19. Ianuarij 1646. coram Arguelio extensa apud Dianam part. 9. Decisione prima, de eadem Francisca Coronella, cuius ratificatio professionis habita valida in præcedenti decisione, in præsentibus probatur inualida.

1 *Professio, & eiusdem ratificatio facta à Coronella alias valida modo inualida deciduntur.*
2 *Ratificatio retrotrahitur ad primum diem attentata professionis.*
3 *Ratificatio, seu tacita professio non subsistit, vbi præcessit metus.*
4 *Omnes actus subsequentes inficiuntur per metum durantem.*
5 *Metu probato euanescũt coniectura fauore professionis.*
6 *Voluntas coacta voluntas est, sed non libera.*
7 *Professio, seu ratificatio reseruato sibi iure successionis est nulla.*
8 *Metus reuerentialis iunctis minis de subtractione alimentorum vitiat professionem.*
9 *Preces importuna, frequentes, & molesta vitiant professionem.*
10 *Dolus cum lucro promisso vitiat professionem.*
11 *Dolus dans causam contractui illum irritat.*
12 *Error circa qualitates extrinsecas, in quas potissimum fertur animus, vitiat professionem.*
13 *Ratificatio à muliere quasi desperata non valet.*
14 Volo hodie esse monialis *indicat solum intentionem ratificandi professionem in posterum.*
15 Volo *iunctum infinitiuo non importat dispositionem de præsenti, sed voluntatem agendi in futurum.*
16 *Verba allata ad vnum finem non inferuiunt pro alio.*
17 *Ratificatio non præsumitur, sed verbis vel factis necessario infertur.*
18 *Mutatio subita non præsumitur in eo, qui constanter contrarium animum per multos annos habuit.*
21 *Minor metus requiritur ad vitiandam professionem mulieris.*
22 *Reclamans non potest postea ratificare sine consensu monasterij.*
23 *Ratificatio tacita, & expressa diuerso iure censentur.*
22 *Ratificatio expressa requirit easdem solemnitates, quas professio.*
23 *Professio est contractus vtrinque petens simultaneum consensum.*
24 *Deficiente consensu monasterij ratificatio non valet.*
25 *Professio prima fit in manibus superioris.*
26 *Professio publice nulla ratificatur in manibus superioris.*
27 *Papa supplet consensum monasterij, quando non contradixit.*
28 *Abbatissa non potest recipere monialẽ sine monasterio.*
29 *Magis creditur duobus, quam mille negantibus.*
30 *Testes de vniuersitate interesse habentes, non vt singuli probant.*
31 *Tabellionatus officium prohibetur religiosis, & monialibus.*
32 *Amicitia non tollit testimonium.*
33 *Testes etiam singulares probant metum.*
34 *In dubio de defectu consensus interpretandum pro libertate.*

OB varias probationes hinc inde factas coram R.D. meo Castillo Præside Vallisoletano emanarunt decisiones, quibus omnibus diligenter perpensis, hodie Domini censuerunt recedendum esse *à decisis sub die 11. Martij 1643.* Et inhærentes decisionibus editis *sub* 1
diebus 30. Ianuarij 1640. & 16. May 4216. Professionem esse nullam, & inualidam confirmarunt, siue attendenda sit ipsa expressa, siue tacita ratificatio, siue etiam ratificatio expressa.

Quod enim attinet ad professionem expressam emissam à D. Francisca Coronella in monasterio S. Dionysij de Odiuellas de anno 1605. de illius inualiditate non fuit dubitatum, & clara resultat ex deductis in dictis duabus decisionibus de annis 1640. & 1642. Quarum fundamenta inconcussa agnoscentes informantes pro DD. Gomez Fratribus eiusdem Franciscæ non impugnabant, sed punctum difficultatis reducebant ad ratifi- 2
cationem, cuius natura est validare actum vsque ab initio virtute retrotractionis, *cap. Ratihabitionem 10. de de Reg. iur. in 6. l. fin ff. de bon. possess. l. Bonorum 24. ff. rem ratam habet, l. fin. C. ad Maced. l. Donationes 25 C. de donat. & ibi communiter scribentes.*

Quo ad tacitam itaque ratificationem dixerunt Domini non intrare. Nam quicquid sit, an cursus longissimi temporis, quo Francisca in monasterio mansit deferendo habitum monialem, & faciendo alios actus ex aduerso ponderatos pro inducenda hac tacita ratificatione, sit sufficiens de sui natura. Omnes vnica responsione visi fuerunt posse euitari, nempe, quia Francisca ab initio, coacta fuit ingredi monasterium metu patris sibi incusso etiam cum minis mortis, vt diserte deponunt plures testes de visu, & auditu proprio deponen- 3
tes, qui metus reddit professionem irritam, & nullam, *Abbas in cap. Cum virum n. 8. de Regul. Felin. in cap. Causam matrimonij n. 5. de offic. deleg. Sanch. l. 4. disp. 6. n. 36. & lib. 4. c. 3. num. 26. Rota dec. 779. n. 10. part. 3. Recent. cum aliis vulgatis.*

Et operatur, quod omnes actus subsequentes gesti tanquam prouenientes ab initio meticuloso laborent eodem vitio, & nullius sint roboris ad inducendam tacitam ratificationem professionis, signanter dum adhuc viuebat pater. *Doct. in l. 2. C. quod metus Bartol. in l. pen. ff. de condit. ob turp. Cen. tom. 4. Decret p. 2. c. 3. §. 5. n. 1. Roland. cons. 2. n. 86. l. 1. Paris. 60. n. 34. l. 4. Rota dec. 771. n. 8. & 9. dec. 851. n. 1. dec. 863. n. 4. coram Seraph.* Et declarauit

uit S. Congr. Eminentissimorum 13. Septembris 1629. *Quæ censuit, matrimonium contractum a filia per metum à matre illatum esse inualidum, etiamsi mulier metum passa per plures annos post mortem matris permanserit cum marito, & filios procreauerit.* Vt prosequitur Barbosa in collect. Bullar. v. Matrimonium pag. mihi 445.

5 Et probato metu certum est, quod omnes coniecturæ deductæ ad ostendendam liberam voluntatem euanescunt, *Alex. consi. 99. n. 10. lib. 3. Nicol. Eutr. Consil. 4. num. 2. te n. 2. inter matrimonialia Gilett. Gamma decis. Lusit. 346. n. 3. Gregor. XV. decis. 326. num. 45. Seraph. decis. 8131. nu. 6. Rota decis. 216. n. 21. p. 1. Diuers.* Immo probato metu, impossibile esse, contrarium probari, inquit *Alex. dicto cons. 99. n. 8. & 9. lib. 3.*

6 Nec dicatur, quod voluntas coacta sit voluntas. Quia non est tamen libera prorsus, ac simplex voluntas, qualis in professione requiritur, *c. Cum locum 14. de sponsal. Butr. in cap. cum virum sub num. 6. in fine Vers. Sed vbi, de Regular. Dec. in l. Velle non creditur sub num. 3. fine, Vers. Non obstat ff. de iureiur. ibique Cagnol. sub num. 5. Vers. Ex quibus infertur. Et explicat Rota decis. 643. num. 28. Vers. Secus tamen par. 1. Recens.*

Quo vero ad expressam ratificationem, in qua fiebat maius fundamentum, deductum ex eo, quod Francisca de anno 1638. mediante instrumento publico cessit liti, & probabit illa verba: *Quamuis monialis non esset, hodie monialis esse volebat.* Domini pariter dixerunt, non intrare tanquam inualidam.

7 Primo, quia Francisca, vt ipsa pars aduersa confitetur, & allegat in suo facto, illum fecit, reseruato sibi illæso iure successionis hæreditatis Odoardi fratris, illo med o tempore defuncti, quæ reseruatio est contra substantiam, & validitatem professionis, vt cauetur *in Tridentino sess. 25. cap. 2. & 20. Vers. Insuper, de conuers. coniugat. Glos. in capit. fin. de condit. appos. & in cap. 1. Qui cler. vel vou. Rodriquez tom. 3. q. 17. art. 6. Consil. com. contra comm. q. 85. numer. 2. Bartol. à S. Fausto in Thesauro Relig. l. 8. quæst. 21. Less. lib. 2. c. 41. num. 63. Bonac. de Claus. p. 10. diff. 2. §. 1. n. 13. Tamb. de iure Abbatissam tom. 3. disp. 6. q. 26. Barb. de iure Eccles. lib. 1. cap. 42. num. 150.*

8 Secundo, quia Francisca metu reuerentiali aliorum fratrum sui coacta ad illum actum agendum, iunctis minis de subtractione alimentorum, qui metus non minor profecto est, quam metus amissionis bonorum, vel maioris partis eorum, quem ad irritandum professionem sufficere tenent *Sanchez libr. 4. disput. 3. num. 25. Pontius lib. 4. cap. 4. num. 9. Vrtadus disp. 6. diff. 1. num. 2. Bordon. cap. n. q. 13. Tiraquel. de nobil. cap. 31. n. 369. Sanchez lib. 4. cap. 3 num. 8* Præsertim in muliere ære alieno grauata, à quo subleuari promittebatur. *Pontius dicto c. 4. n. 10 Iason in l. Titian. 10. Vers. Secundo notabiliter, de Verb. obligat. Rota apud Farinac. l. 2. cons. criminal. tom. 2. decis. 241. n. 13. & in decis. 326. num. 21. coram Gregorio XV.*

9 Tertio, quia fuit etiam impulsa ex minis protrahendæ, & perpetuandæ litis, vt probant testes ad tex. in l. Mulierum 22. ff. quod metus caus. cuius litis erumnas satis cognouerat Francisca, quæ plurium annorum curriculo fratrum potentia impedita, nec latum quidem vnguem in lite progredi valuit; immo ijdem Fratres aduersarij non abstinuerunt etiam Rotales expeditiones, ac literas Apostolicas violenta manu abripere, earumque executionem conatu possibili impedire; vnde postmodum coacti fuerunt absolutionem à censuris petere, & refusis expensis à Rota fuerunt assecuri, vt videre est in decisionibus coram eodem Cerillo desuper emanatis sub diebus 16. Nouembris 1635. & 27. Martij 1637. At litis, & æris alieni, quo grauata erat Francisca, quanta sit miseria docuit tertium illud præceptum in templo Delphico aureis literis consecratum. *Æris alieni, atque litis miseriam fac effugias.* Et facit, quod habet Martialis lib. 7. Epigram. 64.

Quarto concurrunt promissione liberandi eam ab ære alieno, persuasiones, & preces importunæ, frequentes, & molestæ factæ à fratribus de Gomez mediantibus multis personis, quæ per se solæ essent forsan sufficientes ad irritandam professionem, ex relatis per *Altagradum cons. 50. n. 271. Petrum de Pech. de testament. coniug. l. 1. c. 3. n. 4. Valer. Reg. cons. 29. n. 32. Afflictum decis. 69. n. 4. Pontium l. 4. c. 12. per totum, & cap. 3. num. 17. Dianam par. 3. tract. 3. resol. 20. Vers. Notandum, Gratian. c. 659. n. 9. Rota decis. 326. n. 13. coram Gregor XV.* 10

11 Quinto, ponderabat vnus ex Dominis, Franciscam fuisse deceptam etiam dolo, attento lucro fratribus ex hac professione prouueniente, quod vbi interuenit semper dolus præsumitur *Mieres de maior. par. 1. q. 23. à num. 1.* Et clare deducitur ex supradictis promissionibus, persuasionibus, & minis; & eodem modo, quo metus inualidat contractum, *vt bene Pontius l. 4. c. 25. n. 5.* siuè sit in ipso facto, siue in ratificatione, *Gellart. de renunt. l. 3. c. 11. n. 3.* Et certissima est conclusio, quod dolus dans causam contractui bonæ fidei, inualidum, & nullum eum reddit, *l. Et eleganter 7. ff. de dolo malo, l. 3. §. Societas ff. pro Socio, l. Qui cum tutoribus. 9. §. 2. ff. de transact.*

Sexto, accedit error Franciscæ, quæ credidit per illum actum liberationem ab ære alieno, & alimenta consecuturam, & è contra finem litis, si actum non fecisset nunquam visuram. Qui error licet circa qualitates extrinsecas, tamen quando in eas fertur animus eodem actu, & eis innititur expresse inualidare professionem, tradit *Basil Pont dicto c. 21. vbi plures cumulat,* & adimit consensum contrahentis ab actu, *tex. expressus in l. Sed hec ita 20. ff. de aqua pluuiam l. Error. 8. ff. de iuris, & facti ignor. lib. Si per errorem 15. ff. de iurisd. omn. iud. Rota decis. 19. n. 20. coram Burata.* 12

Septimo ponderatum etiam fuit, quod ille actus facilius periclitatur tanquam gestus à muliere animi maxima perturbatione commota, & fere desperata, vt dicunt testes, & sic abfuit plena libertas, & prudens deliberatio ad tam serium actum necessaria, arg. tex. *in c. Diuortium 22. de Pœni. dist. 1. c. Si quis iratus 5. 2. q. 3. l. 3. ff. de diuert. l. Locatio 9. ff. de public. & vectig.* Et faciunt versus Homeri adducti *c. Aut facta 19. de pœnit. dist. 1.* ibi: *Irapercitus Amphidamantis. Cum gratum imprudens, simul, inuitusque peremit.* 13

Cum ergo Francisca perturbata, & quasi desperata accesserit ad illum actum, eoque vix perfecto pœnituerit; & ad præcedentes lacrymas, & eiulatus redierit, ac violentiam, & defectum voluntatis patefecerit, vt probant testes, satis inducitur ad inualiditatem, ex supra allegatis; liquet enim quod non diuini spiritus afflatu ad dictam ratificationem prosilijt, nam bonus spiritus non tam cito pertransit, & ex illa subsecuta subita conquestione repugnantia voluntatis arguitur, *Fab. Turretus cons. 28. n. 12. Paris. cons. 60. n. 37. ad 41. l. 3. Rota decis. 643. num. 16. par. 1. Recent.* Ponderando etiam, quod statim dixit, se nescire quid fecerit, *& congruit sententia Ecclesiastici c. 5. & verba D. Pauli relata c. fin. 23. q. 6. Sanchez lib. 4. cap. 5. num. 9. & l. 1. disp. 8. num. 7.*

Octauo, considerabant Domini, quod illa verba: *Quamuis monialis non esset, hodie monialis esse volebat.* Nullo modo inducant professionem, nec ratificationem, sed solam intentionem ratificandi imposterum, quia verbum *volo* iunctum alteri verbo infinitiui temporis, non importat dispositionem de præsenti, sed voluntatem propensam id agendi in futurum, *Glos. in lib. forma electiones v. Pessimus ff. de legat. 1. Molina de ritu nuptiar. l. 1. c. 20. n. 34. Prat. Lexicon 11. Volo, Barb. dict. 436. num. 14. Seraph. decis. 1079. num. 3. Buratus decis. 196. numero 5.*

Nono animaduertebant ijdem Domini, quod ista verba non fuerunt à Francisca prolata in actu determinato ad emittendam professionem, seu ratificationem, 15

tionem; sed ad alium finem, nempe ad desistendum à lite, ideo non possunt deseruire ad inducendam dispositionem, *Text. in lib. Diuus 25. de testam. milit. & ibi Gothofr. l. Tale pactum, & ibi Bartol. num. 3. Castr. num. 8. ff. de pactis.*

16 Et ratio est, quia ratihabitio non præsumitur nisi ex verbis, vel factis necessario inferatur, *Bart. & Castr. in l. Paulus respondit. lib. Non tantum 5. ff. rem ratam, Aretin. consil. 128. nu. 9. Hieron. Leo decis. Valent. 75. n. 7.* Hic autem concurrit coactio, & accersio Franciscæ tot actibus, & tot annis tentata, *Rota dicta 326. num. 7. coram Gregorio, & 779. numer. 1. part. 3. Recent. Hipolit. Rimin. cons. 67. num. 24. inter matrim. Ziletti.* Et concurrunt etiam protestationes, tam in actu professionis, quam ratificationis, *ad tex. in l. 2. C. de his, qui propter metum, & l. Qui in aliena 6. §. Celsus ff. de acquir. hered. Bart. in lib. omnes populi, num. 31. de Iustit. ia.* Aliaque tot præcedentia, & subsequentia signa auersionis, quibus omnibus simul iunctis proculdubio inexcusabilis patet inualiditas professionis, seu ratificationis Franciscæ, *ex supra allegatis, quibus addi possunt Sanch. l. 2. disp. 45. n. 22. Gratian. c. 18 n. 43. ad 48.*

17 Ac etiam verba, quæ ante actum protulit, ex quibus bene præsumitur animus subsecutus, *Glos. & Bart. in l. Apud Cel. num 4. ff. de doli excep.* quam Angelus dicit esse meliorem de mundo, *& alios allegat.*

18 Decimo, addebat vnus ex Dominis, non esse verisimile, quod Francisca, quæ per spatium 24. & vltra annorum ante dictum actum se monialem esse constantissime recusauerat, & ob id maximas ærumnas, lites, & dispendia, fatti, vitilique animo perpessa fuerat, ex abrupto, nulla extrinseca compellente causa fortissima, mutata repente voluntate monialitatem sibi decreuisset, quam etiam inuerisimilitudinem etiam pro metu præsumendo alias admisit *Rota coram Gregorio XV. decis. 326. numero 6. Vers. Et multum in eo, & decis. 643. numero 19. Vers. Ad metus autem probationem par. 1. Recent. & in decis. 86. numer. 16. coram Burato.*

Et inuerisimilitudinem augeri ex lacrymis, querelis, & suspirijs à Francisca emissis, ex quibus metum, & animum satis dignosci tradunt *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 4. num. 10. Alciat. cons. 55. num. 8. lib. 9. Alex. cons. 99. numero 11. Vers. secunda est præsumptio, Craueta cons. 461. n. 12. Seraph. decis. 779. n. 5. p. 3. Recent.*

19 Quæ omnia facilius procedunt in muliere in qua minor metus sufficit ad irritandum professionem, *Glos. in cap. Cum locum, 14. v. Metus, de sponsal. Valenz. cons. 148. num. 46. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 6. cap 4. numer. 21. Calder. cons. 1. Quod metus. Anchar. cons. 24. n. 7. Abbas cons. 4. n. 5. lib. 1. & fuit dictum in Tullensi nullitatis professionis 13. Maij 1634. coram Merlino.*

20 Vlterius etiam si actus ex aduerso ponderati possent importare ratificationem ex parte monialis, adhuc tamen isti non sufficerent, cessante consensu monasterij, non enim est integrum reclamanti post querelam, quandocunque voluerit ad professionem redire absque noua voluntate, & consensu monasterij, *Vulgata Reg. lib. Quæsitum 4. ff. de acquir. hered. lib. Dispensatorem 62. fine de solut. cap. Ex eo 38. de Reg. iur. in 6. vbi Barbosa plures cumulat. l. Si non erit 3. fine ff. de iureiur.*

21 Doctores autem per informantes pro Gomez allegati loquuntur in professione tacita, non autem in expressa, & publica, quæ diuerso iure censenda est, *lib. Si ita legatum 65. §. 1. ff. de legat. 1. Sanch. lib. 7. disp. 37. numero 57. & 65. Tambur. decis. 3. de iure Abbatiss. numero 5.* Immo in expressa ratificatione professionis

22 exiguntur eædem solemnitates, quæ in actus celebratione, vt tradunt *Aretin. cons. 28. numer. 5. Vers. Sed quando lex, Surd. cons. 3. num. 10. & decis. 159. n. 21. Vers. Non aduersatur. Riccius par. 4. decis. 82. Seraph. decis. 1166. n. 3. Vers. Non obstat.*

23 Professio siquidem est contractus vltro, citroque obligatorius, quo nouitius Deo, & monasterio, monasterium autem nouitiæ ad eam tenendam, & alendam, vt alias relatum probat *Tambur. de iure Abbat. disput. 6. in fine.* Sed necesse est, quod vtriusque contrahentium consensus concurrat, sicut & in cæteris contractibus correspectiuis, *late. Pet. lib. 2. cap. 24. & 25.* Et hoc est etiam indubitatum in iure, *vt in l. Omnibus 56. ff. de act. & obligat. l. 1. §. Conuentionis 3. ff. de pactis, l. Si voluntate 8. C. de rescind. vend.* Ac insuper quod simultanee in eodem actu interueniat, quia consensus semper præsumitur præstitus sub conditione, si alter statim consentiat, *l. Duos reos 6. §. fin. l. Si ex duobus 11. ff. de duobus reis l. continuus 137. in princ. ff. de verb. obligat. l. 1. §. item si ita ff. ad leg. Falcid. Faber in l. Non erit 5. §. Si neque iuratum ff. de iureiur.* 24

Deficientia vero consensus monasterij clare desumitur, tum ex reuocatione mandati, quod dederat ad hanc litem. Tum etiam ex epistola sanctæ memoriæ Vrbani VIII. transmissa, & à 76 monialibus subscripta, quam pro vehementi adminiculo admittit etiam *Decisio sub die 16. Iunij 1642. sub D. meo Carilio.* Tum demũ ex pluribus testibus deponentibus, Franciscam non fuisse habitam pro moniali, & vestibus secularibus, ac serieis plerumque indutam incessisse, & ita ad nullos actus capitulares admissam scientibus, & patientibus omnibus monialibus; ac etiam ex alijs testibus ex aduerso examinatis dicentibus à multis annis ante ratificationem sic se Franciscam gessisse in monasterio, & vitam secularem ab omnibus actibus professarum seclusam semper duxisse tam ante, quam post professionem, & ratificationem. quo maius argumentum non acceptationis, & dissensus dari non potest

Et quia illa Decisio 16. Iunij 1642. firmat, non posse ratificari quod fuerat ab initio nullum, informantes pro Gomez contendebant, quod Francisca noluit ratificare professionem prout ex tunc, sed nouam professionem emittere, dum dixit, *quod licet monialis non erat, hodie monialis esse volebat.* Hoc tamen non tollit, sed potius auget difficultatem, quia si ille fuit nouus actus, non autem ratificatio præcedentis, magis patens est inualiditas. ex eo, quia tanquam noua professio emitti debuit in omnibus Prælati potestatem habentis. *Host. in cap. consulsit num 1. Qui clerici, vel vou. Azor. libro 12. capitulo 5. quæst 6. Barb. in capitul. Porrectum, & in capitul. Cum virum, de regul. Tambur. de iure Abbat. disp. 6. Lezana 11. Professio 13. & capitul. 2. numer. 2. & capitul. 18. numer. 66. Sanchez lib. 5. capit. 4. num. 64.* 25

Præsertim cum nullitas istius professionis ab initio fuerit publica, vt firmatur in præcedentibus Decis. quo casu nemo in quæstionem reuocat, quin sit ratificanda coram superiore solemniter. *Bordonus cap. 6. quæst. 14.* & in matrimonio *Sanchez disp. 37. numero 48. Vrtadus de matrimonio disp. 33. diff. 11. numero 43. & alij per eos cumulati.* 26

Propterea dicebant Domini, quod non est opus aggredi disputationem. An Papa tanquam supremus Prælatus omnium religionum suppleat defectum consensus religionis? Etiamsi ista suppletio locum habeat religione sciente, vel potius ea ignorante nullitatem, super quibus Doctores. Quia cum in Decisione diei 17. Maij 1641. Rota firmauerit, quod data scientia monasterij quo ad nullitatem professionis, necessarius sit nouus consensus ad illius ratificationem, & scientia, ac etiam ratificatio ex supradictis sit parens, res est in tuto, & nullitas professionis remanet inexcusabilis.

Alias enim inferretur magnum præiudicium monasterio, si post reclamationem Franciscæ cogeretur ei consentire, quod Papa non intendit, sed illum consensum supplet deficiente contradictione monasterij, ad hoc vt consulatur tranquillitati, & paci, tam religionis, quam profitentis *Sanchez lib. 7. disp. 37. numero 64.* & ad euitandas lites, & scandala, *Bonac. de clausura quæst. 2. p. 10. § 5. diffic. 4. n. 3. & 4. Vers. Ego vero* Quod ideo non procedit lite iam cœpta, & tandiu prosecuta, & esset potius species inæqualitatis obligare 27

religionem ad consentiendum, dum hæc non posset obligare religiosum ad persistendum, & suppletio haberet locum, quando nulliter professus ratificat, & religio non reuocat primum consensum, *Sanchez lib. 2. disp. 32. num. 9. Vers. Confirmatur, Bordenus cap. 7. qu. 11. Vers. fin. cum alijs per Lezan.*

Nec visum fuit aliquod obstare, quod moniales de tempore professionis non habuerint capitulariter scientiam metus. Namquicquid sit de hac conclusione, quam Domini hodie voluerunt firmare; & vnus dicebat sufficere, quod hanc scientiam habuerit Abbatissa, quæ nomine conuentus recipiebat professionem, *arg. tex. in l. Heres 43. § fin. ff. de vsucapt. l. cum mancipium 51. § 1. ff. de adilit. edict. vbi Bartol. & Glos. Cuiac. lib. 54. resp. Pauli ad l. Secundum §. Census ff. pro empt.*

Deinde sufficere dicebat, quod postea ista scientia capitulariter superuenerit, vt ea tot actibus supradictis, & citatione ad litem datione mandati, & reuocatione postea (quæ omnia capitulariter fiunt) & talis superueniens scientia operatur animi mutationem, *Optimus text. in l. Eius qui in prouincia 41. circa finem ibi:* Vtique si scierint sibi cohæredem datum, quoniam tunc non possunt videri bonæ fidei possessores esse, qui nec animum possidendi haberent. *Iuncta leg. Item veniunt 20. §. Petitam 11. l. Sed & si 25. §. Si ante litem 7. ff. de petit. hæred.*

Et dato, quod illa scientia fuisset necessaria, non haberet locum in hoc monasterio, dicebant Domini, vbi adest consuetudo, quod monasterij consensus non exquiritur ad professionem in admittendum, ex traditis *in dicta decis. 24. Febr. 1644.*

Quapropter illi de Gomez laborabant in probando, consuetudinem illam non fuisse præscriptam, quamuis in Franciscæ professione talis non fuisset consensus capitulariter requisitus, quod nec illi negabant, & multis testibus probatur. Sed retorquetur, quia si illa consuetudo non fuit præscripta, professio sustineri non potest tanquam recepta à non habente potestatem, quam
28 Abbatissa non habet sine consensu monialium capitulariter præstito, *Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 65. & 66. Nauar. cons. 9. de Regul. num. 6. Bonac. de claus. quæst. 2. p. 10. diff. 6. Tambur. disputat. 6. quæst. 5. numer. 8. Lezana cap. 2. num. 25. cap. 18. num. 66. Barb. in cap. Porrectum 13. de Regul. num. 6.* Si fuit præscripta non erat necessaria scientia conuentus capitulariter ex traditis in prædictis decisionibus.

Nec habitæ fuerunt alicuius ponderis exceptiones datæ contra testes in vltima remissoria examinatos pro Francisca. Quia eadem quæ isti probant, probantur etiam à testibus ex aduerso examinatis; & licet aliqui eorum deponant de libera voluntate Franciscæ, non interest, cum non deponant de actu proximo ratificationis. Vltra quod plus creditur duobus testibus deponentibus de metu, quam mille de spontanea voluntate. *Innoc. in cap. super hoc num. 2. de renunt. Menoch. de præ-*
29 *sumpt. 126. num. 51. Sanchez lib. 4. disputat. 17. num. 1. Seraph. decis. 851. num. 6. & decis. 863. num. 4. Gregor. XV. decis. 326. num 46.*

Minus obstat, quod testes sint moniales, & ideo repellantur ob quandam donationem à Francisca factam monasterio. Quia etiam testes de vniuersitate sunt ido-
30 nei, quando prout hic, victoria causæ resultat in singulorum vtilitatem, *Ioan. Andr. in cap. Cum nuntius, de testibus Gregor. Lopez in l. 18. cap. 6. par. 3. Farinac. de testibus q. 60. n. 450. Burat. decis. 563.* Præsertim quando, vt in isto casu, vniuersitas est Ecclesiastica, *cap. Insuper. de testibus Farin. cit. num. 431. & 459.*

Vltra quod obiecta donatio non probatur per solam schedulam cuiusdam monialis asserentis se esse scribam monasterij, quia officium tabellionatus est vitile, mu-
31 lieribus penitus interdictum, *l. Generali 3. C. de tabul. lib. 10.* præsertim monialibus, alijsq; omnibus religiosis, *cap. Sicut. 8. Ne cler. vel mon. & ibi. glos. 11. clerici* Nec apparet, qua auctoritate extraxerit.

Nec refert, quod aliquæ ex dictis monialibus, quæ 32
fuerunt testes, sint amicitia iunctæ cum eadem Francisca. Quia hoc non probatur, & probatum non obesset ea traditis *à Farin. de testibus q. 55. num. 233. vsque ad finem. Mascard. concl. 85. per totum lib. 1.* vbi quod probanda est circunstantia amicitiæ, & quod non quælibet amicitia repellit à testimonio,

Præterquamquod etiamsi aliquæ paterentur hanc exceptionem, satis suppleretur numero. *Rota coram Burato dec. 79. num. 10. & decis. 249. num. 2. par. 2. crimin. consil. Farin.* Præsertim ad probandum coactio- 33
nem, & metum, ad quæ sufficerent testes etiam singulares. *Rota coram Gregorio XV. decis. 326. num. 48. Vers. Prout etiam, & decis. 351. numer. 7. Vers. Sed admittantur.* Quinimmo istæ moniales præferuntur aliis testibus pro Gomez examinatis, quia illæ deponunt de actu perceptibili sensu, isti vero de non perceptibili, qui includitur corde, *Innocent. in cap. 1. num. 10. Vers. Imo, de ijs, quæ vi. Rebuf. cons. 78. col. 10. Vers. Vltimo, Gregor. XV. decis. 426. nu. 46. Vers. Sed quod sit, cum alijs allegatis.*

Testes insuper per Gomez deducti non sunt sine suspicione attentis supradictis, *Alex. dicto cons. 99. num. 12. lib. 3.* Cum contrarium remaneat probatum, non solum ex testibus, sed etiam ex tot indiciis, præsumptionibus, & coniecturis, *Hond. cons. 19. num. 21. lib. 1. Farinac. à Ponte cons. 44. n. 17. Seraph. decis. 771. num. 2.* Quæ omnia simul iuncta concludentem faciunt probationem, *Farinac. de Rauenn. cons. 54. num. 10. inter matrim. & faciunt tex. l. 1. §. Idem Diuus, ff. de testibus cap. Cum causam 13. de probat. cap. Accedens il. 2. de lite non contest. cap. cum dilectus 3. de success. ab intest. Molin. de primogen. lib. 2. cap. 7. num. 35.* Iuncta etiam præcipuè publica voce, & fama, *Menoch. libr. 3. præsumpt. 125. num. 22. Capolla consil. ciuil. 2. num. 3. Seraphin. dec. 859. & decis. 779. nu. 8 part. 3. Recent.*

Denique non obstat, quod in dubio facienda est interpretatio vt aut professio sustineatur. Quia conclusio 34
procedit, quando dubitantur de validitate ex alio capite quam ea defectu consensus quo stante defectu, semper facienda est interpretatio pro libertate personæ, *Rebuf. cons. 68 col. vult. vers. Nec me conturbat;* Deus enim voluntarios milites sibi legit, *cap. Non est. 10. 15. quæst. 1.* Coacta vero seruitia contemnit, *Cap. Iam vero fin. 23. q. 6*

Et ita causa pluries proposita, & vtraque parte audita ab omnibus Dominis de ordine Sanctissimi diligenter discussa, decisum &c.

De Ratificatione professionis plura dixi cap. 21. per totum, vbi hæc Decisio citatur.

DECISIO XXXVII.

Vlixbonensis 10. Decembris 1646. coram Meltio, extensa per Dianam pat. 9. Decis. 2. de eadem Francisca Corônella, in qua confirmantur decisa in præcedenti, nimirum inualidam fuisse eius professionem ex metu, & subsequentem quoque eius ratificationem.

1 *Narrantur breuiter decisa pluries super eius professione.*
2 *Remissoria negatur ne protelentur lites, & pars calumnietur.*
3 *Metu professio emissa est irrita.*
4 *Ex negatione reclamandi post quinquennium non infertur vera professio, aut eius ratificatio, sed tantum præsumptio.*
5 *Carens animo ratificandi licet multo tempore gestet habitum, vel faciat actus professorum non est vere religiosus etiam in foro conscientiæ.*
6 *Professio sine consensu dari non potest.*
7 *Tempus non est modus inducendi obligationem.*

8 *Professio*

8 *Professio non inducitur per actus, nisi sciat per illos se profiteri.*
9 *Expressus consensus facit cessare tacitum.*
10 *Præsumptio cedit veritati, & vna facit cessare aliam.*
11 *Restituitur post quinquennium, & tunc cessat professio, & ratificatio in reclamante.*
12 *In muliere, & milite præsumitur ignorantia.*
13 *Professio expressa spectatur post Tridentinum, & quinquennij taciturnitas.*
14 *Obtenta restitutione lapsus quinquennij omnia habentur ac si non esset transactum.*
15 Hodie monialis esse volo, *non dicunt ratificationem.*
16 *Ratificare est actum antea gestum ratum habere.*
17 *Actus sequens ostendit qualitatem actus præcedentis.*
18 *Actus gestus sine ordine ad præcedentem, incipit esse ex nunc nouus, & diuersus.*
19 *Verba dubia non sunt trahenda ad obligationem.*
20 *Probationes plures tendentes ad eundem finem faciunt plenam probationem.*
21 *Verba prolata causatiue non disponunt.*
22 *Ratificationi sufficit consensus Papalis loco monasterij, si proprium non reuocaui t.*
23 *Vna via electa aliam redire non potest sine consensu alterius contrahentis.*
24 *Ratificatio vt valeat non debet esse mutatus status rei.*
25 *Ratificatio non valet, si medio tempore alicui præiudicatum fuit.*
26 *Ratificatio petit, quod actus ille potuerit retrofieri.*

1 IN hac Causa ab anno 1618. introducta, & per tot annorum curricula nondum finita, multæ emanarunt Decisiones, &c.

Productis tandem Franciscæ probationibus, & suffectus ego in locum R. D. mei Carilli Præsidis Vallisoletani, coram quo emanarunt prædictæ Decisiones. Dedi dubium, *An sit recedendum ab vltimo loco decisis?* Et Domini affirmatiue responderunt die 29. Ianuarij anni præteriti. Quia metus erat concludentissime probatus, nec vlla fuerat ratificatio tacita, vel expressa, vt late ex ibi deductis.

2 Quapropter cum data ex Dominorum benignitate noua audientia Dominis de Gomez, ipsi post alios quæsitos colores causam protelandi petijssent nouam remissoriam ad probandam, Franciscam nullo metu, sponte nomen Religioni dedisse, fuit negata ob suspicionem calumniæ, & alijs iuridicis rationibus in Decisione super hoc dubio facta deductis. Et cum instarent iterum super hoc audiri, & dicerent, non potuisse scribere super negotio principali pendente remissoriæ petitione; Causa fuit ad Calẽdas dilata; ipsi vero nihilominus pro remissione decisionis super remissoria acriter insistentibus, Rota negauit, & iussit causam super principali proponi. Et hodie Domini steterunt in decisis.

Nam metu professionem à Francisca emissam pro indubitato tot decisionibus iam Rota firmauit, quod multis probatur testibus de visu, & proprio auditu, vltra protestationes Franciscæ tam antea, quam post professionem concludentissime probatas, & à Rota dictis Decisionibus approbatas.

3 Quo metu dato, professionem esse nullius momenti, multoties in hac causa dixit Rota, & vnum sufficiat pro omnibus, qui adduci possunt: *Sacrosanctum Concilium Tridentinum sess. 25. c. 19. & qui plures cupis, adeas Barbos. ibi n. 4. & 14. Lucerna regul. v. Professio, num. 29. Peyr. de Subdit. q. 2 de obedientia c. 23. §. 4. Vers. fin. Cabrera de Metu lib. 2. cap. 10. n. 25. Bordon. de Professione cap. 2. quæst. 12. Lezana v. Professio numer. 16. qui multos congerit.*

4 Nulla adest quidem ratificatio Non tacita, vt sentit etiam Rota omnibus præteritis Decisionibus, & constat apertissime, quia hæc præsumitur quidem ex delatione habitus; & ex actibus professis tantum conuenientibus cum taciturnitate quinquennali, post cuius temporis spatium facultatem reclamandi Sacrosanctum Concilium dicto c. 19. denegauit. Sed nec ipsum Concilium, nec vllus vnquam firmauit Doctorum, ex his induci veram, & realem ratificationem, sed præsumptionem tantum ratificationis, aut professionis, vt constat ex eodem textu Concilij.

Et ideo qui intra quinquennium, vel longissimum 5 etiam tempus animum ratificandi, aut profitendi non habet quantumcumque habitum gesset, vel actibus se ingerat professorum, non est tenera religiosus, nec in foro Conscientiæ tenetur ad Regulæ obseruantiam, secluso scandalo, vt multis citatis, *Sanchez. lib. 7. disput. 37. num. 9.* vbi docte & clarissime rem aperit, *Barbos. dicto cap. 19. n. 14. & 15. & de Episcop. allegat.* 104. *fine, Miranda tom. 1. q. 30. art. 1. vers. Secundo dico, & art. 3. in fine. Bordon. cap. 7. q. 12. & duobus seq Cabrera vbi su-* 6 *pra num. 33. & 34.* Quia sine consensu professio dari non potest, nec obligatio, quibus addi potest, *leg. 1. §. Conuentionis vers. Adeo, ff. de pact. & leg. In omnibus 55.* 7 *ff. de act. & obligat.* Et quod tempus non est modus nec inducendæ, nec tollendæ obligationis, *leg. Obligationum 44. §. Placet. ff. eod. §. Et si ita. Instit. & Obligat.* Et ideo inter modos inducendæ obligationis non recensetur à *Iustin. in Instituт. de Obligat § fin.* Congruit Arist. 4. Physic. cap 10. docens: *Omne quidem fieri in tempore, nihil autem propter tempus, quia tempus mensura est actuum humanorum, non vero causa.* Et facit vulgata Reg. *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.* 18. de Reg. iur. 10. & vide dixit Sanchez lib 3. cap. 3. n 12. Quod à gestatione habitus, & actibus solis professis conuenientibus non inducitur professio, nisi sciat per hoc tacitam professionem facere, & simul habeat animum profitendi, & tenent etiam *Caiet. 2. 2. q. 189. art 5. Nauarr. consil. 26. num. 18. consil. 28. num. 7. de regular. & in manuali cap. 12. numer. 71. Gratian. cap. 440. num. 1.* Et ad hoc vt quis dicatur votum confirmasse necessaria est expressa confirmatio per voluntatem, qua quis deliberet non amplius velle irritationem, sed absolute obligari. *Suarez. tom. 2. de relig. lib. 6. de Voto a. 3.*

Cum ergo præsumptio hæc sit, locum habere non 8 potest in præsenti, quia constat Franciscam ante, & post professionem protestasse, reclamasse, continuis etiam eiulatibus, & lachrymis suum dissensum, renitentiam, auersionem testatam satis ostendisse, vt patet ex testibus, & probauit *Rota d. decis. 26. Iunij 1641. §. Nec dicta, & 17. Maij 1641. num 5.* Et quod vsque ad diem renuntiationis illa non fuerit monialis dicitur in *Decis.* 9 *30. Ianuarij 1640. §. fin.* Vnde intrat conclusio illa, quod expressus dissensus facit cessare tacitum consensum, vt præter allegatos in dicto §. Nec dicta probat. *Addens ad Gregor. XV. decis. 383. n. 6. Vers. Excluditur autem, Rota decis. 706. num. 3. par. 3. recent. & decis. 60. num. 14. & in Messan. Profess. 25. Maij 1642. coram R. D. meo Peutingerio. Nauarr. consil. 34. num. 3. Vers. Tum quia non colligitur, de regular.* Et in terminis nostris *Rota decis. 579. par. 1. decis. 179. & 533. par. 4. re-* 10 *cent.* Et vulgatissimum est iuris axioma, quod præsumptio cedit veritati, ex *leg. Cum de indebito 25. ff. de probat. Surd. consil. 37. nu 17.* Immo quod vna tollat aliam, ex *leg. Quidam 30 de Vulgar. leg. 1. C. Qui, & aduersus quos.* Præcipue si fortior sit, *leg. Diuus 7. ff. de in integr. restitut. leg. Non solum 67. ff. de ritu nupt.* Et eo magis vna cedit pluribus, *leg. 3 §. 1. de Testament.* Et plures in præsenti sunt pro Francisca.

Et propterea S. M. Vrbanus VIII. recte conces- 11 sit restitutionem aduersus lapsum quinquennij, quam ex iusta causa esse concedam semper, dicit *libr. 7. disputat. 37. numer. 13.* Et in reclamante, professionem, & ratificationem cessare tenuit *Innocent. in cap. Sicut 15. de reg. n. 3. & 4. Cabrera vbi supra n. 55. Vers. Et quando.* Ex eo, quod ante quinquennium nonnullis consanguineis, & illis reclamauerat cõcessam restitutionem

in

in *Sacra Congregat. Concilij* 17. *Aprilis* 1630. *sc informante dicit Barbos. ad dictum cap.* 19. *n.* 10.

Quæ fortius procedunt in muliere ignorante, ex quinquennij taciturnitate induci hanc præsumptionem,
12 ex qua ignorantia in habitus delatione hanc præsumptionem cessare, *Gratian. cap.* 640. *num.* 31. Et in terminois loquens de viro & maiori 25. annis, *Sanchez disp.* 37. *n.* 22. Quia in muliere præsumitur ignorantia, *leg. Cum de indebito* 25. §. *fin. de iuris, & facti ignor.* Et in milite, (qui in ignorantia iuris comparatur mulieri dictis iuribus) dixit *Marchesi. de Commiss. tom.* 1. *de Signatura Gratiæ par.* 1. *cap.* 2. *n.* 464. *fol. mihi* 95. Cui post multos annos Religionis, & actus professorum concessa fuit testificatio.

Quæ afferebantur ab illis de Gomez in præterita propositione ex habitus delatione, & actibus professarum cessant in facto, & in iure. In facto, quia licet nonnullis se immiscuerit, eodem tamen tempore, & vestibus sæcularibus plerunque indutam processisse, & continuis reclamationibus animum explicasse probatur, & agnouit Rotam coram Reue. D. meo Carillo. In iure, quia post Concilium Tridentinum dicto capitulo 19. hæc non habentur in consideratione, facta expressa professione, sed quinquennij taciturnitas, vt
13 late explicat *Sanchez supra num.* 10. & 13. *Vbi respondet, cap. Vidua & similibus, de regular. Miranda*
14 *quæst.* 30. *artic.* 3. *Bordon. cap.* 1. *quæst.* 45. Et obtenta restitutione aduersus quinquennium, omnia habentur, ac si transactum non esset, *Rota in Neapolitana Professionis* 18. *Iunij* 1598. *Coram Orano, & tenet Addens ad remiss. Bellarm. cap.* 19.

Et tandem hæc tacita ratificatio Franciscæ in Rota semper fuit reiecta, vt apparet ex dictis Decisionibus Coram R. D. meo Carillo, & coram Me.

Non etiam adest ratificatio expressa; Nam per illa verba: *Quod quamuis monialis non erat, hodie monialis esse volebat*; Nulla relatio, immo expressa negatio ad
15 actum præteritæ professionis apparet; Et omisso, an actus nullus possit ex ratificatione conualescere, *Bartol. in leg. Quod obseruare, ff. de offic. procons. oppos.* 1. *Surd. decis.* 145. *n.* 10. *ad* 13. & *consil.* 183. *n.* 34. & 35. & *alij citati in Decis. facta sub die* 16. *Iunij* 1542. Coi vnquam venit in mentem, quod possit dici ratificatus actus, qui negatur gestus? Tum quia, illa nullum verbum de ratificatione locuta fuit, & hæc debet probari ab allegante, *Mascard. concl.* 1255. *n.* 2. Et doceri verbis, aut factis ratificatum, quia nisi ex illis necessario inferatur, non præsumitur, vt ex *Bartol. & alijs in præterita Decisione deductis, num.* 25.

16 Nam ratificare est actum antea gestum ratum habere, *tex. in leg. Quoniam* 12. §. 1. *ff. rem ratam haberi*, ibi. *Rem ratam haberi, hoc est, comprobare, agnoscereque quod actum est*; Et eius natura est retroactio, *leg.* 5. *vbi Dec. & Bartol. leg. Bergium* 24. *ff. eodem, leg. fine, ff. de bonorum possess. leg. fine, C. S. C. Maced. leg. Donationis* 25. *C. de Donationis*; Et Franciscæ verba nullatenus ad tempus, & actum præteritum, sed nec ad præsens referri possunt, quia nihil de præsenti disponunt, vel affirmant, præter meram voluntatem in tempus futurum collatam, *late probatum in præterita decisione n.* 23.

Nec dici potest, vt in Decisione facta 1642 quod ex illis verbis possit inferri præcedentis professionis ratificatio, & consensus de præsenti, nempe prout ex nunc, ex *decis.* 216. *nu.* 10. *par.* 2. *Diuersorum*; Quia ibi aperte dicit contrarium, scilicet, quod quando adest promissio, quod vult effici monialis & solemniter emittit postea professionem, licet solum voueat obedientiam, intelligitur & cætera vota fecisse, ergo non sufficit promissio, quod volebat effici monialis.

Nec obstat *Sanchez l.* 1. *disp.* 18. *n.* 27. qui loquitur de verbis mutuo prolatis inter sponsos in actu celebrandi matrimonium de præsenti; Sed hic nullus adest tractatus, nec verba inter obligandos, videlicet, monasterium, & profitentem, inter quos celebratur contractus vltro, citroque obligatorius, vt præter relatos in prædicta Decisione, dicit *Peyrin. t.* 2. *de Prælato, q.* 3. *c.* 1. §. 6. *n.* 160. *Sanch. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 62. & *l.* 6. *c.* 9. *n.* 7. *Bord. cap.* 1. *quæst.* 39. *cum aliis.*

Nec actus ille ordinatus ad faciendam professionem, seu ratificationem, vt in præterita Decisione num. 24. Et esto fuisset tractatum de ratificatione, verba illa excludunt; & nec ipsi de Gomez habuerunt eam pro tali, vnde profecuti fuerunt suas diligentias, immo noluerant acceptare, & tanquam non ratificationem reiecerunt; Nec Francisca, quæ processit in suo habitu sæculari, quem antea gerebat, nec monasterium, quod nec impostferum habuit eam pro moniali, & promisit ei dictum habitum sæcularem, quæ obseruantia sufficeret ad explicanda verba, quando fuissent dubia, late *Rota in Tyburtina* 25. *Martij anni præteriti coram me*; Maxime quando incipit statim post eorum prolationem, *Larrea decis. Granat.* 53. *nu.* 22. Et actus, qui sequitur, ostendit qualitatem actus præcedentis, §. *Pœnarum Instit. de rer. diuis. leg. Sed & Iulianus* 8. *leg. Item* 7. §. *Proinde, ff. ad S. C. Maced.* quam dicit pulchrum, *Osasch. decis.* 90. *n.* 19. *leg. Si qui* 34. *C. ad l. Iuliam de Adulter.* quam dicit notabilem, *Dec. consil.* 421. *num.* 3. *libro* 2. 17

Nec quicquam facit, quod in Decisione facta 1643. dictum fuit, negationem professionis, & monialitatis, & verba Franciscæ, *Quamuis monialis non fuerat, &c.* Intelligendam esse de vera professione, & monialitate, non de illa apparente ex professione licet nulliter emissa & habitus gestatione, & ad eam aptari ratificationem; Primo, quia verba non sonant in ratificationem, vt dictum est; & quando fuissent dubia, in proprio, & vero significatu debent intelligi, *leg. Non aliter* 69. *ff. de legat.* 3. Præcipue, quando agitur de obligatione, *leg. Quicquid adstringendæ* 99. *ff. de verb. oblig.*

Sed & ipsi scribentes pro Gomez dicunt intelligendam ratificationem prout ex nunc, non prout ex tunc; Quod retorquetur, vt in præcedenti Decisione num. 40. Et esse vt ex nunc repugnat cum natura ratificationis, quæ necessario est distincta ab actu ratificato; Immo & ipsi testes pro Gomez, dicunt, Franciscam non præteritam ratificasse, sed voluisse in posterum professionem facere, vt in Summ. num. 14. formalibus verbis; Secundus testis super sexto: *Necessarium erat, dictam professionem emittere de nouo, eo quod ipsa monialis non erat; sed tantum, quod esset impostorum, & hac ratione dixit in dissidentia, quod quamuis non esset vsque ad diem illam, impostferum volebat esse, intelligens, quod ab illa die impostferum volebat esse monialis non vero ratificans nullam professionem, quam à principio emiserat*; Idem dixit sextus testis, ibi: *Quod si vsque tunc monialis non fuerat futura esset, & nunquam ratificans professionem*; Ex eodem Sum. nu. 18. Quartus testis, ibi: *Quod Francisca noluit dicere, nec fateri fuisse monialem, sed quod futura erat impostferum*; Quæ testium verba probant, quod nec de præsenti fecit professionem, sed quod volebat de futuro facere; Idem dicunt alij ibidem.

Vero dato, & non concesso, quod illa verba operarentur consensum de præsenti, iam esset diuersus consensus, & ad diuersum actum ordinatus, & ideo necessarius etiam consensus monasterij. Nam quando esset vera doctrina tenens quod Papa suppleet consensum in ratificatione, quod forte minus probabile est, vt insinuatum fuit in præcedenti Decisione; Hoc necessario intelligendum, prout ipsi loquuntur Doctores, nempe quando ratificatur actus præcedens inualidus, ac si valide gestus esset, vt in illo, qui venditionem metu factam ratificat, & si illa professionis actum tantum non habuit, vtique euanescit consensus conuentus datus pro illo actu, qui & solum dicitur perseuerare quatenus actus ille ratificetur; Nam quando secundus consensus conuentus non refertur ad primum etiam validum diuersus

dicitur

18 dicitur actus, *argum. text. in leg. 2. in fine, ff. de Nonat.* Et si actui nulliter gesto omnia superueniant, ex quibus constituitur actus ille, de quo agitur, non habito respectu ad id, quod præcessit nulliter, incipit ex nunc actus nouus, & diuersus, *leg. 1. §. 1.* ibi: Quasi nunc datum *ff. de legat. 5. leg. Eos qui 65. §. 1. ff. de ritu nupt. Barbos. in dicto cap. de regul. n. 2. & 3.*

Et quod illa verba nec de præsenti inducant professionem, satis patet ex dictis & latius probatum in Decisione præterita num. 23. & quando essent dubia simpliciter prolata non sunt amate interpretanda, *argum. text. in leg. Quod venditor 18. ff. de adilit. edict.* Nec trahenda ad promissionem, quod simpliciter prolatum est,
19 dicta *leg. 18. in fine, iuncta leg. Sciendum 19. §. Dictum, ff. eodem; Quia vbi de obligando quaritur, propensiores esse debere nos, si habeamus occasionem ad negandum, vbi de liberando ex diuerso, vt facilior sit ad liberationem;* Vt per hæc verba dixit Paulus in *leg. Arianus 47. ff. de act. & obligat.* Et faciunt alia iura ibi digesta à Gloss. & Gotifredo.

Quæ multo magis procedunt in muliere vim ignorante verborum, vt ratiocinantur citati, à *Moderno Lucon. consil. 80. num. 16. vbi num. 8.* quod clausula Codicillaris in Testamento Mulieris simplicis nihil operatur, si Notarius ei non explicat vim huius clausulæ, quia voluntas non cadit in ignorantem, *leg. Sed hoc ita 20. ff. de aqua plu. arc. cum similibus;* Ex quo dicunt *Azor. in leg. fin. colu. 2. C. ad Velleian. & ibi Glos. §. penult. v. Non vsuram, Cynus num. 4. Conar. lib. Variarum, cap. 3. Gregor. Lopez lib. 3. tit. 2. partita quinta,* 11 Subidores, late *Gutier. de Iurament. num. 1. & 2.* Quod mulier renuntians Velleiano nihil agit, nisi certiorata sit de beneficio sibi competente.

Ex quibus satis apparet, Franciscam nec ratificasse, nec professam fuisse. Quicquid sit, an metu, vt in præterita Decisione, vel dolo, & fraude persuasionibus, & suasionibus fuerit inducta licet hoc satis videatur probatum ea testibus, & coniecturis, quæ sufficiunt ad probandum metum, *Gregor. decis. 326. num. 7. Seraphin. decis. 771. num. 2. Honded. consil. 29. n. 21. lib. 1. Pont. consil. 44. num. 17. Mascard. concl. 1055. num. 3. & alij per*
20 *Cabrer. de metu lib. 1. cap. 9. num. 4.* Præsertim, quando omnes tendunt ad eundem finem, quia tunc licet singulæ non sufficerent simul iunctæ efficere plenam probationem dixit *Rimin. consil. 52. n. 12. lib. 1. Cephal. consil. 718. n. 58. & 59. vol. 4. Barbos. lib. 2. ff. solut. matrimon. num. 23. Marches. de commiss. tom. 1. par. 1. de Signat. Gratia. cap. 1. n. 452. fol. mihi 92.* ibi: *Per ipsa fere verba Baldi, ploratus, & vlulatus signum metus, & qui audierunt probant metum per modum signi; Nam tunc metus probatur, quamuis testes metum probare nesciant per viam causæ;* Et num. 453. Ibi: *Ploratus, & vlulatus vbi passio cor penetrans:* Qui loquuntur in termino professionis, *Cabrer. dicto lib. 2. de metu cap. 10. num. 55. in fine;* Et Francisca vlulatibus, & lachrymis large profusis ante, & post litis renuntiationem, & prætensam ratificationem satis metum, & animum demonstrauit: *Nam lachryma interdum pondera vocis habent;* Vt quidam dixit Sulmon. Poëta.

Et de suasionibus, & promissionibus pro parte Veredarij fratris Franciscæ factis expresse, probant ipsius Veredarij testes producti in Summ. num. 15. vbi secundus testis, ibi: *Faciendo ei magnas promissiones:* Tertius, ibi: *Fecit multas promissiones;* Et 40. ibi: *Et facta fuerunt notabiles diligentia ad instantiam D. Veredarij;* Sextus testis, ibi: *Et quod si ita faceret, ei daturus esset pondera auri, & quod aliter non visura esset finem huius litis;* Septimus testis de suasionibus & promissionibus, & multi alij testes eodem Sum. num. 18. & 19. vbi nonus testis, ibi: *Et illi facta fuerunt magna instantia;* Idem dicunt alij n. 20. Et quod Veredarius noluit adimplere promissa, quia ratificatio non fuit facta ad suum modum, & omnes deponunt suasiones promissiones, & instantias, & diligentias factas fuisse per Fr. Emanuel Vasconcellos, Fr. Iacobum Peregrinum Capucinum, Fr. Didacum de Emera Iesuitam, licet hi tres RR. PP. animose id negent in certis fidibus, quæ eorum nomine circumferuntur, & dantur in Summ. num. 16.

Et quicquid sit etiam de metu reuerentiali cum minis acertimus incusso, quem non solum sufficientem esse respectu patris, & fratris, in cuius potestate, domo, aut cura existit, quæ metum patitur, sed etiam respectu eius, à quo quis in non paucis dependet, quando ob eam indignationem prudenter timet graue aliquod malum, vel graue cumulum malorum patuorum, tenuit *Hurtad. de Matrim. disputat. 7. difficult. 2. num. 2.* & faciunt verba text. in leg. Vn. C. de raptu. ibi: *Si parentibus, aut tutori, aut curatori, aut ipsis, qua matrimonium contractare sunt, potest esse terribilis;* quicquid sit de omnibus supradictis sufficerent saltem ad declarationem verborum dato citra veri præiudicium; quod fuissent dubia, ea traditis à *Rota in Tyburtia Fideicomm. 24. Ianuarij huius anni coram me, §. Præcipue.*

Maxime cum non sint prolata dispositiue, & de per 21
se, sed causatiue, & enuntiatiue, quæ, certum est, non inducere dispositionem, *Bartol. in leg. Pater filium, §. Fundum, ff. de legat. 3. Ripa in leg. Filius familias 114. §. Diui il 2. num. 110. ff. de legat. 1.* Præsertim cum propter aliud, & ad effectum alterius dispositionis multum diuerse fuerint prolata, vt explicando *Aretin. consil. 60. numer. 2. dixit Genua de verborum enunt. lib. 3. capit. 7. num. 10. & 18.* Et quod ex illis verbis nulla fuerit inducta ratificatio, nec professio satis probatum fuit in præterita Decisione num. 23.

Quibus addebatur in dicta Decisione, ex num. 40. cum sequentibus, quod dato etiam verba illa inducerent professionem, vel ratificationem, erat necessarius nouus consensus conuentus, ea late ibi adductis; esto esset vera opinio dicentium Papam, seu Ecclesiam monasterij supplere consensum.

Nam intelligitur, si non reuocauerit medio tempo- 22
re cap. 6. quæst. 11. vers. Ex quibus, & vers. Dixi; Et in præsenti expræsse reuocatus fuit in illa reuocatione mandati, quod datum fuerat ad prosequendam litem, & sufficeret Franciscam reclamasse ante ratificationem; & multo magis impetrasset restitutionem contra lapsum quinquennij argumento minoris, vt bene probant in *leg. 2. C. Si aduersus transact. & in leg. Sed & Iulianus 13. §. Sed & si quis 28. ff. de act. empt. vbi Anton. Faber, & Bartol. in §. praceden. Ne ludibrio leges ei fiant, vt loquitur Iustinian. in leg. fine, §. Vbi autem puerilis C. de bonis, qua, lib. 5.*

Tum quia vna via electa non potest quis ad aliam re- 23
dire sine nouo alterius contrahentis consensu, *leg. Si fundus 4. §. Eleganter, leg. Post diem 7. ff. de leg. commiss.* Tum quia intelligenda est, addebat vnus ex Dominis, rebus sic stantibus, & non mutatis à die emissæ nulliter professionis ad diem ratificationis Nam 24
ad hoc vt valeat ratificatio, necessarium est, vt nihil aliud impediat coniunctionem extremorum, videlicet actus ratificati, & ipsius ratificationis, *Barbos. in capit. Ratihabitionem 10. de regul. iur. in 6.* Et quod omnia sint in eodem statu, quo fuerunt tempore, quo negotium gestum est, *Bartol. in leg. Si vxor, §. Si quis vxorem, num. 3. ff. de Adulter. Decius in leg. Semper, num. 13. ff. de regul. iur. Surd. decis. 221. num. 1.* Alias si medio tempore professus indignus redderetur Religioni, vel ad eum terminum res deuenirent, à quo incipere non potuit, vel non debuit, durum esset, Religionem obligare tali ratificationi consentire; præ-
cipue si etiam tertio præiudicaretur, nam si præiudi- 25
cium fiat tertio, cui medio tempore ius aliquod quæsitum est, nihil valet ratificatio, *Bartol. in leg. Aliena in princip. ff. de pignorum act. argument. text. in leg. Si partem, §. vltimo, ff. quemadmodum seruit. amittend. dicit communem Tiraquell. de Constit. part. 2. ampl. 7. numero 5.* Quod est contra mentem Principis, *leg. 2. §.*

Merita,

Morito, §. Et si quis à Principe, ff. Ne quid in loco publico, leg. Rescripta septima, C. de precibus imper. offer. cum vulgatis, & congestis à Glos. & Gotifred.

At certissimum est, quod ex hac ratificatione Franciscæ præiudicium inferretur conuentui, & iniuria, & grauissimum damnum fieret multis. Nam Francisca eo medio tempore, quo iam non dubitabatur, quod non erat Monialis vim magnam æris alieni contraxit, quod erat publicum, & nullo alio modo posse ab eo liberari, nisi adipiscendo patris legitimam, aut fratris hæreditatem, aut si ab alio caueretur de solutione.

Nec credendum est consensurum esse Monasterium, & multo minus, quod Pontifex, seu Ecclesia in tali casu vellet eius consensum supplere, cum præsertim Bullis Pontificiis prohibitum inueniatur io ære alieno grauati ad Religionem admittantur. Immo Syxtus Quintus in Bulla, quæ incipit: *Cum de omnibus*, quæ apud me est septuagesima prima, irritauit tales professiones, & nullas esse voluit, & licet quantum ad nullitatem eam reformauerit Clemens Octauus in Bulla, quæ incipit: *In suprema Ecclesiæ*, quæ est mihi Octuagesima quinta pœnas alias à Syxto impositas reliquit.

Nec dicatur, quod loquantur de viris, nam eadem ratio est in mulieribus, & quando eas non comprehenderent Bullæ, nititur tamen hoc ratione naturali, & iure communi, ne videlicet iniuris fiat alteri, quæ hic fieret creditoribus & ideo ante Bullam editam nullam esse talem professionem tenuerunt multi apud *Sanchez .... cap. 19. numer. 6. & 8. Miranda tom. 1. quæst. 27. artic. 8. Peyrino de Subdito dicto cap. 25. quæst. 3. Vers. de iure autem, Lezana part. 1. cap. 25. numer. 17. Bordon. de Profess. cap. 2. quæst. 59.* Qui omnes citati tenent, quod licet professio non sit nulla, tamen non potest fieri sine peccato mortali à profitente, nec recipi à monasterio, præter alias pœnas, quibus subiiciuntur recipientes.

Nec dicatur etiam quod Francisca bonis cedendo possit ingredi Religionem, vt disputant relati. Primo, quia illa non fecit hanc cessionem. Secundo, quia hoc non procedit in eo, qui habet spem probabilem futurum esse, vt posset, si non ingrederetur, satisfacere. Et non solum spem istam, sed certitudinem habebant monasterium, & Francisca, quod remanens in sæculo posset ab ære alieno liberari ex legitima patris, & ex hæreditate fratris, vt bene in fortioribus terminis, ait *Sanchez numer. 8. & alij quos sequitur Bordonus, vbi supra Vers. Duodecimo.* Immo & in dubio rationibus hinc inde vrgentibus, si probabilius esset, quod posset satisfacere, non posse ingredi tenet *Sanchez vbi supra num. 9.*

Vnde cum tam magna euenerit medio tempore rerum mutatio, nec Francisca potuit ratificare, nec monasterium recipere ratificationem, cum nec professionem
26 posset ab initio recipere, stante ære alieno. Nam in ratificatione requiritur, quod actus ille potuerit retrofieri, vt bene notat *Bordonus dicto capite sexto, quæst. 30. Vers. Primo*, quod ratificatio actus inualidi supponit eius inualiditatem permansisse in suo statu, & de mutatione in simili tenet *Sanchez lib. quinto, capite quarto, numero trigesimo quarto, & ante Ioann. Andr. ad Speculatum titulum de Statu Monachali §. Qualiter.*

Et ita Decisum fuit, Francisca tantum informante. Altera Parte pluries concipiente Libellum quæst. 37. num 43. v. Exiuit.

De ratificatione Professionis sine nouo consensu Conuentus plura dixi capite vigesimoprimo, quæst. decimasexta ad hanc & præcedentem Decisionés.

DECISIO XXXVIII.

Taurinensis sub die prima Iunij 1629. coram Durano extensa in eius Opere Decisionum Interamnæ impresso sub decis. 207. In qua probatur nullitas cuiusdam Carmelitæ Genuensis defectu ætatis; & de requisitis libri Baptizatorum, vt probet.

1 *Professio emittenda est post 16. annos expletos.*
2 *Ætas probatur ex libro Baptizatorum.*
3 *De circumstantiis libri vt probet.*
4 *Sufficit adnotatio diei baptismatis.*
5 *Nec deficit in fide si caret certis circumstantiis.*
6 *Quæ non habent nocere baptizate.*
7 *Solemnitatis modica omissio non vitiat.*
8 *Modicus defectus solemnitatis requisita ad profitendum non vitiat professionem.*
9 *Notarij imperitia in his non nocet.*
10 *Modus tenendi librum præscribitur sine Decreto irritante.*
11 *Quando constat de identitate libri, omissio circumstantiarum non attenditur.*
12 *Diuersitas caracteris non vitiat librum.*
13 *Quia non est verisimile plures Curatos conspirasse in librum falsum.*
14 *Non est necessaria recognitio Curati, dum constat de identitate libri.*
15 *Deponens sic, se ben mi ricordo, non probat.*
16 *Deponens de credulitate, seu suo iudicio, non probat.*
17 *Reuelationes testium factæ virtute monitorij, & metu censurarum, non probant sine iuramento, & interrogatoriis.*
18 *Libro magis statur, quam testibus in concursu.*
19 *Liber Curati licet sit ex priuata scriptura in publico, fidem facit.*

DOmini dixerunt iustas esse sententias in partibus latas per Delegatos Apostolicos, quibus declaratum fuit, professiones emissas per Nicolaum Aduocatum in Religione Carmelitarum fuisse nullas, nullamque produxisse, aut producere obligationem, ipsumque remanere presbyterum sæcularem, & in paternis, & maternis bonis succedere posse, & aduersus lapsum quinquennij à die emissarum professionum esse restituendum.

Quandoquidem quoad primam professionem res est clara apud vtramque Partem, quia illa fuit emissa in Ciuitate Genuæ die sexta Ianuarij 1611. vnde autem attendenda est natiuitas, de qua in libro Baptismi, vt
prætendit Nicolaus, quæ fuit de mense Decembris 1
anni 1596. & hoc casu de tempore professionis non solum non compleuerat decimum sextum annum, vt requirit Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 15. sed nec illum attigerat. Aut vero habenda est ratio natiuitatis prætensæ Procuratorem Religionis, & de qua videntur deponere eius testes, videlicet de mense Maij 1595. Et ad oculum paret, tempore dictæ professionis non compleuisse dictum decimum sextum annum.

Quo vero ad secundam professionem, quæ fuit facta Taurini die .. Februarij 1612. attenta ætate iuxta librum Baptismi, pariter non compleuerat sexdecim an-
nos, quia adhuc deficiebant octo menses circiter. Re- 2
cepta autem est iuris conclusio, ætatem probari per librum Curati, vulgo librum Baptizatorum nuncupatum; ad textum in *leg. Imperator Titus 8. iuncta Glos. ff. de Statu homin.* de simili libro *Tridentinum sess. 24. cap. 1. de Matrimon. Anchar. consil. 44. n. 5. Mascard. conclus. 672. Menoch. præsumption. 51. num. 53 lib. 2. Genuens. de Script. lib. 5. titul. de libris Plebani, Gratian. cap. 491. num. 18. cum aliis apud prædictos.*

Et tanto magis in præsenti dicto Curati libro fides 3
adhiberi debet, quia ex visione, & exhibitione per

modernum

modernum Curatum, necnon recognitione originalis formaliter factis coram iudicibus delegatis, de quibus in actis causæ; bene constat de eius identitate, idest, esse verum, eundemque librum Baptizatorum de eodem anno, & fuisse repertum penes Curatum successorem, & in loco solito, nempe, in Armario Sacristiæ, prout de iure desideratur. *Genuens. vbi supra num. 4. Vers. Sic etiam, Seraphin. decis.* 182.

4 Nec refert, quod in eo, non fuerit adnotata dies natiuitatis, sed tantum dies, quo Nicolaus fuit baptizatus, *Menoch. præsumpt. 51. num. 53. lib. 2. Mandos. in Regul.* 18. *Cancell. quæst.* 10 *numer.* 1. *Farinac. par.* 1. *fragment criminal. numer* 142. Vbi rationem assignat; cuius etiam fides non parum adminiculatur ex reuelatione Ioannis Baptistæ Gini Præsbyteri virtute monitorij Ecclesiastici facta, qui deponit Nicolaum fuisse natum de dicto anno 1596. & reddit optimam scientiæ causam, nempe qui tunc inseruiebat illi Ecclesiæ, & ex simili reuelatione Bernardini, & Magdalenæ Coniugum, necnon ex transactione facta inter Fratres Carmelitas, & Nicolaum de anno 1623. & sic multo post anni professionem, super restitutione bonorum, quam verisimiliter non fecissent, quinimmo nec facere poterant, nisi intellexissent, & reputassent, eum non esse professum.

5 Neque obstat, quod liber non fuerit curiose tentus prout ordinatur in Decretis Visitationum, & Constitutionibus Synodalibus, vbi quod liber debet esse foliorum ad minus ducentorum, coopertus hædina carta candida, ac sine macula, & auro in suis extremitatibus delineatus, cordulis sericeis rubei coloris ad claudendum munitus, & in eo recta verborum formula describi annus, mensis, & dies, nomenque cuiusque baptizati, & nomen ac cognomen patrinorum.

Quia dicebant Domini, quod ex præd. requisitis descriptio anni, mensis, & diei, nominisque baptizati ad effectum probandi ætatem sunt, aut esse possunt de substantia secundum occurrentiam casuum. Et hæc in partita Baptismatis Nicolai bene obseruata leguntur, prout etiam descriptio nominis, & cognominis patrinorum. Alia vero spectantia ad exteriorem, & decoram libri figuram, non esse de substantia, sed potius pertinere ad instructionem Parochorum, & vt liber sic ornatus facilius custodiatur, difficiliusque perdi possit.

6 Vnde cum de libri identitate constet, omissio accidentalis solemnitatis circa exteriorem libri figuram causata, ex imperitia, aut negligentia Parochi non debet Nicolao nocere, prout in fortioribus terminis, si per imperitiam, aut alias omittantur aliquæ ex solemnitatibus, quæ in ventre inspiciendo sunt adhibendæ, vt facile constare possit de identitate partus, *iuxta l.* 1. *in princ. ff. de ventr. inspic.* Non ideo minus venter, aut puer natus sunt in possessionem mittendi, ibidem: *Si per imperitiam aliquid fuerit omissum ex iis, quæ Prætor seruari voluit, non abest partui, quale est, si quid ex iis, quæ leuiter seruanda Prætor*
7 *edixit, non sit factum.* Vbi Bartol. quod omissio modicæ solemnitatis non vitiat actum. *Bald. in l. cum quis §. In pupillaribus ff. de iureiur. & facit tex. in cap. Nostrates, iuncta gloss. v. Non interueniant* 2 *q* 1. *& in simili* Menoch.
8 *conf.* 96. Vbi quod modicus defectus solemnitatis requisitæ in faciendis professionibus ex statutis Monasterij, non vitiat professionem, & bene etiam facit *tex. in l. Imperator Titus. & ibi Gloss. v.* Imperator *ff de statu hom.* Et
9 quod omissio, aut imperitia Notitij in huiusmodi accidentalibus non noceat partibus disponit *tex. in l. fin. in fine* C. *de fideiuss. Iason in l. Errore n.* 6. C. *de testam.* Menoch. *consil.* 37. *Seraph dec.* 1115. *n.* 5.

10 Præterea fuit etiam bene responsum, quod in decretis, & constitutionibus prædictis simpliciter Parochis ordinatur modus, seu forma tenendi librum baptizatorum sine aliqua clausula annullatiua, seu decreto irritante. Vnde cum Parochi in illa diœcesi alias de iure circumscriptis supradictis decretis, & constitutionibus habeant potestatem tenendi librum sine huiusmodi forma exteriori, eius omissio non adimit fidem libro, sed operatur, vt

Curatos puniri possit, iuxta *Gloss communiter approbatam in Clem.* 1. *v. Iubentes, de reparat. & ibi Cardin. q.* 7. *Anchar. in* 3 *notab. Felin in cap Ex parte luminat.* 2 *de constit. Suar. de legibus lib* 5. *cap* 31. *num.* 10 Ioan. *de Salas de legibus quæst.* 96 *tract.* 14 *disput.* 16 *sect.* 8 *num.* 33. *Puteum dec.* 130. *num.* 6. *lib.* 1. Et accedit, quod vt dictum est, dictæ solemnitates ornatum libri respicientes tendunt ad effectum obseruandi, & custodiendi librum, & facilius probandi illius identitatem.

Vnde cum iste effectus in præsenti habeatur, ex quo 11 de libri identitate constat ex supradictis, omissio earum non attenditur, *ad tex. in l.* 1 *§. Si quis simpliciter ff de verb. obligat. Alex. & Iason in l.* 1 *per illum textum ff de liber. & posth. &* Rota *decis.* 67. *n.* 2 *part.* 2. *Recent.*

Minus obstat, quod liber reperiatur diuersis caracte- 12 ribus descriptus. Quia hoc euenit, vt fuit probatum in actis, ex quo in ea Ecclesia non adest Parochus perpetuus pro exercenda cura, sed ea exercetur per Curatos ad nutum amouibiles, vnde non minor, sed maior libro fides adhiberi debet, quia non est verisimile, quod plures Curati 13 in simul conspirauerint ad fabricandum librum falsum *l. Hac consultissima, in fine, C. qui testam. fac. poss. Bartol. in q. de Regimine* Ciuit. *Crauetta de Antiquit. temp. par.* 1. *Vers. Quod in libro official n.* 23.

Nec similiter obstat, quod non fuerit recognita manus Parochi, qui dictam partitam scripsit. Quia vltra quod recognitio visa fuit adeo difficilis, vt pene impossibilis videatur, prout etiam reddens rationem deponit modernus Curatus, siue Præpositus, dicta recognitio non est 14 necessaria, constito de identitate libri, cui vt dictum est, de iure fides adhibenda est. Quod autem in eo non reperiantur descripti quidam, qui probantur nati eodem anno, non debet redundare in præiudicium descriptorum, & poterant in alia Ecclesia baptizari.

Demum non obstant testes dati pro Religione. Quia Donatus Guttur, qui dicit, se baptizasse Nicolaum de anno 1595. imminente necessitate deponit dubitatiue, 15 & conditionaliter, videlicet per hæc verba: *Se bene mi ricordo* Qui propterea non probat, *Iason in l.* 1. *num.* 13. *ff. de iust. Alex. conf.* 33. *num.* 18. *lib.* 3. Et esse communem, & receptam sententiam, testatur *Farin. de testibus q.* 68. *num.* 12. *&* 14. *quam etiam secuta fuit Rota decis.* 9. *n.* 2. *par.* 2. *Diuers.* Eodem quoque modo deponit Violans Amodeus autem clare deponit, non recordari de die, mense, & anno, & deponit ex relatione dicti Violantis vxoris suæ; Anna licet in reuelatione deponat de Nicolao, tamen in repetitione, quæ attendi debet, solum concludit, quod anno, quo natus fuit filius Franciscinus, mater Nicolai peperit, vnde non concludit magis de Nicolao, quam de alio filio. Alij vero testes aut non concludunt quicquam releuans, aut deponunt de credulitate, 16 & de suo iudicio, qui ideo non probant ætatem, *Bald. conf.* 19. *num.* 3. *lib.* 5. *Mascard. conclus.* 668. *n.* 34. Gregor. *XV. decis.* 290. *n.* 2.

Denique Donatus, & plures alij ex dictis testibus non fuerunt repetiti in hoc iudicio, sed eorum dicta sunt simplices reuelationes virtute monitorij, & metu censura- 17 rum, quæ sine iuramento, & interrogatoriis non probant, *ad tex. in c.* 2. *de testibus l. Si quando* C. *eod. & dixit Rota in Arimin. Castronem* 19. *Nouemb.* 1599. *qua decis.* 138. *impressa post secundum volumen consil. Farinac. & in Anconitana censuum* 22. *Iunij prætensi coram me.*

Et in omnem casum Dominis visum fuit, in concursu 18 magis standum esse libro, quam testibus, licet enim Cu- 19 rati liber in rigore sit priuata scriptura, ex publico tamen fidem meretur, ex Menochio, Mandosio, & Genuensi, & aliis supra in principio allegatis. Vnde stantibus præsertim pro fide libri transactione, & adminiculis supradictis tutatae videtur, *Reg. tex. in l. Census ff. de probat. Innoc. in cap. cum Ioannes n.* 6. *de fide instr. Crauetta conf* 59. *num.* 15. *& Rota decis* 98. *n.* 9. *&* 592. *n.* 6 *par.* 1. *Recent.* Quæ dicebantur de tacita professione reiecerunt Domini ad aliam disputationem. Et ita vtraque parte sæpius informante &c.

De ætate nouitiorum ad probationem, & professionem plura dixi sub cap.7.per totum, vbi de libro Baptizatorum numer.17.

DECISIO XXXIX.

Tullensis 7. Nouembris 1616. coram Burato Dec. 205.
De professione Renati in religione Ierosolymitana violenter,& meticulose emissa.

1 *Professio metu facta ex quibus colligatur.*
2 *Testes singulares sufficiunt ad probandum animum.*
3 *Animus magis ex facto, quam ex verbis probatur.*
4 *Metus probatur ex magna animi auersione, & repugnantia circa actum gestam.*
5 *Metus mortis resultat ex denegatione victus,& vestitus.*
6 *Metus inducitur ex nimia sæuitia patris erga filium.*
7 *Testes singulares probant nimiam sæuitiam.*
8 *Metus inducitur ex minis illatis de exhæredatione.*
9 *Metus exhæredationis dicitur cadere in virum constantem.*
10 *Metus mortis, seu cruciatus corporis dicitur metus iustus.*
11 *Metus iustus causatur ex minis illatis ab eo, qui illas exequi potest.*
12 *Minæ paternæ per testes singulares probantur.*
13 *Metum iustum incutiunt minæ illatæ ab eo, cui reuerentia debetur.*
14 *Metus probatur ex lamentationibus, lachrimis, & afflictione.*
15 *Metum licet non probent protestationes actum præcedentes,& subsequentes, multum tamen coadiuuant.*
16 *Ad hoc vt melius probetur.*
17 *Metus probatur ex testibus singularibus, & ex vnico teste de visu cum aliis de auditu.*
18 *Publica vox, & fama ad illum probandum plurimum operatur.*
19 *Metus leuior sufficit in patre illum inferente.*
20 *Ætas minor bene probatur ex testibus familiaribus informatis, & deponentibus de tempore natiuitatis, & baptismi.*
21 *Metus minor exigitur in minore ad actum anullandum.*
22 *Professio minis,& metu facta est nulla.*
23 *Consensus,& libera voluntas deficiunt, stante metu.*
24 *Consensus, & libera voluntas sunt de substantia professionis.*
25 *Matrimonium metu contractum est nullum.*
26 *Professio æquiparatur matrimonio.*
27 *Minæ iuncta cum reuerentia paterna annullant professionem.*
28 *Professio emissa in Ordine Hierosolymitano ante 16. explotum est nulla.*
29 *Metus durare præsumitur, eadem causa metus durante.*
30 *Quinquennium non currit durante causa nullitatis professionis.*
31 *Restitutio in integrum competit etiam maiori, quando adfuit impedimentum ad reclamandum.*
32 *Metus probatur ex indiciis,& coniecturis.*
33 *Metus reuerentialis cum minis sufficit ad rescindendos contractus.*
34 *Professio in dubio, an metus sit grauis, iudicanda est valida.*
35 *Durare metus præsumitur etiam stante iuramento.*

1 EX testibus pro Renato examinatis Dominis visum fuit clarissime constare, illius professionem in sacra Religione Hierosolymitana fuisse violentam, atque meticulosam; optime enim deponunt 1.2.3.4. & 9. testes, super secundo in sum.num.2. de contraria voluntate eiusdem Renati, ac totali auersione à profitendo, quam dicunt eum semper habuisse; & non solum expresse continuo declarasse verbis, mæstitia, afflictione, lamentationibus, lachrymis, ac reclamationibus, & protestationibus, tam ante, quam post dictam professionem, de quibus infra *iuxta dicta in Hispal. matrimonij de Alcala 23. Iunij 1608. coram Cardinali Ludouisio, & Metensi professionis 18. Aprilis 1614 (quæ est 10. his ex collectis)* Sed etiam facto ipso apertius ostendisse, dum prima vice missus à patre ad insulam Meleuitanam, vt in illa religione profiteretur, cum pecuniis, & aliis ad hunc finem necessariis, illis consumptis per diuersas Italiæ partes vagando ad patriam rediit, absque habitus susceptione; vt in specie dicunt iidem primus, tertius, & nonus super eodem in
summ.n.2. Qui pariter licet singulares sufficiunt ad ani- 2
mi probationem, *Aymon.cons.73. numer.33. Farinac. de opposit. contra dicta testium quæst.64. num.290. Seraphin. decis.559.num.13. & fuit dictum in dicta* Meten. *Profess.*
Quæ magis ex facto, quam ex verbis resultat, *vt ex cu-* 3
mulatis per Rotam *dec. 811. numer 19.20. & 21. par.5.*
Diuers. Quæ auersio,& repugnantia Renati multum con- 4
fert ad metum probandum, vt in terminis matrimonij considerant *Rimin. Iun. cons.77. num.24. inter matrimonialia, Rota in Hispal. matrim.18. Iunij 1607. coram Card. Ludouisio,& in Colimbriensi matrim.19. Decembris 1614 coram me.*

Secundo de maxima displicentia patris ob reditum Renati, sine susceptione habitus, omnibus familiaribus seuero, & iracundo animo declarata præcise iubendo, ne illum in Castro reciperent sed eiicerent, vt dicunt primus, tertius, quartus, & nonus *super secundo in sum.dicto num.* 2. De quo etiam testantur, obnixe rogasse amicos ad hoc, vt omni auxilio derelictus habitum suscipere cogeretur, vt præsertim explicat quartus super eodem secundo articulo. Vnde renatus ad effugiendam iram, & furorem paternum, clam, & furtiue permansit per aliquot dies in quibusdam casis, & tuguriolis hortorum Castri, vbi à nonnullis famulis pietatis causa alitus fuit, vt dicunt
secundus, tertius, & nonus super eodem num.2. ex qua 5
denegatione victus, & domus resultat metus etiam mortis, *ad l. Necare ff de liber. agnosc. capit. Pasce 86. dist. & considerauit etiam* Rota *in Toletana nullitatis professionis 19. Nouembr. 1614 coram eodem R.P. D.Vbaldo.* Vel saltem
nimia sæuitia patris erga filium, quæ qualitas præcipue in 6
persona, cui debetur reuerentia, est multum considerabilis, *Abbas cons. 77. n.19. cum aliis in dictis Hispal. &*
Tolet. Et ad eius probationem sufficiunt testes singulares, 7
vt late per Aldobr.cons.71.n.30. & 38. Bertaz. cons.273. n.9 l.1. Rota *in Anconitana Separat.* Thori *9. Iunij 1600. coram Lancellotto.*

Tertio de vehementibus minis patris tam ante discessum, quam post reditum Renati, videlicet, vt arceretur ab eius conspectu, nisi professionem emitteret, alias eum in totum exhæredaret, vt dicunt secundus, & tertius super secundo in sum.num.2. & illi interdiceret aditum suæ domus, vt dicit quartus super eodem, quæ iustum metum
inducunt, vt de amissione bonorum, vel maioris partis 8
est *tex. in cap. Abbas, de iis, quæ vi. Natta consil. 50. numer.10. lib.1. Menoch. de arbitr. lib.2. casu 135. num. 55. Oddus de restit.in integr. par.1. quæst.7. & 9.num.79.*
& 80. & Rota *in dicta Hispal.* Qui dicitur cadens in con- 9
stantem virum *Couar. de sponsal. par. 1. cap. 3.§.4. n.18.* Et metui mortis æquiparatur, *Bart. in l.* Si *ob turpem, num.6 ff de condit. ob turp Grammat. decis.18. numer.51.*
Rota dicta Hispal. Vt pugione interimeret, vt dicunt 10
primus, secundus, tertius, & nonus super eodem dicto num.2. Quod similiter metum mortis, vel corporis cruciatus inducit, qui sine dubio dicitur iustus, *l.Interpositas vers.Nec tamen,& ibi Bart & Bald.num.2.C.de transact. Natta vbi supra, Angel. cons.211.num.4.* Menoch. *dicto casu 135. numer.5. Vers.* Casus *tamen, Oddus vbi supra*
num. 75. Hæ autem minæ pariter per testes singulares 11
probantur, *Grammat. decis.5. num.14. Vers. Quo vero ad probationem, Gabriel de testibus concl. 3. num. 56.* Anton. à *Petr.de fideicom.q.12.num.542. Farinac.de opposit. contradicta test.q. 64. numer. 275. & Rota in dicta Hispal.*

Et

12 Et tanquam venientes ab eo, qui illas exequi poterat,
merito timendæ fuerunt, *l. Quæsitum ff. ad Turpill. l. Nisi*
§. Si legatarius ff. Si cui plus quam per leg. Falcid. Alber. *in*
l. Metum numer. 2. *Vers. Si autem fiunt C. de his, quæ in*
Grammat. dicta decis. 5. num. 4. Et iunctæ cum reuerentia
13 debita minanti metum iustum dicuntur incutere, vt dixi
Rota in dicta Hispallensi.

14 Quarto, de molestiis, afflictione, lamentationibus, lachrimis,
& suspiriis Renati tam ante, quam post professionem,
de quibus deponunt secundus, & tertius super
tertio, & primus, sextus, & nonus super tertio, & quarto
in sum. n. 3. quæ simul iter ipsum metum valde iustificant,
Aym. cons. 461. n. 11. Rebuff. cons. 69. n. 10. Vers. quod et à
factis, Menoch. præsumpt. 4. n. 11. & præsumpt. 126. n. 17.
lib. 3 Honded. cons. 59. n. 19 l. 1 Rota in dicta Hispal.

Quinto, de protestationibus non solum præcedentibus
ipsam professionem, quod non intendebat illam
emittere, nisi per vim & metum, & quod dum esset in
libertate, dicturus erat de nullitate, vt quartus, sextus, &
nonus super tertio, & quarto in sum. n. 3 quæ licet me-
15 tum non probent, *l. Metum C. quod metus causa*, multum
tamen coadiuuant, & operantur, vt melius probetur, vt
ex allegatis, *per Rotam in dicta Hispal. & in dicta Toletana*,
Sed etiam sub sequentibus, vt iidem quartus, sextus,
& nonus super iisdem dicto n. 1. quæ similiter ad metus
16 probationem multum deseruiunt, *vt in dicta Hispal. &*
Conimbricensi.

Sexto expresse, & concludenter deponunt de vi, &
metu, & præsertim primus super secundo in sum. n. 2 explicite
dicens, optime cognouisse, Renatum professionem
emisisse per vim. & metum à patre illatum, cum quo conueniunt
primus, tertius, & nonus super eodem dicto n. 2,
17 Quibus in proposito fides est adhibenda, etiamsi essent
singulares, *Crotus cons. 106. n. 11. Vers. cum ergo metus l. 1.*
Surd. cons. 395. num. 26. lib. 3. & Rota in actis Hispal. &
Toletana.

Septimo demum, omnes in sum. num. 2. & 3. dicunt,
18 de omnibus prædictis esse, & fuisse publicam vocem, &
famam, quæ ad metum probandum est multum considerabilis,
Cepolla cons. ciuil. 2. num. 3. & 8. Menoch. præsumpt.
4. n. 21. præsumpt. 126. n. 22 lib. 2 Card. Seraph. decis. 859.
numer. 6.

Quamuis autem huiusmodi probationes Dominis visæ
fuerint exuberantes ad probandum metum etiam in constantem
virum cadentem, dixerunt tamen, in proposito
non fuisse necessarium huiusmodi metum, sed leuiorem
19 sufficere attenta qualitate patris illum inferentis, tam
ob reuerentiam illi debitam, *Farinac. Marcus decis. 1190.*
num. 1. par. 1. & Rota in decis. Hispal. & Toletana, quam
ex eo, quod minas exequi poterat, prout exequutum
fuisse patet ex supradictis, sed etiam filij metum passi,
qui de tempore professionis non attingebat annum decimumquintum,
vt concludunt primus, secundus, tertius,
septimus, & nonus super primo in sum. numer. 4. Qui
20 tanquam familiares, & optime informati, ac explicite deponentes
de tempore natiuitatis, & baptismi, bene probant,
l. Omnes, C. de his qui ven. ætat. Bart. in l. De ætate,
n. 7. ff. de miner. Old. de restit. q. 47. n. 35. & 65. Propter
quam teneram eius ætatem minor metus exigitur, *Ca-*
21 *stren. cons. 124. post num. 3. lib. 1. cum aliis in dicta Hispal.*
Seraph. decis. 771 num. 4 Menoch. *de arbitr. dicto casu 135.*
num. 5. Vnde cum ex dictis clarissime pateat, professionem
fuisse solum per metum, & vim emissam, Domini
22 vnanimiter concluserunt, eam fuisse nullam, *text. in c. 1.*
& c. Perlatum, de iis quæ vi, cap. Eos. in fine, 30 q. 1 Nauar.
cons. 5. n. 2. eod. tit. Vbi enim adest metus, deficiunt consensus,
& libera voluntas, quæ tamen sunt de substantia
23 professionis, vt in puncto *Paris. cons. 65. n. 13. vol. 4.* & in
24 matrimonio, *Rota in dicta Hispal. 26. Ianuarij 1609.*

25 Et sicut matrimonium metu factum non valet, ita nec
26 professio, quæ illi æquiparatur, & est quoddam matrimonium
spirituale, *Glos. & Doct. in dictum cap. Abbas, de iis,*
quæ vi Rebuff. consil. 68. numer. 9. fine, Paris. dicto cons. 65.
n. 11. in fine.

Immo ad illam annullandam sufficiunt etiam minæ 27
iunctæ cum reuerentia paterna iuxta doctrinam *Abbatis
in capit.* Cum virum, *num. 8. Felin. in cap.* Causam matrimonij
num 5. de officio deleg. & ibi Dec. n. 24. Couar. de
sponsal. par. 2. cap. 3. §. 6. n. 8. Azor. lib. 12. c. 5. q. 4. Vers. Si
roges par. 1.

Et aliqui etiam ex Dominis dicebant, professionem 28
fuisse quoque nullam vti factam ante 16. annum, & sic
contra stabilimentum dictæ religionis *tit. 2. Del ricenere*
li Fratelli cap. 15. fol. 16 Ex quo etiam ita censuisse S.
Congregationem Concilij Tridentini interpretum testatur,
Sanchez de sponsal. lib 7. disp. 44. n. 8. Vers. Licet postea.

Nec visum fuit obstare lapsum quinquennij post pro- 29
fessionem, quia cum adhuc superuiuat pater Renati, & sic
duraueris, & duret eadem causa metus, ad notata *per Doctores
in l. Penult. ff. de condit. ob turpem caus. Menoch. dicta
præsumpt. 126. n. 26 l. 3. cum aliis in dicta Toletana.*
Vel dictum quinquennium non cucurrit vel saltem adest
iusta causa restitutionis in integrum aduersus illius lap- 30
sum, quæ competit ne dum minori, sed etiam maiori, 31
quando adest impedimentum ad reclamandum, *Nauar.*
cons. 6. num. 2. de iis, quæ vi, Azor. lib. 12. cap. 4. q. vlt. ad
finem par. 1. Sanch. l. b. 7 disp. 37. n. 22. Qui pluribus comprobat
rationibus. Tanto magis cum illa mihi in Rota
commissa fuerit per speciale rescriptum Sanctissimi, vt
per Rotam in dicta Toletana Profess. 25. Maij 1621. *Quæ*
est tertia inter hic collectas. Et ita decisum solo Renato
informante, &c.

ANNOTATIO.

ET sufficit sub num. 17. etiam vnus testis de visu cum 32
aliis de auditu, *Joseph de Sesse decis. Aragon. 60. n. 8.*
Fontanella de pactis nuptial. claus. 7. Glos. 2. par. 5. num. 85.
Immo cum sit difficilis probationis, sufficere coniecturas,
& indicia dictum fuit supra *decis 86. n. 25. & 26.*

Sub num. 17. adde Sotum lib. 7. de iustitia quæst. 2. art.
5. Henriquez lib. 11. de matrim. cap 6. num. 5. Suar. tom. 3.
de relig. lib. 6. cap. 4. num. 17. Sanchez lib. 4. cap. 3. num. 26.
Quia metus reuerentialis accedentibus minis dicitur metus
grauis, & sufficiens ad contractus rescindendos, ex
traditis *per Sanchez lib. 4. disputat. 6. num. 7. Gaspar Ant.*
Thesaur. quæst. for l. b. 1. q. 51. num. 5. Solum autem metum 33
reuerentialem absque minis non dici metum iustum, nec
sufficere ad contractus rescindendos tradunt *Bartol. in l.*
5. §. Quæ onerandæ. in fine, & ibi Doct. ff. Quarum rerum
*act. non dat. Sanchez dicta disp. 7. num. 6. Vers. Sexto, Thesaur.
q. 51. Tiraquel. de leg. con connub. glos. 5. n. 39. Rota Diuers.
decis. 341. num. 2. part. 1. Verallus decis. 213. num. vlt.*
part. 2.

Verum in dubio, metus sit grauis, necne, & sufficiens 34
ad professionem irritandam, iudicandum est pro illius validitate,
in dubio enim professio præsumitur valida, nisi
contrarium, probetur, *Sanchez lib. 4. c. 3. n. vlt. Gratian. c.*
*413. n. 17. Seraph. dec. 1361. fine, & fuit dictum in Romana
professionis 23. Junij 1623. coram* Rembaldo.

Metus durare *sub num. 39.* præsumitur, durante illius 35
causa, quod ampliatur procedere, etiam stante iuramento,
quia non ideo præsumeretur libera voluntas, durante eadem
causa metus, *Natta consil. 451 num. 3. Couar. in Epitome
4. Decretal. par. 2. cap. 3. §. 5. num. 1.* Boer. *decis. 100.*
num. 14. Roland. cons. 2. num. 76. lib. 1. Seraph decis. 771.
num. 9. fine. Secundo amplia, vt procedat, etiam si fiant
aliqui actus, qui videantur spontanei, quia adhuc dicuntur
metu facti, si duret eadem causa metus. *Rom. cons.*
522. n. 3. lib. 4 Roland. *cons. 2. n. 86 lib. 4 Rimin. iun. consil.*
361 num. 93. Grasus cons. 38 num. 18. Seraph. decis. 772.
numer. 10.

Ioannes Franciscus Ferentillius.

*De metu quid, & quotuplex, & quando irritat professionem
tractam ex professo cap. 19 per totum.*

DECISIO XL.

Pampilonensis Beneficij de Nuante die 5. Nouembris 1608 Decis. 382. Ludouisij, quomodo probetur professio?

1 *Beneficium vacat emissione professionis.*
2 *Testis deponens de fama per verbum præsentis temporis non probat, cum debeat percutere tempus ante litem motam.*
3 *Testis deponens relatiue ad aliquem librum non probat, nisi libro exhibito.*

Contra informantem fuit resolutum, gratiam ipsius non fuisse iustificatam quo ad vacationem, narrant
1 enim beneficium vacasse, eo quod aduersarius illud obtinens ingressus fuit monasterium B. Mariæ Roncisuallis Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, & in eo professionem emiserit, *Capit. Beneficium de Regula in 6.*

Professionem tamen sufficienter non probat, ex duobus enim testibus, qui dantur, alter loquitur de auditu, & licet deponat de fama, deponit tantum per verba præsentis
2 temporis, & sic non concludit, prout debet eam extitisse ante motam litem, *Caputaq. decis. 9. part. 2.* & fuit sæpius dictum. Alter testis deponit relatiue ad librum professio-
3 nis, & propterea eo non exhibito, non probat, *Auth. si quis in aliquo, C. de edend.* Et cum non probetur professio, non est agendum de dispensatione.

De beneficiis vacantibus, & de modo renuntiandi ea per Nouitium tradidi cap. 12. q. 21. n. 53. De testibus in professione dixi c. 18. q. 75. 76. & 77.

DECISIO XLI.

Pampilonensis in eadem causa beneficij, 14. Nouembris 1608. eiusdem Ludouisij Decis. 385. vbi, quod professio probatur ex dispensatione, & ex confessione in positionibus.

1 *Producens dispensationem, fatetur omnia esse vera, quæ in ea continentur.*
2 *Vtens dispensatione censetur approbare ea omnia, quæ in illa continentur.*
3 *Ponens fatetur ea, quæ sunt in positionibus narrata.*
4 *Positiones, non articuli censentur, si parti fuit præfixus terminus ad respondendum, non obstante quod vocentur promiscue positiones, & articuli.*
5 *Professio tacita inducitur per solam delationem habitus.*
6 *Id autem multis probatur.*
7 *Tollitur ex protestationibus, & reclamatione.*

Licet quinto huius mensis exhibitis tantum depositionibus testium, visum fuisset Dominis non iustificari gratiam Bartolomei quo ad vacationem, & professionem Ioannis in monasterio Ordinis S. Augustini, testes enim non probabant concludenter professionem. Attamen causa iterum proposita, & aliis exhibitis probationibus, & aliis adminiculis visum fuit constare sufficienter de professione, quia vna cum depositionibus testium concurrit dispensatio officialis Pampilonensis asserentis sibi constitisse de professione expressa, & solemni Ioannis, quæ assertio probat contra aduersarium, non solum ex eo,
1 quod dictam dispensationem producendo videtur fateri, & omnia in ea contenta esse vera. *Bartol. in l. Post legatum ff. de his, quibus vt indig. Bald. in l. Scriptura, in princip. C. de fide instr. Alex. cons. 10. n. 1. lib. 7. Decius in cap. cum super, num. 12. de offic. deleg. Mohedan. decis. 1. in*
2 *fine de Regul.* Sed etiam ex eo, quod dicta dispensatione vsus fuit in vim illius retinendo beneficia prius obtenta, Caputaq. decis. 113. n. 4. par. 1.
3 Concurrit etiam eiusdem confessio in positionibus datis, cum ponens dicatur fateri ea, quæ sunt in positionibus narrata, *Alex. cons. 71. n. 4. lib. 3. Asinus in praxi §. 19. c. 24. n. 4.* Et licet appellentur articuli, & positiones, tamen
4 tamen sunt positiones, & vt tales in iudicio productæ, quod patet ex eo, quia parti fuit præfixus terminus ad respondendum; & cum non responderet fuit accusata illius contumacia. Accedit maxima verisimilitudo ex tanto spatio temporis, quod intercessit ab anno 1598. vsque ad
annum 1601. Cum inducatur etiam tacite per delationem 5
habitus professorum, *ad notata in c. Eos qui de Regul.*

ANNOTATIO.

Dicta sub n. 1. habentur supra *Decis. 231. & 238. sub n. 3. Adde Surd. decis. 326. lib. 4. n. 7. Henged. consil. 52. n. 30. lib. 1.*

Et quod professio sub n. 5. inducatur tacite per solam de- 6
lationem habitus *Henged. cons. 78. n. 18. l. 2. Gratian. cap. 640. n. 20. Menoch. l. 6 præsump. 83. n. 25. Mascard. concl. 1173. n. 14. Rota decis. 579. n. 2. par. 1. Recent.* extensa supra n. 10. Dummodo tamen susceptus habitus deferatur in ipso monasterio, *Azor. lib. 12. c. 5. q. 3. p. 1.* Et etiam est necesse, quod illum habitum receperit coram Abbatissa, & omnibus aliis monialibus simul, *Decian. cons. 18. n. 11. lib. 3. ex eodem Gratian. cap. 640. n. 37. & 38.* Nam alias si quis ex seipso sumeret habitum professorum non se obligaret religioni *Calder. cons. 5. col. 2. Vers. Reassumpto, de Regul. Gratian. n. 39.* Item etiam requiritur quod habitus nouitiorum non sit distinctus ab eo professorum, alias data distinctione per delationem talis habitus non inducitur professio tacita, vt bene declarat *Gratian. eo c. 640. n. 21.* Et huiusmodi professio tacita sublata non est per Concilium Tridentinum. *Nauar. cons. 25. de Regular. n. 5. Rota decis. 579. citata sub n. 2. Gratian. n. 34. fine.*

Excluditur autem huiusmodi tacita professio ex recla- 7
mationibus, & protestationibus in contrarium, *Henged. dicto cons. 78. Rota citata decis. 179. numer. 5. vbi sub num. 2.* dicitur, sufficere protestationes, quæ habent vim reclamationis; & fuit etiam late dictum *in Brixiensi Parochialis 20. Martij 1620. coram R. P. D. Vbaldo* Prout etiam huiusmodi tacita professio deducta ex delatione habitus tollitur ex metu reuerentiali, licet alias non sufficeret ad tollendam expressam, *Rota decis. 579. num. 5. & plene in dicta Brixiensi.* Et hoc procedit indistincte etiam stante susceptione habitus ab initio solemniter facta, prout colecta doctrina *Abbatis in c. 1. n. 14. de iis, quæ vi, late tenuit Rota in Meterfi Profess. 19. Iunij 1617. coram R. P. D. Dunozetto* Extensa hic sub Decis. 13. Quam Ego hic extendo sub n. 15.

Oliuerius Beltraminus.

De professione tacita dixi c. 18. q. 73. & seq.

DECISIO XLII.

Ianuensis Reintegrationis 26. Nouembris 1621. coram Buratto, decis. eius 576. vbi de professo religionem incapacem bonorum in communi, si auctoritate Apostolica transferatur ad religionem capacem, non reintegratur ad bona amissa per professionem in religione incapaci, & ab aliis medio tempore acquisita.

1 *Religionem bonorum in communi incapacem ingrediens amittit bona ante professionem ad ipsum spectantia, quæ deferuntur venientibus ab intestato.*
2 *Translatus auctoritate Apostolica ab incapaci ad capacem non recuperat bona, quæ ante professionem obtinebat, maxime quando non constat de voluntate Papæ id concedendi.*
3 *Dispensatio Apostolica non retrotrahitur in præiudicium tertij.*
4 *Nisi Papa se declaret.*
5 *Princeps nunquam censetur voluisse tertio præiudicium inferre.*

6 *Regula de iure quæsito non tollendo expressam, & indiuiduam derogationem requirit.*

7. *Subreptitia est gratia ob non expressionem eorum, quæ si Princeps sciuisset vel non concessisset, vel difficilius concessisset.*

8 *Inferior non potest cognoscere de gestis per superiorem.*

9 *Inferior nequit iuris communis dispositioni derogare.*

10 *Regulæ de iure quæsito non tollendo non derogatur sufficienter per clausulas generales, quamuis adsit clausula:* Quorum tenores.

11 *Intelligitur de iure certo, & radicato, non autem de iure euentuali, quod tollitur in consequentiam, & de iure valido non inualido.*

12 *Derogatio Regulæ de iure quæsito non est necessaria in gratia sui natura præiudiciali.*

13 *Etiamsi non fuerit facta mentio personarum.*

14 *Quibus ius, vel de iure, vel ex priuilegio competit.*

15 *Etiam si tale ius Papa ignoret.*

16 *Regulæ de iure quæsito non tollendo non est derogandum expresse quando gratia est præiudicialis ex sui natura, secus si fieret præiudicialis ex narratis ab impetrante, quia tunc non sufficeret scientia Papæ concedentis circa præiudicium iuris tertij, sed requireretur simul expressa derogatio Regulæ prædictæ.*

17 *Regulæ de iure quæsito non tollendo non est derogandũ in gratia, quæ conceditur ad publicam vtilitatem.*

1 FVit per Dominos vnanimiter resolutum, F. Petrum Baptistam non fuisse redintegratum ad bona, quæ habebat ante professionem per eam emissam in Religione Capucinorum, certum est enim, quod per ingressum Religionis tam in communi, quam in particulari incapacis, prout est illa *ad Clem. Exiui §. Cupientes, de verb. signif. & dispositionem Conc. Trid. sess. 25. c. 5. & 3.* Illa amisit, & venientibus ab intestato fuisse delata, ac si naturaliter fuisset mortuus, *Bart in tract. Minor. l. 4. dist. 2. c. 2. n. 6. & dist. 3. c. 1. num. 8. Bald. in* Auth. Ingressi, *n. 63.* C. *de sacros. Eccl. & notant Dect. in c.* In *præsentia, ibi Felin. num. 50. Vers. Septimo quæro,* Berous *n. 539. Vers. Alij magis communiter, de probat.*

2 Et licet deinde fuerit auctoritate Apostolica translatus ad Ordinem Fratrum Capellanorum Sancti Ioannis Religionis Hierosolymitanæ capacis, tamen nec ipse, nec dicta Religio ex eius persona prædicta bona potest recuperare, *Bartol. dicta distinct. 3. cap. 2. Bartol. in dicta Authentic. numer. 64. in fine,* Federic. *de Senis consil. 26. numer. 1. & 3. Felin. in cap.* Inter *quatuor, numer. 4. circa finem, Vers. Et dicit Bartolus, de maior. & in dicto cap. In præsentia numer. 50. Vers. Et adde, & ibi Berous numer. 550. Castro in leg. Gallus. §. Et quid si tantum, num. 20 Iason num. 71. Vers. Ad idem facit, ff. de liber. & posth. Natta consil. 180. num. 4.* Carolus *Tapia in dicta* Authentic. *cap. 6. n. 34.* Rosella *11. Relig. e in fine, Silu. n. 10. Angel. n. 31.*

Quia cum fuerint per consanguineos apprehensa (vt in hoc casu) etiam alienata, res non est amplius integra. Et
3 dispensatio Apostolica non trahitur retro in tertij præiudicium, *Bald. vbi supra,* Federic. *de Senis consil. 16. n. 3. Felin. dicto c.* Inter *quatuor n. 4. & Berous in c. In præsentia n. 550. Vers.* Mihi *videtur.*

4 Præsertim quia non constat de voluntate Papæ, quod voluerit ipsum reintegrare ad bona hæredibus, & alijs, à quibus illi emerunt, quæsita, cum nec dictus Fr. Petrus Baptista petierit, nec Papa tam in primo Breui dispensationis, quam in alijs perinde valere, concesserit expresse aliquam facultatem quoad bona, sed tantum translationem personæ de Religione Capucinorum ad dictum Ordinem Hierosolymitanum in literis expressam, vt in simili, *Rota in Romana nullitatis Census 5. Maij 1597. coram Corduba ex impressis per Modernum Perus. de Cen-*
5 *sibus decis. 124* Et succedunt strictissimæ iuris conclusiones exclusiuæ voluntatis Principis in tertij præiudicium, *leg. 2. §. Si quis à* Principe. *ff. Ne quid in loco publico, cap. Super de offic. delegat. capit. Quamuis, in fine, vbi Gemin. num. 3. de Rescript. in 6.* Et in his terminis, *Nauar. consil. 14 n. 8. de voto Rouar. quæst. tom. 3. quæst. 52. artic. 27. col. 2. in princ.*
Vers. Et hanc opinionem. Quæ sunt Authenticatæ per 6
Regul. de iure quæsito non toll. Cuius expressa, & indiuidua derogatio est necessaria, *Sara. super dicta* Regul. *quæst. 15. n. 6. in fine,* Cæsar *de* Grassis *decis. 1. num. 10. de Verb. signific. Seraphin. decis. 1082. num. 7. Rota decis. 153. n. 6. par. 2. Recent.*

Nec visa fuit Dominis suffragari licentia Magni Magistri recuperandi bona paterna, & materna quæcumque: Tum quia, non fuit narratum dicto Magno Magistro, quod ipse fuerat professus Capucinus, & dispensatus per Papam ad transeundum ad dictum Ordinem Capellanorum, cum conditionibus viuendi in conuentu, & alijs, de quibus in dicto Breui, quæ si sciuisset, vel dictam licentiam non concessisset, vel difficiliorem ad eam concedan- 7
dam reddidissent, & sic subreptitia videbatur, *Felin. in cap. Super literis, num. 8. de Rescr. Socin. consil. 260. num. 2. l. 2. Corneus consil. 245. num 4. lib. 1. Cassador. decis. 1 a. num.*
14. de prebend. Tum quia, Magnus Magister, vti Inferior 8
non poterat concedere hanc facultatem, & derogare voto Paupertatis, à quo Papa non videtur voluisse dispensare, vt supra, *cap. Inferior de maior. Clemen. Ne Romani, de elect. Dec. in cap.* Cum *accessissent, num. 44 de* Constitut. *Aymon. consil. 148. num. 3. & 4. & 179. num. 1. fine.*
Nec derogare iuris communis dispositioni, illum reinte- 9
grando ad bona iam amissa, & legitima quæsita, tam venientibus ab intestato, quam emptoribus, *Authentic. Iurament. quod præstatur ab his, & notatur in leg. Omnes populi, vbi Bald. n. 29. ff. de iustit. Decius consil. 392. n. 9. Vers. Non obstat late Alex. consil. 106. n. 2. l. 2.*

Ex quibus fuit ita decisum, parte tantum Ioannis Christophori informante.

ANNOTATIO.

REgula de iure quæsito sub *num. 6.* requirit specificam, & indiuiduam mentionem, nec sufficiunt clausulæ generales *Sarnens. in proœm. Regul. quæst. 6 in fine, & super dicta Regul. q. 19. Puteus decis. 57. lib. 2. Verallus*
decis. 30. par. 1 Adeo quod nec sufficiat derogatio Regulæ 10
in genere, quamuis adiecta sit illa clausula: *Quorum tenores Rota in Bononien. Vsusfructus 23. Maij 1625. coram R. D. P. Coccino Decano. vbi quod ita fuerit resolutum in Oscensi indulti 10. Decemb. 1599. Coram Card. Mellinô.*

Intelligitur tamen de iure quæsito certo, & radicato, 11
non autem de iure euentuali, quod tollitur in consequentiam, & occasionaliter, In hoc enim non procedit Regula, *Curt. Iun. consil. 1. n. 20. Sarnen q. 1. Seraphin decis. 1411. n. 23. Rota decis. 174 n. 8. par. 1. Recentior.*

Item in eo igitur de iure valido, non autem de inualido, 12
Cardinal. Canaler *decis. 280 & 333.* de iure claro, non autem dubio. *Gregor XV decis. 69 n. 9.*

Insuper hæc expressa derogatio Reg. *de iure quæsito* 13
non tollendo, non requiritur in gratia, quæ ex sui natura est præiudicialis, vt est exemptio à decimis, vel ab ordinario, & similia, quia cum Papa sciat, gratiam non nisi cum magno tertij præiudicio verificari posse, & nihilominus illam concedit, censetur per necessarium antecedens illi derogare velle. *Dec. consil. 113. n. 17. Vers. Non obstat, Cassador. decis. 1. de Priuileg. Corneus consil. 83. n. 16. §. Tertio respondetur lib. 4 Seraphin. decis. 762. n. 4. & decis. 1445. numer. 7. Gonzal. ad Regul. 8. Cancellar. glos. 36. num. 48.*

Quod procedit etiamsi nulla facta sit mentio persona- 14
rum, quibus præiudicium infertur, siue huiusmodi personis ex iure communi, siue speciali ius competat, *Cassador. dicta decis. 1. de Priuileg. Rota decis. 240. num. 21. part. 1.*
Diuersor. & decis. 48. num. 1. part. 1. Recentior. Etiam Pa- 15
pa illud ius ignoraret, quia faciendo actum de sui natura præiudicialem, virtualiter declarat, afficere omnes personas, ad quas præiudicium spectare potest, *Rota decis. 240. n. 22. part. 1. Diuersor. & in Mantuana Pensionis 4. Decembris 1626. coram Merlino.*

16 Requiritur tamen, quod gratia sit præiudicialis ex sua natura, ad hoc vt non sit expresse derogandum huic Regul. quia si fuerit præiudicialis ex narratis ab impetrante, non sufficeret scientia Papæ concedentis circa præiudicium iuris tertij, sed requireretur simul expressa derogatio Regulæ prædictæ, vt distinguendo tradit *Rota decis. 174 n.3. & 4. par.* 1. *Recentior. & in dicta Bononien. Vsufructus, in qua plures aliæ Decisiones sunt relatæ.*

Non est item necessaria derogatio regulæ in gratia, conceditur ob publicam vtilitatem, *Seraphin. decis. 762. n. vlt.* Rota *Diuersor. decis. 759. par. 1. & decis. 174. num. 7. par.* 1. Recentior.

Ioannes Franciscus Ferentillius.

Vide, quæ dixi c. 13. q. 42. & 43. de transeuntibus à Religione incapaci ad capacem.

DECISIO XLIII.

Burgensis coram Argueles die 6. Aprilis 1649. extensa apud Dianam par. 9. decis. 21. De interruptione nouitiatus multa dicuntur, etiam quod sola dimissio cum animo deserendi Religionem sufficit. De metu cadente in virum constantem annullante professionem.

1 *Probationis annus est in fauorem Nouitij.*
2 *Dimittens habitum videtur deliberasse nolle profiteri.*
3 *Probationis annus est etiam in fauorem monasterij.*
4 *Libertati omnes student.*
5 *Probationis annus debet esse continuus.*
6 *Tempus in lege, vel statutum præscriptum intelligitur continuum.*
7 *Nouitiatus interrumpitur à Nouitio habitu dimisso cum intentione relinquendi Religionem.*
8 *Non interrumpi si reuertatur docent plures.*
9 *Pauci dies non interrumpunt.*
10 *Contrarium tenet Suarez cum* Rota *hic.*
11 *Omissio formæ in minimo vitiat actum.*
12 *Modicus continuationis defectus interrumpit Nouitiatum.*
13 *Tempus istud numeratur de momento in momentum.*
14 *Sola habitus dimissio cum animo deserendi Religionem interrumpit annum probationis.*
15 *Tempora non coniunguntur data semel interruptione.*
16 *Possessio per momentum temporis perditur.*
17 *Possessio semel amissa non continuatur cum possessione de nouo acquisita.*
18 *Possessiones duæ diuersæ speciei non possunt coniungi.*
19 *Materia interruptionis nouitiatus est odiosa.*
20 *Doctores loquuntur de Nouitio libere reuerso non coacte reducto.*
21 *Metus irritat professionem cum eo emissam.*
22 *Etiam reuerentialis sine minis secundum aliquos.*
23 *Minor metus sufficit ad irritandam professionem.*
24 *Minor metus in puero sufficit.*

1 PRo Ventura responsum, pro quo faciunt sequentia verba Lapi. *Primo iste erat in probatione, & deliberatione, quia talis annus datur etiam in fauorem sui, & ob fragilitatem humanæ conditionis, vt in cap. 2. de* Regular.
2 *lib. 6. sed exeundo, & dimittendo habitum (vt in themate proponitur) videtur ipso facto deliberasse se nolle profiteri, seu se non posse pati austeritatem clausuræ, & sic confirmatum fuit pro hac vice propositum suum, vnde mutato postea nouo proposito, opus erat nouo tempore ad iterum probandum, & deliberandum, nam ex eodem tempore probationis non potest sequi placentia, & displicentia, & sic etiam Monasterium, quia ista sunt aduersantia, & vna, & eadem res non debet pati diuersos effectus, præterea ex his quæ inordinatè procedunt, nihil ordinatè sequi potest de accus. qualiter. 2. & vbi fundamentum est vitiosum, nihil tutum superædificari potest. 1. q. 1. Cum Paulus, sed iste regressus, quem fecit dictus iuuenis ad dictum* Monasterium, *fuit inordinatus, & vitiosus, nam dictus iuuenis captus, & inuitus detentus rediit ad monasterium, & sicut matrimonium carnale debet esse liberum, de sponsal. Cum locum, ita matrimonium spirituale quod est maius cap. 1. sed hic iuuenis per da. Fratres mendicantes in sua deliberatione iam facta fuit impeditus, & coactus, & sic præsumitur non sponte, seu feruore spiritus, & quia talis coactio fuit facta operatione fratrum, & per consequens impediuerunt constitutionem (loquitur de dicto c. 2. de Regular.) idest annũ probationis sub pœna nullitatis, sed etiam quod infra annum quemlibet non impediat quo minus ad sæculum redeat, prout de sua voluntate processit, vt in dicto versiculo, quod si forsan, repetitur coniunctim generaliter tota prohibitio ibi, cõtra hanc probationem* (sic legitur, sed errore librarij, nam in textu est prohibitionem, &c.) *Prohibitio autem prædictorum emanauit coniunctim, & sub principali verbo, Non præsumatis, ergo receptio postea facta de dicta iuuene non tenuit.* Præterea 3
dictus annus probationis, vt supra est dictum, datur etiam fauore Monasterij, vt Monasterium *probet mores ingressi si bonos mores habeat, & si voluerint admittant, & si malos mores habeat puta, quia non est aptus ad* Religionem, *vt quia austeritates* Regulæ *pati non potest, aut non vult eum extra remanere volentem repellant, sed cum iste infra probationis annum fugiendo exiuerit extra Monasterium, & habitum dimiserit apparuit eis, quod bonos mores non habuit, &* Religioni *aptus non erat: ergo eum repellere debuerunt non per violentiam reducere, & sic contra mentem iuris hoc fecerunt, in præiudicium Monasterij infra ex dolo suo, huc vsque Lap. allegat. 46. num. 3. ante finem, postquam eod. num. 3. statim à principio vers. item cum lex.* firmauit annum Nouitiatus debere esse continuum continuatione physica, dum eam comparat continuationi præscriptionis, de qua infra dicetur.

Et siquidem nomen Religionis demas, (quod nihil interest ad casum) & quod ibi non per se ipsos, sed per alios apprehenderunt Religiosum fugientem (quod facit illum casum fortiorem; nam in Nostro, officio Birruariorum perfuncti sunt ipsi fratres, seu manus Canonici Regulares Sancti Norberti) nec lac lacti tam simile est, quam casus Lapi huic nostro, nisi fortior etiam ille videatur, 4
quia Nouitius ibi bono spiritu ductus ingressus fuit Religionem, non vero desperatione, vt iste noster.

Sufficeret pro Decisione tanti viri auctoritas, & iisdem penè rationibus Domini decreuerunt constare de Nullitate Professionis Venturæ Musicæ, qui non inspiratione, sed desperatione potius impediti matrimonij carnalis ad spirituale transire tentauit inconsiderate (quod debuerant Monachi rectè perspicere, vt præcepit *San. mem. Sixtus V. in sua Bulla 71. Cum de omnibus, 6 Kalend. Decembris* 1587. *§. cæterum 4. versus finem*, ibi, *nisi denique constet ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum deuotione, seu pietatis feruore vitam religiosam spontè, & ex animo elegisse*, vt benè explicat *Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 10 num. 16.*) paulò post facti pœnitens inconsiderati, (inde enim fit, *vt ait M. Basilius*, vt eodem temerè vnde fuerat egressus, reuertatur) ad sæcularem, redire velle sæpius protestatus vestesque suas sæculares repetẽs, (quas debuit Abbas restituere *ex dicto cap. 2. de* Regular. *in 6.*) precibusque, ac lacrymis instans, ac tandem nil proficiens habitu exutus religioso, per cloacam, siue aquæductum nocte fugam arripuit, & postera die à duobus Monachis cum famulo ad id missis apprehensus, vi fuit in Monasterium reductus carcerique addictus, & pane, & aqua per trimensem maceratus lachrymis semper, & eiulatibus obtestans se nolle prosequi Nouitiatum, & Religionem, & sine intermissione nocte diuque clamans, & quiritans, cum præter hæc Abbas cõtinuo minaretur cuidam Militũ ductori qui in vicino loco Milites cogebat ad vigent, ardensque tunc bellum Fontisrabiæ plenum discrimine, imò desperatione se eum traditurum, vel magis proditurum, coactus tandẽ professionẽ emisit lachrimis, & singultibus antea, & postea, & in ipsa professione metum magis, quã motũ animi à Religione auersissimi demõstrans, & sequẽti die palã repetens se metu compulsum, vt primum potuit ad Ordinariũ proficiscens iterũ à Monachis arreptus

duriori

duriori carcere mancipatus, rupta satis alta fenestra linteisque in modum funis intortis præcipitauit se potius quam demisit, aut descendit, seque in desideratam libertatem (si alibi libertas est, quam vbi Spiritus Domini *ex Paul. 2. ad Corinth*) asserere aperto vitæ periculo procurauit, adeo homines natura libertati studant *Cæs lib. 1. de Bello Gallico*, adeo multiplex patet ad libertatem via *Senec. lib. 3. de Ira c. 15.* & adeo non ardua virtus, seruitium fugisse manu; dixit *Lucan. lib 4. Pharsal.*

4 Enim vero probationis annum continuum esse debere clarius est, quam vt multis indigeat probationibus, nec sufficit coniungere priora tempora cum secundis, *cap. ad Apostolicam 16. de Regular. ibi Abbas n. 9. Anchar. 7. Franch. alios citans in c. 1. de Regularibus in 6. n 3. vers. quid autem si non fuit, & seq. contra Glos. Speculat & Ioann. Andr. explicando Ancharanum.* & fortius *post S. Concil. Trid. sess. 24. de Regul. cap. 15. vtrobique multis, diligenter relati à Reuerendiss. Barbosa Episcopo Ugentin. ibi n. 5. hic n. 24. & de Potest. Episcop. 3. par. alleg. 101. n. 23. & de iure Eccles. lib. 1. c. 42. n. 121. & in Summa decis. Apost. collect. 31. n. 12.* (*vbi sic declarasse Sacram Congregationem Concilij*) dixerat prius *Bartol. in lege final. §. quotiens 3 ff. de public. & vectigal.* arguens de seruis 5 Nouitij ad Nouitios Religionum per eum textum, qui benè congruit, ibi: *Sunt autem veterana quæ anno continuo in Vrbe seruierant, &c. Nouitia autem mancipia intelliguntur quæ annum non dum seruierunt, Nauarr. consil. lib. 3. de Regular. consil. 32. n. 2. Vers. tertio quod, &c. & consil. 34. n. 2. & consil. 41. Vers. tertium quod, &c. Miranda in manual. part. 1. q. 22. artic. 4. & art. 5. per totum Lessius inst. & iur. lib. 2. c. 41. dub. 7. n. 59. Suarez latè ad partes dicto tom. 4. lib. 5. c. 15. à n. 1.* & manu plenissima pro more *R. P. Diana resolut. moral. tom 5. tract. 5. de paruitate materiæ resol. 19. multis per* Bordon. *de Profess. c. 4. q. 11. vers. Nouitiatus, &c. Nauar. in Summa Bullarum de Nouitiis recipien n. 3. & 4. & in Lucerna Regular verbo annus n. 6. vtrobique testans sic* Sacram *Congregationem determinasse, Marsil. in remission. ad Concil. dicto cap. 15. R. P. Lezana in Summa regular. tom. 3. verbo professio n. 10. & tom. 1. c. 2. n. 11.* Ciarlin. *contr. lib. 1. c. 108. n. 14. Vecch. in prax. Nouitiorum, disp. 11. dub. 3 n. 1 testans etiã de S. Congregationis declaratione septima Nouemb. 1597. Rota decis. 175. n. 2. par. 1. Recentior. vbi de dicta declaratione, & alij infra citandi.*

6 Qui omnes rationem reddunt quod vbi fit mentio de tempore, lege, vel statuto, semper de continuo intelligendum est, *leg Genero 8. ff. de his qui not. infam. leg 3. cum glos. penult. leg. naturaliter 5. leg. nunquam la secunda in ord. 31. §. 1. ff. de vsucap. Bartol. vbi supra, L. eq. vbi supra n. 3. & ibi* Mandos. *littera E*, Amaya *ex glos.* Menoch. *Donell. Vsual. obseruat. lib. 1, c. 10. n. 5. Albert. Brun. in tract. de permanent. & perseuerant. n. 4. habetur tractat. comm. tom 17 fol. 395. Anton. Bard. de tempor. vtili, & continuo, c. 3. n. 9. ibid. tom. 5. fol. 210. col. 4. Fenuti in tractat. de moment. tempor. c. 30. n. 10. relati à Vecch. vbi supra n. 2. Pelizzar. in manuali Regular. tract. 2. c. 1. n. 10. Vela discept. Hispalen. 18. n. 3. lib. 1. de Peyrin. tract. 2. de Prelato q. 3. c. 1. § 4 n. 100. Bordon. controuer. Regul. tom. 2. resol. 99. n. 28. & resol. 54. n. 188. vbi magna congeries iurium, & auctorum, Bartol. à S Fausto Thesaur.* Religios. *lib. 5. q. 163. n. 5.* Remig. *Scrof solut. quæst. moral. q. 31. n. 2. Villalob. in* Summa *tom. 2. tractat. 35. difficul. 5. num. 7. qui testatur de S. Congregationis declaratione, Tambur. de iure Abbatiss tom. 1. di p 6. q. 7. n. 10. & 11. & plurimi per moder. Iesuitam* Regim. *Christiana* Reipublica, *tom. 2. lib. 11. disp. 24.* qui omnes, & alij referendi exornant etiam supra traditam conclusionem §. antecedenti.

7 Et omnes quidem magna concordia firmatas supra conclusiones amplectuntur, & interrumpi dictam continuationem si Nouitius habitu dimisso, & animo deserendi Religionem extra Claustra se conferat *citati à Vecch. supra Peyrin n. 10. Pertell. verbo Nouitia n. 49. Tamburin. n. 17. Borden. dicta resol. 54. n. 191.* Reuerendiss. *Vgentin. dicto c. 15. n. 32.* & ante eos *Suarez de relig. tom. 3. lib. 5. c. 15. n. 6.* quem sequitur *Sanch. ad præc. de. alog. lib. 5. c. 4. n. 52. & alij inferius.* Vtrum vero sufficiat quælibet interruptio Physica, & realis; An vero moralis, & cuius temporis necessaria sit magna discordia est.

Nam quod tempora coniungantur egresso Monaste- 8
rium, & regresso tenuerunt ex antiquioribus *Glos. final. in cap eum qui certus de reg iur. in 6. Speculat. ad tit. de statu Monach. n. 43. & ibi Adden. littera G, & qui tot refert, & Anchar.* Alex. *consil. 54. n. 2. lib. 4. Bard. vbi supra n. 9. vers. in prædicto. &c.* Roman. *dicta leg. final. §. quotiens n. 2.*

Ex recentioribus, paucorum dierum interpolationem 9
non impedire istam temporum coniunctionem, seu non interrumpere moraliter tenuerunt *Less. de inst. & iur. dicto lib. 2. c. 41. dub. 7. n. 5. vers. 2. hunc annum in fine,* & ante eum dixerat *Franch dicto cap. 1. de Regular. in 6. n. 3.* paulò post medium, *vers. satis tamen videtur,* qui pro contraria dicat *Lapum, & Nauar. dicto consil. 32. vers. 4, quod*, vbi etiam si per solos tres dies foris maneret interrumpi Nouitiatum, quasi sentiat minorem interruptionem non sufficere ipse alios pro se citat, & alios *Diana dicta resol. 19.* Reuerendiss. *Ugentin. de Potestate Episcop. dicta alleg. 101. n. 15. & de iure Eccles. dicto lib. 1. c. 42. n. 124. & dicta sess. 25. c. 15. n. 7. vers. contra Lessius, & Pellizarius dicto tract. 2. c 1. n. 10. & Bordon. dicta q. 11. dicta resol. 54. n. 202.* qui extendit ad spatium quinque dierum, & amplius pro quo nullum habet auctorem; & Nauar. ab eo citatus, vbi supra qui loquitur de tribus diebus, fortè hoc non dixit, nisi arguatur à contrario sensu, (quod non recipitur in doctrinis auctorum *Rota decis. 135. in fine par. 8* Recent.) dicit enim interrumpere exeuntem etiam si per solos tres dies maneret, *Remig. Scrof supra q. 31.* sensit per spatium vnius noctis, vel vnius diei, quorum placita vltra adducta per eos possent forsan probari *ex leg. Paulus 38. §. Gaius, ff. de liber. causa,* quem Roman. *supra num. 3.* dicit nescire quod sit alibi.

Contrariam tamen sententiam tenuerunt *Bartol. in di-* 10
cto §. quotiens n. 2. Angel. & Alberic. ibidem Abbat. & Anchar. vbi supra, dum comparant istam, interruptioni præscriptionis, melius *Lapus,* vt videmus eleganter *Suarez dicto c. 5. n. 6.* per hæc verba, *Mihi autem videtur magis esse considerandam grauitatem actionis per quam interrumpitur probatio Nouitiatus, quam temporis diuturnitatem, quia aliàs nil certum de hac interruptione eiusque sufficientia dici poterit, sed relinquendum erit cuiuscumque arbitrio, alicui enim videbitur parua mora trium, vel quatuor dierum. alij vero magna, quo circa censeo, si quis dimisso Religionis habitu egressus est, eo ipso interrumpi annum probationis etiam si paulò post intra diem pœniteat, quia eo ipso amisit, statum quem habebat, & indiget noua receptione, & admissione, vt possit iterum Nouitius esse, &c. vnde quod Nauar. ait annum interrumpi per exitum trium, vel quatuor dierum, à Monasteriis sine licentia Superioris si intelligatur de exitu totali, idest animo non redeundi & dimisso habitu non solum verum est, sed etiam sine limitatione temporis fuisse asserendum, quia actus ipse per se sufficit, & moraliter interrumpit perseuerantiam, & constantiam propter, quam continuitas in probatione postulatur,* huc vsque *Suarez idem n. 7. in medio vers. per dimissionem,* sequitur *Sanchez in præced decalog tom. 2. lib 5. c. 4. n. 52,* qui postquam de continuatione, & interruptione multis ad saturitatem congestis late dilleruit à n. 30. & quamlibet interruptionem sufficere *ex ipso Nauar.* probauit *consil 33.* prosequitur, *Præterea quia tempus petitum ad aliquem actum censetur peti tanquam forma, vt probat textus in authen. quæ supplicatio, C. de præced. Imperat. deferen iuncta Glos in verbo forma, &c.* At omissio formæ in mini- 11
mo vitiat actum, *vt probat* Tiraquell *de indic. in rebus exig. n. 12.* idem Sanchez *supra*, & quando tempus est, *datum pro forma, nec addi, nec detrahi potest, nec minimum, quid, vt per* Scribentes *in leg. 1. ff. de liber. & posthum. Tiraq. de vtroque retract. par. 1. §. 1. glos. 21. n. 11. Fanuti supra c. 32.*

 n. 21:

n.21.c.33. n.9.facit vulgaris regula, quod si forma deficiat
in minimo actus corruit leg. cum hi 6.§.si prætor.ff. de tran-
sact. cum vulg. per relatò Axiomat. 157. litera F, iisdem
rationibus, & multis citatis Bartol. à S. Fausto dicto lib.1.
q.164.n.2. Tambur. dicta q.7. n.11. Ciarlin. dicto c. 108.
n.20.

12 Cum ergo ad Professionis valorem petat S.Conc.Trid.
annum continuum, quantumuis modicus continuatio-
nis defectus eam irritam reddet, sicut etiam quantum-
uis modicus illius anni temporis defectus sufficeret ad pro-
fessionem cassandam, ita Sanch. argumentatur vbi supra,
dicto n.32. Vers. cũ quum, & Elig. Basam in suo tract. Flores
totius Theol. Verbo Religio 3.n.5.vers. pro resol. Nam cer-
13 tum est tempus illud numerari de momento ad momen-
tum, vt fere per omnes supra citatos, & cum multis aliis
Reuerendiss. Vgenian. d.c 42.n.139. vbi adducit declara-
tionem Eminentissimorum D.D. Cardinalium 21. Ianua-
rij 1617. latius n.118 & d.sess.25.c.15.n.20 & 21. Vbi
de aliis declarationibus plenissimè d. allegat. 101. n. 22.
vers Verum, &c. exornans ait, se in illa tertia impressione
re maturius examinata discedere à contraria opinione, quam
tenuerat iuribus, & rationibus ibi videndis.

Quam opinionem, de modica inquam interruptione,
sequuti sunt multi alij à supra citatis adducti, & à Peyri-
no dicto tract. 2. de Prælato q.3 c.1.§.4. n.100. fol. 406.
Vbi de reuerso post tres horas, Castr. Palao in oper. moral.
par.3. tract.16. disp.1.§.2. n.7. quia illa est vera, & pro-
pria interruptio status qua cessat status assumptus, è contra
vero cessat status probationis si habitum dimittas animo re-
linquendi viam captam, seu fugiendi obedientiæ iugum, si-
quidem Nouitiatus consistit in assumptione habitus animo
Religiosam vitam experiendi sic Palaus supra, & alij ci-
tati à modern. Iesuita dicta disp.24. Miranda in manuali
tom.1. q 22. art 3.concl. vnica, vers. quidam dicunt ex
Bulla Iulij II. deducit per solam habitus dimissionem ani-
14 mo deteren. Religioné Nouitiatum interrumpi Villalob.
in Summa tom.2. tract.35. diffic.15. n.7. qui loquitur de
interruptione Physica dum adducit Aristotelem, quod sex
non sunt bis tria, sed semel sex, & in puncto dixit Abbas
dicto cap. ad Apostolicam n. 9. quod 50. & 50. non faciunt
15 100. Adducit etiã Villalobos sicut, & multi ex citatis com-
parationem præscriptionis in qua semel data interruptio-
ne tempora non coniunguntur; ita in proposito nostro An-
charan. in dicto c.1. de vita, & honest. Cleric. lib.6 n.1. ad
fin. vers. sentit enim, Corn. consil.147. viso n.23. lib.2. Po-
tr. Barbosa ad leg. cum notissimum 7. §. summo n.29. C. de
præscript. 30. vel 40. ann. quia interruptio totum tempus
præteritum extinguit Bald. in dicta leg. 7. n. 7. Barbos.
n.7. & 9.

16 Accedit quod possessio per momentum temporis per-
ditur, vt de capto ab hostibus, ad leg. cum heredes, §. 1.
ff. de acquirend. possess. etiam si per momentum captus ex-
titisset Castr. in leg. si is, qui pro emptore 25 n.7. ff. de vsu-
cap. Menoch. de recup. remed. 14.n.84. Fenuti supra c.32.
n.13. argumento tex. in leg. 2. & 3.C. de posth. hered instit.
& possessionem semel amissam non continuari cum pos-
17 sessione de nouo acquisita, Bard. supra n. 13. ex Bartol.
& aliis. Et multo magis si vna est iniusta Ferreti. consil.1.
in causa possessoria. n.8. lib.1. vt in præsenti, quia secun-
18 dus ingressus, fuit violentus. Nec posse duas possessiones
diuersæ speciei coniungi argumento text. in leg. vnica. C.
qui num. tutel. leg. Spadonum 15. qui inra 11 ff de accu-
sat. tutor, leg.1. §. fin. ff. de vacat. num. & cum ista conti-
nuatio ab animo pendeat Nouitij eo ipso quod egredien-
do animum mutauit interrumpitur, & mutasse animum
eo ipso planum est, quod aufugerit vtrumque probatur
ex legem naturalem 5. §. pauonum. vers. ceruos, ff. de acq.
rer. domin. §. pauonum 15. instit. de rer. diuis. Donell. lib.4.
comment c.13. Berbelsen dicto §.15.

Ex quibus apparet communiorem videri opinionem
Lapi, Suarez, & sequacium: nec obstat dicta leg.
Paulus 38. § Caius quam expendit Sanchez supra
numer. 30. post Romanum vbi supra, nec text. in leg.
quod dicitur 38.§. miles, ff. de milit. testament. nec
leg. vnica, ff. de bonorum possess. ex testam. milit. aut leg.
necnon 28 §. si quis sapius, ff. ex quibus caus. maior. quos
adducit Alberic. vbi supra. Nam ipsi respondent ibi fa-
uore libertatis, militis, & absentis Reipublicæ causa fuit
responsum: nos sumus in materia odiosa, vt dixit Rota
dicta decis.175. n. fin. par.1. recentior. quia contra fauo-
rem, & Nouitij, & Religionis esset, male probatum ad 19
Religionem admittere, intentio namque finalis consti-
tuendi animum probationis fuit occurrere apostasiæ; in
quam facilè dilabuntur hi qui minus consulto Religio-
nem profitentur d.c. ad Apostolicam, d. c.2. & per hac iura
Rota penes Seraph. decis.121. n.2. Vecch. vbi supra dub.2.
n.6. & faciunt verba S. Basilij supra relata.

Sed esto in difficili quæstionis resolutio sit, ex quo suum
sensum aperire noluit R. P. Diana vbi supra contentus
hinc inde auctores referre, extra istam aleam Ventura
Muxica est, quia omnes supradicti auctores vtrinque ad-
ducti excepto Lapo, & Ciarlin. loquuntur quando dese- 20
rens Religionem, Monasterium pœnitentia ductus regre-
ditur, non vero quando coactus, & vi reductus, vel po-
tius raptatus, vt Ventura, quo casu nulli venit in mentem
tempora coniungi immo Bord. in suo casu, ait necessa-
riam esse nouam intentionem, & in regresso, & in mona-
sterio.

Quæ omnia eo magis procedunt cum non solum fue-
rit violenter retractus Ventura, sed metu compulsus ad
professionem, quo casu nullam esse latissime probauit.
Rota multis iuribus, & auctoribus decis.775.n.5.& per tot. 21
par.1. recent. Grauan. discept.27. & in Vlixbonen. nullita-
tis professionis 29. Ianuarij 1646. n.3. & seq. bis extensa
sub n.36. confirmata 10. Decemb. eiusdem anni §. ex qui-
bus satis, & §. seq. coram me. Et in præsenti metum ad- 22
fuisse cadentem in constantem virum satis probatur, omis-
so quod multi dicunt, sufficere reuerentialem etiam sine
minis propter summam libertatem ad actum istum requi-
sitam tenuit Sasaus supra verbo metus n.3. cum multis ibi
citatis, Ciarlin. multis aliis iuribus, & Doctoribus dicto
c. 108. qui late prosequitur, & appositissime ad nostrum
casum, & quoad qualitatem metum passi, & quoad pro-
bationem, & etiam ad coniecturas ex fuga ex lacrymis, &
protestationibus ante & post professionem, ita vt dolor
appareat casus noster legendus à n. 27. & ante eos Na-
uar. & glossa, & aliis ad Tit. de his qui vi, lib.1. consi 10.
num. 4. & de conuers. coniug. lib.3. consil.3. num. 4. & in
manuali c. 32. n. 51. & de metu reuerentiali Prælati cum
minis Vecch. supra disput.3. dub.12. n.19. & reuerentiali
cum mala tractatione, Bordon. supra resol. 38. n.87. vers.
mala autem, & de metu reuerentiali Abbatissæ, Rodriq.
q. regul tom.3. q.17. art.18. & reuerentiali Pedagogi iam
officio functi in puero 15. annorum satis notanter Reueren-
diss. Vgentin. cumulatissimè pro more lib.1. vot.1. à n.41. ad
48. vbi per sci in casu fortiori matrimonij carnalis, nam
in spirituali minorem iusto metum sufficere docuit R. P. 23
Diana par.3. tract.2. de dubiis regul. resol. 92. ex decla-
ratione S. Congregationis, & Rota multis congestis vt so-
let. Pont. de matr. lib 4. c.11. n. 15. & 16. qui meminit.
Rota decisionem alij per Sperell. decis.79. n.28. referendo
S. Congregationem, & Rotam, & etiam per Ciarlin.
dicto cap.108. n. 33. late disputat Cabrer. de metu ex S.
Congregatione, & Rota, & multis aliis lib.2. c.10. n.49.
viden. à n. 43. vbi post longam enumerationem contra-
riorum n. 50. respondet ad cap. final. qui Cleric. vel vo-
uentes n. 52. distinguendo inter matrimonium carnale &
spirituale.

Sed quia multi contrarium defendunt de quibus San-
chez, & plurimi relati ab Ognate de contract. tom.1. disp. 3.
sect.14. n.247. & à Sperell. dicta decis.79. à n. 60. Re-
uerendiss Vgentin. Voto 17. n 128. lib.2. Venturæ tot me-
tus imagines, tot minæ, tot malæ tractationes fuerunt
incussæ, vt non puerum 16. annorum in quo maior me-
tus insilit Vgentin. dicto Vot.1. n.22. lib.1. dicto voto 17. 24
n.103. lib.2. & latè ab Ognate supra num. 212. Ciarlin.
dicto cap. 108. n. 31. vbi de puero 16. annorum, vt erat
Ventura Bordon. dicta resol. 38.n.87. vers. mensurandam.

Eligitur

Eligius Baſeus, vbi ſupra dicto Verbo metus n. 3. Vecch. num. etiam 3. Sperell. n. 6. ſed virum conſtantiſſimum poſſent mouere.

Et ſaltim ſi per ſe ſingola non fuiſſent vt ſunt ſofficientiſſima ſofficarent ſimul ionc̃ta *Sperell. dec.5. n 67.& d. dec.79. n.80. & de metu leui cum interruptione nouitiatus conſiderauit Rota deciſ. 175. numer. 5. par. 2. recentior.*

Et ita, &c.

De interruptione Nouitiatus plura dico ſub cap.8. quod totum eſt de hac materia. De Profeſſione vero ex metu facta dixi ſub c.19. per totum.

DECISIO XLIV.

Meleuitana coram Roias 10. Decembris 1649. extenſa apud Lezanam conſolt. quinto ſob nu.68. qui cauſam egit contra Marchionem Petrum Corſinum, quod defectus Cinguli profeſſionem non irritat in Religione Melitenſi.

1 *In omnibus licentiis Nouitiorum recedentium à conuentu exprimitur conditio repetendi Nouitiatum.*
2 *Verbum,* peragere *denotat perfectionem, & complementum.*
3 *Receſſus à conuentu cum licentia ſuperioris non obligat ad renouitiandum.*
4 *Nouitiatu finito commorantis extra admittitur ad profeſſionem.*
5 *Per hunc receſſum non interrumpitur Nouitiatus.*
6 *Cinguli militaris defectus non annullat profeſſionem.*
7 *Verba præceptiua non annullant profeſſionem, ſi contra ea fiat.*
8 *Profeſſio puellæ ſine præmiſſo examine Epiſcopo valet.*
9 *Cingulum diſtinguit gradus Equitum, & non facit pro profeſſione.*
10 *Triplex differentia Equitum, Capellanorum, & Seruientium.*
11 *Decretum irritans inficit profeſſionem factam in alio gradu diuerſo ab illis tribus.*
12 *Defectus probationis legitimæ ſuper natalibus, & nobilitate non inficit profeſſionem.*
13 *Dum agitur de nullitate actus, ſtrictiſſima interpretatio eſt facienda.*
14 *Decretum irritans non egreditur terminos caſus egreſſi.*
15 *Profeſſio extra conuentum fit ad formam Pontificalis Roman. in quo nulla fit mentio Cinguli.*
16 *In ſolemnitatibus attenditur diſpoſitio conſtitutionis illius loci, in quo actus celebratur.*

OB defectum integri anni Nouitiatus requiſiti à Sacro Concilio Tridens. ſeſſ.25. cap. 15. de regul. & per Statutum Religionis Hieroſolymitanæ c. 28. ſub tit. de recept. fratr. ac ob omiſſionem ornatus Cinguli Militaris contra diſpoſitionem dicti Statuti ſob c.1. eod. tit. diu controuerſa profeſſione D. Petri Corſini coram Eminentiſſimis DD. Ginetto, Cæſio, & Vidman; placuit Sanctiſſimo committere, vt ipſi procederent de voto Rotæ, & hodie diſcuſſa cauſa profeſſionem eſſe validam DD. reſponderunt.

Nam defectus, integri anni Nouitiatus ex facto tollitur, dum certum eſt profitentem permanſiſſe ante profeſſionem non ſolum ſpatio vnius anni iuxta diſpoſita per Sacrum Concilium Tridentinum, & Statutum prædictum, ſed ſpatio 21. menſium, ex quo admiſſus fuit in Conuentu 6. Februarij 1637. à quo ſolum diſceſſit 4. Nouembris 1638. Et licèt dicatur à Petro, quod poſt dictum tempus diſceſſerit è Conuentu non emiſſa profeſſione cum licentia Magni Magiſtri habente conditionem redeundi infra terminum duorum annorum ad Nouitiatus annum peragendum, & cum tempus probationis fuerit prorogatum, debebat ante profeſſionem nouum an-
num perficere; Nihil obſtat, dum prædicta conditio in 1
omnibus licentiis apponi ſolita non importet obligatio-
nem peragendi nouum annum, ſed ſolùm illum perfi-
ciendi, quatenus non eſſet completus, cum hoc denotet
verbum peragere, quod ſignificat perfectionem, & com-
plementum anni ſuſcepti, non autem reiterationem, vt
notat *gloſ. in l. qui procuratorem ſub verb. peragere, & ibi* 2
Angel. & Caſtr. ff. de procurat. & probat *text. in l. non*
diſtinguimus §. Item ſi quis Romæ ff. de recept. arbitr. l. fi-
lius §. multò magis de inoffic. teſtam. Rebuff in l. 3. verb.
peragendum ff. de verb. ſignif. Stante perfectione anni
Nouitiatus, & vitra valide poterat profeſſionem emitte- 3
re, maximè quia receſſus à Conuentu etiam ſine licen-
tia Superioris, non tamen animo dimittendi habitum,
non obligat ad reiterandum annum nouitiatus, vt firmant
Silueſt. in verb. Religio 5.q.4. Roderig. quæſt. regul.15. ar-
tic.10. ad fin. Sanchez ad decalog. lib. 5. c. 4. n.34. Sed
admittitur ad profeſſionem qui peracto Nouitiatus anno 4
extra Conuentum commoratus fuit, niſi aliud obſtet, vt
cenſuit Sacra Congregatio Concilij relata per *Barb. de*
iur. Eccleſ lib.1. c.41. n. 129. & collect. deciſ. coll. 525.
n. 8. & collect. 522. n.4. Imo nec minus per huiuſmodi
receſſum annus interrumpitur, vt admittit *Suarez de Re-*
ligion. tom.3. lib.5 c.16. n.6. ad fin. Dian. par.3. tract.2. re- 5
ſol.84. ad fin. & part.5. tractat.5. reſol. 19 circa fin. verſ.
ſi vero. Bordon. de profeſſ. regul. c.14. q. 13. ſub verſ. Gal-
uanus, & q.19. Hocque comprobatur ex fide Equitum at-
teſtantium huiuſmodi licentias cum hac conditione ſoli-
tas eſſe expediri tam pro Nouitiis, qui impleuerant an-
num Nouitiatus, quàm pro illis, qui eum non perfecerant,
ſed illa conditio arctat ſolùm eos ad Nouitiatus annum
perficiendum, qui eum non compleuerunt, non autem
alios, qui illum iam perfecerunt; Idcirco non obligat in
caſu propoſito, dum prædictus annus perfectus re-
manſit.

Defectus verò Cinguli Militaris, quem prætendebant 6
eſſe neceſſariũ in actu profeſſionis emittendæ nullo modo
illius omiſſio reddere poteſt inualidam ipſam profeſſio-
nem ex duplici ratione. Primò quia dictus Cingulus non
eſt de ſubſtantia profeſſionis quæ conſiſtit ſolùm in obli-
gatione directa Deo per emiſſionem trium votorum, non
autem in habitu, vel aliis actibus extrinſecis *c. porrectum*
de regul. vbi Abb. n.13. Suarez de relig. tom. 3. lib 6 c.12.
n.24. Caſtropal. oper. moral. par. 3. tit de ſuſcep. relig.
ſtat. diſp.2. punct.1. n.1. in fin. & punct.6. n.9. cum aliis
relatis per Rotam deciſ. 216. num. 3. par. 2. diuerſ. & in
Vlixbonenſ. nullitatis profeſſionis 29. Ianuarij 1646.
coram R. P. D. meo Arguelles, hic extenſa ſub nu-
mer.36.

Nec refert, quod ſtatutum in *dicto c.1. de recept fratr.*
diſponat, quod Eques ante receptionem habitus, & emiſ-
ſionem profeſſionis neceſſe eſt, vt decoratus ſit Cingulo
militari, vnde dicta ſolemnitas ornatus vti de neceſſario
requiſita omitti non poterat abſque vitio nullitatis, atten-
to præſertim decreto irritanti appoſito in *ordinatione 2.*
de recept. fratr. Tum quia d. verba vti præceptiua non 7
ſufficiunt pro nullitate profeſſionis *Abb. in cap. quia in*
Inſulis num.4. & capit. porrectum n. 13. de regul. Azor.
inſtit. moral. par.1. lib.12. cap.5. q.7. in fin. Sanchez in
decalog lib.5. c.3. n.4. Suarez de legibus lib.5. c. 29. n.7.
Mirand. in manual. Prælat. q. 24. concl.2. n. 2. cum aliis
per Modernum de profeſſ. c.2. q.49. & hanc ſententiam
amplexa fuit Sac. Congregatio Concilij Tridentini, vt
refert *Peyrin. de prælato reg. q.3 c.1. §.6. c.178. tom.2. Bar-*
boſ. de poteſt. Epiſc par.3. alleg.101. n. 105 & in collect.
ad Concil. dicta ſeſſ.25. c.15. n.12. & ſeq. vt in ſimili dicitur
de Coniugibus abſque licentia Epiſcopi profitentibus
contra diſpoſitionem *cap ſi vir. & vxor 27. q.1.* Vbi pro-
hibetur huiuſmodi profeſſio ſine licentia, & tamen abſ-
que illa facta valet, vt refert *Sanchez de matrim. lib. 7.*
diſp.32. n. 3. verſ. quantum ad primum, & de Nouitia
profeſſionem emittente non præcedente examine ſuæ
voluntatis contra formam traditam à Sacro Concilio Tri-
dentino ſeſſ.25. cap.17. de regul. & tamen dicta profeſſio

eſt

est valida, vt aduertit *Menoch. cons. 396. num. 22. Sanch. in decal. lib. 5. c. 4. n. 84. Pellizzar. de monial. c. 3. sess. 1. num. 3.*

9 Tum quia dicta solemnitas Cinguli, vt Domini ponderarunt, inducta duntaxat fuit ad distinctionem graduum militum, non autem pro validitate professionis, dum in *cap. 1. dicti statuti de recept. fratr.* Vbi inbuitur certa forma in professione facienda à Militibus nunquam legitur, quod profitens debeat esse Cingulo militari decoratus, vel decorandus, in secundo vero capite ordinatu solummodò ad distinctionem graduum militum dicitur, quod solum Eques Iustitiæ decoratus sit dicto Cingulo, quem non requirit in aliis Equitibus Sacerdotibus, & seruientibus; Vnde infertur, quod dictus Cingulus requisitus solùm ad distinguendos milites, vt apparet ex lectura tam rubricæ dicti cap. ibi, *della diuisione de gradi de fratelli del nostro Ordine*, ex hac enim colligitur quænam fuit mens disponentis, & causa dispositionis, vt firmant *Roman. cons. 16. n. 4. Curt. iun. consil. 107. n. 1. Hondod. consil. 14. n. 13 lib. 1. Mascard. de gener. statut. interpr. conc. 1. n. 192 & dixit. Rota coram me in Fauen. nullita-*
10 *tis apoca 13. Martij 1649 §. Prima enim.* Quam ex verbis dicti cap. ibi, *Triplice è la differanza de nostri Fratelli, percio che altri sono Sacerdoti, altri Seruienti, & altri Caualiers, Hora chi trouandosi idoneo domandar à d'esser riceuuto in grado di Caualiero, prima che pigli l'habito è necessario, che sia ornato del Cingolo d'ella militia, poro li Cappellani, ò Seruenti non è necessario ornarli di tali Insegne militari.* Ideirco dici debet, quod ornatus Cinguli necessarius non est pro validitate professionis faciendæ, sed solum ad distinctionem militum, maximè quia de illo nulla prorsus fit mentio in dicto primo cap. quod dat certam formam profitendi: Ideo non potest ex illius omissione induci nullitas professionis, vt dicitur de profitente absque habitu Religionis, cuius omissio non inualidat professionem, cum non habitus, sed professio faciat Monachum *ad text. in d. cap. porrectum de regular.*

11 Itaque non afficit decretum irritans appositum in *ordinat. prima de recept. fratr.* Vbi cum decreto irritanti prohibetur, ne aliquis ad habitum admittatur, nisi in tribus distinctis gradibus recensitis *in dicto cap. 1.* ac factis, & exhibitis probationibus Nobilitatis, & legitimitatis; Quia dictum decretum respicit solum casum admissionis in alio, quam in tribus gradibus relatis, & non facta le-
12 gitima, & valida probatione Nobilitatis, & legitimitatis de quibus dumtaxat in illo fit mentio, ideo dictum de-
13 cretum non est extendendum ad omissionem Cinguli, sed solum ad casum expressum, cum agatur de annullatione actus, in qua strictissima fieri debet interpretatio *l. sancimus C. de testam. Duran. decis. 48. n. 14. Seraphin. de-*
14 *cis. 957. num. 10.* præsertim quia decretum irritans non egreditur terminos casus expressi, sed regulatur secundum naturam dispositionis, cui adijcitur *Put. decis. 301. num. 2. lib. 1. Mantica decis. 359. sub num. 4. Constul. decis. 19. n. 12. Duran. dicta decis. 48. n. 22. & decis. 632. num 45. part. 3. diuers.* ac firmatum fuit *in Tarraconen. Parochiales 10. Nouemb. 1634. coram Eminentissimo Panzirolo §. quibus non obstat, in Hispalen. matrimonij 22. Iunij 1644. coram R. P. D. meo Corrado, §. Quoniam ille,* ac *in Monasterio Canonicatus 10. Iunij 1648. coram Reuerendissimo D. Terracinen. §. non obstat*; Idque comprobatur ex fide Episcopi Meliten. & Prioris Ecclesiæ, ac ex depositionibus Testium attestantium, professos omissa etiam dicta solemnitate ornatus Cinguli pro veris Religiosis habitos fuisse, & haberi.

Secundo quia quamuis omissio prædictæ solemnitatis irritaret professionem factam, quod tamen ex deductis expressè refellitur, nihilominus prædicta locum sibi vendicant solummodò in solitis professionibus faciendis in Conuentu, non autem in hac professione in Vrbe emissa
15 coram Eminentissimo Cardinale Antonio Barberino Delegato Apostolico, in qua satis fuit pro eius validitate obseruare formam præscriptam in Pontificali Romano confirmato per Clementem Octauum de anno 1596. in quo sub *tit. de creat. milit. regul.* Non requiritur dicta solemnitas in actu professionis, quod comprobauit subsequuta obseruantia, vt testantur Magistri Ceremoniarum. Qua- 16
propter quamuis non interuenerit dicta solemnitas Cinguli, illa tamen necessaria non erat ex recepta conclusione, quod in solemnitatibus attendenda est dispositio Constitutionis illius loci, vbi actus celebratur *Anchar. in repet. c. 1. de constit. q. 12. in princ. Mascard. de gener. statut. interp. concl. 7. numer. 41. vers. sexto quia solemnitas.*

Et ita vtraque &c.

De materia Cinguli in hac causa plura notaui sub c. 18. à n. 156. & ad 136.

DECISIO XLV.

Meleuitana 13. Ianuarij 1653. coram Tarraconensi In eadem causa ad fauorem Marchionis Petri Corsini, cuius professio probatur nulla, cum fuerit emissa per vim, & metum, & non præmisso legitimo nouitiatu, & etiam intuitu Breuis subreptitie obtenti. Extenditur à Diana par. 10. Decis. eius 14.

1 *Metus probatio ex quibusnam resultet.*
2 *Bonum nullum nisi voluntarium.*
3 *Dictum incutientis metum bene probat.*
4 *Metu probato eius causa censetur probata.*
5 *Metus est mentis trepidatio mali præsentis, vel futuri.*
6 *Suspicio timoris sola inducit metum, & liberum consensum tollit.*
7 *Reuerentialis metus etiam sine minis sufficit ad irritandam professionem.*
8 *Reuerentialis metus cadit in nepotem ex patruo.*
9 *Præsertim ex auctoritate personæ præter seueritatem.*
10 *Indignatio perpetuo comminata induci grauem metum.*
11 *Persuasiones, & instantia importunæ sufficiant.*
12 *Etiam sine minis.*
13 *Actus meticulosi præsumuntur facti, dum causa durat.*
14 *Magis credendum est pluribus testibus deponentibus de metu, quam mille super spontanea voluntate.*
15 *Procrastinatio ad profitendum potius metum geminat, quam extenuat.*
16 *Nouitiatus non legitimus vitiat professionem.*
17 *Breue subreptitium irritat professionem.*
18 *Expressio falsa circa ea, quæ gratiam potest reddere difficiliorem, irritat actum*
19 *Breue subreptitium nullum ius tribuit executori.*
20 *Ratificari non potest, quod iure ab initio non subsistit.*
21 *Nouitiatus defectus vitiat expressam professionem, à fortiori tacitam.*
22 *Ratificatio vt valeat debet fieri à sciente nullitatem suæ professionis, & animo ratificandi debent actus fieri.*
23 *Consensus monasterij requiritur in ratificatione.*
24 *Expressus dissensus facit cessare tacitum consensum.*
25 *Procurator sine mandato non potest præiudicare.*
26 *In dubio versante circa consensum professio censenda est nulla.*

QVamuis Rota sub die 10. Decembris 1649. existimauerit Professionem emissam per Marchionem Petrum Corsinum in Religione Hierusolymitana validam fuisse non obstante defectu integri anni nouitiatus, ac omissione ornatus cinguli militaris ex quibus solummodo inualiditatem prædictæ professionis resultare prætendebatur ex adductis in ipsa decisione. Attamen re proposita super eadem pluries causa vtraque parte acerrimè informante ob vanas probationes per prædictum Petrum postea factas ab huiusmodi resolutione hodie. Nam ex prædictis

dictis probationibus clarè elicitur huiusmodi professio-
nem fuisse per vim, & metum extortam, dum Testes exa-
minati optimè concludunt, quod dictus Petrus toto tem-
pore, quo in conuentu commoratus fuit ad effectum an-
num probationis peragendi semper publicè, & palam di-
xit, & declarauit in prædicto Conuentu duntaxat com-
morari ad hoc vt bon. me. Corsino eius Patruo ita man-
danti satisfaceret, & obtemperaret, non autem ad effe-
ctum suscipiendi habitum regularem, ac professionem in
Religione emittendi. Hocque actibus positiuis compro-
bauit, dum bis è Conuentu nulla emissa professione dis-
cessit omnibus propalando se nolle esse Religiosum, &
hac de causa omnia mobilia quæ ad proprium vsum ibi-
dem detinebat, vendidit, protestando se nunquam ad
Conuentum rediturum ex auersione quam erga Religio-
nem habebat, quinimo ad professionem ipsam non spon-
te deuenit, sed coactè, & cum lacrimis, attento quod eius
Patruus ita iussit, & voluit, vt deponunt prædicti Testea
examinati eius *Summ. num. 3. & seqq.* Qui vlterius di-
cunt, quod post professionem dictus Petrus in eodem
animo permansit dum omnibus publicè propalauit hu-
iusmodi professionem fuisse per vim, & metum ab ipso
extortam, itavt nullo modo sustineri possit, cum ipse nun-
quam habuerit animum emittendi professionem, & ob
id gratias Deo reddidit audito, quod Religio eius Pro-
fessionem acceptare noluit. Ex his enim cum appareat
Petrum tam anteac in ipso actu, quam post Professionem
habuisse auersionem à Religione, vt desumitur ex su-
pradictis facti circumstantiis, ex quibus resultare cla-
1 ram metus probationem aduertit *Rota decis. 779. per tot.*
par. 3. recent. & in Messanen. nullitatis Professionis 23.
Martij, & 20. Nouembris 1642. coram R. P. D. meo
Peutinger. dicendum est professionem non sponte factam,
2 sed coactè per vim, & metum à Patruo eidem incussum,
nullo modo validam esse, cum nullum bonum sit, nisi vo-
luntarium *per glos. in cap. præsens Clericus 22. quæst. 3.* &
in terminis pluries respondit *Rota coram Gregor. decis.*
326. per tot. de coram R. P. D. meo Peutinger. in dicta
Messanen nullitatis Professionis, & in Vlixbonen pariter
nullitatis Professionis 16. Iunij eodem anno coram Reue-
rendissimo Salamantino, ac 29. Ianuarij, & 10. Decem-
bris 1646. coram bon mem. Arguelles.

Vlterius ponderebant DD. ad comprobandum huius-
modi metum, quod Petrus, qui spatio 33. mensium quo
in Conuentu permansit semper constanter dixerit nolle
professionem emittere. Imo ab illo discesserit deliberato
animo non profitendi, reuersus postea ad Patruum, illi-
co nulla extrinseca compellente causa ad professionem
deuenit. Vnde est prorsus inuerisimile, quod sponte, non
autem coactè hunc actum fecisset, quam inuerisimilitu-
dinem pro metu præsumendo alias admisit *Rota coram*
Gregorio d. decis. 326. numer. 6. vers. & multum in eo
valet argumentum ac decis. 643. numer. 19. in fin. vers. Ad
metus autem probationem par. 1. recent. & decis. 86. n. 16.
& sequen. coram Buratto, & dicta Vlixbonen. nullitatis
Professionis 29. Ianuarij 1646. § decimo addebat vnus ex
Dominis. Et quod adimit omnem difficultatem circa vis,
& metus probationem est epistola conscripta ab eodem
Patruo, vbi huiusmodi coactionem factam Petro fassus
3 fuit, ibi *con questa controuersia si venne à me, la quare io*
accommodai con la promessa fattami d'al Marchese d'ac-
cettar la ratificatione; è con il forzare Fr. Pietro à far la
professione, & infra, *Et Io in conscientia sar ei obligato ad*
aiutarlo come Autore, che contro sua voglia habbia presa
la Croce, è fatta la Professione. Ex quibus verbis clare de-
sumitur professionem fuisse coactiuam, & consensum
metu extortum à Petro; Vnde nefas est dubitari, quin
metus sit sufficienter probatus vt firmant *Menald. cons. 5.*
num. 8. lib. 2. Barbos in suis vot. decisiu. vot. 15. n. 55.
quibus stantibus non videtur discutienda causa ipsius me-
tus, & an fuerit cadens in constantem virum; cum hæc
discussio sit admittenda quando ex facto non resultat
4 metus probatio *Abb. in cap. nonne 5. num. 1. post med.*
vers. non obstat text. & ibi Felin. num. 22. vers. sed intel-
ligitur de præsumpt. cuius dictum sequuntur Marsil. *singul.*
147. n. 2. Menald. *dicto cons. 5. numer. 45. & 46. lib. 2.*
Barbos. vot. 1. num. 40. lib. 1. & metu quia metus nil 5
aliud est, quam mentis trepidatio præsentis, vel futuri
mali *ad text. in l. 5 ff. de eo quod met. caus. & glos. in cap.*
vnico verb. vis eosdem tit. Ex quo sufficit quod de his ad-
sit iusta suspicio, *vt notant Bald. in l. fin. num. 2. C. de iur.*
deliber. cum aliis relatis *per Gregor. decis. 374. num. 17. &*
18. Sola enim timoris suspicio in animo impressa metum 6
inducit, & liberum consensum tollit *Dec. cons. 490. n. 10.*
Bald cons. 165. numer. 6. & Mascard. *de probat. conclus.*
1555. numer. 17. Sanchez de matrimon. lib. 4. disput. 1.
num. 17.

Nec dicatur quod ad inualidandam professionem re- 7
quiritur metus cadens in constantem virum, de quo *glos.*
in cap. si quandoque 15. q. 6. in verb. per metum, & in l.
nec timorem ff. de eo quod met. caus. Nam vltra deducta in
§. præcedenti ad hunc effectum sat est metus reuerentia-
lis, quem Petrus erga Patruum habebat etiam absque
minis propter libertatem ad hunc actum requisitam *ad*
glos. in cap. præsens 20. q. 13. in verb. Patrem in fin. &
firmat Elig Bas. in suo tract. flor. Theolog. *in verb. me-*
tus num. 3. Rodriquez *quæst. regul. tom. 3. q. 17. art. 13.*
Ciarlin. *controu. lib. 1. cap. 108. num. 27. ac de metu re-*
uerentiali Pedagogi iam officio functi in puero 15. anno-
rum tradit Barbos. dicta lib. 1. vot. 1. num. 41. cum seqq.
cum aliis per Rot. *coram* Merlin. *decis. 590. num. 2. &*
3. ac in dicta Vlixbonen. nullitatis Professionis 10. De-
cembris 1646. §. & quicquid sit, ac in dicta Burgen. nul-
litatis Professionis 16. Aprilis 1649. §. quæ omnia coram
bon. mem. Arguelles. Quæ est 43. hic extensa.

Nec hæsitandum est quin in Petro adesset metus re- 8
uerentialis erga Patruum. Tum quia certum est in Ne-
pote semper cadere dictum metum reuerentialem vt fir-
mant *Anchar. cons. 339. num. 1. Cran. cons. 976. num. 16.*
Menoch. *cons. 1. num. 491. Guttier. cons. 16. num. 17. San-*
chez dicto lib. 4. disp. 6. num. 34. Graff. de Except. except.
21. num. 35. Pasc. de iur. patr. potest. par. 3. cap. 2. n. 37.
in fin. cum aliis adductis per Rot. decis. 315. numer. 5.
part. 5. recent. Tum etiam quia de hoc concludenter de-
ponunt Testes examinati qui dicunt prædictum Petrum
fuisse semper obsequentissimum, provt exitus comproba-
uit dum obtemperando duntaxat Patruo professionem
emisit, attenta præsertim qualitate personæ ipsius Patrui, 9
non solum respectu seueræ naturæ sed etiam respectu eius
auctoritatis, & virtutis, quibus si morte præuentus non
fuisset ad maiores honores, & dignitates adscriptus esset,
quæ qualitas personæ iuncta cum metu reuerentiali effi-
caciorem reddere timoris probationem animaduertit *Rota*
coram Gregor. *decis. 374. n. 16 Dec. in cap. quæsitum n. 30.*
de effic. de leg. Abbas in cap. cum virum 12. n. 8. vers. ad
idem de regul.

Vltra quod ex abundanti in præsenti metum adfuisse 10
cadentem in constantem virum satis patet ex eo, quia Pa-
truus Petro comminatus fuit eius perpetuam indignatio-
nem, si professionem non emitteret, vt deponunt Testes,
ibi. *E piu volte minacciò di voler esser obedito altrimente*
facesse pensiero di non hauer mai bene, à di non se gli appar-
tenere cosa alcuna, è sarebbe sempre stato in sua disgratia
&c. Ex quibus minis licet dici nequeat fuisse inductum
metum cadentem in constantem virum, nihilominus hoc
procedit quando comminata indignatio, & miseria non
diu permanenda erat, sed aderat spes futuræ reconcilia-
tionis secus autem est, si minatus verè timeret diuturnam
fore indignationem ac semper se habiturum Patruum
indignatum, provt in casu nostro deponunt Testes, quo
casu consideratur metus cadens in constantem virum, vt
distinguendo explicat *Sanchez dicto lib. 4. disp. 6. n. 14.*
& sequitur Diana resol. moral part. 3. tract. 5. resolut. 20.
vers. sed aliqui Peyr in tract. de matrim. lib. 4. c. 5. n. 6. &
sequent. Vbi conciliantur contrariæ opiniones; Quinimo 11
ad hunc effectum persuasiones, & importunas instantias
cum metu reuerentiali coniunctas prouenientes ab eo quē
reueremur satis esse probant Sanch. *dicto lib. 4. disp. 7. n. 6.*

Cabrer.

Cabrer. de met. lib. 2. c. 10. n. 15. Barbos. lib. 2. vot. 16. n. 30. Couarr. de Sponsal par. 2. c. 3 § 6. in fin. cum aliis per Rot. decis. 105. n. 3. p. 3. recent. Greg. dicta decis. 326. num. 13. & in dicta Vlixbonen. nullitatis professionis 29. Ianuarij 1646. §. 4. concurrunt: Vnde quando supradicta de per se non sufficerent ad probandum metum simul tamen iuncta efficere plenam probationem in terminis firmauit *Rot. in dicta Vlixbonen. 10. Decemb. 1646. sub § ex quibus satis apparet vers. præsertim quia*; prædictis enim concur-
12 rentibus nec minæ desiderantur *Gvtz. de nobil. glos. 17. n. 18. Cia lin. controu. 108. n. 4.* & multo minus sunt necessariæ cum requisitis cumulatis à *Sanchez de matr. lib. 4. disp. 1. n. 10.* Quæ tunc debent concurrere quando solæ minæ dederunt causam timori *Grego. decis. 374. n. 14. Ruin. cons. 121. n. 6. lib. 4. Barbos. lib. 2. vot. 16. n. 44. & 58.*

Nec obstant, quod aliqui testes dicunt quod dictus Petrus post emissam Professionem cum Patruo associatus hilari vultu accessit non solum ad Oratorem Religionis, sed ad alios Equites eiusdem notificando prædictum
13 actum ab ipso sponte gestum. Quia hoc euenit in præsentia Patrui, qui metum impellebat; Vndè huiusmodi actus vti meticulosus etiam præsumendus sit stante eadẽ causa metus *c. 1. cum gloss. in verb. postmodum de his qui met. caus. Paris consil. 119. num. 23. vol. 4. Mantic. decis. 212. n. 13. versic. Item his testibus, ac decis. 315. num. 9. par. 5. recent. & par. 7. decis. 115. num. 14. & decis. 172. n. 43. cum aliis adductis in dicta Messanen. nullitatis 24. Nouemb. 1642. §. fin. coram R.P. D. meo Pentingero.* Vltra quod plus creditur duobus Testibus deponentibus super
14 metu, quam mille super spontanea voluntate *Innoc. in cap. super hoc n. 2. de renunc. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsump. 126. n. 31. Sanch. dicto lib. 4. disp. 27. n. 1. Seraphin. decis. 851. n. 6. Greg. dicta decis. 326. n. 26. cum aliis in dicta Vlixbonen. nullitatis professionis 29. Ianuary 1646. §. Nec visa fuerunt coram bon. mem. Arguellec.*

Nec pariter obstant literæ Patruo, & fratri ab eodem Petro conscriptæ, ex quibus resultare prætenditur, & voluntarium initium, & quod eius dissensus à Religione oriebatur solummodo ex interesse bursali, quod inter fratres vigebat, non autem ex auersione à Religione. Voluntarium enim initium non probant literæ conscriptæ anno 1635. & 1636. cum nihil concludant, dubiæ sint, & licet in prima facie præseferant aliqualem assensum concludunt tamen dissensum; Interesse autem bursale excluditur ex ipsius expressa declaratione dum publicè, & palam dicebat se nolle esse Religiosum, quamuis in Conuentu permaneret non ex causa bursali, sed ex auersione quam erga Religionem habebat, vt concludenter deponunt prædicti Testes. Et licet in prædictis litteris de huiusmodi interesse aliqua habeatur mentio, hoc tamen Petrus præbebat Patruo, pro causa vt in longum protraheret coactam, & optatam ab eo professionem, hocque, magis iustificatur aduertendo, quod in eisdem literis ipse nunquam se restrinxit ad specificum interesse, sed semper variando varias difficultates excitabat, adhoc vt magis dif-
15 ferret prædictam professionem, quo circa ex his non solum excluditur metus probatus, quinimò ille magis concluditur, dum declarationes spontaneæ emissæ coram eo, qui metum incutit potius metum geminant, quam eneruant, vt firmant, *Alexand. cons. 99. n. 8. lib. 3. Ruin. cons. 131. n. 4. lib. 4. Euerard. cons. 19. n. 17. & seqq. cum aliis per Barb. dicto vot. 1. n. 104. lib. 1.*

16 Præterea dixerunt Domini professionem esse nullam ex defectu legitimi nouitiatus, quia Petrus secunda vice discessit è Conuentu animo deliberato non profitendi, vt deponunt Testes dicto Summario *n. 6.* Quo stante licet annus probationis fuisset iam legitimè perfectus, tenebatur tamen pro validitate professionis nouum annum peragere, vt declarat *Suarez de Relig. tom. 3. lib. 3. cap. 15. num. 10. & sequent. Peyr. de regul. lib. 1. tom. 2. de Prælat. q. 3. c. 1. § 2. n. 99. & 100.* & admittitur in præterita decisione *sub dicto. §. 1. vers. non autem animo dimittendi habitum* ea ratione, quia si annus Nouitiatus inductus fuit ad hoc, vt Nouitius probet onera Religionis, ac Religio vitam, & mores Nouitij vtique dum ipse discedit animo deliberato non profitendi præsumendum est nolle subire Religionis onera, ideo si mutato proposito professionem emittere velit eget noua probatione, vt ratiocinatur *Lap. alleg. 46. n. 3. in fine. & per Rot. in d. Burgen. nullitatis Professionis 16. April. 1649. in prin. coram Arguelles.*

Quod si conclusio superius firmata est verissima quando in actu Professionis potest in Nouitio considerari mutatio propositi, & voluntas omnino spontanea, a fortiori procedit in casu nostro in quo euidentior apparuit auersio animi, & deliberatio non profitendi.

Itaque etiam Professio vti facta non præcedente legitimo anno probationis nullius est momenti, vt sancitum est *in Sacro Concilio Trid. sess. 25. c. 15. de regul.* eo magis quia in præsenti ex supra adductis meticulosa apparet ex dispositione *eiusdem Sacri Concilij dicta sess. 25. cap. 19. cum aliis relatis ibidem per Barbos. n. 4. & 34. ac per Rot. in dicta Vlixbon. nullitatis Professionis 10. Decemb. 1646. §. Quo metu dato coram bon. mem. Arguellos.*

His itaque positis alia insurgit nullitas prædictæ pro- 17
fessionis tanquam factæ vigore breuis Apostolici, quod fuit subreptitiè obtentum, nam emanauit cum narratiua quod annus probationis fuerit legitimè in Conuentu completus, & tamen ex supra adductis apparet hoc non iustificari. Vnde cum fuerit falsa expressio circa ea, quæ difficiliorem reddere poterant gratiam, non est dubium
inducere subreptionis vitium *Seraph. decis. 508. n. 9. ac de-* 18
cis. 94. n. 6. par. 7. recent. Ideo vti subreptitium nullum tribuit ius exequutori, nec supplicanti, imò caret omni
effectu. *Capmaq. decis. 39. part. 2. Pema decis. 522. n. 3.* 19
sicque tripliciter inualida prædicta professio remansit, nempè vti per metum extorta, ac nullo præcedente legitimo probationis anno, necnon vti facta vigore Breuis subreptitij, vt supra firmatum fuit.

Actus vero adducti ad comprobandum quod dicta pro- 20
fessio saltem fuisset tacitè ratificata non fuerunt habiti in consideratione ad effectum inducendi prædictam tacitam ratificationem; Tum quia in hoc casu obstat regula, vt non possit ratificari, quod ab initio de iure non subsistit *ad text. in cap. confirmatur 16. de reg. iur. in 6.* & latè firmatum fuit *in dicta Vlixbonen. nullitatis professio-*
nis 16. Iunij 1642. coram Reuerendiss. Salamantino. Tum 21
etiam quia in præsenti adest defectus Nouitiatus, qui cum expressam annullet multo magis tacitam irritare debet ex ponderatis per *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 39. n. 34* & in terminis *Suarez de Relig. tom. 3. lib. 7. c. 1. n. 8. Nauarr. lib. 3. dicto consil. 26. n. 19 & seq. de Regul.* Tum pariter quia admisso etiam sine veri præiudicio, quod Petrus habitum gestauerit, aliosque actus solis professis conuenientibus fecerit spatio longissimi temporis prætermisso, quod aliqui gesti fuerunt durante eadem causa metus, dum adhuc viuebat Patruus, ideo vti meticulosi non sunt
habendi in consideratione ex supra allegatis. Ex his 22
nulla tamen inducta fuit sufficiens ratificatio, nisi Petrus sciebat ex illis resultare tacitam ratificationem, & insimul opus est, quod gesta sint cum animo ratificandi, quod in casu nostro desideratur, vt tenent *Sanchez dicta disp. 37. n. 9. Caiet. in 2. 2. q. 189. art. 5. Nauar. dicto cons. 26. num. 18. & consil. 28. n. 7. de Reg. & Comment. 4. num. 74. vers. Quoniam autem tria eodem iii. ac in manuali c. 12. n. 17. Grat. discept. 440. n. 2. cum aliis latè de-*
ductis in dicta Vlixbon. 10. Decemb. 1646. §. nulla adest
quidem ratificatio. Tum denique quia ad inducendam 23
prædictam ratificationem concurrere debebat etiam consensus Religionis cum ipsa in præsenti casu emissam professionem ante prætensam ratificationem reiecit, tunc enim non potest Nouitius professionem ab initio nullam ratificare sine nouo consensu Superioris, vt conciliando contrarias opiniones firmant *Surd. consil. 364. n. 47. cum seqq. Less. de Iust. & Iur. lib. 2. c. 41. dub. 6. sub n. 66. in fin. versic. Aduerto tamen*, & latè comprobatum fuit in mox allegata *Vlixbon. nullitatis professionis sub §. quibus addebatur.*

Vltra

Vltra quod omnes actus adducti vti æquiuoci, & non concludentes nullius sunt momenti, dum habemus expres-
14 sum Petri dissensum, qui facit cessare tacitum consensum ab eis aliquo modo resultantem ex adductis per *adden ad Greg. decis. 385. num. 6. post med. vers. Excluditur autem & decis. 705. n. 3. par. 2. recent. ac decis. 60. num. 14. & seqq. post Viuian. de Iure patr. cum aliis in terminis deductis in d. Vlixbon. nullitatis professionis 16. Iunij 1642. §. Nec dicta coram Reuerendissimo Salamantino, & 10. Decembris. 1646. §. cum ergo præsumptio coram bon. mem. Arguelles.*

Nec aliqua vis fieri potest super petitione scutorum 6000. facta per Petrum super qua totum consistebat fundamentum partis, dum in ea asseritur ipsum fecisse solemnem professionem. Quia prætermisso quod dicta assertio professionis intelligi potest de facto, non autem de Iure *Rota in Romana, seu Veliterna affictus 15. Martij 1652.*
25 *§. memoriale coram R. P. D. meo Bichio*, dicta petitio emanauit à quodam Procuratore carente mandato procuræ, ideo nullo modo potuit Petro præiudicare *Castr. in l. non solum n. 2. ff. de Procur. Greg. decis. 407. num. 3. cum aliis latè relatis in decis. 659. n. 5. coram Merlino*, præsertim quia huiusmodi summa soluenda non erat post emissam professionem, sed quotiescumque Petro obtulerit occasio alicuius muneris honorifici, tam in Religione, quam extra. Vnde dum facta fuit dumtaxat ad consequendum commodum prædictarum pecuniarum nullo pacto importare potest ratificationem professionis, vt tenuit *Rota in dicta Messanen. nullitatis Professionis 23. Maij 1642. coram R. P. D. meo Pentingero §. pariter non obstare dixerunt, & in dicta Vlixbon. 10. Decemb. 1646. §. maximè cum non sit probata.* Et in omnem casum semper obstant conclusiones contra tacitam supra adductæ, & præsertim regula, vt non possit ratificari, quod de Iure ab initio non subsistit *ad d. text. in c. confirmatur de reg. iur. in 6. cum aliis in dicta Vlixbonen. 16 Iunij 1642. coram Reuerend. Salamantino.*

26 Demum non obstat conclusio, quod in dubio facienda est interpretatio, vt professio sustineatur. Quia illa procedit quando dubitatur de validitate ex alio capite, quam ex defectu consensus, prout in præsenti, quo stante semper facienda est interpretatio pro libertate personæ *Rebuff. consil. 78. col. vlt. vers. Nec me conturbat Deus autem voluntarios sibi eligit milites cap. non est 15. q. 2. alia vero seruitia continuit cap. iam vero 23. q. 6.* & aduertit *Rota in dicta Vlixbon. nullitatis professionis 29. Ianuar. 1646. in fine.*

Et ita &c. Vtraque &c.

De metu professionem irritante multa dixi sub cap. 19. quod est de professione coacta, & per vim emissa. De ratificatione professionis sub cap. 21. per totum.

DECISIO XLVI.

Tullensis 27. Iunij 1633. coram Merlino in eius volumine Decis. 523. super nullitate professionis, quando professus audiri possit extra claustra monasterij.

1 *Monialis agens super nullitate professionis non potest audiri, nisi existat extra de licentia superioris.*
2 *Decreta S. Congr. veneranda sunt, quæ ad Rotam se remittit.*

IN Decisis Domini steterunt, quia materia articulata si probabitur est profutura Catharinæ agenti pro declaratione nullitatis suæ professionis, vt in Decisione emanata sub die 10. Aprilis 1630. coram me; neque informantes pro Iacobo hanc releuantiam audent inficiari.

1 Non obstat, ipsam Catharinam non esse audiendam, nisi ingrediatur religionem; prout regulariter requiritur ex sacro *Concilio Trid. sess. 25. cap. 19.* & tradunt *Nauar. de Regul. comment. 4. n. 73. & 77. Less. lib. 2. c. 41. n. 65. Rod. t. 3. q. 17. art. 1. Sanch. de matr. lib. 7. disp. 37. n. 1.*

Quoniam in præsenti casu dantur declarationes Sac. Cong. Regularium, quæ indulsit Catharinæ, vt audiatur super nullitate professionis; etiamsi monasterium non reperat, cum de licentia superiorum ipsa exiuerit, vt prò validitate professionis moniales non instant, sed solum consanguinei pro retinenda dictæ Catharinæ hæredita-
te. Et Rota non inquirit de iustitia Decretorum Sacræ 2
Congregationis, sed reuerenter ea suscipit, & sequitur, vt etiam respondit *apud Card. Seraphinum Decis. 1432. num. 11.* Et in Ancbnitana Bonor. 3. Iulij 1606. coram bonæ memor. Cardin. Sacrato. Si quæ partes de illis conquerantur, solet eas remittere ad eandem Sacram Congregationem.

Neque obstat, quod Decretum Sacr. Congreg. habeat clausulam: *Si placeat Sanctissimo.* Quoniam S. annuit, & super hoc emanauit Breue. Cumque partes adiuissent hodie eandem Sacr. Congreg. ipsa stetit in Decretis; vnde & libentius Rota amplectitur, & obseruat iudicium eiusdem Sacr. Congregationis.

Quæ dicuntur de transportatione actorum visa sunt Dominis non obstare; stat enim præsumptio pro integra transportatione; & iura, quæ dicuntur deficere non sunt in forma probanti, neque recognita, neque in actis prioris instantiæ exhibita fuerunt cum citatione Catharinæ.

Et ita vtraque parte informante resolutum fuit; standum esse in decisis.

Citata Decisio hic extensa fuit supra sub num. 32. De Reclamatione facienda habitu retento, & intra claustra dixi c. 22. q. 12.

DECISIO XLVII.

Tullensis sub die 22 Iunij 1633. Merlini decis. eius 590. vbi quod ex metu reuerentiali irritatur professio.

1 *Metus irritat professionem, propter quem potest recedere à religione.*
2 *Solus reuerentialis sufficit etiam de iure naturali.*
3 *Minæ cum reuerentia patris tollunt consensum ab vsu professionis.*
4 *Ad probandum metum sufficiunt probationes leuiores.*

PRoposito dubium, an constet de validitate professionis emissæ per Dominam Catharinam de Acosart: Et Domini responderunt constare de metu vsque ab initio ante emissam professionem incusso, ex quo quidem metu, dum sit in constantem virum irritare professionem & in-
de à Religione exire permissum esse rescripsit *Alexand.* 1
III. in cap. 1. de iis, quæ vi, & Innocent. III. in cap. Cum dilectas, eodem titul. & de metu reuerentiali per parentes incusso est text. à contrario sensu *in cap. puella 20. quæst. 3.* vt inducit *Clemens Tertius in cap. Cum virum, de Regular.* & fauet *cap. Præsens 20. q. 3.*

Quod verum est, ne dum attentato iure Ecclesiastico, & positiuo, vt censuit post alios *Sanchez lib. 4. c. 3. n. 9.*
& Basilius Pontius lib. 4. c. 11. num. 15. vbi reprobat eun- 2
dem Sanch. ab hac sententia dissentientem quoad solum metum reuerentialem *in tractatu de Matrimonio lib. 4. disp. 6. n. 18.* Et idem Pontius, vbi supra testatur, ita fuisse à Sac. Congreg. Concilij definitum, & à Rota resolutum Coram Oradino, & sequitur *P. Diana part. 3. tract. 2. resol. 92.* sed etiam attento iure naturali diuino, hoc procedere tradit idem *Pontius dicto lib. 4. cap. 11. n. 15.*

Metus autē probatur ex quatuor testibus datis in Summar. num. 1. quorum primus deponit de visu, ne dum verbalibus minis parentum, & iniuriis, sed & de verberibus cum alapis, & de resistentia, ac recusatione puellæ, cum protestationibus, gemitu, lacrymis, & querelis quod nolebat ingredi monasterium. Alij vero testes deponunt de auditu ab eadem puella conquerente, & lacrymante, quod parentum coacta imperio, &

per eorum vim, & metum Religionis propositum, atque habitum suscipiebatur.

Ex quibus fetis probari metum pro irritanda professione fuit Dominis visum, cum & ad hunc effectum sufficeiat probere minas inoctas cum reuerentia parentum, ex quibus tollitur libertas consensus in professione omnino

3 necessaria rescripsit, *Abbas in cap. Cum virum, 8. de Regular. Felin. in cap. Causam 5. de Offic. Delegat. Azor. lib. 12. c. 5. quæst. 9. Vers. Si reges, part. 1. & fuit dictum in Neapolitana Professionis 15. Iunij 1598. Coram Gypsio, & in Tullensi Nullitatis Professionis septima Nouembris 1616. Coram bona memoria Buratto.*

4 Et in hac materia admitti leniores probationes, & indicie tradunt *Alex. consil. 98. n. 6. lib. 3. Paris. consil. 60. num. 20. lib. 4.* Rota Coram Senctæ Memoriæ Gregorio Decimoquinto *decis. 374. numer. 1. & 9. & decis. 326. num. 11.* Præsertim dum res ecte est inter domesticos parietes, vt per Rotam *dicta decis. 326. num. 5. & decis. 351. num. 6.* apud eundem Greg. XV.

Et ita vtraque parte informante constare de metu ab initio illato resolutum fuit.

An autem pro validitate professionis sufficeret votum Obedientiæ duntaxat, donè per ratificationem fuerit conualidata professio, & purgatus metus, Domini reiecerunt ad aliam disputationem, &c.

De professione nulla ex metu etiam tantum reuerentiali sine minis egi cap. 19 num. 24. Quod nulla sit ex metu graui, iure Naturæ, Diuino, & Ecclesiastice probaui ibidem num. 48.

DECISIO XLVIII.

Tullensis 13. Martij 634. coram eodem Merlino, eius decis. 620. Professio ex solo metu reuerentiali sit irrita.

1 *Metus cadens in constantem virum ex quibus deducatur.*
2 *Minor metus requiritur in puella, quam in Viro.*
3 *Metus reuerentialis patris sufficit ad irritandos actus, & contractus.*
4 *Et ad irritandam professionem.*
5 *Metus reuerentialis solus non sufficit.*
6 *Vtique concurrentibus minis, vel verberibus.*

CAtharinam metu parentis compulsam, ingressam fuisse Religionem, & in ea per metum professam satis probari hodie etiam Domini censuerunt persisteotes in Decis. sub die 22. Iunij præcedentis anni coram me emanata.

Affertur enim depositio quatuor testium, quorum primus oculata fide deponit, se vidisse patrem Catharinæ, ne dum immodicis, & grauibus minis imperantem filiæ, vt Religionem ingrederetur, & cædis, ac tormentorum metum illi renuenti iniicientem, verum etiem alepis, & verberibus percutientur. Et alij tres testes deponunt de quæstibus, & lacrymis puellæ deplorantis, se metu, & iussibus parentum coactam ad Religionem compelli, vt in Summario præteritæ positionis num. 1. Quibus adiungitur sententia Prouincialis Ordinis, qua Catharinæ professionem esse nullam pronuntiauit, vt in Summario n. 6. quam nullitatem declaratam etiam fuisse ab Ordinario Tullensi asseritur ab eadem Catharina, in Summario numero secundo.

1 Vnde ex his arbitrati sunt Domini constare de metu vsque ab initio ante ingressum Religionis Catharinæ incusso, & quidem de metu iusto, atque in constantem animum cadente, ad quem definiendum, personarum qua-

2 litas, & eliæ circunstantiæ sunt ponderandæ. Et in puella ob ætatis, & sexus imbecillitatem minor sufficit metus. quam in viris, & animus mulieris etiam constans leuioribus permouetur affectibus, quam animus virilis, facilinsque tenetur, ideo vt non idem qui in masculis exigatur, in fœminis metus, vt monuit *Glossa in cap. Cum locum in V. Metus de Sponsal. Aretin. consil. 24. num 7. Ruin. consil. 98. n. 24. lib. 1. Menoch. de Arbitr. casu 135. num. 4. Honded. consil. 29. num. 29. & 3. lib. 1. Castill. quotid. contron. pars. 3. c. 1. n. 144.*

Ideoque metum reuerentialem filiæ erga parentes iunctum minis, aut verberibus sufficere ad irritandos humanos actus, & obligationes tradunt Doctores *in leg. Interposita. C. de transf. Aretinus dicto consil. 24. n. 7. Hond. consil. 29 num. 41. Fach. controuer. foren c. 96. lib. 2.* cum alijs plena manu congestis per *Castillum par. 3. cap. 1. n. 153.* 3
Et ex eo irritari professionem, deducitur ex *cap. Puella 20. q. 3. Cum virum, de Regul. cap. Præsens 20. q. 1.* cum alijs relatis in prima decisione. 4

Non obstat, quod primus testis deponens de verberibus Catherinæ incussis videatur contrarius confessioni eiusdem Catharinæ asserentis, se tantum vidisse verberari sororem; Quoniam tota confessione, & depositione illius perlecta, apparet, quod parens primo verberauit Sororem ætate maiorem, & deinde ipsam Catharinam cum primum animum non ingrediendi Religionem aperuit, vt in dicto Summario numero secundo, & sic immo concordat cum depositione primi testis.

Minus obstat, quod pro rescindenda expresse profes- 5
sione non sufficiat metus reuerentialis ex traditis per *Sanchez lib. 4. disp. 6. num. 18.* Quoniam ex supra deductis constat Catharinæ incussum fuisse metum reuerentialem, quem iunctum minis, & verberibus sat esse ad irritandam professionem comprobatum fuit in alia Decisio- 6
ne; & firmat idem *Sanchez lib. 4. disp. 6. num. 7.* & ponderauit *Castillus dicto capite primo, num. 135. in fine, parte tertia.*

Vltre quod nec hucusque fuit probata Catharinæ expressa professio, contra quam & viget præsumptio ex eo deducta, quod hodie eadem Catharina reperitur in statu libertatis, & extra Monasterium ex auctoritate Sac. Congreg. Regul. ex Summario numero tertio. Et ita vtraque parte informante in Decisis Domini permanserunt.

De Professione coacta per metum cadentem in constantem virum, & de timore reuerentiali plura dixi per totum cap. 19.

DECISIO XLIX.

Tullensis sub die 28. Aprilis 1634. eiusdem Merlini. Decision. eius 628. vbi quod per metum non censetur ratificata professio per continuationem in Religione, & metus per tempus subsecutum, & alias metus non censetur purgatus.

1 *Causa metus durans actus omnes subsequentes præsumuntur meticulosi.*
2 *Etiam respectu professionis.*
3 *Nec metus dicitur purgatus etiam per longum tempus, dum causa viget.*
4 *Et propterea debet probari actus spontanè fuisse factos citra vllam metus causam.*
5 *Viuente patre, qui incussit metum filia.*
6 *Maxime concurrentibus protestationibus, & declarationibus animi.*
7 *Nec obstet quod exercuerit officium Celeraria.*
8 *Quia adhuc durabat causa metum inferens.*
9 *Ideo actus subsequentes non sunt attendendi.*
10 *Ignorans nullitatem professionis non ratificat.*

PRosequendo disputationem susceptam super nullitate professionis Dominæ Catharinæ, quam fuisse ingressam Monasterium ex metu per patrem incusso & per metum pariter emisisse professionem, firmatum fuit per dues Decisiones coram me emanatas.

Hodie

Hodie propoſui dubium, an ſcilicet fuerit purgatus metus, & inde ratificata profeſſio? Et an votum Obedientiæ ſuffi ceret pro validitate profeſſionis.

Et Domini reſponderunt, metum non fuiſſe purgatum, & ſic non conſtare de validitate Profeſſionis.

1 Moti ſunt ex eo, quod durante cauſa metus durat metus, quamuis in actu externo appareat libertas, & fiant poſitiui actus ratificationem inferentes, in quos cum inſtat permanens cauſa metus, præſumantur & ij meticuloſi, commentitij, & ficti, vt tradunt *Bartol. in leg. 2. n. 7. C. de his, quæ vi, & ibid. Bald. n. 8. Dec. conſil. 119. n. 7. Menoch. præſumpt. 4. n. 22. lib. 4. plene Sanch lib. 4. diſp. 18. n. 7. Farinac. in fragment. V. Metus n. 163. Gioüagnon. conſil. 67. n. 27. lib. 1. Gregor. XV. deciſ. 392. n. 2. & 3.*
2 *Seraph. deciſ. 851. n. 1.* Et in terminis profeſſionis, ac voti tradit *Sanch lib. 4. c. 3. n. 13. Rota in Recent. deciſ. 175. num. 5. & deciſ. 579. part. 1. & deciſ. 705. n. 1. & 4. par. 2. & in Neapolit. Profeſſionis* 28 Iunij 1588. *coram Gypſio.*
3 Adeo vt nec per longiſſimum temporis internallum dicatur purgatus metus, dum viget cauſa timoris influens actus ſequentes, *Decius dicto conſil. 119. num 7. Roland. conſil. 95. n 32. lib. 1. Oſaſchi ns deciſ. 179. n. 12. & 13. Farinac. cit. n. 163 Sanch lib 4. diſp. 18. num. 7. Ponticius l. b. 4. c. 27. n 3. Gregor. XV. deciſ. 392. num. 4.* Et ad inducendam illius purgationem requiruntur actus exteriores vndequaque ſpontanei, & omni parte liberam voluntatem ſignificantes. Itavt ſi aliam interpretationem recipere poſſint, non cenſeantur purgare metum, manente timoris cauſa, in hocque requiruntur plenæ probatio-
4 nes, *Bartol in dicta leg. 2. n. 10. C. de iis, quæ vi, ibid. Bald. n. 14. Barbat. conſil. 60. ſub n. 3. lib 1. Farinac. citat. n. 140. Sanch. dicta diſp. 18. n. 9. Pont. lib. 4. cap. 17. num. 3*

In caſu autem præſenti per totumtempus, quo Catharina poſt emiſſam profeſſionem in monaſterio commorata eſt, ſuperuixit pater, cuius metu, & imperio coacta propoſitum Religionis, atque habitum ſuſceperat, vt ex Summario dato in reſponſ. numero primo, & ſic dicitur duraſſe cauſa metus, *Gloſſ. in cap. 1. 11. Poſtmodum, vbi Innocent. num. 1. Abbas n. 12. de his, quæ vi, Menoch. præſumpt. 4. n. 23. lib. 3. Oſaſchius deciſ. 179. n. 12. Sanch. citat. diſp. 18. n. 7. & 8. Rota coram Gregor XV. deciſ. 392. num. 5.*

5 Neque vlli exteriores poſitiui actus geſti fuerunt per Catharinam ad metus purgationem ſufficientes, immo ſæpius congeſta eſt de vi, & metu ſibi illato, & ſuper hoc reclamauit, vt deponunt teſtes dati in Summario præteritæ poſitionis ſub die 22. Iunij præteriti num primo. Qui etiam addunt, ſemel è Monaſterio egreſſam fuiſſe, ac parentis indignatione & iuſſu coactam regredi in idem Mo-
6 naſterium; ex quibus reclamationibus, & querelis excluditur voluntas ratificandi profeſſionem per metum emiſſam, & ipſius metus purgatio, *Innocent. in cap. Perlecta n. 2. & ibi Hoſt. n. 12.* Abbas *n. 14. de his, quæ vi, Decian. conſil. 18. n. 5. lib. 3.* Honded. *conſil. 78. n. 4. & 25. lib. 2. Rota in Recent. deciſ. 579. n. 3. part. 1. & in Metenſi Profeſſionis 26. Iunij 1598. coram* Gypſio, *& in Brix. Parochialis 20. Martij 1620. coram bonæ memoriæ Vbaldo.*
7 Hinc non obſtat, quod Catharina paſſa fuerit, ſe ratificaſſe profeſſionem, dum aſſeruit, ſe per triennium geſſiſſe officium Celerariæ, quod nonniſi profeſſis demandabatur. Et amplius affirmauit, ſe meditatam fuiſſe egreſſum è Religione, cum primum actum fuit de reformando ſtatu Religionis, tacite inferens ea ante libenter in Religione permanſiſſe, vt colligitur ex depoſitione ipſius Catharinæ data in Summario Iacobi numero tertio.

Quoniam permanente cauſa metus incuſſi, nec functio muneris Celerariæ, nec perſeuerantia in Religione, nec quicunque alij actus ſuffragantur ad inducendam profeſſionis ratificationem ex ſupradictis; quia durans timor adimit liberum conſenſum ab illis actibus.

Neque Catharina dixit, ſe cogitaſſe de egreſſu è Re- 8
ligione dumtaxat propter reformationem, ſed immo vt obediret ſeueris iuſſibus parentis, ſuſcepiſſe Religionis habitum, ſed nunquam habuiſſe intentionem ratificandi profeſſionem, & ſe obligandi votis, vt in dicto Summario Iacobi numero ſeptimo, & octauo, & nacta eſt illam occaſionem reformationis, & ſeuerioris diſciplinæ, vt patrem demulceret, & voluntatem egrediendi impleret, moxque hanc ſuam voluntatem exitu comprobauit, dum egreſſa eſt, & ſe recepit in domum, & Caſtrum Comitis de Fontenoy, cui propterea pater Catharinæ maximè indignatus fuit, vt deponit teſtis datus in Summario reſponſ. n. 1. ſignum metus permanentis in Catharina, & animi patris ad eandem tenendam excitati.

Minus obſtat, quod poſt emiſſam profeſſionem pater pluries inuiſerit Catharinam, ab eaque blande, & beneuole fuerit exceptus, vt deponunt teſtes dati in Summar. Iacobi num 4. Quoniam ſtante cauſa metus vigentis ſimulati præſumuntur huiuſmodi actus, quamuis liberam voluntatem, & lætitiam, iucundumque animum præſeferentes, *Alex. conſil. 99. n. 8. lib. 3. Barbatia conſil. 54. n. 5.* 9
lib. 1. Gioüagnon. *conſ. 67. num. 26. lib. 1. Rota coram Gregor. XV. deciſ. 392. & in Colimbr. Matrimonij 19. Decemb. 1614. coram Buratto, impreſſa apud dictum Gioüagnon. conſ. 67. num. 71.*

Nec mirum eſt, ſi emiſſa profeſſione per filiam, pater ſe bene egit, minarum enim, & ſeueritatis ſecus erat effectus & ipſe factus compos deſiderij, vltra quod quatenus etiam actus prædicti, & alij ſuperius receaſiti ſufficerent ad purgandum metum, & ad ratificandam profeſſio-
nem, adhuc neceſſe eſſet probare, quod Catharina ſciuiſ- 10
ſet prius emiſſam fuiſſe nullam, ſi enim ex errore, quo putabat profeſſionem fuiſſe validam geſſerit actus illos, nunquam dicitur ratificata profeſſio, quam nihil magis conſenſui contrarium, quam error, iuxta tradita per *Ancharan. conſil. 199. & 230.* Sanch. *lib. 4. diſp. 18. n. 5. Pontius lib. 4. c. 25. n. 12. & cap. 17. n. 3.*

Ex his ſequitur, non eſſe opus ingredi diſputationem. An pro integritate, & validitate profeſſionis ſufficeret ſimplex Votum Obedientiæ, quia poſito etiam, quod ſufficeret, ex cauſa metus irrita fuit; & ipſo iure nulla profeſſio, vt in alijs Deciſionibus fuit comprobatum, neque per actus ſubſequentes fuit conualidata. Vt hodie Domini, vtraque parte informante, reſoluerunt, &c.

De profeſſione nulla ex metu dixi per totum cap. 19. Quod neceſſaria ſit ſcientia nullitatis profeſſionis ad eius ratificationem, multis probaui cap. 21. quæſt. 14. numer. 28.

INDEX
RERVM ET VERBORVM.

Primus numerus Paginam, secundus marginalem indicat numerum.

D

Delicta

E

An

F

Indu...

Tom. V. Aaa 2 nullum

Metalli

N

Q

R

S

T

Tantum

pars

INDICVLVS

Nonnullorum locorum Sacræ Scripturæ explicatorum,

Quæ passim leguntur in Tractatu de Professione Regulari.

Sub Capite I.



Sub Capite II.

Sub Capite III.

Sub Capite IV.

Sub Capite XI.

Sub Capite XIII.

Sub Capite XVIII.

Sub Capite XIX.

Sub Capite XXIII.

Sub Capite XXIV.

FINIS.